


10/p

No: 12798

Ex libris

Josephi Sedlmayr Cancell: Fis:

1771

CONCILIA GERMANIÆ,

QUORUM COLLECTIONEM

CELSISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS MAURITII,

GLOR^MÆ MEM. ARCHI-EPISCOPI PRAGENSIS

SUMPTU,

CL. JOANN. FRIDERICUS SCHANNAT

PRIMUM COEPIT,

P. JOSEPHUS HARTZHEIM Soc. JESU P. M.

CONTINUAVIT, ET PRELO DEDIT.

ad Canoniam **TOMUS VI.** Neustift

EJUSDEM CELSISSIMI PRINCIPIS MUNIFICENTIA

EX HARTZHEMIANIS COLLECTIS

EDITUS, AUCTUS, ET NOTIS ILLUSTRATUS

A P. HERMANNO SCHOLL EJUSDEM SOCIETATIS.

COMPLECTITUR CONCILIA

Josephus AB ANNO MD. AD MDLXIV. Abbas



COLONIÆ AUGUSTÆ AGRIPPINENSIUM,

TYPO VIDUÆ JOAN. WILHELMI KRAKAMP, ET HÆREDUM CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolarum.

ANNO MDCCLXV.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

PERPETUÆ. GRATISSIMÆQUE.
MEMORIÆ.

REVERENDISSIMI. ET. CELSISSIMI. DOMINI. DOMINI.

JOANNIS. MAURITII. GUSTAVI.

DEI. GRATIA. ARCHI-EPISCOPI. PRAGENSIS.
SEDIS. APOSTOLICÆ. LEGATI. NATI.
S. ROMANI. IMPERII. PRINCIPIS.
COMITIS. DE. MANDERSCHEID-BLANCKENHEIM.
ET. GEROLDSTEIN.
LIBERI. BARONIS. IN. JUNCKERATH.
DOMINI. IN. BETTINGEN. DAUN. ET. ERP.
UTRIUSQUE. SACRÆ. CÆSAREÆ. NEC. NON. GERMANIÆ. HUNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.
CONSILIARII. INTIMI. ACTUALIS.
INCLYTI. REGNI. BOHEMIÆ. PRIMATIS.
ECCLESIARUM. METROPOLITANÆ. COLONIENSIS. ET. CATHEDRALIS. ARGENTINENSIS. RESPECTIVE.
PRÆPOSITI. SENIORIS. AC THESAURARII.
ILLUSTRIS. ECCLESIÆ. COLLEGIATÆ. AD. S. GEREONEM.
PARITER. PRÆPOSITI.
NEC. NON. UNIVERSITATUM. COLONIENSIS. ET. CAROLO-FERDINANDEÆ. PRAGENSIS.
CANCELLARII. PERPETUI. ET. PROTECTORIS. &c. &c.
OPERIS. HUJUS. PRIMI. AUTHORIS. ET. MUNIFICENTISSIMI. ETIAM. POST. FATA.
MECOENATIS.
TOMUM. HUNC. SEXTUM.
D. D. C.

Hermannus Scholl S. J.

FACULTAS REV. P. PROVINCIALIS
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.




CUm Vidua JOANNIS WILHELMI KRAKAMP, & Hæredes CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolæ Colonienſes, typis vulgare deſiderent Tomum Sextum *CONCILIORUM GERMANIÆ, ex Hartzhemianis collectis a P. Hermanno Scholl, Soc. noſtræ Sacerdote, editum, auctum, & Notis illuſtratum;* Ego infra ſcriptus, ejusdem Societatis in Provincia Rheni Inferioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab Adm. R. P. N. LAURENTIO RICCI, Univerſæ Societatis JESU Præpoſito Generali, iisdem ad primam hanc duntaxat prædicti Tomi editionem facultatem impertio; ſimulque communico Jus Privilegii Cæſarei, quo Bibliopolis ac Typographis interdicitur, ne quis Librum ullum a Societatis noſtræ Patribus conſcriptum, citra conſenſum Superiorum recudere, aut alibi recuſum, intra fines S. R. Imperii inferre præſumat. In cujus rei fidem has iis manu propria ſubſcriptas, ac conſueto officii mei Sigillo munitas, dedi. Coloniæ 5. April. 1765.



ANTONIUS RÜTING S. J. m. pp.

INDEX



INDEX CHRONOLOGICUS
TOMI VI.
CONCILIORUM GERMANIÆ, ET EPISTOLARUM &c. AD CONCILIA PERTINENTIUM.
SÆCULO XVI.
AB ANNO MDIII. AD MDLXIV.

Annus Christi — *Pagina*

1551.

De

FINIS INDICIS CHRONOLOGICI.



INDEX ALPHABETICUS
CONCILIORUM GERMANIÆ
SÆCULI XVI.
USQUE AD ANNUM MDLXIV.

CATA-

CATALOGUS ROMANORUM
PONTIFICUM
AB ANNO MDIII. AD ANNUM MDLXIV.

Nomen & Natio.	*Ordo Successio nis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit.*
Pius III. *antea Franciscus Tudeschinus Piccolomineus, Senensis.*	CCXVII.	Anno Christi MDIII. X. Kalend. Octobr.	Dies XXV.	Anno Christi MDIII. XV. Kalend. Novembr.
Julius II. *antea Julianus Roboreus, Ligur, Savonensis.*	CCXVIII.	MDIII. Kalend. Novembr.	Annos IX. Menses III. Dies XXI.	MDXIII. XI. Kalend. Martii.

Anno 1506. Ordinem Minimorum S. Francisci de Paula, per Sixtum IV. Innocentium VIII. & Alexandrum VI. antea probatum, iterum approbavit, & quamplurimis Privilegiis auxit.

Anno 1511. contra Julium II. Papam a quibusdam Schismaticis Cardinalibus coactum est Conciliabulum Pisanum, quod deinde Mediolanum, ac demum Lugdunum in Galliam translatum fuit, fœdoque ibidem exitu finitum. (*)

Tollendo isti Conciliabulo Julius Pontifex Concilium Oecumenicum Lateranense Vtum opposuit anno 1512., sed, morte præventus, non absolvit.

Leo X. *antea Joannes Mediceus, Florentinus.*	CCXIX.	MDXIII. V. Idus Martii.	Annos VIII. Menses VIII. Dies XX.	MDXXI. Kalend. Decembr.

Lateranense V. Concilium Oecumenicum ab Antecessore inchoatum, continuavit, & anno 1517. finivit.

Eodem anno 1517. Martinus Lutherus suis erroribus, ore, calamoque, ac typo per Germaniam sparsis perturbare cœpit Ecclesiam.

(*) Sandinus in Vitis Romanorum Pontificum.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit.*

clesiam. Leo Papa duplici Bulla primum errores, dein earundem Authorem, ejusque asseclas condemnavit. Prior edita est Romæ anno 1520: Altera anno sequente. Utramque vide hoc Tomo VI. a pag. 171. & 179.

Hadrianus VI. *Retinuit nomen, quo antea vocabatur.* (*) *Batavus, Ultrajectinus.*	CCXX.	Anno Christi MDXXII. V. Idus Januar.	Annum I. Menses VIII. Dies VI.	Anno Christi MDXXIII. XVIII. Kal. Octobr.

Mox ab adito Pontificatu, motis a Luthero tumultibus, qui invalescebant indies, supprimendis, se se impendit, misso eam ob rem Francisco Cheregato, Fabriani Episcopo, ad Comitia Principum Imperii, Norimbergæ coacta, datis etiam ad Principes, tum Ecclesiasticos, tum Sæculares literis. Vide hoc Tom. VI. pag. 190. prolixam ejusdem, vehementique conscriptam stylo Epistolam ad Fridericum, Saxoniæ Ducem, qua eundem modis omnibus cohortatus est, ut avitæ memor pietatis, Lutherum, ejusque doctrinam desereret, & orthodoxam reverteretur ad fidem. Idem Hadrianus Antoninum, Florentinorum Antistitem, ex familia S. Dominici, & Bennonem (**) *Misnensium in Saxonia Episcopum retulit in Fastos Sanctorum.*

Eodem

(*) "Alterius Nationis (*inquit Spondanus*) quam Batavæ, fuisse Hadrianum, nemini unquam in mentem venit; quousque Matthias Bellintanus, Capuccinus Salodiensis, Diœcesis Brixiensis in Italia, anno 1586. brevi edita historia, ut est apud Victorellum in Addition. ad Ciaconium, persuadere voluit, Hadrianum natum esse in pago Renzano, Salodiensis agri, Patre Joanne Bono, atque in Baptismo Ludovicum dictum; cum in Belgium adolescentulus commigrasset, in Hadrianum commutasse: ac propterea factum Pontificem noluisse amplius nomen mutare, quod id jam semel præstitisset. Addit alia plura ejusdem acuminis de Patre, familia, insignibus, & educatione: quæ omnia aut somnium dormientis, ... aut facilem credulitatem commenti alicujus ex familia Joannibona, esse puto. Sane si id fuisset, poterat Hadrianus uno verbo iis satisfacere, qui querebantur, Pontificatum ad Ultramontanos esse delatum. An vero honorificentius ei fuit, Batavum esse, quam Italum? Aut illum dicemus, Patriam, & nomen, & familiam ementiri voluisse, ut mundo illuderet? Apage commentum! Fuit igitur Hadrianus vere Batavus Trajectinus, Patre Florentio, aulæorum textore, seu, ut alii volunt, cerevisiæ coctore, honesto, sed ita paupere, ut præclaræ indolis filium suo sumptu literis imbuere non posset. &c. *Spondanus Annal. Ecclesiast. Tomo II. ad annum Christi* 1522.

(**) Publicum hunc inter Cœlites cultum, S. Bennoni auctoritate Pontificia decretum, ægerrime tulit Lutherus: majoremque exarsit in rabiem, cum intelligeret anno sequente de Sacris ejusdem ossibus, in ipsa urbe Misna, ex vetusto tumulo levandis, communique Saxonum venerationi proponendis. Hinc, ut populum, quod tamen non potuit, ab ea celebritate averteret, libellum conscripsit, plenum scommatis, atque

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit.*

Eodem Hadriano ſedente magnum rei Chriſtianæ allatum eſt detrimentum, Inſula Rhodo perdita, quæ, dum Chriſtiani Principes cunctantur, obſeſſis venire ſubſidio; a Turcis occupata eſt, pulſis inde Equitibus Hieroſolymitanis, poſtquam eandem ante ducentos circiter ac duodecim annos Turcis ereptam, veluti validiſſimum Chriſtiani nominis adverſus illos propugnaculum fortiſſime ſemper defendiſſent. Ad ſarciendam eam jacturam, Carolus V. Imp. anno 1530. ejusdem Ordinis Equitibus Inſulam Melitam dedit, a qua Melitenſium modo ſortiti ſunt nomen, qui Rhodii, ſeu Rhodienſes antea dicebantur.

Clemens VII. *antea Julius Mediceus, Florentinus.*	CCXXI.	Anno Chriſti MDXXIII. XIII. Kal. Decembr.	Annos X. Menſes X. Dies VII.	Anno Chriſti MDXXXIV. VI. Kalend. Octobr.

Approbavit inſtitutam a S. Cajetano Thienæo Congregationem Clericorum Regularium, qui deinde Theatini nuncupati ſunt: Ordinem item Capuccinorum, quorum auctor fuit Matthæus de Baſſio, Umber, Sacerdos Minorita.

Ob initum anno 1526. a Clemente PP. cum Rege Galliæ, Venetis & Mediolanenſium Duce fœdus contra Cæſarem, indictum illi a Carolo V. bellum: occupata & expilata ab exercitu Cæſareano (*) Roma, Pontifex ipſe captus eſt. Redintegrata dein utrimque amicitia, Clemens Carolum ſolenni ritu Imperatorem coronavit anno 1530. Gravius ſub hæc Clementi negotium fuit cum Henrico VIII. Rege Angliæ, quem demum anno 1534. ob legitimam Conjugem Catharinam, quæ Caroli V. Matertera fuit, repudiatam, inceſtasque cum Anna Bolena nuptias, anathemate percuſſit. Sed is ea pœna exacerbatus magis, non emendatus, primum a Pontifice, facto ſchismate; dein

atque omni genere convitiorum, ſub hoc titulo: *Adverſus novum idolum, & antiquum diabolum, qui Miſnæ exaltandus eſt.* Timebat nimirum infelix, ne publici cultus iſta ſolennitas, ſemper in Eccleſia ab antiquiſſimis temporibus uſitata, ſuis eſſet obfutura novitatibus, atque ipſe de ſui vaniſſima exiſtimatione quidpiam perditurus apud plebem, ex veneratione Sancti illius Viri, qui ex Eccleſiæ Catholicæ Sanctiſſimis Inſtitutis, aliis omnino moribus vixerat, alia docuerat, alia fecerat, quam Lutherus.

(*) Præerat Cæſareano militi Carolus Borbonius, in Italiam a Carolo V. miſſus, qui exercitu Romæ admoto, dum inter primos conſcendit muros, globulo plumbeo ictus & occiſus, urbem militibus, Lutheranis plerisque, fœde diripiendam reliquit.
Vide Rayn. ad annum 1527. §. 16. &c. & Spondan. ad eund. annum §. 2. & ſeqq.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit.*

dein adoptatis enormibus erroribus, ab Ecclesia universa defecit, simulque & Regnum suum eandem in perniciem traxit: factus persecutor ejus fidei & hostis, cujus defensor (*) a Leone X. meruerat salutari.

Paulus III. *antea Alexander Farnesius, Romanus.*	CCXXII.	Anno Christi MDXXXIV. III. Idus Octobr.	Annos XV. Dies XXVIII.	Anno Christi MDXLIX. IV. Idus Novembr.

Indixit Concilium Generale Oecumenicum. Primo Mantuam anno 1536, dein anno sequente Vincentiam: cumque neutrum in locum consentirent Germaniæ Principes; tandem anno 1542. Tridentum, Germaniæ civitatem, illi celebrando designavit. Inchoatum fuit Concilium anno 1545. Idib. Decembris. Habitæ sub Paulo III. Sessiones X., Octo nimirum Tridenti, duæ Bononiæ: quam in urbem propter grassantem Tridenti contagionem Concilium translatum fuit. Ne plures haberentur ipso regnante Sessiones; exortæ inter Paulum PP. & Carolum V. Imp simultates impedivere.

Cum Henricus VIII. Angliæ Rex, atrocibus odiis sævire cœpisset in Catholicos sibi subjectos, & inter cæteros Joannem Cardinalem Fischerum, Episcopum Roffensem, ac Thomam Morum Regni

(*) *Occasionem gloriosi tituli* Defensoris Ecclesiæ *Henrico VIII. concessi, prout eam Spondanus refert, integram damus; ut palam fiat, quantus antea fuerit Henrico Regi Catholicæ fidei defendendæ zelus, quanta Romanam in Sedem reverentia.* Henricus VIII. Rex Angliæ, literis non leviter instructus generoso conamine (Librum) contra Lutheri doctrinam conscripsit, misitque ad Leonem Pontificem, præmissa epistola, qua [illegible] erga ipsum observantiam, erga Religionem Christianam studium, & erga DEI cultum obsequium, cunctis manifesta esse voluit: excusansque eruditionem zelo fidei læsæ, quo in communi causa experiri voluit calamo, quid posset, qui voluntate nemini cederet. .... Prædicto autem libro præcipue impugnavit Lutheri Commentarium de Captivitate Babylonica, apprimeque erudite & eleganter confutavit: singula Septem Ecclesiæ Sacramenta, atque in fine Epistolam S. Jacobi, quam Lutherus æque rejiciebat in odium Sacramenti extremæ Unctionis, quod ibi plane asseritur, egregie ab ejus maledictis & impiis argumentis vindicans. Monens denique Christianos omnes, ut tanquam teterrimam pestem devitarent illum, qui tam fœda portenta, ipsissima Anti-Christi dogmata, in Ecclesiam Christi conaretur invehere; eumdemque ultimo suis coloribus depingens, vehementius exagitavit.

Quem librum cum mense Octobri accepisset Leo, & inter Cardinales legendum exhibuisset, non solum ab omnibus laudatus & comprobatus est; verum etiam Henrico Regi, ejus auctori, a Pontifice, & amplissimo Senatu, titulus DEFENSORIS FIDEI attributus est: mandatumque omnibus, qui ad eum scriberent, post dictionem: Regi, adjungere: Fidei Defensori: perpetuum & immortale gloriæ monumentum, posteris relinquendum; quo intelligerent, ut si tali titulo ipsi quoque insigniri optarent, talia quoque opera efficere, præclaraque ejus vestigia sequi studerent. Ut traditur in Diplomate ad Regem ea de re dato V. Idus Octobr. *Extat hoc Diploma in Bullar. T. I. Leon. X. Const. 45. Hucusque Spondanus Annal. Eccles. T. II. ad annum 1521.*

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit.*

Regni Cancellarium, publica morte mulctasset; Paulus Papa repetito eundem anathemate damnavit.

Idem Societatis JESU institutum, ab Ignatio de Loyola sibi oblatum, Apostolica auctoritate ratum habuit: quod etiam deinde Julius III. Paulus IV. Gregorius XIII. Gregorius XIV. & Paulus V. Romani Pontifices, suis etiam Decretis approbarunt: ac recentissime Ssmus Dominus Noster Clemens Papa XIII. hoc ipso, quo hæc scribimus, anno 1765. die 7. Januarii, nova Constitutione, quæ incipit: Apostolicum pascendi munus. *collaudatis Antecessorum suorum Sententiis ac Decretis, confirmavit, atque adversus obtrectantium cavillationes defendit.*

Anno 1546. Paulus Papa Hermannum V., Archi-Episcopum Coloniensem, ob ejus a Catholica fide apostasiam, susceptosque Lutheri errores, Archi-Episcopali e Cathedra submovit, omnibusque dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis privatum, a cœtu fidelium proscripsit. Celebratam antea ab hoc Archi-Episcopo Synodum Provincialem Vide hoc Tomo VI. a pag. 235. (*)

Decessit Paulus eo, quem supra notavimus, anno, senio, curisque confectus: Pontifex, si propensiorem erga suos charitatem excipias, longe maximus. (**)

Julius III. *antea Joannes Maria de Monte, Aretinus.*	CCXXIII.	Anno Christi MDL. VI. Idus Februar.	Annos V. Mensem I. Dies XVI.	Anno Christi MDLV. X. Kalend. April.

Ipso, quo electus est, anno, Concilii Oecumenici, quod jam diu intermissum fuerat, resumendi & prosequendi decretum edidit, illudque anno sequente 1551. Tridentinam in civitatem revocatum, instauravit. Sex Julio Papa sedente, celebratæ Sessiones: nimirum XI. XII. XIII. XIV. XV. & XVI. quas vide hoc Tomo a pag. 843. Dein rursus ob exortos tum in Italia, tum in Germania bellorum tumultus Synodi facta Suspensio.

Multum

(*) De cæteris Hermanni V. Coloniens. actis, ac secuta per Bucerum perversione, pravisque conatibus, hæresin in Diœcesem Coloniensem introducendi, *vide hoc Tomo pag.* 236. 339. & 346. Latam in eum a Paulo III. Sententiam anathematis exhibet *Meshovius in Historia Schismatis Hermanni V.*

(**) *Vide Spondanum Annal. Eccles. Tom. II. Natal. Alexandr. Hist. Eccles. Tomo VIII. Anton. Sandinum in Vitis Pontificum Romanorum.*

Multum studii in eo posuit, ut Caroli V. Cæsaris, & Henrici II. Regis Gallorum, animos gravissime a se invicem dissidentes, ad amicitiam, pacemque reduceret.

Pro Germanicæ Nationis, tot hæresibus discissæ emolumento, Collegium, seu Seminarium in Urbe condidit; ut in eo Germani lectæ indolis adolescentes, & moribus, & sana doctrina exculti, Germaniæ Ecclesiis regendis, præficerentur, labantemque in iis regionibus Catholicam fidem sustinerent, aut eversam restituerent. Datum ei contubernio Collegii, seu Seminarii Germanici nomen, illudque deinceps a Gregorio XIII. Regia prorsus, vereque Apostolica liberalitate ditatum & auctum fuit.

Anno 1553. Syriæ Patriarcham & suo, & suorum nomine, ad Ecclesiæ Romanæ fidem, unitatemque revertentem suscepit: In quo, ut Natalis Alexander (*) ait, Divinæ Providentiæ dispositio, & gratiæ œconomia enituit, quæ Syros schismaticos ad Romani Pontificis Primatum profitendum, colendumque perduxit; cum Lutherani & Calvinistæ petulantius ipsum impugnabant.

Eodem anno, cum post mortem Eduardi VI. Angliæ regnum pervenisset ad Mariam, legitimam Henrici VIII filiam, quæ Catholicæ fidei constantissime semper adhæsit, illique reducendæ mox ab adito regno se totam impendit; Julius Reginaldum Polum Cardinalem, ipsamet Regina petente, misit Legatum de latere in Angliam, cum amplissimis ad Schisma abolendum facultatibus. Felicissimus (**) ejus Legationis fuit successus; sed non diuturnus ob præmaturum Mariæ obitum, notaque Elisabethæ, Henrici VIII. ex Anna Bolena filiæ, in Catholicos, & Sedem Romanam odia.

Marcel-

(*) *Natal. Alexand. dicto Tom. VIII. Cap. I. art. XVII.* Ubi addit, exstare literas, ab Ecclesiasticis, Laicisque Nationis illius ad Julium scriptas, quibus Patriarcham suum ab eo confirmari, & consecrari postulabant, & una cum eo regressuro idoneos Viros mitti, qui de fidei rebus ipsos edocerent: Exstare etiam in actis Vaticani Senatus Fidei Professionem, quam in Consistorio ediderit idem Patriarcha.

(**) De successu hujus Legationis *vide Sanderum Libr. de Schismate Anglicano*, ubi de Reginaldi Legati actis, de Anglorum supplici petitione in Senatu facta coram Rege (Philippo Hispano, Caroli V. Filio, cui Maria nupta jam erat) & Regina, ut absolutionem a schismate ipsis a Legato impertiendam exorarent: de eadem ipsis dein concessa, de missis Romam Legatis, qui Romano Pontifici, tanquam Capiti Ecclesiæ, obedientiam fidemque Nationis universæ testarentur & præstarent, ac de cæteris, quæ ad schisma penitus tollendum gesta sunt, accurate pertractat. Formulam petitionis, qua coram Rege & Regina pro absolutione ipsis obtinenda supplicarint, conceptam fuisse scribit in hanc sententiam: " Pœnitere se vehementer schismatis, " quod obedientiam Sedi Apostolicæ denegarint, & quod Decretis factis contra illam assenserint: in posterum vero se futuros in ipsius atque Reginæ potestate, & facturos, quidquid omnino possint, ut ejusmodi Leges omnes atque Decreta his Comitiis abrogentur. Majorem igitur in modum orare, ut interveniant, & efficiant, ut censuris absoluti, in quas juxta Leges Ecclesiasticas per schisma inciderant, in Ecclesiæ Christi gremium rursus tanquam filii pœnitentes recipiantur; ut deinceps in Romanæ Sedis & Pontificum obedientia servire Deo possint, ad ipsius Nominis gloriam, & suæ salutis incrementum. "

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit.*
Marcellus II. *eodem antea nomine dictus: Marcellus Cervinus, Politianus.*	CCXXIV.	Anno Christi MDLV. V. Idus April.	Dies XXII.	Anno Christi MDLV. Kal. Maji.

Summo bonorum omnium gaudio Pontificatum obtinuit, in ejusque electione nihil fortunæ datum, sed Sanctimoniæ, doctrinæ, prudentiæ usu rerum consultissimæ, æquitati, moderationi, cæterisque virtutibus, Summo totius Ecclesiæ Principatu dignis, quæ in Marcello eminebant. Retinuit, quod antea gerebat, nomen, tum sua ductus pietate erga inclytum Pontificem & Martyrem S. Marcellum I., tum (quod Spondanus ait) ut testatum omnibus faceret, se per hanc Supremam Dignitatem immutatum non iri.

Prima ejus fuere consilia de prosequendo negotio Reformationis: illudque dicebat prius in Concilio urgeri debuisse, ad os Hæreticis obstruendum. Contestabatur, se nunquam permissurum, ut, quibus animarum commissa esset cura, suis ab Ecclesiis abessent, aut Politicæ jurisdictionis munia obirent. Consanguineis adeo nihil indulsit, ut neminem ex iis venire voluerit Romam, ne fratrem quidem. Accitos ad se Oratores Imperatoris & Regis Christianissimi, gravi oratione commonuit, suos ut Reges certiores facerent, ni ad pacis consilia flecterentur, se non Legatos duntaxat missurum, sed ipsummet ad eos concordiæ sanciendæ causa profecturum esse.

Cum totus in eo esset, ut vias excogitaret & modos, quibus Ecclesiam ab hæresibus & vitiis, Rempublicam a bellis & dissensionibus, Curiam Romanam a sumptibus superfluis & inutili pompa purgaret; optima ejus consilia, & amplissimas proborum omnium spes, de ipsius Pontificatu conceptas, præmatura mors die vigesima secunda a suscepta dignitate, præcidit. (*)

Pau-

(*) *Videatur Spondanus Annal. Eccles. Tom. II. Natal. Alexand. Histor. Eccl. Tom. VIII. Ant. Sandin. in Vit. Rom. Pontif.* Impactam præstantissimo Pontifici, atque omnium elogiis celebrato, a *P. Suavi* calumniam de arte genethliaca, & observationibus Astrologicis, copiosissime refutat apud Natalem Alexandrum Cardinalis Pallavicinus, aliique ibid. citati.

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit.*
Paulus IV. *antea Joannes Petrus Caraffa, Neapolitanus.*	CCXXV.	Anno Christi MDLV. X. Kal. Jun.	Annos IV. Menses II. Dies XXVII.	Anno Christi MDLIX. XV. Kal. Septembr.

Ad Pontificatum assumptus est anno ætatis undeoctogesimo, vegeto tamen ingenio, atque integris in senili corpore sensibus. Rigidus disciplinæ sanctioris exactor, totus incubuit in abusus tollendos, quos temporum superiorum negligentia invexerat. Multa eam in rem edidit summæ severitatis edicta, quæ tum ad Cleri summi, imique nævos emendandos, tum ad dissolutos civitatis mores corrigendos pertinebant: Quem tamen rigorem ita temperavit beneficiis, quibus quamplurimis, maximisque populum Romanum auxit; ut quantum timeretur a Romanis ob severitatem, tantum vicissim diligeretur ob munificentiam, habitus propterea prudens morum censor, & deliciæ populi Romani: cujus etiam decreto meritus fuit, ut gratæ illius memoriæ causa, marmorea ei Statua in Capitolio poneretur.

Ipso Pontificatus initio Anglorum Legatos (de quibus supra in Julio III. P.P.) Romam venientes, supplicesque veniam erratorum petentes, atque obedientiam, & Principum, & populi nomine præstantes, suscepit eo lubentius; quod paucis ante diebus, ut Regum Angliæ dignitatem augeret, Hiberniam Regni titulo Apostolica auctoritate donaverit.

Pontificiæ dignitatis tuendæ studiosissimus fuit, nec adduci potuit, ut in ea consentiret, quæ ejusdem prærogativis & juribus adversari putaret.

Præcipuam vero curam, eamque impensissimam ad Religionem, fidemque Catholicam, tum conservandam, tum, sicubi collapsa erat, restituendam: tum vero etiam ad gentes barbaras, ac remotum in orbem provehendam contulit. Ne ab Hebræorum gente labis quidpiam acciperet Christiana plebs, voluit eosdem & habitatione separari a fidelibus, atque ipso etiam vestitu distingui: maribusque, ut glauco pileo, fœminis, ut ejusdem coloris velo uterentur, præscripsit. Vetuit etiam, ne vel famulos, aut ancillas, vel nutrices haberent ex Christianis: quin & a Medicis Judæis, vocatis licet, rogatisque, Christianorum morbis curationem adhiberi probibuit. Sacræ Inquisitionis

Tribu-

Tribunal (*) *non confirmavit ſolum, ſed auxit etiam, nova illi auctoritate tributa, qua non de hæreſi tantum, ſed aliis etiam quibusdam criminibus cognoſceret, & judicaret. Per ejusdem Sacri Tribunalis Inquiſitores, Librorum noxiorum, quibuscunque ab Authoribus editorum, Indicem* (**) *conſcribi curavit, & impreſſum publicari, lata pœna anathematis in eos, qui contentos illo indice libros, aut legere præſumerent, aut habere.*

Ultimo Pontificatus anno manifeſta ſeveritatis exempla in ipſis etiam Nepotibus ſuis edidit: de quorum vitiis poſtquam compertum habuit, eadem in ſacro Cardinalium cœtu deteſtatus, lata ſententia ſingulos, ſolo Alphonſo Cardinali excepto, una cum familia intra dies duodecim Roma exeſſe juſſos, alios alio relegavit: iisque pulſis auditus eſt dicere: nunc dicendum & ſcribendum: Pontificatus anno primo.

Præter novas, quas in Belgio, petente Philippo Hiſpaniarum Rege, Cathedrales ſtatuerat Sedes, aliquas etiam in Indiis inſtituit,

(*) Sacrum iſtud Tribunal inſtitutum primo fuit a Paulo III. Papa ſub annum 1542., ſuadente potiſſimum Paulo IV. tunc Cardinali. De ejus inſtitutione & cauſa Spondanus hæc habet: "Sex Cardinalium congregationem inſtituit (Paulus III.) ſapientia, " zeloque præſtantium, qui ſumma cum poteſtate in hæreticos, & depravatos in " fide inquirerent: Auctore, ut volunt, Joanne Petro Cardinale Cataffa, poſtea " Pontifice Paulo IV., cum jam latius per totam Italiam ſerpente Lutherana hæreſi, " ejus labe non profani modo, ſed & Religioſorum hominum multi polluti eſſent. " Qua ratione factum eſt, ut membris ægrotis aut ſanatis, aut amputatis, quæ con- " tagio inficiebantur, paulatim ſalutaribus remediis priſtinæ ſanitati reſtituerentur." *Spondan. ad annum* 1542. *§. XIV.* Ejus porro ſacri tribunalis vigor adeo ſemper Paulo IV. cordi fuit; ut illud & cum viveret, promoverit, auxeritque; & jam moriturus, ſtudio ſingulari accitos ad ſe Cardinales adhortatus fuerit, ut *Sanctiſſimum Inquiſitionis officium, quo uno niteretur Apoſtolicæ Sedis auctoritas, commendatum haberent. Spondanus ad annum* 1559. *§. XXXII.* Notat *Sandinus*, quod a Pauli IV. obitu populus Romanus furens, ob confirmatum ab eo, auctumque auctoritate tribunal Inquiſitionis ſacræ, Statuam, quam illi erexerat, dejecerit. Clemens tamen XI. eandem repoſuit cum hac epigraphe: *Paulo IV. Pont. Max., ſcelerum vindici integerrimo, Catholicæ fidei acerrimo propugnatori.*

(**) Primum fuiſſe *dicit Spondanus:* "qui univerſalem omnium pernicioſorum librorum, " cujuscumque argumenti etiam profani, a quibuscumque, etiam Religione Catho- " licis, Scriptorum, vel etiam a ſuſpectis Typographis, de quacumque arte edito- " rum Indicem, colligere ſtuduerit; cum ad eum uſque diem librorum prohibitio- " nes, tam a Pontificibus, quam Imperatoribus factæ, nunquam exceſſiſſent termi- " nos librorum hæreticorum: aliive peſtilentes legi prohibiti fuiſſent, niſi quorum " auctores etiam damnati extitiſſent: . . . Quod tamen prudentiſſima cautione a " Paulo præſtitum intelligitur; cum ſoleant etiam multi alii libri, præter hæreti- " cos, mores corrumpere, & falſas opiniones inducere." *Spondan. ad ann.* 1557. *§. V.* Addit ibidem: "Illud tamen in hoc Pauli Indice rigidius viſum, quod pœna " legentibus libros, eo catalogo comprehenſos ac prohibitos, denuntiata erat excom- " municatio latæ ſententiæ, Pontifici reſervata: privatio atque incapacitas quorum- " cunque munerum ac Sacerdotiorum: perpetua infamia, cum aliis pœnis arbitra- " riis. Quo factum eſt, ut Pius IV. Pauli Succeſſor, rigorem hunc temperans, " totum illud librorum negotium ad Concilium retulerit."

Nomen & Natio.	*Ordo Successionis a S. Petro.*	*Adiit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra Petri.*	*Obiit.*

ſtituit, per Provincias Regi Luſitaniæ ſubjectas. Abaſſinis, flagitante id Claudio, eorum Imperatore, Patriarcham dedit, additis, in ſubſidium binis Epiſcopis, (*) qui gentem Æthiopum a Dioſcori & Eutychetis erroribus rectam ad fidem, unitatemque cum Romana Eccleſia reducerent.

Nomen & Natio.	Ordo Successionis a S. Petro.	Adiit Pontificatum.	Sedit in Cathedra Petri.	Obiit.
Pius IV. *antea Joannes Angelus Medices, Mediolanenſis.*	CCXXVI.	Anno Chriſti MDLIX. VII. Kalend. Februar.	Annos V. Menſes XI. Dies XV.	Anno Chriſti MDLXV. V. Idus Decembr.

Mox ac adminiſtrare cœpit Eccleſiam, dignitatem Cæſaream, quod Paulus IV. facere recuſaverat, Ferdinando I. Imperatori, confirmavit, ejusque Oratores perhonorifice ſuſcepit.

Primas, maximasque Pontificatus ſui curas ad Concilium Oecumenicum reſtaurandum contulit, eumque in finem ad Ferdinandum Imp., ad Regem Catholicum, ad Franciſcum II. Regem Chriſtianiſſimum, cæterosque ad Principes Nuntios miſit: ac tandem illud, poſtquam per annos decem intermiſſum fuerat, Tridenti reſumendum, ac celebrandum indixit ad diem Paſchatis anni 1561.

Novem ſub ipſo habitæ Seſſiones, nimirum XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. & XXV. qua poſtrema & ultima Concilium finitum fuit anno 1563. die 3. Decembris, ac dein, quod Synodi Patres petivere, a Pio IV. Papa confirmatum, edito Diplomate VII. Kal. Februar. 1564. Varia dein alia eandem ad Synodum pertinentia vulgavit diplomata: altero tempus declaravit, quo Concilii Decreta obligare inciperent: altero præſcripſit formam profitendæ fidei: altero, Motu proprio, octo conſtituit Cardinales, quibus id curæ eſſet, ut eorum, quæ in Concilio ſtatuta, decretaque fuerant, obſervationi intenderent. Diplomata hæc ſub Concilii Tridentini, & hujus Tomi finem reperies.

Multa

(*) Delecti hi fuerunt e Societate Jesu. " *Joannes Nonnius Barretus*, Luſitanus, qui Pa-
" triarcha: & *Melchior Carnerius*, item Luſitanus; atque *Andreas Oviedus*, Caſtel-
" lanus, qui Epiſcopi, ille Nicænus, hic Hieropolitanus, eidemque Barreto Co-
" adjutores, & ſi quid gravius accidiſſet, Succeſſores *conſtituti & conſecrati*. Hique
" fuere primi honores in Societatem invecti; ſed ejusmodi, ut in iis plus ineſſet
" curarum atque laborum, quam ſplendoris & pompæ. *Spondan. ad annum* 1555.
§. *XV. Vide etiam Maffæum in Hiſt. rerum Indic. L.* 16. & *Orlandinum in Hiſt. Societatis JESU. L.* 15.

Multa praeterea ſancivit, quibus Romanae Curiae diſciplina, ſolutique mores aulicorum meliorem reducerentur ad ſtatum. Rotae Romanae, Pœnitentiariae Apoſtolicae, & Camerae, Procuratoris Fiſci, aliaque tribunalia & officia ſeveriſſimis edictis emendavit.

Anno 1564. repetitis precibus ab Imp. Ferdinando, aliisque Principibus Imperii ſolicitatus, ut Euchariſtiam ſub duplici ſpecie Nationi Germanicae permitteret: quamvis ab hac novitate inducenda multum abhorreret; quia tamen ex ea indulgentia ſpes amplior futura dicebatur reducendorum ad Eccleſiam, qui jam ad Lutheranos defecerant: & minuendum periculum, ne plures deſciſcerent; audito Cardinalium, aliorumque praeſtantium virorum conſilio, aſſenſit, certis conditionibus adjectis, quibus poteſtatem hanc Germaniae Epiſcopis datam adſtrinxit (*) *Paucorum tamen annorum iſta facultas fuit: cum enim uſu fuiſſet ipſo compertum, quod ex ea permiſſione non ſolum nihil emolumenti ad Religionis profectum adveniret, ſed Lutherani potius majore contumacia ſuis in erroribus defigerentur; aliaque inde, & majora indies orerentur incommoda, a S. Pio V. Pii IV. Succeſſore, ac poſtmodum rurſus a Gregorio XIII. conceſſio haec revocata, uſusque priſtinus, qui tot Saeculis in Eccleſia obtinuerat, reſtitutus eſt.*

Anno 1565. Pius IV. Pontificatu & vita deceſſit. Adſtitere morienti duo Sanctiſſimi Viri, Philippus Nerius, & Carolus Cardinalis Borromaeus, a quo ſupremis etiam Myſteriis procuratus fuit.

(*) *Exſtat de ea conceſſione Epiſtola a Pio Papa IV. ad Henricum Juniorem, Ducem Brunſwicenſem, data anno* 1564. *quam hic integram damus:*

DILECTO FILIO, NOBILI VIRO, HENRICO JUNIORI, DUCI BRUNSUUICENSI, PIUS PAPA IV.

DILECTE FILI, NOBILIS VIR, SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Accepimus literas a dilecto filio Ludolfo Halverio Oratore tuo: quem ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum, novum Romanorum Imperatorem electum miſiſti. In quibus ſcribit, delatum nuper ad te exemplar fuiſſe conceſſionis noſtrae, in Viennenſi Civitate Auſtriae promulgatae, de Sacra Communione ſub utraque ſpecie permittenda: & quoniam tua interſit, mentem noſtram cognitam habere; cupere te, & pie poſtulare, quemadmodum ſeſe res habeat, a nobis fieri certiorem. Cui deſiderio tuo, tanto aequius eſſe, & magis decere intelligimus ſatisfieri: quanto te conſtantiorem Eccleſiae Catholicae filium novimus. Non enim parum teſtata eſt, neque obſcura tua in Catholica Religione conſtantia: ſed inſignis admodum & variis temporibus, magna tua cum laude cognita, atque ſpectata. Sic autem ea res ſe habet. Ferdinandus, piae memoriae Romanorum Imperator electus, qui ad meliorem vitam nuper a Domino vocatus fuit; ſicut de Divina ejus miſericordia confidimus: per literas, & per Oratorem ſuum nobis ſaepe propoſuit incredibile deſiderium; quo plerique Imperii, ac ditionis ſuae populi tenerentur Communionis Sacrae, ſub utraque ſpecie ſumendae. Deplorare ſolitus fuit magnam animarum jacturam, quam Eccleſia Catholica faciebat, deſciſcentibus ejus rei cauſa quotidie multis,

ſeque ad hæreticos conferentibus: a quibus fidem Catholicam abjurare cogebantur. Teſtificatus eſt, ac denunciavit, fore, ut Catholicorum in illis partibus reliquiæ propediem idem facerent; atque ita Catholica illic fides, ac religio penitus extingueretur, niſi eorum deſiderio ſatisfieret. At extremum, peracto Concilio Tridentino, vehementius, quam unquam antea, rogavit, & inſtitit; ut quoniam Concilium ipſum eam rem ad nos rejeciſſet, tandem tot populorum deſideriis annuere, & tot animas perituras conſervare vellemus. Nos autem ejus precibus, & diuturna efflagitatione commoti: & cavere volentes, ne unquam aſſignari pertinaciæ, & duritiæ noſtræ poſſet, quod tot animæ periiſſent: cum ſpem etiam optimus ille Princeps afferret, futurum, ut ea facultate conceſſa, non ſolum ii, qui titubarent, in fide Catholica confirmarentur; ſed multi etiam eorum, qui ab Eccleſia receſſiſſent, reſipiſcerent, & ad ejus unionem redirent: communicata re cum aliquot delectis Cardinalibus, & aliis piis admodum, ac rerum Germaniæ peritis viris, pro paſtorali officio, & charitate cupientes nobiliſſimæ illi nationi conſulere, conſilium cœpimus, non eam ipſi quidem facultatem concedere, ſed ejus rei Venerabilium aliquot Prælatorum ejus nationis, quos idem Imperator nobis nominaverat, arbitrio permittere: quibus facultatem concedendæ Communionis ſub utraque ſpecie diſerte ita dedimus, ſi eis ita videretur; & ſi ita expedire cenſerent: eorum fidem ea in re, & conſcientiam onerantes, admonentesque diligentiſſime de iis, quæ ab iis requiri exigique deberent, qui poteſtatem ſibi eam concedi petituri eſſent: nempe, ut contriti, & confeſſi ad Sacram Communionem, ſub utraque ſpecie ſumendam accederent: eaque illis per Catholicos, & probatos Sacerdotes, recto, maturoque judicio huic officio præpoſitos, omni, quæ oriri poſſet, offenſione vitata, miniſtraretur: & ut ii, qui ita communicarent, Catholicam Religionem, ac fidem, quam Sancta Romana Eccleſia tenet & docet, tenerent: eamque profiterentur, non erraſſe, neque errare, quod Communionem ſub altera tantum ſpecie omnibus, præter Sacerdotes celebrantes, præbere conſueverit: & hoc confiterentur, atque etiam profiterentur, & crederent: ac diligentiſſime communicaturi ſub utraque ſpecie admonerentur, Chriſtum integrum tam ſub una, quam ſub utraque ſpecie ſumi. Hæc fuit literarum noſtrarum ad illos Prælatos miſſarum ſententia. Hanc autem conceſſionem a nobis, cordis eorum durities, qui Communionem ſub utraque ſpecie jam pridem tam pertinaciter popoſcerunt, multorum tamen gravium & piorum virorum accedente conſilio, vere, ut dicamus, expreſſit: ne ſi eam denegaviſſemus, illi obdurato animo ab Eccleſia recederent, atque animas ſuas perditum irent. Cupimus tamen, ac vehementer optamus, ab omnibus, antiquum potius Eccleſiæ ritum obſervari: & Nobilitatem tuam hortamur, ut & ipſa eum ſervet: ſicut facturam eam eſſe confidimus: & ditionis ſuæ populos in eodem Eccleſiæ ritu, & inſtituto ſtudeat continere: cum hæc humilitas, & erga Matrem Eccleſiam pietas & reverentia inprimis Deo grata futura ſit. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die primo Septembris M.D.LXIV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

ANT. FLOREBELLUS LAVELLINUS.

FINIS CATALOGI ROMAN. PONTIF.



SERIES

SERIES REGUM ROMANORUM, ET IMPERATORUM OCCIDENTIS.

AB ANNO MD. AD MDLXIV.



MAXIMILIANUS I.

Anno MCCCCXCIII. Maximilianus, Friderici IV. Imp. Fil., mox ab obitu Patris Romanum capessivit Imperium, quod illi jam ante septennium (*a*) ex Principum Electorum suffragiis delatum fuerat: Princeps omnibus & corporis & animi dotibus, quæ Regiam Majestatem ornarent, excultus, & ad supremum Orbis Magistratum administrandum non ætate solum, annos jam tres, ac triginta natus; sed rebus etiam gestis idoneus.

Primam uxorem duxerat (anno 1477.) Mariam, Caroli Audacis, Burgundiæ Ducis Filiam unicam, magnarum opum & Provinciarum amplissimarum hæredem: (*b*) qua tamen anno 1482. præmaturo fato orbatus fuit, postquam tres ex ipsa proles suscepisset, Philippum cognomento Pulchrum, Hispaniarum deinde Regem, Caroli V. ac Ferdinandi I. Imperatorum Patrem: Franciscum, quem in ipso vitæ limine, vix quadrimestrem mors rapuit: & Margaretham, quæ Carolo Delphino, Ludovici XI. Filio, Galliarum dein Regi, ejus nominis VIII. primum desponsa, sed ab hoc remissa: tum Joanni, Ferdinandi Catholici Regis Filio nupta: & postquam is ipso nuptiali anno e vita decessisset; demum Philiberto II. Sabaudiæ Duci in conjugium data fuit. Tandem vidua, Belgium usque ad mortem, summa probitatis & prudentiæ laude gubernavit. (*c*)

Anno MCCCCXCIV. sub prima Imperii auspicia Maximilianus in ipsis exequiarum, quibus Friderico Patri parentaverat, solennitatibus, cum de Turcarum in Croatiam irruptione audivisset, cum exercitu, quem paratum habebat, ad cladem arcendam properavit, hostesque magna bellicæ commendatione virtutis, partim adventus sui terrore, partim armis abegit. (*d*)

Eodem anno Oeniponti ad alteras transivit nuptias cum Blanca Maria, Galeatii Mariæ Sfortiæ, Ducis Mediolanensis, Filia, quæ quadringenta aureorum

(*a*) Vide in Tomo nostro præcedente *Ser. Chronolog. Regum Rom. pag. XX.*

(*b*) Magna ex his nuptiis Maximiliani cum Maria Burgundica Austriacis rebus facta accessio: Nam " Dotis nomine Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, Limburgum, " Lucemburgum, Hannoniam, Hollandiam, Seelandiam, Artesium, Geldriam, " cum nonnullis aliis terris accepit." *Naucler. Chronogr. Volum. III. Gener. L. pag.* 498.

(*c*) *Hortensius Pallavicin. in Cæsarib. Austriacis.* De Margaretha, Maximiliani filia, vide *Struvium in Corp. Hist. German. Period. X. Sect. II. pag.* 782. & *Sect. III. pag.* 973.

(*d*) "Maximilianus ubi hoc audivit, mirabili celeritate cum Germanorum manu in Croa- " tiam properat, Turcarum copias abigit, multis ex illis mactatis: Croatiam reci- " pit, nec mediocrem gloriam reportavit ex illa expeditione." *Hulderic. Mutius apud Struv. Period. X. pag.* 927.

rum nummum millia dotis nomine tulit, majori tamen formæ incredibilis pretio, & virtutum omnium muliebri mundo dotata. (*e*)

Anno MCCCCXCV. Wormatiæ Comitia (*f*) celebravit. In his, authore potissimum Bertholdo, Archi-Episcopo Moguntino, Viro Sapientissimo, supremum Cameræ (ut vocant) Imperialis Tribunal institutum est, ad lites Imperii dirimendas, & minuendas. Quam in rem Maximilianus ipse singularem operam contulit, juris dicundi forma ac methodo, sua in capita dilucide redacta, Principibus eandem suo consensu & auctoritate comprobantibus (*g*) Tribunal istud primum in ipsa Wormatia stetit: dein Ratisbonam, postea Spiram, atque inde demum Wetzlariam translatum fuit, ubi adhucdum considet. In iisdem Comitiis Everardum Barbatum Wirtembergensem ob insignia merita tum sua, tum majorum, ex Comitum ordine ad Ducum dignitatem, motu proprio, pompa solenni transtulit. (*h*)

Anno MCCCCXCVIII. acre illi bellum ex fœdere Suevico cum Helvetiis fuit: in quo licet totis viribus nunquam pugnatum sit, variis tamen prælīis, in quibus ab Helvetiis fere semper victoria stetit, ad viginti hominum millia cæsa, perhibentur. Tandem utraque parte bello fessa, anno MCCCCXCIX. Basileæ pacis in Leges itum. (*i*)

Annus MD. qui bissextilis erat, Maximiliano lætissimus fuit, cum gloriosissimum illi Nepotem dederit Carolum, ejus nominis V. postea Imperatorem, ipsa intercalari die S. Mathiæ Apostolo Sacra, Gandavi ex Philippo Filio Archi-Duce, & Joanna, Ferdinandi, ac Isabellæ, Hispaniarum Regum Filia natum; futurum aliquando Avi in Cæsarea dignitate Successorem, & non solum fatiscentis Imperii, sed Catholicæ etiam Religionis adversus ejusdem hostes tutandæ, fortissimum columen.

Anno MDIV. ferale Bavaricum exarsit bellum, quo Germania superior fere tota in armis constitit, ob relictam a Georgio Divite, Bavariæ Principe, hæreditatem, a Ruperto Palatino & Philippo ejusdem Patre motum; quod Maximilianus Imp. tum suis, tum aliorum Principum armis compressit, pacemque restituit. (*k*)

Anno MDV. Publica Comitia Coloniæ Agrippinæ, magno splendore, atque Ordinum omnium concursu a Maximiliano celebrata. Aderant Ecclesiastici e Præsulibus Hermannus Coloniensis, & Jacobus Trevirensis Archi-Episcopi: Conradus Monasteriensis, Laurentius Herbipolensis, Georgius Bambergensis,

---

(*e*) *Hortens. Pallavic. in Cæsarib. Austriacis.*

(*f*) Maximus Principum omnium Conventus fuit Wormatiæ, ubi auctor iis fuit Bertholdus, ut Spirense ad dijudicandas lites tribunal excitaretur. Cum enim ipsemet sæpe ac diu Imperatoris aulam secutus, Archi-Cancellarii per se ipsum partes obivisset, vidissetquè maxima cum populorum molestia, causas ad Imperatoris, qui modo hic, modo illic, & interdum quidem longissime est, aulam referri, pro insigni Sapientia sua perspexit, proque præstante suà eloquentia omnibus persuasit, ut fixum firmumque litibus disceptandis Prætorium, in quo prudentes, jureque consulti, & incorrupti sederent viri complures, Spiræ statueretur. *Serarius rerum Moguntiacar. L. V. in Bertholdo Archi-Ep.*

(*g*) *Brower. Annal. Trev. Parte II. ad annum* 1495.

(*h*) *Naucler. libr. cit. pag.* 509.

(*i*) *Struv. ubi supra pag.* 939.

(*k*) *Joann. Jac. Hoffmann. in Hist. Augusta Impp. Roman. Struv. Period. X. Sect. III. pag.* 945. *Strunck. Annal. Paderborn. Parte III.*

genſis, Fridericus Ultrajectinus, Chriſtophorus Labacenſis, Petrus Tergeſtenſis, Matthæus Gurcenſis, Chriſtophorus Chiemenſis, Epiſcopi. E Sæcularibus Principibus Philippus Elector Palatinus, cum Ludovico & Friderico, filiis: Fridericus Elector Saxonicus cum Joanne fratre, & Georgio Patruo ſuo: Joachimus Elector Brandenburgicus, cum Friderico Patruo: Ericus Dux Brunſwicenſis: Henricus Dux Lawenburgenſis: Wilhelmus Dux Juliacenſis: Henricus Dux Mecklenburgenſis: Wilhelmus Landgravius Haſſiæ: Joannes Comes Holſatiæ: Philippus Comes de Waldeck, aliorum præterea Comitum, nobiliumque Virorum, ac Legatorum ingens numerus. Actum de pace firmanda, ſopiendisque prioris belli Bavarici reliquiis. Philippus Palatinus (Rupertus, qui præcipua fax belli fuit, anno præcedente inter ipſos militares tumultus e vita diſceſſerat) petita ſuppliciter venia, Cæſari reconciliatus eſt. Dein concordiæ leges dictæ, ſtatuta pœna læſæ Majeſtatis in eos, qui pacem porro violarent. Habita etiam conſultatio de expeditione Italica, deque bello Venetis inferendo. *(l)*

Colonia Imperator in Belgium cum exercitu movit adverſus Carolum Egmondanum, Geldriæ Ducem, qui variis injuriis Philippum Archi-Ducem laceſſiverat. Verum is cognito Cæſaris adventu, cum imparem ſe reſiſtendo vidit, mox arma poſuit, pacem ſupplex petiit, & impetravit. Unde Coloniam Maximilianus ovans rediit, magno ibidem plauſu civium, reſonantibus per totam urbem campanis exceptus. *(m)*

Anno MDVII. Conſtantienſi in conventu Principum decretum eſt bellum in Venetos, tum ob negatum Imperatori, exercitum in Italiam educturo tranſitum, tum ad civitates Imperii, quas occupaverant, repetendas. Magnis illud ſuſceptum animis, lentis tamen progreſſibus ac parum proſperis geſtum: icto dein

Anno MDVIII. Cameraci cum Romano Pontifice, Galliæque & Hiſpaniæ Regibus fœdere majoribus viribus inſtauratum fuit.

Anno MDIX. a Ludovico XII. Gallorum Rege Veneti ad Abduam flumen victi, maxima copiarum parte deleta. Qua ſtrage accepta, adeo fracti ſunt animi ſenatus, populique; ut quæcunque in continenti poſſederant oppida, civitatesque, victoribus relinquerent: atque ita paucorum intervallo dierum ampliſſima ea Reſpublica, & opulentiſſima, omni prope terrarum imperio exuta, atque intra Venetiarum ſuarum anguſtias conſtricta, cum de terreſtri ditione deſperaſſet, de maritima etiam amittenda formidaret. Captæ Urbes, Regionesque, Confœderatos inter Victores diviſæ ſunt. Imperatori Verona, Vicentia, Patavium, atque ea loca, quæ Benaco lacu alluuntur, ceſſere. *(n)*

Maximiliano tamen nec integer, nec diuturnus fuit hujus victoriæ fructus, ob Cæſareanarum in Italia copiarum paucitatem, retardatasque diutius in Germania ſuppetias: unde factum, ut Tarviſio urbe, cum adjacente regione nunquam potiretur, & Patavium non diu retineret, Venetis depreſſos animos rurſum erigentibus, novoque collecto milite amiſſa recuperantibus.

 Anno

(l) Struv. Libr. cit. pag. 947. *(m) Ibid. pag. 949.*
(n) Vide Spondan. Annal. Eccleſ. Tom. II.

Anno MDXI. Maximilianus, ob susceptum a Julio II. Papa Venetorum Patrocinium, alieniore ab eodem animo fuit, & in schisma raptus, coacto contra illum Pisano Conciliabulo tantisper favit. Ast altero mox, qui secutus est, anno schisma illud & Conciliabulum aversatus, ad unionem cum Papa & Ecclesia rediit.

Anno MDXII. Comitia Imperii Augustæ Trevirorum, ad diem XI. Aprilis habenda, Imperator indixit. Maximo eadem Principum concursu fuere frequentata: (o) Sed cum ejus anni æstate flagrantissima, ob immensam hominum undique affluentium multitudinem, (p) contagiosa lues Trevirim infecisset, Coloniam versus, in purioris Cœli regionem translata sunt.

In hoc Conventu Imperii in decem circulos est facta divisio, quatuor circulis adjectis ad sex antea constitutos. Decreta Maximiliano Imperatori auxilia, communi subditorum Imperii contributione præstanda. Constituti Consiliarii octo, qui in Aula Cæsaris Imperii negotia ad Imperatorem delata curarent, providerentque, ne quid detrimenti caperet Respublica Germaniæ. Ex quo Judicium Imperiale Aulicum succrevit.

Rescissum fœdus, cum Rege Galliarum Cameraci initum. In blasphemos quoque graves constitutæ sunt pœnæ: & edictum ea de re in quatuor præcipuis anni solennitatibus pro Concione proclamari jussum. Actum etiam de ebrietate, & ei vitio deditis e Principum familia pellendis: De tollendo schismate Cardinalium a Julio Papa discedentium, abrogandaque auctoritate Conciliabuli Pisani, anno præcedente contra Pontificem convocati. Eum in finem missus est Romam Matthæus Episcopus Gurcensis, qui de pace cum Pontifice ageret: Schisma & Conciliabulum Imperatoris nomine damnaret, eundemque legitimo Concilio Lateranensi adhærere profiteretur. (q)

Anno

(o) Præter Campegium, Julii Papæ Legatum, Regumque Galliæ, Navarræ, Angliæ & Poloniæ Oratores, aderant Richardus Trevirensis, Uriel Moguntinus, Philippus Coloniensis Archi-Episcopi: Georgius Bambergensis, Reinardus Wormatiensis, Wilhelmus Argentinensis, Ericus Monasteriensis, Hugo Tullensis, Matthæus Gurcensis Episcopi: Ludovicus Rheni Palatinus, Albertus Brandeburgicus, Ordinis Teutonici Magister: Fridericus Casimirus, & Joannes Brandeburgensis Marchiones: Ulricus Dux Wirtembergensis, Ericus Dux Brunswicensis, Joannes Comes Palatinus in Sponheim, Christophorus Marchio Badensis, cum Ernesto ac Philippo filiis: Itelius Fridericus Comes de Zolleren, Wilhelmus Comes de Fürstenberg, Ludovicus Comes Nassovio-Saerbrugensis, & alii Comites viginti sex, præter complurium aliorum Episcoporum ac Principum Legatos. *Trith. Tom. II. Chron. Hirs. Browerus in Annal. Trevir.*

(p) Occasio tanti concursus populi fuit exhibitio publica inconsutilis & venerandæ Tunicæ Christi Domini, Servatoris nostri. Hujus videndæ, honorandæque, ardentissimum quoddam desiderium Maximilianus Imperator mox ab adventu suo, coram Richardo Trevirorum tunc Archi-Episcopo testabatur: qui proin repetitis ejusdem precibus victus, indictis tamen prius publice supplicationibus, sacrum hunc thesaurum, sub ara maxima Ecclesiæ Trevirensis reconditum, & a trecentis jam annis palam non ostensum, summa cum reverentia denuo produxit: ac Imperatoris primum ac Principum, dein populi universi, præ gaudio illachrymantis, venerationi exhibuit. Ad exhibitionis hujus futuræ famam antea divulgatam, tanta excita est ex circumjacentibus Regionibus hominum turba, ut, Browero & Masenio testibus, ad centum millia, sacri istius spectaculi causa Treviros confluxisse credantur. *Vide Trithem. Tom. II. Chron. Hirs. Brower. Tom. II. Annal. Trev. Strunck. Tom. III. Annal. Paderb.*

(q) Vide *in hoc Tomo pag.* 133. Declarationem Maximiliani Imp. ab Episcopo Gurcensi in Concilii Lateranensis Sessione III. publice, solenniterque pronuntiatam. Cætera Comitiorum horum Acta vide apud *Struvium L. cit. pag.* 962. *&* 963.

Anno MDXV. Cæſar, ut & Imperii commodis ac tranquillitati conſuleret, & novis amicitiis firmaret Auſtriacam Domum, Sigismundum Poloniæ, & ejus fratrem Vladislaum Hungariæ, hujusque filium Ludovicum Bohemiæ, Reges, Viennam Auſtriæ invitatos, digna Regiis hoſpitibus pompa & honoribus excepit. In eo Sereniſſimo Conventu actum præcipue de pace & inter ipſos Principes, & inter eorum Regna novis fœderibus ſancienda: quæ ut ſtabiliretur certius, decretum eſt conjugium Regis Ludovici cum Maria, filia Philippi Regis Hiſpaniæ, Imperatoris nepte: conjugium item Ferdinandi Archi-Ducis, Mariæ fratris, cum Anna, ejusdem Ludovici ſorore. Quo duplici connubio utrimque rato, Maximilianus pactionem antiquam de familiæ Auſtriacæ in Bohemiæ & Hungariæ Regnis ſucceſſione conſtabilitam vidit (*r*): felicior multo, in Domo Auſtriaca per nuptias tum ſuas, tum Nepotum novis Provinciis locupletanda & amplificanda, quam in veteribus ejusdem poſſeſſionibus bello defendendis.

De Comitiis Auguſtanis anni MDXVIII. agemus in Digreſſione ad finem Sæculi XVI. Tomo ſequente. (*s*)

Anno MDXIX. Maximilianus Oeniponto Viennam reverſurus, in ipſo itinere, aucto, quo ante tentari cœperat, morbo ad æternitatem abiit, die Januarii XII. Ætatis anno LIX. Imperii poſt Friderici Patris mortem XXV. (*t*) Princeps, cui, ut Brietius ait, ad magnam gloriam tantum felicitas defuit: (*u*) Rei bellicæ, bonarumque artium promovendarum ſtudioſiſſimus, & inſignis in DEUM pietatis, quam ab infantia uſque ad ultimum vitæ diem tenuit. Primus fuit ex Germaniæ Principibus, qui Illuſtriorum Familiarum Genealogias concinnari, proferrique curavit in lucem. Electoribus author fuit, ut ſinguli ſuis in terris Academias erigerent: quo ejus ſtudio excitati Principes effecere, ut Germania, armorum gloria jam pridem inclyta, dein etiam Artium liberalium, ac Scientiarum ſtudia complecti, & felici ingeniorum proventu florere cœperit. (*x*) Laudatiſſimum ejus zelum in avita & Catholica Religione tuenda, præter alia illuſtria monumenta, teſtantur extrema ejusdem mandata, qua ultima ante mortem die adſtantibus Principibus præcepit: *Renuntiate Carolo & Ferdinando Nepotibus meis, ut Majorum ſuorum veſtigiis inſiſtentes, Catholicam Religionem adverſus novorum dogmatum auctores & ſectatores, etiam cum vitæ periculo defendant.* (*y*)

Hiſtoriam de piiſſimo ejus obitu deſcripſit Cuſpinianus. Oratio Funebris, qua laudatus fuit a Joanne Fabro, Ordinis FF. Prædicatorum Theologo, edita eſt *Tomo II. Rerum Germanicarum Marquardi Freheri*, cum altera Georgii Sauromani. Multa in hujus Cæſaris laudem conſcripſerunt elogia Viri eruditi, quorum egregius ſemper & liberaliſſimus Mecœnas fuit. *Vide illos apud Struv. pag.* 972. *Vide etiam Palat. Aquil. Auſtriac. & Vernul. Virtut. Dom. Auſtr.*

CARO-

(*r*) *Struvius L. c. pag.* 967. *Nat. Alex. Hiſt. Eccl. Tom. VIII.*
(*s*) Datam ex his Comitiis a Maximiliano Epiſtolam ad Leonem X. Papam, de excitatis a Luthero in Eccleſia turbis, vide *hoc Tomo pag.* 148.
(*t*) *Struv. pag.* 972.
(*u*) *Philippus Brietius Annal. Mundi, ſeu Chronici univerſalis Tomo II. ad annum* 1519.
(*x*) *Struv. pag.* 923. (*y*) *Vernul. in Virtut. Dom. Auſtriac. L. I. c.* 1.

CAROLUS V.

A Maximiliani I. obitu, de Succeffione & Imperio difceptarunt apud Septemviros Francifcus I. Galliarum, & Carolus Auftriacus Hifpaniarum Reges. Hujus demum factio prævaluit. In ejusdem creatione, Friderici, cognomento Sapientis, Ducis Saxoniæ virtus enituit fingularis, cui, fufpenfis adhuc inter Carolum & Francifcum votis, cum a quibusdam deferretur Imperium; (z) fine verborum ambagibus refpondit: *Dubitari inprimis a fe non poffe, quin electio Galli probibita fit per Bullam auream; adeoque fruftra laborari in hac aliter explicanda. Deinde & illud planum effe, quod Carolus, Hifpaniæ Rex, vere ac proprie fit Princeps Germanicus, tametfi materno titulo ad Coronam Hifpaniæ evocatus fuerit. Denique & Sole clarius verfari in oculis omnium, quod periculofis hifce temporibus neceffe fit, ejusmodi Imperatorem circumfpicere, qui iftius faftigii Majeftatem & opibus illuftrare, & magna potentia tueri poffit. Talem vero inter modernos Germaniæ Principes alium non occurrere, quam Carolum Hifpaniæ Regem, Auftriæ Archi Ducem, Belgii totius Ducem.* (zz) Qua ejus collaudata fententia, omnium fuffragia in Carolum confpiravere.

Anno igitur MDXIX. XXVIII. Junii, Francofurti in Æde Divi Bartholomæi Carolus, qui Hifpaniæ corona potitus jam erat, Romanorum Rex renuntiatus eft: XIX. tunc annorum adolefcens, fed in quo fupra ætatem eminebant omnia. Miffus in Hifpaniam ex Septemviralis Concilii Decreto Fridericus Palatinus, qui eundem ad oblati Imperii curam fufcipiendam invitaret. (a)

Anno MDXX. Carolus primo vere adornato ex Hifpania in Germaniam itinere, Menfe Junio appulfus in Belgium, die XXIII. Octobris Aquisgrani ab Hermanno V. Archi-Epifc. Colonienfi, majorum ritu, Regiis Infignibus condecoratus fuit. Inde Coloniam digreffus, publica indixit Comitia, anni fequentis initio Wormatiæ celebranda.

Anno MDXXI. Cœpta in Januario Wormatiæ Principum confultatio, & in Majum ufque protracta. Conftituti Ferdinandus Archi-Dux Auftriæ, Caroli Frater, & Fridericus Palatinus, qui pro Cæfare, in Hifpanias abituro, poteftate vicaria Rempublicam adminiftrarent: definita eorundem auctoritas: defignati, qui Confiliis adeffent: etiam Septemviros, ubi res pofceret, convocandi facultas tributa. Variis deinde legibus, quæ injuria temporum obfoleverant, fuus reftitutus eft vigor. Monopolia ex Imperio profcripta. Conftricta fœneratorum rapacitas. Monetæ cudendæ præfcripta ratio. Veftium luxus & conviviorum coercitus. Externæ militiæ ftipendia Germanis, lata exilii lege, interdicta. (b)

De Religionis pofthæc diffidiis actum. Accitus Wormatiam (c) data fide publica Martinus Lutherus: fed paucos poft dies propter pertinaciam rurfum abeffe juffus, publicoque edicto ab Imperatore (d) profcriptus eft. Severiffimæ

(z) *Briet. in Annal. Mundi ad annum* 1519.
(zz) *Palat. in Aquil. Auftr. Sabin. de elect. Caroli V.* (a) *Struv. L. cit. pag.* 970.
(b) *Struv. pag.* 976. *Mafen. Hift. Caroli V. & Ferdin. L. I. pag.* 42.
(c) De actis Wormatiæ in caufa Lutheri vide plura *Tomo fequente in Digreffione, ad finem Sæculi XVI.*
(d) Edictum Caroli V. contra Lutherum, ejusdemque fautores, vide *hoc Tomo pag.* 182.

mæ in eo edicto, etiam in Lutheri fautores, latæ ſunt leges: ſed cum nimis adulta jam eſſet Lutherana factio, & latiſſime propagata; effectu caruere, exorto præſertim, hoc ipſo anno, inter Carolum & Franciſcum I. Galliæ Regem graviſſimo bello, quo Imperatoris plures in exercitus diſtractæ ſunt vires, & potentia imminuta.

Initium belli a Gallorum Rege factum. Hic Hiſpanorum inteſtinis motibus adverſus Carolum uſus, miſſo exercitu, Navarræ Regnum occupavit. Inde a Gallis in ipſius etiam Caſtellæ fines tentata expeditio: ſed ab Hiſpanis gravi cæde repreſſi, Aſparro Belliduce, cum Nobilibus permultis, capto, non e Caſtella ſolum, ſed univerſa etiam e Navarra ejecti ſunt. (*e*)

Cladem hanc mox altera apud Inſubres excepit poſt initum a Carolo Cæſare cum Leone Pontifice fœdus, Gallis, qui ſub Lautrechio militaverant, amiſſa Parma, Placentia, & urbe Mediolanenſi pulſis.

Anno MDXXII. In Italia nova Gallis ad Bicocam villam illata ſtrages. Genua etiam ejecti, Cæſareanis eam urbem occupantibus. Creſcunt interim abſente Carolo Imp. in Germania Lutheri & Lutheranorum motus, eorumque ſecta, auctoribus Carolſtadio, Thoma Muntzero, aliiſque, novas in ſectas diſcinditur. (*f*)

De Comitiis Norimbergenſibus hujus & ſequentis anni a Ferdinando Archi-Duce convocatis, de propoſitis in eiſdem centum gravaminibus, aliiſque in cauſa Lutheri deinde geſtis, *vide Digreſſionem Tomo ſequente.*

Anno MDXXIV. Victi iterum Galli in Inſubria ad Eporediam. Cecidit eo prælio Bajardus, Dux inter Gallos ab animi robore celeberrimus: de quo Brietius ait, quod meliorem eo viro, & fortiorem iſta ætas viderit neminem. (*g*)

Anno MDXXV. Galli ad Papiam cæſi. Franciſcus I. Rex captus, cum Henrico Rege Navarræ, Franciſco Borbonio, Mommerancio Mareſcallo, aliiſque plurimis. Octo Gallorum millia aut ferro, aut in Ticino fluvio periere. Ex Cæſarianis ad ſeptingentos tantum deſiderati. (*h*)

Eundem hunc annum Germaniæ funeſtiſſimum fecit bellum Ruſticorum, prætenſa libertate Evangelica, motum: inſtigante Muntzero, Lutheri diſcipulo geſtum: & non niſi centum millium cæde, ferali novi Evangelii fructu, reſtinctum. Muntzerus, ejuſque ſocius Pfeifferus, uterque apoſtata, capti, & Mulhuſii capite plexi. (*i*)

Anno MDXXVI. Hungaris graviſſima clade a Solymanno Turcarum Imp. proſtratis, Ludovico Rege in fuga ſubmerſo, Regnum a Mahometano Victore fœde vaſtatum, Ferdinando Archi-Duci Caroli Cæſaris fratri ceſſit.

Anno MDXXIX. tandem optata diu pax inter Rom. Pontificem, Carolum V. Imp. & Franciſcum I. Regem Galliæ coaluit magno Chriſtiani orbis gaudio, utinam magis diuturno!

G 2 Hoc

(*e*) *Spondanus in Annal. Eccleſ. ad h. annum.* (*f*) *Spondan. ad annum* 1522.
(*g*) *Brietius in Annal. Mundi.* (*h*) *Spondan. in Annal. Eccl. & Briet. l. cit.*
(*i*) *Spondan. ad ann.* 1525. ubi addit: Pfeifferum in erroribus obſtinatum interiiſſe: Muntzerum vero pœnitentem errores revocaſſe, Confeſſione facta, Communionem ſub una ſpecie ritu Catholico ſumpſiſſe: monitis Principibus, ut majore clementia erga miſeros Ruſticos & Colonos uterentur.

Hoc eodem anno Solymannus post occupatam denuo, stimulante Joanne, Wayvoda Transylvaniæ, Ferdinandi æmulo, Hungariam, Viennam Austriæ obsedit. Hanc autem Philippus Rheni Palatinus, Nicolaus Comes Salmensis, & Guillelmus Rogendorffius tam strenue, fortiterque defenderunt; ut post acerrimam viginti dierum oppugnationem, Solymannus obsidionem solverit, & exercitum, sexaginta suorum millibus imminutum, reduxerit.

Anno MDXXX. Carolus Imp. Bononiæ a Clemente VII. Papa Augustus dictus est, & Cæsarea corona redimitus 24. Febr., eadem die, quam olim natalem, ac persæpe dein magnis, prosperisque eventibus faustissimam habuit.

De Comitiis hujus anni Augustanis, & oblata in illis a Principibus Protestantibus Confessione suæ fidei, agemus *in Digressione sub finem Sæculi XVI.*

Anno MDXXXI. Coloniensibus in Comitiis ipso solenni Epiphaniæ, ac trium Regum die a Principibus, reclamante tamen Duce Saxoniæ, Ferdinandus, Caroli frater, Romanorum Rex renuntiatus est, indeque Aquisgranum perductus, XI. Januarii Corona Regia, post Hungaricam ac Bohemicam, tertia donatus. (*k*)

Anno MDXXXII. Comitia Ratisbonensia. In his ob imminentem Turcarum in Pannoniam irruptionem, magis ex usu temporum, quam ex re Christiana, sancita lex est; ut usque ad Generale Concilium, nemo alteri ob fidei causam negotium facesseret. Totis dein conatibus in bellum Turcicum arma & subsidia corrogata, maximique facti apparatus: quorum tamen magnitudini eventus non respondit alius, quam quod Solymannus, qui sexcentorum millium exercitum ducere ferebatur, accepta, Christiani roboris adversum se adventantis fama, reflexerit iter, bellumque omiserit. (*l*)

Anno MDXXXV. Carolus Imp. classe septingentarum navium Barbarossam Solymanni Archithalassum, Italiæ & Hispaniæ oris infestum, in Africa vicit, Tuneto ejecit, Mulleassen Regno restituit, quo eum Barbarossa privaverat: & viginti Christianorum captivorum millia in libertatem asseruit. (*m*)

Anno MDXXXVI. Novis iterum ex Sfortiæ Ducis Mediolanensis obitu, jactis belli seminibus, Carolus cum exercitu movit in Galliam, quam deserere mox iterum debuit, multis suorum millibus ob annonæ penuriam morbo absumptis. (*n*)

Anno MDXXXVII. Christianis se se invicem lacerantibus, eorundem exercitui ad Esseckium a Turcis funestissima illata clades. (*o*)

Anno MDXXXIX. Restituta apud Nicæam inter Carolum V. & Franciscum I. pace, maritimum in Turcas decretum est bellum. Maximis sumptibus naves centum, ducentæ Triremes, cum quinquaginta millibus hominum in hostem ductæ. Obvia fuit inimica classis: victa fuisset, si Christianorum Duces ausi fuissent vincere. Sed Andrea Auria, Hispanarum navium Præfecto, certamen detrectante, non sine dedecore discessum est. (*p*)

Anno

(*k*) *Struv. pag.* 1018.
(*l*) *Brower. Annal. Trevir. Parte II.*
(*m*) *Struv. p.* 1024. *Masen. in Hist. Caroli V. & Ferdinandi I.*
(*n*) *Spondan. Annal. Eccles. Briet. Annal. Mundi.*
(*o*) *Briet. L. cit.*
(*p*) *Briet. L. cit. ad ann.* 1539. *Horat. Tursellin. Epist. Historiar. ab orbe cond.*

Anno MDXLI. altera in Africam a Carolo ſuſcepta expeditio, deſiderato tamen eventu fruſtrata, tum ob tempeſtates, quibus naves: tum ob aeris inclementiam, qua milites, magna parte perierunt. (*q*)

Anno MDXLII. nova inter Carolum & Franciſcum bella in Belgio.

Anno MDXLIV. nova inter eosdem pax, animis tamen nondum omnino pacatis inita.

Anno MDXLVI. Lutheranorum ſecta uſque adeo jam invaluerat, ut omnis fere Germania & a Religione, & a Cæſare defecerit. Principes defectionis Fridericus Dux Saxoniæ, & Philippus Haſſiæ Landgravius. Ab his, aliorum ſimul adjutante opera, ingens adverſus Cæſarem conſcribitur exercitus (*r*), illique, minus tunc ad reſiſtendum parato, bellum denuntiatur (*s*): quod tamen ipſorummet Lutheranorum diſcordia, metuque retardatum fuit.

Anno MDXLVII. Cæſar, accito ex Italia, Hungaria, & Belgio milite auctus, primo vere in Fridericum Saxonem feſtinatis itineribus movit, quem ubi VII. Kal. Maji ad Albim flumen aſſecutus fuit prope Mulbergam, continuo ſolis equitum turmis, nullo tormentorum, nullo pedeſtrium copiarum præſidio, adortus, totum prope inimicum agmen, CCCC. duntaxat fuga dilapſis, pari virtute ac felicitate delevit. Fridericus Dux, cum Erneſto Philippi Brunſuicenſis filio, in acie captus, idemque dein ſuffragii jure, in Mauritium translato, bonisque ſpoliatus fuit. Nec multo poſt Philippus Haſſiæ Landgravius, Friderici territus fato, Cæſari ſe dedidit. (*t*) Diu ambo a Carolo in cuſtodia detenti.

Multa fuere in ea victoria, quæ Divina ope potius, quam humanis viribus relatam perſuaſere. Cæſar ipſe Carolus DEO tribuendam profeſſus, notum illud Julii Cæſaris poſt Aſiaticam victoriam Symbolum, modeſte deflexo lemmate, uſurpabat: *Veni*, inquiens, *Vidi*; at DEUS *vicit.* (*u*)

Inde ad Kal. Septembris indicta fuere Auguſtæ Comitia, eademque in annum ſequentem protracta. Adfuere raro exemplo Electores omnes, & inter alios Adolphus Colonienſis, qui Hermanno Wedano, nuper ob hæreſin, & Archi-Epiſcopali dignitate, & Electoralis ſuffragii jure privato, ſucceſſerat, ac Mauritius, Friderico Saxoni a Carolo ſuffectus. Comprimis actum de Synodo Tridentina, quæ inchoata jam fuerat, communi conſenſu ab Imperii Statibus recipienda. (*x*) Hac autem Synodo, ob contagionis metum, Bono-

(*q*) *Briet. Libr. cit. ad annum* 1541.

(*r*) Cenſebantur eſſe in armis pro Proteſtantibus LXXX. millia peditum, & equitum X. millia, cum CXXX. tormentis; quibus Cæſarem commode e Germania potuiſſent arcere; ſed aliquot dierum mora ferias fecit, exercitum ſuum coadunandi. *Struv. pag.* 1046. *ex Caraffa.*

(*s*) Hoſtili more veteri Germanico, epiſtola ad amentum teli alligata, Cæſari miſſa, inimicitias denuntiant: & repente proſiliunt ad arma; tantasque breviſſimo temporis ſpatio coegere manus, ut antequam ex Pannonia, Italiaque Cæſaris adventarent copiæ, imparatus Ratisbonæ Cæſar, ni Deus conſilium eripuiſſet, opprimi potuerit. *Brower. Annal. Trev. Part. II.*

(*t*) *Struv. pag.* 1048. *Brower. ibid.*

(*u*) *Maſen. in Hiſt. Caroli V. & Ferdinandi I.*

(*x*) In Conventu Auguſtano Imperator Carolus deliberationes menſe Septembri exorſus eſt, fuitque præcipuum caput, de quo ab initio Imperii ſemper Carolus egerat, ut contro-

Bononiam translata, ne quid interea, dum Tridenti reſtauraretur Concilium, Germaniæ Eccleſia pateretur detrimenti, tenendam interim fidei quandam formam, non optimo conſilio, Principibus obtulit: famoſum ſcilicet libellum, communi vocabulo INTERIM appellatum. Promulgatus hic quidem in iſtis Comitiis fuit; Neutri tamen parti, nec Catholicis, nec Proteſtantibus ſatisfecit. Adhæc ſingularem a Principibus, maxime ſacris, requiſivit curam, ut collapſos Ordinis Eccleſiaſtici mores, ac multiplicia, quæ inde ad populum emanaſſent, exempli pravi detrimenta, quamprimum reſarcirent, propoſita ipſis eam in rem Formula Reformationis (y). Pio utrumque ſtudio factum a Carolo; ſed extra forum.

Anno ineunte MDL. Julius III. Papa, Paulo III. ſuffectus, mox ab adepto Pontificatu Oecumenicæ Synodi Tridentum revocandæ, promovendæque curas ſuſcepit. Convocata propterea rurſum Auguſtam a Cæſare Comitia, in iisque Principes de retinenda, Concilii Decretis obtemperandi voluntate, ac de rebellibus & immorigeris ex legum ſeveritate puniendis, commoniti.

Anno MDLI. cœpta feliciter Synodi proſecutio, ſed mox iterum, abrumpenda, ob initum hoc anno a Mauritio, quem nuper Septemvirali dignitate Cæſar exornaverat, & aliis quibusdam Proteſtantibus Principibus, cum Henrico II. Galliarum Rege, adverſus Cæſarem, clandeſtinum fœdus. Prætenſæ fœderi cauſæ: diuturna Landgravii in captivitate detentio, & Germanicæ Nationis ſuppreſſa libertas.

Anno MDLII. Fœderatorum iſtud bellum apertas in flammas erupit. Henricus Rex Tullum, Virodunum, ac Metas occupavit. Mauritius Auguſtam Vindelicorum poſt paucorum dierum obſidionem, deditione accepit, indeque celeritate maxima movens Oenipontum, ubi Cæſar cum Ferdinando morabatur: tantum his terroris injecit; ut impedimentis omnibus Mauritianæ prædæ relictis, intempeſta nocte diffugerint. (z) Atrociſſimo bello per cæteras Catholicæ potiſſimum Germaniæ Provincias diffuſo, Paſſavienſis tandem in avitæ Religionis detrimentum extorta pax eſt: cui Ferdinandus, duræ neceſſitati illachrymans, Carolus vero Cæſar nunquam, ſubſcripſit.

Pacata Germania, Cæſar ad Lotharingiæ urbes recuperandas adjecit animum, ingentique parato exercitu, qui C. millia peditum: equitum vero millia XII. numerabat, Metas properavit. Sed hic fixam felicitati ſuæ, gloriæque metam reperit. Ad XI. Kal. Novembris urbem obſidendo cinxit, cumque ad finem uſque Decembris oppugnationem, infelici ſucceſſu, in ſumma frigoris acerbitate protraxiſſet, viſa immani ſuorum, tum obſeſſorum armis, tum morbis intereuntium ſtrage, ultima menſis & anni die obſidionem ſolvit, militemque ad Hyberna reduxit.

Anno MDLV. Imperator, mundanarum jam rerum pertæſus, totius adminiſtrationem Belgii, convocatis ad id Proceribus, in Philippum filium tranſtulit:

---

controverſiæ Religionis per Synodum tandem tollerentur: & interim, dum de Religione controverſiæ in Synodo explicarentur; Pax aliqua inter Ordines Germanicos conſtitui poſſet. Primum igitur petiit, ut promitterent Principes, ſe Synodo obtemperaturos eſſe. *Chytræus L. XVI. pag. 421.* Promiſerunt, & affirmarunt juramento. *Vide Brower. L. cit. ad h. annum.*

(y) Formulam hanc Reformationis vide *hoc Tomo VI. pag.* (z) *Briet. L. cit.*

ſtulit : nec diu poſt Hiſpaniarum etiam, & quæ ultra Oceanum apud Indos obtinuerat Regna, eidem tradidit gubernanda : Imperii vero cura, titulum duntaxat Cæſaris reſervans, Ferdinando fratri commendata, profectus eſt in Hiſpaniam, ibique in S. Juſti Monaſterium ſeceſſit, per ſpatium vitæ reliquum DEO, & ſibi vacaturus.

Anno demum MDLVII. ſolenni a Carolo Imperii abdicatione per Legatos Francofurti coram Septemviris facta, Ferdinandus Imperator ſalutatus eſt. Carolus autem magnis paſſibus in ſacra ſua ſolitudine ad vitæ finem decurrens, hoc ipſo anno eundem attigit die Septembris prima & vigeſima, Sancto Matthæo Apoſtolo ſacra. Vixit annis LIX. Imperavit XXXVII. Cæſar virtute ac felicitate nemini ſecundus, a Paulo III. Papa in frequenti Cardinalium conſeſſu *Maximi* ac *Fortiſſimi* titulo, ex rerum geſtarum merito honoratus. (*a*)

FERDINANDUS I.

IMperium, quod, communicatis cum Carolo V. fratre curis, adminiſtraverat jam dudum, poſt ejus obitum ſolus regendum ſuſcepit annos natus quinque & quinquaginta. Primam lucem vidit Compluti anno MDIII. X. Martii, Auſtriacos inter Archi-Duces primus Hiſpano ſub Cœlo genitus (*b*) : a pietatis, prudentiæ, manſuetudinis, vigilantisque & indefeſſæ aſſiduitatis laude plurimum commendatus, Catholicæ vero & avitæ Religionis tuendæ Studioſiſſimus.

Anno MDLIX. convocatis Auguſtam Comitiis, defuncto Carolo V. fratri magna pompa parentavit cum Imperii Proceribus, ac totius fere Europæ Principum Legatis : Laudante funus Ludovico Madrutio, Tridentino Epiſcopo, qui dein in S. R. E. Cardinalium Collegium cooptatus fuit. Hoc in fratrem pietatis officio perfunctus, ad reſtituendam in Germania veræ fidei unitatem curas intendit, egitque cum Principibus de Oecumenica Synodo, quam ſuis apud Pontificem ſtudiis denuo inſtaurandam pollicebatur, dummodo ipſi ejusdem Synodi Sententiis aſſentiri vellent, & Decretis inſiſtere. Optatiſſimum id quidem Principibus Catholicis & Orthodoxis : Verum Proteſtantes, præoccupato Lutheranis erroribus animo, & in iisdem retinendis obfirmato, ſancitam in Auguſtanis Comitiis libertatem Religionis ſtabiliri maluere. Quare Ferdinandus Imperator proteſtatus palam fuit, per ſe non ſtare, quominus omnes, quod tamen maxime cupiebat, veram rectamque reverterentur ad fidem : neminem a ſe invitum cogi. (*c*)

Anno MDLXI. Eodem veræ Religionis reducendæ ſtudio incitatus Ferdinandus Legatos miſit Naumburgum ad Salam, ubi Confeſſionis Auguſtanæ Principes ad communem de fidei cauſa conſultationem convenerant. De duobus hic punctis actum. Primum erat de Auguſtana Confeſſione communi ſubſcriptione renovanda & confirmanda. Alterum de Concilio Tridentino, ad quod Pontifex Pius IV. & Cæſar invitabant, vel adeundo, vel repudiando. In primo parum concordes diſceſſere : concordes in altero, dum communi conſenſione repudiarunt veritatem, in Legitimo & Oecumenico Concilio, in & a Catholica, vera Chriſti Eccleſia ipſis oblatam : extra quam tamen Eccleſiam vera do-

(*a*) *Maſen. Hiſt. Carol. V. & Ferdin. I.* (*b*) *Hortenſ. Pallav. Cæſar. Auſtriac.*
(*c*) *Briet. ad h. annum.*

ctrinæ concordia nec hucusque reperiri a Protestantibus potuit, nec unquam reperietur.

Anno MDLXII. indicta a Ferdinando Comitia Francofurti. In his Maximilianus, Ferdinandi filius, magnæ virtutis Princeps, & singularibus animi, corporisque præditus ornamentis, summa Septemvirorum voluntate Romanorum Rex renuntiatus, ibidemque die 30. Novembris, Sancti Andreæ Apostoli honoribus consecrata, in D. Bartholomæi templo, ab Archi-Episcopo Moguntino Regali diademate donatus. Septembri mense præcedente, die 20., Bohemicam coronam obtinuerat Pragæ: Septembri item anni sequentis die 8. accepit Hungaricam Posonii: atque ita uno non integro vertente anno, coronam tergeminam retulit. (d)

Annus MDLXIV. Ferdinando Cæsari & vitæ, & Imperii postremus fuit. Viennæ decessit VIII. Kal. Augusti, die festo Sancti Jacobi, uti ante prædixerat. Vixit annos sexaginta, menses novem & aliquot dies. Imperavit annis septem. Princeps Religiosissimus, & Ecclesiæ cumprimis amans, cujus pacem non semel suo anteposuit Imperio.

FINIS SERIEI REGUM ROMANOR.

(d) *Struv. Corp. Hist. Germ. pag.* 1094. *in not.*

AD LECTOREM.

Statueram equidem, Sæculi XVI. Conciliis præmittere Chartam Chorographicam Episcopatuum, in Germania post Lutherum suppressorum, novorumque deinceps erectorum, una cum explanatione historica; sed cum hic Tomus ob Synodorum, eodem Sæculo celebratarum & multitudinem, & amplitudinem, non attigerit eos annos, in quibus ista tum antiquorum Episcopatuum suppressio, tum erectio novorum confecta, penitusque consummata fuit: utramque Tomo sequenti reservandam putavi. In eodem sub finem Sæculi XVI. pro Digressione dabimus brevem Epitomen rerum, in causa Lutheri & Sectatorum ejus toto eo Sæculo gestarum. Nolui eam narrationem mutilam hic exhibere, & ad annum MDLXIV., ultra quem hujus Tomi Concilia non excurrunt, abrumpere: gratius Lectori futurum ratus, si integram rerum seriem, uno & continuo ordine, subjectam oculis cerneret. Notationes quod attinet, in his parcior esse malui, quam superfluus, Harduini, aliorumque Synodographorum secutus exemplum. Si hærere vellemus ad singula, quæ moderno hoc Sæculo quibusdam revocanda videntur ad crisin; immensum futurum esset hoc opus. Hæc, Benevole Lector, paucis te monitum volui. Vale, & fave.



CON-



CONCILIA GERMANIÆ.

SÆCULUM XVI.

SYNODUS PATAVIENSIS
Anno Chriſti MDIII. Alexandri VI. PP. X. Maximiliani I. Imp. IX.

Hujus memoriam Synodi his verbis refert Hanſizius Germ. Sacræ Tom. I. pag. 600.



Anno MDIII. Wigileus (*) (Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopus) invitat Clerum ſuæ Diœceſis, etiam Prælatos cujuscunque ſtatus ad Provincialem Synodum in Mautern oppidulo ſuo, Dominica *Miſericordia Domini* proxime ventura, pro corrigendo vitiis dedito Clero celebrandam. Datum Pataviæ ſub majori Decreto Anno Domini 1503. Kal. Febr.

Sed eo Conventu tunc impedito, idem Epiſcopus Synodum pro Reformatione Cleri de Mauttarn in Pataviam transfert eo fine, ut omnes tam ſupra, quam infra Anaſum conſtituti illuc confluant ad viſitationem B. Mariæ; ibi in ſoli-

(*) Wigileus Fröſchel de Marzols, nobilis Bavarus, anno 1500, Pataviensſem Cathedram unanimi Collegarum ſuffragio adeptus, eandem uſque ad annum 1517. cum magna ſapientiæ, probitatis, liberalitatis & juſtitiæ laude tenuit. Anno 1490. Chriſtophoro Schachnero ad Pontificalem Pataviensſis Eccleſiæ dignitatem evecto in Decanatu ſucceſſerat. Eo in officio dum reformandis Cleri moribus ſe ſe impendit, a Canonicis quibusdam ejusdem Eccleſiæ, inita conſpiratione mancipatus eſt carceri. *Poſtea dimiſſus tanquam innocens, & ſublimatus in Epiſcopum, nunquam vindicavit ſe de adverſariis; ſed imitatus* eſt *patientiam ſui Patroni S. Stephani.* Ita Auctor Appendicis Schritov. *apud Hanſiz. pag.* 598.

ſolitæ ſuæ reſidentiæ Curia compareant. Impedimentum autem Synodi prioris in Mautern fuerat, quod Epiſcopus in obſequio Regis Romanorum Ratisbonæ Judicio Cameræ Regalis præeſſe cogebatur, aliisque rationabilibus intervenientibus cauſis. Actum in Civitate noſtra Patavienſi Anno Domini 1503. 10. Aprilis.

Hæc Hanſizius.

CONCILIUM BASILEENSE

Eodem anno Chriſti MDIII.

Prologus in Statuta Synodalia.

CHRISTOPHORUS, (*) DEI GRATIA EPISCOPUS BASILEENSIS, UNIVERSO CLERO NOSTRO SALUTEM.

POntificale noſtrum requirit officium, ut vitæ & morum totius Cleri noſtri ad ſuam, ac populi Nobis, & eidem ſubjecti ſalutem, præcipuam curam, ſingularemque reſpectum habeamus: Quod in ſancta Congregatione (quam Synodum vocant) convenientius fieri poſſe videtur. Sicut enim olim ante Conſtantini Magni tempora, Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſt, propterea quod non erat Epiſcopis in unum conveniendi data libertas: ſic & multas vitiorum ſpinas inter Eccleſiaſticos & populares creſcere timendum eſt, quia Sacerdotes ab Epiſcopis, cæterisque Prælatis ſuis non convocantur: dum Synodi per Epiſcopos juxta eorum officium non celebrantur: dum Conſtitutiones Synodales non patefiunt: dum nulla fit ad virtutes exhortatio, nulla vitiorum reprehenſio, nullum de populi vita & converſatione ſcrutinium, nulla de ſtatu & diſpoſitione Eccleſiarum & Beneficiorum, Divinique cultus inquiſitio. Quapropter ut facilius & felicius (Domino DEO cooperante) Nobis liceat priſtinum Eccleſiarum noſtræ Diœceſis decus reſtituere, Cleri honeſtatem fovere, antiquas & pene obliteratas Conſtitutiones innovare; de Venerabilium Fratrum Eccleſiæ noſtræ, Decani & Capituli conſilio & conſenſu, Synodum Sanctam jam dudum vitio temporum interpolatam, ad DEI laudem, animarumque ſalutem imprimis celebrare, Statutaque Synodalia publicare decrevimus. Et ne fortaſſis quispiam de Clero noſtro, excuſationem amodo quærat, Conſtitutionum Synodalium a ſe non obſervatarum, propter earum ignorantiam, aut oblivionem (memoria enim hominum labilis eſt) curavimus antiquis Synodalibus Statutis nova quædam addere, ea ſimul in unum congerere, in ordinemque ſequentem diſſeminare, ut ex illis quisque Sacerdotum & Clericorum manifeſte cognoſcat, quod ſuum ſit officium, quid ars artium (animarum ſcilicet cura) requirat, quid ad vitam & honeſtatem Cleri pertineat, & quæ ad conſervanda, tum temporalia, tum ſpiritualia ipſarum Eccleſiarum bona conducere videantur. Vos itaque univerſos & ſingulos Nobis ſubjectos (præcipue vero Curatos) auctoritate noſtra ordinaria in virtute ſanctæ obedientiæ, in Sacerdotii ſuſceptione præſtitæ, pie in Domino JESU exhortamur, & diſtricte requirimus, ut his noſtris Conſtitutionibus deinceps pro Synodalibus uti, illas memoriæ commendare, in eisque legendis vos ipſos exercere, atque omni ſtudio tanquam Chriſtiani & honeſti Sacerdotes, obedientesque filii humiliter obſervare velitis. Quilibet etiam ex Decanis, in Capitulis ruralibus, illas Confratribus ſuis publicare, legere, communicare & interpretari, omni excuſatione ceſſante benevole ſtudeat, & benigne laboret. In hoc facturi eſtis rem Deo gratam, Nobis jucundam, vobis ipſis honorificam, & Eccleſiis, Beneficiisque

(*) Chriſtophorus ab Uttenheim, ſexageſimus Baſileenſis urbis Epiſcopus, laudatiſſimus Caſpari de Rheinach anno 1502. defuncti Succeſſor. Reſignavit Pedum Baſileenſe anno 1527. *Bucelinus in German. Sacr.*

ciisque vestris salutarem. Exemptos denique, aut exemptione sua abutentes, ad finem epistolæ Sancti Bernardi quadragesimæ secundæ, paterne remittimus, quam dedit ad Archi-Episcopum Senonensem; cujus principium est: Placuit præstantiæ vestræ. Datæ in civitate nostra Basileensi, quinto Calendas Octobris, Anni salutiferæ Christi Nativitatis Millesimi quingentesimi tertii.

TITULI STATUTORUM SYNODALIUM.

Statuta Synodalia Basileensia.

TITULUS I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

Peccatis fidei contrariis resistatur: simplices in fide instruantur, & ut in ea firmiter maneant, sunt docendi.

CUm Fides Catholica (quam Clerici, præcipue Curati etiam explicite, vel Laici saltem implicite, prout Sancta universalis sentit Ecclesia, firmiter credere tenentur) totius Christianæ Religionis fundamentum existat, volumus Canonica Statuta contra abominandum idololatriæ flagitium, contra terribiles & horrendas DEI ac Sanctorum blasphemias, contra superstitiones, sortilegia, incantationes, Phythonum, & Phythonissarum divinationes, jam dudum edita, ab universis Nobis subditis diligentissime observari. De hujusmodi quoque peccatis, vel cæteris Christianæ fidei contrariis, volumus in confessionibus solertem fieri inquisitionem, reosque, & in his culpabiles ad desistendum sedulo admoneri, atque si necessitas postulaverit, auctoritate nostra compelli. Hortamur etiam, vel ex paterno zelo requirimus omnes Diœcesis nostræ Curatos, ut fidei articulos fideliter doceant suos subditos, eisque persuadeant, ut in ea fide constanter, vel religiose vivant, fidem hanc certissimam, atque Evangelium veracissimum esse, nequaquam dubitent. De fide nec temere, aut scrupulose, sed neque jocose disputent: animam hominis esse immortalem: post hanc brevem vitam, alteram, bonis beatam, malis vero miserrimam in sempiternis ignibus esse præparatam, certo cognoscant. Et si subditi quandoque potissimum in agone circa Benedictissimam TRINITATEM, circa Sacramenta

menta (præſertim Euchariſtiæ) vel de aliis hujus generis fidei myſteriis, aut in aliquo ejus articulo, qualemcunque temptationem ab humani generis hoſte paſſi fuerint, quod firmiter inhæreant, firmiſſime credant, quidquid & quomodo Eccleſia ſancta credit: idque eis ſufficere non dubitent, neç ab ea declinent, diaboli jacula vel ſuggeſtionem fortiter repellant, vel non curent, Domino DEO, & ſuæ ineffabili miſericordiæ ſeſe committant, ſicque in fide ſtabiles, in ſpe firmi, & in charitate DEI ac proximi perſeverantes feliciter moriantur.

TITULUS II.

De officio Decani, Camerarii, vel Juratorum.

Nomina Beneficiorum ultra tempus juris vacantium intimentur Epiſcopo, vel ejus Vicario.

Statuimus, ut Decanus ruralis Nobis, vel Vicario noſtro, nomina Beneficiorum, quæ infra ſuum Decanatum, ultra tempus juris vacaverint, intimare procuret, ſimul & cum nominibus collatorum hujusmodi Beneficiorum: ſimiliter etiam nomina eorum, qui vigore literarum Apoſtolicarum, vel Legatorum, vel precum Imperialium, aut Regalium, infra ſuum Decanatum Beneficia Eccleſiaſtica aſſequuntur, eorundemque Beneficiorum nomina: vel ad id faciendum, ipſi Decano menſis ſpatium præfigimus, infra quod inſinuationem hujusmodi Nobis, vel Vicario noſtro faciat.

Nullus admittatur ad inofficiandum aliquod Beneficium, niſi titulum oſtendat &c.

Decanus nullum Presbyterum infra ſuum Decanatum quodcunque Beneficium Eccleſiaſticum inofficiare permittat, niſi ſibi titulum, inveſtituram, ſeu commiſſionem ſuam infra ſpatium unius menſis, a publicatione præſentium ſequentis, oſtendat. Quod ſi quispiam non oſtenſo titulo, inveſtitura, ſeu commiſſione ſe de inofficiando intromiſerit; Decanus eum admoneat, ut ab inofficiando deſiſtat: quod ſi nec tunc quidem deſiſtere curaverit, ipſum auctoritate noſtra a Divinis in ſcriptis ſuſpendat ſub hac forma:

Quia tu N. requiſitus, ut titulum, ſeu commiſſionem tui Beneficii oſtenderes, aut ab inofficiando deſiſteres: requiſitioni hujusmodi non paruiſti; ideo auctoritate mihi conceſſa te in his ſcriptis a Divinis ſuſpendo, vel ſuſpenſum denuncio. Datum &c.

Exceſſus enormes notorii notificentur Epiſcopo, Vicario, Officiali, vel Fiſcali.

Decanus exceſſus notorios, vel præſertim illos, quibus Eccleſia ſcandalizatur, quorumcunque infra ſuum Decanatum Beneficiatorum, ſeu aliorum Clericorum, infra unam quindenam a tempore ſuæ notitiæ computando, Nobis, Vicario, Officiali, vel Fiſcali noſtro notificet, & conſcribat; quod ſi negligens fuerit, pœna condigna eum volumus mulctari. Sunt autem ſcandaloſi exceſſus: furtum manifeſtum, vulneratio, mutilatio, homicidium, fornicatio ſcandaloſa, vel adeo notoria, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari. Item ſi Clericus literatorie excommunicatus Miſſas celebraret, vel in Divinis miniſtraret, legendo Epiſtolam, vel Evangelium &c. Item, ſi Clericus cujuscunque ſtatus poſt monitionem verbalem, ſeu ſcriptam, ſe tabernis, ludis, lupanaribus, aut quibuscunque aliis illicitis actibus, ſeu litigioſis, vel ſibi per Decanum prohibitis, & his ſimilibus immiſceret.

Bona decedentium ſine Fertone (uti vocant) arreſtentur.

Decanus, aut Camerarius bona Clericorum ſine Fertone decedentium, vel defectum natalium patientium, noſtra auctoritate ſtatim arreſtet, & defunctos tales mox Vicario, vel Fiſcali noſtro denunciet. Si vero defunctum Fertonem habere contigerit, illum ſine mora Vicario noſtro transmittat.

Vacantia Beneficia provideantur per perſonas idoneas.

Decanus Beneficia per mortem, vel alias vacantia per perſonas idoneas cum ſcitu Vicarii noſtri provideri faciat, quouſque per Nos, vel Vicarium noſtrum aliter fuerit ordinatum.

Rectores non reſidentes, intimentur Vicario noſtro in Spiritualibus.

Decanus ſingulis annis Vicario noſtro notificet Rectores, ſeu Curatos Ecle-

clesiarum Parochialium, qui in suis Ecclesiis personaliter non resident.

Juramentum Decani.

Nullus Decanus ante suam confirmationem a Nobis, vel Vicario nostro obtinendam, ac priusquam juramentum suum Nobis præstiterit, officium Decani exercere præsumat.

Forma Juramenti.

Primo jurabit, quod mandata nostra, Vicarii, & Officialium nostrorum reverenter exequatur, ac Nobis, & eisdem fidelis erit, quodque officium, ad quod electus est, diligenter exercebit. Item quod Statuta Synodalia, quotiens Capitula ruralia celebrantur (saltem semel in anno) Confratribus suis ad intellectum publicabit, ea quoque fideliter observabit, & ab aliis (quantum in eo est) observari faciat; dolo & fraude semotis. Ac insuper excessus Confratrum suorum (prout ad se spectant) corrigere; incorrigibiles vero pro eorum excessibus, pro quibus deferendi sunt, Nobis, vel Vicario, aut Officiali nostris, deferre non tardabit, absque dolo, vel fraude.

Ecclesiæ, vel Capellæ singulis annis visitentur.

Decanus per se, vel per Camerarium, vel una cum Camerario, ubi necesse fuerit, singulis annis tempore sibi magis commodo & convenienti, ad minus semel singulas visitet Ecclesias, vel Capellas infra suum Decanatum constitutas, perquirendo diligenter, quomodo Sacerdos Parochialis cujuslibet Ecclesiæ, & alii Sacerdotes locorum, ad quæ declinaverit, se regant, tam in administratione Sacramentorum, celebratione Missarum, quam aliis, quæ ad officium suum spectant. Habendo etiam respectum diligentem, an Eucharistia, sacrum Oleum, Baptismus, & alia sub debita custodia, vel in decenti reverentia serventur; vel si ante Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum lumen, seu ampulla ardens teneatur. Et si aliquem defectum circa præmissa, vel circa alia repererit, conscribat, eundemque (pro suo posse) auctoritate nostra infra certum terminum, in debitum ordinem, statum & modum reducat. Et si forsan Ecclesiarum Procuratores, seu alii quicunque ipsum in præmissis impediverint, aut mandatis suis (quæ circa præmissa rationabiliter fecerit) non obtemperaverint, illos statim Vicario nostro denunciet.

Minus idonei ad regendum, vel celebrandum, intimentur Vicario.

Decani, Camerarii, vel Jurati, si in suis Capitulis, vel Decanatibus, aliquos Sacerdotes, præcipue Curatos, ad celebrandum, vel curam animarum regendam minus idoneos exploraverint, eosdem (etiamsi prius admissi essent, & examinati) a regendo, vel celebrando suspendant, ipsosque Vicario nostro sine mora denuncient; cum sæpe, quod ex parvi temporis examine non percipitur, ex diuturna postea conversatione apertius cognoscatur.

Quales mittendi sint pro Oleo & Chrismate.

Decani, & Camerarii, in die Cœnæ Domini, Sacerdotes mittant honestos & discretos ad Ecclesiam nostram Cathedralem, pro Chrismate vel Oleo sacro asportando. Qui quidem sic missi sint tales, ut sciant discernere, ubi Chrisma, vel ubi Oleum sit reponendum, vel quam caute, vel reverenter in ipsa via (utpote in loco sacro) sint conservanda. Iidem etiam Decani, vel Camerarii, dum hujusmodi Oleum, vel Chrisma ipsis fuerit apportatum, provideant diligenter, ne per mulieres, aut laicos illa per Decanatum suum distribuenda transmittant, sed per Sacerdotes providos & honestos, prout pœnam condignam voluerint evitare.

Habeatur respectus ad Apostatas quorumcunque Ordinum, vel ad Clericos peregrinos.

Decani, Camerarii, vel Jurati diligentissime respiciant ad Monachos, vel Fratres, atque Moniales, vel alios Clericos apostatas, & peregrinos, in Decanatibus suis divagantes; & quorumcunque conversationem habuerint suspectam, illos, ut mox nostram Diœcesim egrediantur, inducant, vel si opus sit, eis, ut exeant, mandent, atque præcipiant; quod si id facere distulerint, aut recusaverint, illos ad nos transmittant, condignam pœnam recepturos.

Decanus non eligatur, nisi investitus, & residens.

In Decanum, Camerarium, vel Juratum nullus eligatur, nisi investitus, vel residentiam faciat personalem; vel si animo alibi residendi, se per unum mensem præter Vicarii nostri licentiam absentaverit, lapso mensis spatio, Decanatu privetur, Camerariusque Confratres capitulares convocet ad alium eligendum, quod si Camerarius facere neglexerit, a Divinis veniet suspendendus.

TITULUS III.

De Constitutionibus.

Statuta sine Episcopi auctoritate condita irritantur.

Cum membra sine capite nihil agere debeant, omnia Statuta per quævis Capitula, vel Collegia nostræ Diœcesis, etiam de Prælatorum consensu, qui eisdem Capitulis immediate præsunt, super quibusvis arduis negotiis, vel statum Ecclesiarum tangentibus ordinata, quibus auctoritas nostra, vel Antecessorum nostrorum non intercesserit, declaramus, & decernimus robur non habere firmitatis: imo talia statuta irritamus, & de cætero fieri prohibemus: per hoc tamen laudabilibus consuetudinibus rationabiliter introductis nolumus derogari.

Fraternitas nulla sine Episcopi consensu erigatur.

Ordinamus etiam, ut in nullis Ecclesiis, vel Monasteriis nostrarum Civitatis vel Diœcesis, Societates, quas vulgariter Confraternitates, vel Fraternitates appellant, deinceps ineantur, aut fieri permittantur, vel jam initæ, vel factæ admittantur, nisi eædem per patentes nostras literas fuerint approbatæ.

TITULUS IV.

De regentibus Curam animarum.

Ne nova Altaria erigi permittantur sine consensu Episcopi.

Curati Ecclesiarum non permittant in eorum Ecclesiis, vel Parochiis novas Capellas, vel Altaria erigi, vel antiqua transmutari sine nostra licentia speciali, quam tamen afferentibus se habere non credant, nisi literas nostras desuper sigillatàs videant. Quod si quispiam forte contrarium attemptare, & Altaria, sive Capellas erigere præsumpserit, Curatus eidem mox sub excommunicationis pœna, trium dierum monitione Canonica præmissa, inhibeat. Et si inhibitioni suæ paritum non fuerit, id Nobis, Vicario, vel Officiali nostris intimare curet.

Laicis Processiones instituere præsumentibus, Clerici non obediant.

Cum Laicis de Spiritualibus ordinandi nulla concessa sit auctoritas, quos obsequendi tenet necessitas; nihilominus, quanquam (*) certas processiones, certa officia tempore Divinorum peragenda, vel alia ejusmodi ad eos minime spectantia, Clericis absque Diœcesani, vel Vicarii scitu & licentia, propria auctoritate imponere attemptant; volumus & mandamus, ne de cætero quisquam Sacerdotum, vel Curatorum nostrarum Civitatis & Diœcesis tales ordinationes, qualitercunque per laicos (ut præfertur) impositas, sine Nostra, vel Vicarii nostri speciali & expressa licentia, scitu & voluntate, publice peragat, vel quoquo modo illis intersit. Quæ licet quomodocunque bonæ & legitimæ videantur: quia tamen non bene in contemptum Ecclesiasticæ Superioritatis fieri præsumuntur; idcirco sub pœna unius marcæ argenti merito prohibentur.

Novus populi concursus ad loca profana cohibeatur, & de tali exorto mox Episcopus certior reddatur.

Et quoniam experientia teste hactenus quædam peregrinationes, & frequens vulgi concursus, ad quasdam imagines, aut profana quædam loca in montibus vel sylvis abstrusa, non tam ex veris visionibus, quam ex falsis somniis, læsæ phantasiæ illusionibus, vel sensuum præstigiis, sicut vana vel incerta principia, ita vel leves & ridiculos exitus habuerunt: ideo ne de cætero in nostra Diœcesi simplicem populum facili credulitate decipi, fictis aut superstitiosis miraculis illudi, frustra fatigari, superfluos viarum sumptus pati, vel in idololatriæ errorem labi contingat: mandamus sub pœna excommunicationis, ut, ubicunque hujuscemodi tumultuarius concursus quocunque eventu, aut novo quodam aucupio exortus fuerit, ab ejusdem loci

(*) *forte:* quoniam

loci Curato, vel Decano quamprimum ad Nos referatur: vel interim (quantum fieri-poteſt) concurſus ille rationabiliter & diſcrete cohibeatur, nec ulla miracula in cancellis, niſi per Nos prius examinata fuerint vel approbata, publicentur.

Prohibeatur, ne ſub Divinis choreæ fiant.

Curati diligenter & cum effectu prohibeant, ne ſubditi ſui tempore Miſſarum, & Veſperarum, ſeu ſermonum choreas publicas faciant. Quod ſi hujusmodi præceptis obtemperare contempſerint, illis tempore confeſſionis propterea ſpecialem pœnitentiam imponant.

Diebus Dominicis Curati in ſuis Eccleſiis celebrent.

Curati ſingulis diebus Dominicis, in majoribusque Feſtivitatibus, ac in diebus anniverſariorum, congruis horis Miſſam ſuis in Eccleſiis celebrare, vel pro illa celebranda pulſari facere per competens intervallum non poſtponant; ita quod Parochiani commode ſeſe diſponere poſſint ad Eccleſiam frequentandam. Miſſam vero celebrantes, Epiſtolam, Evangelium, Collectas (præter Secretam) & Cantica legant alta voce, ut audiri poſſint.

Ne Curati duas Eccleſias regant.

Curati non aſſumant ſibi onus regendi aliam Eccleſiam Parochialem cum ſua, vel etiam illa dimiſſa; niſi de Noſtra, aut Vicarii noſtri in Spiritualibus licentia ſpeciali & expreſſa.

Vicarii temporales, vel Coadjutores non aſſumantur, niſi prius fuerint examinati.

Curati non aſſument Sacerdotem in Vicarium ſuæ Eccleſiæ, aut in Coadjutorem ſuum, niſi talis per Examinatores a Nobis ad hoc deputatos fuerit examinatus, vel pro idoneo approbatus, & ſuper hoc literas noſtras, vel Vicarii noſtri videant opportunas.

Extranei non admittantur ad celebrandum.

Curati nullos extraneos, qui ſe dicunt eſſe Sacerdotes, admittant ad celebrandum in ſuis Eccleſiis Miſſas ſine Noſtris, vel Vicarii noſtri litteris, niſi indubitatam de eis habeant notitiam; aut niſi ſint tales, tamque notabiles perſonæ, de quibus nulla ſiniſtra ſuſpicio poſſit haberi.

Ordinati extra noſtram Diœceſin non admittantur ſine licentia Epiſcopi, vel Vicarii.

Neque Curati permittant Sacerdotes extra noſtram Diœceſin promotos, in ſuis celebrare Parochiis, etiam ſi in illis Eccleſiaſtica habeant Beneficia, donec eis conſtiterit literatorie de Noſtra, vel Vicarii noſtri in Spiritualibus Generalis licentia, cum noſtra interſit examinare, ſi tales rite ſint canoniceque promoti, alioquin pœna condigna puniantur.

Ornamenta Altarium lavanda ſunt, vel Hoſtiæ, ſive Particulæ innovandæ.

Curati, ſeu eorum Vicarii, abluant per ſe ipſos (bis ſaltem in anno) mappas Altarium ſuorum: ſimiliter corporalia, amictum, & albam. Quod ſi forte per ſe ipſos lavare non poſſent, faciant ea per religioſas, aut poſt primam lotionem vel ablutionem per eos factam, per honeſtas virgines, ſeu matronas lavari. Hoſtias etiam ſacras de menſe in menſem renovent, ne putreſcant, ne ex diuturnitate cuſtodiæ ſumentibus generent horrorem.

Curati habeant Calendarium, vel Breviarium, ſecundum quod habet Eccleſia noſtra Baſilienſis.

Curati, & Canonici, Collegiatarumque vel aliarum Eccleſiarum Beneficiati ſeſe conforment matrici Eccleſiæ (prout juris eſt) habeantque Calendarium vel Breviarium, in omnibus Calendario & Breviario Eccleſiæ noſtræ Baſilienſis conforme, quæ eſt omnium Eccleſiarum Civitatis vel Diœceſis noſtrarum Mater, vel Caput: ita, ut de nullo alio Sancto celebrent, quam de nominatis in eodem Calendario; niſi tales Sancti ſint Eccleſiarum ſuarum, vel Præbendarum, ſeu Altarium Patroni: aut eorum officia ex ſpeciali devotione aliter fundata eſſent in ipſorum Eccleſiis per aliquos Chriſti fideles: vel ex conſuetudine, ſeu pia cauſa ad aliquem Sanctum honorandum peculiariter afficerentur.

Pa-

Parochiani diebus Dominicis vel Festivis sint in sua Ecclesia.

Curati inducant, hortentur, & admoneant suos Parochianos, ut singulis diebus Dominicis, & in præcipuis Festivitatibus ad suam conveniant Ecclesiam, aspersionem aquæ benedictæ recipiant, vel prædicationem, ac mandata audiant: genuflexiones quoque sub elevatione & sumptione Sanctissimi Corporis, nec non Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI devote faciant, nec ante Missæ Parochialis ad hoc deputatæ finem recedant. Quibus etiam denuncient, quod, si justo impedimento cessante, ad Ecclesiam prædictis diebus non venerint, graviter peccabunt; vel contra eos procedi poterit (secundum viam juris) ad sententiam excommunicationis, vel alias pœnas debitas atque condignas.

Ne Parochiani tempore sermonis in cimiteriis stent confabulando.

Curati expresse prohibeant vel efficaciter suos inducant Parochianos, ne tempore Prædicationis in cimiteriis, vel extra Ecclesiam confabulando, seu alias otiosi stare præsumant: sed potius in Ecclesiis maneant, Verbum Divinum diligenter audientes: quod si facere vel obedire contempserint, Nobis, vel nostro in Spiritualibus Vicario id deferant, ut sub pœnis juris eos ad hoc coercere valeamus.

In Processionibus indicendis Parochiani se devote habeant.

Curati populum solicite inducant, ut in die Sancti Marci, & in diebus Rogationum, in aliisque Processionibus pro tempore indicendis, cum omni devotione, & peccatorum suorum contritione incedant; hujusmodi Processionibus intersint abstinendo ab omni inani confabulatione, & commessatione, aliisque rebus illicitis: ad minusque de qualibet domo una persona idonea adsit: separatim quoque viros a mulieribus incedere inducant.

Quid Curati intimare debeant populo.

Curati singulis diebus Dominicis, Parochianis suis Evangelium (quod pro tempore occurrit) secundum literam in vulgari exponant: Festa Sanctorum, vel jejunia, quæ cadunt sub præcepto, ac anniversaria, quæ erunt in proxima sequenti hebdomada, denuncient. Orationem quoque Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, vel Præcepta Decalogi alta & intelligibili voce tractim cum pausa per singulas clausulas, vel articulos, non transcursorie, vel inculcando verba in vulgari, & vernacula lingua pronuncient: ut Parochiani juvenes & senes ab eis discere possint, quomodo perfecte & bene debeant dicere, vel pronunciare, vel vivere, atque in fine doceant eos Sanctæ Crucis signo se se consignare, dicendo: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Alias quoque populum ad devotionem, vel peccatorum suorum contritionem exhortentur, secundum quod cuilibet gratia a DEO fuerit concessa.

Indulgentiæ Festi Corporis Christi publicentur.

Curati singulis annis Dominica die ante Corporis Christi festum denuncient populo Indulgentias a Summis Pontificibus vere pœnitentibus & confessis concessas, qui in profesto dictæ festivitatis ex devotione jejunaverint, vel qui Missæ & horis officii tam diurni, quam nocturni ejusdem festi, per totamque ejusdem octavam interfuerunt, quique communicaverint, vel celebraverint; ut Parochiani ad illas assequendas sese præparare possint. Denuntient etiam Indulgentias a Summis Pontificibus, a Nobis quoque concessas his, qui reverenter vel devote comitantur Sacerdotem, Corpus Christi ad infirmum deferentem, eundo & redeundo, juxta mandati nostri formam, quod super præmissis nuper ad singulas Civitatis & Diœcesis nostræ Ecclesias duximus transmittendum.

Monstrantiæ nuncupatæ, ubi non habentur, ibidem procurentur.

Quilibet in Parochia sua coram Sacramento Horas alta voce per ejusdem festi octavam dicat propter Indulgentias, campanis etiam pulsatis.

Indulgentiæ Festorum Conceptionis, & Visitationis MARIÆ Virginis, intimentur.

Curati singulis etiam annis, proximis Dominicis festa Conceptionis, & Visitationis Beatæ MARIÆ Virginis præcedenti-

dentibus, indulgentias Missæ, vel aliis earundem festivitatum horis interexistentibus concessas (prout eædem indulgentiæ in prædicto nostro mandato summatim sunt collectæ) proponant, atque manifestent. Volumus etiam ad minus semel in anno publicari 11. dierum indulgentias, quas concedimus cuilibet ex laicis, die Veneris per totum annum in pulsu campanæ, ob Dominicæ Passionis memoriam fieri solito, oranti tres Orationes Dominicas cum totidem Salutationibus Angelicis. Clerico vero dicenti Psalmum: *In te Domine speravi*, per sex versus, cum Oratione Dominica, versiculo: *Christus factus est pro nobis obediens*. Et Collecta: *Domine JESU Christe, Fili DEI vivi, pone Mortem, Passionem & Misericordiam tuam inter nos, & animas nostras* &c. Vel illa: *Respice, quæsumus Domine super hanc familiam tuam*. Aut consimili. Alias nihilominus indulgentias ad hoc idem Dominicæ Passionis obsequium a nostris Prædecessoribus concessas, robur & firmitatem suam perpetuo decernimus habituras.

Alieni Parochiani ne recipiantur.

Curati nullos Parochianos alienos, de inobedientia, vel excommunicatione suspectos, ad Divina recipiant Officia, vel Ecclesiastica Sacramenta, nisi literas habeant testimoniales Curatorum, in quorum Parochiis residentiam fecerunt, per quas appareat, quod non sint excommunicati, vel interdicti, ad evitanda pericula, quæ in administratione Sacramentorum, vel receptione ad Divina, ex prædictarum literarum defectu plerumque evenerunt.

Ne ante Sacramentorum administrationem quicquam exigatur.

Curati ante Sacramentorum administrationem nihil penitus exigant; sed Sacramenta ipsa sine mora, seu contradictione, devote, & secundum Ecclesiæ ritum administrent. Et si quid alicui Curatorum secundum antiquam, laudabilemque consuetudinem debitum fuerit; id post Sacramentorum hujusmodi administrationem (sine tamen strepitu & figura judicii) Nostra, vel Vicarii, aut Officialis nostri auctoritate consequi poterit, si ei fuerit denegatum. Idem circa sepulturas defunctorum statuimus observandum; adjungentes, ut defuncto prætextu cujuscunque debiti ad instantiam creditorum suorum sepulturam minime denegent, nisi aliud Canonicum obstiterit impedimentum; quodque nemo absque scitu Curati in Parochia sua sepeliatur.

Exequiæ & Anniversaria diebus Festivis nequaquam habeantur &c.

Curati exequias Defunctorum, & anniversaria Dominicis diebus, aliisque Festivitatibus peragere non præsumant; quoniam veraciter edocti sumus, quod, dum Curati ad exequias talibus diebus hactenus peragendas simul convenerunt, Officia Festorum fuerunt sæpe numero multis in Ecclesiis neglecta, & populus Officio Divino, Prædicationeque Verbi DEI privatus; nisi rationabilis causa subsistat in loco, ubi multi resident Sacerdotes, ita ut Prædicatio Verbi DEI, & solennis Missa de die Dominico, sive Festo non negligatur.

Curati populum ad confitendum in Quadragesima inducant.

Curati in Quadragesimæ principio populum in sermonibus instruant, quomodo debeant confiteri, pueros etiam doli capaces ad annuam confessionem inchoandam inducant, adhortenturque, ut cum omni humilitate & devotione reverenter Presbyterum accedant, neque aliquod mortale peccatum scienter obticeant: certificantes eos, quod si quis peccatum mortale in confessione sponte celaverit, sicque ex hac vita migraverit, indubie eum ad inferos & sempiternos ignes esse descensurum.

Curati subditorum suorum confessiones benigne audiant, nihilque exigant, neque prodant.

Curati per se ipsos, vel eorum adjutores, in locis publicis & facie aversa confessiones subditorum suorum benigne cum omni mansuetudine audiant: neque peccatum, neque peccatorem verbo aut nutu unquam prodant, aut detegant, & infirmos tempore debito visitent, nisi Parochiani licentiam ab eo petierint alteri confitendi; quo casu eam taliter petenti volumus minime negari, caventes omnino, ne quicquam pro confessionibus audiendis exigant, sed spon-

ſponte oblata (ſi velint) recipere poſſunt.

Emenda quomodo injungenda ſit, & quæ abſolutionis forma.

Curati confiteri volentem ante omnia interrogent, ſi a jure vel judice ſit excommunicatus, ne fruſtra confeſſionem audiant ejus, quem abſolvere non poſſunt. Confeſſione vero non excommunicati facta, & interrogatoriis ſecundum cujuslibet ſtatum a Confeſſore adhibitis (ſicuti confeſſionalia Antonini, vel Bartholomæi de Chaymis dirigunt) injungant emendam tolerabilem, quam confeſſus ſponte ſe dicat impleturum: cautius enim eſt cum modica pœnitentia remittere ad ignem purgatorium, quam cum magna ad inferos. Emenda (quæ eſt arbitraria) impoſita, poterit addere Confeſſor: *Si quid minus injunxi, id ſuppleat amara Paſſio Chriſti.* Abſoluturus dicat: *Dominus noſter JESUS CHRISTUS te abſolvat, & Ego auctoritate ipſius, qua fungor, abſolvo te a vinculo excommunicationis minoris, ſi incidiſti, & a peccatis tuis: In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Neque ullo pacto addat hæc verba: *Confeſſis, contritis, & oblitis.*

Ad infirmos primo vocentur Confeſſores.

Curati ſæpe in ſermonibus ſuis publicent, ne ad infirmos vocentur Medici corporis, niſi prius vocati fuerint Medici animarum, providendo efficaciter, ne ad infirmos incantatores, vel ſortilegi, vel alii admittantur, qui aliquid ægroto conſulant contra animæ ſuæ ſalutem.

Ad Communionem tempore Paſchali excitentur ſubditi.

Curati circa Dominicam Palmarum populum ad Communionem incitent, &, ut nullo pacto in peccato mortali ſcienter accedant, paterne obteſtentur & aviſent.

Euchariſtia quomodo infirmis porrigenda.

Curati ad infirmos Euchariſtiam in calopedibus ne deferant: ad illam adorandam ſubditos inſtigent: in particulis abundent: quod ſi una ſola (quod abſit) inventa fuerit in pyxide, pars detur infirmo, reſiduum reponatur in locum priorem; ne populus vacuam a Sacramento pyxidem falſo adoret, Sacerdote ad templum redeunte.

In Cœna Domini tres Hoſtiæ conſecrentur.

Curati in Cœna Domini conſecrent Hoſtiam magnam pro craſtino Paraſceves die; item alteram Sepulchro Domini imponendam, ubi ſaltem conſuetudo de Euchariſtia ad Dominicum Sepulchrum reponenda hactenus obſervata eſt. Et hæc ad Miſſalia conſignentur, in quibus iſta conſignatio omiſſa eſt.

Curati, condemnatis ad ultimum ſupplicium, ſi humiliter petant, neque Confeſſionis, neque Euchariſtiæ Sacramentum ſciant eſſe denegandum.

Non confeſſi in anno, Nobis, vel Vicario noſtro intimentur.

Curati Nobis, vel Vicario noſtro in ſcriptis notificent nomina eorum, qui in anno non fuerunt confeſſi, & communicati, ut contra eos (prout juris eſt) procedere valeamus.

Inexperti in miniſtrandis Sacramentis, ab expertis petant informari.

Curati, & Presbyteri novi, antequam confeſſionem audiant ſubditorum, Decanum rogent, aut aliquem alium Sacerdotem, in confeſſionibus audiendis exercitatum, cautum, providum, & honeſtum, ut ipſos in confeſſionibus audiendis, & cæteris Sacramentis adminiſtrandis fideliter informet.

Lumen ante Euchariſtiam ardeat.

Curati Procuratores Eccleſiarum inducant, & (ſi opus fuerit) publice coram populo moneant, & requirant, ut ante Venerabile Sacramentum Corporis Chriſti in Eccleſia continue habeatur lumen, ſeu ampulla ardens. Quod ſi Procuratores negligentes extiterint, eosdem Nobis, vel Vicario noſtro denuncient.

Baptismus, quomodo ſit benedicendus: Chrisma & Oleum vetus non ſit in uſu.

Curati ſingulis annis in Sabbato Sancto Paſchæ, & Vigilia Pentecoſtes ſolenniter benedicant fontes ſuos Baptismales, aquam renovent, & veterem in piſcinam projiciant, & effundant. Chrisma etiam & Oleum ſanctum præcedentis anni ſuper piſcinam comburant, neque illis veteribus (niſi in mortis articulo) utantur.

In

In Baptismo & Unctione servetur ipsius actus, & verborum simultas.

Curati in omni Sacramento per eos dispensando, intentionem habeant ipsius Ecclesiæ, idque intendant, quod Ecclesia intendit. Baptizantes autem pueros, cum illos intingunt, vel aqua potius baptismali aspergunt, simul verba substantialia proferant: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen.* Quæ etiam laicos & obstetrices perfecte docere, Curati non omittant. Eadem simultas unctionis, & verborum prolationis in extremæ Unctionis Sacramento similiter observetur. Si puer in utero matris membrum, aut partem corporis exponat, ea baptizari potest. Mulieres in partu mortuæ, si commode & caute scindi possunt, infans adhuc vivens baptizetur. Sciant etiam Curati, Religiosos a levandis de sacro Fonte pueris, per sacratissimos Canones esse exclusos.

Confirmationis Sacramentum ne negligatur.

Curati ne Confirmationis Sacramentum negligatur, inter prædicandum persuadeant, atque, ut ad illud tempestive suscipiendum, pueri adducantur, eorum parentes & amicos diligenter moneant, & fideliter exhortentur.

Extrema Unctio quando, & quibus danda.

Pueris ad Eucharistiam sumendam idoneis atque puerperis, extremæ Unctionis Sacramentum devote & pie desiderantibus, a Curatis nequaquam est denegandum, quod etiam in eadem infirmitate, si fuerit diuturna, quoties homo in mortis periculo constitutus creditur, poterit reiterari.

Sabbati violatores moneantur, aut denuncientur.

Curati eos, qui diebus festivis temere opera servilia, vel vecturas faciunt publicas, nominatim moneant, ut Deo & Ecclesiæ satisfaciant. Quod si non fecerint, ipsos coram Officiali nostro faciant citari, aut saltem ipsos Fiscali nostro denuncient.

Advenæ matrimonio probato admittantur.

Curati virum, & mulierem foris venientes, dicentes se conjuges, ut tales non habeant, nec admittant, nisi per legitimas probationes ita esse, eis constiterit.

TITULUS V.

De Petitoribus, sive Stationariis.

Stationarii, nisi sint Sacerdotes, non admittantur ad cancellos: fines mandati non excedant: discoli ad nos remittantur captivi.

Curati non permittant aliquos Petitores, sive Stationarios, in suis Ecclesiis questas, aut stationes quascunque facere sine literis nostris: nec permittant illos Verbum Dei prædicare, aut aliud exponere, quam in veris literis Apostolicis (prius tamen per Nos visis) aut in literis nostris sit expressum, nisi tales essent viri literati, vel personæ notæ; vel si hoc in literis nostris ipsis esset permissum. Videant etiam diligenter Curati datam literarum nostrarum, si sint pro illo anno, in quo accedunt ad Ecclesias eorum: & si in eis sit aliqua rasura sive suspicio. Nec Curati hujusmodi Quæstionarios (etiam si literas nostras ostenderint) admittant, nisi fuerint Sacerdotes, & in habitu Clericali honeste incesserint: & si Religiosi, religionis suæ patentem habitum detulerint, & in hospitiis honestis hospitati fuerint. Quod si fuerint laici, nullatenus admittantur, nisi de hoc in nostris literis specialis & expressa fieret mentio, & tunc in eo casu ad cancellos eos ad prædicandum aut proponendum nequaquam admittant; sed ipsi Curati (si per eos rogati fuerint) eorum petitionem populo proponant. Damus etiam ipsis Curatis per hoc nostrum statutum licentiam, eis etiam præcipimus, & mandamus, ut si aliquos petitores minus honeste se gerentes, vel ludentes, fornicantes, aut elemosynarum, vel oblationum abusores, in hujusmodi negotiis repererint, illos cum suis literis & bonis capiant, & Nobis, vel Fiscali nostro fideliter adducant. Alioquin si ipsi Curati in hoc negligentes extiterint, pœnam eis propterea infligendam non evadent.

Fabrica Ecclesiæ Basiliensis fideliter promoveatur, & vagæ restitutiones ei fieri jubeantur.

Curati etiam Gloriosissimæ Virginis MARIÆ, Ecclesiæ nostræ Basiliensis Patronæ

tronæ, negotium & fabricam fideliter habeant recommiſſam, ſubditisque una cum indulgentiis & privilegiis fideliſſime commendare ſtudeant, juxta formam & continentiam libellorum, nec non chartarum, quæ a Nobis pridem emanarunt, non obſtante mandatorum quorumcunque tenore Petitoribus, & Stationariis conceſſorum.

Cæterum ut & ipſi Religioſi eandem ſummæ Eccleſiæ noſtræ fabricam ſtudioſe promoveant, toties quoties opportunum videbitur, eos in Domino hortamur, atque paterne monemus.

Volumus etiam, ut tam religioſi, quam ſæculares Confeſſores ex ſingulari eorum affectu & amore (quem eos ad Glorioſiſſimam Virginem MARIAM habere confidimus) omnem operam ſuam in confeſſionibus audiendis adhibeant, ut res alienæ qualitercunque ablatæ, quarum vaga & incerta eſt reſtitutio, ad Eccleſiæ noſtræ Baſilienſis fabricam conſervandam, ordinentur, atque convertantur.

TITULUS VI.

De Executione Citationum, aliorumque Proceſſuum, & Mandatorum, a Nobis, vel Curia noſtra emanantium.

Mandata fideliter cum manſuetudine publicentur.

Curati citationes, monitiones, aliosque proceſſus, & mandata a Nobis, vel Curia noſtra emanantia prompte recipiant, fideliterque & conſtanter exequantur, publicentque diligenter, non parcendo propter timorem, vel favorem cuiquam, providendo tamen, ut in exequendo humilitate utantur & pietate, ut Patres videantur & non malitioſi.

Mandata aliena examinentur ab Ordinario.

Propter diverſa pericula præcavenda, ne vel fraus, dolus, error, iniquitas committatur, & ne animæ illaqueentur: ſtatuimus, ut Summi Pontificis, aut Metropolitani, aut aliorum, quorumvis mandata nullus exequatur, vel publicet, niſi per Nos fuerint viſa prius, & approbata.

Proceſſuum Executio poſt Latoris abitum fiat.

Curati, poſtquam literas a Nobis, vel Curia noſtra exequendas receperint, illi parti, contra quam executio eſt fienda, non notificent, nec ad executionem procedant, nec alicui de hoc quicquam dicant, vel ſignificent, donec Lator eorundem literarum tam longe receſſerit, quod ei veriſimile ſit, non poſſe aliquod periculum imminere, vel violentia aliqua inferri: ita tamen, quod ipſi Curati hujusmodi literas die Dominica proxima poſt receptionem ſequenti, exequi non differant.

Abſente aliquo Curato, vicinior Plebanus, vel Rector accipiat Proceſſus a Latore.

Lator literarum, ſi Curatum aliquem domi reperire non poſſit, ut ei mandata tradat, proximus Rector, vel Plebanus proceſſus a Latore benigne zelo juſtitiæ recipiat, & ad eum, qui abſens fuit, mittat: ille vero poſtquam acceperit, nequaquam Sacerdotem vicinum, qui ei miſit, aut tradidit, manifeſtet, ſed fideliter publicet, ſicuti verus amator pacis & charitatis.

Executio Mandatorum & Proceſſuum quorumcunque quomodo ſit ſcribenda.

Curati in executione mandatorum, vel literarum originalium, & ſigillatarum, diem, menſem, annum, nomen exequentis, & locum executionis a tergo literarum apponant; ſic videlicet ſcribendo ſua propria manu: *Executa eſt hæc citatio, vel hoc mandatum per me N. Plebanum Eccleſiæ in N.* (Nomen & cognomen ſuum, & Eccleſiæ exprimendo) *Anno intra ſcripto, die tali, menſis talis;* ut de hujusmodi executione legitima fides fiat.

Abſentia, vel impedimentum eorum, contra quos agitur, Procuratori, qui literas emiſit, ſignificetur.

Curati, ſi literas citatorias, ſeu monitorias, vel aliorum Proceſſuum a Nobis, vel Curia noſtra emanantes receperint, & citandus, vel monendus forſitan abſens fuerit, ſeu alio legitimo impedimento detentus, ita, quod executio ſibi fieri non poſſit, nec ipſe in termino valeat comparere; hujusmodi abſentiam, vel impedimentum Procuratori, qui tales lite-

literas emisit (quamprimum commode poterit) ante expirationem termini, priusquam ad ulteriora procedatur, fideliter notificet, ne actor frustratoriis expensis gravetur, & reus indebite molestetur. Quod si Curati hoc statutum non servaverint, eos pœna debita puniemus.

Citationes extra Diœcesin non exequantur Curati.

Curati non exequantur literas citatorias, a quibuscunque Judicibus emanaverint, ad citandum aliquem extra nostram Diœcesin, vel ad excommunicandum illos, quos judices hujusmodi contumaces reputaverint, nisi ipsis de voluntate nostra, vel Officialis nostri literatorie constiterit, ad obviandum abusibus, qui circa hæc committuntur.

Ante interdictum præmoneantur, vel avisentur Domini temporales.

Curati, cum receperint monitorium interdicti exequendum contra aliquem excommunicatum, præmoneant, avisent, & requirant Dominos temporales illius excommunicati, aut Officiales, & Præfectos temporales illius loci, in quo talis excommunicatus habitat, ut illum infra certum terminum, (quindecim scilicet dierum, quem statuere debebunt) compellant suo satisfacere creditori, aut ipsum extra Parochiam abire cogant, cum avisatione expressa si Officiales ipsi prædicta non fecerint, quod tempore suo a Divinis cessabunt, & Ecclesiasticum interdictum observabunt.

Processus sibi contrarii remittantur.

Curati, quibus simul præsentabuntur literæ excommunicatoriæ pro una parte, & literæ exspectatoriæ pro altera parte de eadem data, neutras illarum exequantur, sed remittant partes ad Officiales nostros, assignando eisdem certum diem competentem ad recipiendum declarationem juris super prædictis.

Excommunicatio Sacerdotis in sua Ecclesia denuncietur.

Curati, postquam eis mandatur, ut alium Curatum, vel Beneficiatum quempiam, vel Sacerdotem denuncient excommunicatum, mandatum istud in Ecclesia ejusdem Curati, vel Sacerdotis excommunicandi publicent, & nihilominus Decano illius Curati notificent; ut idem Decanus eundem suis confratribus significet esse excommunicatum.

TITULUS VII.

De Renunciatione Beneficiorum.

Beneficiorum Resignatio fiat in manus Ordinarii.

Prohibemus universis Beneficiatis, ne beneficia sua aliter permutent, dimittant, seu resignent, quam in manus nostras, seu Vicarii nostri, vel Superioris super hoc potestatem habentis: nec illa alias relinquant absque Nostra, vel Vicarii nostri, vel Superioris potestatem habentis licentia. Quod si secus factum fuerit, ad hujusmodi resignata & dimissa beneficia nullus admittatur, nisi forte ex rationabili causa tales resignationes per Nos, aut Vicarium nostrum approbarentur.

TITULUS VIII.

De Temporibus Ordinationum.

Beneficiati ad Ordines astricti proxima Angaria illos suscipiant.

Ut pia desideria tam vivorum, quam mortuorum, cultum Divinum augmentari desiderantium, effectu debito non fraudentur: statuimus, ut præsentati & præsentandi deinceps, & instituti, & instituendi ad beneficia, quæ de jure, aut consuetudine, vel ex fundatione certum ordinem requirunt, illum in proximis statutis temporibus sine mora longiori recipiant: alioquin Nos ad præsentationem, ac collationem Beneficiorum (prout justitia exigit) procedemus. Quod si Patroni in mora fuerint, Nos ipsi talibus Beneficiis curabimus provideri.

TITULUS IX.

De Filiis Presbyterorum, & aliis illegitime natis.

Illegitimi Dispensationes suas ostendant.

Universi defectum natalium in nostra Diœcesi patientes, qui Beneficia Ecclesiastica obtinent in eadem, Nos, vel Vicarium nostrum de suis dispensationibus super hujusmodi defectu certiores reddant: alioquin hujusmodi beneficiorum fructus non percipiant, sed sub arresto firmo per Decanum custodiri demanden-

mandentur, donec præmissa adimpleverint.

TITULUS X.

De officio Conservatorum, & Judicum delegatorum.

Conservatores facultatem suam non excedant.

Quia Conservatores jurium & privilegiorum a Sede Apostolica, seu Conciliis Generalibus per nostram Diœcesin deputati, sæpe numero suæ jurisdictionis metas excedunt; citationes, monitiones, excommunicationes, aliosque processus plerumque emittendo contra eos, contra quos literarum conservatoriarum vigore nullam penitus jurisdictionem receperunt (per quod subditi nostræ Diœcesis indebite molestantur, & ad graves expensas & damna perducuntur) statuimus, & Conservatoribus per Civitatem & Diœcesim nostram constitutis, districte præcipiendo mandamus, ut literas conservatorias ad ipsos directas diligenter & mature respiciant, nec citationes, seu alios processus contra quemquam decernant, aut emitti faciant, nisi contra talem, virtute literarum conservatorialium, jurisdictio plane eis competat: alioquin se sciant taliter indebite molestato, ad expensas, damna, & interesse in districto Dei judicio teneri. Tales etiam Judices delegatos, seu subdelegatos, ne rescriptorum fines excedant, neve civitates, oppida, & villas minus juste Ecclesiastico subjiciant interdicto, monemus, & hortamur, eosque ad decretalem Extravagantem, quæ incipit: *Provide attendentes*, remittimus.

TITULUS XI.

De Majoritate & Obedientia.

Nullus intersit deliberationi contra personam Episcopi, aut sua jura.

Prohibemus districte, ne quisquam Clericorum Nobis subjectorum, cuicunque Congregationi, Capitulo, aut Conventiculo, in quo quicquam in præjudicium status & honoris nostri, seu Successorum nostrorum, aut Jurium Episcopalium tractatur, seu tractari contigerit, interesse præsumat, dando consilium, auxilium, vel favorem scienter & dolose. Secus autem faciens, nostram incurrat indignationem, ultra pœnam alias sibi per Nos, seu Vicarium, vel Officialem nostros infligendam.

Contra Episcopi, aut Prælati sui jurisdictionem nullus Clericorum opem sæcularem imploret.

Præterea districte prohibemus, ne de cætero quæcunque Ecclesiastica, Civitatis & Diœcesis nostræ persona, Nobis subjecta, laicale civilegium, Dominorum aut Præfectorum temporalium opem, auxilium, subsidium, aut defensionem contra Nos, aut jurisdictionem nostram, vel alios suos ordinarios Superiores, qualitercunque invocet, assumat, aut sibi procuret: neque ab aliis impetratis, aut sponte oblatis utatur: ut si Magnates, aut eorum Præfecti sæculares, motu proprio de facto, contra omnem juris dispositionem personas Ecclesiasticas contra suorum Superiorum obedientiam defensare, & manutenere, ipsorumque spiritualium Prælatorum; & Judicum ordinariam auctoritatem & jurisdictionem impedire, diminuere, vel labefactare conarentur: contrarium facientes nostræ Diœcesis Clerici, eo ipso suspensionis sententiæ subjaceant, sciantque se excommunicationis pœnæ innodandos, &, ut ab omnibus evitentur, publice denuntiandos: nihilominus pœnæ decem aureorum Rhenensium Cameræ nostræ persolvendorum obnoxii erunt & astricti, quamvis secundum justissimas Summorum Pontificum sententias sacratissimis Canonibus insertas, graviorem pœnam mereantur. Per hoc tamen præsens legitimum & canonicum statutum non prohibemus, quin laici ex amicitia & pacis amore pro justitia, vel gratia facilius obtinenda, ipsis Clericis ad consultandum, vel intercedendum coram eorum ordinariis Judicibus assistere possint.

Honor Prælatis impendatur.

Quoniam Ordo Ecclesiasticus confunditur, cum unicuique honor debitus nequaquam impenditur; sancimus, ut in quibuslibet Ecclesiis, nostra Cathedrali, & Collegiatis, cæterisque, in quibus membra sunt sub aliquo capite, antiquæ honestæ, & approbatæ in exhibenda reverentia, consuetudines observentur: ut scilicet Prælatis in assurgendo, in licitis eorum mandatis obtemperando, & secundum alias eorum prærogativas illis

illis deferendo, debitus honor & condigna obedientia (cum fint Ecclefiarum Capita) tam a Canonicis, quam aliis Presbyteris impendatur. Rurales vero Sacerdotes omnes, fuis Decanis, & Camerariis debitam reverentiam impendant: alioquin transgreffores juxta demerita fua faciemus caftigari.

TITULUS XII.

De Judiciis.

Dubia Matrimonia remittantur ad Officialem.

Quia caufæ matrimoniales cum dependentibus & connexis, per eos, qui judicandi poteftatem habent, & Canonum ftatuta non ignorant, tractari, & definiri debent; ftatuimus, ut unusquisque Curatus fubditos fuos fpecifice moneat, ut fuper ambiguitate matrimoniorum, quam habent, fi jure fubfiftant, infra unius menfis fpatium pro declaratione decifionis recipienda, coram Officiali noftro compareant, fententiam ejus fuper illis petant, ac caufam (quantum in eis eft) ufque ad finem profequantur. Quod fi taliter moniti infra dicti menfis fpatium facere contempferint, ipfis in vita Ecclefiaftica denegentur Sacramenta, & morientes (nifi peccata fua confeffi fuerint) Chriftiana careant fepultura.

Nullus fe de decifione Matrimoniorum judiciali intromittat.

Univerfis fubditis noftris tam Clericis, quam Laicis inhibemus, ne de examinatione, cognitione, vel decifione judiciali quarumcunque caufarum matrimonialium, fe fe, aut aliarum quarumlibet de jure, vel de confuetudine ad forum Ecclefiafticum fpectantium intromittant: fecus autem facientes, fententiæ excommunicationis innodentur.

TITULUS XIII.

De Foro competenti.

Nullus Clericorum coram judicio fæculari compareat.

Interdicimus univerfis, ne quisquam de noftra Diœcefi Clericum ad judicia laicalia, vel fecularia fub excommunicationis pœna trahat, nec Clerici hujusmodi judicia fubeant, aut aliquatenus ibidem refpondeant, etiam ad cujuscunque inftantiam, fub pœna juris, & alia pœna arbitraria, ipfis per Nos, & Officiales noftros infligenda; per hoc tamen ftatutum caufis feudalibus, & curiis Dominicalibus nolumus derogari.

Beneficiati fuorum Beneficiorum caufas, alibi non præfumant tractare, quam in Curia noftra.

TITULUS XIV.

De Probationibus.

Sententiæ in caufa matrimoniali non credatur, nifi figillatæ.

Curati fubditis fuis, afferentibus fe in Curia noftra fententias pro vel contra matrimonium obtinuiffe, nullatenus credant, nifi litteras figillo Curiæ noftræ figillatas fuper hujusmodi fententiis eis exhibeant. Quod fi contigerit, Curatum hujusmodi fententiarum prolationi in Curia noftra intereffe; nihilominus volumus, ut ipfe fubditum fuum, pro quo, feu contra quem fententia hujusmodi lata eft, inducat, ne fine fententia figillata recedat, fed eandem fecum recipiat.

Matrimonium clandeftinum prohibeatur, & copula carnalis ante nuptias. &c.

Curati fubditos fuos fideliter admoneant, ne clandeftine matrimonium contrahant, nec poft contractum ante folennifationem in facie Ecclefiæ (quam trina præcedat proclamatio) carnaliter fe cognofcant. Primas folum nuptias benedicant. Mulieres, quæ ex concubinatu pepererunt, folenniter ad purificationem non admittant. Mulieres maritatas, ne abfque confenfu virorum, caftitatis, aut aliud votum emittant, paterne adhortentur.

TITULUS XV.

De vita, & honeftate, & veftitu Clericorum.

Impræfentiarum Clericos appellari volumus omnes in majoribus vel minoribus Ordinibus conftitutos.

Clerici laicos fcientia & virtutibus excellant.

Quia viliffimus eft reputandus, qui alios dignitate præcellit & honore, nifi fcientia & fanctitate fit præftantior: curent Clerici, qui omnes Chrifti funt famuli, ut, ficut laicos gradu & profeffione antecedunt, ita fcientia, bonorum operum actione, virtutibus, & morum hone-

honeſtate illos præcellant: ut oſtendant in ſemetipſis, qualiter oporteat laicos in Eccleſia Catholica, quæ Domus DEI eſt, converſari.

Quomodo Horæ ſunt pſallendæ abſque confabulationibus.

Quoniam iniquum eſt, ut tempore, quo Divina celebrantur Officia, Canonici, aliique Clerici ad Divinum cultum deputati, quorum officium eſt Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus intendere, confabulationes, aliaque inter ſe habeant colloquia, Divinum cultum perturbantia; Hortamur, ut Canonici, & alii Clerici in conſcientiæ puritate, & animæ devotione, quantum DEUS dederit, pſallant, Horasque Canonicas legant, non ſyncopando, nec colloquia alia vana intermiſcendo. Quod ſi aliqui eorum tempore Divinorum confabulationes vanas in choro habuerint, a præſentiis & diſtributione quotidiana per unum diem irremiſſibiliter ſuſpendantur, & alias ad arbitrium Decani, aut ejus, ad quem in choro ſpectat eorum correctio, puniantur. Quod ſi tales in correctione hujusmodi negligentes extiterint, eidem ſe noverint pœnæ ſubjacere, ſeu pœna arbitraria per Superiores decernenda plectantur.

Tempore Divinorum nemo in templo ſpatietur, vel deambulet, nec in religione forum accedat.

Canonici, cæterique Clerici, tempore Divinorum per Eccleſiam cum laicis, vel aliis Clericis deambulare non præſumant: neque, ſicut hactenus in certis noſtræ Diœceſis Eccleſiis Collegiatis ſæpe factum eſſe intelleximus, tempore Divinorum in ſuperpelliciis forum accedant, cauſa emendi ibidem ova, vel caſeos, ſeu alia comeſtibilia, aut res quascunque: ſed eodem potius tempore Eccleſiæ, & Choro interſint Divinis laudibus ſtudioſe inſiſtendo. Si contrarium fecerint, pœnæ ſubjaceant proximo ſtatuto expreſſæ; eidemque pœnæ ſubjaceat Decanus, ſeu alius, ad quem correctio illius excedentis pertinet, ſi in corrigendo negligens extiterit. Si vero quempiam ipſorum tempore Divinorum ex rationabili cauſa in foro eſſe oporteat; petita licentia, illuc prodeat ſine tamen ſuperpellicio.

Veſtes ſint talares & honeſtæ juxta ſtatum. Arma non deferantur.

Præcipimus, ut Clerici noſtrarum Civitatis & Diœceſis in plateis, & præcipue in Eccleſiis, veſtes longas ſtatui Clericali convenientes, non ſericas, rubeas, aut virides, nec de vario ſerico, aut rubeo ſubductas, nec deſuper ab extra replicas foderatas habentes, nec circa pectora apertas, & cum zona magna (ut quidam hactenus ſoliti fuerunt deferre) conſtrictas; nec manicas nimis longas & latas habentes, de cætero geſtare præſumant: nec armati incedant, aut gladios, pugiones, vel cultellos longos (excepta peregrinatione) portent. Contra facientes, Decani, & Camerarii corripiant: Et, ſi aliqui eis obedire contempſerint, illos Officialibus noſtris denuncient. Canonicos tamen Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, & Doctores, ſeu Licentiatos, propter Eccleſiæ decorem, & gradus prærogativam ſub hoc ſtatuto nolumus comprehendi: dummodo veſtes eorum alioquin in longitudine, & aliis qualitatibus ſint decentes, eorundemque ſtatui convenientes.

Pallia aperta non deferantur.

Clerici mantellos ante apertos & ſciſſos, & alias undique clauſos, & circa collum cum magna zona conſtrictos, aut ab una parte in toto clauſos, & alia parte in ſcapula apertos, & uſque ad fimbriam ſciſſos, taliter quod indumenta, quæ ſub illis geruntur, videri poſſint, non deferant.

Diploides ſint clauſæ, & alte cervicem circumtegentes.

Clerici diploides, ſeu bombaſia vulgariter nuncupata, cum manicis vix cubitum brachiorum tegentibus, non deferant. Colleria etiam bombaſiorum in bona ſint altitudine, & non adeo depreſſa, ut collum ante & retro omnino nudum apparere poſſit: neque in colleriis hujusmodi phibulas, aut circulos argenteos, ſeu alterius metalli, vel materiæ habere præſumant.

Caputia ſint honeſta, & illorum caudæ nequaquam ſericæ.

Volumus etiam, ne de cætero Sacerdotes, & alii noſtræ Civitatis & Diœceſis

cesis Clerici capucipendia deferant serica vel lanea: sed caputia habeant decentia & caudata: & illa præcipue in civitatibus & oppidis, & alias in celebratione Capitulorum, & Anniversariorum deferant.

Inhibemus etiam, ne Clerici imposterum birreta cornuta instar laicorum in publico gerant: sed honestati Clericali congruentibus (prout hactenus consuetum fuit) utantur. Alioquin ipsi transgressores ad unius mensis spatium a beneficiorum suorum fructibus noverint se suspensos, quorum quidem fructuum dispositionem ad pias causas Nobis reservamus. Non Beneficiati vero pœna arbitraria punientur.

Almutiis sub Divinis Officiis nemo careat; & Capitula sub Divinis absque urgenti necessitate non habeantur.

Clerici Ecclesiarum, in quibus almutiorum usus habetur, Missis, & aliis Divinis Officiis, ac etiam Processionibus pro tempore peragendis, cum almutiis hujusmodi intersint, secundum cujuslibet Ecclesiæ consuetudinem, sub pœna privationis distributionum, tam præsentiarum, quam quotidianæ illius diei, quotiescunque negligentia hujusmodi committatur. Sub eadem pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus deinceps tempore Divinorum nulli generales tractatus, seu actus capitulares in nostra Cathedrali, aut aliis quibuscunque Ecclesiis fieri debeant, aut haberi: nisi id propter aliquam rationabilem causam in aliud congruum tempus differri non posset.

Superpellicia sub Officio Divino induantur.

Clerici Beneficiati, Horis Divinis in Ecclesiis, in quibus Beneficiati existunt, nisi superpelliciati, non intersint, nec alias in ipsis Ecclesiis absque superpelliciis incedant sub Divinis: alias in Ecclesiis Collegiatis, præsentiis, & distributione illius diei quotidiana careant; In aliis autem non Collegiatis, juxta Decani, & Camerarii, seu Rectoris arbitrium puniantur.

Annuli non deferantur, nisi a Prælatis & Doctoribus.

Clerici annulos in digitis non deferant, nisi quibus ex officio dignitatis, vel gradus prærogativa competit illis uti.

Calcei sint decentes.

Clerici calceos, seu sotulares inhonestos & indecentes non deferant, nec in illis aliquas novitates quærant: sed bonos & simplices modos observent, absque rostris, replicis, aut nimia & deformi obtusitate: sint etiam per pedum tabulata lati, non solas pedicas, sive pedum digitos, more bellivagorum, sed totum pedem contegentes.

Ne ludis Clerici intersint, præsertim in præsentia Laicorum.

Quia non absque gravi displicentia percepimus, quod plerique nostrarum Civitatis & Diœcesis Presbyteri, dum ad Nobilium, & aliarum personarum exequias pro Divinis celebrandis vocantur, plurimum inhoneste se habeant in ludis & ebrietatibus, ita, quod aliqui ex eis nonnunquam per totas noctes sedendo ludunt: alii ex crapula, vel ebrietate vomitum faciunt, per totamque noctem in scamnis dormiunt, aliasque notabiliter excedunt, in dedecus, in ignominiam, & contemptum status Ecclesiastici, & scandalum plurimorum: districte præcipimus, ne Clerici sic vocati, & alii quicunque, ludis taxillorum, chartarum, vel aliis enormibus, & turpissimis actibus insistant ullo unquam tempore, & præcipue in tabernis & stubis laicorum: mandantes Decanis, Camerariis, & aliis Juratis, ut contra hoc statutum excedentes, & per eos correctos, & non desistentes, Fiscali nostro denuncient emendandos, præcipuum habendo respectum ad eos, qui in defunctorum exequiis contra præmissa excedunt, ut illos mox denuncient.

Ne comas Clerici nutriant.

Plerique Clerici beneficiati, & alii in sacris Ordinibus per nostram Diœcesin constituti, hactenus non veriti fuerunt capillos, seu comas nimis longas nutrire, & diversis practicis, sive calamistratura in colore & crispatione alterare: prohibemus districte, ne id de cætero per quemquam eorum fiat, sed comas in decenti brevitate, & tonsuram ordini suo convenientem deferant: quam quidem tonsuram congruis temporibus fieri, coronam quoque, & barbam radi procurent.

Tibiæ ſub Divinis ſint amictæ.

Clerici, præcipue dum celebrant, dumque in oppidis & civitatibus exiſtunt, diſcoopertis tibiis non incedant, ſed caligis, vel aliis tibiarum indumentis Clericali ſtatui convenientibus utantur, ad tegendam crurium nuditatem, honeſtis Sacerdotibus, immo quibuslibet gravibus viris indecoram.

Choreæ in primitiis non fiant, nec locis Deo ſacris.

Clerici in eorum primitiis, & laicorum nuptiis, a choreis, cæterisque vanis ſpectaculis abſtineant: nec in eorum Eccleſiis, ſeu cœmiteriis choreas ac ludos (præterquam repræſentationes Dei & Sanctorum) neque negotiationes mercantiarum, & nundinarum, nec judiciorum ſæcularium ſtrepitus, in locis illis Deo ſacris fieri permittant.

Beneficiati, & Sacris initiati, utrique ad Horas tenentur Canonicas.

Clerici omnes in Sacris conſtituti, & etiam nondum conſtituti in Sacris, dummodo Beneficiati fuerint, tenentur quotidie Horas dicere Canonicas, juxta regulas & traditiones primariæ Eccleſiæ noſtræ Baſilienſis, ſalvis ſuarum Eccleſiarum & Præbendarum Patrociniis, atque Dedicationibus.

In Templo ſervetur gravitas abſque tumultu, aut ſeditione.

Clerici caveant, ne in Eccleſiis ſeditiones excitent, vel clamores moveant: ſed in illis devote & graviter ſe habeant: memores domum Domini domum orationis eſſe, & Sanctitudinem illam decere.

Clerici non ſint Laicorum Diſpenſatores, aut Oeconomi.

Clerici non exerceant, aut gerant officia Dominorum temporalium, propter quæ teneantur ipſis reddere rationem: alioquin non juvabunt eos privilegia, & beneficia juris, adverſus tales Dominos, ſi arreſtentur & detineantur ab ipſis in perſona; aut ſi eorum bona occupari contigerit pro ratione reddenda, & ſolutione debiti facienda.

Clerici ne ſint hoſpites, aut mercatores.

Clerici non teneant tabernas, non ſint mercatores, nec commercia, ſeu negotiationes exerceant, emendo blada, vina, equos, aut res alias quascunque pro viliori pretio, ut poſtea carius vendant. Si vero aliqui fuerint Clerici, quibus ſuorum Beneficiorum redditus non ſufficiunt; hi ex artificio honeſto, ut puta libros ſcribendo, conglutinando, aut notando, vel ſimilia faciendo, victum ſibi quærere poterunt.

Clerici in Curia ſæculari ne poſtulent.

Clerici non exerceant Advocationis, vel Procurationis officium coram Judice ſæculari, niſi pro cauſa ſua, vel ſuæ Eccleſiæ, aut ſuorum conjunctorum, vel miſerabilium perſonarum.

Clerici nihil agant in cauſa ſanguinis: Medicinam non exerceant, nec venationem clamoſam.

Clerici de cauſis ſanguinis, arte chirurgiæ & medicinæ ſe nullatenus intromittant, venationemque clamoſam non exerceant, ut ei placeant, cui militare decreverunt.

Beneficiis ſatisfiat, & eorum redditus conſerventur.

Clerici beneficiati onera Beneficiis ſuis incumbentia tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ſupportent, & adimpleant, jura, redditus & bona ipſorum diligenter conſervando.

Clerici in manibus Laici ne dent fidem.

Clerici in manu Laici fidem non præſtent, neque promittant, nec coram judice laico jurent, vel teſtimonium perhibeant absque Noſtra, vel Vicarii noſtri licentia ſpeciali, literatorie (prout moris eſt) obtenta.

Contra Superiores nulla fiat conſpiratio.

Clerici nullam contra ſuos Superiores, aut ſe invicem ineant colligationem, confœderationem, ſeu conſpirationem, ſuper quacunque re.

Spolia non emantur a Clericis.

Clerici res per prædas, & ſpolia captas emere, ſeu comparare non præſumant, alioquin tantundem fabricæ noſtræ Eccleſiæ perſolvere teneantur: & alias per Nos, aut Officiales noſtros arbitraliter venient puniendi.

Peri-

Periculosissimus concubinatus omni jure ab Episcopis prohiberi potest, atque castigari.

Clerici caste, continenter, & pudice vivant: non habeant in domibus suis fœminas, quarum vita & conversatio suspecta sit de incontinentia; ut in conspectu Omnipotentis DEI, puro & casto corpore, ac mundo corde ministrare valeant, ne populo scandala præbeant: ne ficte & simulate confiteantur: ne nunquam vere contriti a Deo (qui corda inspicit) judicentur; ne indigne ad Summum Sacrificium accedant: ne in peccato mortali celebrent: ne per indignæ celebrationis assiduitatem excæcati, infeliciter tandem moriantur. Quod si quis forsitan omnem honestatem a se abjecerit, omnem pudorem amiserit, infamiam propriam & Sacerdotii maculam non curaverit, sacrilegium & abusum patrimonii Christi pauperibus debiti non abhorruerit, indignam celebrationem pro nihilo duxerit, Divinam justitiam parvi penderit, levem creaturam plus, quam Creatorem & Redemptorem suum pro se crucifixum dilexerit, transitoriam voluptatem sempiternis gaudiis proposuerit, adeo, ut omnibus his retrahi non possit, quo minus infamem concubinam publice domi foveat, illi tanquam uxori maritus cohabitet, ex ea proles suscipiat, vicinos & proximos scandalizet: ille certo sciat, ex auctoritate Sacrorum Canonum, ex vi Sanctissimorum Conciliorum, & ex Constitutionibus Provincialibus & Synodalibus, (si monitus non destiterit) usque ad suspensionis & excommunicationis sententiam, imo usque ad privationis pœnam justissime contra se procedi posse.

TITULUS XVI.

De Clericis non residentibus.

In Beneficiis residentiam requirentibus fiat residentia.

Cum ad hoc Ecclesiastica Beneficia sint deputata, ut in eis ad serviendum Altissimo tales assumantur, qui per se ipsos possunt & volunt eorum curam exercere: statuimus, ut quilibet intra Civitatem & Diœcesin nostras Beneficiatus, cujuscunque status, ordinis, vel conditionis extiterit, cujus Beneficium residentiam personalem de jure statuto, vel consuetudine requirit, in illo infra proximos duos menses personaliter residere incipiat: & deinde, quamdiu beneficium hujusmodi obtinuerit, talem residentiam faciat: alioquin (servato juris ordine) privetur, nisi expressam super hoc a Nobis, vel Vicario nostro licentiam obtinuerit.

TITULUS XVII.

De congrua Portione.

Competentia assignetur.

Cum non debeat bovis os ligari triturantis, Sacris jubentibus Canonibus: universos & singulos Prælatos, & alios quoscunque Civitatis & Diœcesis nostrarum, in Domino exhortamur: ut Ecclesiarum ipsis, & eorum mensis unitarum & incorporatarum Vicariis de Præbendis congruis, unde decenter sustentari, jura Episcopalia & Capitularia solvere, hospitalitatem tenere, & alia incumbentia onera supportare valeant (prout de jure tenentur) provideant: alioquin sicut jure & æquitate astringimur, eis negligentibus, ad Præbendarum hujusmodi deputationem (servatis servandis) procedere non omittemus. Omnes etiam & singulas promissiones, obligationes, chirographo, vel jurejurando, aut quacunque renunciatione firmatas, quæ in contrarium faciunt, per hanc nostram constitutionem cassantes, nulliusque prorsus momenti fore decernentes.

TITULUS XVIII.

De Institutionibus.

Dispensationes super incompatibilibus infra mensem Episcopo, vel Vicario exhibeantur.

Statuimus, quod habentes plures Ecclesias curatas, seu alia Beneficia incompatibilia, de suis dispensationibus (quarum auctoritate illa habere prætendunt) nec non de titulis suis ad eadem, infra unius mensis spatium, a præsentium publicatione computando, coram Nobis, vel Vicario nostro legitime, & sub pœnis juris doceant. Similiter hi, qui deinceps talia incompatibilia assecuti fuerint, per Decanos, seu Camerarios, nullatenus in eorundem possessionem mit-

mittantur, nisi prius tales cum eorum dispensationibus, & titulis Nobis, vel Vicario nostro remiserint: alioquin contra hujusmodi obtinentes procedemus, prout Sacrorum Canonum justa severitas exigere videtur.

TITULUS XIX.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

Beneficiorum bona ne alienentur.

Curati, & alii Beneficiati non præsumant alienare, obligare, aut in pignus vel hypothecam dare jura, census, & bona suæ Ecclesiæ, & Præbendæ, quæcunque sint, mobilia, vel immobilia, Nobis inconsultis, & forma juris non servata: alias irrita sint per eos gesta: transgressores quoque pœna condigna per Nos punientur.

Beneficia non conferantur sub pacto, neque a Laicis sic recipiantur.

Nullus Clericorum a Patrono laico præsentationem, ad quodcunque Beneficium accipiat sub pacto, ut partem decimarum, vel aliarum obventionum ipsarum Ecclesiarum, aut Beneficiorum, in quibus jus obtinet Patronatus, sibi Patronus ille retineat. Qui vero cæca cupiditate ducti taliter a Patronis præsentationem receperint, officio, beneficioque priventur. Nec ad Beneficium, aut actus Ecclesiasticos admittantur, nisi per Sedem Apostolicam cum eis fuerit dispensatum.

Beneficiorum bona conscribantur.

Quoniam ex negligentia sæpe Beneficiorum bona distrahuntur: statuimus, ut ornamenta, & libri Ecclesiarum, & Beneficiorum, eorumque redditus, & prædia, quæ & qualia sint, sub sigillo Prælati, & Capituli plenissime conscribantur.

Advocati Ecclesiarum antiquo suo jure sint contenti.

Constituimus etiam, ut cuncti Ecclesiarum Advocati, cujuscunque status sint, vel præeminentiæ, juribus illis sint contenti, quæ ipsis, seu eorum antecessoribus concessa fuerunt tempore, quo Advocatiam hujusmodi susceperunt: & Ecclesias, quarum Advocati existunt, defensare studeant, & pro posse manutenere.

TITULUS XX.

De Decimis.

Religiosi & sæculares Sacerdotes ad Decimas præstandas populum inducant.

Quoniam in plerisque locis nostræ Diœcesis laici temere quamcunque denegant Sacerdotibus solvere Decimam fructuum: declaramus de omni fructu terræ, quocunque nomine nominetur; similiter etiam de apibus & animalibus decimam Ecclesiæ Parochiali esse persolvendam: volentes, ut tam Religiosi, quam sæculares Presbyteri, in suis sermonibus & confessionibus populum ad hujusmodi decimas libere, & integre persolvendas inducant, ostendendo ipsis, quomodo de Jure Divino & humano ad hoc teneantur, & quam multa mala propter non solutionem decimarum perveniant. Hortamur tamen, ne Sacerdotes decimas exigendo minutas, & subditi illas denegando, ex radice cupiditatis, sive avaritiæ procedant; sed eas solvere animo semper parati existant.

TITULUS XXI.

De Testamentis.

Testamenta non exequentes denuncientur.

Curati studeant, Nobis, aut Procuratori nostro fiscali intimare, si aliqui ex eorum Parochianis, aut Sacerdotibus, qui ab hoc Sæculo decesserunt, condiderint testamenta, quorum Executores negligentes existant; ut pro defuncti testatoris salute officium nostrum intendere valeamus. Nam secundum piissimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates, Episcopali decens est studio adimpleri, & ipsos Executores de sua legali executione facta Nobis rationem reddere, Nosque illos super hoc quietare expedit, & æquitas requirit.

Laici Sacerdotum testamenta ne impediant.

Moneantur etiam Laici, sive privatæ, sive publicæ sint personæ, ne ultimas Sacerdotum, & quorumlibet Beneficiatorum voluntates, atque legitima testamenta, contra omnem legem cassare, vel impedire attentent: ne graves juris sententias, & Divinam offensam incidant, cum animarum suarum periculo sempiterno.

TITU-

TITULUS XXII.

De Celebratione Missarum.

Ante Offertorium, Missam non celebrent Capellani contra voluntatem Rectoris.

Statuimus, ut in Ecclesiis Parochialibus, Capellani in diebus Dominicis, & summis quatuor Festivitatibus Missas ante Offertorium publice non dicant, seu legant: nisi illud ex aliqua justa causa, & de consensu Curatorum fiat.

In primitiis non fiant tumultuosa convivia, & turpes choreæ.

Nullus novorum Sacerdotum die, qua primum Missæ Sacrificium celebrabit, publicum convivium faciat: nec ad illud tanquam ad sæculares nuptias aliquos invitet, aut invitari procuret: ut illa potissimum die puris cogitationibus, & devotione sincera Domino DEO inhærere possit, cujus militiæ & servitio voluit adscribi. Dignum enim est, ut mens ejus libera sit a curis & solicitudinibus temporalium, quibus etiam laicorum mentes distrahuntur. Et merito novus Sacerdos, officium suum feliciter inchoare sperans, abstinet a tam populosis conviviis, quæ vanis spectaculis, histrionum obscœnitatibus, aliisque impuris tumultibus, & chorearum insolentiis raro, vel nunquam carere videntur. Solent enim histriones & tibicines, cæteræque leves & obscœnæ personæ ad hujusmodi cœnas irrumpere, etiam non vocatæ. Si vero quisquam ante, vel post primitias, octo dierum intervallo, honestam amicorum convocationem habere voluerit, absque histrionum tumultibus, & chorearum turpitudine, fieri nequaquam prohibemus.

Symbolum finiatur absque melodia validorum Mendicantium.

In Missis, quæ sub nota cantantur, Symbolum Nycenum non obtruncetur, sed integre, mature, & honeste (præsertim in Cathedrali nostra, & Collegiatis Ecclesiis) ad finem decantetur; omissa prorsus illa melodia, quæ more agrestis & sæcularis cantilenæ psallitur; qua uti solent peregrini & trutanni ad Sanctum Jacobum ambulantes.

Post quas horas & uti celebrandum sit.

Missam celebraturus, Matutinas & Primas ad minus persolvisse debet (excepto Natalis Christi die) corporali lineo & mundissimo utatur, non autem serico vel bombicino: nec in ara enormiter fracta, neque in altari portatili, absque Episcopi, aut Vicarii consensu, Missam legat.

Eucharistia sit in tuta custodia cum Oleo Sancto & Chrismate.

Eucharistiæ Sacramentum, sive Viaticum, in loco honesto & eminenti, ac in pyxide mundissima, atque sacrum Chrisma, & Oleum sanctum (quæ duo notabilem inter se habeant differentiam, & distinctionem) sub diligenti custodia (ut a sacrilegis manibus tuta sint) fideliter conserventur.

TITULUS XXIII.

De Regularibus.

Vota substantialia a Religiosis observentur.

Abbates, Præpositi, Priores, Decani, cæterique Prælati regulares nostræ Diœcesis, Religiosos sibi subjectos, in observantia regulari, aliisque religionis suæ statutis & ordinationibus diligenter instruant: eosque ad eorundem, potissimum autem ad trium votorum substantialium (paupertatis, castitatis, & obedientiæ) observantiam inducant. Sicque in præsidendo suis subditis se regant, & imitabiles exhibeant, ut subditi eorum exemplo, & pia conversatione ædificati, ad meliora indies opera facilius inducantur, atque incitentur.

Religiosi beneficiati, sæcularibus Clericis in obedientia Episcopo, & cæteris Prælatis, ac Officialibus exhibenda, sese conforment.

Religiosi (etiam exempti) qui præsunt Ecclesiis, aut Capellis non exemptis, circa jura Episcopalia, Capitularia, & Parochialia, ratione illarum (quas regunt) Ecclesiarum, aut Capellarum per eos præstanda, & persolvenda, perinde habeantur, tanquam Sacerdotes sæculares: qui etiam Decanis, & Camerariis (in his, quæ ad eorum spectant officium) instar sæcularium obediant Sacerdotum: neque ad aliquod Ecclesiarum regimen admittantur, nisi ex singulari Sedis Apostolicæ privilegio, Nobis perspecto & cognito, facultatem illam sint consecuti,

& tunc de ſuorum Superiorum conſenſu, Epiſcopo ſe ſubjiciant, ac in omnibus, ſicut cæteri ſæculares Clerici, obedientes exiſtant.

TITULUS XXIV.

De Procuratoribus Eccleſiarum.

Eccleſiarum Procuratores annuam reddant rationem.

Quorundam fide dignorum relatione didicimus, quod pro fabricis quam plurimarum Eccleſiarum noſtræ Diœceſis, Procuratores duntaxat laici conſtituantur, qui ad eorum nutum cum pecuniis & rebus fabricæ hujusmodi, absque Curatorum, ſive Plebanorum ſcitu, & conſenſu, propria commoda quærant, ac mercaturas & contractus interdum vitioſos cum illis exerceant, & eas ad alios privatos uſus convertere non formident: nec de receptis per eos, collectis, imburſatis, & geſtis in præſentia Rectorum, vel eorum vicem gerentium (tanquam quorum principaliter intereſt) rationem reddant. Cum autem ex tanto abuſu, Eccleſiarum hujusmodi fabricæ miſerabiliter defraudari poſſent: id profecto & ſubditis, & Eccleſiis periculoſiſſimum eſſe arbitramur. Quamobrem Eccleſiarum indemnitati, & ſubjectorum ſaluti providere cupientes: præſenti conſtitutione ordinamus, ut deinceps cujuslibet Eccleſiæ noſtræ Diœceſis Procuratores, de ſcitu Curati aſſumantur, & qui pro tempore fuerint, hujusmodi Procurationis officia, citra eorum privata commoda fideliter exerceant, ac utilitatem Eccleſiæ promoveant, rationemque de ſingulis per eos levatis, collectis, diſtributis, actis, & factis, in præſentia ipſius Rectoris, vel vicem ipſius tenentis, coram his, qui ad hoc ſunt deputati, ad minus ſemel in anno tempore conſueto rationem faciant, prout de hoc in extremo judicio reſpondere velint. Qui autem hujusmodi noſtro ſtatuto inobedientes fuerint, per eorum Curatos primum benigne & amice requirantur. Quod ſi nec tunc obedierint, publice in cancellis coram populo moneantur. Et, ſi nec tunc quidem obtemperare velint, Nobis, vel Vicario, aut Officiali noſtro denuncientur, qui eos propterea excommunicationi innodabunt, prævia tamen quindecim dierum monitione.

Libros & Ornamenta Procuratores diſponant.

Procuratores Eccleſiarum, in Eccleſiis defectus librorum ad cultum Divinum neceſſariorum, & aliorum ornamentorum, ſecundum Eccleſiarum facultatem procurent, & ne deſint, provideant. Quod ſi negligentes extiterint, & per ejusdem Capituli Decanum requiſiti, emendare noluerint, Nobis, vel Vicario noſtro, aut Officiali noſtro denuncientur.

Æditiuus tempore Divinorum ſuperpellicio induatur.

Procuratores Eccleſiarum de cætero Sacriſtam habilem & idoneum cum Rectoris, vel ejus vicem gerentis conſenſu recipiant, qui Curato Eccleſiæ circa Divinum Officium in omnibus obediat, & Divinorum tempore ſuperpellicio utatur: quod quidem ſuperpellicium fabricæ, aut ſubditorum expenſis diſponatur, & ordinetur.

TITULUS XXV.

De Judæis.

Judæis nemo ſerviat, nec domos locet, præcipue uſurariis.

Quia indignum eſt, ut filii liberæ filiis famulentur ancillæ, diſtrictius inhibemus, ne Judæi nutrices, ſeu ſervientes habeant Chriſtianos: eisdem ſervientibus, ſeu nutricibus præcipientes, ut a ſervitiis eorum ſtatim recedant, quos etiam Judæi libere dimittere teneantur. Sacerdotes etiam, & alii ſubditi noſtri, domos, vel habitationes Judæis, vel aliis uſuram publice exercentibus locare non præſumant. Transgreſſores hujus ſtatuti, pœna condigna puniantur.

Medicina non ſumatur a Judæis, neque cum eis familiaritas contrahatur.

A Judæis nemo medicinam capiat, nec medicinæ conſilium quærat, neque cum eis manducet, aut familiaritatem contrahat: quanquam (*) Judæi Chriſtianis illam retributionem impendunt, quam juxta vulgare proverbium: *Mus in pera: ſerpens in gremio, & ignis in ſinu:* ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere.

Eccle-

(*) *fors:* quoniam

Ecclesiæ bona Judæis ne obligentur.

Sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus omnibus Nobis subjectis tam Clericis, quam Laicis, ne res Sacras, vel Ecclesiarum ornamenta, ex quacunque etiam causa, Judæis obligare, aut hujusmodi obligationi consentire præsumant. Nos enim decernimus, tales obligationes omnino neque robur habere, neque jure subsistere posse.

Judæi utriusque sexus, signum distinctionis deferant.

Judæi masculi, in veste extrinseca ante pectus circulum deferant de filis croceis: Mulieres vero Judææ, in suis peplis, duas coloris ætherei, seu vulgariter blavii,rigas deferant, ut per hujusmodi signa a Christianis discerni, & cognosci possint. Et, ut statutum hujusmodi eo firmius observetur, mandamus, ut per Regentes, & Officiales sæculares ad id compellantur: alioquin si Rectores, & Præsidentes hujusmodi in hoc negligentes extiterint, Nos contra eos per Sacramenti Eucharistiæ subtractionem, & contra Judæos per exclusionem communionis Fidelium, & alias (prout de jure) procedi faciemus: hocque statutum per Curatos locorum, in quibus Judæi moram habere consueverunt, ad talium Regentium, & Officialium sæcularium notitiam deducatur.

TITULUS XXVI.

De Adulteriis & Fornicationibus.

Adulteria non sustineantur.

Quædam personæ relicto legitimo thoro, non verentur una domo in adulterinis amplexibus manifeste cohabitare, in scandalum plurimorum; quorum saluti provideri volentes, Curatis Ecclesiarum in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, quatenus omnes & singulos, qui in adulterinis amplexibus simul cohabitare non verentur, moneant, & requirant, ut infra quindecim dies a se invicem discedant: & si mandato hujusmodi obedire contempserint, ac post dictos quindecim dies (quod absit) simul cohabitaverint: tales in eorum vita ab Ecclesiasticis excludantur Sacramentis, & post mortem (nisi pœnitentiam de commissis egerint) Ecclesiastica careant sepultura. Et nihilominus, si viventes fuerint, ad Nos, vel Vicarium nostrum, pro absolutionis beneficio consequendo remittantur. Injungentes ipsis etiam Curatis, ut eorundem nomina infra aliam quindenam, dictos quindecim dies mox sequentem, Nobis, Vicario, vel Fiscali nostro denuncient, ut contra tales (prout juris est) procedere valeamus.

Monialium Monasteria nemo temere ingrediatur.

Clerici Sanctimonialium Monasteria ne subintrent: eorundemque ingressum absque legitima causa, & Superioris licentia, Curati subditis suis interdicant, & ipsas quoque mulieres paterne præmoneant, ne Fratrum & Monachorum septa frequentent.

TITULUS XXVII.

De Presbyteris sæcularibus & religiosis, sermonem ad populum facientibus.

Concionantes contra se invicem non prædicent: sed errata ad Episcopum referantur.

Experientia edocti sumus, quod quidam Verbum Dei in Ecclesiis nostrarum Civitatis & Diœcesis seminantes, religiosi & sæculares Presbyteri contra se invicem prædicare quandoque non verentur, in populi scandalum, & exemplum perniciosum. Idcirco inhibemus, ne quisquam Prædicantium, sive religiosus, sive sæcularis existat, de cætero in contrarium alterius dictis quicquam prædicet in cancellis: sed, si errorem, hæresin, vel aliquid contra prætensum alterius jus quispiam ex ipsis prædicaverit, id ad Nos, vel Vicarium nostrum referatur, ne ex hujusmodi contentione publica, in populo scandala & pericula consurgant animarum. Secus facientes, pœnam condignam non evadent.

Prædicantes ad bene instituendos pueros persuadeant: Prælatis non detrahant: miserabiles personas promoveant.

Hortamur etiam omnes Verbum Dei seminantes, ut, qualiter pueri in bonis moribus sint instituendi, sæpe & studiose prædicent: quanquam (*) utique a pueris Ecclesiæ reformatio utilius est inchoanda. Deque Prælatis, & Superioribus

(*) *opinor legendum*: Quoniam.

bus suis irreverenter, & temere nihil loquantur, nec in sermonibus suis, ullo pacto Ecclesiarum Prælatis detrahant: quod jam dudum in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibitum est: ne inobedientiæ venenum, ne scandali pernicies, ne detractionis morsus ab eis ortum habeant, qui ad obedientiam, ad ædificationem, ad charitatem debuerant pro viribus laborasse. Eleemosynas, & jura pauperum, leprosorum, viduarum, orphanorum, aliarumque miserabilium personarum fideliter promoveant.

Religiosi tempore Missarum Parochialium ne prædicent.

Religiosi in suis Monasteriis stationes, seu prædicationes diebus Dominicis & Festivis non faciant circa horas Missarum Parochialium, sub quibus Curati mandata a Nobis, vel Officialibus nostris eis injuncta exequi, & publicare, aliaque laicis opportuna patefacere tenentur: ne propter subditorum absentiam, id, quod exequendum fuerit, imperfecte fiat; & ne subditi ea nesciant, quorum ignorantia eos non excusans, in spiritualibus, vel temporalibus, ipsis damnum afferre posset.

Religiosi quoad Evangelia inter prædicandum Curatis se conforment.

Religiosi prædicantes, in sermonibus suis quoad Evangelia se conforment Ecclesiarum Parochialium Curatis, ita ut ea Evangelia prædicent populo, quæ secundum Breviarium Ecclesiæ nostræ Basiliensis pro tempore occurrunt: ne propter difformitatem, populo detur occasio murmurandi.

Concordes sint Curati sæculares, & Fratres inter se.

Concordia, charitas, & pax Christiana inter Fratres, & Curatos sæculares observetur, ne scilicet Curati sæculares ipsis fratribus detrahant, aut eos molestiis afficiant: neque fratres prædicent, populum Dominicis, & Festis diebus ad audiendam Missam, & Evangelium in suis Parochiis non esse astrictum; aut subditos contempto suo Plebano (qui de eis DEO rationem redditurus est) absque omni causa, ubicunque libet, posse peccata sua in Quadragesima confiteri: ne per contrarios hinc inde sermones judicentur, non quæ JESU CHRISTI sunt, & animarum saluti deserviunt, sed seipsos, & suam privatam utilitatem quærere, & intendere. Quippe cum una sit omnium Sæcularium, & Religiosorum Ecclesia, unus Dominus, unum Baptisma, una Fides; profecto decet, ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis. Decet itaque, ut tam exempti, quam non exempti, suis juribus sint contenti, & alter in alterius injuriam non prosiliat, neque jacturam.

TITULUS XXVIII.

De sententia Excommunicationis.

Excommunicati in registrum consignentur.

Curati librum faciant, sive registrum, in quo consignent, aut registrent fideliter nomina excommunicatorum, diem executionis, personam, ad cujus instantiam, & causam, propter quam facta est excommunicatio: sic scilicet scribendo: *Talis excommunicatus est pro contumacia, vel pro tali causa, ad instantiam talis, die tali, & anno tali.* Et similiter fiat de absolutione, & relaxatione. Nisi enim hæc consignatio fiat, posset a Curato (qui memoriam omnium habere non potest) dispensari, quanquam (*) Sacramentum Eucharistiæ excommunicato, unam, vel duas absolutiones afferenti, cum adhuc aliis multis (quarum vel ipse, vel Curatus oblitus est) censuris forsitan sit irretitus.

Coram excommunicato Celebrantis, quantum sit periculum.

Curati nullum publice excommunicatum ad Divina audienda admittant, nec coram eo celebrent: alias ingressus Ecclesiæ taliter Celebranti ipso jure est interdictus, & Celebrans est vicinus irregularitati: quoniam, si postea ante relaxationem hujusmodi interdicti celebraret, fieret irregularis, & a solo Papa esset rehabilitandus. Similiter, si talis hujusmodi suspensione ab ingressu Ecclesiæ durante moreretur: non esset in cœmiterio, seu Ecclesia sepeliendus.

Excom-

(*) *Desiderantur aliqua.*

Excommunicatos ad publicum munus, vel officium non esse idoneos, sæpe dicatur in cancellis.

Curati subditos suos ad minus Dominicis diebus post angariam, seu quatuor temporum, & etiam sæpius (si videbitur expedire) instruant, & moneant, quod excommunicati publice non debeant, neque possint esse Judices, Testes, Procuratores, Notarii, & Pedelli, seu aliquod aliud publicum officium exercere.

Qui fuit excommunicatus, absolutus esse non credatur, nisi literas sigillatas exhibeat.

Quoniam excommunicati absolutos se esse nonnunquam fingunt (ex quorum communione pericula proveniunt animarum) inhibemus, ne de cætero quisquam Curatorum quamcunque suæ Parochiæ personam, quam semel per Nostras, vel Officialium nostrorum literas excommunicatorias excommunicatam denunciavit, aut contra quam tales literas vidit, & recepit, ultra ad Divina sua scienter admittat, vel coram eo celebret, aut absolutum credat, vel pro absoluto teneat: nisi absolutionem suam literatorie sigillatam illius sigillo, qui eum excommunicavit, sibi prius ostendat. Qua absolutione ostensa, idem Curatus exinde eundem in cancellis absolutum publicet. Hujus autem statuti transgressores ultra pœnam juris, quam incurrent, pœnam arbitralem se sciant non esse evasuros.

TITULUS XXIX.
De Interdicto.

Clerico læso, ubi, & quamdiu interdictum observandum.

Præsenti constitutione perpetuo valitura sancimus: ut si in antea quæcunque Ecclesiastica, vel sæcularis persona (cujuscunque dignitatis, status, vel conditionis existat) instigante Diabolo infra Civitatem & Diœcesin nostras, Clericum se pro Clerico gerentem interfecerit, aut mutilaverit, seu sine Superiorum suorum licentia illum captivaverit, aut detinuerit: eo ipso in civitate, terris, Ecclesiis, & Parochiis totius Decanatus, in quo hujusmodi delictum commissum, aut Clericus hujusmodi captus fuerit: & non solum in illo Decanatu, sed etiam in quibuscunque aliis Decanatibus, in quibus quempiam talium detineri constiterit, & in omnibus locis, in quibus interfector, seu mutilator, aut captor, seu ejus complices, ipsi consilium, auxilium, & juvamen præstantes domicilium, aut dominium obtinuerint, vel moram fecerint, & ad quæ devenerint, & quamdiu in eisdem fuerint; & post cujuslibet ipsorum abinde recessum, ad tres dies continuos ipso facto cessetur a Divinis, & servetur districte Ecclesiasticum interdictum tamdiu, & quousque læso, Nobis, & Ecclesiæ de tanto flagitio fuerit satisfactum, aut interdictum alias legitime relaxatum. Tales etiam injuriatores tanquam excommunicati mox a singulis arctius evitentur, coramque multitudine populi singulis diebus Dominicis publice denuncientur: donec absolutionis beneficium meruerint legitime obtinere. Ne autem hi juxta præmissa interdictum servare debentes, se valeant per ignorantiam quomodolibet excusare: præcipimus, ut Curati, in quorum Parochiis facinora prædicta commissa fuerint, statim infra unius diei spatium, Decano, si præsens in Decanatu fuerit; alioquin Camerario: si autem Camerarius etiam abesset, viciniori Presbytero jurato illius Decanatus tantum scelus, & flagitium notum faciant. Qui Decanus, Camerarius, aut vicinior Presbyter juratus, omnibus cæteris Decanatus hujusmodi Confratribus, & etiam Religiosis in eo commorantibus, sine mora hoc idem facinus manifestet, ac interdictum per eos, & in toto Decanatu servandum esse notificet: quibus super his fidem plenam (sicut nostris literis) volumus adhiberi. Per præmissa tamen constitutionibus legalibus, & aliis contra prædictos sacrilegos editis nolumus derogare.

Latore literarum damnum corporis passo, interdictum servandum est.

Curati, postquam eis constiterit latorem literarum Curiæ nostræ in eorum Parochiis propter delationem literarum per quemcunque esse captum, seu detentum, occisum, aut vulneratum, seu alias verberibus affectum: mox absque alicujus novi mandati expectatione in suis Parochiis cessent a Divinis: & tales capti-

captivantes, detinentes, occidentes, vulnerantes, & verberantes, die Dominica proxime ſequenti publice denuncient excommunicatos: quia tales ipſo facto ſententia excommunicationis volumus eſſe ligatos.

Interdictum qua forma ſit ſervandum.

Curati, cum mandatur eis, ut a Divinis ceſſent, vel interdictum Eccleſiaſticum obſervent, ſic intelligant: quod clauſis Eccleſiæ ſuæ januis, Miſſam, aut Veſperas quaſi legendo dicant, absque pulſatione campanarum, populo, & aliis de foris venientibus excluſis: nec ſint in januis Eccleſiarum ſuarum feneſtræ, per quás foris exiſtentes audire poſſint, & videre Divina Officia, & Sacramenta Eccleſiaſtica. Tempore etiam interdicti Sacramentum Baptiſmi pro parvulis, Pœnitentiæ tam pro ſanis, quam pro infirmis, & etiam Sacræ Euchariſtiæ (pro infirmis duntaxat) licite adminiſtrent. Ab extrema vero Unctione, & cæterorum Sacramentorum adminiſtratione illo tempore abſtineant: niſi Epiſcopus in loco foret, qui Confirmationis Sacramentum conferre poſſet. Defunctos etiam in Eccleſiis non ſepeliant, neque cœmiteriis, niſi Clerici fuerint, qui cauſam interdicto non dederint, & Eccleſiaſticum interdictum ſervaverint. In quatuor ex principalibus Feſtivitatibus a primis Veſperis incluſive, uſque ad Completorium ipſius Feſti ſecundum excluſive, Miſſas, & alia Divina Officia januis apertis, pulſatis campanis (excommunicatis tamen excluſis) licite peragant: niſi ſpecialiter in aliqua certa prohibitum eſſet Eccleſia, ne ibi Divina celebrentur: tunc enim prohibitione hujusmodi durante, nequaquam in illa Eccleſia Divina ſunt celebranda.

TITULUS XXX.

De Excommunicatis vitandis, & Interdictis obſervandis.

Nonniſi denunciati ſunt vitandi: niſi excommunicatio ſit omnino notoria, & inexcuſabilis.

Statuimus, prout etiam in Sacra generali Synodo Conſtantienſi, ad vitandum ſcandala, & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis ſtatutum eſt, quod deinceps nemo a communione alicujus, in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione ad Divina, aut aliis quibuscunque, in judiciis, vel extra, cujuscunque ſententiæ, vel cenſuræ Eccleſiaſticæ, & ſuſpenſionis, vel prohibitionis ab homine, vel a jure generaliter promulgatæ occaſione teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, vel Eccleſiaſticum interdictum obſervare; niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura Eccleſiaſtica hujusmodi lata contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam certam, aut locum certum, a Judice, ſeu de ejus mandato publicata fuerit, vel denunciata ſpecialiter & expreſſe: ſalvo, ſi quem pro ſacrilega manuum injectione in Clericum, ſententiam latam a Canone, adeo notorie conſtiterit incidiſſe, quod factum nulla poſſit tergiverſatione celari, neque aliquo juris ſuffragio excuſari. Nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, abſtineri volumus, prout etiam eadem Sancta Synodus vult juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc tamen, primis duobus ſtatutis, ſupra de interdicto per Nos poſitis, non intendimus derogare: nec hujusmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.

TITULUS XXXI.

De procurandis Statutis iſtis Synodalibus.

Statuta habeantur.

Decani, Camerarii, & Jurati ſub pœna unius libræ denariorum, Fiſco noſtro irremiſſibiliter perſolvendorum, infra quindenam a tempore publicationis præſentium, hæc noſtra Synodalia Statuta penes ſe habere ſtudeant, & habeant cum effectu.

Religioſi, præſertim ad Confeſſiones audiendas præſentati, etiam hæc habeant Statuta.

Quia vero Religioſi excommunicatos a ſententiis, per Statuta Provincialia, vel Synodalia promulgatis, nec non in caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſervatis, abſolvere per expreſſum jus prohibentur: ne laqueos ſibi ipſis, & cæteris fidelibus ponant; ope-

operæ pretium eſt, eos hæc noſtra ſtatuta non ignorare. Itaque hortamur eosdem, & in Domino JESU pie requirimus, ut has noſtras Synodales Conſtitutiones & ipſi quoque apud ſe habere, easque revolvere non recuſent, neque aſpernentur.

Publicentur Statuta, atque obſerventur.

Decanus infra unius menſis ſpatium poſt præſentium Statutorum publicationem, omnes ſuos Confratres, & in ſuo Capitulo Beneficiatos, qui in hac noſtra Synodo præſentes non interfuerunt, ad certum aliquem locum convocet, ipſisque hæc noſtra Statuta de verbo ad verbum publicet, ne quisquam eorum in ſuæ prævaricationis excuſationem poſſit ignorantiam allegare. Præcipiat etiam eisdem, ut infra menſis ſpatium hæc Statuta quilibet eorum propria habere procuret: Decanus etiam, & Camerarius quilibet, quantum ipſorum perſonas reſpiciunt, & concernunt, has Conſtitutiones fideliter obſervent, ac ad eas obſervandas ſingulos Confratres diligenter exhortentur, & inducant. Si vero quisquam ad procurandum ſibi hæc Statuta negligens, aut ad obſervandum rebellis & inobediens fuerit; Nobis, vel Vicario noſtro denunciare illum teneantur. Quod ſi etiam Decanos, & Camerarios, ſicut & alios Confratres de transgreſſione, ac contemptu hujuscemodi Statutorum, quæ in Sacratiſſimis Canonibus, ac juſtiſſimis Summorum Pontificum ſententiis fundata ſunt, apud Nos, aut Vicarium noſtrum ex fide digna relatione accuſari contigerit; juſta & legitima propter inobedientiam pœna ſeſe ſciant eſſe afficiendos, noſtramque indignationem incurſuros.

Moderamen Cenſurarum, quæ jam dudum emanarunt.

Poſtremo ne Clerus noſter cenſuris, & ſententiis Eccleſiaſticis propter Statutorum a Prædeceſſoribus noſtris editorum transgreſſionem damnabiliter deinceps illaqueetur: easdem ſententias per Prædeceſſorum noſtrorum Statuta latas (dummodo ſaltem a jure communi latæ non ſint) in his ſcriptis tollimus: illas in pœnas arbitrarias ab Officialibus noſtris imponendas commutantes.

Epikeya Statutorum Epiſcopo reſervata eſt.

Quia ſecundum diverſitatem temporum, locorum, & morum vivendi, aliarumque circumſtantiarum conditionem leges ſint inſtituendæ: præſertim, quod vix aliquid adeo certum, clarumque ſtatuitur, quin ex cauſis emergentibus prius a Legislatore non prævisis, in dubium poſtea revocari p. ſſit: has noſtras leges per epikeyam, vel æquitatem interpretandi, exponendi, declarandi, moderandi, & accumulandi poteſtatem Nobis reſervamus.

TITULUS XXXII.

De temporibus, quibus Nuptiarum ſolennitas interdicta eſt. De Feſtis & Jejuniis.

Nuptiarum ſolennitas prohibetur a prima Adventus Dominica, uſque ad Octavam Epiphaniæ incluſive. Item a Dominica Septuageſimæ, uſque ad Octavas Paſchæ incluſive. Et a tribus diebus Rogationum ante Aſcenſionem, uſque ad octavas Pentecoſtes excluſive.

Feſta, quæ celebranda ſunt, in quibus ab omni opere ſervili, & mechanico ceſſandum eſt.

Omnes dies Dominici, Patroni cujuslibet Eccleſiæ in ſua Eccleſia, & Dedicationes particulares Eccleſiarum in ſua Parochia duntaxat.

Circumciſionis, & Epiphaniæ Domini. Purificationis MARIÆ. Mathiæ Apoſtoli. Annunciationis MARIÆ. Reſurrectionis Domini, cum tribus ſequentibus.
Reſurrectionis Domini, ut ſupra. Marci Evangeliſtæ. Aſcenſionis Domini.
Philippi, & Jacobi Apoſtolorum. Inventionis Sanctæ Crucis. Pentecoſtes cum tribus ſequentibus. Trinitatis.
Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ. Petri, & Pauli Apoſtolorum.
Viſitationis MARIÆ Virginis. Heinrici Imperatoris in civitate Baſilienſi, præſertim Mariæ Magdalenæ. Jacobi Apoſtoli.
Laurentii Martyris. Aſſumptionis MARIÆ. Bartholomæi Apoſtoli.
Nativitatis MARIÆ. Exaltationis Sanctæ Crucis. Mathæi Apoſtoli. Michaelis Archangeli.

Dedicationis Eccleſiæ Baſilienſis. Galli Abbatis. Lucæ Evangeliſtæ. Simonis & Judæ Apoſtolorum.

Solennitas Omnium Sanctorum. Martini Epiſcopi. Catharinæ Virginis, & Martyris. Andreæ Apoſtoli.

Nicolai Epiſcopi. Conceptionis MARIÆ. Thomæ Apoſtoli. Nativitatis Domini. Stephani Proto-Martyris. Johannis Evangeliſtæ. Sanctorum Innocentum.

Ad Feſta vero Sancti Georgii, Udalrici, Margarethæ, Exaltationis Crucis, Franciſci, celebranda populum noſtræ Diœceſis ſub pœna peccati mortalis, ex rationabilibus cauſis non volumus eſſe aſtrictum.

Tempora Jejuniorum.

Sub Eccleſiæ præcepto cadunt, ad quod tenentur fortes, legitimam ætatem habentes: qui non coguntur laboribus manuum ſuarum quærere victum:

Quadrageſima, ad Vigiliam Paſchæ incluſive.

Vigiliæ {
Pentecoſtes,
Sancti Joannis Baptiſtæ,
Petri & Pauli,
Laurentii,
Aſſumptionis Beatæ MARIÆ,
Omnium Sanctorum,
Natalis Chriſti.
}

Vigiliæ omnium Apoſtolorum, excepto Philippi & Jacobi Profeſto, & tres dies in quatuor angariis, quæ cadunt proxima feria quarta poſt Dominicam *Invocavit*, poſt Dominicam Pentecoſtes, poſt Exaltationem Sanctæ Crucis, & poſt feſtum Luciæ.

TITULUS XXXIII.

De caſibus Papalibus.

Interfectio Clerici, vel atrox & enormis ejusdem læſio.
Hæreſis.
Simonia.
Falſificatio literarum Apoſtolicarum.
Crimen incendiarii poſt denunciationem.
Celebratio Miſſæ facta in excommunicatione majori.
Commutatio voti ad Sepulchrum Dominicum: ad limina Beatorum Petri & Pauli, & Sancti Jacobi in Compoſtella, & voti caſtitatis.

Caſus Epiſcopales a jure vel conſuetudine ipſis Epiſcopis reſervati.

Homicidium.
Incendium ante denunciationem.
Sacrilegium.
Peccatum contra naturam.
Inceſtus non ſolum cum conſanguineis, ſed etiam cum monialibus.
Percuſſio parentum.
Sortilegium.
Oppreſſio parvulorum.
Negligentia parentum circa pueros.
Perjurium.
Voti fractio.
Maleficium.
Procuratio abortus, vel ſterilitatis.
Propinatio toxici, vel veneni.
Magna blasphemia in Deum.
Falſificatio literarum Epiſcopi, aut ſuæ Curiæ.
Adulterium.
Stuprum.
Excommunicatio major.
Baptizans propriam prolem absque neceſſitate.

Quo ad Eccleſiaſticos: {
Celebrans ſponte coram excommunicato.
Promotus per ſaltum ad Sacros Ordines.
Ordinatus ſine licentia ab Epiſcopo alieno.
Celebrans in Eccleſia interdicta.
Celebrans in Altari non conſecrato.
Sepeliens excommunicatos, aut interdictos.
Fornicans cum filia confeſſionis, vel baptismi.
Celebrans ſine ſacris indumentis.
Proditor confeſſionis.
Notabilem circa Sacramentum Euchariſtiæ negligentiam committens.
}

Supra nominatos caſus Nobis ipſis, & noſtro in Pœnitentialibus Vicario reſervamus: parati tamen erimus ipſis Religioſis præſentatis, & Decanis, aut aliis nonnullis Curatis Doctoribus, & magis expertis noſtram quoque facultatem in illis impartiri, ac nequaquam denegare.

Præterea nullam reſervationem fieri volumus, quo ad mulieres maritatas in peccatis ſaltem occultis. Item neque ad pue-

pueros, & puellas nondum decimum quartum ætatis annum agentes. Clerum(*) juniores Curati in hujusmodi dubiis quo ad uxores, & pueros consulant prudentiores, & magis expertos: cavendo tamen, ne dicant sibi ex confessione constare: sed proponant in hunc, vel consimilem modum: *Si vobis talis, vel talis casus occurreret; quid faciendum, qualis emenda injungenda vobis videretur?*

Exhortationes circa infirmos.

Infirmus moneatur, ut de peccatis doleat, omnem spem in merito Passionis Christi ponat, in fide Christi, & Ecclesiæ constans maneat, utque patientiam habeat dolorum, quæ sibi sit pro magna parte purgatorii, in qua relevetur: quodque de necessitate faciat virtutem, quia sibi utique moriendum sit: quod voluntatem suam conformet Divinæ voluntati, & offerat voluntarie mortem suam Deo: id erit summum Sacrificium, maxime ipsi Deo acceptum. Moneatur etiam, ne rem alienam scienter detineat, & ut omnibus amore Christi ex corde ignoscat.

Quos Libros Curati inter alios habeant magis familiares.

Habeant
- Tractatum Sacerdotalem, cujus principium est: *Medice cura te ipsum.*
- Manipulum Curatorum.
- Manuale Curatorum.
- Opuscula Joannis Gerson. & præcipue tripertitum ejus, & de arte audiendi Confessiones.
- Confessionale Antonini.
- Confessionale Bartholomæi de Chaymis.
- Summam vitiorum, & virtutum Lugdunensium.
- Summam Angelicam, vel Baptistinianam.
- Compendium Theologicæ veritatis Thomæ de Argentina.
- Expositionem Canonis Gabrielis.
- Resolutorium dubiorum Missæ Joannis de Lapide.
- Præceptorium Joannis Nider.

(*) *fors*: Clerici.

Explicitæ sunt Constitutiones in Divino & Pontificio jure fundatæ, sub pientissimo Antistite Christophoro IX. Calend. Novembris: Anno Christi MDIII. in solenni & ornatissima Synodo editæ; quæ plane & breviter indicant, quid ad vitam & bonos mores Sacerdotum, quidque ad animas pertineat bene gubernandas, ad gloriam Summi DEI, & ad institutionem tyronum, sive eorum, qui nuper Sacris sunt initiati: ut in his justissimis legibus, tanquam in speculo cognoscant officium suum: Et quomodo vita & doctrina populos excellere, eosque exemplo suo ad honestatem movere debeant: ut Clerus una cum populo felicitatem (ad quam conditi sumus) assequatur.

Ex impresso Libro in folio litera Petri, communicato a DD. Veith, Bibliopolis Augustanis.



Statu-

Statuta Synodalia Episcopatus MISNENSIS,

Anno Christi MDIV. Julii II. PP. II. Maximiliani I. Imp. X.

JOANNES (*) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MISNENSIS: UNIVERSIS ET SINGULIS DOMINIS ABBATIBUS, ABBATISSIS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ARCHI-DIACONIS, CANONICIS, PRIORIBUS, GUARDIANIS, ARCHI-PRESBYTERIS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, ALTARISTIS, CAPELLANIS, CÆTERISQUE CLERICIS PER ET INFRA CIVITATEM, ET DIOECESIN NOSTRAM UBILIBET CONSTITUTIS; SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUanquam per Nos, & Prædecessores nostros Episcopos, Venerabilis Capituli Ecclesiæ nostræ Misnensis desuper habito consilio, pro statu nostrorum subditorum feliciori, Statuta Synodalia edita sunt, ac in Synodis Generalibus publicata, ne ab aliquo eorundem ignorantia prætenderetur: Quia tamen ad audientiam nostram sæpius pervenit, paucissimos reperiri, qui hujusmodi Statuta penes se scripta habeant, aut ex tali eorundem pronunciatione eadem memoriter retinent, cum memoria hominum labilis existat: unde non solum compilationem illorum Statutorum apud plerosque inanem fuisse, nullosque aut paucos fructus attulisse: verum etiam errores, pericula, scandalaque varia, ac damna, nostræ Diœcesis inhabitatoribus exoriri, ac inferri percepimus, quæ singula, dum eorum Statutorum tenores impressi forent, facillime præcaverentur. Ob id Nos JOANNES Episcopus antedictus, qui pro Divini cultus, ac Reip. augmento, utque Nobis commissi subditi pacifice, ac quiete vivere valeant, curis solicitamur continuis, quantumque ab Alto Nobis permissum est, viribus totis laboramus, pro laude DEI, Reipubl. fructu, ac meliori statu, & utilitate omnium nostræ Diœcesis inhabitatorum, singularia nostra, ac Prædecessorum nostrorum edita Synodalia Statuta, una cum Constitutionibus piissimorum Romanorum Imperatorum *Friderici Secundi, Caroli Quarti, & Sigismundi*, pro quiete, bono statu, & fideli tuitione Clericorum, personarum Ecclesiasticarum, editis, atque fundatione Ecclesiæ nostræ Misnensis per Ottonem primum Romanorum Imperatorem Augustissimum, una cum Confirmatione Sanctissimi in Christo Patris, bonæ memoriæ *Joannis Papæ istius nominis Decimi tertii* desuper emanata, in unum colligi, atque redigi, imprimique decrevimus, ac jussimus. Vos omnes & singulos hortamur, requirimus, districteque præcipiendo mandamus, quatenus hujusmodi Statuta cum eisdem annexis, sic, ut præmittitur, impressa, diligenter curetis infra mensem *a Synodo proxima* computando, obtinere, ipsaque diligenter observare, atque vestris Plebisanis singula in eis contenta, ipsos concernentia, publicare, intimare, & declarare, ut hujusmodi Statuta cum Constitutionibus annexis diligenter servent, nihilque ipsis in contrarium attentent; alioqui, tam contra non habentes, quam contra non publicantes, & non servantes, arctius insurgemus, dignasque pœnas & mulctas juxta excessus, & contemptus modos eis irrogabimus. Datum in arce nostra Episcopali Wurtzen, anno Domini Millesimo, quingentesimo quarto, die Lunæ, decima octava mensis Martii.

De

(*) Joannes (hoc nomine VI.) de familia Salhusia (de Salhausen) Decanus Misnensis, Decret. Doctor, Misnensis Ecclesiæ electus est Episcopus Id. Novembr. A. MCCCCLXXXVII. Sedit usque ad annum MDXVIII. quo obiit IV. Id. April. Wurcinæ sepultus. Egregius disciplinæ Ecclesiasticæ exactor fuit, lenitate usus, dum poterat, justa etiam, quando res poscebat, severitate.

De Vita & Honeſtate Clericorum.

IMprimis omnes & ſingulos Presbyteros noſtræ Diœceſis, cujuscunque ſtatus, gradus, dignitatis, aut præeminentiæ fuerint, peremptorie requirimus, & monemus, ut infra unius menſis ſpatium, a die proxima Synodi continue computandum, concubinas, & mulieres ſuſpectas, ſi quas in domibus ſuis, vel expenſis habent, aut retinuerint, a ſe penitus ejiciant, amoveant, & dimittant: alioqui inventi obnoxii poſt lapſum prædicti termini, præter pœnam Canonicam, eis de jure infligendam, ſuis, ſi quæ habuerint, Beneficiis per Nos, quantum de jure poſſumus, privabuntur.

Item ſtatuimus, ut eidem Clerici non pannis rubeis vel viridibus, fibulis deauratis, vel ornamentis in cingulis, ſive peris, annulis aureis vel argenteis utantur, niſi quibus ex dignitate a jure conceſſum fuerit: ſed veſtes deferant competentes, non nimia longitudine, aut brevitate annotatas; alias contra eos, ſicut transgreſſores, canonice procedemus. Archi-Presbyteris omnibus & ſingulis, præſentibus & abſentibus, in virtute obedientiæ præcipimus, ut de transgreſſoribus præmiſſorum inquirant diligenter, & quos culpabiles invenerint in præmiſſis, Nobis, aut Vicario noſtro in Spiritualibus, quam cito poterint, per literas, vel nuncios ſuos certos denuncient, ſi de obedientia ſua cum pœna debita noluerint reprehendi.

Item volumus, & mandamus, quod nemo Clericorum in locis publicis choreiſare, turpia dicere, ludos ineptos exercere, ſeu talibus intereſſe præſumat: & maxime ludis taxillorum. Si quis autem eis uti voluerit pro recreatione, & ſolatii cauſa, dum cum diſcretione, in privato, & paucis vicibus fiat, ſub diſſimulatione toleramus.

Item, cum experientia omnium rerum magiſtra edocti ſumus, ex nullo ſtatum Clericalem tam turpiter vileſcere, atque in Diœceſi noſtra majora ſcandala, damna, ac animarum pericula evenire, ſicuti ex viſitatione tabernarum: Quapropter volumus, & diſtricte, ſub pœna obedientiæ præcipiendo, mandamus omnibus, & ſingulis noſtræ Diœceſis Clericis, ne publicas tabernas vel domus aliquas, in qua vinum, cereviſia, aut alius potus publice vendatur, intrent, ſive foris eisdem ſedendo, vel ſtando publice bibant, niſi in itinere conſtituti eſſent. Si qui vero noſtri rationabilis ſtatuti contemptores, & transgreſſores reperti fuerint, contra eos rigidiſſima pœna procedere curabimus: ſi vero aliqui dicta loca frequentare comperiuntur, incarcerationem, aut expulſionem de Diœceſi noſtra nullatenus evadent.

Item, cum quotidianis vulgi clamoribus informati ſumus, quomodo Sacerdotes in & per Civitatem, & Diœceſim noſtram Misnenſem, Divinis Miſſarum Officiis effæminati, & diſcalciati, in non modicum ipſius vulgi ſcandalum, Venerabilis Sacramenti, Divini Officii, Sacerdotaliſque dignitatis vilipendium, ſe immiſcere conſueverunt; de quo merito conſulere, & de remedio opportuno providere, in decus Sacerdotii, Paſtorali officio aſtringimur: quare maturo conſilio, debitave maſticatione conſtituimus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes mandamus, quatenus omnes & ſinguli Sacerdotes, ſive Curati, ſive non, per Civitatem & Diœceſin noſtram Misnenſem exiſtentes, de cætero absque caligis & braccis celebrare non præſumant, nec ſic effæminati Divinis Miſſarum Solenniis, & Officiis ſe immisceant, niſi infirmitate aliqua, quæ in his eos impedire, aut rationabiliter excuſare poterit, gravati fuerint, in quo conſcientias eorum gravamus, & oneramus; ſic tamen, quod caute & ſolicite provideant, ne pedes eorum nudi appareant; in his honeſte in honorem Sacerdotii ſe gerendo. Contrarium facientes a fructibus Beneficiorum, aut officiorum emolumentis, præſentibus ſuſpendimus, & ſi non emendaverint, excommunicabimus.

Quando Presbyteri beneficiati, ſive non, & alii Clerici debeant intereſſe Divinis.

Cum Salvatori noſtro ſuper judicia Juſtitiæ ſuæ laudes referre jubemur, Propheta teſtante: *Septies in die laudem dixi tibi* &c. Apoſtolo etiam confirmante: *Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris* &c. & propter hoc beneficia tribuantur, ut officia compleantur: Sane, ut ad noſtrum

ſtrum pervenit auditum, quidam Altariſtæ, ſive Presbyteri, Altaria in Eccleſiis Parochialibus noſtræ Diœceſis obtinentes, Miſſas tantummodo in ipſis Altaribus celebrantes, aliis Divinis officiis, quæ in eisdem Eccleſiis decantantur, intereſſe contemnunt, ex quo ſcandalum inter laicos non eſt dubium exoriri. Nos volentes ſalubre remedium adhibere, ipſosque Presbyteros ad obſequendum Deo, prout poſſibile Nobis fuerit, inducere: præſenti noſtro Decreto ordinamus, & eisdem Altariſtis, ſeu Presbyteris, Altaria in Parochialibus Eccleſiis habentes, per modum conſilii injungimus, quatenus Divinis officiis, quæ in ipſis Eccleſiis Parochialibus, in quibus Altaria obtinent, quando illa decantari contigerit, ſeu conſueverit, præſertim diebus celebribus & feſtivis, ſi commode poſſint, interſint, & intereſſe debeant, per ſe, vel ſuos Capellanos, uſque ad finem inibi permanſuri, niſi aliqua neceſſitas, vel juſta cauſa eos permiſerit abire.

Aliud de eisdem.

Item cum Salvator noſter, cujus eſt terra & plenitudo ejus, formam ſervi accipiens, factus ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, obediens Patri uſque ad mortem crucis, cujus livore ſanati ſumus; qui etiam in carne ſimilitudine hominis circumiens per caſtella, ſanavit homines a languoribus ſuis; ita nobis familiare præbuit obſequium laboris, ut in medio noſtrum ſtans, non miniſtrari, ſed miniſtrare venerit. Sane, cum nuper ſalubre mandatum ſalutis, humilitatis, ac ſervitutis Dei, cui ſervire, ubique regnare eſt, & cujus jugum ſuave eſt portantibus; de Proceſſionibus, & thurificatione Eccleſiarum emiſiſſe meminimus; talis, ut accepimus, irrepſit obſequi debentium clamor & rebellio, ut non ſolum, qui miniſterio Dei ſacrati, ac Dei cultui ſpecialiter deputati famulari Deo, contradicunt: verum etiam, quod deterius eſt, ad fortificandum ſuam rebellionem, ſe onerari, & gravari prætendunt: cum & ipſi noſtris mandatis per ſe directe opponere non audeant, ac formident, ſub eisdem laboris, & oneris nefanda fictione, & falſa ſimulatione, cum hoc ipſum, ut diximus, non ſervire, ſed regnare ſit; laicos inducere non verentur, ut ipſi per eos tueantur, & defendantur, ne ſuos Capellanos aſſertos & fictos, gravari permittant: cum tamen nunquam noſtræ intentionis fuerit, aliquem ad hoc eſſe adſtrictum ultra poſſe, ſed ea ſolum, quæ Dei exigunt honorem, exemplarem ædificationem, atque ſalutem animarum; ſed quia Sanctæ Matris Eccleſiæ ſtatutum reſpicientes, quo omnibus laicis præcipitur diebus Dominicis intereſſentia Divinorum: Nos volumus, Clericos Nobis ſubjectos, prout tenemur, aliis eſſe perfectiores, ac bonos exemplares, & ad id fortius obligatos, cum & ipſi immediata Eccleſiæ membra eſſe dignoſcuntur: Idcirco præſenti Decreto hortamur in Domino, & per modum injungimus conſilii, ut omnes & ſinguli Parochialium Eccleſiarum Altariſtæ omnibus & ſingulis diebus Dominicis, & aliis ſolennibus, quibus Proceſſiones per Eccleſias, civitates, & oppida fieri conſueverunt, Eccleſiæ Cathedrali ſe conforment, & per ſe, aut ſuos ſubſtitutos, ſi per ſe Altaribus non deſerviunt, ad laudem & decorem domus Dei, ædificationem proximorum, & propriarum ſuarum animarum ſalutem, eisdem interſint: ac etiam Altarium thurificationibus diebus ſubnotatis: ut puta, in Feſtivitatibus Aſſumptionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Chriſti, Joannis Baptiſtæ, Mariæ Magdalenæ, ac aliarum omnium Virginis Mariæ, Michaelis, omnium Sanctorum, Martini, Catharinæ, Nicolai, Nativitatis Domini. Circumciſionis, Epiphaniæ, Patronorum, Dedicationis, ac omnium Apoſtolorum Vigiliis, niſi aliqua neceſſitas, aut infirmitas eos excuſat corporalis. Sed ne hoc Statuto noſtro Synodali, quis æſtimet, Altariſtas duntaxat ad obſequendum Deo obſtrictos, & irretitos, cum ſuis Capellanis ſimiliter comprehendi, ne alii recipiant argumentum rebellandi ab eisdem. Utque ultra juris communis, ac noſtri Statuti ordinationem, Clerici ipſi, atque Presbyteri fortius animentur, majoremque ad præmiſſa habeant adfectionem, ac etiam ſtudeant diligentius adimplere: Nos ipſis omnibus & ſingulis circuitibus & thurificationibus prætactis intereſſentibus, atque tunc unum Pater noſter cum Salutatione Angelica, & Symbolo Apoſtolico, pro felici ſtatu Matris Eccle-

Ecclesiæ, ac omnium Christi fidelium salute devote orantibus, pro quolibet circuitu & thurificatione, dummodo contriti & confessi fuerint, viginti dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxamus. Nolumus etiam per hoc nostrum Statutum, laudabilem quorundam locorum infringere morem, quo Plebani, in certis Festivitatibus anni, memoratis Altaristis collationes dare consuevere. Ut ergo nemo per ignorantiam hujusmodi ordinationis, se valeat aliquo colore de cætero excusare; præcipimus, ut singuli Archi-Presbyteri, in suis particularibus conventionibus Clericorum, hanc nostram ordinationem publice pronuncient, & exponant, si & ipsi, una cum transgressoribus nostræ ordinationis, de inobedientia noluerint reprehendi.

De Plebanis Sclavos Plebisanos habentibus.

Item sub pœna excommunicationis districte præcipimus, & mandamus, quod singuli & omnes Plebani nostræ Diœcesis, in suis Plebanatibus, & Ecclesiarum terminis plebem Sclavicam habentes, qui in idiomate Sclavonico ignari sunt, & inexperti, populum sibi subjectum Prædicationibus, Confessionibus, Oratione Dominica, Symbolo Apostolico, & aliorum dicendorum publicationibus non valent, aut possunt informare, & personaliter expedire; secum teneant & habeant Capellanos, seu Vicarios, in hujusmodi idiomate peritos, & expertos, qui sciunt Sclavis prædicare, & præesse, eosque in præmissis possunt informare salubriter, & expedire: alioquin suis Beneficiis per Nos privabuntur, & genti facienti fructus suos dabuntur.

Item ad audientiam nostram deductum est, de quo non immerito plurimum dolemus, quod nonnulli animarum Pastores, & Curati Presbyteri, plus lucrum ex Parochianis suis, & ovibus, quam ipsarum salutem sitientes, suos Parochianos, tantum semel in anno, in confessionibus audiunt, & expediunt: &, quod deterius est, tunc incipere solent aliquando post Dominicam Lætare, aliquando post Dominicam Judica: istos tunc confessos non prius, quam ad Cœnam Domini, aut ad diem Paschæ, Eucharistia & Corpore Christi providendo, quod, proh dolor, in periculum multarum redundat animarum. Huic pestifero morbo remedium salubre invenientes: omnibus & singulis per Diœcesin nostram Curatis Presbyteris injungimus, atque præcipimus, ut consuetudini Romanæ Ecclesiæ se conforment, in antea Parochianorum suorum ad minus bis in anno confessiones audiant; ut ipsi Parochiani bis confiteantur admoneant, & inducant, sicque cum eis agant, quod confessi post secundam confessionem infra biduum Eucharistiæ Sacramento, in die videlicet Palmarum, & aliis sequentibus diebus provideantur. Si quis autem tam Plebanorum, quam Parochianorum, hujus nostri præcepti inventus fuerit transgressor, sciat, se ut rebellem & inobedientem, condignam pœnam minime evasurum.

De Symboli Apostolici, & Orationis Dominicæ pronunciatione.

Item cum dicit Apostolus: Sine fide est impossibile placere Deo, quæ maxime in Symbolo, & doctrina Apostolorum continetur: & eapropter præcipimus, & mandamus sub excommunicationis pœna, quam negligentes, & contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, quatenus omnes & singuli Plebani, seu Curati, quibuslibet diebus Dominicis, post sermonem, Symbolum Apostolicum, & Orationem Dominicam, in lingua apud plebem suam nota, & usitata pronuncient, & eam in hujusmodi studeant diligentius informare: quodque non solum pronunciantes, imo & dicentes formidine pœnæ, verum etiam respectu meriti, ad præmissa salubrius invitentur, singulis diebus prædictis, tam pronunciantibus, quam dicentibus, viginti dies indulgentiarum injunctæ eis pœnitentiæ, dummodo saltem contriti, & confessi fuerint, misericorditer in Domino relaxamus.

De Collecta: Et famulos tuos &c.

Item hortamur omnes & singulos Curatos, & non Curatos nostræ Civitatis, & Diœcesis Sacerdotes, quatenus omnibus diebus in Missarum celebrationibus, infra scripta verba, ante conclusionem ultimæ complendæ pronuncient, atque

atque legant, ſcilicet: Et famulos tuos, Domnum Apoſtolicum, Regem Romanorum, Antiſtitem, & Principes noſtros, eorumque fideles dirige in viam ſalutis æternæ, & ab omni adverſitate cuſtodi, & pacem noſtris concede temporibus &c. Per Dominum noſtrum &c. Propterea præſcripta verba recitantibus, viginti dies indulgentiarum injunctæ eis pœnitentiæ, Pontificali largitione relaxamus, & concedimus.

De Bullis Feſti Corporis Chriſti.

Item volumus, & ordinamus, quod quilibet Sacerdos Curatus, ſingulis annis, ad minus uno die Dominico, ante feſtum Corporis Chriſti, Indulgentias, per Urbanum, & Martinum Pontifices Maximos, ad diem Corporis Chriſti, & ejus Octavam conceſſas, populo ſuo exponere, & publicare debeat, & teneatur. Ne autem aliquis tenorem Bullarum neſciat, tenorem Bullæ *Martini ſubimprimi* fecimus, Tenor Bullæ *Urbani in Clementina prima*, *de Reliquiis & Veneratione Sanctorum* invenitur.

TENOR BULLÆ MARTINI.

MARTINUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

INeffabilis Sacramenti, quod Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus, inſtante, quam pro peccatoribus ſubire voluit, ſuæ mortis tempore, nobis, ut eo digni refecti, Divinitatis ipſius participes ſimus, in memoriale reliquit, glorioſi Corporis & Sanguinis ejus myſterium, præcipuis a fidelium quolibet fore attollendum cenſentes honoribus, atque devotiſſimis laudum ſtudiis amplectendum, myſtici diſpenſationis theſauri, fideles eosdem, quod tam pretioſiſſimi veneratione Sacramenti ſinceris affectibus, & dignis obſequiis ferventer intendant, excitare ſatagamus, ut hujusmodi in eis fructum mors afferat, & illis cœleſti pabulo vegetatis ipſius inſtitutio Sacramenti, proſit jugiter ad ſalutem. Sane dudum felicis recordationis *Urbanus Papa Quartus*, Prædeceſſor noſter, ad Orthodoxæ corroborationem, & exaltationem fidei, digne & rationabiliter ſtatuens, ut de tanto Sacramento, præter illam, quæ dietim in Eccleſia fieret, annuatim, memoria ſolennior, & ſpecialior haberetur, & ad celebrandum ejus tam excelſum, tamque glorioſum feſtum, quintam poſt octavas Pentecoſtes feriam deſignans, ipſosque fideles ad colendum illud, donis ſpiritualibus animare volens, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in matutinali officio feſti ejusdem in Eccleſia, qua illud celebraretur, intereſſet, centum: qui vero Miſſæ, totidem: & qui in primis ipſius feſti Veſperis, ſimiliter centum: qui autem in ſecundis, totidem: illis vero, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Completorii, & horarum officiis, pro qualibet ipſarum, quadraginta: eis autem, qui per octavas ipſius feſti, Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, aut prædictarum horarum officiis intereſſent, ſingulis octavarum ipſarum diebus, etiam centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxavit. Nos vero, qui hujus curricula mundi ſuperſtitioſis hæreſis fomentis, guerrarumque turbinibus, nec non peſtis, & aliarum, quæ dietim ex Divinæ Majeſtatis, ut formidamus, offenſa circumſtrepunt, calamitatum diſpendiis, fines, proh dolor, adducere cernimus paſſim deteriores; amplioribus ſpiritualis recompenſationis impendiis fideles eosdem ad impendenda pro veneratione Sacramenti hujusmodi, ut illud, quo paſcantur, & ſalventur, ipſorum corda perluſtret, potiora reverentiæ & devotionis exercitia firmare ſummopere cupientes; ſingulis ex eis vere pœnitentibus, & confeſſis, qui & quoties ipſius Sacramenti profeſto jejunium, vel loco illius, aliud pium, juxta ſuorum conſilia Confeſſorum, opus fecerint; centum: & qui præmiſſis in Eccleſiis, quibus illa celebrare contigerit, officiis interfuerint, nec non Epiſcopis, & aliis Prælatis ſuperioribus, qui dictis officiis libenter intereſſent, ſed quo minus eis in ipſis Eccleſiis intereſſe posſunt, pro conſervandis ſuarum dignitatum juribus, ac alias tunc legitime impeditis, pro Matutinalium, ducentos; pro Miſſæ, totidem; ac pro qualibet Veſperarum, etiam ducentos, reliquarum vero, videlicet, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii feſti, octuaginta; Rurſus autem in quibuslibet octavarum diebus, pro ſingulis, Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, ſimiliter centum; nec non reliquarum horarum officiis hujus-

hujusmodi, quadraginta; Illis præterea, qui Processiones, in quibus ipsum vivificum Sacramentum dicto festo, juxta præfatarum Ecclesiarum ritus, deferetur, continuo secuti fuerint; ac quibuslibet in festo, & octavarum diebus hujusmodi, pro pace & tranquillitate Ecclesiæ Missas devote celebrantibus, pro singulis ipsarum, nec non aliis in eodem festo Eucharistiæ Sacramenta devote sumentibus, etiam centum singulis annis, profecto vice qualibet, eis, qui, dum Corpus Dominicum communicandis defertur infirmis, illud cum incenso luminarum præcedendo, vel sequendo reverenter, similiter centum; & qui tunc alias illud devote secuti fuerint, etiam quinquaginta dies, de Omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli authoritate confisi, de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxamus, quodque in Festo, & diebus Octavarum hujusmodi, in terris & locis Ecclesiastico quavis auctoritate suppositis interdicto, pulsatis campanis, januis apertis, & alta voce, excommunicatis penitus exclusis: sed interdictis, ut citius reconciliari studeant, admissis & illis, qui causam, vel occasionem hujusmodi interdicto dederint, Altari tunc nullatenus appropinquantibus, Missæ, & alia officia licite celebrari possint, authoritate Apostolica concedimus per præsentes: aliis, quæ circa observationem interdictorum a nostris sunt instituta Prædecessoribus, in suo robore duraturis. Et insuper universos Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos, monemus, & hortamur in Domino, ac eis per Apostolica scripta, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, & in remissionem peccaminum injungimus, ut per se, vel per alios eorum subditos, per singulas suarum Civitatum & Diœcesium Ecclesias, in Dominica, Feria, & Festo prædicto proxima præcedente, salutaribus ad venerationem potissimi Sacramenti hujusmodi, monitis & exhortationibus, præsentium literarum continentiam, & effectum publicare, & insinuare procurent; ut eodem suffragante mysterio, subditi, & fideles Christi, gratiarum uberiori fulciantur augmento, & ab illo, qui se immolavit Hostiam, post hujus vitæ cursum, ad gloriam perducantur æternam. Verum, quia difficile foret, hujusmodi literas singulis exhiberi: volumus, & eadem authoritate decernimus, quod ipsarum transumpto, manu publica, & sigillo alicujus Episcopi, & Superioris Ecclesiasticæ Curiæ munito, tanquam præfatæ originalis exhiberentur literæ, plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ originales literæ forent exhibitæ, & ostensæ. *Datum Romæ*, apud Sanctos Apostolos, *septimo Calendas Junii*, *Pontificatus nostri anno duodecimo.*

De intimatione Festivitatum solemnium ultra dies Dominicos.

Item, quia ad audientiam nostram deductum est, quod Divinorum Rectores, & Verbi DEI disseminatores plurima Festa, ultra dies Dominicos, quam per jus commune provisum, per Nos, & Prædecessores nostros ordinatum est, in & per Diœcesin nostram, sub præcepto & obedientia Ecclesiæ celebranda, Plebisanis suis intimare, & publicare soleant: ex quo sequitur, quod Christi fideles conventiones faciunt, tabernas, & alia loca inhonesta accedunt, ludos, & choreas attentant, bona eis a DEO collata, aut magnis laboribus acquisita, inutiliter dissipant: unde tandem homicidia, adulteria, stupra, infinitaque alia peccata, & scandala oriri, & committi palam est. Nos his occurrere volentes, quæ Festa tam de jure, quam consuetudine dudum observata in Diœcesi nostra celebrari consueverunt; & in quorum Vigiliis, aut ex præcepto juris, aut ex consuetudine jejunari debeat, hic inseri jussimus, & annotari fecimus, videlicet: Nativitatis Domini cum tribus sequentibus cum jejunio in Vigilia; Circumcisionis; Trium Regum; Conversionis Sancti Pauli, Purificationis Mariæ cum jejunio; Annunciationis Mariæ cum jejunio; Diei Paschæ cum duobus sequentibus cum jejunio; in Vigilia Philippi & Jacobi; Inventionis Sanctæ Crucis; Joannis ante Portam latinam, Patroni totius Diœcesis principalis; Ascensionis Domini; Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, cum jejunio in Vigilia Corporis Christi, Joannis Baptistæ cum jejunio in Vigilia; Petri & Pauli cum jejunio; Visitationis Mariæ cum jejunio; Donati secundi Patroni Diœcesis; Laurentii cum jejunio;

Aſſumptionis Beatæ Virginis cum jejunio; Michaelis, Simonis & Judæ cum jejunio; Omnium Sanctorum cum jejunio; Martini, Catharinæ cum jejunio ex conſuetudine; Conceptionis Mariæ, Thomæ Apoſtoli cum jejunio; Barbaræ cum jejunio ex conſuetudine; Nicolai cum jejunio ex conſuetudine; Univerſis & ſingulis Presbyteris, Curatis, & Verbi Dei Prædicatoribus, in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus tantum Feſta præmiſſa, & non alia, ſub præcepto, in Diœceſi noſtra ſolenniter celebranda, populo veſtro intimetis, & notificetis: Aliorum Sanctorum & Patronorum Eccleſiarum Feſta, cum Officiis Divinis in Eccleſiis juxta denuntiationem veſtram diligenter peragendo. Si quis contrarium attentare præſumpſerit, debitam noſtram non evadet ultionem.

De Divino Ordine.

Item volentes occurrere confuſioni, quam aliquoties ex diſtorta, & minus diligenti obſervatione Divini Ordinis fieri percepimus; omnibus & ſingulis Archi-Presbyteris noſtræ Diœceſis, ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ præcipimus, ut quilibet eorum in Synodo Lucæ, Ordinem Divinum pro tunc publicandum, recipere debeat in ſcriptis; ipſum deinde in conventione proxima Presbyterorum ſuæ ſedis, quam quilibet poſt ſingulas Synodos, infra ſpatium quindenæ pro denunciatione præceptorum, & mandatorum in ipſa Synodo publicatorum, facere tenetur, ipſis ſuæ ſedis Presbyteris, ſub ſalario, aut pretio competenti, communicare. Si quis autem eundem recipere non curaverit, illum ex tunc, pro ex nunc, in dimidia libra ceræ, pro fabrica noſtra applicanda, præſentibus condemnamus.

De vaſis pro Chrismate mittendis.

Item volumus, quod omnes Presbyteri Curati, mittentes nuncios ſuos in bona quinta feria pro receptione Chrismatis, Olei ſancti, & Olei infirmorum, vaſa & receptacula eorum in ſuperficie, literis conſuetis ſignari procurent, ne error circa impoſitionem talium committatur. Si quis autem circa iſta negligens inventus fuerit, juxta condignum corripietur.

De Altaribus nondum confirmatis.

Item, quia nonnulli Altarium Rectores in noſtra Diœceſi conſtituti, contra Sacrorum Canonum inſtituta, ipſorum Altaria dudum a retroactis temporibus tenuerunt, & hodie detinent, nondum confirmata; de quo contingit multipliciter cenſus cum ſuis ſummis capitalibus minorari, aliquando penitus in nihilum redigi: ſequitur tunc, quod bona ſpes Chriſti fidelium, qui ad hujusmodi Altaria manus porrexerunt adjutrices, defraudatur, aliorumque, qui ad ipſa legata fecerunt, ultima voluntas contra Sacrorum inſtituta Canonum immutatur; Huic morbo ſalubre remedium invenire volentes, præſentium auctoritate præcipimus, & mandamus, quatenus omnes & ſinguli hujusmodi Altarium Rectores, ipſorum Altaria dudum fundata, & nondum confirmata, infra duos menſes a data præſentium, & eis facta notificatione; Altaria vero, in futurum fundanda, & dotanda, infra ſpacium ſex menſium a die fundationis incipiendo, confirmari procurent, alioquin ipſis, terminis lapſis, in hujusmodi Altaribus celebrationem interdicimus Divinorum; acrius contra Rectores negligentes proceſſuri.

De cæmeteriis & fructibus in iisdem creſcentibus.

Quia cœmiteria Eccleſiarum, ubi fidelium corpora, ex quibus multi ſine dubio cœleſtes poſſident, & inhabitant manſiones, in licito honore non ſervari percipimus: igitur, univerſis & ſingulis noſtræ Diœceſis Curatis Presbyteris præcipimus, quatenus Plebiſanos ſuos, ac Cuſtodes Eccleſiarum ſuarum publice in ambone requirant, & admoneant, ſubque pœna obedientiæ præcipiant; ne deinceps equos, porcos, aut pecora quæcunque, exceptis volatilibus, in cœmiteriis paſcant, neque hoc familiam ſuam facere permittant quovismodo: alioquin contrarium facientes ſe noverint graviter puniendos.

Item, ſicut Prædeceſſores noſtri conſtituerunt, ut gramina & arbores, cum fructibus eorum in cœmiteriis creſcentes, nulli, niſi Plebano in uſum cedere debeant: ita Nos præſentibus, ad idem ſic fieri demandamus, & ſtatuimus.

De

De Recmptionibus censuum beneficialium.

Item volumus, quod nemo Beneficiatus, per Diœcesin nostram habens ad suum Beneficium census reemptionis, postquam illi reemuntur, & capitalis summa cum ipsis censibus præsentatur, audeat illam sine consilio Prælati sui vicinioris, nec sine consensu Collatorum, si in vicino haberi poterint, accipere, vel exponere, ut minoratio censuum, quantum possibile sit, evitari possit. Contrarium si quis facere attentaverit, digna animadversione adversus eundem insurgemus.

De Casibus Episcopalibus.

Item universis Presbyteris, & Confessoribus inhibemus, ne de cætero, quantamcunque specialiter vel generaliter habeant authoritatem, in Episcopalibus Casibus absolvendi, audeant absolvere homicidas, incendiarios, vel effractores Ecclesiarum, & qui in eorum Ecclesiis vel cœmiteriis rapinam commiserint, vel qui inibi aliquem percusserint, vulneraverint, captivaverint, vel violentiam injuriosam fecerint, parentumque & Clericorum percussores, monetarum, seu literarum falsificatores fuerint: sed tales ad Nos pro obtinenda venia & absolutione remittant; nihilominus talibus ingressum Ecclesiæ, quousque a Nobis veniam, aut absolutionis beneficium obtinuerint, interdicimus, absolutionibus peregrinis & quæstorum non obstantibus.

De Proclamatione circa Matrimonia contrahenda, facienda.

Item, licet jure cautum sit, quod dum aliqui Matrimonia contrahere voluerint, Proclamationes, sive edicta in Ecclesiis per Presbyteros publice proponi debeant, competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, legitimum impedimentum opponat: & ipsi nihilominus Presbyteri investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat; & si apparuerit conjectura probabilis alicujus impedimenti circa copulam contrahentium, contractus interdicatur expresse, donec, quid fieri debeat, manifestis constiterit documentis. Et si quis clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter; soboles de tali conjunctione suscepta, illegitima censeatur; de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahentes, non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Sacerdos, qui ejusmodi conjunctiones prohibere contempserit, aut qui præsumpserit eis interesse, juxta Canonicas Sanctiones puniatur. Quia tamen illa jura in nostra Diœcesi hactenus negligenter observata existunt, ex quo animarum pericula proveniunt, & proles, quæ ex Canonibus illegitima judicatur, si ipsa jura servarentur, legitima utique censeretur: Nos hujusmodi periculis occurrere volentes, præsenti statuto sancimus, ut nullus Sacerdotum, aliquos matrimonialiter copulare præsumat, nisi prius tribus diebus Dominicis, aut Festivis, competentia tamen intervalla habentibus, edicta, in Ecclesiis, in quibus morantur contrahentes, secundum formam supra scriptam proponantur: & quicunque Sacerdotum præsens Statutum, imo jus Ecclesiæ non observaverit, præter pœnam Canonicam eis de jure infligendam, per octo dies continuos ingressum Ecclesiæ sibi noverit interdictum. Ne etiam laici prætextu ignorantiæ ab hujusmodi transgressione Statuti vel Juris se valeant excusare: volumus, ut singulis diebus Dominicis, inter festum Epiphaniæ Domini, & Dominicam *Circumdederunt*, annis singulis, cum eo tempore, plus aliis temporibus fieri consueverunt hujusmodi contractus, præsens nostrum Statutum per quemlibet Sacerdotem Parochialem, in sua Ecclesia publicetur, & in materna lingua laicis exponatur; in locisque, ubi habentur plures Presbyteri, solum per illos, qui proclamationes fecerint, aut de eorum jussione, volumus de cætero conjungendos copulari.

Ne causæ matrimoniales per alios, quam Judices competentes audiantur.

Quoniam, ubi majus periculum, ibi avidior diligentia est adhibenda: &, quia in causis matrimonialibus, summum periculum vertitur animarum; ea de re districte præcipiendo mandamus, ne quis Presbyter Curatus, sive non, ullam causam matrimonialem, aut sponsaliorum audi-

audire, decernere, aut diffinire præsumat, vel quoscunque amicabiles tractatus inter tales personas habeat, sive ipsis partibus, per quas hujusmodi contractus (uti præfertur) initus est, facultatem vel authoritatem ad alia vota matrimonii convolandum, concedat: cum causæ hujusmodi (*) habeant, & Statuta Canonum non ignorant, duntaxat sint tractandæ. Quare caveat sibi quivis diligenter, ne falcem suam in messem mittat alienam, & ne contra hoc nostrum Statutum quicquam attentare præsumat: alioquin, ultra pœnam Canonicam sibi infligendam, gravissime punietur.

De Clericis vagis & peregrinis.

Item præcipimus & mandamus omnibus Prælatis & Clericis nostræ Diœcesis, cujuscunque status aut conditionis fuerint; ne Clericos ignotos & aliarum Diœcesium, in suis Beneficiis ad officiandum recipiant, sine nostris literis receptoriis, aut licentia nostra speciali: cum tales ignoti, & aliarum Diœcesium Clerici, ut plurimum sunt infames, irregulares, sive excommunicati, &, quod horrendum est dicere, homicidæ. Si quis etiam talem vel tales haberet apud se, eum vel eos mox a se dimittat: alias vos omnes, & quemlibet vestrum, ex tunc, prout ex nunc, Ecclesiæ suspendimus ab ingressu; ad alias pœnas graviores, si necessarium fuerit, processuri.

De Religiosis se terminarios afferentibus.

Item intelleximus, qualiter multi Religiosi ordinis mendicantium, se terminarios asserentes, cum tamen non sint, in nostra Diœcesi, faciunt petitiones, tam in civitatibus, quam villis, Parochialibus Sacerdotibus in non modicum damnum & gravamen: propterea volumus, ac omnibus Divinorum Rectoribus nostræ Diœcesis injungimus & præcipimus, ne de cetero quempiam talium admittant, nisi nostras, vel Officialis nostri literas exhibuerit, sigillis debitis roboratas & munitas.

De Mandatis peregrinis, & Judicum incognitorum.

Fraudibus impetrantium rescripta Apostolica, per quæ subditi extra Diœcesin & civitatem fatigantur, suspensi, excommunicati, & interdicti nunciantur, erroribus obviare volentes; statuimus & ordinamus, quod nullus, ad cujuscunque Judicis ignoti requisitionem, se delegatum, vel subdelegatum, vel executorem Sedis Apostolicæ nominantem, & asserentem, aliquam citationem seu publicationem processuum quorumcunque audeat facere, nisi prius de jurisdictione ipsius sibi, per ostensionem Bullæ Apostolicæ, vel transsumptæ authoritate Ordinarii per manum publicii Notarii, facta fuerit plena fides: alioquin contrarium facientes gravissime puniemus.

De Quæstoribus & denunciatoribus indulgentiarum indiscretarum.

Percepimus etiam, quod nonnulli in & per Diœcesin nostram, sine licentia nostra, prædicant, absolvunt, & indulgentias publicant indiscretas, ut simplices decipiant, & aurum, subtili, imo fallaci ingenio, extorqueant ab iisdem; quod, cum in animarum cedat periculum & scandalum plurimorum: Nos huic pestifero morbo obviare volentes; præcipimus, ne aliquis de cetero quæstores vagos, aut Eleemosynarum petitores, nec imaginum portatores, ad prædicandum seu publicandum indulgentias, seu petendum elemosynas, etiam ostiatim, nisi in pane & potu tantum, in sua Parochia admittere præsumat, quantum in eo est; nisi licentiam nostram ad hoc habuerit specialem; religiosis duntaxat nostræ Diœcesis mendicantibus Nobis præsentatis, & Canonice admissis exceptis, quibus per præmissa nullum volumus præjudicium generari.

De his, qui se Notarios publicos asserunt.

Item prohibemus, ne Personæ, se Notarios publicos asserentes, in Diœcesi nostra, officium tabellionatus exercere, neque acta, seu instrumenta in judiciis, aut extra conscribere præsumant, sub pœna excommunicationis majoris: quam quemlibet transgredientem hanc nostram inhibitionem, incurrere volumus ipso facto, nisi ante omnia Nobis aut Officiali nostro se exhibeant, & de idoneitate, legalitate, & aliis circumstantiis, ad præmissa concurrentibus, fuerint examinati,

(*) *Desiderantur aliqua.*

nati, & approbati, & de hoc, per literas noſtras, vel Officialis noſtri, fidem fecerint plenariam. Decernimus etiam, ut acta, vel inſtrumenta per dictas perſonas, ſeu eorum alteram, contra hanc noſtram ordinationem conſcripta, aut conſcribenda in antea, robore careant, nec fidem faciant pro his, pro quibus ſunt confecta.

De executione debita mandatis & proceſſibus facienda.

Non ſine magna mentis amaritudine percepimus, quod noſtræ Diœceſeos major numerus Plebanorum, & Presbyterorum, obedientiæ Nobis promiſſæ immemores, dum proceſſus, ſeu mandata noſtra, ſive etiam Officialis noſtri, aut aliorum noſtrorum Prælatorum noſtræ Diœceſis, contra aliquem per eos denuncianda in manus eorum præſentantur; certi ex eis, omni poſtpoſita reverentia, maledicendo jam literis, jam nunciis, aut ſe non eſſe deputatos executores denunciandorum, audaciter aſſerentes, difficulter easdem vel eosdem ſuſcipiunt: alii, etſi ſuſcipiunt, tenorem tamen eorundem minime perſpiciunt, ſed ſine omni differentia ſingula mandata, omni ſolennitate omiſſa, denunciant; non advertendo, quod ſacratiſſima Canonum inſtitutio, atque longæva & inveterata conſuetudo, juxta majorem, & minorem Eccleſiaſticam cenſuram, aliam & aliam ſolennitatem, in laicorum terrorem, ſervandam eſſe, inſtituit, atque ordinavit. Sunt & nonnulli alii, qui, licet ſolitam & conſuetam ſolennitatem in denunciando ſervare ſolent, mandata tamen hujusmodi vix una, aut bina, ſeu ad maximum trina vice in conſpectu ſuorum Parochianorum denunciant, cum tamen talia ſingulis Dominicis diebus, juxta communem mandatorum, formam & tenorem denunciare ſint obligati. Hi omnes minime conſiderant, quod noſtro ævo, libertates, privilegia, bona Spiritualia, & Eccleſiaſtica Beneficia, per cenſuram Eccleſiaſticam manutenere, tueri, atque in eſſe conſervare poſſumus; ea igitur omiſſa, ut prædicta pereant, & annihilentur, neceſſe eſt. Ideo diſtricte præcipiendo mandamus univerſis & ſingulis Divinorum Rectoribus, ceterisque Presbyteris noſtræ Diœceſis, ut in executionibus mandatorum prædictorum, ſupra enarrata in derogationem Eccleſiaſticæ libertatis, noſtræque jurisdictionis, de cætero minime attentent quovis modo: ſed ipſa ſolita, & conſueta ſolennitate ſervata, quoties fuerit opportunum, & neceſſe, excuſatione omni ſiniſtra poſthabita, publice ac diligenter denuncient, atque executionem debitam in ſcriptis manu propria, cum annotatione proprii nominis & cognominis, ac officii, an Plebanus, Prædicator, Altariſta, vel Capellanus ſit, hujusmodi proceſſibus faciant, numerum annorum, a Nativitate Domini, & diem ſuæ executionis etiam adjungendo: alioquin quemlibet contra facientem, veluti negligentem & rebellem graviſſime puniemus.

De mulieribus abortivos parient.

Quoniam ex longæva, & hucusque tenta conſuetudine, qua indifferenter omnes noſtræ Diœceſis mulieres aborcientes, ſolennem ſubire pœnitentiam ſolitæ ſunt, plures utriusque ſexus homines, plurima acceperunt ſcandala, prout in his quoque indies magis ac magis accipiunt: Nos ſcandalis hujusmodi acceptis, de Venerabilis Capituli noſtræ Eccleſiæ Miſnenſis maturo conſilio, ut de cetero nullus Sacerdotum Parochialium noſtræ Diœceſeos aliquam ſuæ Parochiæ mulierem abortivum parientem, pro ſolenni ſuſcipienda pœnitentia, niſi certificatus, quod cauſam vel occaſionem talis modi partui dederit, ad Nos, vel Generalem noſtrum remittere attentet: ſed potius, ubi de cauſa vel occaſione hujusmodi non conſtiterit, eandem, ut ſe Archipresbytero ſedis ejus, in qua abortivum illud editum eſt, ad examinandum de culpa, infra ſpacium trium menſium infelicis ſui partus continue computandum, ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, repræſentet, moneat, & inducat: cui quidem Archi-Presbytero in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus ac mandamus, quatenus omni acceptione perſonarum ſecluſa, mulierem ſic ad eum venientem, de circumſtantiis ſingulis ad rem facientibus, diligenter examinet, & inquirat: an ipſa videlicet, vel ejus maritus, vel alter qualiscunque ea faciente, vel conſentiente, abortivo ſuo cauſam dederit vel occaſionem: & ſi illam, aut quemcunque alium in hoc culpabilem reperiet;

periet; talem ad Nos, pro condigna sumenda pœnitentia; alioquin ſine omni emenda ad Paſtorem aut Plebanum ejus, qui ei, nec intereſſentiam Divinorum, neque prætextu partus illius ſubtrahat Sacramenta, remittat: ut eo medio, innocentes mulieres, ultra perpeſſam earum afflictionem, minime affligantur, & nocentes qualeſcunque debitam non effugiant diſciplinam.

De Sepultura Eccleſiaſtica, & ejusdem libera electione.

Item, ut cujuslibet diſſenſionis materia, quæ ſuper electione ſepulturæ Eccleſiaſticæ, inter noſtrum Clerum & Religioſos exemptos, & non exemptos poſſit oriri, ſublatis fraudibus ſingulis de medio tollatur: Nos de conſenſu & conſilio Capituli noſtræ Eccleſiæ Misnenſis prohibendo ſtatuimus, ut nullus hominum noſtræ Diœceſis, cujuscunque ſtatus vel conditionis fuerit, audeat ſub quacunque forma verborum, conſilio, vel ſigno, inducere aliquem vel aliquam, ad eligendum ſepulturam extra Eccleſiam ſuam Parochialem: ſed cuilibet ſit liberum, prout Deus ei inſpiraverit, eligere ſepulturam de ſe, vel per ſe, etiam in loco minus religioſo, ſecundum Canonum Sanctiones. Facientes vero contra prohibitionem noſtram præfatam, excommunicationis ſententiam, quam ex tunc, prout ex nunc, & econtra in tales ferimus, præſenti noſtro Satuto, incurrere volumus ipſo facto, qua transgreſſores tamdiu conſtringi volumus ipſo facto, quo uſque abſolutionis Beneficium meruerint obtinere. Simili pœna eos, vel eas conſtringi volumus, qui vel quæ pro ſepultura aut alias donare, vel legare volentem a donando vel legando, ſive donato aut legato, ſine juſta cauſa retraxerint vel revocaverint quoquomodo, ſed teſtatorem ultima voluntate ſive libertate, quam ei leges & Canones conceſſerunt, uti & frui permittant.

De Statu Monialium, Monaſteriorumque cuſtodia & clauſura.

Et quia, ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio plenius eſt conſulendum, cum autem comperimus, quod circa receptionem Virginum in Sorores ad Clauſtra, & Cœnobia Sanctimonialium, pericula plura proveniant animarum, ut frequentius ſimoniace recipiantur: veluti evidenter in eo patet, quod cum pacto & conventione, ſuper determinato precio in certo termino ſolvendo, & non alias, neque aliter admittuntur: unde, non ſolum recipientes, ſed & perſonæ receptæ, abominabile peccatum ſimoniæ damnabiliter incurrunt, imo, ultra hæc, pœnam Canonicam quæ eſt, quod tam perſonæ ſic recipientes, quam rereceptæ, ſine ſpe reſtitutionis, de ſuis debent Monaſteriis expelli, & in locum arctioris regulæ, ad perpetuam agendam pœnitentiam detrudi, ſecundum Canonum Sanctiones: & quod ut frequentius ad dicta clauſtra, ultra, quam vires bonorum, & fructus eorundem ſe extendunt, ſorores plurimæ recipiuntur; ex quo contingit, quod receptio talium ſororum eſt ipſo jure nulla: propterea volentes huic periculo non modico obviare, quantum poſſumus: omnibus & ſingulis Præpoſitis, Abbatiſſis, & Prioriſſis Sanctimonialium noſtræ Diœceſis, & Nobis ſubjectis præcipimus ſub pœna excommunicationis, quam eos & eas incurrere volumus ipſo facto, octo tamen dierum ſpacio pro monitione Canonica præmiſſo, ſi noſtro non paruerint mandato; ut de cetero, nullam aliqualiter in ſororem, aut etiam puellas ſeculares, ad Monaſteria ſua recipiant, ſine noſtra licentia ſpeciali petita & obtenta: alias, ſecus facientes, excommunicatos, publice nunciari faciemus, ad graviores pœnas, ſi opus fuerit, procedentes.

Item, licet per jus commune ſit proviſum, & maxime *Bonifaciana conſtitutione* caveatur, omnes & ſingulas Sanctimoniales, atque Deo dicatas virgines, ſub perpetuis clauſuris, debere in ſuis Monaſteriis permanere, ipſisque nulla tribuatur facultas exeundi, niſi diebus & caſibus infra ſcriptis. Videlicet, ſi aliqua eſſet infirma, & cum aliis ſine gravi periculo non poſſet converſari: & ſi Monaſteria haberent aliqua bona in feudum a Principibus & Dominis temporalibus: tunc Abbatiſſa, aſſumptis ſibi duabus antiquis & non ſuſpectis ſororibus, exire poterit ad ſuſcipiendum hujusmodi feudum: eo ſuſcepto, ad ſuum Monaſterium ſine mora reverſura. Et quanquam volebamus executioni hujusmodi jurium commu-

munium, noſtro conanime, ſicuti ex officii noſtri debito tenemur, intendere: prohibuimus omnes & ſingulas Sanctimoniales, quorumcunque Monaſteriorum Nobis ſubjectorum, per certa noſtra Statuta ſuper edita, ſub certis pœnis in eis contentis, & quæ majoribus culpis, ſecundum Regulam Sancti Benedicti infligi conſueverunt, ne ſua Monaſteria exirent ſine noſtra ſpeciali licentia. Attamen hujusmodi noſtra Statuta, & pœnas in eis contentas parvi pendentes, ſua Monaſteria exire non formidant, propter quod ad pœnas arctiores contra ipſas arcemur. Unde, præſenti noſtro Statuto, prohibemus ſub pœna excommunicationis, omnibus & ſingulis Sanctimonialibus noſtræ Diœceſis, quorumcunque Monaſteriorum Nobis ſubjectorum, ne de cætero ſua Monaſteria, vel clauſuram ſuorum Monaſteriorum exire præſumant, ſine noſtra licentia ſpeciali: & ſi aliquæ jam exiverint, illas peremptorie monemus, ut infra ſex dies continuos, poſt præſentium publicationem, ad ſua Monaſteria redeant, nec clauſuram egrediantur, niſi licentia a Nobis petita, & obtenta: alioquin contrarium facientes, excommunicationis ſententiis decernimus ſubjacere, præcipiendo, ipſas, & ipſam ab omnibus Chriſti fidelibus arctius evitari: Præpoſitis Monaſteriorum eorundem injungimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ, diſtricte præcipiendo mandamus, ut ipſis, tanquam malæ mentis, tunc Præbendas ſuas ſubtrahant, & eisdem non plus, quam panem & aquam miniſtrare præſumant, donec abſolutionis beneficium meruerint a Nobis obtinere.

Item, quia illas ipſas pœnas timemus adhuc ab exitu eas non poſſe coercere; igitur omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, vel eorum loca tenentibus, in perque noſtram Civitatem & Diœceſin Miſnenſem ubilibet conſtitutis, ſub banno obedientiæ præcipimus, & mandamus, quatenus tribus diebus Dominicis, poſt Synodum æſtivalem ſingulis annis, in ſuis Eccleſiis, publice, ſub excommunicationis pœna prohibeant omnibus & ſingulis Parochianis ſuis utriusque ſexus, quibus & Nos ſub pœna eadem inhibemus, ne Sanctimoniales prædictas ſine noſtra licentia Monaſteria ſua exeuntes, ad ſua hoſpitia recipere, & tenere, aut eis alimenta præbere, aut aliqua obſequia exhibere præſumant: & ſi qui aliquas receperint, & in domibus ſuis, ſeu hoſpitiis tenuerint, illos peremptorie monemus, ut intra ſex dies continuos veſtræ monitionis illas dimittant: alioquin contrarium facientes, in ipſos præſenti ſtatuto excommunicationis ſententiam promulgamus: Et cum vobis Eccleſiarum Rectoribus de illo conſtiterit, ipſos omnes, & quemlibet eorum excommunicatos publice nuncietis, facientes ipſos, & ipſam ab omnibus Chriſti fidelibus arctius evitari, donec abſolutionis beneficium a Nobis meruerint obtinere.

Item præcipimus, & mandamus, quod Præpoſiti & Abbatiſſæ Monaſteriorum Monialium, clauſuram Monaſteriorum ſuorum ſub diligenti habeant cura, nec quemquam virorum, cujuscunque ſtatus, conditionis, ordinis, ſive profeſſionis exiſtat, die noctuque Monaſteria intrare, nec Monialibus in manifeſto, ſive occulto confabulare permittant, niſi ex legitima neceſſitate hoc fieri oporteat, quod tamen in audientia & præſentia trium Monialium, & de licentia Abbatiſſæ fieri debet: alioquin ſcandala, ſi quæ in perſonas Monaſteriorum evenerint, de his rationem eorundem de manibus Præpoſiti & Abbatiſſæ requiremus.

De Rectoribus Scholarum, & ſuis Conſociis.

Item, quantum in Nobis eſt, volentes modis, quibus poſſumus, errores & negligentias in noſtra Diœceſi tollere, deliberatione provida duximus inhibendum Rectoribus Scholarum in ſtudiis particularibus, ſuccentoribus, locatis, & collaboratoribus eorundem, ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ: ne de cætero in ipſorum Scholis, ſeu locis aliis quibusvis, præterquam in ſtudiis privilegiatis, libros ſacræ Paginæ, atque Juriſtarum legant, aut declarent publice, aut occulte, imo in ſtudio artium liberalium ſtent contenti: quoniam plerumque, ut experientia didicimus, ex talium in particularibus ſtudiis, lectionibus & declarationibus, pericula non pauca inſurgunt animarum, ſectæque quam plurimæ, & errores inde oriuntur, & quod

quod potius hæreſes exinde poſſent pullulare: expoſitionem tamen Evangeliorum, Epiſtolarum, Hymnorum, & Sequentiarum in materna lingua permittimus.

De numero Patrinorum pro Baptiſmatis ſuſceptione.

Item, cum Sacramentorum perceptione omnia, quæ eadem maculare poſſunt, ſint ſalubriter reſecanda, providendum duximus, ut in Sacramento Baptiſmatis, quod aliorum janua eſt Sacramentorum, Patrinorum pluralitas, quæ arrogantiæ, ſeu cupiditatis gratia plerumque fieri conſuevit, abdicetur: præcipimus, ut baptizandus, uno, aut juxta patriæ conſuetudinem, duobus, vel tribus Patrinis in antea ſtet contentus: maxime, cum ex nimietate Patrinorum, matrimonialis copula ſæpe impediatur; & nonnunquam hi, qui per errorem contrahunt, cognationis ſpiritualis reperto impedimento, non ſine gravi perturbationis diſpendio, atque verecundia, coguntur multoties ſeparari: Principibus tamen, perſonis Illuſtribus, ac Nobilibus, Militibus, ac militaribus exceptis, qui propter ſui ſtatus, & ſanguinis altitudinem, circa matrimonia ſolicitam curam gerunt, ut intra patriæ conſuetudinem, Patrinorum numero uti poſſint, permittimus.

De Parochiis, & alienis Parochianis.

Item, univerſos & ſingulos Presbyteros Curatos hortamur, quatenus alienos Parochianos, ad Divina Officia in Eccleſiis veſtris non facile admittatis, ſed unusquisque publice Parochianis ſuis demandet, quatenus ceſſante legitimo impedimento, ſuas Parochias, & non alienas Eccleſias, diebus Dominicis & Feſtis devote frequentent, juraque Parochialia ſolvere non negligant: alioquin tam Plebanos, quam Parochianos contrarium facientes, graviſſime puniemus.

De Decimis & Oblationibus.

Quia experientia didicimus, quod plures Laici, Decimas, Deo & perſonis Eccleſiaſticis Divino etiam jure debitas, antiqui hoſtis Diaboli odio forte ducti, non ſolvunt: vel, ſi ſolvunt, non tamen de frumentis, quæ & qualia eis Dominus dedit; ſed, ſepoſitis melioribus, paleas, & zizaniam, & frumenta omnium datori immolant exiliora, menſuram etiam aliquando fraudantes: unde iisdem invitis datoribus plura mala Divinitus irrogari, palam eſt. Nam ſecundum Auguſtinum, hæc eſt Dei juſtiſſima conſuetudo, ut, qui Decimam non dant, ut tenentur; ad Decimam ipſi revocentur: dabunt impio militi, quod nolebant dare Sacerdoti; & quod nolebant partiri cum Chriſto, poſtea hoc tollitur a fiſco: qui autem dederint, ut tenentur, terrena & cœleſtia præmia merentur: Ideoque mandamus ſingulis Curatis Presbyteris, & eorum Prædicatoribus, dum datur oportunitas, Parochianos omnes veſtros adhortari velitis, ut Deo dent, quæ Dei ſunt, & Cæſari, quæ Cæſaris, neminem fraudantes, nec decipientes: terrena & æterna præmia ab omnium Retributore bonorum pro hoc accepturi.

Item ſtatuimus, & ordinamus, quod omnia, quæ offeruntur in Eccleſiis, ſive Capellis, aut extra Eccleſias, in feſtis Patronorum, & Dedicationis, tam in tabulis, quam ad imagines, inter Plebanum, & ipſos Vitricos nomine fabricæ, pro medietate veniant dividenda. Quod cum cæteris diebus quibuscunque ad tabulas offertur, pro fabrica colligatur.

Item oblationes quæcunque, quæ fiunt in Eccleſiis, ſive Capellis per manus fidelium ſuper Altaria; nulli alteri, niſi Plebano cedere debent, in quibuscunque rebus offerantur.

Item, quod Cuſtodes Eccleſiarum, ſive alius quicunque ceram aut candelas, per manus fidelium ad Altare oblatas, contra voluntatem Plebani diſtrahat, tanquam abſurdum reprobamus.

Item, oblationes factæ in Eccleſiis, vel Capellis ad Crucem in die Paraſceves, Sabbatho Sancto, & nocte Dominicæ Reſurrectionis, ſive in pecuniis, cera, candelis, aut rebus aliis conſiſtat, cum oblationes ſint Eccleſiæ, easdem duntaxat Plebano debere mandamus, niſi in contrarium conſtiterit de privilegio, aut jure ſpeciali.

De Proviſoribus, qui Vitrici, ſeu Altärmanni Eccleſiarum dicuntur.

Inſuper juribus Eccleſiæ noſtræ, & Statutis aliis Synodalibus inhærendo, decer-

cernimus, & declaramus, quod Provisores Ecclesiæ, vel fabricæ, qui vulgato proverbio Vitrici, sive Altärmanni, nuncupantur, nonnisi de consensu Plebanorum assumantur; singulisque annis in præsentia Plebani, vel vices suas gerentium, Consulum civitatum, aut Scabinorum in villis, toties, quoties Plebano expedire videbitur, & semel saltem ad minus in anno, ad ipsius Plebani requisitionem, de omnibus & singulis nomine Ecclesiæ perceptis, & expositis, diligentem & solicitam facere debeant, & teneantur rationem. Contrarium facientes, Plebani ipsi Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus absque mora denunciari curent, censura Ecclesiastica contra illos procedere non omittemus.

De Testamentis, & iis, qui liberam facultatem testandi inhibent.

Accepimus non sine cordis amaritudine, quomodo certi Nobiles, Consules, & Rectores civitatum ac oppidorum, nec non singulares quædam personæ, temporale Dominium in locis quibusdam nostræ Diœcesis obtinentes, improvidis suis ordinationibus, jussionibus, & præceptis, liberam testandi facultatem, nedum a Sacris Canonibus, verum etiam Imperialibus Constitutionibus, cuilibet fidelium, ad pias præsertim causas datam & concessam, refrænare, & impedire molientes, statuere, & inhibere nituntur, prout de facto statuerunt, & inhibuerunt: Et quidam, ne subditi sui, vel alias eorum regimini crediti, pro remedio & salute animarum suarum, Ecclesiis, Monasteriis, seu aliis piis locis, aut etiam personis Ecclesiasticis, quicquam legare, vel relinquere: Cæteri vero, & si quicquam eorum subditi & crediti testari voluerint, id tamen, nisi sub certa quantitate, vel saltem absque Scabinorum, vel aliorum suorum Officialium scitu, voluntate, aut præsentia facere non præsumant, in Ecclesiasticæ libertatis non modicum præjudicium, periculumque, & perditionem animarum plurimarum: Hujusmodi igitur temerariis machinationibus obicem ponere, & saluti animarum, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, de Venerabilis Capituli nostræ Ecclesiæ Misnensis certa scientia, maturo consilio, & unanimi assensu, justissimas illas, atque Sanctas veterum Patrum, Divorumque Imperatorum Constitutiones innovantes, volumus, decernimus, statuimus, & ordinamus: ut de cætero perpetuis futuris temporibus, quilibet utriusque sexus fidelis nostræ Diœcesis, sanæ mentis & compos rationis, assistentibus sibi duobus legitimis testibus suo arbitrio eligendis, quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, seu aliis piis locis, personisve Ecclesiasticis, de bonis & rebus suis sibi a Deo collatis, absque Domini sui temporalis, sive alterius cujuscunque requisitione, seu licentia, voluntate, sive præsentia, libere & licite, prout sibi videbitur, relinquere, testari, & legare possit & valeat, dictis iniquis, injustis, & illicitis ordinationibus, & inhibitionibus non obstantibus quibuscunque, quæ singula & omnia cassamus, annullamus, & irrita denunciamus, ac nullius volumus esse roboris seu momenti; futuroque tempore in condendis testamentis, vel ultimis voluntatibus locum nullum habere debere. Quod si aliqui in sensum reprobum ducti, huic salutari nostro Statuto obviare, & si quem Christi fidelium, ad ordinationes illas iniquas servandas, trahere, & allicere, seu quomodolibet, directe vel indirecte compellere, aut etiam per se ipsos easdem servare præsumpserint: præter pœnas in utroque jure expressas, si singulares personæ fuerint; excommunicationis sententiam incurrant ipso facto: si vero Universitates, Communitates, Collegia, aut aliæ Congregationes, quibuscunque nominibus censeantur, earundem loca, Ecclesiastico subjiciantur interdicto. Ut autem hujusmodi nostri Statuti nullus prætendere valeat ignorantiam: universis & singulis Divinorum Rectoribus, & Verbi Dei Prædicatoribus, per Diœcesin nostram ubilibet constitutis, districte præcipiendo mandamus, quatenus hoc ipsum in Ecclesiis suis, singulis annis, duobus vel tribus diebus Dominicis, aut Festivis, tempore, quo inibi fuerit populi multitudo, materna & vulgari lingua, ut in notitiam cujuslibet venire valeat, clara & dilucida voce, in medio sermonum suorum exponant, & quilibet eorum exponat, dum debitam saltem nostram voluerint evitare ultionem.

De Legatorum divisione.

Quia a nonnullis Plebanis, & eorum Parochianis fuit in dubium revocatum de his, quæ testator pro anima sua legat Ecclesiis, qualiter hujusmodi sint inter Ecclesiam, & Plebanum dividenda: petitum fuit a Nobis, ut præmissa declarare dignaremur. Nos, Prædecessorum nostrorum Episcoporum Ecclesiæ Misnensis (qui, sic in suis Synodis diffinierunt, ac jus commune, quod, quomodo inter Plebanum, & Ecclesiam suam fieri debuit, statuit) vestigiis inhærentes, præsentium tenore sic duximus declarandum: Equidem regulariter verum est, quod Plebanus secundum consuetudinem in dicta nostra Diœcesi observatam, debet de hujusmodi legato mediam habere portionem: considerandum tamen est, utrum aliquid legetur Plebano tantum, aut Ecclesiæ tantum, aut aliquid Ecclesiæ & Plebano, sive Plebano & Ecclesiæ simul: si legetur aliquid Plebano tantum, puta, si ipse Testator dixerit, quod velit istud Plebani tantum esse: isto casu servanda est dispositio Testatoris, & Plebanus totum id habebit. Si autem aliquid legetur Ecclesiæ tantum, Plebanus in isto habere debebit suam dimidiam portionem: quia privata dispositio Testatoris, non potest generalem constitutionem Canonis immutare: nam per nomen Ecclesiæ, intelligitur Plebanus, qui est Caput Ecclesiæ, & ipse Plebanus debet ali de bonis Ecclesiæ, & non econtra: & Plebanus potest habere proprium sine Ecclesia, sed Ecclesia nihil habet, quod non tenetur communicare suis Ministris. Si vero aliquid legetur Plebano, & aliquid Ecclesiæ: tunc de jure communi, sive æqualia, sive inæqualia fuerint legata, sunt ad Canonicam divisionem reducenda: sed consuetudine hactenus servata, quæ pro lege tenenda est, & servanda, in Plebani erit optione, an dispositione Testatoris velit esse contentus, an dare suum legatum, & cum Ecclesia æqualem facere divisionem. Si autem aliquid Plebano, & Ecclesiæ insimul legetur; ista legata etiam ad Canonicam divisionem inter Ecclesiam, & Plebanum sunt reducenda. Si quid vero testatum aut legatum fuerit, quod illud in usum fabricæ, absque cujusve contradictione cedere debet, de hoc ita fieri jubemus. Volumus tamen, quod nulli liceat suggerere in fraudem testatori, pro Ecclesia, aut Ministris ejus legare volenti, per quod a proposito faciendum legata revocetur, aut alias in præjudicium Plebani, aut suorum quicquam practicare.

De Statutis contra libertatem Ecclesiasticam existentibus.

Item, præcipimus omnibus & singulis Plebanis, & Vice-Plebanis, quatenus omnes & singulos, cujuscunque status & conditionis fuerint, in & per nostram Diœcesin constitutos, qui statuta, vel prohibitiones in derogationem, & præjudicium libertatis Ecclesiasticæ confingunt, aut publicant, confinxerunt, aut publicarunt; sive fuerint communitates, sive singulares personæ, peremptorie moneatis, quos ignoratis, in genere: quos scitis, in specie, & nominatim, quos & Nos præsentibus peremptorie sic monemus: ut infra quindenæ spacium, vestram monitionem continue sequentem, hujusmodi statuta & prohibitiones revocent, retractent, cassent, irritent, & annullent, veluti ipso jure cassa, irrita, & nulla sunt; & de transgressione hujusmodi, Deo & Ecclesiæ satisfacere curent. Quod si secus fecerint, eos omnes, & quemlibet eorum, & singulariter singulos, ex tunc, prout ex nunc, & econtra, excommunicamus, hujus Statuti nostri auctoritate vobis injungendo, quatenus omnes, quos ignoraveritis in genere; quos vero scitis, in specie & nominatim, & singulariter singulos, omnibus diebus Dominicis, & Festivis, infra Missarum solennia, publice excommunicatos denuncietis; si nostram vitare volueritis ultionem.

De Constitutionibus Divorum Imperatorum FRIDERICI Secundi, CAROLI Quarti & SIGISMUNDI.

Quanquam per Concilia Generalia, sacratissimosque Canones & Leges, libertati Ecclesiasticæ multipliciter provisum sit; multæque & variæ contra illos, qui vel Statuta, aut Constitutiones libertati Ecclesiasticæ contraria, aut contrarias, vel quicquam contra eandem attentare præsumunt, pœnales Canones & Leges

Leges positæ, & scriptæ, aliquid etiam in nostro proximo Statuto reperitur. Quia tamen inter alios Imperatores, felicis memoriæ *Fridericus Secundus*, & *Carolus Quartus*, nec non *Sigismundus* Caroli filius, veluti Ecclesiæ Romanæ veri Amatores, Defensores, & Propugnatores, magni facientes libertatem Ecclesiasticam, pro ipsius conservatione, tuitione, & defensione, Constitutiones nonnullas ediderunt, quas in Synodis Generalibus publicari voluerunt. Igitur ut nostræ Diœcesis Clerici, Presbyteri, Curati, & non Curati, illarum sciant vim & tenorem, possint & valeant se & sua cum ipsis tueri, injuriantibus resistere: injuriantes etiam, & præcipue isti, qui die noctuque non solum jura Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum usurpare, imo vehementer libertatem Ecclesiæ supprimere, & evellere nituntur, cogitant, & laborant, suas debitas pœnas in illis expressas in posterum non ignorent, neque aliquam ex ignorantia excusationem habere queant: Constitutiones istas ad Statuta nostra Synodalia duximus annectendas. Omnes & singulos Divinorum Rectores, & Verbi Dei Seminatores, cujuscunque ordinis vel conditionis fuerint, in & per Diœcesin nostram ubilibet constitutos, hortamur, & requirimus, districteque præcipiendo mandamus; quatenus amore libertatis Ecclesiasticæ, proprioque quietiori statu, ac totius Cleri majori profectu, hujusmodi Constitutiones diligenter legant, ipsorumque effectum, vim, & continentiam singulis annis, quatuor diebus Dominicis, aut Festivis, ad minus circa quatuor tempora, Parochianis suis materna & vulgari lingua intimare, omnique opera & diligentia exponere, atque declarare curent. In his Deo obsequium, religionique nostræ profectum facient; contrarium tamen facientes, ut rebelles, dignis pœnis afficere non omittemus. Ne tamen pluralitas, tædium posset generare legentibus; non omnem Constitutionum ipsarum tenorem, sed tantum Sigismundi, reliquas duas confirmantem, & in se continentem, cum Bulla Joannis vigesimi tertii Papæ, ac confirmatione Concilii Basiliensis, Constitutiones ipsas confirmantes imprimi volumus, & jussimus.

Tenor Constitutionis Sigismundi Imp., Constitutionem Friderici & Carolinam in se continentis.

SIGISMUNDUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ REX &c. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sublimitatis Imperialis gloriam, invexit supernæ Majestatis veritas, nullos derelinquens virtuosos suppeditatos, & animadvertenter exposcit, ut Romani Imperii gubernaculum tenens, præter alia eximia virtutum opera sua, cunctos, præsertim servitio Dei mancipatos, ab universis oppressionibus & offensis suis semper insistat accurata diligentia clementer sublevare: & ob id Nos, qui ad Romanum Imperium Divina dispositione vocati, curis sollicitamur assiduis, ut præ cæteris tuitioni nostræ commissis, personarum Ecclesiasticarum status venerandus in varietate virtutum, Clerus sublimatus in suis libertatibus, & immunitatibus conservetur, & tueatur, & ab oppressionibus, & a temerariorum ausibus liberetur; nunc novarum Constitutionum editione, nunc antiquarum novatione, & extensione, cum augmento pœnarum, ad gloriam & laudem DEI solerter providere curemus. Sane præclaræ memoriæ *FRIDERICUS Secundus, olim Romanus Imperator*, Prædecessor noster, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ laudem, & Sacri Romani Imperii decorem, cupiens, ut expurgatis quorundam erroribus, & iniquis statutis, de cætero Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ personæ plena vigerent quiete, & secura libertate gauderent: ac pie & juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo abundaverat; ut non dubitarent contra Ecclesiasticam disciplinam, ac sacros Canones sua confingere Statuta; & adversus Ecclesiasticas personas, & Ecclesiasticam libertatem, edictali lege, hujusmodi Statuta iniqua irritaverat, & præceperat irrita nunciari; & omnia statuta, & consuetudines, quæ civitates & loca, Potestates & Consules, aut quæcunque aliæ personæ contra liberta-

bertatem Ecclesiæ, vel personas Ecclesiasticas, ac bona hujusmodi edere, aut servare tentarent contra Canonicas & Imperiales Sanctiones: de ipsorum Capitularibus infra duos menses, post hujus legis publicationem, penitus abolere facerent: &, si de cætero talia attentarent, illa ipsa jure decrevit esse nulla, & eos sua jurisdictione esse privatos: nec non locum, ubi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri Fisco Imperiali præceperat subjacere: Potestates vero, Consules, Statutarii, & Scriptores Statutorum prædictorum, nec non Consiliarii locorum ipsorum, qui secundum Statuta & consuetudines memoratas judicarent, ex tunc essent ipso jure infames, quorum sententias & actus alios illegitimos statuerat aliquatenus non teneri: quodque si per annum præfatorum constitutionum inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum Imperium mandavit impune ab omnibus occupari: salvis nihilominus aliis pœnis, contra tales, in Sacris Conciliis generaliter promulgatis. Etinsuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla communitas, vel persona publica, vel privata, collectas vel exactiones, angarias vel perangarias, Ecclesiis vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis Personis hujusmodi imponere, seu invadere Ecclesiastica bona præsumeret: quod si secus faceret, & requisitus ab Ecclesia vel Imperio, hujusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilominus banno Imperiali subjaceret, quod sine satisfactione debita nullatenus remittetur. Statuit insuper, quod quæcunque communitas vel privata persona, per annum in excommunicatione, propter libertatem Ecclesiæ violatam persisteret, ipso jure similiter dicto banno Imperiali subjaceret, a quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinaverat, ut nullus Ecclesiasticam Personam in criminali quæstione vel civili, ad Judicem secularem trahere præsumeret, contra easdem Canonicas Sanctiones & Imperiales Constitutiones: quod si secus faceret, Actor, a suo jure caderet, judicatum non teneret, & Judex foret ex tunc judicandi potestate privatus: quodque Judices temporales, qui Clericis & Personis Ecclesiasticis justitiam denegare præsumerent, tertio requisiti, suam jurisdictionem amittant.

Et deinde ad Divæ memoriæ Caroli Quarti etiam Romanorum Imperatoris Prædecessoris & Genitoris nostri audientiam deducto, quod seculares quidam, in potestatibus & officiis publicis constituti, videlicet, Duces, Barones, & alii Domini temporales, nec non Consules civitatum, oppidorum, villarum, & locorum Rectores, Dei timore postposito, Statuta singularia & iniquas ordinationes, motu proprio, & de facto, contra Personas Ecclesiasticas, & Ecclesiarum & locorum religiosorum libertates & privilegia condiderant, eisdemque publice & de facto præsumerent insistere, contra legitimas, Canonicas, & civiles Sanctiones: ut puta, quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur: neve Clerici in Sacris constituti, ad agendum, testificandum in civilibus, maxime piis causis, aliquatenus admittantur: & quod excommunicati laici, & publice denunciati, in civili foro minime repellantur: præterea, quod dicti Domini temporales, Consules, & Rectores, per secularem potestatem res & bona Clericorum occupaverant, arestaverant, oblationes fidelium diminuerant, & restrinxerant; exactiones & tallias indebitas, de bonis & redditibus Ecclesiarum & personarum eorundem devastaverant incendiis & rapinis: & contractus inter Clericos & laicos factos legitime ad libros civitatum, villarum, & locorum recusaverant inscribere atque sigillare, ac donata & legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras, contra voluntatem Prælatorum, & aliorum, quorum intererat, præsumpserunt usurpare, contra justitiam, & in fraudem & odium Clericorum, & de bonis & rebus Clericorum, quas non causa negotiationis, sed pro usibus propriis per terras ducebant, vel duci faciebant, telonium exigere & capere veriti non fuerunt; confugientes ad Ecclesias & Cemiteria inde extrahere, contra Sanctiones Imperiales præsumpserunt: Idem Genitor & Prædecessor noster, hæc omnia, & quæcunque exinde secuta, per sacras civiles & Canonicas Sanctiones expresse reprobata essent, & in fraudem Ecclesiasti-

ſiaſticæ libertatis de facto præſumpta : de Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumque ſuorum conſilio ex certa ſcientia, & authoritate Imperiali caſſavit, irritavit, annullavit, caſſaque & irrita, & nullius eſſe momenti pronunciavit: præcipiendo ſub indignatione Imperialis banni, univerſis & ſingulis Dominis temporalibus, Conſulibus, Poteſtatibus, & in Officiis publicis conſtitutis; quatenus, mox viſis & intellectis præſentibus, caſſatione, irritatione, & annullatione, hujusmodi dicta eorum Statuta, & ordinationes, ſicut in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis edita erant, omnino revocarent & de luce tollerent; quodque ſecundum ea non judicarent amplius, nec ſententias dictarent, aut eisdem in judicio, aut extra judicium, quomodolibet, pro ſe, & contra Eccleſiaſticam libertatem potirentur. Et inſuper pronunciavit & declaravit authoritate prædicta, quod quicunque laicus, cujuscunque ſtatus vel conditionis foret, auſu ſacrilego, vel propria temeritatis audacia, Sacerdotem vel Clericum ſecularem, vel Religioſum diffidaret, proſcriberet, vel captivaret, vel ſpoliaret, vel occideret, vel mutilaret, aut in carcere detineret: aut hujusmodi malitiam perpetrantes, ſcienter receptaret, vel favorem iis præſtaret: præter pœnas a Sacris Imperialibus & Canonicis Sanctionibus eis inflictas, forent ipſo facto infames, & omni honore, privati, nec ad placita nobilium aliquatenus admittendi. Voluerat etiam & hortabatur, & requiſiverat Epiſcopos & Prælatos, ut hanc ſuam legem & conſtitutionem in Synodis & Eccleſiis publicare procurarent, ne in præmiſſis excedentes, per ſimulatam ignorantiam ſuas valeant excuſare malitias: adjiciens, quod nulli hominum liceret hujusmodi ſuæ caſſationis, irritationis, annullationis, pronunciationis, & declarationis paginam, quovis auſu temerario infringere, aut eis quomodolibet contraire, ſub pœna quinquaginta marcarum auri puri, quas ab eo, qui contra faceret, toties, quoties contra fecerit, irremiſſibiliter exigi voluit, & pro medietate ſui Imperialis Ærarii, ſive Fiſci: pro reliqua vero parte injuriam paſſorum uſibus applicari, prout in ipſis Prædeceſſoris & Genitoris noſtri deſuper confectis literis, ejus Imperiali ſigno & bulla aurea picerio ſuæ Majeſtatis impreſſis, ſignatis & munitis, quas præſentibus hic habere volumus ſufficienter pro expreſſis, plenius continetur. Et quoniam per prædicta Eccleſiaſticæ libertati nondum ſatis proviſum eſſe videtur: ut igitur per infra ſcripta ſit uberius, & latius ipſi libertati proviſum, & ut Eccleſiaſticæ perſonæ plene ſua libertate gaudere, & pia loca a noxiis præſervari, & optatis proficere valeant incrementis: *Nos SIGISMUNDUS*, qui Statum Eccleſiaſticum fervore fidei & ſane devotionis affectu veneramur, libenter, ut tenemur, hac edictali lege & Imperiali authoritate, conſtitutiones, ſive leges antedictas, tanquam juſtas, ſanctas, & legitimas, tenore præſentium, approbamus pariter & innovamus: ipſasque & infra ſcriptas noſtras leges, & prohibitionem, & præſentes literas, & mandatum noſtrum, ad omnes & ſingulas Eccleſias & Monaſteria quæcunque, cujuscunque nationis exiſtant, & ad omnes & ſingulos Prælatos, Clericos, Presbyteros, ac Eccleſiaſticas Perſonas, pro majori eorum tuitione, & cautela, ad tollendum in his quorundam curioſorum ambiguitatis dubium, de ſingularis munificentiæ dono, ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium duximus extendendum, & extendimus, & præcipimus, ubique locorum, ſub banno & pœnis ante & infra ſcriptis, a quolibet inviolabiliter obſervari. Deinde ſtatuimus hoc edicto in perpetuum valituro, ut nullus judex ſecularis, in Eccleſiaſticis cauſis, præſertim matrimonii, legitimationis, uſurarum, teſtamentorum infra annum non executorum, & ad judicium Eccleſiaſticum legitime devolutorum, ac decimarum, prædiorum ac fructuum, reddituum, ac proventuum Eccleſiaſticorum, ac locationum & conductionum ſeu conductorum eorundem poſſit ſeu valeat judicare, aut quomodolibet de hujusmodi cauſis, aut eorum articulis cognoſcere, niſi quatenus ab Eccleſiaſticis Judicibus fuerit requiſitus. Quodſi contrarium fecerit, judicatum non tenet, & Judex ex tunc judicandi poteſtate ſit privatus, & ſubjaceat nihilominus pœnis infraſcriptis, dictoque a jure

jure ſuo cadat ipſo facto. Inſuper omnibus & ſingulis Principibus, Ducibus, Baronibus, Comitibus, Comitatibus, Conſulibus, Rectoribus, ac in officiis temporalibus; Dominiis, & Poteſtatibus conſtitutis, ſub indignatione Imperialis banni, & quadraginta marcarum auri mulcta, ad cujus ſolutionem & præſtationem pro una, noſtro, ſive Imperiali ærario, aut Fiſco, & alia medietatibus perſonis injuriam paſſis faciendam, quemlibet hujus noſtræ prohibitionis transgreſſorem ipſo facto teneri volumus. Demum præſenti & irrevocabili ſancimus, declaramus, decernimus, & pronunciamus edicto, diſtrictius prohibentes, ne quiſquam ex eis, Prælatos, Præsbyteros, Clericos, & Perſonas Eccleſiaſticas, quo minus vina, grana, res & bona de ſuis redditibus Eccleſiaſticis provenientia, libere, & ſine ſolutione telonii ſeu gabellæ, vendere, ſeu abduci facere poſſit: & quo minus res, bona, vina, cereviſias, carnes, grana, panes & pannos, & alia quæcunque eorum uſui & recreationi convenientia, ſive intraneæ, ſive intranea, ſive exteræ vel extera fuerint, pro eorum uſibus, ſeu recreatione ſibi, & per quævis loca, civitates, terras, caſtra, & aquas, vehigio, vel navigio, abſque quavis prohibitione libere, & abſque ſolutione cujusque telonii, daciæ, vel gabellæ, adduci & portari facere valeant: & etiam, quo minus res, & bona mobilia, & immobilia per Prælatorum, ſeu Eccleſiaſticarum Perſonarum obitus relicta, ad manus illorum, ad quos de jure ſpectant, libere, & ſine quibuscunque impedimentis, invaſionibus, intromiſſionibus, exactionibus, & occupationibus, præſertim per laicos quantumcunque attentatis, perveniant, ſive valeant pacifice pervenire: & quo minus coloni & ſubditi Eccleſiaſticarum Perſonarum, ſive violentis hoſpitalitatibus, etiam venationum occaſione, ac vectigalibus, ſervitiis & exactionibus, quas ipſi exactores petitiones vocant, & a petitionibus hujusmodi abſque damno, libere & in pace demittantur: & etiam, quo minus damna hoſpitalitatum & vectigalium, extortorum ſervitiorum, & exactionum, & petitionum hujusmodi occaſione, colonis & ſubditis ipſis illata, plenarie reſarciantur: nec non etiam, quo minus Prælati ſeu Judices Eccleſiaſtici eorum ſpirituali jurisdictioni ſubjectos pro ſuorum exceſſuum demeritis, capi & incarcerari, & captos duci, & per quævis loca, & civitates liberi abduci, & alias debita correctione puniri facere valeant, quomodocunque aut qualitercunque, publice vel occulte, directe vel indirecte, per ſe, vel alios, impedire, aut facere impediri præſumant, vel permittant: nec talia committentes receptent, aut eis in præmiſſis, aut circa ea impendant auxilium, conſilium, vel favorem: quin imo magis volumus, & mandamus ſub banno & pœna proxime ſupradicta, ut Duces, Principes, Comites, Barones, Comitatus, Conſules, Rectores, ac in Officiis, Dominiis, & Poteſtatibus prædictis conſtituti quicunque, ab impedimentis & uſurpationibus rerum, & bonorum relictorum hujusmodi, & a prædictis violentis hoſpitalitatibus, vectigalibus, ſervitiis, exactionibus, & petitionibus hujusmodi colonorum, & ſubditorum Eccleſiaſticarum perſonarum, & ab impedimentis, & perturbationibus Eccleſiaſticæ jurisdictionis omnimode deſiſtant: nec captos, vel abductos rebelles repetere, vel repeti facere præſumant: nec non requiſiti, totis viribus perſonas Eccleſiaſticas in præmiſſis, ac jurisdictionem hujusmodi Eccleſiaſticam exercentes, adjuvent, & diligenter ſine omni dilatione adhibeant, & apponant auxilium brachii ſæcularis; ut libertas Eccleſiaſtica manuteneatur, & ut ſubditi rebelles, criminoſi, & delinquentes, modis præfatis, aut alias, prout iisdem jurisdictionem Eccleſiaſticam exercentibus, conjunctim vel diviſim expedire videbitur, digna animadverſione configantur.

Ceterum, ut didicimus, nonnulli eorum perverſis conatibus adverſus Leges, & Conſtitutiones antedictas, Prælatos, Presbyteros, Clericos, & Perſonas Eccleſiaſticas diverſis injuriis afficientes, pro eo, quod tam per Conſtitutiones, & Leges, quam Sanctiones hujusmodi, inflictarum pœnarum executio abſque animadverſione negligitur, infringere non verentur; Ut igitur, tam *Genitoris noſtri*, quam *Friderici Secundi*, *Prædeceſſorum noſtrorum præfatorum*, ac *noſtræ*

ſtræ Conſtitutiones, & Leges præſentibus literis contentæ, ad mandatum noſtrum debitæ executionis fiendæ ſuffragio, ſortiantur effectum, & inſolentiæ compeſcantur transgreſſorum: omnes & ſingulos noſtros, & Sacri Romani Imperii Principes ſpirituales & ſæculares, ác Comites, Barones, Milites, Militares, Proconſulesque, & Conſules, ac Conſulatus, Poteſtates, Rectores civitatum, oppidorum, & locorum quorumcunque, pro executione hujusmodi Conſtitutionum, & Legum Imperialium, & præſentium noſtrarum literarum facienda, executores earundem, conjunctim & diviſim, tenore præſentium deputamus: & nihilominus ipſis ſub Imperialis banni indignatione, & ſub ante dicta, quoad illos, qui feudum, vel privilegia aliqua non habent; quoad illos vero, qui talia habent, ſub perditione ſuorum feudorum, & privilegiorum quorumcunque, pœnis, quas eos, ſi requiſiti infra unius menſis ſpatium, requiſitionem hujusmodi immediate ſequentem, ad infra ſcriptam executionem non proceſſerint, & non fecerint, quod mandamus, incurrere volumus ipſo facto. Diſtricte præcipiendo per hæc Imperialia Reſcripta, mandantes, quatenus ipſi & eorum ſinguli, quoscunque, & quemcunque, dum & quoties præſentibus executores ipſos requiri contigerit, Prælatis, & Presbyteris, Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis quibuscunque, conjunctim & diviſim, efficacis præſidii auxilio aſſiſtentes, non permittant, iisdem, aut eorum alicui, a quoquam, cujuscunque gradus, ſtatus, vel conditionis fuerit, contra vel circa præmiſſa omnia, aut aliquod ipſorum, quomodolibet injuriam irrogari: ſed magis injuriantes hujusmodi, niſi poſt requiſitionem executorum eorundem, infra certum terminum peremptorium competentem, eis per executores ipſos deſuper præfigendum, contra præmiſſa aut neglecta emendando, reſipiſcant; pœnas antedictas, prout quemlibet pro commiſſo aut neglecto contingit, incidisſe, declarent, ſic per captionem, & detentionem perſonalem, diſtractionem, invaſionem, aut alienationem rerum, & bonorum ſuorum mobilium & immobilium quorumcunque ſine mora, ad ſatisfactionem & obſervantiam plenariam, præmiſſorum omnium, & ſingulorum, executores ipſi ſuo ſæculari brachio cogant, & compellant, ac ab aliis, quantum in ipſis fuerit, cogi, & compelli faciant; ac pecunias, occaſione pœnarum præfatarum Ærario, ſive Fiſco Imperiali debitas, & debendas, Imperiali authoritate emoneant, & partem ipſorum ad Fiſcum Imperialem pertinentem, ad Fiſcum ipſum fideliter ſtudeant deſtinare: reliquam vero partem earundem, partibus læſis realiter aſſignari procurent; ſuper quibus eisdem executoribus, & eorum cuilibet in ſolidum, Imperiali authoritate noſtra prædicta, plenam licentiam, & poteſtatem liberam concedimus per præſentes. Volentes, & decernentes, ut eisdem executoribus omnibus & ſingulis, præſentibus, & futuris, vigore præſentium, quoad præmiſſa, perpetua poteſtas, & licentia remaneat attributa: Conſtitutionibus & Legibus Imperialibus, ac Privilegiis & Indultis quorumcunque, & aliis in contrarium forſan facientibus, non obſtantibus quibuscunque. Ne autem in præmiſſis excedentes, per ſimulatam ignorantiam ſuas valeant malitias excuſare: Hortamur, & requirimus univerſos & ſingulos Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, & Prælatos, ut Conſtitutiones, & Leges Imperiales antedictas, & præſentes noſtras literas ſingulis annis in Synodis, & Eccleſiis ſuis publicari procurent, ſi noſtram indignationem voluerint evitare. Nulli ergo hominum liceat, hanc Legum & Conſtitutionum præfatarum, & præſentium literarum noſtrarum, ac inhibitionum, præcepti & mandati noſtri paginam, quovis auſu temerario infringere, aut eis quomodolibet contraire, ſub pœna quadraginta marcarum auri puri, quas ab eo, qui contra fecerit, toties, quoties contra factum fuerit, præter ſupra dictas, & alias pœnas a Sacris Canonibus, & Imperialibus Sanctionibus etiam eis inflictas, irremiſſibiliter volumus exigi, ut præfertur: nec non ſub indignatione DEI Omnipotentis, & timore ultionis ſuæ æternæ. Datum &c.

Confir-

Confirmatio Joannis Papæ vigesimi tertii super Constitutionibus Friderici & Carolina.

JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, DILECTIS FILIIS, MAGDEBURGENS. ET PRAGENS. AC VRATISLAVIENSIS ECCLESIARUM DECANIS, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

JUstis ac honestis supplicum votis libenter annuimus, illaque prosequimur favoribus oportunis. Dudum siquidem felicis recordationis *HONORIUS Papa tertius*, Prædecessor noster, attente considerans, quod claræ memoriæ *FRIDERICUS Secundus* Imperator Romanus semper Augustus, ad laudem Romanæ Ecclesiæ, & sacri decus Imperii, cupiens, ut expurgatis quorundam erroribus, & iniquis statutis penitus destitutis, de cetero Ecclesia, & Ecclesiasticæ personæ, plena vigerent quiete, & secura libertate gauderent: ac pie & juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo abundaverat, ut non dubitarent, contra Ecclesiasticam disciplinam, & Sacros Canones, Statuta sua confingere adversus Ecclesiasticas personas, & Ecclesiasticam libertatem: edictali lege hujusmodi Statuta iniqua irritaverat, & præceperat irrita nunciari: & omnia Statuta, quæ civitates & loca, Potestates vel Consules, aut quæcunque aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ, vel personas Ecclesiasticas edere tentarent, vel servarent, contra Canonicas vel Imperiales Sanctiones: de ipsorum Capitularibus infra duos menses post ipsius legis publicationem, penitus aboleri facerent; & si de cætero talia attentarent, ipso jure decrevit esse nulla, & eos sua jurisdictione privatos, nec non locum, ubi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri præceperat subjacere; Potestates vero, Consules, Statutarii, & Scriptores Statutorum prædictorum, nec non Consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memoratas judicarent, ex tunc essent ipso jure infames, quorum sententiam, & actus legitimos statuerat aliquatenus non tenere: quodque, si per annum præfatæ Constitutionis fuissent inventi contemptores, bona eorum per totum suum Imperium mandavit impune ab omnibus occupari; salvis nihilominus aliis pœnis contra tales in generali Concilio promulgatis. Et insuper voluerat idem Imperator, quod nulla communitas, vel persona publica, vel privata, collectas, seu exactiones, angarias, vel perangarias, Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponerent, aut invadere Ecclesiastica bona præsumerent: aut si secus facerent, & requisiti ab Ecclesia, vel Imperio, emendare contemnerent, triplum refunderent, & nihilominus banno Imperiali subjacerent, a quo sine satisfactione debita nullatenus dimitterentur. Statuerat insuper, quod quæcunque communitas, vel persona per annum in excommunicatione, propter libertatem Ecclesiæ violatam, persisteret, ipso jure banno Imperiali subjaceret, a quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinaverat, ut nullus Ecclesiasticam personam, in criminali quæstione aut civili, trahere ad judicium sæculare præsumeret, contra Canonicas Sanctiones, & Constitutiones Imperiales: quod si secus faceret, Actor a suo jure caderet, judicatum non teneret, & Judex foret ex tunc judicandi potestate & authoritate privatus; quodque Judices temporales, qui Clericis, vel personis Ecclesiasticis justitiam denegare præsumerent, tertio requisiti, suam jurisdictionem amitterent, prout in dicta *Imperiali Constitutione plenius* continetur: idemque *Prædecessor Constitutionem* ipsam, de consilio etiam Fratrum suorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Apostolica authoritate approbans, & confirmans, ipsam mandavit inviolabiliter observari, nec non Statutarios, & Scriptores, ac violatores prædictos excommunicatos Apostolica authoritate prædicta nuntiari. Et deinde ad audientiam divæ memoriæ Caroli Quarti Romani Imperatoris semper Augusti, etiam deducto, quod nonnulli Sæculares, in potestatibus & officiis publicis constituti, videlicet, Duces, Comites, Barones, & alii Domini temporales, nec non Consules civitatum, oppidorum, villarum, & locorum Rectores, in nonnullis Provinciis constituti,

DEI

Dei timore poſtpoſito, ſtatuta ſingularia, & iniquas ordinationes, motu proprio, & de facto contra perſonas Eccleſiaſticas, Eccleſiarum libertates, & eorum privilegia condiderant, eisque de facto & publice infiſtere præſumpſerant, contra Canonicas, & legitimas Sanctiones: utpote quod nulla bona temporalia in poteſtatem Eccleſiaſticam transferrentur; neve Clerici in Sacris conſtituti, ad agendum, & teſtificandum in civilibus, & maxime in piis cauſis aliquatenus admitterentur, quodque excommunicati laici, & publice denunciati, in civili foro minime repellerentur: & inſuper tamen prædicti Domini temporales, Conſules, & Rectores per ſæcularem poteſtatem res & bona Clericorum occuparent, arreſtarent, & oblationes Chriſti fidelium diminuerent, & reſtringerent; exactiones, & tallias indebitas de bonis & redditibus Eccleſiarum exigerent, & extorquerent; poſſeſſiones Eccleſiarum, & perſonarum earundem devaſtarent incendiis, & rapinis; Contractus inter Clericos & laicos factos legitime, ad libros civitatum, villarum, & locorum prædictorum inſcribere, & ſigillare récuſarent; donata, & legata ad fabricas, & Eccleſiarum ſtructuras, contra Prælatorum voluntatem, & aliorum, quorum intererat, contra juſtitiam uſurpare præſumerent; & in fraudem & odium Clericorum, de bonis etiam & rebus Clericorum, quæ non cauſa negotiationis, ſed pro eorum propriis uſibus per eorum terras ducebant, ſeu duci faciebant, telonium exigere, & recipere non verebantur; & confugientes ad Eccleſias, & eorum cœmiteria inde extrahere, contra Sanctiones Imperiales præſumpſerant: idem Carolus Imperator, tanquam Chriſtianiſſimus Princeps, volens in præmisſis providere de remedio ſalutari, de Principum, Ducum, Comitum, Baronum, fideliumque aliorum Sacri Imperii conſilio, & Imperiali authoritate, quæcunque ſtatuta & conſuetudines prædictas, tanquam per Canonicas & civiles Sanctiones expreſſe reprobatas, caſſavit, irritavit, & annullavit; ac caſſa, & irrita, nulliusque eſſe roboris penitus voluit vel momenti: præcipiens ſub indignatione Imperialis banni, univerſis & ſingulis Principibus, & Dominis temporalibus, Conſulibus, Poteſtatibus, & aliis in officiis publicis conſtitutis; quatenus ex tunc ipſorum ſtatuta, & ordinationes, ſicut in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis edita fuerant, omnino revocarent, & de luce tollerent, quodque ſecundum ea amplius non judicarent, nec ſententias dictarent, aut iisdem in judicio, vel extra judicium quomodolibet pro ſe, & contra Eccleſiaſticam libertatem potirentur. Pronunciavit inſuper, & eadem Imperiali decrevit authoritate, quod quicunque laicus, cujuscunque ſtatus, vel conditionis exiſteret, auſu ſacrilego, & propriæ temeritatis audacia, Sacerdotem vel Clericum ſæcularem, aut Religioſum proſcriberet, captivaret, ſpoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, ac hujusmodi maleficia perpetrantes, ſcienter receptaret, vel favorem eis præſtaret; præter pœnas a Sacris Canonibus, & legalibus Sanctionibus eis inflictas, eo ipſo redderetur infamis, ac omni honore privatus, nec ad placita, vel conſilia nobilium admitteretur quovis modo: Hortans inſuper in Domino, & requirens Prælatos in illis partibus conſtitutos, ut Legem Imperialem hujusmodi, per eorum Eccleſias, & Synodos publicarent, ne transgreſſores hujusmodi, per ſimulatam ignorantiam ſuas valerent malitias excuſare, prout in edictali lege plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis pro parte Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi *Misnenſis*, & dilectorum Filiorum Cleri Civitatis, & Diœceſis *Misnenſis* petitio continebat, adeo quorundam Laicorum & Dominorum temporalium Civitatis & Diœceſis *Misnenſis*, ac etiam in locis circum vicinis habitantium malitia inoleverit, quod hujusmodi Imperiales Conſtitutiones transgredi non verentur, & Eccleſiaſticas libertates violare præſumunt: pro parte dictorum Epiſcopi, & Cleri fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut providere ipſis ſuper præmiſſis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur veſtigiis præfati Prædeceſſoris noſtri inhærentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ, per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, Conſtitutiones prædictas in Civitate,

te, Diœcesi, ac locis circumvicinis hujusmodi, auctoritate nostra faciatis inviolabiliter observari: Transgressores, ac violatores, & contemptores, ac sacrilegos prædictos, nec non contradictores quoslibet & rebelles per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis: non obstantibus, si aliquibus conjunctim, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum *Romæ* apud Sanctum Petrum, nono Calend. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

Confirmatio earundem Constitutionum, & Sigismundinæ, Sacri Generalis Concilii Basiliensis.

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIENSIS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS: DILECTIS ECCLESIÆ FILIIS, PRAGENS. ET MERSBURGENS. AC SANCTI SEPULCHRI DOMINICI LIGNICENS. VRATISLAVIENSIS DIOECESEOS ECCLESIARUM DECANIS, SALUTEM ET OMNIPOTENTIS DEI BENEDICTIONEM.

AD compescendos conatus nefarios perversorum, qui personas & loca Ecclesiastica bonis & juribus suis offendere ac multiplicibus perturbare molestiis non verentur, tanto magis Nos decet oportuno remedio providere, quanto per amplius turbationes hujusmodi, & molestiæ in Divinæ Majestatis offensam, nec non Ecclesiasticæ libertatis redundare dispendium dignoscuntur. Dudum siquidem, cum in diversis mundi partibus, Consules civitatum & Rectores, nec non alii, qui potestatem habere videbantur, tot onera frequenter imponerent Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videretur, quam sub Pharaone fuisset, qui legis Divinæ notitiam non habebat, quique omnibus aliis servituti subactis, Sacerdotes, & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. In Concilio Lateranensi, Ecclesiæ immunitati providendo, sub anathematis districtione prohibitum extitit, ne Consules, Rectores, aut alii prædicti, Ecclesias & viros Ecclesiasticos, talliis seu collectis, aut exactionibus aliis aggravare præsumerent, transgressores & fautores eorum præcipiendo anathematis sententiæ subjacere, donec satisfactionem impenderent competentem. Et deinde in Generali Concilio editum fuit, quod si Episcopi forte simul cum Clericis, etiamsi tantam necessitatem vel utilitatem inspicerent, ut absque nulla coactione, ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non suppeterent facultates, subsidia per Ecclesias laicis ducerent concedenda, minime consulto super hoc Romano Pontifice: concessiones & sententiæ, quæ a talibus, vel de ipsorum mandato forent promulgatæ, essent irritæ & inanes, nullo unquam tempore valituræ. Ac etiam in ipso Generali Concilio decretum existit, illum, qui infra tempus sui regiminis, propter fractionem constitutionum vel sanctionum hujusmodi sustineret anathema, tanquam post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus, nec non ipsius Successorem, qui non satisfaceret intra mensem, manere Ecclesiastica censura conclusum, donec satisfaceret competenter, cum succederet in onere, qui substitueretur in honore. Postmodum vero felicis recordationis *HONORIUS Papa tertius* attente considerans, quod quondam *FRIDERICUS secundus* olim Romanus Imperator, tunc sub obedientia & devotione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ persistens, ad laudem ejusdem Ecclesiæ, & decus Romani Imperii, cupiens, ut expurgatis quorundam erroribus, & iniquis statutis de cetero Ecclesiasticæ Personæ plena vigerent quiete, & secura libertate gauderent: ac pie & juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo abundaverat, ut non dubitarent contra Ecclesiasticam disciplinam & Sacros Canones, Statuta sua confingere, adversus Ecclesiasticas Personas,

ſonas, & Eccleſiaſticam libertatem; edictali lege, hujusmodi Statuta iniqua irritaverat, & præceperat irrita nunciari: & omnia Statuta, & conſuetudines, quæ civitates & loca, Poteſtates, Conſules, aut quæcunque aliæ perſonæ, contra libertatem Eccleſiæ, vel Perſonas Eccleſiaſticas hujusmodi edere, aut ſervare tentarent contra Canonicas & Imperiales Sanctiones; de ipſorum Capitularibus infra duos menſes, poſt ipſius legis publicationem, penitus aboleri facerent: & ſi de cetero talia attentarent, illa ipſo jure decrevit eſſe nulla, & eos ſua jurisdictione privatos, nec non locum, ubi talia deinceps præſumpta fuiſſent, banno mille marcarum auri Fiſco Imperiali præceperat ſubjacere. Poteſtates vero, Conſules, Statutarii, & Scriptores Statutorum prædictorum, nec non Conſiliarii locorum ipſorum, qui ſecundum Statuta, & conſuetudines memoratas judicarent, ex tunc eſſent ipſo jure infames, quorum ſententias & actus legitimos ſtatuerat aliqualiter non tenere: quodque ſi per annum præfatarum conſtitutionum inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum ſuum Imperium, mandavit impune ab omnibus occupari: ſalvis nihilominus aliis pœnis contra tales in iiſdem Generalibus Conciliis promulgatis. Et inſuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla communitas, vel perſona publica ſeu privata, collectas, exactiones, angarias vel perangarias, Eccleſiis vel aliis piis locis, aut Eccleſiaſticis perſonis hujuſmodi imponere, ſeu invadere bona Eccleſiaſtica præſumeret: Quodſi ſecus faceret, & requiſita ab Eccleſia vel Imperio, hujusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilominus banno Imperiali ſubjaceret, quod ſine ſatisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuerat inſuper, quod quæcunque communitas vel perſona, in excommunicatione, propter libertatem Eccleſiæ violatam, perſiſteret; ipſo jure ſimiliter banno Imperiali ſubjaceret, a quo nullatenus extraheretur, niſi prius ab Eccleſia beneficio abſolutionis obtento. Et inſuper ordinaverat, ut nullus, Eccleſiaſticam Perſonam, in criminali quæſtione vel civili, ad judicium ſeculare trahere præſumeret, contra easdem Canonicas Sanctiones & conſtitutiones Imperiales: quodſi ſecus faceret, Actor a ſuo jure caderet, judicatum non teneret, & Judex foret ex tunc judicandi authoritate privatus; quodque Judices temporales, qui Clericis & Perſonis Eccleſiaſticis juſtitiam denegare præſumerent, tertio requiſiti ſuam jurisdictionem amitterent. Conſtitutionem ipſam de conſilio etiam fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, qui tunc erant, authoritate Apoſtolica approbans & confirmans, ipſam mandavit inviolabiliter obſervari, nec non Statutarios & Scriptores ac violatores prædictos, excommunicatos, eadem authoritate nunciari. Et deinde ad audientiam *divæ memoriæ CAROLI quarti, etiam Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti* deducto, quod nonnullæ ſeculares perſonæ in poteſtatibus & officiis conſtitutæ, videlicet, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & alii Domini temporales, nec non Conſules civitatum, oppidorum, villarum & locorum Rectores, in diverſis Provinciis ejusdem Imperii, Dei timore poſtpoſito, ſtatuta ſingularia, & iniquas ordinationes, motu proprio, & de facto, contra ipſas Perſonas Eccleſiaſticas, & Eccleſiarum libertates, & eorum privilegia condiderant, illisque de facto & publice utebantur, contra Canonicas & legitimas Sanctiones, utpote: quod nulla bona temporalia in poteſtatem Eccleſiaſticam transferrentur: & ne Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti, ad agendum & teſtificandum in civilibus, & maxime in piis cauſis aliquatenus admitterentur: quodque excommunicati laici, & publice denunciati, in civili foro minime repellerentur: & inſuper prædicti Domini temporales, Conſules & Rectores, per ſecularem poteſtatem, res & bona Clericorum occuparent, areſtarent, & oblationes Chriſti fidelium minuerent, atque reſtringerent; exactiones & tallias indebitas, de bonis & redditibus Eccleſiarum exigerent & extorquerent; poſſeſſiones Eccleſiarum & perſonarum earundem devaſtarent incendiis & rapinis; contractus inter Clericos & laicos factos legitime, ad libros civitatum, villarum, & locorum prædictorum inſcribere & ſigillare recuſarent: donataque & legata ad fabricas & Eccleſiarum ſtructuras, contra Prælatorum voluntatem, & aliorum, quorum intererat, temere

re

re usurpare præsumerent, ac in fraudem & odium Clericorum, de bonis etiam ac rebus eorundem, quæ non causa negotiationum, sed pro eorum propriis usibus per eorum terras ducebant, seu duci faciebant, telonium exigere & recipere non verebantur; & confugientes ad Ecclesias & eorum cœmiteria inde extrahere, contra Canonicas & Imperiales Sanctiones hujusmodi præsumerent & præsumebant: Idem *CAROLUS Imperator* tanquam Christianissimus Princeps, volens in præmissis providere de remedio salutari, etiam de quorundam Ducum, Principum, Comitum, Baronum, fideliumque aliorum Sacri Imperii sæpe dicti consilio, authoritate Imperiali, quæcunque Statuta, & consuetudines prædictas tanquam per Canonicas, & civiles Sanctiones expresse reprobatas, cassavit, irritavit, & annullavit, & cassa, irrita, nulliusque voluit esse roboris vel momenti: præcipiens sub Imperialis banni pœna, universis & singulis Principibus, & Dominis temporalibus, Consulibus, Potestatibus & aliis in officiis publicis in eodem Imperio constitutis, quatenus ex tunc ipsorum statuta, & ordinationes, sicut in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ edita fuerant, omnino revocarent, & de luce tollerent, quodque secundum ea non judicarent amplius, nec sententias dictarent, aut eisdem in judicio, vel extra judicium quomodolibet per se, & contra eandem Ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronunciavit insuper & eadem decrevit authoritate, quod quicunque laicus cujuscunque status & conditionis existeret, ausu sacrilego & propriæ temeritatis audacia Sacerdotem, vel Clericum secularem, vel Religiosum, diffidaret, proscriberet, captivaret, spoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, vel hujusmodi maleficia perpetrantes, scienter receptaret, vel eis favorem præstaret: præter pœnas a Sacris Canonibus & legalibus Sanctionibus in tales inflictas, eo ipso redderetur infamis, & omni honore privatus, nec ad placita vel consilia nobilium admitteretur quovis modo. Hortans insuper in Domino, & requirens Ecclesiasticos Prælatos in illis partibus, in quibus committerentur talia, constitutos, ut legem Imperialem hujusmodi per eorum Ecclesias & Synodos publicarent, ne transgressores hujusmodi per simulatam ignorantiam, suam valerent in hac parte malitiam excusare: prout in Constitutionibus & Sanctionibus Conciliorum, & Honorii prædictorum, ac Imperialibus præfatis plenius continetur. Cum autem, sicut lamentabili *querela Venerabilis Episcopi Misnensis*, & dilectorum Ecclesiæ Filiorum, Præpositi, Decani, & Capituli, singulorumque Canonicorum, & Personarum Ecclesiæ, nec non universi Cleri civitatis & Diœcesis *Misnensis* nuper accepimus, quod nonnulli Principes, Duces, Comites, Barones, Milites, communitates, & aliæ seculares potestates, earundem Constitutionum & Sanctionum Canonicarum, & legalium forsan ignari, contra ipsas ab Episcopo, Præposito, Decano, Capitulo, Canonicis Personis & Clero, communiter vel divisim, forsan tallias, gabellas, ac alias exactiones illicitas hactenus extorserint, & adhuc extorquere nitantur; ac etiam bona ipsorum communiter vel divisim invaserint, arestaverint, occupaverint, detinuerint, & suis usibus applicaverint, nec non occupare, invadere, arestare, detinere, & eisdem suis usibus applicare similiter de facto præsumant, in animarum suarum periculum; nec non Episcopi, Præpositi, Decani, Canonicorum, Personarum & Cleri prædictorum, communiter & divisim, non modicum præjudicium atque damnum. Nos, in præmissis Episcopo, Præposito, Decano, Capitulo, Canonicis, Personis, & Clero præfatis communiter & divisim de oportuno remedio providere volentes: discretioni vestræ, tenore præsentium, in virtute sanctæ obedientiæ, districte præcipiendo mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, Episcopo, Præposito, Decano, Capitulo, Canonicis, Personis & Clero prædictis, contra quoscunque transgressores & violatores Constitutionum & Sanctionum earundem, cujuscunque gradus, dignitatis, & excellentiæ fuerint, efficacis defensionis auxilio assistentes, non permittatis eos contra Canonicas & legales Sanctiones & Constitutiones hujusmodi, indebite molestari, nec non easdem Constitutiones, & Sanctiones, ubi & quando expedire videritis, solenniter publicantes, faciatis transgressores & viola-

violatores hujusmodi, si, & prout justum fuerit, aut ubi & quoties expediverit, tam diu excommunicatos, aut anathematizatos publice nunciari, donec ab earundem talliarum, collectarum, impositionum, & quarumlibet extorsionum, nec non bonorum Episcopi, Præpositi, Decani, Capituli, Capitulorum, Canonicorum, Personarum, & Cleri prædictorum hujusmodi invasione, arestatione, occupatione, detentione, & applicatione omnino desistant: nec non etiam efficaciter restituant eisdem Episcopo, Præposito, Decano, Capitulo, Canonicis, Personis, & Clero præfatis, occasione præmissorum per eos communiter vel divisim læsis seu gravatis, tallias, gabellas & etiam exactiones ipsas, ac etiam bona ipsorum arestata, occupata, detenta & applicata, ipsis aut quæ per se vel per alios illo prætextu quomodolibet receperint, imo verius temere, & illicite usurparunt, a se libere omnino relaxent; ac in manibus vestris juraverint, quod de cætero talia non committent, & ea committentibus non præstabunt auxilium, consilium vel favorem; contradictores per censuram Ecclesiasticam, & alia juris oportuna remedia compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Ceterum, si forsan hujusmodi transgressorum, vel violatorum, vel ea fieri mandantium, ipsisque consentientium, seu dantium illis per se, vel per alios, directe, vel indirecte, publice, vel occulte auxilium, consilium, aut favorem, præsentia pro monitionibus, & requisitionibus, per vos de ipsis faciendis, tute, secure, vel commode haberi nequiverit: Nos vobis monitiones hujusmodi, ac citationes quaslibet, per edicta publica, locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad notitiam dictorum citatorum hujusmodi pervenire valeant, faciendi plenam & liberam concedimus tenore præsentium potestatem: volentes, quod monitiones, requisitiones, ac citationes hujusmodi, perinde ipsos citatos, requisitos, & monitos, ut præmittitur, arctent, ac si eis factæ, & insinuatæ præsentialiter, & personaliter extitissent. Non obstantibus, tam piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, quibus cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem, vel Diœcesin, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam diætam a fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne Judices extra Civitatem vel Diœcesin, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii, aut aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam diætam a fine Diœcesis eorundem trahere præsumant, dummodo ultra duas diætas aliquis auctoritate præsentium non trahatur; ac de personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis: quam aliis Constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscunque; aut si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Basiliæ, Calendas Augusti, Anno a Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo, tricesimo quarto. (*)

De Fundatione, & Confirmatione ingenua Ecclesiæ Misnensis.

Postremo, ut omnes & singuli sciant, quis nostri Episcopatus, & Ecclesiæ Misnensis erector, & fundator fuerit, quodque ipsa libera fundata, & erecta sit, videlicet, quod nulli Patriarchæ, neque Archi-Episcopo, sed tantum Apostolicæ Sedi subjecta existat, & sic per Sedem Apostolicam confirmata, & approbata sit; videant, & intelligant literas fundationis Piissimi, & Gloriosissimi Imperatoris OTTONIS Primi, qui suis excellentissimis virtutibus Romanum Imperium ad Alemannos transferri, & ob id Otto Magnus appellari meruit, primusque inter Alemannos Romanum Imperium tenuit, qui Misnensem Ecclesiam in honorem Sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ, inprimis ante omnes alias Cathedrales Ecclesias fundavit, Sedem Episcopalem, quam liberam, & Romanæ Ecclesiæ immediate subjectam esse voluit,

(*) Literarum harum meminit P. Sigismundus Calles S. J. in Serie Episcoporum Misnensium pag. 288. in vita Joannis IV., cognomento Hoffmanni, Episcopi Misnensis XXXVI. ad annum MCCCCXXXIV.

luit, ibi erexit, & abundantiſſime dotavit: ex qua ſua dotatione, Prædeceſſores noſtri Epiſcopi, majorem partem Eccleſiarum Parochialium, ac certas Collegiatas Eccleſias, & Monaſteria utriusque ſexus, in noſtra Diœceſi erexerunt, decimis Epiſcopalibus, & aliis redditibus dotando: ac literas confirmationis Joannis Papæ decimi tertii ſui nominis, præmiſſis ſingulis juſſimus & voluimus apprimi: Clerum noſtrum exhortantes, ut pro anima iſtius pii & Glorioſiſſimi Ottonis in Divinis Officiis diligentes ad Dominum preces fundant, a ſummo omnium bonorum Retributore largiſluam mercedem recepturi. Nos denique, ut ad hos vehementiores ſint, toties, quoties omnes, & quilibet eorum hoc fecerit, aut fecerint, ipſis confeſſis, & contritis, de Omnipotentis DEI miſericordia confiſi, viginti dies indulgentiarum, pro injunctis eis pœnitentiis elargimur, & miſericorditer in Domino relaxamus.

Tenor Fundationis OTTONIS primi Imperatoris.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

OTTO, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS.

QUia Nos, qui quotidie multorum Venerabilum Epiſcoporum, Abbatum, ceterorumque fidelium Chriſti Canonicorum, & Monachorum ad omne bonum opus præceptis inſtruimur, exemplis informamur, libenter ex abundanti rerum noſtrarum copia, ad æternam beatitudinis vitam obtinendam, & ad temporalem feliciter tranſigendam: Divina auxiliante gratia, quod noſtræ felicitati aptiſſimum credimus, incipere, & in Domino perficere conſtanter elaboramus; ergo manifeſtare, ac notificare omnibus in Chriſto fidelibus, tam futuris, quam præſentibus, quam maxime deſideramus, qualiter Nos, pro remedio & perpetua omnium fidelium Defunctorum animarum redemptione: nec non pro noſtra ſempiterna ſalute, ac dulciſſimæ Collateralis noſtræ, chariſſimæque ſobolis noſtræ perrenni felicitate, Eccleſiam quandam in Miſna civitate collocari & conſtrui præcepimus: ubi etiam rogatu & conſilio univerſorum Principum noſtrorum in honorem Sancti Joannis Evangeliſtæ Sedem Epiſcopalem fieri decrevimus, cui quondam noſtræ dilectionis intimum, nomine Bernhardum electum, & ad Præſulatus dignitatem in Chriſto conſecratum, a Sanctæ Moguntinenſis Eccleſiæ Venerabili Archiepiſcopo, nomine Hildeberto, in laudem omnipotentis Domini, glorioſe præfecimus. Huic etiam Epiſcopatui, more antiquorum Imperatorum, & Regum, noſtra Imperiali poteſtate terminum poſuimus, ubi oritur fluvius, qui dicitur Orientalis Milda, inde uſquequo idem fluvius intrat in Albeam, & ſic ſurſum, & ultra Provinciam Niſizi ad eundem terminum ſine dubio: nec non in altera parte Luſizi & Sepuli, illam videlicet infra eundem terminum, & inde in aquam, quæ dicitur Odera: & ſic Odera ſurſum uſque ad caput ejus, inde quaſi recta via uſque ad caput Albeæ: inde deorſum in Occidentalem partem, ubi diviſio confinium duarum Regionum eſt Behem, & Niſinen: ibidem ultra Albeam, & per ſilvam in Occidentalem partem uſque ad caput prædicti fluminis Orientalis Mildæ. Homines vero, qui intra prædictum terminum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum, & pecudum, in argento, veſtimento, nec non quod teutonice dicunt, Overcapunga & Calunga familiarum; inſuper tota utilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales utuntur diverſis modis, decimationes, quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Miſnenſem Eccleſiam, primo Deo, deinde Sancto Joanni Evangeliſtæ, univerſa dubietate procul remota, pleniter perſolvant, referant, & reddant. Et ſi quis hoc noſtri Imperialis præcepti conſtitutum transgredi, vel diſrumpere præſumat, cum Anania & Saphira, nec non Juda traditore infernalis incendii tormentum patiatur, nec inde, niſi reſipiſcat, in perpetuum abſolvatur. Et ut hæc noſtra conceſſio in remunerationem DEI Omnipotentis, firma ſtabiliſque permaneat: hoc præceptum inde conſcriptum, annulique noſtri impreſſione ſignatum, manu propria firmamus. Datum tertio Idus Januarii, Anno Incarnationis Domini Noningenteſimo, quadrageſimo octavo, Indictione octava, Anno vero Magni Otto-

Ottonis Imperatoris, in Domino feliciter regnantis, tertio. Actum Moguntiæ feliciter, Amen.

Et ista Bulla magni Ottonis Imperatoris taliter est subscripta, & signata:

Signum Domini OTTONIS Magni & Invictissimi Imperatoris. (L.S.)

Volemarus Cancellarius, vice Hildeberti Archi-Cappellani, recognovi.

Confirmatio Summi Pontificis JOANNIS decimi tertii super Ecclesia & Episcopatu Misnensi.

JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

SI semper sunt concedenda, quæ piis desideriis congruunt, quanto potissimum ea, quæ Divini cultus prærogativa noscuntur, non sunt omnino abneganda, quæ sunt a largitoribus non solum poscenda, sed vi charitatis procul dubio exigenda. *Habita igitur Synodo*, & multorum Venerabilium Patrum, Coepiscoporumque nostrorum Conventu, Romæ in Ecclesia Beati Petri, Principis Apostolorum, assidentibus Augustissimis Imperatoribus Ottonum utrisque, anno scilicet Imperii Majoris sexto, Minoris primo, iidem Gloriosissimi Imperatores postularunt a Nobis, quatenus Monasterium, quod pro remedio animarum suarum primitus construi, & in honorem Beati Joannis Evangelistæ consecrari fecerunt, super ripam fluminis, cujus nomen est Albea, in civitate Misna sita, videlicet in Provincia, quæ dicitur Thalementæ; cui etiam Monasterio, Virum Venerabilem, nomine Burchardum, honorifice præfecerunt, privilegiis Apostolicæ Sedis decoraretur: ut sub jurisdictione Sanctæ Ecclesiæ nostræ, cui Authore DEO præsidemus, constitutum, nullius alterius Ecclesiæ ditionibus submittatur. Pro qua re, piis desideriis faventes, hac nostra authoritate, id, quod exposcitur, effectui mancipamus: interponentes tamen ea, quæ & ipsi Principes nostri, in nostris privilegiis cupiunt exponi, & cunctis Christi fidelibus manifesta fieri, more antiquorum Imperatorum. Hi divi Imperatores Pater & Filius, Nobis assidentes, Misnensi Episcopatui terminum imposuerunt, nominando etiam fines & determinationes locorum, sicut infra continetur: ubi caput & fons est aquæ, quæ dicitur Odera; inde quasi recta via, usque ad caput Albeæ: inde deorsum ad occidentalem partem, ubi divisio duarum regionum est, Behem & Nisen: ibidem ultra Albeam, & per silvam in occidentalem partem, usque ad caput Mildæ, & sic deorsum per ambas plagas ejusdem fluminis, usque dum Milda intrat in Albeam, & sic sursum, ultra Provinciam Nisici ad ipsum terminum, sine dubio: nec non in altera parte Lusize & Selpoli, & sic usque ad civitatem Selpize, illam videlicet infra eundem terminum, & inde in aquam, quæ dicitur Odera, & sic Odera sursum, usque ad caput ejus. Homines vero, quemadmodum hi Imperatores statuisse fatentur, qui infra terminum istum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum & pecudum, in argento, vestimento, nec non quod Teutonici dicunt Uberkoffunga, & Calunga familiarum, insuper tota utilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales utuntur, in diversis modis decimationes, quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Misnensem Ecclesiam, primum Deo, deinde Sancto Joanni Evangelistæ, universa dubietate procul remota, persolvant, referant, & reddant. Et ideo in Christo sanximus, firmiterque concessimus, ut nullus Metropolitanus, nullus Episcopus, nulla etiam magna vel parva alterius ordinis vel gradus persona, præter Sedis Apostolicæ Antistitem, infra terminos Misnensis Ecclesiæ, cui Venerabilis Episcopus Burchardus præesse dignoscitur, quemque ordinare, dijudicare, excommunicare, vel aliquid temere exercere ullo modo præsumat: Statuentes etiam Apostolica censura sub Divini judicii obtestatione, & validis, atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus Imperator post hoc, aut Rex ullus, sive quispiam alius, cujuscunque dignitatis potestate sit præditus, ejusdem Ecclesiæ causis præsumat incumbere, vel minimum quiddam ex eis, quæ ad illud Monasterium Sancti Joannis pertinere videntur,

dentur, cui Episcopus Burchardus præsidet, ut sibi temere vendicare, aut alicui parvæ vel magnæ personæ pro beneficio dare, aut quolibet modo inde auferre, aut alienare audeat. Promulgamus etiam, & hoc authoritate Petri Apostolorum Principis, coram Deo, & terribili ejus futuro examine, per hujus nostri privilegii, atque constituti vim interminamus, ne quis mortalium sibi licere existimet, aliquid ex possessionibus Misnensis Ecclesiæ, tam ex iis, quæ antehac a Gloriosissimis Imperatoribus Ottone, & ejus æquivoco Filio, vel cæteris Christianis eidem sancto loco oblata, atque collata sunt: quam quæ postmodum sunt conferenda, ut profecto juxta id, quod subjectum est, idem venerabilis locus, hoc Apostolico privilegio, inconcusse donatus, permaneat. Si quis autem, quod minime optamus, nefaria authoritate hæc, quæ a Nobis ad laudem DEI, pro stabilitate sæpe dicti Monasterii statuta sunt, refragrare præsumpserit, nostrique præcepti transgressor extiterit: sciat se anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo & Juda traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio deputatum. At vero, qui pio intuitu hujus Apostolici instituti observator extiterit: Benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Stephani, Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, *in mense Decembri*, *Indictione undecima.* Signum Domini Ottonis Magni Imperatoris Augusti. Signum Domini Ottonis Minoris Imperatoris Augusti.

Petrus, Ravennensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, subscripsit.

Codaldus, Patriarcha Aquilejensis Ecclesiæ, subscripsit.

Sigolphus, Episcopus Sanctæ Placentiæ Ecclesiæ, consensi & subscripsi.

Udalricus, Episcopus Sanctæ Pergamensis Ecclesiæ, consensi & subscripsi.

Martinus, Sanctæ Sudriensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Siggo, Plendensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Benedictus, Sanctæ Fulmensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Joannes, Sanctæ Normiensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsit.

Joannes, Episcopus Sanctæ Armensis Ecclesiæ, interfuit & subscripsit.

Hibertus, Episcopus Sanctæ Lamensis Ecclesiæ, consensit & subscripsit.

Gerhardus, Faventinæ Ecclesiæ Episcopus, consensit & subscripsit.

Anfredus, Episcopus Werdecensis Ecclesiæ, consensit & subscripsit.

Senebius, Episcopus Fesolanæ Ecclesiæ, consensit & subscripsit.

Gardulphus, Episcopus Firmiensis Ecclesiæ, consensit & subscripsit.

Ego Petrus, Camerinæ Ecclesiæ, ibi fui, & subscripsi.

Eberhardus, Episcopus Aretinæ Ecclesiæ, consensi & subscripsi.

Stephanus, Naninensis Ecclesiæ, consensi & subscripsi.

Leo, Ostiensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi.

Giselbertus, Episcopus Castrenensis Ecclesiæ, consensi & subscripsi.

Alberinus, Episcopus Ausculanus, consensi & subscripsi.

Antonius, Brixiensis Episcopus, subscripsit.

Diodericus, *Metensis* Ecclesiæ Episcopus, subscripsit.

Lanuardus, *Mendensis* Ecclesiæ Episcopus, subscripsit.

Hucbertus Episcopus subscripsit.

Lizo Episcopus subscripsit.

Joannes, Episcopus Tordonensis, subscripsit.

Adalbertus Episcopus subscripsit.

Otger Episcopus subscripsit.

Sigishelmus, Episcopus Florentinus, subscripsit.

Albericus Episcopus subscripsit.

Astringo, Episcopus Ansianensis, subscripsit.

Luzinno, Lucanensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsit.

Erphemarius, Antias Episcopus, subscripsit.

Julianus, Episcopus Nucerinus, subscripsit.

Stephanus, Termensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsit.

Attho, Senegalliæ Ecclesiæ Episcopus, subscripsit.

Lupus, Spoletinus Episcopus, subscripsit.

Lindo,

Lindo, Dufianæ Ecclefiæ Epifcopus, fubfcripfit.

Datum quarto Nonas Januarii, per manus Guidonis, Epifcopi Sanctæ Sylvæ candidæ Ecclefiæ, Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apoftolicæ, Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini Joannis Summi Pontificis, & univerfalis tertii decimi Papæ in facratiffima Sede Beati Petri Apoftoli, tertio: Imperantibus Dominis Piiffimis & Auguftiffimis Ottone, & ejus æquivoco Filio, a Deo coronatis magnis Imperatoribus, anno Majoris Imperii fexto, & Minoris primo, in menfe Januario, Indictione fupra dicta undecima.

PRIVILEGIUM

Pro condendis Teftamentis Prælatorum, Canonicorum, & omnium Clericorum Ecclefiæ Budiffinenfis.

ITEM

Difpofitio relictorum ab inteftato decedentium pertinet ad Capitulum.

JOANNES, (*) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS MISNENSIS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

UNiverfis & fingulis Diploma hoc noftrum vifuris, lecturis, vel legi audituris, notum effe volumus; quamprimum, Deo potiffimum aufpice, Sanctæ & ingenuæ Ecclefiæ Misnenfis regimen, ejufdemque Cura Paftoralis Nobis effet legitime commiffa, & tradita, animum noftrum, Dei freti auxilio, folicite & paterne eo intendimus & direximus, ut primo omnium circa ftatus quarumlibet noftræ Diœcefis, tam Collegiatarum, quam Cathedralium Ecclefiarum, una cum earundem perfonis, jura, libertates, fimul & Anteceflorum noftrorum conceffiones, prout æquum eft, illæfæ permanerent. Cum itaque Venerabiles & devoti, Nobisque in Chrifto dilecti, Præpofitus, Decanus, Senior, & totum Capitulum Collegiatæ noftræ Ecclefiæ S. Petri in Budiffin fuperioris Lufatiæ, ftatim in noftri fufcepti Epifcopatus regiminis ingreffu Nobis exponerent, riteque declararent & probarent, quod a primæva noftræ Ecclefiæ Budiffinen. fundatione & erectione, inftar Statutorum & confuetudinum Cathedralis Ecclefiæ noftræ Misnenfis ipforum Matre, hucusque femper habuerint, atque hodie adhuc dum habeant liberam facultatem & poteftatem condendi & faciendi Teftamenta de omnibus bonis, etiam intuitu Ecclefiæ acquifitis: Unde Nobis humiliter & obnixe fupplicarunt, quatenus hanc ipforum confuetudinem, feu facultatem & poteftatem condendi teftamenta, dignaremur pro ipfis, & ipforum Succefforibus, & omnibus prætactæ Ecclefiæ Budiffinenfis, incorporatis membris, authoritate noftra Epifcopali confirmare: ita fane, ut non folum modernis & futuris, imo etiam ficut aliquot præteritis jam feculis hucusque, ita perpetuis temporibus femper, quiete, pacifice, ac licite fæpe dictam confuetudinem teftamentorum condendorum exercere valerent & poffent, hacque ratione ea, quæ corporali noftro juramento fervanda promifimus, etiam literis ftabilire non renueremus. Quapropter Nos Joannes Epifcopus prælibatus, officii noftri memores, & prævia hac in re debita & legitima præmeditatione, hujusmodi petitionibus dare & relinquere locum, æquum & juftum effe judicantes, authoritate noftra ordinaria, vigore præftiti juramenti noftri, tale Statutum & confuetudinem, feu facultatem condendi teftamenta, per præfentes corroboramus, & corroboratam effe volumus, de modo & forma, ut decet, meliori; ita, ut poffint & valeant indifferenter omnes Clerici præfatæ Ecclefiæ Budiffinenfis modernis, futuris & perpetuis temporibus, ficut antea confueverunt, facere & condere teftamenta, feu codicillos, libere & quiete, non obftante quorumcunque conditione, vel etiam aliquorum jurium difpofitione, de omnibus eorum bonis undequaque acquifitis, eaque cuicunque volue-

(*) Joannes de Haugwiz, XLIV. Misnenfium Epifcopus, anno 1555. electus, anno 1581. Lutheri dogmata fecutus, Mitram Misnenfem abdicavit in favorem Electoris Saxoniæ.

luerint, legare, omniaque & ſingula, quæ ad ultimas voluntates ſpectant ab ſolvendas, agere, exercere & perficere.

Cum præterea *Statuta & Articuli noſtri Juramenti*, utpote decimus quartus & quintus contineant, ut in Prælatorum, Canonicorum, vel quorumcunque bonis noſtræ Diœceſis, ſi qui ab inteſtato deceſſerint, Capitulis, & Decanis liberam deſuper diſpoſitionem relinquamus: hoc & in futurum & perpetuum, tenore & præſentium concedimus & indulgemus, ſalvo tamen anno gratiæ, per Brunonem ſecundum Epiſcopum Miſnenſem piæ memoriæ Anteceſſorem noſtrum, Anno Milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto, Pontificatus ſui decimo ſeptimo, ſeptimo Calend. Octob. Capitulo & defunctis conceſſo; & ut noſtra gratia in omnia poſt futura tempora, præfato Præpoſito, Decano, Seniori, totique Capitulo & Clero prænominatæ noſtræ Eccleſiæ Budiſſinenſis firma, inconcuſſa ſit & maneat, curavimus præſens diploma deſuper ſcribi & confici, atque in majorem fidem ſigilli noſtri majoris appenſione roborari mandavimus. *Datæ in Arce noſtra Epiſcopali Stolpen, Anno Pontificatus noſtri ſecundo, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto*, die prima menſis Decembris. (*)

JOANNES Epiſcopus Miſnenſ. manu propria ſubſcripſit.

Statuta iſta, cum aliis eis adjunctis, ex ſpeciali commiſſione Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Joannis de Salhauſen Epiſcopi Miſnenſis, per Venerabilem & Egregium Virum Dominum Guilelmum de Petzſchitz, utriusque Juris Doctorem, pro tunc Curiæ Epiſcopalis Miſnenſis Officialem Generalem, in ordinem præmiſſum redacta, & diligenter emendata, perque Melchiorem Lotter in famoſo oppido Lipſia Merſeburgenſis Diœceſis, prædicti Domini Epiſcopi impenſis, pro conſervatione ſtatus Eccleſiaſtici ſunt impreſſa, anno Domini Milleſimo quingenteſimo quarto. Recuſa & correctius evulgata impenſis Reverendiſſimi, & Illuſtris Domini Epiſcopi, Adminiſtratoris, & Decani Budiſſinenſis, Typis Nicolai Zipſeri Chalcographi Budiſſinenſis A. 1627.

Diligenter collatum cum ſuo genuino textu in Archivo Archi-Epiſcopali Pragenſi ſub fide mea jurata aſſervato, per omnia concordare teſtor Pragæ die 7. Octobris A. 1757.

(L. S.) *WENCESLAUS PROCOPIUS DUCHOWSKY, m. pp. Reg. & Colleg. Capel. OO. Sanct. in Caſtro Pragenſi Beneficiatus, Notarius Apoſtolicus, & Curiæ Archi-Epiſcopalis Pragenſis Archivarius juratus.*

(*) Diploma iſtud, prioribus Statutis multo poſterius, in ultima Statutorum Miſnenſium editione iisdem adjunctum fuit: ideoque ab illis ſeparandum non putavimus.

Statuta Synodalia Eccleſiæ Magdeburgenſis, a JOHANNE (*) Archi-Epiſcopo renovata, & ab ERNESTO (**) ejus Succeſſore denuo confirmata.

Anno Chriſti MDV. Julii II. PP. III. Maximiliani I. Imp. XI. (***)

UNiverſis & ſingulis noſtræ Diœceſis Presbyteris notum facimus, auribus noſtris heu! rumore gravi innotuiſſe, quod plerique Paſtores & Clerici, quamvis corporaliter Synodo Sanctæ pœnarum metu aſſiſtant, attenta tamen aure

(*) Joannes, Dux Bavariæ, anno 1457. Monaſterienſium Epiſcopus a Calliſto III. Papa dictus fuerat; anno autem 1464. mortuo Friderico Magdeburgenſium Epiſcopo, qui cum fama Sanctitatis obierat, ad Metropolim hanc regendam concordibus ſuffragiis poſtulabatur: Biennio reluctatus, tandem Pauli II. Pontificis juſſu Archi-Epiſcopatum adiit, cumque in decennium geſſit, pari, qua Anteceſſor, laude gubernationis, & ſanctimoniæ fama clarus. Vivere deſiit anno 1475. feſto S. Martini, vel, ut alii volunt, pridie ejusdem diei. *Lenz. Hiſt. Diplom. Magdeburg. Schaten Annal. Paderborn. Tomo II. L. XVIII. ex Cranzio, Langio &c.*

(**) Er-

aure in ſcandalum multorum, & detrimentum propriæ ſalutis longe abſentes reperiantur: ut ſic, quæ ſalutis ſunt, non audiant, & craſſa ſua ignorantia liberius in peccatis perdurent, quod eorum facta, mores, & vita luce clarius demonſtrant. Ut ergo tantæ ignorantiæ præveniatur, Nos ERNESTUS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis, Primas Germaniæ, & Halberſtadienſium Eccleſiarum Adminiſtrator, Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, & Marchio Misniæ, Paſtoralis(†) officio moti, dedimus per Officialem noſtrum, Curiæ Magdeburgenſis Generalem, Statuta Synodalia inprimere, quæ tanquam ſpeculum ante cujuslibet Sacerdotis oculos neceſſe eſt in dies obſerventur, & contemplentur, quæ facienda ſunt, facient, & dimittenda dimittent; quæ quidem Statuta per quondam felicis memoriæ Reverendum Dominum JOHANNEM, Archi-Epiſcopum Magdeburgenſem, Primatem Germaniæ, Ducem Bavariæ, Comitem Palatinum Rheni &c. ſunt renovata, & denuo auctoritate noſtra confirmata ſecundum tenorem ſequentem de verbo ad verbum annotata.

I. *De Hæreticis vitandis.*

JOHANNES, DEI GRATIA, SANCTÆ MAGDEBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, GERMANIÆ PRIMAS, COMES PALATINUS RHENI, ET DUX BAVARIÆ; UNIVERSIS ET SINGULIS PRÆLATIS, DIVINORUM ET ECCLESIARUM RECTORIBUS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS QUIBUSCUNQUE NOSTRÆ CIVITATIS ET DIOECESIS MAGDEBURGENSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

VObis omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus: quatenus omnes & ſingulos hæreticos, eorumque fautores notorios, ac apoſtatas, qui habitum ſuæ profeſſionis fraudulenter depoſuerunt, tamquam excommunicatos a jure, & homines peſtiferos evitetis, & a veſtris ſubditis evitari faciatis, &, ſi commode poteritis, tales perſonaliter apprehenſos Nobis, aut Officiali noſtro præſentetis, aut alias cum erroribus ſuis manifeſtare, & denuntiare curetis; alioqui vos, ut & tamquam defenſores & receptores talium perſonarum, pœnas juris declarabimus incidiſſe juſtitia mediante.

II. *De Tabernis a Clero non viſitandis.*

Item vobis prædictis ſub excommunicationis pœna inhibemus, ne quisquam veſtrum tabernas extra caſus a jure permiſſos intrare, ac in eis conviviis intereſſe præſumat: alioquin contrarium faciens, ſi ſemel monitus a Nobis, Officiali noſtro, aut ſuo Prælato, non velit deſiſtere realiter & cum effectu excommunicetur, & alias, prout contumacia ſua exegerit, ſeverius punietur.

III. *De Veſtibus, & tonſura Clericali retinenda.*

Item omnes & ſingulos Clericos prædictos peremptorie requirimus & monemus, ut veſtes & tonſuram Clericales pro notitia & congruentia ordinis ſui deputatas & conſuetas, publice deferant. Contrarium facientes poſt præſentem monitionem privilegiis Clericalibus nolumus gaudere contra ſuos invaſores.

IV. *De concubinis non alendis.*

Item diſtrictius prohibemus, ne quisquam veſtrum deinceps concubinam ſecum detineat, vel alias a ſe poſitam in domo nutriat aliena, fama publica atteſtante, quod hæc ſit concubina ipſius. Alioquin contrarium faciens, juxta quoddam Statutum Provinciale felicis memoriæ Alberti Prædeceſſoris noſtris, aut Decretum Concilii Baſilienſis, contra concubinarios editum, cujus tenor infra ſequi-

(**) Erneſtus, Dux Saxoniæ & Misniæ, Erneſti Electoris & Eliſabethæ Bavaræ filius, cum decennium ætatis vix impleviſſet, electus eſt Magdeburgenſium Archi-Epiſcopus anno 1476. Elapſo exinde triennio Halberſtadienſium quoque adminiſtrandam accepit Eccleſiam. Epiſcopus conſecratus anno 1489, utrique Sedi præfuit uſque ad annum 1512, quo deceſſit.

(***) Horum Statutorum Synodalium confirmationem referimus ad annum 1505. eo quod Erneſtus eodem hoc anno per Præpoſitum ſuæ Metropolitanæ, Principem Adolphum Anhaltinum, viſitationem inſtituerit ſuarum Eccleſiarum, Clerique mores, ac vitam reformaverit, *teſte Lenz. in Hiſtor. Diplomat. Magdeburg. pag.* 469.

(†) *fors:* curæ Paſtoralis.

quitur , & eſt talis : Albertus Archi-Epiſcopus. debita animadverſione punietur.

V. *De iis, qui matrimonium contrahere geſtiunt, publice proclamandis.*

Item volumus, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandamus, ut nemo veſtrum quaſcunque perſonas matrimonialiter copulare præſumat , niſi diebus feſtivis publicaverit de umbone , quod talis & talis intendunt matrimonialiter copulari, tam virum , quam virginem, ſive feminam, propriis eorum nominibus & cognominibus exprimendo & nominando ; ut ſi quis ſit, qui aliquod impedimentum noverit inter eos, vel alias contradicere velit, revelandi & contradicendi liberam habeat facultatem. Contrarium faciens, tanquam excommunicatus per præſentes, a Chriſti fidelibus vitari debet , niſi noſtris aut Officialis noſtri viſis literis, aliter diſponentibus.

VI. *De rebus ſacris non alienandis, aut ad uſus privatos transferendis.*

Item inhibemus, ne quisquam Clericorum aut laicorum noſtræ civitatis & Diœceſis campanas, libros miſſales, veſtes ſacras, vel quæcunque ornamenta , ſemel dedicata Eccleſiis, & Altaribus appropriata, amplius ad humanos uſus transferre, pignori obligare aut vendere quoquomodo præſumat abſque noſtra aut Officialis noſtri ſpeciali licentia & voluntate. Alioquin emptor & mutuans pretio, quod expenderunt pro vel ſuper eisdem , ſint omnino privati per præſentes, quod ad pios uſus volumus converti , & venditor ac oppignorans excommunicentur, donec id , in quo deliquerunt, ad arbitrium noſtrum ſeu noſtri Officialis ſufficienter emendaverint.

VII. *De rebus furto ablatis non recipiendis.*

Inſuper prohibemus, ne quiſquam res ſpoliatas, ſeu furtive ſubtractas ſcienter venditionis , pignoris ſeu quocunque alio titulo ad ſe recipere, & in uſus ſuos convertere præſumat. Contrarium faciens ultra pœnam juris, quo pretio , quod expendit pro eisdem, privatus eſt, ac ad reſtituendum ſimpliciter tenetur ; per Nos aut noſtrum Officialem coerceatur , donec & quouſque id duxerit debite emendandum.

VIII. *De falſariis monetarum &c. excommunicandis.*

Item omnes falſarios monetarum & librarum quarumcunque, ac homicidas voluntarios excommunicamus Dei nomine per præſentes.

IX. *De cereviſiis & ponderibus non falſificandis.*

Inſuper prohibemus, ne quiſquam vina, cereviſiam, blada vel quascunque res vendibiles fraudulenter cauſa avaritiæ miſcere præſumat ; nec etiam pondera aut menſuras in eis, quæ ſub certis pondere & menſura conſtitutis venduntur, falſificet; alioquin contrarium faciens, donec & quousque ſatisfecerit læſo, & ſe emendaverit , excommunicetur , & alias, prout Judici ſuo æquum videbitur, punietur.

X. *De uſurariis excommunicandis.*

Item uſurarios publicos & privatos præſentibus monemus , ut infra trium dierum ſpatium deſiſtant ; alioquin ipſos; prout juxta Statuta Canonica actu excommunicati & privati ſunt, excommunicamus etiam communione Corporis Chriſti, & ſepultura Eccleſiaſtica privamus per præſentes. Si quis vero Clericus aut Religioſus , cujuscunque ſit religionis aut ſtatus, eosdem uſurarios a ſententia excommunicationis hujusmodi abſolverit, & ad Eccleſiaſticam ſepulturam receperit , publice aut occulte , frivole contra hujusmodi mandatum noſtrum, eundem pro nunc, ut & tunc , & econtra, excommunicamus Dei nomine in his ſcriptis.

XI. *De indulgentiis non abutendis.*

Item diſtrictius inhibemus, ne quæſtores quarumcunque Eccleſiarum, etiamſi ſint per Nos admiſſi, vires ſeu continentias ſuarum literarum excedant, ac indulgentias exceſſivas indiſcrete pronuntient, ſeu a votis, in quibus non habent poteſtatem, abſolvant. Alioquin, poſt-

postquam de talibus fuerint informati, possunt personaliter capi, & Nobis ab Officiciali nostro puniendi pro excessibus suis præsentari, dummodo tamen de fuga sint suspecti, alias debent citari, arrestari, ac excommunicari, donec & quousque satisfecerint pro excessibus suis ad arbitrium judicantis.

XII. *De ligatis non temere absolvendis.*

Item volumus, ut omnes ligati nunc & etiam antea sententiis & pœnis juris communis, vel nostrorum Statutorum Provincialium ac Synodalium, a nullo Sacerdote absolvantur, qui nostras literas super hoc exhibere non poterit speciales: sed ad Nos aut Vicarium nostrum in Spiritualibus remittantur absolvendi. Et si quisquam contra hujusmodi nostram ordinationem se de talibus absolvendo pertinaciter intromittat, eundem suspendimus ab ingressu Ecclesiæ per præsentes.

XIII. *De cedentibus & cessionariis puniendis.*

Item contra novum malitiæ hominum deceptionis commentum prohibemus, ne quisquam cessionis actionem transferat in alium potentiorem vel æqualem personam fraudulenter; & ne simili modo quisquam tales cessiones ad se recipere præsumat. Si contrarium fiat, cedens quinque marcas, & cessionarius etiam quinque, & Judex talis causæ cessionariæ decem marcas, Magdeburgensis Gwarandiæ, Nobis dare & solvere pro emenda teneantur; nisi tam cedens quam cessionarius coram competente Judice juraverit, quod in hujusmodi cessione cedens pro rebus cessis nullum fructum exspectabit in futurum, & quod hujusmodi cessio non per dolum aut fraudem fiat, aut causa ponendi fortiorem & potentiorem adversarium suo debitori.

XIV. *De transgressoribus Statutorum deferendis.*

Item mandamus, & volumus, ut infra mensem, postquam innotuerit vobis, aliquem excessisse contra Statuta nostra, executori Statutorum nostrorum id intimare curetis, & executorem eorundem Statutorum Vicarium nostrum in Spiritualibus, ac Officialem generalem duximus deputandum, & deputamus per præsentes.

XV. *De Officiis celebrandis in majoribus Festis etiam excommunicatis concedendis.*

Item, ut per totam septimam (*) communem, & in commemoratione omnium animarum, in singulis festis B. MARIÆ Virginis, Sanctorum Petri & Pauli, Nativitatis B. Johannis Baptistæ, S. Michaelis, omnium Sanctorum, S. Mauritii, S. Elisabethæ, Dedicationis vestrarum Ecclesiarum, in Ecclesiis vestris, ecclesiastico suppositis interdicto, vel ubi cessatum fuerat a Solemnitatibus Divinorum auctoritate nostra, seu nostrorum Judicum, vel Archi-Diaconorum, ob reverentiam DEI, & Divini cultus augmentationem, excommunicatis tamen, & his, qui causam dederunt interdicto, exclusis, solemniter possitis celebrare Divina officia, vobis misericorditer indulgemus.

XVI. *De Rectoribus Ecclesiarum.*

Item volumus & mandamus, ut nullus Rectorum Parochialium Ecclesiarum nostræ Civitatis & Diœcesis se a sua Ecclesia absentare præsumat, nisi a Nobis, aut nostro Officiali licentiam petierit, & obtinuerit specialem. Contrarium faciens, eadem & sua Ecclesia, a qua recedit, privabitur justitia mediante.

XVII. *De Mandatis Superiorum reverenter recipiendis.*

Item mandamus vobis omnibus & singulis prædictis, ut nostra, nostrorumque Commissariorum, ac Officialis nostri, seu Vicarii in Spiritualibus mandata, & literas mandatorum, dum vobis offeruntur, reverenter recipere, & exequi curetis. Alioquin contrarium facientem ac quemcunque in his rebellem suspendimus ab ingressu Ecclesiæ per nunc, & ex tunc, & contra, per præsentes.

XVIII. *De Refractariis excommunicandis.*

Inhibentes insuper omnibus & singulis Prælatis, & Archi-Diaconis prædictis, ne quisquam eorum frivole in nostræ auctoritatis præjudicium subditis suis

(*) *Locus corruptus.*

ſuis inhibeat, ne noſtras Commiſſariorum noſtrorum, aut Officialis noſtri literas recipiant, & exequantur mandatorum. Contrarium facientes, excommunicentur.

XIX. *De Cultu Divino ſecundum morem Eccleſiæ Metropolitanæ componendo.*

Item volumus & mandamus, ut omnes & ſinguli Presbyteri & Clerici in noſtra civitate & Diœceſi Beneficia, Officia, Capellanias, Officiaturas, ſeu alias domicilium habentes in Eccleſiis Parochialibus, in Divinis Officiis celebrandis, aut peragendis, Divinum ordinem & Breviarium, ritum & morem noſtræ Eccleſiæ Magdeburgenſis ſtudeant obſervare. Contrarium facientes per Nos aut Officialem noſtrum debite puniantur.

XX. *De pecuniis aliisque rebus Magiſtro fabricæ Eccleſiæ Metropolitanæ dandis.*

Item, ex quo Eccleſia noſtra Caput eſt & Magiſtra omnium Eccleſiarum noſtræ civitatis & Diœceſis, imo & totius Provinciæ, & omnes excellit in dignitate, ita & dignum eſſe arbitramur, ut præfulgeat in ſtructura & ornamentis. Mandamus igitur, ut ſubditos veſtros in Eccleſiis veſtris & alibi, ubi videbitur opportunum; ſæpius publice & ſolemniter moneatis, ut vagas reſtitutiones ſeu pecunias, & alias res pro commutatione votorum debitas, nullis quæſtoribus Religioſis aut ſecularibus dare aut tradere præſumant; ſed ea tantummodo Magiſtro fabricæ Eccleſiæ noſtræ prædictæ fideliter dare & præſentare teneantur. Alioquin ad ſolvendum easdem res, ac ad reſtituendum denuo ipſos volumus eſſe adſtrictos & obligatos per præſentes.

XXI. *De Caſibus reſervatis.*

Item quia, ubi magis periculum imminet, cautius eſt agendum, caſus majores, videlicet hæreſis, Simoniæ, læſæ Majeſtatis Divinæ & humanæ, teſtamentarias, homicidii, ſacrilegii, immunitatis Eccſeſiarum, incendiariorum, fractionis votorum, injectionis manuum violentarum in Clericos, apoſtaſiæ, ſchismatis, falſariorum quarumcunque literarum & monetarum, oppreſſionis parvulorum, maleficiorum, peccati contra naturam, decimarum, uſurarum, oblationum, adulterii, inceſtus, ſtupri, libertatis egregiarum perſonarum, dotis atque matrimoniales, ceterasque a jure communi & ſtatutis Prædeceſſorum noſtrorum, Nobis in foro pœnitentiæ reſervatos, etiam in foro contentioſo & judiciali Nobis aut Officiali noſtro tantummodo, auctoritate Ordinaria judicandos ſpecialiter reſervamus per præſentes: mandantes univerſis & ſingulis Archidiaconis & judicibus inferioribus quibuscunque noſtræ civitatis & Diœceſis, ne ſe deinceps in & de talibus cauſis, ubi & quando judicialem requirunt indaginem, judicando intromittant quoque modo; ſed easdem, dum proponuntur, ad Nos aut noſtrum Officialem judicandos remittant. Non tamen per hoc (*), quin in notoriis, cum viſitant Eccleſias & populum ſibi ſubjectum, in his culpabiles & delinquentes ſine ſtrepitu & figura judicii ſimpliciter & de plano poſſint & valeant corrigere & emendare, ubi hoc ad ipſos ex conſuetudine laudabili dignoſcitur pertinere. Contrarium facientem, per tres menſes pro nunc ut & tunc & e contra ſuſpendimus ab officio judicandi per præſentes, & ſi advertere non curabit, excommunicetur.

Communicavit Clariſſimus D. ab Erath, Conſiliarius Naſſovico-Dillenburgicus.

(*) *Supple*: inhibemus.



GE-

GEORGII, Epiſcopi Bambergenſis, Confirmatio & Extenſio Statutorum Synodalium ſuæ Diœceſis.

Anno Chriſti MDVI. Julii II. Pp. III. Maximiliani I. Imp. XIII.

GEORGIUS (*), DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS BAMBERGENN. UNIVERSIS ET SINGULIS IN CHRISTO NOBIS DEVOTIS DILECTIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS, PREPOSITIS, DECANIS, ARCHI-DYACONIS, SCOLASTICIS, CANTORIBUS, CUSTODIBUS, THESAURARIIS, SUCCENTORIBUS, CANONICIS, COLLEGIIS, CAPITULIS ET CONVENTIBUS, PAROCHIALIUMQUE ECCLESIARUM RECTORIBUS, VICARIIS PERPETUIS, CAPELLANIS, PRIMISSARIIS, ALTARISTIS, PRESBYTERIS CURATIS, ET NON CURATIS: DYACONIS, SUBDYACONIS, ET TAM SECULARIBUS, QUAM ORDINUM QUORUMCUNQUE REGULARIBUS CLERICIS: TOTIQUE CLERO CIVITATIS ET DYOCESIS NOSTRE BAMBERGENN. CUJUSCUNQUE ETIAM DIGNITATIS, STATUS, GRADUS, ORDINIS AC PREEMINENTIE, ET EXCELLENTIE EXISTANT, COMMUNITER ET DIVISIM, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Inſeruntur hic Statuta Synodalia anni MCCCCXCI. relata in Tomo V. a pag. 597. *Sed* Tit. XLIV. De Judeis. *poſt ultima verba*: opera medicinæ exerceant. *addita ſunt, quæ ſequuntur*:

MAndamus etiam, & in virtute ſanĉte obedientie ſub pena excommunicationis precipimus omnibus & ſingulis ſubditis, noſtreque ditioni ſubjeĉtis utriusque ſexus Dioceſanis noſtris, & per univerſam Dioceſ. noſtram conſtitutis, ut nemo, cujuscunque ſtatus, aut conditionis exiſtat, cum Judeis aliquam habeat communionem comedendo, bibendo, hoſpitando, domos, aut habitationes locando, emendo, vendendo, aut quavis alia ratione vaſa, vel clinodia, annulos, veſtes, res aut bona parvi aut magni valoris, quibuscunque appellentur nominibus, impignorando, vel in cuſtodiam recipiendo, aut ipſis tradendo, neque conſenſum ad id adhibendo, ſeu permittendo, vel in aliis caſibus, a jure prohibitis participando: cum veriſimile ſit, omnia hec ſupra diĉta in fraudem fieri uſurarum. Inhibentes noſtris Capitaneis, Præfeĉtis, Officialibus, Sculteтis, Judicibus, Lentgraviis, Granatoribus, & Scabinis omnium & ſingulorum noſtrarum Civitatis & Dioceſ. Judiciorum, ne aliquis querimoniam ſeu petitionem in judicio ſuper quacunque uſura a quovis Judeo admittat vel recipiat: nec ſententiam aliquam ſuper hoc dicat, aut executionem faciat; verum hujusmodi petitiones & cauſas rejiciat, & annullet. Ac ubi continget aliquem ex Judeis propter mutuum, vel aliud legitimum debitum pro ſumma capitali querimoniam offerre, debet Judex illius judicii terminum legitimum reo Chriſtiano ſtatuere, in quo reus juramento affirmare debet, quantum ab inicio perceperit, & Judeo de vera capitali ſumma abſque fenore & uſura debuerit; in quo Judex juxta conſuetudinem & obſervationem illius judicii contra reum executionem facere, & ad ſatisfaciendum ipſum compellere debet. Si vero quispiam repertus fuerit, qui hoc preſens mandatum noſtrum transgreſſus ſit, & ob id in pœnam excommunicationis, ut prefertur, inciderit, illius abſolutionem nobis duntaxat reſervamus: ita, ut non niſi a nobis, aut de ſpeciali mandato noſtro abſolvi poſſit.

Dat. in civitate noſtra Bambergenn. Anno Domini Milleſimo quinquageſimo ſexto. Feria tercia poſt Dominicam, qua in Eccleſia Dei cantabatur officium *Exaudi.*

Ejus-

(*) Georgius Schenck, Baro de Limburg, Bambergenſi in Epiſcopatu ſucceſſit Georgio ab Ebner anno 1505. defunĉto. Præfuit ſuæ Eccleſiæ uſque in annum 1522.

Ejusdem GEORGII Episcopi Bambergensis *Mandatum ad Decanos & Camerarios, seu Thesaurarios Rurales, ut Clerum sibi subjectum ad Synodalia Statuta observanda adstringant.*

Anno Christi MDVII. Julii II. Pp. IV. Maximiliani I. Imp. XIV.

GEORGIUS, DEI GRATIA EPISCOPUS BAMBERGENN., UNIVERSIS ET SINGULIS NOSTRE DIOCESIS DECANIS, NEC NON CAMERARIIS, SEU THESAURARIIS RURALIBUS SALUTEM IN DOMINO, ET NOSTRIS HUJUSMODI FIRMITER OBEDIRE MANDATIS.

CUm secundum Sanctorum Patrum instituta, & juris communis Sanctiones Christi militares, laudibus Divinis deputati, vita, gestu, moribus & habitu honeste se regere, & suorum Superiorum rationabilibus preceptis obedire teneantur, Nosque propterea Statuta nostra Synodalia prefata, vestigiis Patrum Sanctorum prefatorum, & Predecessorum nostrorum, jurisque communis Sanctionibus inherendo, singulis annis publicare facimus: que cum a plerisque Clericis nostris preteriri ymo temere violare conspicimus: & quidem condolenter referimus, vitam & honestatem Clericalem adeo apud quamplures nostrarum Civitatis & Diocel. Clericos esse obumbratam; ut vix inter Clericos & laycos discrimen habeatur: & ipsa Statuta nostra Synodalia in ipsorum Clerioorum cordibus obliterata, & a pluribus non visa aut perlecta vilipendantur: nullam propter nostram, quam hactenus pii Pastoris more tolleravimus patientiam, capientes emendationem.

Ne igitur major ad inobedientiam detur occasio, & ne patientia nostra hujusmodi ad delinquendum incentivum tribuat & audaciam; vobis omnibus & singulis supradictis tam conjunctim, quam divisim in virturte sancte obedientie, & sub excommunicationis pena districte precipiendo mandamus, quatenus omnes & singulos Presbyteros & Clericos rurales, sub districtibus & sedibus, atq; Parochiis vestris constitutos, se in vita, conversatione, habitu clericaliter non gerentes, ac nostrorum Synodalium, & Sanctorum Patrum Statutorum transgressores, precipue in beneficiis eorum curatis, vel non curatis, sine nostra licentia non residentes, aut beneficia non confirmata providentes, aut in Capellis arcium, seu castrorum, vel in Altaribus portatilibus Divina, licentia seu admissione nostris non obtentis, celebrantes officia, seu eadem admissione non obtenta, peregrinos Clericos admittentes: aut absque testamentis decedentes, & eorundem Clericorum pretensos testamentarios, & bonorum occupatores seu dispensatores, & reliquos Statutorum nostrorum Synodalium violatores, ad nostram, & Vicarii, seu Commissarii, vel Officialis, seu etiam Fiscalis nostri in Spiritualibus audientiam, totiens quotiens illud contigerit, deferre quantocius procuretis: significantes Nobis negociorum hujusmodi, quantum vobis innotescit, & innotescere poterit, per literas aut nuncios vestros merita.

Alioquin contra vos, qui in premissis culpabiles fueritis, tanquam contra inobedientes, juxta negocii qualitatem, prout dignum fuerit & justum, procedemus, inobedientiam hujusmodi condigna animadversione feriendo.

Dat. in civitate nostra Bambergenn. Anno a Nativitate Domini 1507. die vicesima Junii.

STEFFANUS SCHNEIDENWINT
Fiscalis subscripsit.

Intimetur per Cursores juratos.

Ejus-

Ejusdem GEORGII Epiſcopi Bambergenſis
Declaratio Statuti Synodalis, de geſtandis ſub Officio Divino Superpelliciis, edita
Eodem anno Chriſti MDVII.

GEORGIUS, DEI GRATIA EPISCOPUS BAMBERGENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS PRESENTES NOSTRAS LITERAS INSPECTURIS, LECTURIS, ET LEGI AUDITURIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

DEbitum Officii noſtri exigit, & ratio depoſcit, ut emergentia circa condita per Nos Statuta dubia per declarationis remedium ſubmoveantur. Dudum ſiquidem & in initio Paſtoralis noſtri Regiminis inter alias Conſtitutiones Synodales ſtatuimus, ac ſub ſuſpenſionis pena, ut Prebendati Primiſſarii, & Beneficiati Parochialium Eccleſiarum in Proceſſionibus, Matutinis, Miſſis, Veſperis & Completoriis, in plenis Officiis, ac novem Lectionum, & Dominicis diebus ſuperpelliciati intereſſent. Volumus & mandamus, prout in eadem Conſtitutione, cujus tenorem hic pro expreſſo haberi volumus, latius continetur. Et quia deinde ab aliquibus, ut accepimus, verſum fuit in dubium, an prediCti Prebendati Primiſſarii, & Beneficiati indifferenter quarumcunque Parochialium Eccleſiarum ad hujusmodi proceſſionum & Divinorum intereſſentiam, de quibus in dicto Statuto fit mentio, tenerentur. Ad hujusmodi ambiguitatis dubium tollendum, & ex certis rationabilibus, animum noſtrum moventibus cauſis, declaravimus Auctoritate noſtra Ordinaria, declaramus per preſentes, & in hiis ſcriptis, noſtre intentionis, mentis, & voluntatis fuiſſe & eſſe, eosdem Prebendarios Primiſſarios, & Beneficiatos in Parochialibus Eccleſiis exiſtentes, in quibus hujusmodi Proceſſiones & Divina Officia in feſtis & diebus in ſtatuto expreſſis per Plebanos, Vice-Plebanos, Cooperatores, Rectores Scolarium, Chorales, & Scolares, aut aliquos eorum ex conſuetudine, ſive fundatione, absque prefatorum Prebendariorum, Primiſſariorum, & Beneficiatorum intereſſentia hactenus fieri, celebrari, & cantari conſueverunt, per hujusmodi Statutum noſtrum minime comprehenſos fuiſſe, fore, ſeu eſſe: neque hujusmodi Proceſſionum & Divinorum intereſſentiam aut aliter, quam hucusque introductum, obſervatum, & conſuetum fuit, in aliquo obligaſſe, aut obligare: ſive ultra tenores eorum fundationum Beneficiorum gravaſſe, ſeu gravare voluiſſe aut velle. Quam quidem declarationem noſtram hujusmodi, Statuto prædicto alias in ſuo robore permanſuro, obſervari, & in valvis Eccleſie noſtre Bambergenſis publicari, ac ad alias Conſtitutiones annotari volumus & mandamus preſentium per tenorem. Dat. in Civitate noſtra Bambergenn. Anno a Nativitate Domini Milleſimo quingenteſimo ſeptimo, Feria tercia menſis Julii, noſtri Vicariatus ſub ſigillo preſentibus impreſſo.

SYNODUS WRATISLAVIENSIS
Anno Chriſti MDIX. Julii II. Pp. VI. Maximiliani I. Imp. XVI.

Per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum JOANNEM Quintum, Epiſcopum Wratislavienſem, vigeſima quarta menſis Aprilis celebrata.

REverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus JOHANNES (*) QUINTUS, Epiſcopus Wratislavien. præmiſſis citationibus ſolitis, vo-

catis ad hoc omnibus, & singulis legitime, qui de jure, seu consuetudine fuerant evocandi, *Synodum Generalem Diœcesanam* celebravit eo modo, & ordine servato, prout in Synodalibus actis Reverendissimi olim Domini RUDOLPHI, Episcopi Wratislavien. Prædecessoris suæ R. P. declaratum est, continuando eam per tres dies: in quarum prima die inprimis sua R. P. coram Clero ejusdem Synodi Promotorem constituit Venerabilem Eximium Virum, Dominum Mathiam Kolbe, Sacræ Theologiæ Doctorem, Archi Diaconum Ecclesiæ majoris Wratislavien.: qui Dominos Prælatos, Canonicos, & Clerum locavit, quemadmodum quisque in Synodo dicti olim Reverendissimi Domini RUDOLPHI Episcopi locum obtinuit: item & Notarium Synodi, Dominicum Schleupner, Ecclesiæ Collegiatæ S. Ægidii Wratislavien. Canonicum, & Cancellariæ suæ R. P. Scribam.

Et deinde sua R. P. propria in persona solenniter cantavit Missam de Sancto Spiritu: qua finita, & sua P. in loco, seu stallo suo stante, Venerabilis, & Egregius Vir, Dominus Stanislaus Sawer, Decretorum Doctor, & præfatæ majoris Ecclesiæ Wratislavien. Canonicus, post acceptam a Reverendissimo Domino Episcopo benedictionem, doctum, atque elegantem ad Clerum fecit sermonem. Quo finito, Dominus Doctor Mathias Kolbe, Promotor Synodi, absentium contumaciam accusavit. Et literas Constitutionum Sacri Concilii Basilien. in pergameno scriptas, salvas, & integras, Bulla ejusdem Concilii plumbea, filo Canapis appendente sigillatas, Dominico Schleupner Notario exhibuit: & inde Decretum de Concubinariis legi jussit, hujus, qui sequitur, tenoris:

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILIEN., IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUicunque Clericus, cujuscunque status, conditionis, religionis, dignitatis, etiamsi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ existat, qui post hujus constitutions notitiam, quam habere præsumatur, per duos menses, post publicationem ejusdem in Ecclesiis Cathedralibus, quam ipsi Diœcesani omnino facere teneantur, postquam eadem constitutio ad eorum notitiam pervenerit: fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum trium mensium spatio, sit ipso facto suspensus, quos suus Superior in fabricam vel aliam evidentem Ecclesiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat. Nec non hujusmodi concubinarium, ut primum esse talem innotuerit, mox suus Superior monere teneatur, ut infra brevissimum terminum concubinam dimittat: quam si non dimiserit, vel dimissam, aut aliam publice resumpserit, jubet hæc Sancta Synodus, ut ipsum suis omnibus Beneficiis omnino privet. Et nihilominus hi publici concubinarii, usquequo cum eis per suos Superiores, post ipsarum concubinarum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem, fuerit dispensatum, ad susceptionem quorumcunque bonorum, dignitatum, beneficiorum, vel officiorum sint inhabiles. Qui, si post dispensationem recidivo vomitu, ad hujusmodi concubinatum publicum redierint, sine spe alicujus dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant. Quodsi hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum est, punire neglexerint, eorum Superiones, tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinatu, modis omnibus digna punitione animadvertant. In Conciliis etiam Provincialibus, & Synodalibus, adversus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem a collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna severiter procedatur.

Et si hi, quorum destitutio ad Summum Pontificem spectat, per Concilia Provincialia, aut suos Superiores propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis, ipsi summo Pontifici deferantur. Eadem diligentia, & inquisitio in

(*) Fuit is Joannes Thurzo, Cracoviensis, Frater Stanislai Episcopi Olomucensis, multa eruditionis laude claruit. Plures ejusdem Epistolæ reperiuntur in operibus Erasmi, cui singulari addictus amicitia fuerat. Wratislaviensem Ecclesiam ab anno 1506. moderatus est usque ad annum 1520., qui regiminis ejus & vitæ ultimus fuit.

in quibusvis Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quo ad ſuos ſervetur, pœnis aliis, contra prædictos, & alios non publicos concubinarios, Statutis in ſuo robore permanſuris.

Publici autem intelligendi ſunt non ſolum ii, quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari, notorius eſt; Sed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, & infamatam tenet, & per ſuum Superiorem admonitus, ipſam cum effectu non dimittit. *Quia vero* in quibusdam Regionibus nonnulli jurisdictionem Eccleſiaſticam habentes, pecuniarios quæſtus a concubinariis percipere non erubeſcunt, patiendo eos in tali fœditate ſordeſcere; ſub pœna maledictonis æternæ præcepit, ne deinceps ſub pacto, compoſitione, aut ſpe alicujus quæſtus, talia quovismodo tolerent, aut diſſimumulent; alioquin ultra præmiſſam negligentiæ pœnam, duplum ejus, quod propterea acceperint, reſtituere ad pios uſus omnino teneantur, & compellantur. *Ipſas autem concubinas*, ſeu mulieres ſuſpectas Prælati modis omnibus curent a ſuis ſubditis, etiam per brachii ſæcularis auxilium, ſi opus fuerit, penitus arcere. Quin etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud patres ſuos cohabitare non permittant.

Jubet inſuper hæc Sancta Synodus, ut etiam in prædictis Synodis, & Capitulis hæc conſtitutio publicetur, & quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneat diligenter: injungit præterea omnibus ſæcularibus Viris, etiamſi Regali præfulgeant dignitate; ne ullum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quæſito colore, Prælatis, qui ratione officii ſui adverſus ſuos ſubditos pro hujusmodi concubinatu procedunt.

Et *cum omne fornicationis crimen Lege Divina prohibitum ſit, & ſub peccati mortalis pœna neceſſario evitandum*, monet omnes laicos tam uxoratos, quam ſolutos, ut ſimiliter a concubinatu abſtineant., *nimis enim reprehenſibilis eſt, qui uxorem habet, & ad alienam mulierem accedit*: *Qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit*, juxta Apoſtoli conſilium, *uxorem ducat*. Pro hujus autem Divini obſervatione Præcepti, ii, ad quos pertinet, tam ſalutaribus monitis, quam aliis Canonicis remediis omni ſtudio laborent. &c.

Deinde Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus lectioni finem imponens, tunc præſentibus univerſis hora decima nona in Aula Epiſcopali comparendum, & defectus, quos haberent, proponendum conſtituit. Hora itaque XIX. in Aula Epiſcopali quorundam Capitulorum Nuntii, item Wratislavien. & aliorum paſſim Sedium Wratislavienſis Diœceſis Archi-Presbyteri complures, propoſuerunt in ſcriptis articulos, quorum aliqui lecti ſunt, quibus Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus ex tempore reſpondit: Alios vero, qui ſequentibus duobus diebus legebantur, dixit, ſe velle partim cum tempore reformare: & ut plurimos hujusmodi defectus conſtitutionibus melioribus reformari non poſſe, quam a ſuis Prædeceſſoribus Dominis Epiſcopis Wratislavien. accuratiſſime conſtitutum exiſteret; ſed negligentia Sacerdotum & Clericorum, quod dicta Statuta legere non curarent, multi committerentur errores, ſtatum, & rem ipſam Eccleſiaſticam dedecorantes. Condidit igitur per totam iſtam Synodum, eadem unanimiter approbante, Statuta ſubſequentia:

Sequuntur Statuta & Ordinationes per præfatum Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, Dn. JOANNEM Epiſcopum Wratislavien. edita.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

NOS JOHANNES, DEI GRATIA EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS, UNIVERSIS, ET SINGULIS DOMINIS ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, PRÆLATIS, CANONICIS, DOMORUM MAGISTRIS, PRIORIBUS, ARCHI PRESBYTERIS, CÆTERISQUE PRESBYTERIS; ET CLERICIS, IN- ET PER CIVITATEM, ET DIOECESIN NOSTRAM WRATISLAVIEN. UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUanquam a Prædeceſſoribus noſtris (felicis record.) olim Dominis

Conrado, Petro, Rudolpho, & Johanne Episcopis Wratislaviensibus, Synodalibus eorum Constitutionibus, ad statum, honestatemque Ecclesiasticam nostræ Diœcesis pertinentia, singula quæque adeo provide, ac solerter instituta, & ordinata sint, ut pene singulis defectibus, & gravaminibus, Nobis in hac præsenti Synodo propositis Statuta quædam eos reformantia respondeant: reperimus tamen ob Clericorum desidiam, qui memorata Statuta habere, legere, ac nosse non curarunt, in Diœcesi nostra multum aberrari. Ideo innovando, repetendo, & approbando omnia, & singula præfatorum Reverendissimorum Dominorum Episcoporum, Prædecessorum nostrorum Statuta, & Ordinationes in his præsertim, quæ libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam, atque Personarum Ecclesiasticarum honestatem concernunt.

Quod Sacerdotes habeant, & legant Provincialia, & Synodalia Statuta.

Statuimus, ordinamus, ac districte præcipientes mandamus: quod quilibet Presbyter, & præsertim qui aliquam regit Ecclesiam nostræ Diœcesis, Provincialia, atque præsentia nostra, nec non Conradi, Petri, Rudolphi, & Joannis Episcoporum Synodalia Statuta apud se, & Ecclesiam suam permansura emat, habeat, & diligenter perlegat; & in Sacramentorum administratione, & in his, quæ ad Sacerdotalia officia, honestatemque Clericalem spectant, se se secundum ea gerat. In Ecclesia sua, prout, & quantum in eisdem publicandum mandatur, publicet, denuntiet, inviolabiliter observet, ac servari faciat, sub pœnis in eisdem Statutis contentis. Quia vero complures in nostra Diœcesi Presbyteros, & Clericos reperimus, qui ex desidia (etiamsi haberent) Statuta ipsa legere non curarent, ut scilicet & ejusmodi ad ea sciendum trahantur, & compellantur: Volumus, & mandamus, quod omnes & singuli Archi-Presbyteri, quilibet in Archi-Presbyterali sua sede in locum aliquem competentem, utpote in oppidum, vel villam, singulis anni quatuor temporibus, omnes & singulos suæ sedis Presbyteros, Ecclesiarum Rectores convocet, quos ad convocationes hujusmodi veniendum præsenti nostra Synodali Constitutione astringimus, demptis eorum paucis, qui interea domi pro absentibus Plebanis curam Sacramentorum administrandorum gerant: ita tamen, quod pro alia vice quidam alii ex iis Plebanis, qui proximæ convocationi interfuerant, ad domi manendum deputentur, ut isti, qui nuper domi relicti fuerant, deinde ad convocationem veniant. Archi-Presbyteris vero districte injungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus: ut tunc ante omnia, præsentibus, & audientibus omnibus, Statuta præfatorum nostrorum Antecessorum, atque nostra intelligibili voce usque in finem diligenter legi faciant, quatenus nullus eorum ignorantiam prætendere possit, sed omnia rectius, & laudabilius ad Divinam laudem observentur.

Deinde de Ordinibus sacris singulorum ipsarum Sedium Presbyterorum, & præcipue peregrinorum, non ex nostra Diœcesi existentium, ubi scilicet & quomodo unusquisque ordinatus sit? Qua authoritate Ecclesiam regat, an investituram, vel commendam habeat? De vita, moribus, & defectibus eorundem: per omnia, sicut in præmissis Dominorum Episcoporum statutis Archi-Presbyteri sibi injunctum esse reperient, fideliter, & diligenter examinent, scrutentur, & prosequantur.

Inhibemus autem, ne se aliquis absentet, aut de oppido, vel villa, & loco pro convocatione deputato recedat, priusquam omnia præmissa obedienter expleta fuerint, & Archi-Presbyter eis omnibus, & singulis licentiam ad propria remeandi concesserit, sub pœna excommunicationis, & mulcta arbitrio nostro reservata: nisi quis rationabilem causam haberet, propter quam ab Archi-Presbytero licentiam ad hoc obtinere mereretur.

De Sententia Excommunicationis.

Super consultatione vero, & ad instantiam plurimorum Presbyterorum in hac Synodo congregatorum, declaramus: quod deinceps in nostra Diœcesi nullus sive Clericus, sive laicus fuerit, ab Excommunicationis sententiis absolvi debeat sine expresso partis alterius consensu;

ſenſu, aut ſufficienti cautione prout de jure. Et qui propter contumaciam non comparitionis ſententiis excommunicationis innodati fuerint, ante omnia teneantur juxta juris communis Sanctionem, & Conſiſtorii noſtri Wratislavienſis obſervatam conſuetudinem, ad refundendum parti obedienti expenſas, quas parti illi vel in judicio coram judice, in partis abſentia cautionem de ſtando juri ſuſcipiente, reddere, & ponere debent: niſi a parte actrice aliter conſenſum fuerit, quatenus rea pars abſolvatur.

De Feſto Sanctæ Annæ.

Item hac Synodo unanimiter approbante, ſtatuimus: quod Feſtum Sanctæ Annæ, quod hactenus novem lectionum in Diœceſi noſtra tentum eſt, deinceps perpetuis futuris temporibus in omnibus, & ſingulis, tam in noſtra majore Sancti Joannis Wratislavien. quam Collegiatis, & aliis quibuscunque noſtræ Diœceſis Eccleſiis, ſub duplici officio obſervetur: ut ſic majore Sanctæ ipſius Matris adjuti ſuffragio, tranquilliorem Eccleſiæ ſtatum, & vitam æternam conſequamur. In quibus omnibus, ut rite agantur, veſtras, & omnium, quorum intereſt, conſcientias oneramus per præſentes; quibus ſigillum noſtrum majus appendi juſſimus in robur ſempiternum.

Actum, & datum Wratislaviæ in Synodo celebrata die vigeſima menſis Aprilis: Anno Domini Milleſimo quingenteſimo *nono.*

SYNODUS TORNACENSIS

Anno Chriſti MDIX. Julii II. Papæ VI. Maximiliani I. Imp. XVI.

Statuta Synodalia Diœceſis Tornacenſis noviſſime roborata per Reverendum in Chriſto Patrem, Dominum KAROLUM, ejusdem Diœceſis Epiſcopum.

KAROLUS, (*) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA TORNACENSIS EPISCOPUS.

ETſi tum propter diuturnas, graves & diſpendioſas lites ratione noſtri Epiſcopatus, annis fere viginti tribus, & usque ad noſtram ad eundem Epiſcopatum aſſumptionem, per totam pene noſtram Diœceſin habitas atque ſubortas, tum propter crudelia bella atque diſſentiones, quæ inter Reges & Principes in Flandriæ, & aliis noſtræ Diœceſis partibus, proh dolor! diutius viguerunt: ſynodare, pleraque alia Eccleſiarum, Monaſteriorum ac aliorum piorum locorum, perſonarumque dictæ noſtræ Diœceſis augmentum, ſalutem, morumque & vitæ reformationem, nec non jurisdictionis noſtræ Eccleſiaſticæ incrementum concernentia, fuerint hactenus & ſint (unde non parum dolemus) paſſim omiſſa atque prætermiſſa, non ſine gravi dictarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorum, & perſonarum ipſarum damno & præjudicio, ob quod Divinus cultus atque libertas Eccleſiaſtica ferme abolita, ſcelera, peccataque infi-

(*) Carolus du Haut-Bois, natione Gallus, & Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarius, a Canonicis Eccleſiæ Tornacenſis Epiſcopus poſtulatus fuit anno 1506. eodemque anno a Summi Pontificis Legato conſecratus. Synodum celebravit anno 1509. Idib. Decembris, in qua Prædeceſſorum Statuta, paucis additis, renovavit. Adverſa uſus valetudine, e Rom. Pontificis, & Regis Galliarum aſſenſu Epiſcopatum reſignavit, tranſcripſitque Ludovico Guillard, Filio ſecundarii Præſidis Senatus Pariſini, paucisque poſt reſignationem diebus e vita deceſſit anno 1513. *Le Groux in Synopſi vitæ Epp. Tornac. & Joann. Bapt. Ludov. de Caſtillon in Sacra Belgii Chronologia.*

infinita, ac varia diſcrimina rerum in Deum tendentia perpetrata fuerunt, atque pullularunt: quibus etſi pro ipſius libertatis Eccleſiæ augmento, atque Cleri & gregis Nobis crediti, animarum ſalute ſumme deſideraremus remedium apponere; variis tamen negotiis Rempublicam tam Eccleſiaſticam, quam ſæcularem concernentibus, & maxime pro inter Principes & Reges perpetuanda pace, fraternitate & unione, præpediti hactenus id agere non valuimus; tamen ſane conſiderato, quod omnia prædicta jam ceſſaverunt incommoda ac impedimenta, Prædeceſſorum noſtrorum, & præcipue recolendæ memoriæ DD. Guillielmi & Ferrici, qui vita eorum Comite annis ſingulis per ſe, vel ſuos Vicarios ſynodare, Synodaliaque Concilia celebrare, & Statuta edere conſueverunt, veſtigia non ſolum imitari, ſed potius præcellere, atque exuperare peroptantes, ac Paſtoralis Officii noſtri debito, & vinculo, quibus Divinæ Majeſtati aſtringimur, in quantum poſſumus, ſatisfacere volentes, ut in diſtricto Dei Judicio de grege Nobis commiſſo rationem villicationis reddere poſſimus: ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, animarum ſubditorum noſtrorum ſalutem, pacem atque tranquillitatem, diſpoſuimus & decrevimus, favente Altiſſimo, Synodum noſtram generalem, quæ ob cauſas prædictas a tempore obitus dictorum Prædeceſſorum noſtrorum Guillielmi & Ferrici celebrata non fuit, perſonaliter nunc celebrare in Eccleſia noſtra Tornacenſi; ut in ipſa tum exhortationibus & admonitionibus ſalutaribus, tum Statutorum per eosdem Prædeceſſores noſtros Epiſcopos Tornacenſes editorum, vitæ, morumque Cleri, atque gregis Nobis crediti in capite & in membris reformationem continentium renovatione, & aliquorum de novo editione ipſi ſatius providere, & ipſum ſalubriter paſcere valeamus: quo verius Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſalutarisque doctrinæ (*) magis vigeat, exceſſusque corrigantur, & errores emendentur. Mandamus ob hoc, & injungimus Decanis noſtris Chriſtianitatis, & ſingulis Presbyteris noſtræ Diœceſis, præcipue Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, quatenus veram copiam hujusmodi ſequentium, & publicandorum Statutorum infra tres menſes proxime ſequentes habeant, illaque frequenter legendo melius intelligant, & obſervare ſtudeant, cum quibus, Altiſſimo favente, noſtra proxima in Synodo compareant, &, ut moris eſt, coram ſe teneant, ut de bono & ſalubri opere magis magisque commendari poſſint.

R. Carolus du Haut-Bois Præſul in hac ſua Synodo proponit Decreta anni 1481. ſub Cardinali de Clugniaco (**) (excepto numero 6. capitis IV.) in quo verba nonnulla mutantur, quæ hic referuntur, hoc modo: *Le Groux L. cit.*

Item animarum ſubditorum noſtrorum ſaluti providere cupientes, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Matrem eorum Eccleſiam Tornacenſem devote viſitaverint, & de bonis eorum dederint, quadraginta dies. Item Benefactoribus pauperum ſuarum Parochiarum, triginta dies. Item omnibus & ſingulis quotidie deferentibus funera, ſeu corpora pauperum de domibus ad Eccleſiam, & qui exequiis intererunt, triginta dies. Item omnibus & ſingulis flectentibus genua & dicentibus *Pater noſter*: qui in Miſſa audierint nominare nomen Jesus, vel hoc nomen Maria, vel hæc verba: *Et Verbum Caro factum eſt*, viginti dies. Item comitantibus Presbyterum Corpus Chriſti vel extremam Unctionem ad infirmos deferentem, ſi fuerit de die, viginti; ſi fuerit de nocte, triginta dies. Item illis, qui devote interſunt proceſſionibus, quæ fiunt in ſuis Eccleſiis, & Parochialibus, viginti dies. Item qui Exequiis & funeralibus Presbyterorum interfuerint, quadraginta dies. Item qui primæ Miſſæ Sacerdotis novi interfuerint, quadraginta dies. Item illis, qui ob reverentiam & honorem Domini noſtri Jesu Christi, & Eccleſiæ Sanctæ aſſurgunt Sacerdotibus, viginti dies de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus.

Addi-

(*) *Supple:* obſervatio.
(**) *Decreta Synodi, a Ferrico de Cluniaco, Cardinali, anno* 1481. *celebratæ, retulimus Tomo præcedente pag.* 525. *Caput IV. de quo hic fit mentio, vide ibid. pag.* 527.

Addidit etiam Capiti VI. ſequentia:

Item prohibemus, ne mulieres, etiam Moniales, aut alias Deo dedicatæ, ad Altare accedere, aut Presbytero in Divinis miniſtrare, Reliquias, ſeu alia Sacra tangere, aut alias prædictis ſe immiſcere præſumant ſub pœna arbitraria.

Cætera, ne ſæpius repetita, tædium afferant, hic prætermittuntur: demum ſub finem Statutorum hæc ſubjungitur clauſula:

Lecta & publicata fuerunt Synodalia Præſcripta in Synodo Epiſcopali Tornacenſi per præfatum Rdiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, D. Karolum, Epiſcopum Tornacenſem in ſua Eccleſia Tornacenſi celebrata, aſſiſtentibus ſibi Rmo in Chriſto Patre D. Balduino, Epiſcopo Sarreptano, Suffraganeo, Abbate Monaſterii S. Andreæ juxta Brugas, Ordinis S. Benedicti, ac DD. & Magiſtris Petro Cotrel, in Legibus Licentiato, dicti R. in Chriſto Patris Vicario Generali Brugenſi, Balthazare de Cordes, utriusque Juris Doctore, Officiali, & Gandavenſi in Eccleſia Tornacenſi Archi-Diaconis; Guilermo Bernardi Sigillifero, Joanne Corvillain, & Georgio Tayſpiil Promotoribus, Jacobo van Thiel Secretario, Laurentio de Thiedeghem, & Bernardino de Curia Scribis Curiæ Tornacenſis, ac Goſſuino Ridon ejusdem Curiæ Tornacenſis Apparitore: Per me Leonem Hauart, etiam Secretarium Vicariatus dicti Rmi in Chriſto Patris, feria V. poſt feſtum B. Martini hyemalis menſis Decembris die XV. Anno Domini M.D.IX. Præſentibus R. R. Patribus Dominis Carolo de Crequi, Decano dictæ Eccleſiæ Tornacenſis, Joanne S. Martini Tornac. Ordinis S. Benedicti, Philippo S. Nicolai juxta Tornacum, Karolo S. Bartholomæi de Echout in Brugis, nec non de Phalempin, & de Dulcivalle S. Auguſtini Ordinum Monaſteriorum Abbatibus, ac Prioribus Monaſterii S. Petri Gandenſis, ac Prioratus de Fivia juxta Inſulas, ac B. Mariæ Curtracenſis, & S. Piati Seclinienſis Eccleſiarum Collegiatarum Decanis. Nec non Eccleſiarum etiam Collegiatarum Sanctæ Pharaildis Gandenſis, & S. Petri Thoraltenſis Præpoſitis, & pluribus aliis Prælatis, & Patronis tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus, ac duodecim Decanis Chriſtianitatis, una cum Curatis, & Vice-Curatis ſuorum Decanatuum, & pluribus aliis Beneficiatis Diœceſis Tornacenſis ibidem comparentibus, ad præmiſſa vocatis.

Le Groux in Collectione Statutorum Synodal. Tornacenſ. ex Archivis Epiſcop.



MAXIMILIANI I. Cæſaris Edictum, quo ſuis ad Sedem Apoſtolicam Legatis facultatem concedit, petendi indictionem Concilii Generalis.

Anno Chriſti MDXI. Julii II. Pp. IX. Maximiliani I. Imp. XVIII.

MAXIMILIANUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ELECTUS ROM. IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, AC GERMANIÆ, HUNGARIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ &c. REX, ARCHI-DUX AUSTRIÆ, DUX BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ &c. COMES PALATINUS &c. &c.

Conſpicientes immenſas calamitates, quas univerſa Reſpublica Chriſtiana, & ipſa noſtra Sancta Mater Eccleſia ubique patitur, ex quo & decrementum orthodoxæ fidei, & incrementum omnium malorum ſubſequitur, & indies major confuſio in omnibus rebus, ac bella inteſtina inter Chriſtianos oriuntur, & effuſio ſanguinis Chriſtiani: ad quæ cum non videamus aliud remedium, quam quod juxta Sanctorum Patrum inſtituta, Concilium & Congregatio univerſalis fierent,

rent, ut ibidem communi consilio possit omnibus commode provideri; expectantes igitur dictum Concilium debere indici & convocari per Beatitudinem Pontificis, & Reverendissimorum Dominorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac alios Prælatos juxta ordinationem Concilii Constantiensis, & votum ac debitum eorundem; cessantibus ipsis (ne & Nos ab Omnipotenti Deo negligentiæ redarguamur) noluimus Nos cessare: quúm illis negligentibus, Nos tanquam Imperator & ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ Advocatus & Protector, & quantum in Nobis est, subvenire his tantis necessitatibus teneamur. Ideo obviare tot inconvenientiis, sicut tenemur, cupientes etiam Sanctæ Matri Ecclesiæ opem ferre, confisi de fide, prudentia, dexteritate & rerum gerendarum experientia magnificorum & honorabilium Don Ferdinandi Tochi ex despotibus Artha, & Cephaliæ, Matthæi Kuen Vice-Cancellarii in Ispurgk, Viti de Furst Comitis, Hieronymi Nogaroli, Antonii de Capitibus Vaccæ, & Ludovici Faelæ, Consiliariorum fidelium Nobis dilectorum, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac animo deliberato & omni meliori modo, via, jure, forma & causa, quibus melius possumus & debemus, ipsos omnes & partem eorum, & quemlibet ex eis in solidum constituimus, fecimus, creavimus & nominavimus, ac tenore præsentium constituimus, facimus, creamus & nominamus Nuntios nostros, & negotiorum infrascriptorum gestores generales, ac Procuratores speciales: ita tamen, quod generalitas specialitati non deroget, nec e converso: & quod unus inceperit, alter eorum prosequi, mediare & finire valeat: & quod non sit melior conditio primitus occupantis, nec deterior subsequentis, spiritualiter & expresse, ad requirendum nostro nomine, & cum ea, qua decet, reverentia instandum, & procurandum apud Beatitudinem Pontificis, & R. D. Cardinales, ut sua Sanctitas de illorum consilio convocare, & indicere velit Concilium Generale universalis Ecclesiæ in loco convenienti & tuto, ac intra brevius tempus, quod fieri possit, juxta Constitutionem Concilii Constantiensis, spiritualis juramenti, & voti suæ Sanctitatis: & Beatitudine sua id negligente vel tardante, item apud R. Dominos Cardinales instare, ut ipsi hoc Concilium convocent, & indicant: & casu, quo eadem Beatitudo Pontificis, & R. D. Cardinales dictum Concilium congregare recusarent, vel differrent, aut locum tutum & convenientem non assignarent; ad faciendum protestationes notorias, & convocationem, aut indictionem Generalis Concilii simul cum Procuratoribus, vel Procuratore Serenissimi Principis, Domini Ludovici, Francorum Regis, Consanguinei, & Fratris nostri Charissimi, & reliquorum, qui huic intimationi adhærere voluerint. Dantes, & concedentes eisdem Procuratoribus nostris, quod si constaret eis de non tuto accessu, vel alias legitime suspicarentur de personali eorum comparitione coram Beatitudine sua, & R. D. Card.; talem actum possint per Edictum, vel affixionem in aliquo loco convenienti facere, ita quod verisimiliter possit pervenire ad notitiam suæ Sanctitatis, & ipsorum R. D. Cardinalium, & cæterorum, etiam hoc omni meliori forma, via, & modo possibilibus, supplentes omnes & singulos defectus tam juris, quam facti, qui in præmissis aliquo modo intervenire *potuerunt*: promittentes quoque, quod Nos omnia & singula acta, tractata, & gesta per dictos Procuratores nostros, vel partem eorum, aut unum ex eis, grata & firma tenebimus, & servabimus harum testimonio literarum, sigilli nostri appensione munitarum. Datum in oppido nostro Friburgi, die XVI. mensis Januarii, anno Domini Millesimo quingentesimo undecimo, Regnorum nostrorum Romani XXV. Hungariæ vero XXI.

Ad Mandatum Cæsareæ Majestatis proprium.

Goldast. Constit. Imp. T. I.
Lunig Spicil. Eccl. T. I. pag. 368.

Observatio Odorici Raynaldi ad præcedentem Epistolam.

" INeunte anno humanæ salutis Millesimo quingentesimo undecimo, decima quarta indictione, Maximilianus Romanorum Rex, quem nonnulli Scriptores accusant, Pontificatum conjungere Imperio meditatum, transfugarum

" garum aliquot Cardinalium, Gallo-
" rumque consilia secutus, conflando
" novo schismati occasionem præbuit:
" iratus, quod Pontifex optime meri-
" tam de Ecclesia & Christiana Religio-
" ne Venetam Rempublicam, adversus
" Reges, in ejus excidium conjuratos,
" tueretur, nec vectigales illius urbis in
" Provinciam Germanicam redigendas
" curaret. Factiosorum itaque impul-
" sus consiliis, finxit his de causis (in
" epistola expressis) ad creandos Orato-
" res pro Conciliabulo in Julium II. pro-
" vehendo permotum fuisse.

Oratores porro suo apud Pontificem munere, ut par erat, perfuncti non sunt; sed apud transfugas (Cardinales) & paucos numero, & schismatis crimine suspectos de Conciliabulo cogendo egere. Pari modo XV. Februarii concinnatum est Ludovici (XII.) Franciæ Regis edictum pro Synodo adversus Julium Papam congreganda. Ludovicum ingenue fassum ajunt, hanc dolo tragœdiam a se excitatam, ut Pontifici infenso molestiam facesseret: Synodumque se veluti larvam, illi terrendo, objecisse.

Bernardinus Episcopus Sabinensis, Guillelmus Episcopus Prænestinus, & Franciscus Tit. SS. Nerei & Achillei Cardinales (qui capita factiosorum erant) his Maximiliani Cæsaris, & Ludovici Gallorum Regis fulti studiis, XVI. die Maji indicendi Concilii, non ad sedandos Ecclesiæ motus, sed ad novos excitandos auctoritatem sibi arrogarunt. Locum Pseudo-Synodo statuerunt urbem Pisanam, tempus vero ad Kalend. Septembris proxime futuri. Atque hæc novi Conciliabuli Pisani origo fuit. Non diu tamen illud Pisis perstitit. Tribus ibidem Sessionibus celebratis, schismatici Cardinales, cum suæ securitati Pisis non satis provisum adverterent, primum Mediolanum, inde Lugdunum in Galliam se recepere. Demum & a Maximiliano Cæsare, & a Ludovico Galliarum Rege, schisma damnantibus, deserti, dissoluto cœtu, & ipsi ad unitatem Ecclesiæ redierunt. Romanus Pontifex Pisano isti Conventiculo aliud mox Romæ Concilium in Laterano opposuit: quod a Julio Papa anno 1512. cœptum, a Leone X. Julii Successore continuatum, ac demum anno 1517., multis salubriter constitutis, finitum fuit.

Vide Raynaldum Annal. Ecclesiast. Tom. XX. ad annum 1511. a n. 1. Harduin. Conc. Tom. IX.



Publicatio Statutorum Synodi Provincialis GNEZNENSIS,

Facta in Ecclesia Wratislaviensi, toto Clero Diœcesano congregato.

Anno Christi MDXI. XXVIII. April.

Anno Domini Millesimo quingentesimo undecimo, die vigesima octava Mensis April. Reverendissimus Pater, Dominus JOHANNES Episcopus Wratislavienn. Universo suæ Diœcesis Clero convocato, in Ecclesia Wratislavienn. subsequentes Ordinationes & Decreta, ex SYNODO PROVINCIALI a nuntiis suæ R. P. sibi ad publicandum relata, publice legi jussit: Et ut ab universis in Diœcesi sua observentur, & non ignorarentur, præmissis (*Statutis Diœcesanis anni* 1509. *supra relatis*) adjici voluit.

DECRETA

Sacræ Synodi Provincialis in Peterkaw: pro festo S. Martini, Anno Millesimo quingentesimo decimo,

QUam Reverendissimus in Christo Pater, Dominus JOHANNES, Dei gratia Sanctæ Ecclesiæ Gneznensis Archi-Episcopus & Primas, una cum Reverendissimis Patribus, Domino BERNHARDINO Archi-Episcopo Leo-

polienn. VINCENTIO Wladislavienn. & JOHANNE Poznanienn. Epiſcopis; Abbatibus & Capitulis ipſorum, ac Nunciis & Procuratoribus Reverendiſſimorum DNN. Cracovienn. Wratislavienn. Plocenn. Wilnenn. & Mednicenn. multisque aliis Prælatis, tam Religioſis, quam Sæcularibus, & Clero noſtræ Provinciæ, in Spiritu Sancto congregatis, invocata Spiritus Sancti gratia celebravit.

In primis Sacro Sancta Synodus inſtituit feſtum Conceptionis Beatiſſimæ, & Glorioſiſſ. DEI Genitricis Virginis MARIÆ, cum octava, in tota Provincia Gneznenn. ſub officio Domini Leonardi Nagaroli Prothonotarii Apoſtolici, Sacræ Theologiæ Doctoris, edito, & a Romano Pontifice approbato, de cætero fore celebrandum. A feſto proximo Conceptionis ejusdem Virginis Glorioſæ, per annum incipiendum, & deinceps continuandum perpetuum: quod Officium apud Johannem Haller impresſorem, civem Cracovien. invenietur.

Item: Feſtivitatem Sancti Franciſci deinceps perpetuis temporibus celebrem eſſe, & a cunctis Chriſtianis celebrari, ab omni ſervili opere abſtineri, & ſub obſervantia & præcepto comprehendi, eadem Synodus decrevit & voluit.

Item: Statuta Provincialia dudum Divinitus edita, ab omnibus eadem Synodus obſervanda decrevit & mandavit: adjiciens, quod Epiſcopi, aut Suffraganei, exigentes aliquid ultra procurationem expenſarum a jure conceſſam, in conſecrationibus, reconciliationibus, & benedictionibus: præter pœnas juris, pro arbitrio Archi-Epiſcopi puniantur: in quo per Capitulum majoris Eccleſiæ aviſabitur, & in hoc eorum conſcientiæ oneratæ ſunt.

Item: Archi-Diaconi, & qui habent onus viſitandi, ſi non fuerint vigiles circa viſitationem, aut exigentes aliquid præter procurationem a jure conceſſam, ultra pœnas juris & Statutorum, arbitraria pœna per Diœceſanum puniantur toties, quoties id fecerint: in quo conſcientiæ Diœceſanorum ſint oneratæ.

Item: Quod circa Eccleſias Collegiatas aliquæ Præbendæ deputentur; ad quas non niſi Jurisperiti eligantur, qui in Officiales foraneos conſtituentur.

Item: Quod non inſtituantur ad Parochiales Eccleſias, niſi docti, & de bonis moribus, & quod ante inſtitutionem examinarentur.

Item: Ut Venerabiles Domini, Petrus Thomitzki, Archidiaconus Cracovienſis, & Sigismundus Targowitzki, Cuſtos Sandomirienſis, & Canonicus Cracovienſis, cum Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Cracovien. Cancellario Univerſitatis Cracovienn. omnes defectus ejusdem Univerſitatis quoad ſtudium, ſi qui ſunt, revideant.

Item: Quod ad regendas Scholas Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum, docti & idonei viri deinceps eligantur & aſſumantur, nec per eosdem Rectores in Scholis, niſi qui ſtudiis intenderent, ſervarentur: non recipianturque deinceps aliunde venientes, niſi cum literis teſtimonialibus de vita & moribus a Rectore, vel Plebano dandis, ubi prius ſtetiſſent, quomodo illic ſe obſervaſſent.

Item: Ut nullus ad aliquos Ordines, etiam majores recipiendos, admitteretur; niſi prius per literas teſtimoniales Archipresbyteri, vel Decani ruralis, & duorum Plebanorum ejusdem Decanatus, ſub quo degit, doceat de vita, moribus & converſatione ſuis bonis & honeſtis: circa quam inſtitutionem uniuscujusque Plebani inſtituendi conſcientia oneraretur, quod non niſi bene idoneum promoverit.

Item: Bullam Cœnæ Domini diebus ſolennibus, & præcipue Feria quinta magna, aliaque Statuta atque jura, quæ mandantur nuncianda, populo publicent.

Item: Quod Statutum Provinciale de fide inſtrumentorum, propter falſarios bene exequatur. Et ne falſarii ſint, unusquisque in ſua Diœceſi bene videat.

Item: De non curantibus cenſuras Eccleſiaſticas, & inſordeſcentibus in eis, ac publicis blaſphemiis, ne de malicia ſua commodum tales reportent, Diœceſani bene provideant, eosdem ſecundum jura & ſtatuta punientes.

Item: Nundinæ diebus Dominicis & Feſtis non teneantur: prout in jure & ſtatutis cavetur, idque per omnes Eccle-

Ecclesias deinceps principaliter publicetur.

Item: Hæretici & Schismatici, & Tartari, Turcique, per spirituales non serventur in servitio domestico circa se. Et Ordinarius tales servitores facultatem habebit accipiendi circa unumquemque absque contradictione, servitio vili per eundem applicando.

Item: Quod Pontificale Romanum in conferendis Ordinibus, & consecrationibus Episcoporum, & Virginum benedictionibus, Officiisque Divinis, & aliis, in tota Provincia observetur.

Item: Ut Episcopi Roketas juxta statutum deferant.

Item: Quod Presbyteri conforment se in celebrationibus Officiorum Rationali Divinorum, quod quilibet Curatus & alii, ac Statuta Provincialia, & Sacramentale habere debent.

Item: Quod Missæ alta & intelligibili voce legantur, præter Secreta & Canonem majorem & minorem.

Item: Quod uniones Ecclesiarum Parochialium, quæ decreverunt in proventibus, per Ordinarios fiant.

Item: Quod contra adulteros & concubinarios publicos animadverteretur per Ordinarios, Regiæque Majestati suggeratur; ne tales ad dignitates, aut officia publica promoveat.

Item: De Usurariis Statutum Provinciale in genere observetur.

Item: Ut Statutum, ne spirituales vestes seculares, Hasucas cognominatas, deferant, in proxima præterita Synodo Provinciali factum, observetur.

Item: Quod bireta cornuta, ne de cætero deferantur per Clericos, nisi in via.

Item: In conviviis ad æquales sumendo ne obligarent se potatores; & pro salute alicujus ne biberent.

Item: Sacerdotes tabernas ne visitent: de quo ordinationem Episcopi in suis locis faciant.

Item: De Matrimoniis contrahendis, ut provideatur, ne Plebani alienarum Parochialium homines copulare audeant.

Item: De vestibus sericeis ne de cætero portarentur, præter Thabin curialibus, & nunciis Regis & Principum duntaxat permittitur, si voluerint illis uti.

Et propter alia negotia, quæ non sunt determinata ex certis causis, & ex consensu unanimi omnium ejusdem Synodi Peterkoviensis, cum potestate & auctoritate hinc ad feriam tertiam post festum Trium Regum proxime venturum prorogatur, & continuatur: omnia & singula per eos, qui pro tunc erunt præsentes, definienda, declaranda, pariter & concludenda. &c.

Ex Statutis Synodalibus Cathedralis Ecclesiæ Wratislaviensis, editis Wratislaviæ anno 1585., *a Reverendissimo & Illustrissimo D. Zaluski, Episcopo Kioviensi commodatis.*

SYNODUS HAVELBERGENSIS

Eodem anno Christi MDXI.

Synodi hujus notitiam accepimus ex Bibliotheca Historica Brandeburgica, a Georgio Gothofredo Küstero, Gymnasii Fridr. Rectore conscripta, L. III. C. VIII. ubi brevem recenset indiculum Statutorum antiquorum, prioribus in Synodis, Sæculo potissimum XIV. & XV. celebratis editorum, quæ in Synodo hujus anni a Joanne Episcopo Havelbergensi renovata sunt, typisque excusa, & Breviario Havelbergensi adnexa. Tempus Synodi indicat præmissa eidem Breviario Præfatio, qua Episcopus ejusdem usum omnibus, qui Canonicas ad preces quovis titulo adstricti sunt, sollicite commendat. Præfationem hanc, in ipsa Synodo conscriptam, ex laudata Bibliotheca integram damus:

JOANNES, (*) DEI GRATIA EPISCOPUS HAVELBERGENN.

PRophetarum præcipuus Psalmista de fructu labiorum suorum sacrificium laudis offerens in spiritu gratulabatur & dixit: *Septies in die laudem dixi tibi*, insi-

insinuans, singulos, qui in sortem Domini se electos gratulantur, pensum servitutis sue, in signum subjectionis, quasi Deo tributa sua se in septem horis sol vere debere. Tunc quidem Deo debitum nostrum persolvimus, cum in Canonicis horis corde & ore pariter digne Dominum collaudamus, de quo in alio loco per eundem Prophetam Dominus dixit: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Convenit autem, Ecclesie ordinem non quemcunque secundum varietatem personarum ac Clericorum variare, sed ab omnibus equaliter custodiri, ut sic unus & idem in psallendo ordo in Divinis officiis teneatur. Quum juxta majorum Decreta Sedes, que uniuscujusque Sacerdotalis dignitatis mater est, Ecclesiastice dignitatis, vel rationis sit magistra; Ea propter librum Divinorum officiorum, quem secundum ritum nostre Ecclesie Havelbergenn. pro toto Clero in psallendis horis diligenter colligi, conscribi, ac examinari fecimus, in Dei nomine de consensu nostri Capituli approbamus, & approbando confirmamus. Monemus itaque, & exhortamur in Domino omnes & singulos Presbyteros, Curatos & non Curatos, ac alios quescunque, qui ex ordine sacro, aut ratione titulorum Beneficiorum suorum, ad horas Canonicas sunt adstricti: quibus in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, eis nihilominus in remissionem peccatorum suorum injungentes: quatenus presentem Ordinarium, sive Breviarium diligenter acceptent, & secundum ipsum horas Canonicas Deo gratanter persolvant; & ita conformiter legant, ut uniformitas orandi uniformitatem animorum indicet, & recte intentionis in Deum; ut sic gratum Deo obsequium cotidie exhibeant; quo tandem una cum ipsis ab omnium bonorum largitore mercedem consequantur in celis. Datum Wistogk in Synodo nostra Episcopali, Anno Domini Millesimo quingentesimo undecimo celebrata Feria tertia post *Cantate*, nostro sub Sigillo.

Statuta Synodorum præcedentium, in hac Synodo confirmata, vide sub finem Tomi V. pag. 955.

(*) Joannes V. de Schlaberndorff, J. U. D., & Havelbergensis Ecclesiæ Præpositus, Ottoni II. ex Canonicorum Cathedralium votis in Episcopatu successit anno 1501. A Theoderico de Bulow Episcopo Lebusiensi anno 1503. solenni cerimonia consecratus, Diœcesin suam præclaro eximiæ probitatis, munificentiæque in egentes exemplo gubernavit annis fere novemdecim. Obiit anno 1520. die 10. Augusti. Sub hoc Episcopo, ex concessione Julii II. Papæ anno 1507. Havelbergensis Ecclesiæ Canonici, qui eo usque Regulis Ordinis Præmonstratensis adstricti vixerant, transierunt ad statum Canonicorum secularium. *Lenz. in Hist. Diplomat. Havelbergensi. pag. 57.*

STATUTA SYNODALIA
A JOANNE Episcopo Ratisbonensi edita
Anno Christi MDXII. Kal. Januar. Julii II. PP. X. Maximiliani I. Imp. XIX.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

JOANNES, (*) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ADMINISTRATOR ECCLESIÆ RATISPONENSIS, COMES PALATINUS RHENI, AC BAVARIÆ DUX. &c. &c. UNIVERSIS ET SINGULIS IN CHRISTO NOBIS DEVOTIS ET DILECTIS, SÆCULARIUM ET REGULARIUM ECCLESIARUM ABBATIBUS, PRÆLATIS, CANONICIS, RECTORIBUS, PLEBANIS, VICARIIS, CAPELLANIS, TOTIQUE CLERO CIVITATIS ET DIŒCESIS RATISPONENSIS, CUJUSCUNQUE ETIAM DIGNITATIS, STATUS, GRADUS, ORDINIS AC PRÆEMINENTIÆ EXISTANT, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUanquam Deus omnium creaturarum mundi fabricator, æquo moderamine cuncta præordinans, ad imaginem & similitudinem ipsius humanam condi-

condiderit naturam, cunctis adornatam virtutibus, quibus fœlicitatem poterat possidere perpetuam, si in ipsa originali justitia perstitisset; attamen ille humani generis acerrimus hostis fœlicitati, quam amiserat, invidens, primum hominem calliditate sua traxit ad vetita: qui in virtute sua vulneratus, mortalisque effectus, cœpit infinitis tam corporis, quam animi incommodis & miseriis laborare. Hinc & homicidia, malaque innumerabilia (crescente genere humano) per appetitum noxium, ad mala proclivum, oriere, quæ totum orbem terrarum inextinguibili quadam contagione repleverunt: adeo quod sæcula nostra quasi in sentinam malorum descenderunt: quapropter orbis Rector ab æterno voluit legum esse conditores, quatenus hujusmodi propulsatis vitiis justitia vigeret, appetitusque noxius ad bene beateque vivendum sub juris regula limitaretur. Et licet antea per Sanctissimos Pontifices, Romanosque Imperatores variis decretis & constitutionibus humano generi sit salubriter provisum, quibus divinas & humanas res bene disposuerunt, & omnem iniquitatem expulerunt: attamen quia humani juris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est, quod in ea re stare possit perpetuo: sed indies emergunt negotia, quæ adhuc legum laqueis non sunt innodata; eapropter ad honorem Omnipotentis Dei, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac omnium Sanctorum, diversas constitutiones Synodales Prædecessorum nostrorum, in quibus varia pro communi utilitate honestateque Clericorum continentur (quæ tamen in oblivionem transierunt) in unum redegimus. Quotidiana namque didicimus experientia, & præsertim in transacta visitatione per Venerabilem Nobis dilectum Dominum Georgium Sintzenhoffer, Decretorum Doctorem, & tunc Vicarium nostrum, de mandato nostro celebrata, intelleximus innumerabiles errores tam in Clericis, quam in laicis nostræ jurisdictioni subjectis, propter non usum earundem Constitutionum evenisse: ideoque hujusmodi constitutiones congessimus ad reprimendum conatus noxios, ac corrigendum excessus gregis Nobis commissi, reformandumque mores per humanæ conditionis hostem decoloratos; quatenus puro corde & casto corpore, præsertim Clerus noster, Creatori suo digne ministrare valeat, fœlicitatemque perpetuam possidere.

Vobis igitur omnibus & singulis supradictis in virtute sanctæ obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus infrascriptas constitutiones, seu Statuta Synodalia, per Antecessores nostros in Divinis Synodis matura deliberatione prius facta, & per Nos de novo collecta, prompto suscipiatis affectu, eaque de cætero diligenter observare studeatis: scituri, quod si ea non feceritis, quæ inibi præcipiuntur, aut aliquis vestrum Statutis eisdem contravenerit, præter hoc, quod iram Dei in se provocabit, a Nobis impunitus non evadet. Datum Ratisponæ prima mensis Januarii Anno Domini Millesimo quingentesimo duodecimo.

Statuta Synodalia Ecclesiæ Ratisponensis, & primum de Summa Trinitate & Fide Catholica.

Firmiter credimus, & secundum Apostolicam disciplinam, Evangelicamque doctrinam simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, immensus, incomprehensibilis, omnipotens, ineffabilis, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, tres quidem Personæ, sed una essentia, æqualis gloria, coæterna Majestas, unaque Divinitas.

Insuper credimus & firmiter profitemur nihil aliud in Fide Catholica credendum, nisi quod Sancta Romana tenet & docet Ecclesia.

Omnibus igitur & singulis Diœcesis nostræ Decanis, ac Parochialium Ecclesiarum Curatoribus in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus quilibet eorum singulis Dominicis diebus suis Parochianis publice in ambone alta & intelligibili voce, materna lingua

(*) Joannes de Bavaria, Filius Philippi, Electoris Palatini Rheni, ex Canonico Passaviensi, Ruperti Bavari Episcopi Ratisponensis Coadjutor dictus, huic anno 1507. defuncto in Episcopatu successit. Rexit Ecclesiam annis triginta. Obiit anno 1538. *Hist. Ecclesiastica Germ. impressa Bruxellis Typis Francisci Foppens anno 1724.*

gua exponere debeat ſecundum meram literam latinam & pure literaliter Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, atque præcepta Decalogi. Illaque in tabulis in Eccleſiis affigendis aperte conſcribi faciat, populum quoque ſibi ſubjectum de præmiſſis diligenter informet, & nullum dictorum ſuorum Parochianorum utriuſque ſexus, qui præmiſſa neſciverit vel ignoraverit, ad ſuſceptionem Sacratiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti admittat, prout Omnipotentis Dei, noſtramque indignationem cupiverit evitare.

De Conſtitutionibus.

Quoniam nulli fas eſt velle vel poſſe transgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta, quapropter Canonum Statuta ab omnibus Clericis noſtræ jurisdictioni ſubjectis mandamus cuſtodiri.

Inſuper etiam Statuta noſtra Synodalia debite obſervari: præterea conſtitutiones, ſtatuta & conſuetudines contra Eccleſiæ libertatem introductas penitus deleri præcipimus,

Decernentes Scriptores Statutorum ipſorum nec non Poteſtates, Conſules, Rectores, & Conſiliarios locorum, ubi de cætero hujusmodi ſtatuta & conſuetudines editæ fuerint vel ſervatæ; ipſo facto ſententiam Excommunicationis incurrere.

De Reſcriptis & Commiſſionibus.

Ex injuncto Nobis Paſtorali Officio inducimur, quatenus uſum falſarum literarum reſtringamus; quapropter ſtatuimus, ne aliquis noſtræ jurisdictioni ſubjectus per literas quascunque, etiam bullatas, tanquam Apoſtolicas, in Judicem, & Conſervatorem, aut Commiſſarium, vel Executorem in gratioſis, & juſtitiæ negotiis, tanquam delegatus Judex, Conſervator, Commiſſarius aut Executor requiſitus hujusmodi literas recipiat, ſeu eas exequatur vel exequi faciat aut procuret, ſeu procedat vigore earundem; niſi hujusmodi literæ per Nos vel Vicarium noſtrum viſæ, examinatæ, & absque falſitate juſtæ, legitimæ & rationabiles fuerint approbatæ: idem decernimus obſervandum circa mandata citationum ſeu edicta quorumcunque Judicum extraneorum.

De Renuntiatione.

Nullus ſub pœna ſuſpenſionis (quam in rebelles ferimus) Eccleſiaſticum Beneficium dimittere, vel recipere ſine noſtra authoritate præſumat: ſed ſi quis Beneficium Eccleſiaſticum, quod obtinet, reſignare velit, reſignationem ad manus noſtras ſeu Vicarii noſtri cum juramento, quod non intervenerit Simoniaca pravitas, per ſe aut Procuratorem ſuum omnino faciat. Non tamen intendimus aliis Prælatis, quibus inſtitutio Canonica ex privilegio aut conſuetudine competit, præſenti ſtatuto derogare. Dummodo Nobis de eorundem privilegio & jure legitime conſtet.

De Qualitatibus Ordinandorum.

Cum ſanctius ſit, in Eccleſia DEI paucos bonos, quam multos malos habere miniſtros, qui digne poſſint Dominica Sacramenta tractare; quare ſtatuimus, ut de cætero ad Sacros Ordines aſſumantur viri idonei, in Divinis Officiis, Eccleſiaſticisque Sacramentis exercitati, quique doctrina, Lectionibus, Pſalmis, Hymnis, Canticis jugiter incumbant, doctrinæque gratiam populis adminiſtrent. Inſuper noverint univerſi ad Sacros Clericorum ordines promoveri cupientes, quod ſi quis aliquem ex defectibus vel impedimentis infraſcriptis habet, vel patitur, tenetur Dominis Examinatoribus pandere talem defectum, ſub periculo animæ ſuæ ac ſub pœna ſuſpenſionis ab ordine, quam ſi ſic impeditus ordinem ſuſceperit, ipſo facto incurrat: imprimis, quod ordinandus ſit ætatis ſufficientis, in Sacerdotio videlicet in viceſimo quinto: in Diaconatu vigeſimo, in Subdiaconatu decimo octavo annis. Inſuper ad Sacros Ordines non accedant ſervus, vel ad ratiocinia obligatus, niſi libertati reſtitutus, vel abſolutus fuerit. Item nullus, qui cum aliqua contraxit, vel ſe deſponſavit per verba de præſenti. Item nullus apoſtata, ſeu bigamus, aut excommunicatus, ſuſpenſus, vel irregularis. Nullus Simoniacus, nullus, niſi baptizatus & confirmatus. Item nullus, niſi Diœceſanus, vel ſi alterius Diœceſis fuerit, cum licentia ſui Ordinarii. Item nullus epilepticus, vel aliquo membro mutilatus, ſeu corpore vitiatus, aut aliqua alia infirmitate incurabili prægrava-

gravatus; item nullus per saltum ad duos ordines una vice. Neque illegitimus, aut alias ex aliquo crimine infamis, seu inhabilis, nisi super hoc cum eo fuerit dispensatum. Nullus denique sine titulo sufficienti; de quo Nobis, aut Vicario nostro fidem facere tenetur. Item nullus in peccato mortali existens. Volumus autem, quatenus omnes & singuli ordinandi ad quoscunque etiam ordines, confiteri debeant in Ecclesia Ratisbonensi Pœnitentiario nostro, vel sibi adjungendis Confessoribus, sub pœna repulsionis ab ordinibus.

De Sacra Unctione.

Unctionis extremæ Sacramentum pro infirmorum salute institutum, debet a Presbyteris cum debitis ceremoniis & forma conferri, ut dum super ægros hæc proferunt verba: Ungo oculos &c. subjungant deprecatoria & substantialia verba cum intentione ministrandi, videlicet: Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, & sic de singulis membris & locis inungendis. Statuimus præterea, quatenus in singulis Ecclesiis Parochialibus habeatur oleum infirmorum, ne propter ejus carentiam hujusmodi deficiat Sacramentum.

De Clericis peregrinis.

Quoniam Divinæ vocis oraculo Nobis injungitur, quatenus diligenter vultum subditorum nostrorum agnoscamus; & de quorum vita, moribus & conversatione, nec non aliis circumstantiis certa notitia non habetur, sustinere in Ecclesiarum regimine non debemus: præsertim de quibus hæsitatur, an ab Episcopis veris, Sedis Apostolicæ gratiam habentibus, promoti fuerint: quidam præterea in suis Diœcesibus (culpis eorum exigentibus) reprobati, vel ejecti, cum infames loca suæ consueverint fugere nationis, se latenter ad Diœcesim nostram recipiunt, & Divinis ingerunt, ac multos pravo exemplo inficiunt, & corrumpunt; quocirca universis Ecclesiarum Rectoribus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, ut de cætero nullum Clericum sæcularem aut religiosum extra nostram Diœcesim, & ab alieno Episcopo promotum, seu alium quemcunque alienæ Diœcesis ad aliquod officium Sacerdotale celebrandum quovis modo recipiatis, nisi per Nos, aut nostrum in Spiritualibus Vicarium examinatum & admissum, & quod idem de examinatione & admissione ejusdem per nostras, vel dicti Vicarii nostri literas legitimam fecerit fidem.

De Officio Vicarii.

Cum in plerisque Ecclesiis Parochialibus in absentia Curatorum Vicarii constituantur, quorum officium est imprimis curare, quatenus sint vigiles & solliciti custodes animarum, earundemque saluti jugiter intendant, & excusso negligentiæ somno, diligentia sedula vigilantes, animas Deo lucrifaciant. Ut autem ad curam animarum regendam viri docti, sobrii & casti assumantur, volumus, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ (quam ferimus in his scriptis) districte præcipiendo mandamus, inhibentes, ut nullus se de cura animarum regenda quomodolibet intromittat, nisi per Nos, aut Vicarium nostrum sufficiens repertus, & admissus fuerit, literasque desuper consuetas receperit. Insuper statuimus, quod deinceps Clerici non solum, quando ad sacros Ordines recipiuntur, vel admittuntur, sed etiam dum Ecclesias suscipiunt regendas, de scientia, peritia, & moribus diligenter examinentur. Et quoniam Rectores Ecclesiarum nonnunquam Vicariis suis relinquunt exiguam portionem, adeo quod ex ea nequeunt sustentari, neque Ecclesiarum onera ferre; vel etiam ædificia ruinosa, prout tenentur, recuperare; quapropter præsenti statuto ordinamus, quatenus locationes Ecclesiarum futuris temporibus coram Vicario nostro fiant, qui cognoscere habebit de causis absentiæ Pastorum, & providere, quod Vicarii Ecclesiarum sint idonei ad curam regendam, habeantque portionem ad competentiam honestam, qua onera incumbentia valeant supportare. Non tamen intendimus per hoc quoad obligationes faciendas Officiali Capituli nostri quomodocunque derogare. Similiter statuimus, & sub pœna privationis tertiæ partis fructuum mandamus, ut Vicarii, etiam Plebani, & Beneficiati nostræ Diœcesis domos suarum Ecclesiarum,

rum, & Beneficiorum competenter reficiant, ac refectas in bono ſtatu teneant, atque conſervent.

Cum vero ſit reprehenſione dignum, ut quis oves proprias deſerat, & alienas regere præſumat, idcirco volumus, quatenus cura animarum illis, qui oves proprias habuerint, in alienas minime concedatur. Inſuper Presbyteris duas recipere Vicarias prohibemus, cum ſit impoſſibile, quod ſufficienter Eccleſiis poſſint deſervire duabus. Præterea Rectores, qui matrices habent Eccleſias, a quibus dependent filiales Eccleſiæ, ſtatuant Vicarios idoneos, qui quotidie reſideant in eisdem, & deſerviant in Divinis ac Parochianis ſpiritualia præbeant alimenta; præſertim ſi ad hoc Eccleſiarum ſuppetant facultates.

De Officio Decani ruralis.

Quoniam Decani rurales pro ſingulis Plebibus & Clericis ideo conſtituuntur, ut illorum vitam jugi circumſpectione cuſtodiant, Cleri honeſtatem,& Confratrum utilitatem procurent, exceſſus eorum referant, mandata noſtra, Vicarii noſtri, & aliorum Judicum debite exequantur, ac ſingula, quæ mandantur a Superioribus, ad notitiam Fratrum deducant: quapropter in receptionis principio jurare debent, vel ſaltem fidem dare loco juramenti, quod ſine dolo & fraude præſcriptos articulos obſervare velint, & quod Nobis, & Succeſſoribus noſtris obedientes exiſtant, Conſtitutiones Synodales per Epiſcopos Ratisbonenſes factas, & per Nos approbatas, ſeu innovatas firmiter obſervent, & ab aliis Confratribus cujuslibet Decanatus reſpective jubeant inviolabiliter obſervari. Omnes inſuper & ſingulos Decanos præſenti ſtatuto juxta Sacrorum Canonum Decreta in teſtes Synodales conſtituimus, & deputamus in finem & effectum, ut notorios exceſſus, & præſertim illos, quibus Eccleſia ſcandalizatur, quorumcunque Clericorum, infra unius menſis ſpatium a tempore notitiæ Nobis, ſeu Vicario noſtro notificent: ſi quis vero negligens in hoc repertus fuerit, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendatur,& Officio Decanali ipſo facto ſit privatus. Præmiſſis quoque adjicimus ſtatuendo, ut nullus in Decanum ruralem noſtræ Diœceſis electus, aut eligendus, per Nos, aut Vicarium noſtrum nondum admiſſus,& confirmatus, Officium Decani exercere, aut ſe Decanum nominare quomodolibet præſumat, ſi quis autem ſecus fecerit, ad Decanatum hujusmodi inhabilis exiſtat; volumus autem, quatenus de cætero nullus eligatur in Decanum, qui ſit aliquo crimine publico diffamatus; alioquin eligentes, ſint ea vice poteſtate eligendi ipſo facto privati. Præterea Decanis prædictis ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio diſtricte præcipimus, & mandamus, quatenus aſſumptis ſibi juratis Confratribus ſui Decanatus ſingulis annis circa Feſtum omnium Sanctorum, vel alio tempore magis congruo, omnes Confratres ſuos in unum locum convocent cauſa viſitationis habendæ, & hæc Statuta Synodalia auribus ipſorum tunc ſerioſius inculcare procurent, nec non ſuper exceſſibus eorum inquirant, & ſic inquiſitos, noſtris, ſeu Vicarii noſtri auribus deſerant infra menſem. Inſuper infra octavas omnium Sanctorum Cathedralium more ſolito expoſtulent, & recipiant. Qui vero Cathedralium ſolvere tenentur, ſolutionem ipſam faciant Decano ſub pœna dupli in termino præfato, una cum ſalariis nuntiorum, ad quemlibet propterea deſtinatorum. Alioquin contra non ſolventes, tam ad pœnam dupli prædictam, quam etiam ad alia juris remedia procedi procul dubio faciemus. Quoniam (quod dolenter referimus) nonnulli Sacerdotes contra Canonum Statuta, cum ad convocationes Decanorum, vel anniverſaria Principum, exequias, vel peractiones, aut quamcunque aliam vocationem, ad collectam veniunt, ſeſe inebriare, ac alias ad bibendum cogere,& ad æquales hauſtus obligare non verentur in grave ſcandalum plurimorum, ac animarum ſuarum periculum; quapropter præſenti Statuto ſingulis Decanis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus omnes Confratres ſuos ex parte noſtra diligenter moneant, & requirant, ne poſt peractum Divinum Miniſterium, in contemptum & irreverentiam Ordinis Clericalis ita, ut præfertur, ſe inebriare præſumant; ſed præmiſſa oratione ad neceſſariam refectionem ad prandium, & tabulas diſcrete reſideant,

nec

nec plausus & risus inconditos, fabulasve inanes, aut turpes jocos, ibidem referant, sed unus ipsorum aliquis de sacris literis ad mensam legat: post refectionem vero exemplo Dominico Hymnum sive gratias dicat, & se omnes contineant maxime in talibus locis, ut non vituperetur illorum ministerium. Si vero quenquam hoc præsens nostrum Statutum violare (ad denuntiationem Decani, quam infra mensem sub pœna suspensionis facere tenetur) compertum fuerit, volumus eundem digna animadversione ad arbitrium Vicarii nostri quam acerrime puniri.

Decanis etiam in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus in singulis convocationibus collecturam fabricæ Ecclesiæ Ratisbonensis diligenter promoveant, faciantque a Confratribus suis eandem cum diligentia temporibus consuetis similiter promoveri. Item quia sæpe contingit res & bona decedentium Sacerdotum dissipari, antequam certa ad Nos de eorum obitu potest devenire notitia; eapropter universis & singulis Decanis nostræ Diœcesis committimus, eisque sub excommunicationis pœna mandamus: quatenus statim, postquam de alicujus Sacerdotis obitu eis constiterit, authoritate nostra omnia bona mobilia & immobilia, sive contingat hujusmodi Sacerdotes testatos, sive intestatos decedere, sub Ecclesiastico ponant arresto: per hoc enim intendimns ultimas voluntates decedentium Clericorum (quatenus debite exequantur) manutenere, & Ecclesiarum commoditati providere. Et ne invasores hujusmodi rerum, tanquam sacrilegi, impuniti evadant; eos omnes & singulos arresta hujusmodi violantes, ex nunc, prout ex tunc sententiam excommunicationis incidere volumus ipso facto, quam etiam in contra facientes ferimus in his scriptis, a qua absolvi non possint, nisi restitutione sufficienti facta, & de licentia nostra speciali. Mandantes etiam taliter excommunicatos publice denunciari, donec meruerint absolutionis beneficium obtinere. Decani vero, qui in præmissis negligentes extiterint, a Nobis impuniti non evadent.

Et postremo, quoniam nonnulli prætextu literarum Apostolicarum, quas se impetrasse mentiuntur, Ecclesiastica Beneficia pro tempore vacantia, etiam nonnunquam incompatibilia, sine dispensatione, propria authoritate, seu verius temeritate, occupare præsumunt in animarum suarum grave periculum: alii vero Vicario, seu provisorio nomine, non obtenta a Nobis animarum cura, Ecclesias regunt; Nos volentes hujusmodi periculis animarum obviare, statuimus & ordinamus, ut quilibet Decanus, seu locum ejus tenens, in proxima Confratrum convocatione, post publicationem præsentium, omnes suos Confratres, cæterosque Presbyteros sæculares & religiosos, infra suum Decanatum, Beneficia Ecclesiastica inofficiantes, de quorum titulis, investituris, dispensationibus, & animarum cura sibi non constat, ad ostendendum respective investituras, titulos, dispensationes, & curæ animarum commissiones, infra quindecim dierum spatium, sub pœna suspensionis a Divinis, auctoritate nostra requirat, & post lapsum hujusmodi termini rebelles, sive contumaces, suspensos in scriptis denuntiet, ac de cætero nullum ad inofficiandum aliquod Beneficium in suo Decanatu, nisi prius visis literis investituræ, curæ, seu dispensationis hujusmodi, quovis quæsito colore admittat. Quod si Decanus quempiam literas suas, ut præfertur, non ostendentem, in regimine Ecclesiastici Beneficii scienter & malitiose tolerare præsumpserit, ipsum, ut supra narratur, non suspendendo, ex tunc quindecim diebus a tempore notitiæ elapsis, Decanus ipse suspensionis sententiam incurrat ipso facto. Sit autem forma suspensionis, quam Decani in scriptis ferant, hæc videlicet: *Quia tu sub pœna suspensionis monitus, ut titulum tui Beneficii, vel simile, secundum exigentiam ostenderes infra quindecim dierum spatium; hujusmodi mandato non paruisti: idcirco authoritate mihi commissa, te in his scriptis a Divinis suspendo, & suspensum denuntio in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

De Majoritate & Obedientia.

Cum Sacris Canonibus sit institutum, quod, si quis contra Decretum Episcopi venerit, ab Ecclesia abjiciatur; quare volumus præsentes nostros Syno-

dales Canones ab omnibus debitâ obedientia ſervari. Inſuper quoniam nonnulli Abbates & Prælati, Nobis Diœceſana lege ſubditi, præterea etiam exempti, habentes tamen populum, & curam animarum, nec non Eccleſias Parochiales; ad Synodum, viſitationes, & convocationes Decanorum (in quibus hæc noſtra Statuta Synodalia, & alia Mandata noſtra pro tempore publicantur) contra Canonicas Sanctiones venire contemnunt: quos tenore præſentis Statuti ad debitam obedientiam requiſitos eſſe volumus. Mandantes, quatenus per ſe, eorumque proviſores, quibus animarum cura a Nobis eſt commiſſa, ad hujusmodi convocationes accedant; alioquin contrafacientes ad obedientiam Nobis exhibendam canonice compellere curabimus.

De Judiciis.

Officii noſtri debitum (quo ſumus univerſis noſtræ jurisdictioni creditis in juſtitia debitores) exigit, & ad hoc potiſſimum nos inducit, ut Eccleſiaſticæ libertatis auctoritatem præſervemus, ac etiam opportunæ proviſionis adhibeamus remedia, per quæ jus ſuum quisque conſequi valeat. Sane multorum clamoribus, & fide dignorum relatione non ſine perturbatione mentis noſtræ accepimus, qualiter nonnulli laici propter potentiam & crudelitatem ſint adeo perverſi, quod conantur impedire & turbare Jurisdictionem Eccleſiaſticam, prohibendo, ne quis cauſas ſuper decimis, & cenſibus, ac bonis Eccleſiarum, nec non matrimoniis, & generaliter ad forum Eccleſiaſticum de jure vel conſuetudine pertinentes, coram Eccleſiaſtico Judice tractet, judicium, & juſtitiam libere quærat: præterea nuntios, ſeu curſores, judiciales literas deferentes verbis opprobrioſis, & quandoque verberibus, afficiunt, in non modicam libertatis Eccleſiaſticæ contumeliam & jacturam: unde juſtitia retardatur, authoritas Eccleſiæ vileſcit, mandataque noſtra, & judicium contemnuntur. Nos igitur cupientes, quantum cum Deo poſſumus, huic morbo, ne amplius invaleſcat, opportunam medelam adhibere, conſiderantesque, malitiis hominum non eſſe aliquatenus indulgendum, ut tamen, qui moribus propriis, ac nulla conſcientiæ caſtigatione corriguntur, ſaltem Eccleſiaſticæ & Canonicæ vindictæ perfodiantur aculeis; omnes & ſingulos Jurisdictionem Eccleſiaſticam, ut præfertur, impedientes, excommunicationis ſententiam incurrere decernimus ipſo facto, a qua, niſi tam Judici cujus cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio turbata, quam parti, quæ in proſecutione ſui juris fuit ſuſpenſa, de injuria, damnis, & expenſis, ac intereſſe, prius per eosdem integre fuerit ſatisfactum, & absque conſenſu noſtro ſpeciali, nullatenus abſolvantur. Mandamus inſuper ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, quatenus præſentem Conſtitutionem noſtram ad minus ſemel in anno populo publicent, & inſinuent; ne aliquis poſſit in his ignorantiam allegare. Inhibemus etiam, & ſub pœna excommunicationis interdicimus tam Clericis, quam laicis noſtræ jurisdictioni ſubjectis, ut nullus contra ſacros Canones de cauſis matrimonialibus cognoſcere, concordare, ſeu definire qualitercunque præſumat; ſed easdem cauſas ad Officialem Capituli noſtri remittat indilate. Confeſſores quoque & Curati quamprimum de cohabitatione, vel etiam matrimoniorum ſuorum Parochianorum, utrum de jure ſubſiſtere poſſit, dubium emerſerit, eosdem ſpecifice moneant; ut infra duos menſes proximos pro deciſione recipienda Officialem prædictum accedant, & cauſam hujusmodi uſque ad finem proſequendam ſententiam deſuper obtineant; alioquin contemptores eosdem per Sacramentorum ſubtractionem, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ denegationem arceantur: ipſi quoque Presbyteri, qui taliter non monendo proceſſerint, pœnas Canonicas non evadent.

Licet illorum, qui occulto Dei judicio aſſeruntur lepræ morbo percuſſi, ſeparatio a communione hominum, majoribus gradibus Eccleſ. ſecundum Medicorum examen duntaxat ſit credita; frequenti tamen querulantium aſſertione percepimus, pleroſque innocenter ſeparatos, alios ſeparandos collectos. Quare præſenti ſtatuto ſub excommunicationis pœna inhibemus, quod nullus deinceps ſive Clericus, ſive laicus, quemcunque hominem quovis modo, vel forma, ſua temeritate audeat judicare lepro-

profum, vel ab hominum communione feparare: fed univerfis in Diœcefi noftra degentibus firmiter præcipimus, ut fuborta contra aliquem fama, quafi lepræ morbo fit percuffus; talem ad fummum Scholafticum Ecclefiæ noftræ majoris remittat, tanquam ad Sacerdotem Leviticum, per ipfum amplius medicorum examini fubjiciendum, ac prout cafus exegerit, judicandum. Nolumus etiam aliquem ad leprofaria Diœcefis noftræ qualitercunque admitti, nifi, ut præfertur, judicatus fuerit, literasque defuper confuetas obtinuerit.

De Foro competenti.

Prædecefforum noftrorum veftigiis inhærentes, duximus ftatuendum, ne Prælatus, feu quivis alius Clericus, alium Prælatum, five Clericum, aut etiam laicus quamcunque aliam perfonam Ecclefiafticam coram fæculari Judice trahere, vel convenire: aut tractus, vel conventus, fponte & judicialiter, nifi in cafibus de jure conceffis, præfumat refpondere; alioquin tam trahentes, quam tractos, ultra pœnas contra tales a jure promulgatas, excommunicationis fententiam decernimus incurrere ipfo facto, quam etiam pœnam ad Judices ipfos forenfes, qui Clericos coram fe experiri cogunt, extendi volumus. Citati vero taliter debent abfque mora ad Nos, vel noftrum in Spiritualibus Vicarium habere recurfum, ad impetrandum remiffionis literas, vel aliter, prout expedire cognoverimus, eis providendum. Statuimus etiam, ne Judices Ecclefiaftici fe de caufis, quas laici habent inter fe, nifi tales effent, quod ad forum Ecclefiafticum de jure pertineant, aliquatenus intromittant; ne ex hoc fæculare judicium (quod effet valde incongruum) enervetur. Sed quoniam dubitationes infurgunt, videlicet, quæ caufæ debeant ad forum Ecclefiafticum pertinere, fequentes cafus duximus annotandos, ne tam Judex Ecclefiafticus, quam fæcularis, per ipforum ignorantiam fe valeant excufare.

Imprimis omnes invafores Ecclefiafticarum rerum, feu perfonarum, religioforum locorum, fub Ecclefiaftico Judice conveniuntur.

Item caufæ rufticorum vel fervorum Ecclefiæ.

Item caufæ publice pœnitentium.

Item caufæ pupillorum, viduarum, & miferabilium perfonarum.

Item caufæ peregrinorum.

Item, quando Judex fæcularis juftitiam reddere negligit.

Item in crimine facrilegii, ufurarum, hærefis, Simoniæ, excommunicationis, adulterii.

Item caufæ matrimoniales, dotis, & fuper decimis, oblationibus, & cenfibus Ecclefiarum.

Item caufæ nativitatis, Beneficiales, Juris patronatus, rapinæ, ratione peccati, & voti fracti, pretii deferviti. Item ratione Juramenti.

Item, quando aliqua pars fuerit Ecclefiaftica, etiam fuper re profana, nifi in cafibus a jure conceffis, coram Ecclefiaftico Judice tantum refpondebit.

De Fide Inftrumentorum.

Cum fæpe ex Notariis incognitis & imperitis grandia pericula confueverint evenire; mandamus, quatenus perfonæ gerentes fe pro Notariis, feu Tabellionibus publicis in Diœcefi noftra, in judicio, vel extra nullatenus admittantur, nec eorum inftrumenta tanquam publica recipiantur; nifi coram Vicario noftro de eorum officio faciant plenam fidem, & alias idonei reperiantur, literasque defuper obtinuerint fide dignas.

De Sententia & re judicata.

Intelleximus, quod interdum Ecclefiarum Rectores cum fubditis fuis in caufis matrimonialibus, cum dependentiis & connexis, ad Judicem Capituli noftri adveniunt, & latis fententiis definitivis, prætendentes fufficere, quod lectioni fententiæ interfuerint, partes jubent fine literarum expeditione recedere: contingit quoque, quod latis hujusmodi fententiis, partes Plebanos fuos, & alios, decipere volentes, afferunt, eas aliter effe latas, quam veritas exiftit, & cum iterum ad Confiftorium prædictum redeunt, contrarias reportant fententias: Et quia procul dubio propter temporis diuturnitatem de fententiæ hujusmodi tenore fine literis ita præcife conftare non poteft, & eveniunt exinde fcandala, ac animarum non modica pericula.

Nos

Nos volentes illis occurrere, præſenti Edicto diſtricte inhibemus, ne de cætero Rectores Eccleſiarum, vel alii Presbyteri, quamcunque ſententiam, præſertim in cauſa matrimoniali, ubi periculum vertitur animarum, latam, exequi, vel publicare præſumant; niſi literas deſuper habeant patentes, & expeditas. Decernimus quoque, partibus aſſerentibus, ſententias pro matrimonio, vel contra latas, absque earundem ſententiarum literis debite ſigillatis, credi non debere: & nihilominus eosdem aſſerentes a Sacramentorum communione (mortis articulo ſalvo) excludendos; donec & quousque ſententias hujusmodi ſcriptas, & debite ſigillatas, curaverint exhibere. Rectores autem & Plebanos eosdem, ſi quamcunque ſententiam, priusquam illam, ut præfertur, expeditam & ſigillatam receperint, exequi præſumpſerint, per integrum menſem fructibus Eccleſiarum ſuarum careant, & niſi poſt lapſum hujusmodi menſis errorem ſuum correxerint, ipſos ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendimus ipſo facto.

De Vita & Honeſtate Clericorum.

Cum in Clericis & Eccleſiaſticis perſonis vigere debeat vitæ honeſtas, morum maturitas, & gravitas tam verbo, quam exemplo, nec ullum levitatis indicium in eis apparere; quidam tamen plus cum his, qui in mundo, & ad ſimilitudinem laicorum, quam cum his, qui in ſortem Domini recepti ſunt, vivere, & ſe eis conformare ſatagunt. Quapropter ſtatuimus, atque mandamus, quatenus Clerici de cætero officia, ſeu ſæcularia commercia non exerceant, maxime inhoneſta; ſed victu, geſtu, ac circumſtantiis ſtatus ſui honeſte ſe habeant, & a ſpectaculis publicis abſtineant; ne propter ipſos nomen Eccleſiaſticum inter laicos blasphemetur: ad aleam, & taxillos, ſeu chartas non ludant; ne de patrimonio Crucifixi ſe faciant inimicos crucis Chriſti: in conviviis ſuis privatis, & convocationibus publicis, modeſtiam, & mediocritatem obſervent, Coronam habeant competentem, clauſa deſuper deferant indumenta, nimia brevitate & longitudine non notanda: pannis rubeis, & viridibus, aut albis, non utantur. Diſcoopertis capitibus in plateis non vadant, non vagis oculis, non effræni lingua aut petulanti, fluidoque geſtu incedant, ſed pudorem & verecundiam mentis ſimplici habitu, inceſſuque oſtendant, quatenus per decentiam habitus extrinſeci intrinſeca morum honeſtas oſtendatur: quicunque autem veſtem, ut præfertur, prohibitam temere deferre præſumpſerit, veſtem ipſam perdat. Inſuper omnes Clerici tabernas publicas, niſi in itinere conſtituti, ſub pœna arbitraria prorſus evitent, & ſuperfluitatem indebitam reſecantes, ebrietatem omnium vitiorum fomitem & nutricem fugiant diligenter.

De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

DECRETUM CONCILII BASILIENS.

Quicunque Clericus, &c. *Vide ſupra pag. 68. hujus Tomi: ubi Decretum hoc integrum allatum fuit.*

Licet itaque per præfatum Decretum Concilii Baſilienſis, ac etiam Sacrorum Canonum Conſtitutiones ſalubriter ſit proviſum, ne Clerici concubinas tenere, vel ſecum habere præſumant; quidam tamen Clerici, laſciviam ſuam magis, quam decreta hujusmodi ſequentes, nec pœnas formidabiles advertentes, concubinas publice tenere adeo inverecunde præſumunt; quod quidam cæcitate mentis, neque ſcandalum, neque peccatum eſſe putant, & indies tamen cum Juda ſe Altari ingerunt, licet in ſtatu pœnitentiæ (quamdiu concubinas retinent) ſtare non poſſint; ſed eorum pravo exemplo multos quotidie inficiunt & corrumpunt. Cum autem talia nequeamus, neque debeamus conniventibus oculis præterire; conſiderantes, quod plures pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere ſolet a voluntate peccandi: ac ſummis deſideriis affectantes, quatenus hoc peſtiferum vitium concubinatus non ſolum ex uſu, ſed etiam mentibus hominum penitus evellatur: volentes præterea, Decretum Sacri Concilii Baſilienſis, uti tenemur, exequi; Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo ſtatuimus & mandamus, quatenus omnes & ſinguli Clerici concubinas, aut quascunque alias mulieres de

de incontinentia suspectas, etiam cum pueris, si quos ex eisdem procreaverint, infra triginta dierum spatium post publicationem præsentium eis factam (quorum triginta dierum decem pro primo, decem pro secundo, & reliquos decem dies pro tertio & peremptorio termino, ac monitione Canonica eis, & cuilibet ipsorum assignamus) veraciter & ex toto a se repellant & rejiciant, nec eas sic rejectas, aut alias quascunque de incontinentia suspectas, in domibus propriis, seu vicinis, habere & nutrire, sed neque ipsos pueros, seu sic suspectas, ad se redire, seu accedere permittant. Alioquin tales, qui infra dictum tempus concubinas non dimiserint, aut rejectas ad se redire permiserint, quarta parte fructuum unius anni, quos de beneficiis, quæ obtinent, percipiunt, sint ipso facto privati: si vero Beneficiati non fuerint, quarta parte obventionum, quam de quocunque statu Ecclesiastico percipere habent, sint privati, vel saltem pœna arbitraria puniantur; si qui vero adeo indurati, nec Deum timentes, nec metu pœnarum hujusmodi mandatis nostris obediverint, ac moniti ex superabundanti, non destiterint; ab officio, & beneficiis suis suspensos declarari, declaratosq; publice denuntiari faciemus.

Intimantes nihilominus eisdem Clericis concubinariis præsentibus, & futuris, quod, quicunq; hujusmodi sententias suspensionis & pœnas contemnere præsumpserint, in rebellioneq; continua ultra triginta dies alios temere perduraverint; quod Nos contra præsumptores eosdem etiam ad excommunicationis, & deinde, exigente contumacia, ad privationis beneficiorum, & alias graviores pœnas, prout protervitas eorum postulabit, jurisque ac rationis ordo dictaverit, per Nos, aut nostrum in Spiritualibus Vicarium procedemus, & procedi faciemus. Præterea cum Clerici concubinarii notorii sint ipso jure ab officiis & beneficiis suis suspensi quoad se, & alios; quapropter eisdem districte præcipiendo mandamus, ne se Divinis ingerant: alioquin ministrando in sacris Ordinibus, eosdem irregularitatem declaramus incurrerre ipso facto, a qua, nisi per Sedem Apostolicam, non poterunt liberari.

Postremo statuimus, & universis veris Pastoribus districte præcipiendo mandamus, quatenus de vita & conversatione moribus ac idoneitate Vicariorum suorum, antequam Nobis præsententur, diligenter inquirant.

Ipsis etiam præsentatis & admissis, similiter omni anno de vita & conversatione ipsorum inquirere non omittant, & eos, quos vitio incontinentiæ laborare, ac concubinas tenere invenerint, a tempore, quo excessus hujusmodi ad eorum pervenerint notitiam, nostris aut Vicarii nostri auribus deferant infra mensem. Alioquin ipsis Pastoribus privilegium a Nobis concessum, præsenti statuto revocamus, & nihilominus contra ipsos ad pœnam suspensionis a Divinis, quantum de jure poterimus, procedemus.

De Clericis non residentibus.

Cum in Lateranensi Concilio provide statutum sit, quatenus Ecclesiæ (præsertim, quibus cura imminet animarum) personis idoneis, qui resideant, ut curam valeant per se ipsos exercere, tantummodo conferantur; quapropter omnes & singulos Parochialium Ecclesiarum Rectores præsenti Constitutione ad residentiam personalem requirimus & citamus, nisi forte vel propter studium literarum, vel ex aliis honestis causis a Nobis, aut Vicario nostro meruerint licentiam obtinere specialem. Idem etiam decernimus in beneficiis non curatis statuendum. Et idcirco, sub pœna suspensionis a Divinis, districte inhibemus, ut nullus Beneficiatus nostræ Diœcesis ab Ecclesia, seu beneficio suo, ad quam, seu quod intitulatus existit, se absentare velit, nisi nostra aut Vicarii nostri licentia obtenta, non obstantibus quibuscunque consuetudinibus, confirmationibus beneficiorum, ac aliis forsitan in contrarium facientibus.

De Præbendis, & concessione earundem.

Grave nimis & absurdum, quod quidam Ecclesiarum Prælati, & alii sæculares ac Religiosi, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia & Ordines sacros præsentare; assumere & promovere non verentur indignos & igna-

ignaros, quibus nec morum honeſtas, nec literarum ſcientia, neque ætatis maturitas ſuffragantur. Unde quanta exinde Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat. Ex hoc enim ſtatus Eccleſiaſticus deformatur, ſalus animarum negligitur, & alia plura mala & ſcandala ſequuntur. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermiſſis indignis idonei ad Beneficia Eccleſiaſtica & Ordines ſacros præſententur, qui Deo & Eccleſiis velint & valeant gratum efficere famulatum: contrarium vero præſumentes pœnis, a ſacris Canonibus inſtitutis, decernimus juſtitia mediante puniendos, inhibentes Vicario noſtro in Spiritualibus, qui eſt, & qui pro tempore erit, ac aliis quibuscunque, ne aliquos ſæculares vel etiam regulares ad Beneficia Eccleſiaſtica, præſertim quibus cura imminet animarum, admittant, ſeu inſtituant, vel ad Sacros Ordines promoveant, ſeu promoveri permittant; niſi prius tales de & ſuper ſcientia, moribus, ætate, ac cæteris de jure neceſſariis fuerint examinati, & idonei reperti. Quod ſi ſecus incaute fuerit ab aliquo præſumptum, non ſolum dejiciendus indigne promotus: verum etiam promovens indignum animadverſione condigna puniendus erit. Denique prohibemus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, nec non ſub obteſtatione Divini Judicii, ne Sacerdotes, & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ a Patronis Eccleſiarum ad beneficia vacantia nomine & vice alicujus minoris aut impuberis, vel alterius non idonei, ſe faciant pro veris Rectoribus præſentari; quoniam ex illo execrabili abuſu Eccleſia Dei, & animæ fidelium damnabiliter decipiuntur, ipſa quoque Eccleſia Simoniaca inficitur pravitate, cum ipſi minores ſeu impuberes, ac alias minus idonei, proventus beneficiorum ſibi retinere præſumunt, ac ipſos inſtitutos ſub pacto ad reſignandum (poſtquam ad ætatem legitimam pervenerint, aut alias idonei fiant) aſtringunt contra Canonicas Sanctiones: cum autem in talibus omnis pactio, aut conventio ceſſare debeat; volumus, quod ſi qui hactenus taliter præſentati fuiſſent fraudulenter, eadem beneficia reſignent, quod eis ſub prædictis pœnis firmiter præcipimus & per præſentes.

De Inſtitutionibus.

Quoniam a Sanctorum Patrum & inſtitutionibus alienum, & Eccleſiaſticæ contrarium honeſtati, quod Clerici Eccleſiaſtica Beneficia nonnunquam ſine titulo Canonico, & absque conſenſu, ſeu inveſtitura noſtra ordinaria, propria authoritate recipiunt, aliquando ad ſolam voluntatem Patronorum; eapropter ex Officio Nobis commiſſo tam in illos, qui Eccleſiaſtica Beneficia taliter occupata ultra novem dierum ſpatium (quem terminum eisdem pro Canonica admonitione peremptorie aſſignamus) ſcienter detinent, quam etiam in eos, qui de cætero talia occupare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis, a qua ſine ſpeciali noſtra licentia minime abſolvantur. Inſuper volumus, quatenus omnes & ſinguli Clerici noſtræ jurisdictioni ſubjecti, poſtquam Beneficia Eccleſiaſtica authoritate Apoſtolica obtinent, teneantur infra ſpatium unius menſis Nobis, aut Vicario noſtro de eorundem jure & titulo legitimam facere fidem, ſub pœna arbitraria, propterea eis, niſi id fecerint, infligenda. Idem etiam decernimus ſtatuendum de illis, qui plures dignitates vel Eccleſias, quibus cura animarum imminet, cum diſpenſationibus Apoſtolicis obtinent, quatenus hujusmodi diſpenſationes, vigore quarum Eccleſias, Perſonatus ſeu dignitates easdem ſe tenere aſſerunt, pariter infra menſem noſtro, aut Vicarii noſtri arbitrio exhibeant.

Ut Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur.

In quibusdam locis laici Fundatores, ſive Patroni Eccleſiarum, vel hæredes ipſorum, poteſtate, in qua Eccleſia hucusque eos ſuſtinuit, abutuntur: nam partem decimarum, vel aliarum obventionum in Beneficiis, in quibus jus obtinent Patronatus, ſibi retinent ex pacto, cum præſentant Clericos ad eadem; unde Nos ad hujusmodi malam perniciem extirpandam ſtatuimus, quod ſi tales Clerici, ſe de portione debita ſpoliari videntes, ad Nos, vel Vicarium noſtrum non detulerint, ſint ipſo facto ſuſpenſi, & nihilominus eisdem Beneficiis priventur, aliisque Presbyteris idoneis provideatur de eisdem. Si vero ad Nos detule-

tulerint quæstionem, ipsum Patronum per censuram Ecclesiasticam ab hujusmodi molestatione compesci volumus, & demandamus. Adjicientes nihilominus, quod si in hoc Patronus extiterit pertinax, ad præsentationem talis Beneficii nullatenus admittatur.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

Districtius inhibemus, ne Abbas, Abbatissa, vel quicunque Prælatus, aut Clericus obliget, vel quocunque obligationis titulo ab Ecclesia transferat, vel commutet Ecclesiarum possessiones, decimas, vel quascunque res alias: sed neque bona Ecclesiarum in usumfructum, seu Emphyteusin perpetuo concedat, aut Præbendas vendat laicis, vel aliis, quod vulgariter Leibgeding appellatur, nisi ex certa scientia nostra, & juxta formam in Canonibus comprehensam. Si vero quisquam contractum hujusmodi fecerit, eum a perceptione fructuum suæ dignitatis, vel beneficii, quod obtinet, decernimus suspendendum. Insuper edicto perpetuo inhibemus, & inviolabiliter observari volumus, quod nullus Clericorum, cujuscunque gradus, seu dignitatis existat, Calices, libros, ornamenta, & alia utensilia quæcunque, ad Divinum cultum spectantia, distrahere, obligare, seu alienare præsumat, nostra, seu illorum, quorum interest, licentia non obtenta; alioquin tales noverint, se ipso facto sententiam suspensionis a Divinis incidisse. Si quis vero monitus non restituerit Ecclesiæ, quæ Ecclesiæ sunt; is noverit ipso facto se sententiam excommunicationis incurrisse. Statuimus etiam, ne aliquis Procurator, vel œconomus Parochialis, aut filialis Ecclesiæ (qui vulgariter Kirchprobst dicitur) cum bonis Ecclesiasticis sub nomine Sanctorum, & Patroni illius Ecclesiæ, contractus illicitos ulterius exercere præsumat; alioquin ex nunc talem a perceptione corporis Christi suspendimus ipso facto. Præterea intelleximus, qualiter hujusmodi œconomi, vel vitrici Ecclesiarum, reditus, qui Ecclesiis & luminaribus attinent, ad suos conferunt usus, & in alias transferunt personas, res & bona Ecclesiarum alienando: quibus sub excommunicationis pœna districte præcipiendo mandamus, quatenus de omnibus & singulis perceptis, vel quæ percipere potuerunt, singulis annis coram Plebano loci, & duobus, vel tribus de plebe, faciant rationem; alioquin per Plebanos ad reddendas rationes per Sacramentorum subtractionem, & alia juris remedia, compellantur. Sed quoniam nonnulli vitrici, cum rationes hujusmodi facere consueverunt, larga convivia præparant cum incommodo & jactura Ecclesiarum: aliquando etiam per potestatem sæcularem ad hujusmodi superfluas expensas faciendas compelluntur; quapropter tam Judicibus sæcularibus, & aliis quibuscunque, quam ipsis Vitricis, sive fabricæ Magistris, & Plebanis, sub pœna suspensionis a perceptione corporis Christi, pariter inhibemus; ne hujusmodi expensas sumptuosas cum detrimento Ecclesiarum faciant, seu fieri procurent. Injungimus præterea præfatis Administratoribus, Vitricis, sive Magistris fabricæ, quatenus in suis officiis fideles existant, velut Deo, cujus res tractant, rationem reddere habeant: quodque diligenter attendant circa domorum Dei ædificationes, & ornamentorum defectus; ut juxta eorum facultatem & qualitatem decorentur. Si vero quisquam ex præfatis Magistris fabricæ, aut Vitricis, negligens repertus fuerit, vel singulis annis rationem reddere recusaverit; hunc debeat & possit Plebanus, seu Rector Ecclesiæ, infra cujus limites hoc contingit, per Sacramentorum subtractionem pariter constringere, vel ad nostram, vel Vicarii nostri audientiam remittere. Volumus autem præsentem nostram Constitutionem ad minus semel in anno populo publicari.

De Testamentis.

Quia circa Clericorum testamenta, & illorum executiones sæpe fraudes committuntur, bonaque per eos relicta ad usus non destinatos, vel alias inutiliter dispensantur; quapropter Nos, quibus ex officio provisio circa hæc merito incumbit, remedium ponere volentes, statuimus, ut quicunque de executionibus testamentorum, vel dispensatione bonorum per Clericos decedentes relictorum, se intromittere velit, teneatur infra mensis spatium de sua constitutione fidei commissaria, vel executoria ultimæ

voluntatis, coram Nobis, aut Vicario noſtro, plenam & idoneam facere fidem, antequam manum apponat ad exequendum, vel relicta bona defuncti Clerici diſpenſandum. Inventarium etiam ſub manu autentica, vel in præſentia duorum teſtium, fide dignorum, de bonis relictis & inventis omnino conficiat, obtineatque teſtamentum hujuſmodi a Nobis confirmari, ac poſt lapſum anni, a morte teſtatoris computandi, ſimiliter infra unius menſis ſpatium, Nobis, aut Vicario noſtro, integram de inventis, perceptis & diſtributis faciat rationem. Si quis vero aliter & præmiſſis non obſervatis, bona cujuſcunque Clerici diſpenſare præſumpſerit; Fiſco noſtro in ſumma quinquaginta florenorum mulctandus exiſtat. Quod autem præmiſſa firmius obſerventur, mandamus, ſtatutum noſtrum, ſupra de officio Decani propterea editum, diligenter practicari. Ad aures noſtras per clamoroſam inſinuationem multorum devenit, quod nonnunquam Patroni, Eccleſiarumque Advocati, Judices, & præcones, res & bona decedentium Clericorum occupant, volentes ab inteſtato ſuccedere pro ſuæ voluntatis arbitrio; quare provide duximus ſtatuendum, quod nullus Eccleſiaſticus vel ſæcularis, cujuscunque ſtatus, vel dignitatis fuerit, Clericorum decedentium bona rapiat, diſſipet, aut invadat quocunque quæſito colore: contrafaciens ab ingreſſu Eccleſiæ vivens arceatur, neque ad Communionem ſacram, niſi reſtitutione facta, & de licentia noſtra ſpeciali aliquatenus admittatur: moriens vero Eccleſiaſtica careat ſepultura. Et ne quiſquam per ignorantiam ſe valeat excuſare, mandamus, quatenus Rectores Eccleſiarum hanc noſtram Conſtitutionem ad minus ſemel in anno, inter cæteras a ſacra Communione prohibitiones, publicare non omittant. Cum Nobis ex officio paſtorali incumbat, utroque jure ſuadente, ultimas voluntates & teſtamenta defendere, maxime pro animarum ſalute, & ad pios uſus ordinata; Quare univerſis noſtræ jurisdictioni ſubjectis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipimus, & mandamus, ne teſtamenta & ultimas fidelium Eccleſiaſticarum, vel ſæcularium perſonarum voluntates maxime ad pios uſus & animarum ſalutem ſe extendentes, earumque executionem directe vel indirecte impediant, negligant, vel retardent. Pariter univerſis & ſingulis Civitatum, ſeu Collegiorum, aut Communitatum Prælatis, Rectoribus, Judicibus tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, ſub interminatione Divini judicii, & excommunicationis ſententia, quam in contrafacientes, ſex dierum monitione prævia, ferimus in his ſcriptis, diſtricte præcipiendo mandamus; ne prætextu cujusvis conſuetudinis, ſeu ſtatuti, aut quovis alio modo liberam teſtandi facultatem ad pias cauſas, ac pro animarum remedio & ſalute impediant; cum nihil ſit, quod hominibus magis debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis liber ſtylus exiſtat: & Nos hujuſmodi ſtatuta & conſuetudines, tanquam Deo odibiles, animabus & bonis moribus inimicas, auctoritate hujus ſalutaris Conſtitutiones penitus reprobamus, firmiter ſtatuentes, ut illis (quos jura a Teſtamentorum non prohibent factione, & dummodo hæredes ſuos neceſſarios, & legitimos, contra juris determinationem non prætereant) legandi, diſponendi, & ordinandi de bonis ſibi a Deo collatis, ad pia loca, Eccleſiaſticas, & alias perſonas libera ſit facultas. Et poſtremo præfatis omnibus ſub dicta excommunicationis pœna inhibemus, ne de Teſtamentorum & legatorum pro Deo, ſeu animarum ſalute, & ad pios uſus factorum, cauſarum quoque, occaſione eorundem pro tempore motarum, ſeu movendarum cognitione ſe intromittant; ſed Nos, & Officiales noſtros, ordinariam jurisdictionem cauſarum hujuſmodi habentes, libere in his judicare permittant. Et ut nemo de his ſe per ignorantiam valeat excuſare, volumus hoc præſens Statutum ter in anno per Eccleſiarum Rectores in ſuis Eccleſiis expreſſe publicari.

De Sepulturis.

Nos inſtituta majorum Patrum conſiderantes, rationi conſonum judicamus, quod ubi quis vivus Eccleſiaſtica recipit Sacramenta, ibi mortuus requieſcat; omnibus igitur & ſingulis Chriſti fidelibus, per Diœceſim noſtram ubilibet conſtitutis, qui deinceps in agone vitæ ſuæ apud ſuas Eccleſias Parochiales viatico Corporis Chriſti communicaverint, &

& apud easdem Ecclesias sepulturam elegerint, seu procuraverint sepelire, de Omnipotentis Dei misericordia confisi, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Nullus præterea sæcularis vel Religiosus alienum Parochianum in sua Ecclesia sepelire præsumat; nisi sepulturam ibidem elegerit sua propria & matura voluntate, Ecclesiæ Parochialis juribus semper salvis; caveant autem omnes Ecclesiasticæ personæ, atque omnes utrisque sexus homines, ne quendam ad hujusmodi electionem, directe vel indirecte inducere præsumant, alioquin noverint se pœnas juris incidisse.

Item ordo juris confunditur, si jus suum unicuique non servatur, quapropter statuimus ordinando, ut personæ Ecclesiasticæ tam sæculares, quam regulares, cujuscunque ordinis vel status existant, qui alterius Ecclesiæ Parochianum per electionem sepulturæ, rite & legitime factam, ad suam Ecclesiam vel cœmiterium susceperint tumulandum, Rectori ejusdem Parochiæ, de quibuscunque obventionibus, occasione ipsius funeris provenientibus, secundum Statuta Canonica quartam partem infra quindenam post ejusdem funeris tumulationem aut peractionem, & dicti Rectoris requisitionem integre persolvere teneantur, alioquin (salvis aliis pœnis juris) omnes, qui in dicta quarta parte solvenda & termino prædicto se negigentes exhibuerint, per censuram Ecclesiasticam præcipimus coerceri, tanquam aliena temere & de facto detinentes

Malas voluntates hominum tametsi nequeamus ex toto cohibere; tamen ex officii nostri debito malitiis hominum, quantum possibile est, occurrere cupientes, Constitutione præsenti duximus statuendum, quatenus nullus publice criminosos, usurarios manifestos, nisi restitutione juxta possibilitatem, vel cautione sufficienti de pecunia fœnerali restituenda facta, & præstita, absolvat. Item excommunicatos a jure statuto, vel homines suspensos patibulo, vel qualitercunque per sententiam morti traditos, nisi pœnituerint & in pœnitentia decesserint, in cœmiteriis non sepeliant.

In torneamentis, ludis, & publicis spectaculis, vel per se occisos, aut subito absque viatico decedentes, & præsertim eos, qui tempore Paschali Constitutioni: *Omnis utriusque sexus &c.* satisfacere propria temeritate neglexerint:

Insuper eos, qui bona decedentium Clericorum propria authoritate & temeritate publice invaserunt, & detinent, nisi restitutione facta: Denique blasphemos nominis Dei & Sanctorum publicos, nisi pœnituerint, *nemo* tradere præsumat Ecclesiasticæ sepulturæ, nisi licentia super his a Nobis petita & obtenta. Sed quia plerumque contingit, multos utriususque sexus homines absque viatico & perceptione Sacramentorum, culpa non accedente, ex hac vita decedere; quare volumus, quod Decani rurales in hoc solo casu facultatem habeant, concedendi licentiam, sepeliendi, salvis tamen juribus nostris consuetis; in aliis vero casibus supra enarratis, nolumus eandem facultatem ad eos quomodolibet extendi.

De Parochiis & alienis Parochianis.

Gravis querela ad nostras aures devenit, quod nonnulli Clerici suis juribus & finibus non contenti, Parochianos alienos ad confessionem, aliaque Sacramenta Ecclesiæ, Divina Officia, & sepulturam, in periculum animarum suarum alliciunt, & temere admittere præsumunt contra Canonicas Sanctiones, cum non liceat alteri mittere falcem in messem alienam; Nos igitur Sanctorum Patrum vestigiis inhærentes, qui. Ecclesiæ Sanctæ & personis Ecclesiasticis terminos (quos non licet transgredi) posuerunt, mandamus, quatenus Rectores Ecclesiarum alienos Parochianos scienter in Ecclesiis eorum non admittant, nisi aliqui propter funus familiare, vel nuptias solennes, aut Dedicationes Ecclesiarum, seu aliquam evidentem necessitatem illuc venissent. Multo minus etiam de cætero alienum ad confessionem, & alia Sacramenta, seu sepulturam recipiant quovis modo; alioquin per septem dies immediate sequentes, quicunque scienter contravenerit, noverit se ab ingressu Ecclesiæ suspensum ipso facto, salvis etiam aliis pœnis a jure desuper editis.

De Decimis & Oblationibus.

Quia Dominus in ſignum univerſalis Dominii pro miniſtris Altaris decimas retinuit, Canonicaque Sanctio jubet, eas de omnibus fructibus cum integritate perſolvi; ſtatuimus, quod laici decimas ipſas de agris, pratis, hortis & arboribus, nec non de omnibus fructibus, qualitercunque ex terra naſcuntur, Clericis, ſeu Parochialibus Eccleſiis, nullis deductis expenſis, ſive meſſorum, ſive familiæ, aut mercenariorum ſit pretium, etiamſi in uno fundo, & eodem anno pluribus vicibus creſcant, atque proveniant plures fructus: & ſimiliter de animalibus, & aliis rebus licite acquiſitis, ſine omni fraude integraliter tribuant & perſolvant. Volumus igitur, ut Plebani, Rectores Eccleſiarum, & alii Prædicatores, tam ſæculares, quam regulares, in prædicationibus publicis & confeſſionibus ſecretis, charitative populum inducant, declarando, quod ad hujusmodi integralem ſolutionem teneantur, & ex Præcepto DEI, & Eccleſiæ ſint adſtricti.

Quoniam decimas novalium per totam Diœceſin noſtram ad Nos, menſamque noſtram Epiſcopalem de conſuetudine longæva & rationabili pertinere, manifeſtum eſt; ideoque mandamus, quatenus Rectores Eccleſiarum ſe de illis nequaquam intromittant: ſed cum easdem ad culturam redigi, ſeu præſcindi contigerit, infra menſem teneantur, ſub excommunicationis pœna quantocius notificare; alioquin contra eosdem ad pœnam præſcriptam procedemus, & procedi faciemus. Dicitur autem novale, terra de novo ad culturam redacta, cujus non extat memoria, quod culta fuiſſet.

Licet omnis Chriſtianus ad Miſſarum ſolemnia aliquod munus Deo offerre tenatur, & reducere ad memoriam, quod Deus per Moyſen dixit: *Non apparebis in conſpectu meo vacuus;* in præcipuis tamen feſtivitatibus, per anni circulum occurrentibus, ad oblationes & offertoria omnes & ſingulos noſtros ſubditos in ſuis Parochialibus Eccleſiis, Sacerdotibus ſuis Curatis juxta conſuetudinem earundem Eccleſiarum teneri præſentibus declaramus.

De Regularibus

Monachi, mortui mundo, & Deo viventes, veluti piſcis in aqua ſemper debent in Monaſteriis remanere, nec ſe ſæcularium cœtibus immiſcere: quapropter Dominis Abbatibus & Prælatis in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, quatenus Monachos fugitivos, & in ſæculo diſcurrentes, quantocius revocare procurent, fiatque in ſingulis Monaſteriis carcer, in quo incorrigibiles, ſeu alias delinquentes enormiter, prout culpæ qualitas exegerit, recludantur.

Illam vero Abbatum, & Prælatorum pravam conſuetudinem reprobamus, qua Prælati pro exceſſibus levibus, & nonnunquam pro ſimulatis offenſis, paſſim & indifferenter de Monaſteriis ad Monaſteria Monachos ſuos mittunt, & quandoque ab obedientia abſolvunt, quæ tamen Monachorum oſſibus eſt irreparabiliter affixa: cum etiam delictum ibi puniri & mori debeat, ubi committitur; nec tales miſſi ad alia Monaſteria peccata ſua lugeant, ſed vagentur potius abſolute. Quapropter ſi neceſſitas exegerit, ut aliquis Monachus ad aliud Monaſterium transmittatur; hoc Prælato non liceat, niſi de licentia noſtra ſpeciali. Ne res Eccleſiaſticæ in uſus convertantur indebitos; ſed fidelis diſpenſatio Prælatorum eluceſcat; præſenti ſtatuto definimus, ut de bonis Eccleſiæ & adminiſtrationis ſuæ ſemel in anno Prælatus cujuslibet Eccleſiæ & Conventus, Conventui ſuo plenam faciat rationem, & ad minus ter in anno a ſuis officialibus Monachis, vel etiam laicis, computationem diſcretam recipiat & fidelem; alioquin contra tales ad pœnam ſuſpenſionis ſeu privationis procedemus juſtitia mediante.

Inſuper ſtatuimus, quod quilibet Prælatus, cujuscunque gradus, ordinis, ac dignitatis exiſtat, beneficia ad ipſum ſpectantia ſimpliciter & pure, ſine omni diminutione & pactione conferat, nihil ſibi, aut Eccleſiæ ſuæ reſervando, niſi quantum ex antiqua conſuetudine, vel privilegio ad ſe dignoſcitur pertinere; alioquin pœnam ſuſpenſionis a Divinis noverit ſe ipſo facto incidiſſe.

Quia Religioſos decet puritatem omni-

omnimodam in suis actibus observare; quam tamen sæpe divagando maculant, & tanquam pseudoprophetæ fabulosis prædicationibus audientium animos plerumque seducunt; eapropter volumus, quod Rectores Ecclesiarum hujusmodi Fratres vagabundos ad proponendum verbum Dei, nec non confessiones audiendas, & celebrandum Divina officia minime admittant; nisi a Nobis & Superioribus suis licentiam habeant specialem, & dictis Rectoribus de eadem licentia faciant plenam fidem. Statuimus insuper, ut regulares proprietarii, nisi post notitiam præsentium infra dies quindecim, quem terminum eisdem pro Canonica admonitione assignamus, proprium ad manus suorum offerant Prælatorum, usque ad restitutionem debitam ab officio Divino sint suspensi, & nihilominus, si manifesta sit proprietas, carcerali custodia mancipentur. Sunt etiam nonnulli Abbates, qui in indulgentiis & remissionibus faciendis, ac in mitris seu infulis, annulisque deferendis, nec non in benedictione sacrarum vestium, & Ecclesiasticorum vasorum, insuper etiam in tonsura Clericorum, & cæteris, quæ ad ordinem & officium Pontificale requiruntur, sibi Pontificum potestates usurpant: his districte præcipiendo mandamus, quatenus de cætero talia non attentent, nisi fidem nobis faciant de privilegiis eisdem propterea concessis.

Ut habitus unicuique debitus Religiosos distinguat a Sæcularibus, a quibus debent vita & moribus esse separati; volumus, ut Religiosi & Religiosæ tam in Monasteriis, quam extra, veste suæ religionis utantur, nec vestes sæculares assumere præsumant.

De Jure Patronatus.

Ecclesiarum Patronos præsenti Sanctione monemus; quatenus vacantibus Ecclesiis de jure & facto, in quibus jus Patronatus obtinent, personas idoneas Nobis, aut Vicario nostro infra tempus a jure statutum, videlicet Patronus laicus infra quatuor menses, Ecclesiasticus vero infra sex menses, studeant præsentare: quod si ultra tempus prædictum Ecclesias ipsas retinere præsumpserint; ea vice sint a jure præsentandi privati, Nosque de hujusmodi Ecclesiis tunc providere curabimus. Quoniam in quibusdam locis Patroni Ecclesiarum potestate, in qua eos Ecclesia sustinuit, abutuntur, partem decimarum, & aliarum obventionum in beneficiis, in quibus jus obtinent Patronatus, sibi retinentes ex pacto, cum præsentant Clericos ad eadem: nonnulli vero fundata beneficia in totum cassantes, reditus illorum sibi usurpant: aliquando etiam, auctoritate nostra neglecta, Clericos instituunt in Ecclesiis, possessionem quoque, & alia Ecclesiastica bona pro sua voluntate plerumque distribuunt; His omnibus occurrere volentes, statuimus, ut sive Clericus, sive laicus hoc facere præsumpserit, jure præsentandi sit ipso facto privatus, atque ad sacram Communionem nullatenus, nisi satisfactione prævia, admittatur. Clericus vero, qui Ecclesiam per laicos, sive Patronos etiam Ecclesiasticos, absque auctoritate nostra receperit, Communione privetur: & si perstiterit, a ministerio Ecclesiastico & ordine deponatur. Laicos in nonnullis partibus, prætextu fabricæ reparandæ, per Patronos, seu alios laicos, sine consensu Plebanorum, ad recipiendum oblationes, sive proventus, fabricæ Ecclesiarum deputatos, præsentis Constitutionis tenore hujusmodi officio volumus esse privatos, & alios laicos, sive Clericos, sine assensu Plebanorum prohibemus imposterum ordinari: cum consuetudine aliqua induci non possit, ut laici (Prælatis Ecclesiarum invitis) bona Ecclesiastica administrent. Nonnulli Patroni Ecclesiarum, Ecclesiis, quæ vacationis laborant incommodo, non verentes addere afflictionem, bona earundem Ecclesiarum morientibus earum Rectoribus, quæ in utilitatem ipsarum expendi, vel futuris deberent successoribus reservari, occupare, & in suos usus convertere nituntur; Nos super hoc vacantibus Ecclesiis providere volentes, omnes & singulos, qui vacantium Ecclesiarum, & decedentium Clericorum bona de cætero, ut præfertur, usurpaverint, a perceptione Dominici Corporis suspendimus ipso facto, & jure Patronatus sint pariter privati. Quamvis Patroni sint Ecclesiis in præsidium deputati, sæpe tamen hoc tendit ad noxam, quod ad defensionem noscitur institutum: nam Advocati pariter & Patroni bona, quæ sunt Ecclesiasticis usi-

usibus deputata, diripiunt, & personas Ecclesiasticas variis & diversis oneribus multipliciter inquietant; cui pesti cupientes mederi, præsenti Constitutione sancimus, ut tam Advocati, quam Patroni, cujuscunque præeminentiæ, seu status fuerint, statutis, & antiquis juribus, ipsis vel eorum progenitoribus in institutione primæva, & cum ipsas advocatias de licentia Prædecessorum nostrorum susceperunt, deputatis, penitus sint contenti: pro posse quoque suo statum, honorem, & Ecclesiarum res & bona fideliter manuteneant, & defendant. Alioquin noverint se tanquam raptores & spoliatores Ecclesiarum, atque sacrilegos fore puniendos.

Statuimus quoque, quod Patroni diligenter attendant, ne resignationem cujuscunque beneficii, in quo jus Patronatus habere dicuntur, ad manus suas recipiant; sed quando tales Beneficiati cedere, vel resignare voluerint, ipsos ad Nos, seu Vicarium nostrum, remittant: item neque indignum præsentent, alioquin noverint se a jure præsentandi ea vice penitus cecidisse.

De Censibus.

Pastoribus Ecclesiarum, ac aliis quibuscunque Beneficiatis, sub pœna excommunicationis districte inhibemus, ne sine nostro speciali consensu ex quacunque causa se, aut subditos suos, cuicunque sæculari personæ de novo constituant censuales, vel ad protegendum se submittant: neque præsumant, sine nostro consensu, census, fructus, & reditus, aut bona Beneficiorum suorum in perpetuum, aut alias ad longum tempus impignorare, vendere, locare, commutare, aut quovis modo alienare, pœna sub prædicta. Pastores etiam Ecclesiarum nostræ Diœcesis censu antiquo & consueto sint contenti; nisi forte plus, vel minus ab aliquibus, consideratis locorum & temporum circumstantiis exigi valeat. Statuimus etiam, & sub pœna suspensionis mandamus firmiter & districte, ut Decani, Plebani, ac Provisores Ecclesiarum, inquirant diligenter homines censuales Ecclesiarum nostrarum, ac facta inquisitione hujusmodi Nobis, seu Ecclesiarum Prælatis, ad quos pertinent census tales, respective assignent in scriptis nomina censualium inventorum: in confessionibus vero memoratis censualibus conscientiam faciant, atque eosdem per subtractionem Sacramentorum ad satisfactionem compellant.

De Celebratione Missarum & Sacramento Eucharistiæ.

Officium Missæ, in quo Divinum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, a Presbyteris cum cordis puritate attente & devote præcipimus celebrari: ut quando Missas legunt, verba, extra Secretam & Canonem, alta & intelligibili voce proferant, quæ possint a circumstantibus audiri. Attendant omnino, ne quid de forma consecrationis tam panis, quam calicis omittatur, sed quod integra verba cum consecrandi debita intentione proferant. Nullus vero Presbyter Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus & ipse tertius habeatur: laici vero Sacrarium non ingrediantur, nec ad Altare appropinquent, nisi ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre voluerint. Sacerdotum enim, aliorumque Clericorum, Ecclesiis servientium chorum, a laicorum loco discrete apparere convenit; quatenus libere ac honorifice possint sacra Officia exercere. Sæcularibus vero totas audire Missas die Dominico, ac aliis diebus Festivis speciali ordine præcipimus; ita, ut ante benedictionem Sacerdotis egredi non præsumant. Alioquin per Pastores Ecclesiarum acrius corrigantur. Quia, uti accepimus, Clerici diversi diversimode in celebratione Missarum ac horis Canonicis, aliisque Divinis Officiis diversum tenent modum contra Canonica Statuta: volentes igitur huic morbo remedium ponere opportunum, districte præcipimus; ut ab omnibus & singulis Clericis sæcularibus psallendo ac celebrando idem modus & ordo in Divinis Officiis, & horis Canonicis, observetur, ita quod unusquisque in hoc Cathedrali Ecclesiæ nostræ se totaliter conformet. Si quis vero hujusmodi Constitutionis nostræ transgressor repertus fuerit; ad denuntiationem Decani sui, quam infra mensem facere teneatur, per Vicarium nostrum Canonice puniatur. Insuper caveant Sacerdotes, ne hostiam, cum qua celebrandum est, tam diu reservent, quod incipiat corrumpi: similiter

liter & Corpus Domini noſtri *JESU CHRISTI* uſque ad corruptionem ſpecierum panis nullatenus conſervetur; ſed ad minus ſingulis menſibus juxta locorum qualitatem innovetur: attamen quilibet ſuper cuſtodia ſeu renovatione ipſius Sacramenti curam habens cuſtoditum ſumere, & loco ſumpti aliud conficere non differat. Presbyteri etiam Curati Euchariſtiam ſemper habeant pro infirmis, ne ſine communione moriantur. Præterea quivis Rector Eccleſiæ hortetur plebem ſuam, ut infirmi tempeſtive & jejuni Sacramenta percipiant, niſi periculum mortis aliter expoſcat. Sacerdotes vero, ſi aliquid poſt medium noctis per modum cibi vel potus ſumpſerint, debent ſequenti die a celebratione Miſſarum abſtinere. Sint quoque cauti, quando præparant calicem, ne vinum omnino ſit acidum, putridum, pendulum ſeu corruptum, & parum de aqua apponatur, ut a vino de facili abſorbeatur.

Ut Sacerdotes, qui in ſortem Domini vocati exiſtunt, obſequium debitum Deo præſtent & perfectum, univerſos hortamur, quatenus reverenter & caute circa conſecrationem hujus Sacramenti verſentur, ne propter incuriam & negligentiam Sacerdotum Divina indignatio gravius exardeſcat. Sint vero cauti, ut, ſi caſu muſca, vel aranea, vel aliud immundum aliquod in calicem ante conſecrationem ceciderit, quantocius effundatur & oblato calice de novo præparetur: ſi vero aliquod horum poſt conſecrationem acciderit, illud caute capiatur, & diligenter lavetur & comburatur, ablutioque cum cineribus ad Sanctuaria in Eccleſia recondatur. Præterea ſi Sacerdos ante conſecrationem Sanguinis & poſt conſecrationem Corporis Domini percipiat vinum & aquam non eſſe in calice, debet ſtatim apponere & conſecrare; ſi vero poſt conſecrationem & formam verborum percipit, quod aqua deſit, debet nihilominus procedere, nec debet aquam ad ſpeciem vini jam conſecrati miſcere; quia ſic ſequeretur corruptio Sacramenti. Si vero percipit poſt verba conſecrationis, quod vinum non fuerit in calice, ſiquidem hoc percipiat ante ſumptionem Corporis Domini, debet depoſita aqua, ſi inibi fuerit, imponere vinum cum alia aqua, & reſumere verba conſecrationis Sanguinis; ſi vero percipiat poſt ſumptionem Corporis; debet apponere aliam hoſtiam, iterum ſimul conſecrandam cum ſanguiue, ut ſervetur ordo debitus conſecrandi.

Cum falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora; quare præſenti ſtatuto declaramus, quod Sacerdos, qui pro ſui criminis conſcientia ſe Miſſam celebrare fingit, ſuppreſſis verbis, quibus conficitur Corpus Chriſti, panem & vinum tantummodo ſumit, credens per id, quod prætendit, populo ſatisfacere, Deum non debeat provocare: quia vero talis Deum offendit: cujus ſacrificium negligit, ac populum decipit, gravius peccat, quam ſi ſcienter in peccatis mortalibus conſecraret. Quapropter caveant Sacerdotes, ne hujusmodi delictum committant, iram Dei in ſe per hoc procul dubio provocantes.

Paſtoralis Officii noſtri cura ſollicite Nos admonet, ſubditorum noſtrorum ſaluti providere, virtutes plantare, ac vitia & ſcandala removere. Sane dudum ad Nos multorum veridica relatione pervenit, qualiter transactis temporibus nonnulli in Presbyteros noviter ordinati, in decantationibus, ſeu celebrationibus ſuarum primarum Miſſarum, quas primitias vocant, more ſæcularium nuptiarum convivia & commeſſationes ſuperfluas præparaverint, turbamque tam cognatorum, quam aliorum utriusque ſexus hominum ad convivia hujusmodi invitaverint, propinas receperint, choreas duci, ſtrepitum cum inſtrumentis muſicalibus, & plura alia, quæ in dictis ſæcularibus nuptiis vix licite admittuntur, fieri & exerceri permiſerint: quæ omnia & ſingula Presbyteros ipſos a devotione, quam in prima celebratione majorem habere præſumuntur, magis diſtrahunt, quam conducunt; Nos igitur abuſiones hujusmodi tollere, ipſosque Presbyteros ſic celebrantes a menſarum curis abſolutos, devotioni ac Divino Officio magis intentos eſſe cupientes, in virtute obedientiæ mandamus, diſtrictiſſime inhibendo, ne deinceps Presbyteri quicunque, cujuscunque ſtatus, ordinis, conditionis, aut dignitatis exiſtant, primitias ſuas perficere cupientes, eo die, quo easdem celebrare conſtituunt & celebrant, ultra decem perſonas virilis ſexus duntaxat (in-

ter quas ſibi etiam ad Altare miniſtrantes comprehendi volumus) in prandio & in cœna ſecum habeant invitatas: neque choreas juxta ſæcularium nuptiarum morem apud ſe duci aut fieri faciant, aut ipſi ducant, ſeu ab aliis fieri, aut canere cantilenas permittant ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis Officiis, ac mulcta viginti florenorum Fiſco noſtro applicandorum.

Sanctiſſimum Chriſti Corpus, quod digna veneratione nemo ſufficit commendare, cum extra Eccleſiam portatur, mandamus veneratione ſolita venerari, ut videlicet Presbyter in decenti habitu cum ſtola, illud ſuperpoſito mundo velamine, portet reverenter ante pectus, ſemper lumine præcedente, cum ſit candor lucis æternæ; niſi loci diſtantia, aut temporis qualitas aliud depoſcat. Sacerdotes vero doceant frequenter plebem ſuam, quatenus reverenter Sacramentum comitentur, cumque illud viderint, ſeu Presbytero deferenti obviaverint, genua flectant, & dicant devote ad minus ter orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica: Nos enim eis omnibus & ſingulis, qui pro reverentia tanti Sacramenti, ut præfertur, genuflexerint, aut cum Sacramentum ad infirmum portatur, comitati fuerint, XL. dies de injunctis ſibi pœnitentiis pro vice qualibet, authoritate, qua fungimur in Domino, relaxamus. Presbyteri vero, qui occulte, ſeu aliter Sacramentum hujusmodi portare præſumpſerint, præter offenſam Divinam, pœnam exceſſui condignam formidare habebunt.

Felicis recordationis olim Urbanus Papa ſextus pio ductus propoſito omnibus vere pœnitentibus, Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, quando ad infirmos portatur, devote ſequentibus, centum dies indulgentiarum miſericorditer in Domino relaxavit: quod etiam frequenter Chriſti fidelibus intimari mandamus.

De Baptiſmo.

Baptiſmus cum ſit janua omnium Sacramentorum, cujus ſubſtantia in elemento aquæ conſiſtit, conferatur, ut in libris obſequialium continetur, adeo, quod ſuper baptizando aqua pura & elementalis ſub hac forma verborum fundatur: *N: Ego baptizo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Hoc ſpecialiter obſervato, quod nulli extra Eccleſiam, præter caſum neceſſitatis, propter quem nequeat ad Eccleſiam abſque periculo haberi acceſſus, baptizentur. Baptiſterium etiam ſemper teneatur clauſum & ſeratum, cujus claves apud Sacerdotes, & non in manibus laicorum, diligenter reſerventur. Et quia propter puerorum baptizandorum imbecillitatem compatres fieri ſolent, ne ex illorum pluralitate contingat in contrahendis poſtea matrimoniis impedimentum exoriri; præcipimus diſtricte, ut unus tantummodo aſſumatur in Baptiſmate compater. Pueri vero quantocius fieri poterit, baptizentur; ne forte propter naturæ imbecillitatem morte præveniantur. In hyeme vero in aqua calefacta infantes convenienter baptizari poſſunt. Parentes vero pueros proprios nonniſi in ſumma neceſſitate baptizent. Et propterea laici utriusque ſexus de forma baptismi diligentius inſtruantur, quatenus tempore neceſſitatis, & Presbyteris abſentibus, valeant rite baptizare, & dicant ſine diminutione: **Ich tauffe dich im Nahmen Vatters, und Sohns, und des Heiligen Geiſts Amen.** Et circa hoc exſpectandus eſt totalis egreſſus partus ex utero. Ubi tamen periculum mortis immineret, egreſſa parte principali ſcilicet capite, in qua operationes animæ magis manifeſtantur, baptizetur infans: & ſi Sacerdotes, ſuper forma baptizandi diligenter inquirentes, debitam formam ſervatam in Baptismate invenerint, quod factum eſt, approbent, ſupplentes circa baptizatum quoad unctionem & alia, quod a laicis eſt omiſſum: ſi autem in Baptiſmate debitam formam non invenerint obſervatam; non differant pueros baptizare. Quod ſi de Baptismo alicujus dubitetur, tunc baptizetur ſub hac forma: *Si es baptizatus, ego te non intendo baptizare, neque baptizo: ſi non eſt baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

De Sacramento Confirmationis.

Quoniam omnes fideles per manus Epiſcoporum impoſitionem Spiritum Sanctum poſt Baptismum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur: quia ſicut in Baptismo tribuitur plenitudo innocentiæ, ita in Confirmatione augmen-

tum præſtatur ad gratiam , ut roborentur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis donum , quod in Baptismate ſunt conſecuti; quapropter ſingulis Presbyteris Curatis committimus, quatenus populum ſibi ſubjectum fideliter inſtruant, ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis: moneantur quoque confeſſionem facere prius , ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere: & aviſentur , ne patres , ſeu matres proprios filios, aut filias ad confirmationem teneant, alioquin ſint ipſo facto ab exactione & redditione debiti conjugalis ſuſpenſi.

De Cuſtodia Eucbariſtiæ.

In plerisque locis & Eccleſiis mappæ, corporalia, & alia veſtimenta Altaris, ac vaſa Divino cultui deputata, tam inculta & immunda relinquuntur, quod interdum quibusdam ſint horrori : & licet alias ſuper his tam a jure , quam etiam noſtris Prædeceſſoribus ſatis utiliter ſit proviſum ; Nos tamen repetitis eorum Conſtitutionibus volentes expreſſius providere , univerſis Presbyteris , Cuſtodibus, & Sacriſtis diſtricte præcipimus , quatenus omnia veſtimenta , ornamenta, & vaſa ſupradicta per ipſos munda & nitida, & præcipue Eccleſiaſtica Sacramenta ſub clauſura & fida cuſtodia conſerventur. Claves etiam ad easdem clauſuras ſpectantes in manibus Sacerdotum & non laicorum habeantur : ipſa quoque veſtimenta , & corporalia vetuſtate conſumpta, ad humanos uſus nullatenus redigantur; ſed incendio tribuantur, & cineres, ut moris eſt, conſerventur. Inſuper ordinamus, ut mulieres hujusmodi ſacra vaſa contingere, & ad Altare Sacerdotibus miniſtrare non præſumant; ſi quis vero in transgreſſione hujusmodi ſtatuti culpabilis fuerit , arbitrio noſtro puniatur.

Cum in Excellentiſſimo Sacramento Euchariſtiæ Jesus Christus ſub alia quidem forma, in propria vero ſubſtantia , in ſingulis Parochialibus Eccleſiis conſervetur: ne infirmati ſine viatico , & communione moriantur; ipſum non immerito, cum ſit candor lucis æternæ, continuo ardenti lumine veneramur. Quapropter mandamus univerſis Rectoribus Eccleſiarum , ac Vitricis earundem, quatenus die noctuque , lumen ardens coram eodem Venerabili Sacramento incendi & haberi procurent. Quod ſi Eccleſiarum ad hoc non ſuppeterent facultates, moneantur Chriſti fideles, ut ad conſervationem hujusmodi luminis ſuas elargiantur eleemoſynas , fiantque per ipſos Presbyteros curatos collecturæ conſuetæ, quibus literas noſtras ad hoc promotoriales etiam gratis dari volumus atque mandamus.

De Immunitate Eccleſiarum.

Cum ſcriptum ſit in Concilio Lugdunenſi , quod decet domum Domini Sanctitudo; quare ſtatuimus, & ſub anathematis pœna ſtricte mandamus , quatenus de cætero nullus Clericus , ſive laicus, ſeditionem, inſultum, vel impetum in Eccleſiis faciat,vel committat quovis modo: ceſſent ab ipſis fœda & profana colloquia, & publica perlamenta : ceſſent etiam in ipſis Eccleſiis, & earum cœmiteriis, negotiationes, & præcipue nundinarum & fori, ac quorumcunque ſæcularium negotiorum ſtrepitus & tumultus : ſileatque in his horrida vox præconum, ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi relinquatur occaſio: nullus etiam Plebanus,ad requiſitionem etiam cujuscunque laici,mandata laicalia in ambone qualitercunq; publicet ſeu publicari faciat. Præcipimus inſuper, & ſub pœna ſuſpenſionis mandamus, ut ſi per laicos quoscunque ſpolium vel rapinam ſpiritualium perſonarum , ſeu etiam Eccleſiaſticam perſonam, absque ſcitu & mandato noſtro , captivam ad aliquem locum duci contigerit ; Sacerdotes & Capellani eorundem locorum, poſtquam hoc ſciverint, nullo alio mandato exſpectato, ceſſent a Divinis , & Nobis, vel Vicario noſtro quantocius inſinuent.

Inter ſollicitudines noſtras, ex officio Paſtorali Nobis incumbentes, non minima cura eſt, ut pro temporum & perſonarum conditione , in caſibus de novo emergentibus, pro communi & præſertim animarum ſalute proſpiciamus ſalubri informatione , ne per ignorantiam excuſationes peccatorum fiant in peccatis. Cum itaque (quod dolenter referimus) noſtris & præſentibus temporibus , peccatis forte noſtris exigentibus, ordo

ordo Clericalis non, prout ab antiquo & de jure, sed pro sæcularium personarum libito & voluntate, variis & intolerabilibus incommodis & gravaminibus afficitur; ita, quod Ecclesiastica libertas penitus & omnino subverti videatur, & pœnæ contra ejusdem violatores editæ & promulgatæ non immerito locum habere possint: Et quia inter alios casus Episcopales, Nobis reservatos, violatio libertatis Ecclesiasticæ enumeratur, quæ in plerisque casibus contingit, & plures tempore Paschali, ac septimana præcedente, eundem articulum, prout de consuetudine in Ecclesiis publicari consuevit, minus, quam necesse est, declarant, vel populo exponunt; quapropter Nos pro informatione subditorum nostrorum declaramus per præsentes, quod contra libertatem Ecclesiasticam facere dicuntur illi, qui contraveniunt privilegiis, universali Ecclesiæ vel a Deo, vel a Papa, seu ab Imperatoribus concessis, de quibus infra mentionem faciemus: & licet multa sint hujusmodi privilegia Ecclesiis, & piis locis, personisque Ecclesiasticis, & ordini Clericali, per Sacros Canones, jus civile, ac Romanorum Imperatores concessa; de quibusdam tamen magis frequentibus aliqua statuimus referre.

Inprimis, si quis, suadente diabololo, extra casum defensionis, & sine moderamine inculpatæ tutelæ, manum violentam in Ecclesiam, vel personam Ecclesiasticam injecerit, sive confugientem ad Ecclesiam violenter extraxerit.

Item, si quis per violentam sanguinis, aut seminis humani effusionem, Ecclesiam consecratam polluerit.

Item, si quis Clericos & Presbyteros in Ecclesia, Divino cultui insidentes, temere (quominus Divinum Officium debite exequantur) impediverit, vel alias quomodocunque injuriam intulerit.

Item, si quis Clericum in causa civili, vel criminali, coram Judice sæculari convenerit, aut in jus vocaverit; si ad requisitionem Judicis Ecclesiastici perseveraverit, & ab actione instituta non destiterit.

Item, qui statuta contra Ecclesiasticam libertatem in odium Clericorum & favorem laicorum fecerit, ediderit, publicaverit, dictaverit, scripserit, & secundum illa injuriose judicaverit, aut sententias illorum latas executioni mandaverit.

Item, qui suis subditis prohibuerit, ne Ecclesiasticis personis quidquam vendant, emant, coquant, molant, aut alia licita & honesta commercia cum ipsis habeant, aut humanitatis officia exhibeant.

Item, qui res Ecclesiasticas, bona Clericorum mobilia & immobilia, violenter occupant seu invadunt, & qui se de bonis Clericorum decedentium, eadem usurpando, intromittunt.

Item, qui impediunt, aut turbant jurisdictionem Ecclesiasticam, per capturam nuntiorum, aut invasionem bonorum & rerum Clericorum: prohibendo, ne aliquis causam Ecclesiasticam, & ad forum Ecclesiasticum de jure vel consuetudine pertinentem, seu spectantem, coram Ecclesiastico Judice tractet, vel judicium & justitiam ibi quærat, vel ut a causa ibidem cœpta desistat.

Item, qui pedagia, guipedagia, gabellas, dacias, ungelta, telonia, vectigalia, aut alias exactiones, a Clericis seu eorum bonis, quæ non negotiandi causa, sed pro eorum sustentatione & necessitate deferunt, exigunt, aut recipiunt exacta: etiam qui steuras, angarias, perangarias, aliasque exactiones, impositiones, servitia, hospitalitates coactas, aut alia onera per venatores, aut alios quoscunque, Ecclesiis, aut earum Rectoribus, personis & possessoribus bonorum & rerum earundem imponunt, ac dantes consilium vel favorem in præmissis. Quæ omnia, quantum Divinæ Legi, Sacrisque Canonibus, & Imperatorum legibus, ac libertati Ecclesiasticæ obvient, nemo sanæ mentis ignorat. Sancta enim Mater Ecclesia Catholica, Christi Sponsa illibata, non terrena, neque temporali substantia, sed pretiosissimo Sanguine Salvatoris nostri Domini Jesu Christi consecrata, ac super firmam petram in Apostolorum Principe, Beatissimo Petro fundata, extra quam nulla salus, nullaque peccatorum remissio existit, in suo primordio Divina & æterna Lege, rationabiliter Sancti Spiritus inspiratione suffulta, Ministros, ejus cul-

cultui, obſequiis & religionis cerimoniis deputatos, quo liberius & expeditius Deo ſervire poſſent, ab omnibus oneribus, muneribus publicis, exactionibus, contributionibus, ſubventionibus, talliis, daciis, gabellis, angariis, perangariis, & quibuscunque gravaminibus exemit, & liberatos eſſe decrevit, prout utriusque teſtamenti paginæ, Sanctorum Patrum ſtatuta, & Imperatorum Sanctiones, in utroque Jure clauſæ, continent: quæ etſi neminem latere debeant; ne tamen ex ignorantia contrafacientes erroris ſui velamen capiant, duximus aliqua ſaltem pro illorum informatione, ac præmiſſorum confirmatione, inſerenda. Quis namque ignorat, Sacerdotes & Miniſtros veteris teſtamenti (qui tamen ſub figura ſolummodo & umbra miniſtrabant) ab omnibus oneribus liberos fuiſſe? Nam cum tota terra Ægypti redacta fuiſſet in ſervitutem, & ſubjecta tributis; terra tamen & portio Sacerdotum ab omni tributo & exactione libera fuit. Quid vero ipſa gentilitas Sacerdotibus ſuis apud Ægyptum contulerit, nemo ignorat, quos ab omni tributo & exactione liberos eſſe voluit. Artaxerxes Rex, licet gentilis & infidelis eſſet, cum omni populo Judæorum, per Nabuchodonoſorem capto, multa tributa & vectigalia imponeret; Sacerdotes tamen & Levitas ab illis liberos eſſe voluit, & his verbis mandavit: Vobis, inquit, notum facimus de univerſis Sacerdotibus, Cantoribus, Levitis, Janitoribus, & Miniſtris domus Dei, ut vectigalia, tributum & annonas imponendi ſuper eos poteſtatem non habeatis. Timebat enim, ſi Sacerdotes & Miniſtros domus Dei gravaret; *ne* Deus Cœli contra regnum & filios Regis iraſceretur. Noluit etiam idem, quod Sacerdotes & Miniſtri domus Dei in ædificatione templi tributis onerarentur, ne ultio Divina in eum & filios ſæviret. Salomon Rex, omnium ſapientiſſimus, cum univerſum populum, qui remanſerat de Amorrheis, Etheis & Hiebuſeis tributarium feciſſet, filios tamen Iſrael noluit tributo ſubjacere. Denique Hiſtoria Machabæorum non prætereatur. Heliodorus, templi & Sacerdotum acerbiſſimus perſecutor, cum perturbaret Sacerdotes & Miniſtros templi; apparuit ei equus terribilis, habens ſeſſorem, & cum eo duo juvenes, ſplendido amictu, qui multis plagis afflictum Heliodorum, quaſi in exterminio palpitantem, compulerunt Regi Divina myſteria demonſtrare; at cum Rex alium mittere conaretur, dixiſſe fertur Heliodorus, ſi quem habes regni inſidiatorem, mitte, & flagellatum illum recipies. Nam qui habitat in Cœlis, viſitator & adjutor eſt loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit & perdit.

Balthaſar Rex Chaldæorum, qui templi Hieruſalem vaſa aurea & argentea in uſus profanos deputaverat, ultione Divina eadem nocte interfectus eſt, & regnum ejus ad Medos & Perſas translatum.

Pompejus, vir fortiſſimus, & in rebus bellicis fortunatiſſimus, poſtquam res templi Hieruſalem abſtulit, nihil proſpere poſtea geſſit, ſed infeliciſſime terra marique fugatus, ab Ægyptiis truncatus, turpiſſima morte obiit.

Quorum exempla Chriſtianiſſimi Romanorum Imperatores, orthodoxæ fidei cultores, rationabiliter attendentes, Eccleſias, & illarum Miniſtros non ſolum ab omnibus exactionibus, gravaminibus, & impoſitionibus liberos & immunes eſſe voluerunt, ſed etiam ſuis ſaluberrimis Conſtitutionibus & Legibus contrafacientes, eosdemque in perſonis & rebus ſuis gravantes, certis & gravibus pœnis ſubjacere decreverunt.

Conſtantinus enim Imperator Felici Epiſcopo ſcribens ſic ait: A Clericis tributorum injuria, & exactionis repellatur improbitas: contra quos omnis moleſtia conquieſcat, tantaque eis prærogativa libertatis ſuccurrat, ut Sacerdotum Miniſtri immunes ab oneribus præſerventur. Idem etiam Conſtantinus ita ſcribens: Imperator Conſtantinus Auguſtus, Eccleſiis ſalutem. Juxta Sanctionem, quam dudum meruiſtis, & vos, & mancipia veſtra nullus novis collationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis: præterea neque hoſpites ſuſcipietis. Subjunxitque: Gaudere & gloriari volumus ex fide, ſcientes magis religionibus, quam tributis & exactionibus, rempublicam conſervari.

Honorius & Theodosius Imperatores statuerunt, ne prædia usibus cœlestium secretorum dedicata, sordidorum munerum fece vexentur: nil extraordinarium abhinc, superindictumve flagitetur &c. si quis vero contravenerit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ contra sacrilegos jure promenda est, exilio perpetuæ deportationis subdatur.

Valentinianus & Marcus Imperatores voluerunt, privilegia, quæ per generales Constitutiones universis Sacrosanctis Ecclesiis Christiani Imperatores præstiterunt, firma & illibata in perpetuum custodiri: omnes quoque Constitutiones & Sanctiones, quæ contra Ecclesiasticos Canones interventu gratiæ, vel ambitionis sint elicitæ, robore & firmitate vacuas præceperunt.

Fridericus Secundus Imperator inter cæteras suas Constitutiones rationabiliter editas, voluit & decrevit, quod nulla communitas, vel persona publica, aut privata, collectas, exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiis, seu piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponat, aut Ecclesiastica bona invadere præsumat. Quod si fecerint, & requisiti ab Ecclesia vel Imperio, se emendare contempserint, triplum refundant: & nihilominus banno Imperiali subjaceant, quod bannum absque satisfactione nullatenus remittatur. Idem etiam Imperator Fridericus statuit, ut quæcunque communitas, vel privata persona per annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesiæ fractam perseveraverit; ipso jure Imperiali banno subjaceat, a quo nullatenus extrahatur, nisi prius absolutionis beneficio ab Ecclesia obtento. Nec omittendum, quod Carolus Quartus Imperator, cum ad ejus notitiam devenisset, quomodo personæ sæculares in officiis publicis constitutæ, posthabito Dei timore, statuta & iniquas ordinationes motu proprio & de facto contra Ecclesiasticas personas, & libertatem Ecclesiæ condiderunt; quibus etiam publice & de facto insistere præsumpserint contra legitimas Canonicas & Civiles Sanctiones: ut puta, quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur: item quod laici excommunicati, ac etiam publice denuntiati, in foro civili nullatenus repellantur: & quod Clerici, in sacris constituti ordinibus, ad agendum & testificandum in civilibus, & maxime piis causis non admittantur: item, quod præfati Domini temporales exactiones & tallias de bonis & reditibus Ecclesiarum extorserunt: possessiones Ecclesiæ, & personas earum incendiis & rapinis devastarunt: de bonis & rebus Clericorum, quas non causa negotiationis deferebant, telonia exegerunt, ac bona Clericorum occuparunt, & arrestarunt: oblationes fidelium diminuerunt, & restrinxerunt: contractus legitimos inter Clericos & laicos in libris (ubi inscribere consueverant) inscribere, & sigillare recusarunt: donata & legata ad fabricas Ecclesiarum & pia loca relicta, contra Prælatorum, & illorum, quorum intererat, voluntatem usurpare, ac ad Ecclesias & cœmiteria confugientes abinde extrahere præsumpserunt. Quæ omnia & singula cum inde secutis, tanquam per Canonicas & Civiles Constitutiones reprobata, in derogationem libertatis Ecclesiasticæ de facto præsumpta & attentata, præfatus Imperator Carolus ex certa scientia, maturo consilio Procerum Imperii accedente cassavit, irritavit, annullavit, & sicut de facto processerant, revocavit: præcipiendo desuper, & certos executores deputando, voluit præmissa, sic de facto præsumpta, etiam ordinationes & statuta, illorum occasione & prætextu edita, omnino revocari & tolli, quodque secundum illa nec sententias dictarent, nec illis quovis modo in judicio vel extra judicium uterentur. Adjecit etiam præfatus Imperator, quod quicunque laicus, cujuscunque status vel conditionis, sacrilego ausu & propria temeritate Sacerdotem, Clericum sæcularem, vel religiosum diffidaverit, captivaverit, proscripserit, spoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in carcere, vel alias contra suam voluntatem detinuerit: aut hujusmodi facinora perpetrantes scienter receptaverit, eisdem favorem vel auxilium præstiterit; præter pœnas a sacris Canonibus, & Imperatorum Constitutionibus eis inflictas, ille vel illi sint ipso facto infames, omni honore & dignitate privati, nec ad placita vel consilia nobilium admittendi. Præcepit denique idem Imperator, ut omnes Prælati Ecclesiastici

ſtici hanc ſuam Legem, & Imperialem Conſtitutionem in Synodis, & Eccleſiis ſuis faciant publicari, ac requiſiti ad pœnarum & ſententiarum executionem procedant, ne quisquam illorum ignorantiam allegare, & ejus prætextu audaciam ſuam excuſare poſſit: imo ultra præmiſſa pœnam quinquaginta marcarum auri puri irremiſſibiliter ſolvendam incurrat. Quas quidem rationabiles Conſtitutiones & Privilegia Divorum Romanorum Imperatorum Friderici Secundi, & Caroli Quarti, nec non Summorum Pontificum, ſuper Eccleſiaſtica libertate, & immunitate Eccleſiarum, Clericorum, & bonorum ipſorum editas bonæ memoriæ Bonifacius Octavus, & Joannes Viceſimus ſecundus, Summi Pontifices, nec non Martinus Quintus in Concilio Conſtantienſi, confirmarunt: præcipientes, omnia & ſingula in ipſis contenta ſub excommunicationis, & aliis pœnis firmiter obſervari, prout literæ & Bullæ deſuper emanatæ plenius continere videntur. Et poſtremo Sereniſſimus Sigismundus, Romanorum Imperator, dicti Caroli Imperatoris, Genitoris ſui, & Prædeceſſorum ſuorum, veſtigiis & ſtatutis rationabiliter editis inhærendo, omnia & ſingula præmiſſa ſtatuta & ordinata, Imperiali auctoritate, ex certa ſcientia, motu proprio, & deliberato conſenſu, confirmavit, approbavit, & innovavit, ac prætactas ac infraſcriptas leges, ordinationes, privilegia ad omnes & ſingulas Eccleſias, & Monaſteria quæcunque, cujuscunque nationis, ſimiliter ad quoscunque Prælatos, Eccleſiaſticasque perſonas, pro uberiori ipſorum tuitione, ac ad omne ambiguitatis dubium tollendum, de ſpecialis munificentiæ dono extendere voluit & extendit, ac ſub banni, & aliis ſupra & infraſcriptis pœnis firmiter præcepit obſervari; adjiciendo hoc ſalubre & rationabile ſtatutum perpetuo valiturum, ut nullus Judex ſæcularis in cauſis Eccleſiaſticis, præſertim Matrimonii, legitimationis, uſurarum, teſtamentorum infra annum non executorum, ad judicium Eccleſiaſticum legitime devolutorum, decimarum, fructuum, redituum, proventuum & obventionum Eccleſiaſticarum perſonarum, ac locationum, & conductionum, ſeu conductorum earundem poſſit vel valeat judicare, aut quomodolibet de his, ſeu eorum articulis cognoſcere, niſi quatenus ab Eccleſiaſticis Judicibus fuerit requiſitus: & ſi contrarium fecerit, judicatum non teneret, Judexque judicandi poteſtate eſſet eo ipſo privatus, nihilominus pœnis ſubjaceret infraſcriptis, actor quoque ipſo facto caderet a jure ſuo: Et quicunque Princeps, Dux, Comes, Conſul, Rector, vel alius in officio publico conſtitutus, contrarium faciens, Imperiali banno ſubjaceret, & XL. marcas auri puri, quarum medietas Fiſco Imperiali, altera injuriam paſſo cederet, perſolvere cum effectu teneretur. Idem quoque Sereniſſimus Imperator Sigismundus voluit & decrevit, ne aliqua dictarum perſonarum Prælatos, Presbyteros, Clericos, aut alias Eccleſiaſticas perſonas prohibeat, impediat, vel *impediri* faciat per ſe, vel alios, directe vel indirecte, quominus vina, grana, res & bona, de ſuis reditibus Eccleſiaſticis provenientia, libere, & ſine ſolutione & exactione telonii, ſeu gabellarum ducere & vendere poſſint: vel quominus res, bona, vinum, cereviſiam, carnes, grana, aut alia quæcunque, eorum uſui & ſuſtentationi convenientia, per quævis loca, civitates, terras, caſtra & aquas, vectigio vel navigio, absque omni exactione duci, vehi, portari, & ferri valeant & poſſint: & quominus res, & bona mobilia & immobilia ex Prælatorum, & Eccleſiaſticarum perſonarum obitu in teſtamentis ipſorum relicta, legata, donata, vel ab inteſtato devoluta ad manus illorum, ad quos de jure ſpectant, libere, & ſine impedimentis, intruſionibus, intromiſſionibus, exactionibus, occupationibus præſertim laicorum perveniant, vel valeant pervenire: ac quominus coloni & ſubditi Eccleſiaſticarum perſonarum, ſine violentis hoſpitalitatibus, etiam venationum occaſione, ac vectigalibus, ſervitiis, & exactionibus (quas ipſi exactores petitiones vocant) a petitionibus hujusmodi absque damno in pace dimittantur: nec non quominus Prælati & Judices Eccleſiaſtici eorum jurisdictioni ſubjectos pro ſuorum exceſſuum demeritis capi & incarcerari, captos duci per quævis loca & civitates, ac alia debita correctione puniri facere valeant, quo-

quomodo & qualitercunque, publice vel occulte, per se vel alios, impedire, vel facere impediri præsumant vel permittant, prout hæc omnia ad longum & clarius in præfati Imperatoris literis plenius continentur.

Hæc omnia ad Sacerdotum & subditorum nostrorum notitiam & memoriam reducimus, præsentique statuto innovamus, recipimus & confirmamus. Vos denique, Ecclesiarum Rectores, Vicarii, & ipsorum loca tenentes, ac præsertim, quibus animarum cura committitur, in audiendis confessionibus de præmissis, ubi secundum facti qualitatem majus periculum imminere videritis, cautius inquiratis, & confitentibus ipsis conscientiam faciatis, & in ambonibus Ecclesiarum vestrarum, ut ab hujusmodi illicitis & prohibitis abstineant, diligenter moneatis: laicos ipsos de pœnis contra violatores Ecclesiasticæ libertatis, præsertim, qui in subversionem ejusdem statuta, ordinationes & decreta fecerint, dictaverint, promulgaverint, scripserint, publicaverint, & secundum ea judicare præsumpserint; nisi ea de libris & capitulis, in quibus scripta sunt, deleri fecerint infra duos menses, *quod* excommunicationis sententiam incurrant, discrete informetis & charitative inducatis, ut pœnas in prædictis constitutionibus contentas noverint evitare.

Attendant præterea diligenter Sacerdotes, ne in casu eis non permisso, sed Nobis aut Superioribus nostris reservato, clave errante absolvant: ne, ubi solvere prætendunt, animas illaqueari contingat. Quare noverint etiam universi, quod quicunque contra prohibitiones & censuras Papales in die sancto Cœnæ Domini per Summum Pontificem promulgatas, Ecclesiasticam libertatem violaverit, ac contra easdem fecerit, ad Sedem Apostolicam, & non ad Episcopalem authoritatem, mittendus erit. Insuper ut detestabilis malignorum audacia & insolentium nefaria temeritas propulsetur, præsenti statuto declaramus, quoslibet captivatores Clericorum excommunicationis sententiam incurrere ipso facto: statuentes, quod si in locis alicujus Decanatus quempiam Clericum sacros ordines habentem, & pro Clerico se gerentem, temere captivari, aut captivum detineri constiterit; ipso facto in eodem loco cessetur a Divinis: recurrendo propter hoc ad arma spiritualia, defendentes Nos spirituali mucrone; ut sic laici contra malefactores hujusmodi ex Divinorum carentia provocati, assurgant ad liberationem illius, qui ausu sacrilego detinetur, auxilium præstaturi. Si vero Judex laicus Clericum criminosum capi mandaverit, hoc eidem non liceat absque speciali nostra licentia, præsertim si talis Clericus non sit de fuga suspectus: si autem Clericum in crimine flagranti deprehensum & fugitivum detineri mandaverit, adeo, quod periculum sit in mora, & si talis fugeret, crimen remaneret impunitum; hoc eidem absque metu excommunicationis licere declaramus, dummodo crimen tale sit, propter quod merito debeat carceribus mancipari, & Nobis eundem absque alia cognitione & in continenti præsentet.

De Sponsalibus & Matrimoniis.

Matrimonia clandestine contrahi sub pœna excommunicationis prohibemus, & ne Clerici Nobis subjecti taliter contractis intersint, aut quovis modo authorisent: statuentes, ut dum aliqui matrimonium contrahere velint, hoc prius Plebano suo insinuare procurent, idemque Plebanus in Ecclesia sua infra Missarum solennia Dominica, vel alia Festiva die publicationem, aut proclamationem faciat, nominando personas contrahere volentes, admoneatque Parochianos, ut si quis consanguinitatis, affinitatis, compaternitatis, vel aliud Canonicum impedimentum inter contrahentes sciat: vel si aliquis duxisset eam, quam polluit per adulterium, illud infra octo dierum terminum ad audientiam suam deferat: & si Plebanus impedimentum aliquod subesse cognoverit, vel de impedimento hujusmodi dubitaverit, matrimonium hujusmodi nullatenus solennisset, & contrahentes ipsos ad audientiam Officialis Capituli nostri remittat. Quod si quis Sacerdotum matrimonium, non præmissa proclamatione publica, & termino octo dierum non elapso (veluti superius exprimitur) solennisare, aut matrimoniis clandestinis interesse præsumpserit; per triennium ab officio sit ipso

ipſo facto ſuſpenſus, niſi a Nobis meruerit veniam obtinere: ſalva nihilominus conſuetudine quarundem Eccleſiarum, in quibus trinæ proclamationes fieri conſueverunt. Inhibemus præterea, & ſub excommunicationis pœna interdicimus tam Clericis, quam laicis noſtræ jurisdictioni ſubjectis, ne quisquam contra dictum Salvatoris, Sacrosque Canones, de cauſis matrimonialibus, ac eisdem annexis, ſeu acceſſoriis, cognoſere, concordare, tranſigere, ſeu definire qualitercunque præſumat; cum hujusmodi cauſæ tantum apud Religioſorum Epiſcoporum conſilium de jure examinari debeant. Præcipimus itaque eisdem in virtute ſanctæ obedientiæ, quod poſtquam ipſis conſtiterit pro certo, vel probabili fama, aliquos contraxiſſe clandeſtine, ſeu aliquod impedimentum Canonicum inter eosdem exiſtere; ipſos ſtatim ad publicandum in facie Eccleſiæ, aut jura ſua proſequendum coram Eccleſiaſtico Judice, per ſubtractionem Sacramentorum (extra tamen neceſſitatis articulum) cogere non poſtponant, ſed cauſas easdem ad Judicem Ordinarium Capituli noſtri (ad quem cauſarum matrimonialium per Diœceſim noſtram cognitio ſpectare dignoſcitur) remittant.

Inſuper cum hi, qui Divino timore poſtpoſito ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis Spiritualis, Canonica inſtitutione interdictis, aut cum Monialibus matrimonium contrahere non verentur: ſimiliter Religioſi, ac Moniales & Clerici, in majoribus ordinibus conſtituti, matrimonia contrahentes ſint ipſo facto excommunicationis ſententia innodati; Quocirca Prælatis, Eccleſiarumque Rectoribus committimus & mandamus, quatenus illos, quos conſtiterit taliter contraxiſſe, coram ſubditis ſuis excommunicatos curent publice nunciare tam diu, donec ſuum recognoſcentes errorem, abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Cum Decreta Sanctorum Patrum omnem ſolennitatem & pompam nuptialem certis temporibus anni penitus prohibeant; eapropter univerſis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, diſtricte inhibemus, ne deinceps temporibus a jure vel conſuetudine prohibitis matrimonia nubentium ſolenniter intronizare præſumant: propterea tamen non improbamus, ſi matrimonia etiam eisdem temporibus ſine alia celebritate per verba de præſenti, abſque traductione ad domum & carnis commixtione, etiam in facie Eccleſiæ contrahantur. Tempora autem prohibita ſunt hæc, videlicet: a prima Dominica Adventus Domini uſque ad octavas Epiphaniæ incluſive: item in Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ ſimiliter incluſive: in hebdomada Litaniæ majoris, in qua celebratur Feſtum Sancti Marci, nec non a Dominica, qua cantatur: *Vocem jucunditatis*, quæ proxima eſt ante Feſtum Aſcenſionis Domini, & Rogationum usque ad octavas Corporis Chriſti etiam incluſive.

De Cognatione Spirituali.

Cum in jure inter perſonam Baptizatam ac illum, qui eam ſuſcepit, ac inter eandem Baptizatam perſonam & ſuſcipientis filios & uxorem ante ſuſceptionem hujusmodi carnaliter cognitam, nec non inter ſuſcipientem, patremque Baptizati & matrem, cognatio ſpiritualis contrahatur, quæ cognatio matrimonium impedit contrahendum, & dirimit poſt contractum: hæc quoque jam dicta de ſuſcipiente, ſunt etiam de Baptizante cenſenda: præterea quia ex confirmatione, ſeu frontis chrismatione, ſpiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, matrimonium ſimiliter impediens contrahendum, & dirimens poſt contractum; idcirco præſentis ſtatuti, & dicti juris authoritate, hujusmodi ſpirituales cognatos matrimonium invicem contrahere ſub pœna excommunicationis inhibemus.

De Simonia.

Quoniam inter Eccleſiaſtica crimina Simoniaca pravitas primum locum obtinet: qui enim Simoniaci ſunt, Spiritus Sancti gratiam habere non poſſunt, nam dona Sancti Spiritus (*) comparari, quid aliud eſt, quam capitale crimen, quod deteſtabiliter in utroque teſtamento multorum exemplis vindicatum eſt? Giezi enim gratiam ſanitatis Naaman Syro vendidit; eandem gratiam Elizæo vindicante, leproſus factus eſt. Judas Redemp-

(*) *ſupple:* pretio temporali.

demptorem noſtrum vendidit, mox laqueo ſuſpenſus. Dominus etiam ementes & vendentes in templo flagellans, ejecit. Quapropter nos volentes eandem hæreſim extirpare, ſcripto præſenti excommunicamus omnes & ſingulos vendentes Eccleſiaſtica Sacramenta, videlicet Baptismum, Euchariſtiam, Unctionem extremam, Pœnitentiam, & alia Sacramenta: item Eccleſiaſticam Sepulturam, vel Beneficium Eccleſiaſticum: illos ſententia noſtra complectentes, qui aliquod prædictorum negligunt, vel differunt impendere, quousque pecunia, vel æquivalens pecuniæ detur, aut promittatur. Gratis enim, & absque omni pacto, dona & Sacramenta prædicta debent exhiberi, nec prætextu alicujus longævæ conſuetudinis, ſeu potius corruptelæ, antequam impendatur, aliquid exigi permittimus, vel paciſci; licet eis exhibitis volumus (prout de jure cautum eſt) conſuetudines antiquas obſervari.

Conſtititutio Pauli Veneti Papæ II.

Cum deteſtabile ſcelus Simoniacæ pravitatis tam Divinorum, quam Sacrorum Canonum authoritas abhorreat atque damnet, Nos, conſiderantes, quod plures pœnarum gravitas, quam DEI timor arcere ſolet a voluntate peccandi, ac ſummis deſideriis affectantes, ut hoc peſtiferum vitium non ex uſu ſolum, ſed etiam ex mentibus hominum, ſaltem propter pœnarum metum, penitus evellatur; Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, ac etiam omnes & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, privationis, interdicti ſententias, cenſuras & pœnas, dudum a Romanis Pontificibus prædictis, & pro talibus habitis, contra Simoniacos quomodolibet latas, & illos, qui cujuscunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis vel præeminentiæ fuerint, etiamſi Cardinalatus, Patriarchali, Epiſcopali, Regali, Reginali, vel alia quavis Eccleſiaſtica, ſeu mundana dignitatibus præfulgeant, & eorum quemlibet, tam manifeſtum, quam occultum, ipſo facto incurrere volumus, confirmantes, & innovantes, Apoſtolica authoritate declaramus, quod omnes illi, qui Simoniace ordinati fuerint, a ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi: per electiones vero, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, ſeu quasvis alias diſpoſitiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant, in Eccleſiis, Monaſteriis, dignitatibus, Perſonatibus, Officiis Eccleſiaſticis, & quibusvis Beneficiis, aut aliquo eorum, cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquos fructus ſuos: ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem, ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus. Statuentes prætera, quod univerſi & ſinguli, etiam præmiſſis dignitatibus præditi, qui quomodolibet dando, vel recipiendo, Simoniam commiſerint, aut quod illa fiat, mediatores fuerint, ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrant, a qua niſi a Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo conſtituti. Et ut hujusmodi labis contagio frequentius reprimatur, omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis, ſæcularibusque perſonis, cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius injungimus, ut eos omnes, quos Simoniam hujusmodi commiſiſſe, vel procuraſſe, aut in ea mediatores eſſe, ſciverint; Pontifici prædicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, per ſe vel alios revelare quantocius non omittant: pro revelatione hujusmodi, etiam ſi complices fuerint, non ſolum veniam a Nobis, ſed etiam gratiam conſecuturi, ſi eorum indicio participes tanti criminis valeant coerceri: quod ſi non fecerint, abſolvi non valeant, donec prædicta revelent, & complices hujusmodi detecti arctius punientur. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIV. IX. Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

De Magiſtris.

Experientia docti novimus, quod quidam religioſi & ſæculares Presbyteri verbum Dei ſeminantes, interdum rancore moti, contra ſe invicem prædicare non verentur in populi ſcandalum & pernicioſum exemplum. Nos igitur con-

considerantes, quod ficut ex indiſcreto ſilentio ſæpius error poſt ſe relinquitur, ita etiam incauta locutio errorem plerumque inducit; idcirco præſenti Statuto inhibemus, ne quis prædicantium in Monaſteriis & Eccleſiis noſtræ Diœceſis, ſive ſit ſæcularis, ſive religioſus, de cætero contra alium quidquam in cancellis ſcandaloſum, aut irritans prædicet: quin potius taliter læſus ad Nos referat, ne ex hujusmodi contentione publica ſcandala in populo, & pericula conſurgant animarum: ſecus facientes pœnam gravem & condignam non evadent.

De Judæis.

Ne Judæi de cætero in civitate Ratisbonenſi, & Diœceſi noſtra nutrices ſeu ſervientes habeant Chriſtianas, diſtrictius inhibemus: valde enim eſt indignum, quod filii liberi filiis famulentur ancillæ; omnibus propterea Judæis ſervientibus, ſeu nutricibus præcipientes, quatenùs infra novem dierum ſpatium poſt publicationem præſentium a ſervitiis hujusmodi recedant; alioquin Sacramenta Eccleſiaſtica eisdem denegamus, ad alias etiam pœnas Canonicas contra eos proceſſuri.

Judæos ad remittendas Chriſtianis uſuras per Principes & Poteſtates compelli præcipimus ſæculares: & quia in hoc Judæi etiam Deum offendunt, donec eis remiſerint; ab univerſis Chriſti fidelibus tam in mercimoniis, quam in aliis, jubemus eis communionem omnimodam denegari.

De Hæreticis & Sortilegis.

Deteſtamur ſectas univerſas, a vero judicio Catholicæ religionis alienas, quibuscunque etiam nominibus cenſeantur, omnesque vanas & ſuperſtitioſas obſervantias, Divinationes videlicet, & ſortilegia, artesque maleficas Phitoniſſarum, quibus nefarias preces emittunt circa aras idolorum, dæmonesque conſulunt, & eorum reſponſa ſuſcipiunt: unde homines decepti, putant bona provenire, & mala poſſe evitari. Quod quidem peſtiferum genus eradicare cupientes, ſtatuimus, ut deinceps quicunque Presbyter, vel Clericus, talem recipiat cujuscunque conditionis hominem, Clericum, ſive laicum, prædictis erroribus involutum, aut præmiſſis incantationibus, vel ſuperſtitionibus dæmoniacis qualitercunque utentem, in foro pœnitentiali, ad Nos, vel Vicarium, ſeu Commiſſarium noſtrum remittat abſolvendum.

Publice vero hujusmodi criminibus irretitos, niſi infra novem dierum ſpatium (quem terminum eis pro Canonica admonitione aſſignamus) poſtquam per eorum Curatos requiſiti fuerint, errores prædictos abjuraverint, ipſo facto in his ſcriptis excommunicamus, mandantes eosdem, ſic requiſitos, lapſo termino hujusmodi, publice excommunicatos denuntiari.

De Apoſtatis.

Apoſtatam, habitu ſuo dimiſſo vagantem, cum ipſo facto a jure excommunicatus habeatur, nullus admittat quomodolibet ad Divina, ſed tanquam excommunicatus vitetur, & mandetur ab aliis diſtrictius evitari, ac Nobis, ſi commode fieri poterit, præſentetur debita pœna puniendus. Apoſtata vero dicitur ille, qui temerarie recedit a ſtatu fidei, obedientiæ, vel religionis, quam quis profeſſus eſt, ſe tenere.

De Adulteriis.

Quædam perſonæ (relicto legitimo thoro) non verentur una domo in adulterinis amplexibus manifeſte cohabitare in ſcandalum plurimorum: quorum ſaluti providere volentes, omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, Plebanis, & Curatis noſtræ Diœceſis, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus; quatenus omnes & ſingulos, qui in adulterinis amplexibus inſimul reſidere non verentur, ſingulis menſibus admoneant, requirant, & exhortentur, ut infra quindecim dies ab invicem diſcedant: & ſi requiſitioni hujusmodi obedire contempſerint, & poſt dictos quindecim dies (quod abſit) ſimul cohabitaverint, tales in eorum vita ab Eccleſiaſticis ſuſpendantur Sacramentis, & poſt mortem, niſi pœnitentiam egerint, Eccleſiaſtica careant ſepultura. Ipſi vero Rectores Eccleſiarum, qui tales monere omiſerint, a Nobis, ſeu Vicario noſtro, exſpectare ſe non dubitent ultio-

ultionem, quibus etiam ſub ſimili comminatione injungimus, quatenus eorundem rebellium nomina infra alios quindecim dies Nobis, vel Vicario noſtro denuntient, ut contra eosdem ad ulteriora procedere valeamus.

De Raptoribus.

Spoliatores Eccleſiarum, vel ſtratarum, vel raptores, qui tranſeuntes in Diœceſi noſtra per vias & ſtratas publicas: quique viduas, pupillos, ſcholares, vel Clericos, ad ſtudium, vel Romanam Curiam proficiſcentes, vel etiam alias perſonas, eorum bonis vi ſpoliant, ac eorum violentia perturbationes deſiderandæ pacis inducunt, volentes præter pœnas, quas eis jura imponunt, ſeveriori pœna coercere, ſtatuimus, ut tam ipſi, quam receptantes eos ſcienter, & dantes eis conſilium, auxilium, vel favorem, niſi infra tres dies poſt commiſſam rapinam ad cor reverſi, res ablatas curaverint reſtituere ſpoliatis; ſint ipſo facto in vita ab ingreſſu Eccleſiæ, & perceptione Sacramentorum ſuſpenſi, & mortui Eccleſiaſtica careant ſepultura.

De Uſuris.

Uſuræ pravitatem a noſtris ſubditis extirpare volentes, univerſis & ſingulis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, Divinorumque cooperatoribus quibuscunque, diſtrictius inhibemus, ne manifeſtos uſurarios ad Communionem Altaris admittant, nec oblationes eorum accipiant, neque etiam Eccleſiaſticæ, ſi in hujusmodi peccato deceſſerint, eorundem corpora tradantur ſepulturæ. Mandamus inſuper, quod nullus Sacerdos ſæcularis vel religioſus, cujuscunque fuerit conditionis, vel ſtatus, manifeſtos uſurarios, vel ſaltem publice diffamatos, audeat qualitercunque abſolvere; ſed ipſos ad Nos, ſeu noſtrum in Spiritualibus Vicarium pro abſolutione obtinenda remittat: non obſtante, ſi ipſis, vel alicui ex eis, forſan per Nos, aut Vicarium noſtrum, generaliter, vel ſpecialiter ſit indultum, quod etiam in caſibus Nobis reſervatis beneficium abſolutionis valeant obtinere. Inhibemus inſuper univerſis & ſingulis Judicibus tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, ne querimoniam, ſeu petitionem in judicio ſuper quacunque uſura ab aliquo publico uſurario qualitercunque admittant, vel recipiant, nec ſententiam aliquam ſuper hoc proferant, aut executionem faciant; ſed potius hujusmodi cauſas repellant, annullent, & rejiciant. Et quia non ſolum laici, verum etiam Clerici, per quos nomen Domini blasphematur, uſuram exercere etiam publice non verentur; quapropter, ut tam deteſtabile vitium, & Clericali ordini inimicum, per Nos valeat amplius extirpari, univerſos & ſingulos, in Clero conſtitutos, uſuram publice exercentes, peremptorie requirimus & monemus, ut infra unius menſis ſpatium a publicatione præſentium omnibus & ſingulis ipſorum debitoribus de uſuris extortis & receptis ſatisfaciant cum effectu, & deinceps a deteſtandis uſurarum lucris deſiſtant; alioquin ipſos, & ipſorum quemlibet, ex nunc ab officio & beneficio ſuſpendimus ipſo facto, laicos vero excommunicationis vinculo innodamus.

De Clerico percuſſore.

Cum in Concilio Agathenſi ſcriptum ſit, ſi quis in aliquo gradu ſacro percusſor extiterit, corripiatur a crimine; quapropter hac noſtra Conſtitutione mandamus, quatenus Clerici noſtræ Diœceſis diſcrete ac virtuoſe, pacifice & amice ſine offenſione alicujus vivere, ſeque ab omnibus verbis probroſis, rixoſis, contumelioſisque, & factis illicitis, abſtinere ſtudeant: & ſicut ipſos Clericos offendere, vel lædere, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna non licet; ſic ipſi Clerici alius alterum, neque etiam laicum temere offendere, ſeu lædere, ſub excommunicationis pœna non debent. Si quis vero in præmiſſis fecerit contrarium, ultra ſententiam prædictam, etiam juxta exceſſus qualitatem, ulteriores pœnas non evadet.

De maledicis & blasphemis.

Statuimus, ut ſi quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum ſuorum, & maxime Beatam Virginem linguam in blasphemiam publice relaxare præſumpſerit, ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum, remittatur ad recipiendam pro tali crimine pœnitentiam Canonicam & publicam.

Nos

Nos enim ſpecialiter hunc caſum propter ipſius atrocitatem Nobis reſervamus; non obſtante, ſi religioſis, vel curatis Sacerdotibus, ſeu quibusvis aliis, per Nos, aut Vicarium noſtrum, generaliter vel ſpecialiter ſit indultum, quod etiam in caſibus Nobis reſervatis, beneficium abſolutionis valeant impendere. Hortamur inſuper temporalem poteſtatem, quatenus coactione & manu ſua hujusmodi publicos blasphemos ſeverioribus pœnis corrigant, nullam in hoc miſericordiam habituri. Super hoc volumus etiam, quod Plebani in prædicationibus ſuis Judices ſæculares frequentius & conſtanter requirant.

De Clerico excommunicato miniſtrante.

Quia nonnulli Presbyteri errant, credentes, quod licet quis ſit excommunicatus a jure, vel ab homine, ſi denunciatus non ſit, non egeat abſolutione, & ſic celebrant, credentes ſe non eſſe ligatos; ſed quoniam ſententia excommunicationis, poſtquam a Judice, vel a jure, lata eſt, ſtatim in dorſo paratam habet excommunicationem; adeo quod taliter excommunicati etiam ante denuntiationem tenentur quoad ſe abſtinere a Divinis: Decernimus itaque, eosdem transgreſſores neceſſario fore abſolvendos, dummodo ſatisfecerint, & Eccleſiæ mandatis paruerint: &, ſi, ut præfertur, ſe Divinis ingeſſerint, tumque irregulares, ad Sedem Apoſtolicam remittendos.

De Privilegiis.

Quia nonnulli Quæſtores, Eleemoſynarumque collectores privilegiis ſuis abutentes (ſicut ad audientiam noſtram eſt perlatum) non ſine temeritatis audacia & deceptione multiplici animarum, varias indiſcretas & ſuperfluas indulgentias populo motu ſuo proprio de facto publicant & concedunt, ſuper votis diſpenſant, a perjuriis, homicidiis & peccatis aliis ſibi confitentes abſolvunt, male ablata, & incerta bona (data ſibi aliqua pecuniæ quantitate) remittunt: animas tres, vel plures, parentum, vel amicorum illorum, qui Eleemoſynas eis conferunt, de purgatorio (ut aſſerunt) mendaciter extrahunt, & benefactoribus locorum, quorum quæſtores exiſtunt, remiſſionem plenariam peccatorum indulgent, & aliqui ex ipſis eos a pœna & a culpa abſolvunt; Nos vero cupientes hujusmodi abuſiones penitus aboleri ſub excommunicationis pœna inhibemus Parochialium Eccleſiarum, & quorumcunque Divinorum Rectoribus, ne Quæſtores, ſeu collectores quoscunque absque licentia ſpeciali, & literis noſtris, ſeu Vicarii noſtri, ac illis viſis, ad proſecutionem negotiorum ſuorum in Eccleſiis eorum admittant, ſeu promoveant, nec ad prædicandum eosdem Quæſtores admittant; ſed per Sacerdotes Eccleſiarum & locorum, in quibus requirunt ſubſidium, hoc duntaxat, quod in literis noſtris viderint, & cognoverint contineri, publicetur: nec etiam eosdem Quæſtores cum novis & ſingularibus actibus ſupra enarratis admittant, niſi præmiſſa in noſtris literis caveantur, ac mentio & licentia de eis expreſſe factæ exiſtant. Quæſtores vero, qui in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum deliquerint, vel alias quibuscunque ſuis privilegiis abuſi fuerint, ſententiam excommunicationis incurrere volumus ipſo facto, quam etiam (ſex dierum Canonica monitione prævia) in rebelles ferimus in his ſcriptis, nullo prorſus eisdem Quæſtoribus in hac parte privilegio ſuffragante; quatenus a ſuis temerariis auſibus, qui, ut communis habet aſſertio, nimium excreverunt, pœnæ formidine propenſius compeſcantur. Inhibemus etiam, ne de cætero aliqua religioſa ſæcularisve perſona, cujuscunque etiam ſtatus, honoris ſeu dignitatis exiſtat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ (quam ſimiliter in contravenientes, ſex dierum monitione prævia, ferimus in his ſcriptis) ſe de diſpenſatione, abſolutione, cura animarum, vel alio quovis actu, ad Nos ratione dignitatis Pontificalis, vel jurisdictionis, de jure vel conſuetudine pertinente, aliqualiter intromittat, etiam quorumcunque privilegiorum intuitu; niſi eadem privilegia ſint prius per Nos viſa & approbata. Quoniam vero nonnulli Religioſi noſtræ Diœceſis, prætextu quorundam præſumptorum privilegiorum, Clericis & laicis Sacramenta Eccleſiaſtica conferunt, & in caſibus, Sedi Apoſtolicæ ac Nobis ſpecialiter reſervatis, indiſtincte

ſtinƈte diſpenſant, inſuper in caſibus præfatis, nec non excommunicationis, a Canone, & a ſententiis per ſtatuta Provincialia & Synodalia promulgatis, ſeu, ut verbis ipſorum utamur, a pœna & a culpa abſolvere quoscunque præſumunt: qua de re abſque dubio ſententiam excommunicationis ipſo facto, & de jure incurrunt, a qua niſi per Sedem Apoſtolicam duntaxat abſolvi non poſſunt; quocirca vobis omnibus & ſingulis Parochialium Rectoribus in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenus publice in ambonibus Eccleſiarum omnes & ſingulos Parochianos veſtros admoneatis, ut ad confeſſores dictorum locorum propter caſus præfatos nequaquam accedant; alioquin noverint, ſe non fore abſolutos, & nihilominus transgreſſores præſentis noſtræ prohibitionis a communione ſacra authoritate noſtra prohibere non omittatis:

Certificantes eosdem Religioſos, etiam exemptos, quod, poſtquam in futurum de transgreſſione ipſorum circa præmiſſa latius conſtiterit, faciemus eosdem tanquam excommunicatos publice nuntiari; donec de abſolutione ipſorum Nobis fuerit facta fides, nullo eisdem ſuper hoc exemptionis, vel alio privilegio ſuffragante, volentes præſens mandatum noſtrum tam diu obſervari, quousque de authoritate ipſorum & privilegiis fuerimus ſufficienter certificati.

De Pœnitentiis & Remiſſionibus.

Cum ſit ars artium regimen animarum, quod in audiendis confeſſionibus, & caſibus conſcientiæ decidendis potiſſimum conſiſtit: quare Sacerdotes, quibus animarum cura commiſſa exiſtit, diligentiam obſervent, ut a confitente peccata uſitata & communia ſingulatim, inuſitata vero per quasdam circumſtantias caute perquirant; ne inexpertis detur materia, quod antea neſcierunt, perpetrandi. In communiori quoque Eccleſiæ loco & ſuſpicione carente ſedeant Sacerdotes, cum confeſſiones audiunt: & in ſpiritu lenitatis inſtruant pœnitentem, ut de peccatis, quibus Deum offendit, contritionem habeat, & propoſitum de cætero abſtinendi. Caveant autem omnino Sacerdotes, ne verbo vel ſigno prodant peccatorem, &, ſi prudentiori conſilio indiguerint, illud abſque ulla expreſſione, vel nota perſonæ confitentis, caute perquirant: nam eum, qui ex confeſſione peccatum revelare præſumpſerit, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum fore decernimus: & propterea volumus, ſingulisque Eccleſiarum Rectoribus mandamus, quatenus in caſibus dubitabilibus, præcipue periculum, vel ſalutem animarum concernentibus, ad ſuperiores recurrant confidenter, vel ſaltem peritiores ſtudeant ſuper his diligenter interrogare, & ſingulariter caveant, ne aliquando clave errante procedant, abſolvendo quenquam a peccatis conſcientiæ, qui ſit a Canone, Conſtitutione, Statuto, vel ab homine excommunicatus, antequam a ſententia excommunicationis hujusmodi fuerit per Superiorem abſolutus, & Sacramentis Eccleſiæ reſtitutus. Hanc vero tenere debent Sacerdotes abſolutionis formam in foro pœnitentiæ, tanquam ſubſtantialem, videlicet: præmiſſa oratione deprecatoria: *Miſereatur tui &c. Dominus noſter JESUS CHRISTUS dignetur te abſolvere: & auctoritate, qua fungor, ego abſolvo te a vinculo excommunicationis, ſi incidiſti, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ. Inſuper ego abſolvo te a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

De modis autem injungendi pœnitentias, qui licet in antiquis Canonibus deſcripti ſunt, prout infra latius annotabimus; quia tamen hodie omnes pœnitentiæ ſunt arbitrariæ, & reſident in judicio diſcreti Sacerdotis, de eis non poteſt tradi certa doctrina. Nam in ſingulis caſibus conſiderandæ ſunt qualitas & quantitas criminis, in loco, tempore, perſeverantia, varietate perſonæ, ſtatu, ordine, & ſexu: & quali peccator peccaverit tentatione, & ipſius vitii multiplicatione, & alia multa, quæ ipſe diſcretus Sacerdos noverit attendenda: unde curare debent ſinguli Sacerdotes, ut habeant Summulas & tractatus, de hujusmodi materiis ab autenticis authoribus compilatos, in quibus ſe exercitent, & habilitent. Et licet in privata pœnitentia pro occultis delictis regularem pœni-

pœnitentiam imponere, & de omnibus criminibus occultis cognoscere possint; nisi quibus Canon, Constitutio, vel Judex sententiam excommunicationis ipso facto imponit; sunt tamen certi casus, de quibus cognoscere non possunt præter casum necessitatis. Propterea specialiter inhibemus, ne aliquis Sacerdos in casibus Sedi Apostolicæ reservatis quempiam præsumat absolvere: & ne quis possit de his ignorantiam allegare, hujusmodi casus hic duximus annotandos.

Casus Papales.

Primus casus Papalis est in illo, qui percutit enormiter Clericum. *XVII. Q. IV. C. Si quis suadente.* Si autem est levis percussio, Episcopus absolvit. *C. Pervenit. De sent. excomm.*

Secundus est in illo, qui comburit Ecclesias, vel eas infringit, spoliando: qui postquam denuntiatus est, pro absolutione ad Papam remittitur. *C. Conquesti. De sent. excom.* Idem etiam est de quocunque alio incendiario, si forte excommunicetur, & publicetur. *C. Tua. De sent. excom.*

Tertius est in illo, qui falsificat literas Domini nostri Papæ, vel falsis scienter utitur. *C. Dura. C. Ad falsariorum. De crim. falsi.*

Quartus est in illo, qui est excommunicatus a delegato Papæ, qui non potest absolvi per aliquem, nisi per Summum Pontificem, aut ejus Legatum.

Quintus: qui participat excommunicato a Papa, quia non potest absolvi, nisi per Papam: quod tamen intelligitur de participante in crimine, propter quod talis fuit excommunicatus, seu Clerico participante in Divinis officiis. *C. Nuper. C. Significavit. De sent. excomm.*

Sextus est in illo, qui participat ei, qui excommunicatus est cum participantibus, quoniam talis ab illo debet absolvi, qui sententiam tulit. *C. Quod in dubiis. De sent. exc. in fin.*

Septimus est in Clerico, qui secundas nuptias benedixit. *C. I. De secund. nupt.* Sed de isto casu, an sit Papalis, vel Episcopalis, vide *per Abb. in dicto C. I.*

Octavus est in persecutoribus Cardinalium, qui varias pœnas incurrunt. *C. Felicis. De Pœn. Lib. VI.*

Nonus: qui dat licentiam gravand eos, qui tulerunt sententiam excommu nicationis, suspensionis, vel interdicti in suis personis, vel bonis; si in eadem sententia per duos menses permanserint. *C. Quicunque. De sent. exc. Lib. VI.*

Decimus est in eo, qui corpus defuncti incendit, vel decoquit, pro ossibus deferendis. *In extrav. Bonifac. VIII. Detestandæ.*

Undecimus est in requisitoribus hæreticorum, si odio, gratia, vel lucro contra justitiam & conscientiam omiserint, contra quempiam procedere, vel ipsam hæresim alicui imponere. *Cle. Multorum. De hæret.*

Duodecimus est de Religiosis, qui absque licentia speciali Parochialis Presbyteri solennizant matrimonia, vel administrant Sacramenta, velut Eucharistiæ, & extremæ Unctionis.

Item excommunicantur Religiosi, qui excommunicatos a Canone solvunt in casibus non concessis: aut absolvunt a sententiis, per Provincialia, seu Synodalia Statuta promulgatis, & absolvunt a pœna & a culpa. *Cle. I. De privileg.*

Tredecimus est de persecutoribus Episcoporum. *Cle. Si quis. De pœnis.*

Decimus quartus est de Religiosis, vel Clericis, inducentibus ad vovendum, promittendum, vel jurandum de eligenda sepultura apud eos. *Cle. Cupientes. De pœn.*

Quintus decimus est de his, qui cogunt celebrari sibi in loco interdicto, vel ad audiendum convocant excommunicatos, vel interdictos: vel prohibent illis, ne moniti exeant: & de illis, qui moniti non exeunt. *Cle. Gravis. De sent. exc.*

Sedecimus est de illis, qui ferunt ferrum, arma, equos ad impugnandum Christianos, vel alia necessaria deferunt, vel transmittunt, seu etiam galeas, aut naves vendunt: vel in piraticis Saracenorum navibus gubernationem exercent, impendunt consilium, vel auxilium, in dispendium terræ sanctæ. *C. Ita quorundam. C. Ad liberandum. De Judæis & Sara.* Et iste casus est Papalis per *Extrav. Bonifac. VIII.* quæ incipit: *Contra illos.*

Decimus septimus est in piratis, qui ore Papali excommunicantur.

Decimus octavus eſt in eo, qui abſolutus propter mortis articulum, vel aliud impedimentum ab eo, a quo alias abſolvi non poterat; ſi ceſſante impedimento non ſe præſentat, cum commode poteſt ei, a quo prius abſolvi debebat: nam reincidit ipſo facto. *C. Eos. De ſent. exc. Lib. VI. Cle. I. §. Sane ſi quis. De pœn.* Et iſte caſus eſt Papalis, ſi talis abſolvendus erat a Papa.

Decimus nonus eſt in abſoluto a Papa, vel ejus Pœnitentiario de ipſius ſpeciali mandato, qui ſe debet alicujus conſpectui præſentare: nam reincidit, ſi hoc non faciat, *dicto C. Eos, qui.*

Viceſimus: Imperator, Rex, vel Princeps, Marchio, vel Comes, Baro, frater, filius, vel nepos ipſorum, vel alterius notabilis præeminentiæ, dignitatis, qui ad terminum, vel in perpetuum nominatur, eligitur, vel aſſumitur in Rectorem, vel Senatorem urbis Romæ, quocunque nomine vocetur ipſa Rectoria: & quicunque, qui ultra annum ad hujusmodi regimen aſſumitur præter Apoſtolicæ Sedis licentiam, literis ipſius Sedis exprimendam, & omnes prædictis conſentientes ſunt abſolvendi per Papam.

Sequitur Conſtitutio Pauli Veneti Papæ II. ſuper caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

Etſi Dominici gregis &c. Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Dominus Paulus, Divina providentia Papa ſecundus, qui pridem ſuper plenariis remiſſionibus, quæ ſemel in vita & mortis articulo conceduntur, formam ac normam inſtituit, ne paſſim ſine exceptione quorumcumque criminum procliviores redderentur homines ad peccandum, per regulam in Cancellaria Apoſtolica publicatam, ſtatuit & ordinavit, quod in quibuscunque conceſſionibus & facultatibus abſolvendi, caſus infraſcripti, tanquam ſpeciales Sedi Apoſtolicæ reſervati, ſemper intelligerentur excepti: videlicet: offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, violationis interdicti, ab eadem Sede impoſiti, criminum hæreſis, conſpirationis in perſonam, aut ſtatum Romani Pontificis: ſeu cujusvis offenſæ, inobedientiæ, ſeu rebellionis ejusdem Pontificis, vel Sedis Apoſtolicæ: Presbytericidii, offenſæ perſonalis in Epiſcopum, ſeu alium Prælatum: invaſionis, deprædationis, occupationis, aut devaſtationis terrarum, Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectarum, ac etiam invaſionis Romipetarum, ſeu quorumcunque aliorum, ad Romanam Curiam venientium: prohibitionis devolutionis cauſarum ad dictam Curiam: delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium: impoſitionis novorum onerum realium, vel perſonalium Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis: Simoniæ ſuper ordinibus, vel beneficiis aſſequendis in eadem Curia, vel extra contractæ: & generaliter in caſibus contentis in Bulla, quæ conſuevit in die cœnæ Domini per Prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices publicari. Conſiderans vero, quod plerumque contingit, ſuam Sanctitatem hujusmodi facultates & confeſſionalia tam præſentibus, quam abſentibus, etiam vivæ vocis oraculo concedere; ne prætextu confeſſionalium hujusmodi, vel pœnitentes vel confeſſores in ſupraſcriptis caſibus fallantur & fallant, ſtatuit & decrevit, ſuæ intentionis fuiſſe & eſſe, per quascunque conceſſiones & facultates, per ſuam Sanctitatem tam ſcripto, quam verbo factas, & impoſterum faciendas, nemini licere irretitos dictis caſibus abſolvere ſine ſpeciali ſuæ Sanctitatis licentia: quinimo conceſſiones & indulta prædicta quoad caſus exceptos hujusmodi, nulli penitus ſuffragari. Ut autem ipſa conſtitutio, quæ dudum, ſcilicet V. Kal. Aprilis Anni ab Incarnatione Domini Milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi ſexti, Pontificatus noſtri anno ſecundo publicata fuit, eisdem Chriſti fidelibus plenius innoteſcat, nullusque illius ignorantiam prætendere valeat in futurum; præſentibus inſeri fecimus, ut in majorem omnium veniat notitiam. Nulli ergo hominum &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octavo, V. Non. Martii, Pontificatus anno V.

Sequuntur caſus Epiſcopales.

Remittantur igitur ad Nos, ſeu vices noſtras gerentes, non obſtante, ſi alicui generaliter vices noſtras quoad pœnitentias injungendas commiſerimus, Rebaptizatus, Reconfirmatus, Reordinatus.

Item

Item: qui poſt ſponſalia jurata, cum alia, quam ſponſa, contraxerit.

Item: qui matrimonium clandeſtine, vel contra interdictum Eccleſiaſticum contraxerunt.

Item perimens, ſeu negligens propriam prolem.

Item ſterilitatem, vel abortum, quomodolibet procurans.

Item homicida facto, præcepto, conſilio, vel authoritativa exhortatione, ſeu alio quovis modo.

Item publice criminoſi, quibus publica pœnitentia eſt injungenda.

Item falſi teſtes, oppreſſores liberorum, perjuri, inceſtuoſi.

Item quilibet Simoniacus, uſurarius, raptor, ſacrilegus, incendiarius, latro.

Item Eccleſiam conſecratam ſanguinis, aut ſeminis effuſione polluens.

Item quilibet Eccleſiæ, vel cœmiterii, aut immunitatis, vel libertatis Eccleſiaſticæ violator.

Item quilibet excommunicatus a Canone, vel Conſtitutione: hujusmodi enim caſus quoad cenſuras magis ſunt Jurisdictionis Epiſcopalis, quam quod in foro conſcientiæ tractari debeant, niſi ratione peccati: & ne aliquis de his poſſit ignorantiam allegare; mandavimus eosdem caſus his noſtris Statutis inſeri.

Inſuper remittatur etiam quilibet irregularis, item Sacerdos proditor confeſſionis.

Item celebrans in Eccleſia interdicta, vel Altari non conſecrato, aut viatico, ſine licentia, aut indumentis non conſecratis, ſeu Sacris, celebrans non jejunus.

Item non ordinatus celebrans, vel miniſtrans in ordine, quem non habet.

Item Sacerdos, cujus culpa vel negligentia aliquid inhoneſti, vel ſcandali circa Sacramentum evenit.

Item Sacerdos notorius fornicator, vel publicus concubinarius.

Item quilibet dejurans, vel veniens, aut faciens, contra ſuum juramentum.

Item quilibet blaſphemator DEI, Beatæ Virginis, & Sanctorum.

Item falſarius literarum vel monetæ.

Item quilibet injiciens manus violentas in Presbyterum, Clericum, aut parentes.

Item quilibet conjugatus, contrahens matrimonium, vivente uxore, cum ſecunda: vel intrans religionem, ſeu recipiens ſacrum ordinem, conjuge invita, & econtra.

Item conjux, qui vel quæ effectualiter machinatus vel machinata fuerit in mortem alterius conjugis.

Item ſcienter coiens cum infideli aut brutis animalibus.

Item reſtitutiones vagæ, & diſpoſitiones male ablatorum, incertorum & certorum, quando non extant hi, quibus facienda eſt reſtitutio.

Item promotus per alium, quam ſuum Epiſcopum ſine licentia.

Item furtive, vel per ſaltum, aut extra tempora ſtatuta promotus.

Item excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, in ordine ſuo miniſtrans, vel qui taliter ligatus, aliquem ſuſcipit ordinem.

Item ſcienter ſepeliens corpus excommunicati, vel tempore interdicti.

Item abutens quomodolibet Sacramentis Eccleſiæ, puta Hoſtia, Chriſmate, vel alia re ſacra.

Item quilibet ſcienter baptizans propriam prolem, vel illam tenens in Baptiſmo vel Confirmatione.

Item omnis hæreticus, fautor, vel participator hæreticæ pravitatis.

Item quilibet coiens cum ſanctimoniali, aut ingrediens in earum Monaſteria.

Deſiderantes animarum periculis occurrere, ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis inhibemus, ne Sacerdotes tam ſæculares, quam ordinum quorumcunque regulares, in foro pœnitentiæ frena in tantum relaxent, ut extra terminos ſibi poſitos, & in caſibus ſuperioribus reſervatis auſu temerario authoritatem ſibi uſurpent: & quia ſœpius contingit, quod Nos etiam in præfatis caſibus, Nobis de jure, vel conſuetudine reſervatis, variis ex cauſis animum noſtrum

ſtrum aliquando moventibus, tam Religioſis quam etiam Curatis Sacerdotibus indulgemus generaliter, quod in caſibus Nobis, ut præmittitur, reſervatis beneficium abſolutionis valeant impendere; ſed ne paſſim ſine exceptione quorumcunque criminum procliviores reddantur homines ad peccandum: volumus, & ſtatuimus, quod in quibuscunque conceſſionibus & facultatibus abſolvendi, caſus infraſcripti, tanquam ſpecialiter Nobis reſervati, ſemper intelligantur excepti, videlicet: de violenta manuum injectione in Clericos, vel parentes: de violatione Eccleſiaſticæ libertatis, & conditoribus ſtatutorum contra Eccleſiaſticam libertatem: de hæreſi in fide, de blasphemia nominis Chriſti, vel Sanctorum ejus publica: de Simonia, de uſuris publicis, & perjuriis: de commutatione votorum, de notorio Clericorum concubinatu, de vagis reſtitutionibus, ubi certi & legitimi hæredes non exiſtunt: de teſtamentis non executis, de detentione bonorum Eccleſiæ Ratisbonenſis, & aliarum Eccleſiarum, ac decedentium Clericorum: quorum abſolutionem Nobis, ſeu Superiori noſtro ſpecialiter reſervamus, decernentes, quascunque conceſſiones & facultates, per Nos verbo, vel ſcripto factas, & impoſterum faciendas, quoad caſus ſic ſpecialiter exceptos, nulli penitus ſuffragari: nec cuiquam licere, eisdem caſibus irretitos abſolvere absque licentia noſtra ſpeciali.

Cum Sacerdotes, quibus a Domino prædicandi officium commiſſum eſt, Dominicas oves, ſibi creditas, verbo Dei ſpirituali alimonia paſcere, &, ut in præceptis Divinis ambulent, docere debeant; idcirco eosdem in ſuis ſermonibus præcipimus eſſe cautos, ne verba profeſerant inutilia, aut vana, & maxime piarum mentium offenſiva: ſed potius Scripturam ſacram, veteris videlicet, & novi Teſtamenti, & præcipue Evangelium Chriſti plane & intelligibiliter Dominicis & aliis ſolennibus diebus populo prædicent: primo textum ſubjunctis poſtillis declarent, veluti plebis capacitati noverint convenire: & quia repetita notitia mandatorum Dei multum videtur ædificare; ordinamus, quatenus Rectores Eccleſiarum ad minus ſemel in anno aſſumant materiam decem Præceptorum, inducentes cum ſumma diligentia populum, ad agendam pœnitentiam pro peccatis commiſſis. Inſuper ſingulis annis Dominica prima Quadrageſimæ eidem populo publicent & pronuntient Conſtitutionem Generalis Concilii, quæ incipit: Omnis utriuſque ſexus &c.

Tenor Conſtitutionis prædictæ talis eſt.

Innocentius Papa Tertius, in Concilio Generali. Omnis utriusque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur ſuo proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum; niſi forſan de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare Statutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua peccata confiteri, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipſe illum non poſſit ſolvere, vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat præbere conſilium, & cujusmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum. Caveant autem omnino, ne verbo, aut ſigno, ſeu quovis alio modo, prodat aliquatenus peccatorem; ſed, ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud absque ulla expreſſione perſonæ, caute requirat: quoniam, qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum, præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in artum Monaſterium detrudendum.

Sequi-

Sequitur in lingua vulgari.

Ein yeglicher glaubiger Mensch, so bald er zu den Jaren seiner Vernunfft komen ist, der sol allein all sein Sunde bevoran einmahl ym Jar seinem aygen Briester getreulichen peichten, und sich vleissen, die Puesz yme aufgesetzt, mit aygen Krafften zu vollbringen, und sol wirdiglich empfahen zum minsten zu Osteren das Heilig Sacrament des Fronleichnambs JHESU CHRISTI. Es sey dan, dasz er nach Ratt seins aygen Briesters etlicher genugsamer Ursach halber ein Zeyt von Empfahung desselben Sacraments sich enthalte; Sunst sol ym lebendig Eingang der Kirchen verpotten werden, und so er stirbt, sol er Christenlicher Begrebnus mangelen und berawbt sein. Demnach zymbt sich, das haylwertig Gesetz etwe offt yn den Kirchen zu offenwaren, dasz nyemand aus Unwissenheit Ursach nemen moge, sich deshalb auszureden und zu entschuldigen. Ob aber yemand einem frembden Briester, redlicher Ursach halb, sein Sund wolt peichten; der sol verhyn von dem aygen Briester Urlawb begeren, und erlangen, nach dem er yne sunst nit möcht entlosen, oder entbinden. Der Briester sol auch beschaiden und fürsichtig sein, dasz er, als ein verstandiger Artzt, Wein und Oell yn dy Wunden des verserten Krancken eingiesse, und sol vleissigklich erfragen die Umbstend des Sunders, und der Sunde, daraus er weislich und gründlich verstee, wie er yme Ratt geben, und was er yme Ertzney zufugen solle: domit er manigerlay Erforschung gebrawch zu haylen den Krancken. Doch sol er sich vor allen Dingen hütten, dasz er mit Wortrenn, oder Zaichen, yn kein Weisz mit nichte offenwar den Sunder: dan ob er eins weysern Rats bedorfft, den sol er on alle Vermeldung der Person, fürsichtigklich erfragen. Wann wer dye Sunde, dye yme yn der Peicht entdeckt und geoffent sind, understunde zu offenwaren, denselben erkennen wir nit allein von dem Briesterlichen Ambt zu entsetzen; sunder auch zu ewiger Puesz yn ein Closter strengs Ordens verstossen zu werden.

Publicata vero præfata Constitutione, volumus, quod omnes & singuli Pastores Ecclesiarum Parochialium ad præcavendas discordias & dissensiones sequentia verba vulgari sermone populo publicent, ut sequitur:

Auch sollent yr wissen zu vermeiden der yrrung, so zwischen der Selsorger, und die Pfaarkirchen regieren und vorwesen, auch der Brüder und Orden entsteen mochten, und sunderlich der vor verkundten Satzung halb, daß nicht allein Pfarrer und Selsorger, der Peicht halben verstanden sollen werden; sunder auch, wan dye Bruder der vier Orden, yamassen, wie yn geistlichen Rechten gesetzt ist, einem Bischoff, yre verordente Peichtveter fürsenden, und presentiren; alsdan mag ein yedlichs Christenlichs Mensch denselben verordenten und zugelassen Peichtveternn wohl peichten, on Erlawbnus seins Pfarrers, thuet auch der verkundten Satzung der Christlichen Kirchen genug. Doch sol ein yeglichs Christenlichs Mensch das Heilig Hochwirdig Sacrament des Altars von seinem aygen Selsorger und Pfarrer empfahen. Es haben dye gemelten Brüder der vier Orden Macht und Gewalt zu absolviren, und zu entpinden yn allen Fallen und Stucken, daryn dye Pfarrer haben zu absolviren; doch zuvor, so sie dem Bischoff, wie oben angezaigt, presentiret sein: außgenommen in den Stucken und Fellen, dye yn gleich, als den Pfarreren, durch Vorbehaltung des Pabsts, oder Bischoues, sunderlich verpotten und vorbehalten sind, also daß dye Pfarrer yn den zu absolviren auch kein Gewalt haben. Es sol auch nyemands denselben Brüderen solichen Gwalt entziehen. Auch sollendt yr wissen, daß soliche Freyheit allein denen Bruderen der vier Orden gegeben ist, und nit anderen Orden diß Biestumbs, was Stands der sindt. Darumb lest auch mein gnediger Herr von Regenspurg, allen und yeden hyemit verbieten, daß yr dyeselben mit peichten nit haymsuchet, und sunderlich die Bruder von Altenmunster, auch zu Sandt Leonhard zu Regenspurg. Wer aber solichs thete, der sol wissen, daß er der verkundten Satzung

ung nit genug gethan hab. Sollen auch der Empfahung des Hochwirdigen Sacraments des Fronleichnambs JHESU CHRISTI berawbt sein. Zuletzt solendt yr auch wissen, daß nyemands, was Stands oder Wesens er auch sey, geystlich oder weltlich, exempt oder nicht exempt, in kain Weiß haimlich oder offentlich sich untersteen soll, yemand von der verkundten Satzung, und Gepot der Christenlichen Kirchen, der järlichen Peicht halben abzuziehen. Oder aber, daß er bey dem heyligen Ambt der Meß, zuvor an allen Sonntagen, und an den oberisten und hohen Festen, yn seiner aygen Pfarrkirchen nit sey, oder von Gnugthuung, und Reichung der Zehent-opffer und pferrlichen Rechten abzuwenden; sunder wer das thuet, was Stands der ist, exempt oder nit exempt, dem ist verpotten der Eingang der Kirchen, und das Heylig Sacrament. Davon er allein von dem Stul zu Rom (außgenommen des Todes Notte) mag gelost werden.

Ordinamus insuper, quatenus Ecclesiarum Rectores sequentes articulos, propter quos unusquisque a communione sacra jure prohibetur, singulis annis Dominica Passionis Dominicæ, populo suo studeant insinuare: culpabiles enim in aliquo articulorum hujusmodi a communione sacra prohibentur, nisi contriti & confessi fuerint pariter, & absoluti, ac satisfecerint, vel satisfacere velint juxta consilium suorum Confessorum.

Prohibitiones a Sacra Communione secundum Sanctorum Patrum Sanctiones.

A Sacra Communione prohibentur omnes infideles, qui non habent communionem cum Sancta Ecclesia Catholica, prout sunt Judæi, Saraceni & hæretici. *XXIII. Q. IV. Infideles. XXVIII. Q. I. Omnis. XI. Q. III. Ad mensam. C. Firmissime. C. Ad abolendam. C. Excommunicamus. De Hæret.*

Item omnes hæreticorum fautores, & receptatores, ac defensores. Nam tales sunt excommunicati ipso jure, & decedentes in hujusmodi peccato, in loco sacrato sepeliri non debent. *C. Sicut. C. Noverit. De sent. exc.*

Item omnes schismatici, qui se dividunt ab unitate Sanctæ Matris Ecclesiæ constituendo sibi Ecclesiam, ordinando Clericos & Sacerdotes. Tales enim appellantur hæretici, quia veniunt contra istum articulum: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam. *XXIV. Q. I. C. Loquitur. C. Inter schisma. XXIV. Q. III.*

Item omnes, qui Papali, Episcopali, vel alia authoritate ordinaria, sive delegata, sunt excommunicati, & postea publice denuntiati, vel quia hujusmodi excommunicatio adeo notoria existit, quod tergiversatione celari non potest; debent a communione sacra prohiberi, cum omnes tales sint extra Ecclesiam positi, & a communione fidelium exclusi. *XI. Q. III. Sicut Apostoli. C. Excommunicatos. cum seq.*

Item tempore interdicti generalis communio sacra sanis debet denegari: potest tamen infirmis, & in mortis articulo constitutis Eucharistia licite ministrari. *C. Alma. De sent. exc. Lib. VI.*

Item alieni Parochiani, qui absque licentia, & ex contemptu Plebanorum suorum, volunt in aliis Parochiis communicare, admitti non debent. *C. II. De Paroch. & alie. Paroch.*

Item pueris furiosis, Dœmoniacis, vel dementibus, non habentibus usum rationis, denegatur communio sacra: ubi vero furiosi & mente alienati intervalla ægritudinis essent soliti habere, procul dubio tunc ad communionem sacram admitti debent. *C. Quamvis. VII. Q. I. C. Dilectus. De sponsal.*

Item continuo vomitum patientes a Communione sacra repelli debent. *De consecr. Dis. II. C. Si quis.*

Item omnes, qui non habent rectam intentionem sumendi Sacramentum Eucharistiæ, prout institutum est: & præcipue, qui volunt cum eodem exercere maleficia, incantationes, aut alias sacrilege ipso abuti; tales enim sapiunt hæresim. *C. Si quis. XXVI. Q. V.*

Item omnes, qui infamem vitam ducunt, ut sunt joculatores, histriones.

Item artem magicam exercentes, publici lenones, & publice in ludo taxillos, sive chartas concedentes, vulgo Scholdrer appellati. Item meretrices, qua-

quarum turpitudo publice venalis exiſtit, & earum hoſpitæ.

Item Fiſtulatores, Cithariſtæ & alii, qui variis utuntur inſtrumentis muſicis, ex conducto pro pretio, & ad illicita: & reliqui artem ludricam publice & illicite exercentes, a Communione Sacra repelli debent, quousque ab hujusmodi peccatis ſuis prorſus abſtinuerint, & pœnitentiam eis injunctam perfecerint. *De conſec. Diſ. II. C. Pro dilectione. cum C. Se. XXXII. Q. IV. Meretrices.*

Item omnes Chriſtiani, qui Judæis ſerviunt, aut pueros ipſorum alere, nutrire, ſeu educare non formidant, aut cum eis manducant, & habitant, aut aliquem ipſorum in infirmitatibus ſuis vocant, ſeu aliam a jure prohibitam communionem cum eis habent, a communione prohibeantur, donec ab hujusmodi peccatis abſtineant, & peragant pœnitentiam ipſis propterea injunctam. *C. Nullus cum ſeq. XXVIII. Q. I. C. Ad hæc. De Judæis.*

Mulieribus deferentibus habitum virilem malo propoſito, ut ſuam malam voluntatem perficere poſſint, Communio Sacra propter excommunicationem, quam propterea a jure incurrunt, denegari debet; quousque a peccato hujusmodi abſtinuerint, & pœnitentiam propterea ipſis injunctam perfecerint. *XXX Diſt. C. Si qua mulier.*

Omnes, qui proprias ſingularitates, ſive ſectas in ſe ſuſcipiunt, præſertim a ſancta Matre Eccleſia non receptas: ſicut ſunt hi, qui latenter conventicula faciunt, & habitum religioſum deferunt, ſeu circulos ferreos: etiam qui ſectam Beghardorum, ſeu Beguinarum aſſumunt. *Clem. Ad noſtrum. De Hæret.*

Item omnibus incantatoribus, & incantatricibus, utentibus benedictionibus ab Eccleſia non approbatis: item pythonibus, pythoniſſis, & qui diebus Ægyptiacis arte magica utuntur, prout nonnullæ mulieres vulgo Unholden nuncupatæ: item maledicis, & generaliter omnibus aliis, non recte ſentientibus, quæ ſancta Eccleſia præcipit, ſtatuit & ordinavit, communio ſacra denegari debet, quousque de conſilio ſuorum confeſſorum a præmiſſis abſtineant, & deſuper pœnitentiam ſuſcipiant. *C. Igitur. XXVI. Q. III. C. Sciendum. XXVI. Q. IV. C. Si quis ariolos. XXVI. Q. V. C. 1. De ſortileg.*

Item omnes, qui non confitentur peccata ſua juxta Statutum Eccleſiæ, quod incipit: *Omnis utriusque ſexus.* Hoc eſt, ſemel in anno, a Communione ſacra prohiberi, ac ab ingreſſu Eccleſiæ arceri, & poſt ipſorum deceſſum debent Eccleſiaſtica carere ſepultura. *C. Omnis. De pœnit. & remiſſ.*

Item omnes, qui non ſunt confeſſi & contriti, & ſic in peccatis mortalibus remanent, debent communione ſacra prohiberi; ne cum Juda proditore accedant & judicium ſibi manducent, non dijudicantes Corpus Domini. *C. Et ſancta. C. Sicut Judas. De conſc. Diſ. II.*

Præterea illi, qui licet confiteantur, non tamen habent propoſitum deſiſtendi a peccatis, tanquam impœnitentes, excluduntur a ſacra communione Altaris. *C. Nemo poteſt. De Pœnit. Diſt. I.*

Denique hi, qui non integre confitentur peccata ſua, ſed aliqua peccata retinent, & ex propoſito ſine cauſa dividunt confeſſionem, quod eſt ſe laudare, in Hypocriſim tendere, & ſemper venia carere. *C. Conſideret. §. Cautus ſit. De Pœnit. Diſt. V.*

Item omnes, non ſolventes decimam absque diminutione, per Sacerdotes & Plebanos, imo & per fratres quatuor ordinum charitative debent admoneri, ut eandem ſolvant; ſi vero contumaciter ſolvere neglexerint, excommunicandi ſunt. *C. Pervenit. cum ſeq. De Decim. XVI. Q. VII. C. Omnes.*

Omnes, qui bona relicta ex teſtamento, vel ultima voluntate, in ipſorum poteſtate habent, & quibus executio hujusmodi relictorum commiſſa eſt; ſi quidem infra annum teſtamenta, ſive ultimas voluntates defunctorum, exequi neglexerint, debent per cenſuram Eccleſiaſticam ad exequendum cogi, & propter hujusmodi negligentiam commiſſam, rationabili cauſa ceſſante, a communione ſacra prohiberi. *C. Clerici. XIII. Q. II. C. Nos quidem. C. Tua no. C. Johannes. De Teſtam.*

Omnes, qui contemnunt Eccleſias conſecratas, & congregant populum ad oran-

orandum ad alia loca absque licentia Episcopi, sunt excommunicati, & propterea communione privati. *C. Si quis. XXX. Dist.*

Item quia quilibet Christianus præceptis & mandatis sanctæ Matris Ecclesiæ obedire tenetur, ut puta jejunando, sabbatha sanctificando, confitendo, & Ecclesias visitando, nec non reliqua facere, prout consuetudo sanctæ Ecclesiæ habet & observat; quapropter omnes, qui ea crediderint, seu pertinaciter putaverint, spernenda, & qui se extollunt adversus scripturas & Canones Ecclesiasticos, ac nova introducunt præcepta, a sacra communione prohiberi debent, quousque pœnitentiam super præmissis susceperint peragendam. *C. Si quis per superbiam. C. Hæc autem. XXX. Dist.*

Item Sacerdotem in ambone impedientes, dum verbum Dei prædicat, & in contemptum ejus exeunt Ecclesiam, prohiberi debent a sacra communione, donec pœnituerint. *De conse. Dist. I. C. Sacerdote. XXXVIII. Dist. II. Sedulo.*

Omnes etiam, qui ex contemptu mandatorum Ecclesiæ in solennitatibus sacris, Dominicis, & aliis Festivis diebus Missarum solennia non audiunt, neque cum officio Missæ permanere curant, donec benedictionem a Presbytero obtineant, a communione sacra juxta arbitrium confessoris prohiberi debent. *De conse. Dist. I. Fideles. & C. Missas.*

Item omnes, qui Dominicis, & aliis Festivis diebus, mercaturam rerum vendibilium, quæ ad usum victus quotidiani necessariæ non sunt, exercent. *C. I. De feriis.*

Item omnes, qui clandestine contraxerunt matrimonium, debent prohiberi a communione sacra, donec secundum ordinationem sanctæ Matris Ecclesiæ contractum hujusmodi proclamari procuraverint.

Item omnes conjugati, qui absque licentia Ecclesiæ discohabitant, a communione repellantur, quousque cohabitent, aut ad cohabitandum per Ecclesiam compellantur. *C. Cum inhibitio. De clandest. despon. XXX. Q. V. C. Aliter.*

Item omnes, qui Dominicam orationem & Symbolum fidei ex negligentia, seu contemptu, addiscere nolunt, a communione prohibeantur, donec discant. *C. Deus, qui. De Pœnit. & remiss.*

Item, qui Deum, aut Beatam Virginem Mariam, vel alios Sanctos Dei publice blasphemaverint, aut per membra eorundem ex contemptu juraverint, a communione sacra, & Ecclesiæ ingressu prohiberi debent, donec pœnitentiam publicam, in Sacris Canonibus definitam, peregerint. *C. Statuimus. De maledict. C. Si quis per capillum. XXII. Q. I.*

Item omnes, qui Sacerdotibus & honestati Clericorum publice detrahunt, ipsosque contemnunt, ab ingressu Ecclesiæ & communione sacra prohiberi debent. *VI. Q. I. C. Deteriores, cum seq.*

Item omnes homicidæ voluntarii, similiter, qui inimicitias, sive odium cum vindicta contra proximos suos habent, aut qui eos injuste opprimunt, sive in honore lædunt, vel offendunt, ante peractam pœnitentiam, reconciliationem, sive satisfactionem, ad communionem sacram admitti non debent. *C. Si quis voluntate. L. Dist.*

Item parentes, qui pueros suos opprimunt ignoranter per negligentiam, juxta arbitrium confessoris a communione sacra prohiberi debent, donec pœnitentiam sibi propterea injunctam perfecerint. *De his, qui propri. fil. occid. per totum.*

Quia in Sacris Canonibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibitum est, quod nullus hominum mandare, præcipere, sive statuta edere debeat, quæ sunt contra libertatem Ecclesiasticam: & propterea quicunque mandaverit, sive statuerit, seu statutum hujusmodi servari fecerit, mandaverit, aut scripserit, statuta & consuetudines hactenus introductas contra libertatem Ecclesiasticam, ut sunt illa, quæ veniunt contra privilegia concessa a Deo, ab Ecclesia, a Papa, vel Imperatore; omnes illi prohiberi debent a communione sacra, donec consuetudines, statuta, & præcepta hujusmodi deleri fecerint, ac beneficium absolutionis a sententia excommunicationis, quam propterea ipso jure

jure incurrunt, meruerint obtinere. *C. Noverit. C. Gravem. De sent. excom.*

Item omnes, qui super usuris publicis solvendis sententias ferunt, vel quod usuræ hujusmodi non possunt repeti, sunt excommunicati ipso jure, & a sacra communione repellendi, donec absolvantur & pœnitentiam susceperint.

Item quilibet proprius Sacerdos potest filium confessionis, considerata gravitate, sive magnitudine peccati ipsius, ad tempus a communione sacra suspendere, cui etiam ipse confitens in hoc obedire debet; nisi a superiore suo aliud obtinuerit. Et si hujusmodi peccatum est occultum, & confitens non obstante hujusmodi prohibitione ad Altare publice accesserit, & Eucharistiam sibi dari petierit, eandem sibi debet præstare Sacerdos, licet in hoc accedens graviter peccet. *C. Omnis. In principio. cum ibi. not. De pœnit. & remiss. De consecr. Dist. II. C. Non prohibeat. & C. Sicut Judas. De offic. ordin. C. Si Sacerdos.*

De Sententia Excommunicationis.

Sicut triplex est communio fidelium, scilicet in conversatione, in Sacramentorum susceptione, & in bonorum spiritualium participatione; sic etiam triplicem excommunicationem fore præsenti statuto declaramus.

Prima est excommunicatio, quæ major dicitur, & illa a triplici communione excludit, videlicet a conversatione hominum, a Sacramentorum susceptione, & bonorum spiritualium participatione. Alia excommunicatio, quæ minor dicitur, quæ excludit a participatione spiritualium, & a communione Sacramentorum passiva tantum. Tertia excommunicatio est lata a Deo, inflicta pro quolibet peccato mortali, quæ pariter minor dicitur, & excludit ligatum a bonorum spiritualium participatione, quia quoad se ipsum est suspensus, & non aliter; sed quoniam juxta Sanctorum Patrum statuta excommunicatis, majori excommunicatione, nec vivis, nec defunctis communicare licet; sed statim, cum suis in Parochialibus Ecclesiis, vel alias fuerint denuntiati nominatim, aut aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse: quod nulla possit tergiversatione, aut aliquo juris suffragio excusari, mox ab omnibus exemptis & non exemptis debent vitari. Quare caveant universi & singuli Ecclesiarum Rectores, quod nullum excommunicatum, vel nominatim denuntiatum, aut de cujus excommunicatione alias, ut præfertur, notorie constiterit, absolvant, nec ad Divina officia, vel sepulturas admittant: sed eos publice admoneant, & de suis Ecclesiis, ne intersint Divinis, expellant, si pœnam Sacrorum Canonum excommunicationis videlicet & irregularitatis voluerint evitare.

Et quia nonnulli Sacerdotes nostræ Diœcesis, quibus absolutio excommunicatorum aliquando committitur, formam hujusmodi absolutionis præsertim ab excommunicatione majori videntur ignorare; idcirco, ut omnes in hac parte pariformiter se teneant, modum infrascriptum observabunt. Quotiescunque enim a Vicario nostro, sive aliis Judicibus fuerit commissum, ut excommunicatum aliquem ab homine, vel jure majori excommunicatione Sacerdos absolvat, talis faciat ipsum excommunicatum coram se prosterni, recepto ab eodem juramento, quod velit stare mandatis Ecclesiæ: deinde præmittat Psalmum: *Miserere mei Deus*, cum *Kyrie eleyson, Pater noster &c.* & versiculis seqq. videlicet: *Salvum fac servum tuum &c. Convertere Domine, usquequo &c. Domine exaudi orationem &c. Dominus vobiscum &c. Oremus. Deus, cui proprium est, misereri semper & parcere, suscipe deprecationem meam, & hunc famulum, quem excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Et ego authoritate Dei omnipotentis ex potestate mihi specialiter commissa, absolvo te a sententia excommunicationis majoris in te lata*, vel, *quam propter tale delictum incidisti, & restituo te communioni fidelium, & Ecclesiasticis Sacramentis, & Sanctæ Matris Ecclesiæ unitati. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

A minori vero excommunicatione quilibet Sacerdos proprius absolvit, qui absolvendi potestatem habet a peccatis, & fiat sub hac forma: *Ego absolvo te a vinculo excommunicationis minoris, & a peccatis tuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiri-*

Spiritus Sancti. Amen. Caveant autem Sacerdotes, ne quenquam a peccatis absolvant, quem noverint vinculo excommunicationis majoris ligatum; nisi meruerit prius beneficium absolutionis a censuris obtinere. Advertant etiam, ne suspensos, nisi eis absolutio specialiter committatur, & habita authoritate, absolvant. Facta autem commissione, absolvant sub hac forma: *Dominus noster Jesus Christus dignetur te absolvere, & ego authoritate mihi concessa, absolvo te a sententia suspensionis in te lata, & restituo te, ut officium tui Ordinis, sicut antea, exercere possis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Si autem aliquis sit suspensus ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis; addatur in prædicta forma: *Et restituo te ad ingressum Ecclesiæ, & Ecclesiasticis Sacramentis. In nomine, ut supra.*

Plerique etiam Clerici, sive Presbyteri, errant credentes, quod licet excommunicati sint ab homine, sive a Canone, ante denuntiationem non egeant absolutione: & sic celebrant Divina, credentes se non fore ligatos: quia vero posteaquam hujusmodi sententia lata est, statim habet in dorso paratam executionem; quapropter eosdem transgressores decernimus omnino fore ligatos, & si celebraverint, tanquam irregulares, remittendos.

Item nonnulli excommunicati, fiducia absolutionis extremæ, claves Ecclesiæ contemnunt, & tempore sanitatis nec satisfacere, neque confiteri volunt; unde statuimus, ut tales in extremis ad reconciliationis beneficium nullatenus admittantur, nisi satisfecerint, vel cautionem de satisdando (saltem juratoriam, si aliam facere non possent) præstiterint: quod sive moriantur, sive convalescant, per se, vel suos, quantum ipsis possibile erit, satisfaciant de commisso.

Postremo, quoniam sententia excommunicationis latæ sententiæ nonnunquam a Canone, sive jure, ipso facto pro nonnullis criminibus & delictis infligitur; quare Nobis absolutionem istorum specialiter reservavimus, mandantes, ne quisquam sæcularis, seu regularis, etiam cujusvis ordinis, vigore generalis concessionis, hujusmodi excommunicatos, etiamsi denuntiati non fuerint, præsumat absolvere, nostra speciali super hoc non habita licentia. Quod autem hujusmodi casus ad cunctorum aures deferantur, eosdem Statutis nostris duximus inserendos; quatenus agniti magis evitentur, & nemo valeat de his ignorantiam allegare. Advertant vero Sacerdotes diligenter casus sequentes, quatenus obtenta a Nobis authoritate absolvendi, in illis diligenter observent formam absolutionis a censuris, quam supra descripsimus, antequam a peccatis aliquem absolvant, alioquin (cum excommunicatus non sit particeps Sacramentorum) noverint se errante clave processisse, ac absolutionem hujusmodi minime tenere.

Sequuntur Casus Excommunicationis majoris a Jure latæ, & colliguntur ex antiquis.

Primus casus est, cum quis incidit in hæresim, jam damnatam, vel novam confingit, & generaliter, quicunque per Romanam Ecclesiam, vel singulos Episcopos in suis Civitatibus, vel Diœcesibus, tanquam hæretici, sunt damnati, quocunque nomine censeantur, excommunicati sunt. *XXIV. Q. I. C. I. cum seq. C. Ad abolendam. C. Excommunicamus. De Hæretic.*

Secundus casus, cum quis defendit, vel receptat hæreticos. *C. Sicut. De Hæretic.*

Tertius, si quis dicat Romanam Ecclesiam non esse Caput, & ei, tanquam capiti, noluerit obedire. *XIX. Dist. Nulli.*

Quartus, si quis in Clericum, vel personam Religiosam alicujus approbatæ religionis manus injicit violentas, & temerarias. *XVII. Q. IV. Si quis suadente.*

Quintus, cum quis potest defendere Clericum a violenta manuum injectione, & præsertim illi, qui ex officio tenentur defendere, seu qui alias commode defendere possunt, & dolose non defendunt. *C. Quantæ præsumptionis. De sent. excomm.*

Sextus est in illo, qui nec manum injicit, nec aliquo modo consentit, tamen ipsum Clericum invitum retinet, ponendo forte ei custodes, vel infra domum aliquem includendo. *De sent. exc. C. Nuper. §. I.*

Septi-

Septimus introductus eſt contra Poteſtates, Rectores, Conſules, & alios officiales laicos civitatum, & aliorum locorum, angarias & exactiones indebitas Eccleſiis, Sacerdotibus, & eorum poſſeſſionibus, & alia univerſa onera imponentes: ſive etiam foſſata, expeditiones, ſeu alia quælibet agenda de bonis Eccleſiarum, Clericorum, & pauperum, Chriſti uſibus deputatis compleri volentes, ac jurisdictionem Prælatorum, quam habent in ſuis hominibus, evacuantes: ſi enim tales, qui in his deliquerint, competenter admoniti non deſiſtant, tam ipſi, quam fautores eorum, excommunicationi ſe noverint ſubjacere: nec debent reddi communioni, donec ſatisfecerint competenter. *C. Minus. De immun. Eccleſ.*

Octavus eſt contra illos, qui ſupradictis proxime ſuccedunt, & infra menſem errorem, vel exceſſum prædeceſſorum non purgaverint: prædeceſſoribus nihilominus excommunicatis remanentibus, donec utrique ſatisfecerint competenter. *C. Adverſus. §. fi. De immunit. Eccleſ.*

Nonus eſt contra illos, qui de cætero ſervari fecerint ſtatuta edita, & conſuetudines introductas, contra Eccleſiæ libertatem; niſi ea de Capitularibus, ſive Chartulariis ſuis, vel aliis libris, fecerint aboleri, infra duos menſes poſt publicationem præſentium, per Jura ſuperius tacta.

Decimus in his, qui hujusmodi Statuta de cætero fecerint.

Undecimus contra illos, qui Statuta hujusmodi ſcripſerint.

Duodecimus contra Poteſtates, Conſules, Rectores, Conſiliarios locorum, ubi hujusmodi Statuta, & conſuetudines de cætero editæ fuerint, vel ſervatæ; quamvis non ſtatuerint, nec ſervari fecerint.

Tredecimus, qui ſecundum ea præſumpſerint judicare.

Quartus decimus, contra illos, qui ſcribere præſumunt judicata. *C. Noverit. & C. Gravem. De ſent. excom.*

Quintus decimus, contra incendiarios, & violatores Eccleſiarum cum effractione. *C. Conqueſti. De ſent. excom. XI. Q. III. Canonica. C. In literis. De rapto.* Cæteri vero, qui aliter offendunt Eccleſias, vel bona eorum diripiunt, licet ipſo jure excommunicati non ſint, tamen ſacrilegi judicantur, & excommunicandi ſunt. *C. Conqueſtus. De for. compet.*

Sedecimus, cum quis a paucioribus, quam a duabus partibus Cardinalium in Summum Pontificem electus, electioni de ſe factæ conſentit, & pro Papa ſe gerit.

Decimus ſeptimus contra illum, qui de tertia parte Cardinalium confiſus, nomen Papæ ſibi uſurpaverit, & illi, qui eum receperit. *C. Licet. §. Præterea. De Elect.*

Decimus octavus, cum quis per ſe, vel per alium falſat literas Domini Papæ cum fautoribus, & defenſoribus ſuis.

Decimus nonus, cum quis ſcienter utitur litteris Apoſtolicis, etiam ab illo falſificatis. *C. Ad falſariorum. De crim. falſi.*

Viceſimus, contra illos, qui deferunt arma, ferrum, ligna, galeas, naves, Saracenis, vel regimen navium, vel galearum ſuarum exercent, vel aliquod aliud auxilium eis impendunt in diſpendium Terræ ſanctæ. *De Judæ. C. Ita quorundam. cum ſeq.*

Viceſimus primus, contra Magiſtros, vel Scholares, qui tractant cum aliquo cive Bononienſ. de ipſius hoſpitio, in præjudicium ſcholaris inquilini, vel eo irrequiſito. *C. I. De locat. & conduct.*

Viceſimus ſecundus, contra quoscunque Religioſos Profeſſos, Leges vel Phyſicam audientes, niſi infra duorum menſium ſpatium a ſtudio hujusmodi duxerint abſtinendum. *C. Non magno opere. & C. Super ſpecula. Ne Cleric. vel Mon.*

Viceſimus tertius, contra Archi-Diaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores, & alios Clericos, perſonatus habentes, nec non Presbyteros, Leges, vel Phyſicam audientes. Juribus ſupra proxime allegatis.

Viceſimus quartus, contra illos, qui artem illam mortiferam & odibilem Baliſtariorum, & Sagittariorum adverſus Chriſtianos exercent. *C. Unico. De Sagittar.*

Viceſimus quintus, cum quis participat in crimine criminoſo, & propter crimen ſuum excommunicato. *De ſent. exc. C. Nuper. C. Si concubinæ.*

Viceſi-

Vicesimus sextus, in Clerico, qui sponte, vel scienter participat excommunicato a Papa, in Divinis officiis. *C. Significavit. De sent. exc.*

Vicesimus septimus, contra illos, qui Romanos, aut alios Christianos, pro negotiatione, vel aliis honestis causis, navigio vectos capere, aut rebus suis spoliare præsumunt, aut etiam naufragium passos, spoliant rebus suis; nisi moniti satisfecerint. *De rapto. Excommunicationi.*

Vicesimus octavus, contra illos, qui innituntur ordinationibus, vel alienationibus a schismaticis factis. *C. I. De Schismatic.*

Vicesimus nonus, contra illum, qui se ingerit in Ecclesia, in qua est Episcopus, se pro Episcopo gerens, sine consensu suo. *C. Quoniam. De offic. ord.*

Trigesimus, Sacerdos habens officium Vice Comitis, aut Præpositi sæcularis, si commonitus, emendare noluerit. *C. Clericus. Ne Cler. & Monach.*

De Jure vero sexti libri notantur XXXII. Casus.

Primus contra eos, qui tempore electionis Papæ ad conclave eligentium alicui secrete scripturam, aut nuntium transmittunt, aut cum aliquo eorum secrete loquuntur. *Vid. Glo. in C. Eos, qui. De sent. exc. Lib. VI.*

Secundus, contra Rectorem & Officiales civitatis, in qua Summus Pontifex eligi debet, si fraudes committunt, aut diligentiam eis commissam diligenter non faciunt. *C. Ubi periculum. De elect. Lib. VI.*

Tertius, contra eos, qui gravaverint aliquam personam Ecclesiasticam, vel ejus consanguineos, vel Ecclesias, seu bona, pro eo, quod illum, pro quo rogabatur, eligere noluit. *C. Sciant cuncti. De elect. eod. Lib.*

Quartus, contra usurpantes bona Ecclesiarum vacantium, seu qui custodiam; aut aliquem defensionis titulum sibi de novo in eisdem usurpant. *C. Generali. De elec. eod. Lib.*

Quintus, contra eos, qui de regimine urbis Romæ se intromittunt; nisi specialis intervenerit Apostolicæ Sedis licentia, per ipsius Sedis literas exprimenda. *C. Fundamenta. De Elec.*

Sextus, contra seminantes discordiam in electionibus Abbatissarum. *C. Indemnitatibus. §. Postremo eod. Tit.*

Septimus, contra partem procurantem, conservatorem procedere contra formam juris. *C. Fi. De offi. dele.*

Octavus, de his, qui extorquent absolutiones per metum. *C. Fi. De his quæ vi metuque &c.*

Nonus, contra Judicem simulantem se mulierem, seu, qui alias fraudulenter vadit ad mulierem in testem productam. *De judic. C. Mulieres.*

Decimus, contra obedientem Imperatori, per Sedem Apostolicam deposito. *De re jud. C. Ad Apostolicæ. in fi.*

Undecimus, contra compellentes personas Ecclesiasticas ad submissionem bonorum & jurium Ecclesiarum. *C. Hoc consultissimo. §. Laici. De rebus Eccles. non alien.*

Duodecimus, contra Laicos, qui ex contractibus initis super rebus Ecclesiasticis plus sibi usurpant, quam ex natura contractus eis licet. *C. Hoc consultissimo. §. Ex contractibus. Lib. VI.*

Tredecimus, contra religiosos mendicantes ementes eis domos de novo. *De religi. Domi. C. I.*

Quartus decimus, contra imponentes telonia, pedagia, & guipedagia Clericis. *C. Quanquam de censi.*

Quintus decimus, contra eos, qui propter mortis periculum, aut aliud impedimentum, absolvitur ab eo, a quo alias non poterat absolvi; si cessante impedimento se non præsentat ei, a quo alias absolvi debebat, nam reincidit in eandem sententiam. *C. Eos, qui. De sen. ex Lib. VI.*

Sedecimus, verberans novitium alicujus religionis. *C. Religioso. eod. Ti.*

Decimus septimus, contra eos, qui impediunt super causis, quæ ad forum Ecclesiasticum de jure, vel consuetudine pertinent, literas a Sede Apostolica impetrari, vel super ipsis coram Ordinariis, vel delegatis Ecclesiasticis litigari. *C. Quoniam. De immuni. Eccles.*

Decimus octavus, contra violantes Ecclesiasticam libertatem per indirectum prohibendo subditis suis, ne Clericis consueta obsequia præstent. *C. ult. eod. Ti.*

Deci-

Decimus nonus, contra Religiosos temere habitum religionis dimittentes, vel studia literarum visitantes absque Prælati licentia.

Vicesimus, contra Doctores & Magistros, qui Religiosos, habitu suo dimisso, leges & physicam audientes, scienter docere, aut in scholis suis præsumpserint retinere. *C. Ut periculosa. Ne Cleri. vel Monachi. Lib. VI.*

Vicesimus primus, contra tradentes scienter Ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos, aut eorum fautores. *C. II. De Hæretic. I. Responso.*

Vicesimus secundus, contra laicos, publice vel private de fide Catholica disputantes; sed iste casus potius est ferendæ sententiæ, quam latæ. *C. II. §. Inhibemus. eod. Tit.*

Vicesimus tertius, contra Judices laicos, super crimine hæresis judicantes, aut captos super eodem crimine liberantes, sive executionem eis injunctam non exequentes, ac Judicem Ecclesiasticum, super eodem crimine procedentem, impedientes. *C. Ut inquisitione. De hæret.*

Vicesimus quartus, contra illos, qui Jacobum & Petrum de Columna pro Cardinalibus tenent.

Vicesimus quintus, contra eos, qui dictis Ja. & Pet. auxilium, vel favorem præbuerint. *C. I. De schismat.*

Vicesimus sextus, contra eos, qui per Assassinos aliquem Christianum interfecerint, vel mandaverint, licet mors non sit secuta; aut qui tales receptaverint vel defensaverint. *C. Pro humani. De homicid.*

Vicesimus septimus, contra concedentes, aut extendentes repressalia, adversus personas Ecclesiasticas. *C. De injuriis & damn. dato.*

Vicesimus octavus, contra insequentes hostiliter aliquem ex Cardinalibus, etiamsi non injecerint manum. *C. Felicis. De pœnis.*

Vicesimus nonus, contra Rectores & Dominos, qui interfectores Cardinalium non puniunt. *dic. C. §. Fi.*

Trigesimus, contra lædentes directe vel indirecte Ecclesiasticos Judices, propter suæ jurisdictionis exercitium. *C. Quicunque. De sen. exc.*

Trigesimus primus, contra eum, qui percussionem in Clericum suo nomine factam, ratam habet. *C. Cum quis. De sent. exc.*

Trigesimus secundus, contra absolutos a Sede Apostolica, vel ejus delegatis, qui se debent alicujus conspectui præsentare pro suscipienda pœnitentia, aut pro satisfaciendo læso, & non faciunt. *Alle. C. Eos. §. Idem statuimus. De sen. exc. Lib. VI.*

Ex Clementinis eliciuntur quinquaginta unus Casus, qui enumerantur in Glo. Cle. I. De sen. ex. super verbo Excommunicationis.

Primus, contra possessorem beneficii, qui in una sententia definitiva succubuit, & per triennium non possedit, si sequestrum per loci Ordinarium impedit, aut fructus sequestratos occupat. *Cle. una de sequest. possess.*

Secundus contra eos, qui defunctorum corpora in loco interdicto Ecclesiasticæ tradunt sepulturæ.

Tertius, qui publice excommunicatos,

Quartus, qui nominatim interdictos,

Quintus, qui manifestos usurarios scienter tradunt Ecclesiasticæ sepulturæ, in loco etiam non interdicto. *Cle. I. De sepul.*

Sextus, *Septimus*, *Octavus & Nonus*, contra Religiosos, gravantes & defraudantes Ecclesias in decimis. *Primo* ex eo, cum decimas Ecclesiis debitas, absque causa legitima sibi appropriare, seu usurpare præsumunt. *Secundo*, quando aliorum animalia suis gregibus immiscent, ut exinde decimæ non solvantur. *Tertio*, quando animalia emunt, & venditoribus, aut aliis locant, ut ex eis decimæ non solvantur. *Quarto*, quando terris, quas tradunt aliis excolendas, decimas solvere Ecclesiis non permiserint, aut prohibuerint. *Cle. I. De Decim.*

Decimus, contra Religiosos administrationem non habentes, qui sine licentia speciali suorum Prælatorum ad Curias Principum se conferunt, ut suis Prælatis, aut Monasteriis damna inferant.

Undecimus, contra Monachos, qui infra

infra ſepta Monaſterii arma tenent. *Cle. I. §. Quia vero. De ſtatu Monach.*

Duodecimus, contra impedientes viſitatores Monaſteriorum Monialium. *Cle. II. Eod. ti.*

Tredecimus, contra mulieres, ſectantes, aut de novo aſſumentes ſtatum Beginarum.

Quartus decimus contra Religiòſos, pro ſtatu Beginarum dantes auxilium, conſilium, vel favorem. *Cle. I. De religioſ. domi.*

Quintus decimus, contrahentes ſcienter matrimonium in gradu prohibito conſanguinitatis:

Sedecimus, in gradu affinitatis prohibito,

Decimus ſeptimus, vel cum Moniali.

Decimus octavus, Religioſus contrahens matrimonium,

Decimus nonus, vel Monialis:

Vigeſimus, aut Clericus, in ſacris ordinibus conſtitutus, ipſo jure eſt excommunicatus. *Cle. I. De conſang. & affin.*

Vigeſimus primus, Inquiſitores hæreticæ pravitatis, & ſubſtituti a talibus Inquiſitoribus, aut ab Epiſcopo, vel Sede vacante a Capitulo, ad exercendum officium inquiſitionis hæreticæ pravitatis; ſi ex odio, gratia vel amore, aut propter lucrum, ſeu commodum temporale, omittunt procedere contra quenquam, ubi fuerit procedendum ſuper hujusmodi pravitate:

Vigeſimus ſecundus, aut hujusmodi pravitatem inſonti imponunt:

Vigeſimus tertius, aut inſontem alio modo vexant ſuper tali crimine, excommunicati ſunt, & ſolum per Papam veniunt abſolvendi. *Cle. I. De hæret.*

Vigeſimus quartus. Inquiſitores hæreticæ pravitatis aut Commiſſarii, ſi prætextu inquiſitionis, illicite pecuniam, aut aliquid aliud extorquent.

Vigeſimus quintus, ſi præfati Inquiſitores Eccleſiarum bona, ob delicta Clericorum, Fiſco etiam Eccleſiæ, ſcienter applicant. *Cle. II. De hæreti.*

Vigeſimus ſextus, Officiales communitatum, facientes ſtatuta ſuper uſuris ſolvendis, non repetendis, aut non reſtituendis:

Vigeſimus ſeptimus, aut talia ſcribentes,

Vigeſimus octavus, aut talia dictantes,

Vigeſimus nonus, aut judicantes ſecundum illa:

Trigeſimus, vel non delentes illa de libris communitatum, ſi poſſunt:

Trigeſimus primus, vel illa ſervantes, excommunicati ſunt ipſo jure. *Cle. I. De uſuris.*

Trigeſimus ſecundus, Religioſi, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ,

Trigeſimus tertius, vel Euchariſtiæ Samentum miniſtrare,

Trigeſimus quartus, aut matrimonium ſolennizare præſumunt, non habita ſuper his Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali:

Trigeſimus quintus, aut qui excommunicatos a Canone, præterquam in caſibus a jure expreſſis, vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis eisdem,

Trigeſimus ſextus, vel a ſententiis per ſtatuta Provincialia aut Synodalia promulgatis,

Trigeſimus ſeptimus, vel a pœna & culpa abſolvere quemquam præſumpſerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam duntaxat abſolvendi. *Cle. I. De privile.*

Trigeſimus octavus, Banniens injurioſe Epiſcopum,

Trigeſimus nonus, vel qui hujusmodi bannum fieri mandaverit, aut factum ab aliis, ratum habuerit: vel ſocius fuerit in hoc facientis, ſeu conſilium in hoc dederit, vel favorem, aut ſcienter defenſaverit eundem bannientem, ipſo jure eſt excommunicatus: a qua excommunicatione nequit, niſi per Summum Pontificem, præterquam in mortis articulo, abſolvi. *Cle. I. De pœn.*

Quadrageſimus. Religioſi mendicantes, qui domos ad habitandum, vel loca quæcunque de novo recipiunt, aut prius recepta mutant, vel alienant,

Quadrageſimus primus, aut retrahunt aliquos a ſolutione Decimarum Eccleſiis debitarum.

Qua-

Quadragesimus secundus: sibi confitentibus conscientiam faciant de solvendis hujusmodi decimis : alioquin scienter omittentes , tamdiu ab officio prædicationis manent suspensi quousque fecerint, si commode facere possunt, & si medio tempore prædicare præsumpserint, excommunicati sunt ipso facto.

Quadragesimus tertius , Religiosi aut Clerici sæculares, qui aliquos ad vovendum, jurandum vel promittendum inducunt, ut vel sepulturam apud eorum Ecclesiis eligant , vel electam ulterius non immutent, excommunicati sunt, & per solum Romanum Pontificem veniunt absolvendi. *Cle. Cupientes. De pœnis.*

Quadragesimus quartus, Religiosi, etiam exempti, violantes interdictum Ecclesiasticum , aut Divinorum cessationem, servatam per matricem Ecclesiam. *Cle. I. De sen. exc.*

Quadragesimus quintus. Domini temporales, qui cogunt aliquem in loco interdicto celebrare Divina :

Quadragesimus sextus , vel qui per præcones faciunt populos ad illa audienda evocari :

Quadragesimus septimus, vel qui prohibent, ne publice excommunicati, vel interdicti Ecclesias exeant:

Quadragesimus octavus: Et ipsi nominatim moniti, qui non exeunt, excommunicati sunt, & per solum Papam absolvendi. *Cle. Gravis. De sent. exc.*

Quadragesimus nonus. Fratres minores , si tempore interdicti recipiunt in suis Ecclesiis ad Divina fratres & sorores tertii ordinis Sancti Francisci. *Cle. Cum ex eo. eod. ti.*

Quinquagesimus. Asserens pertinaciter, quod anima rationalis, seu intellectiva , non sit forma corporis humani. *Cle. Una. §. Porro. De Summa Trini.*

Quinquagesimus primus. Pertinaciter asserens , usuram non esse peccatum, tanquam hæreticus excommunicatus est. *Cle. Ex gravi. De usuris.*

Quando vitandi sunt Excommunicati, vel aliis censuris innodati.

Ad evitandum scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuimus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione , vel receptione, aut aliis quibuscunque Divinis , vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuriæ Ecclesiasticæ, seu suspensionis , aut prohibitionis a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare ; nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censuræ hujusmodi fuerint in, vel contra personam, Collegium , & Universitatem, Ecclesiam vel locum certum, vel certam, a Judice publicata, vel denuntiata specialiter , & expresse: aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari , aut aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius abstineri volumus juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, seu interdictos, non intendimus in aliquo relevare.

De Interdicto observando.

Quoniam apices Juris non omnibus innotescunt, ad uberiorem Sacerdotum instructionem, ac salubrem informationem , qualiter Sacerdotes tempore interdicti se gerere debeant & habere , præsenti declaramus statuto: quod, videlicet, interdicti tempore, tam ab homine, quam a jure prolati , & sani & infirmi sunt ad remedium pœnitentiæ admittendi ; nisi fuerint interdicti vel excommunicati: vel quorum dolo, culpa, consilio, favore, aut auxilio, locus extitit interdictus : quibus tantum viaticum , & baptisma parvulorum conceduntur : & Chrisma die Cœnæ conficitur. Nullus vero inungatur , aut Ecclesiasticæ tradatur sepulturæ præter Clericos, qui servaverint interdictum , nisi tales sint, qui nominatim excommunicati , suspensi , vel interdicti fuerint. Clerici vero, qui non fuerint hujusmodi sententiis innodati , sine pulsatione campanarum (cessantibus quibuscunque solennitatibus) cum silentio tumulentur. Insuper Sacerdotes, populum habentes sine scrupulo conscientiæ , semel in hebdomada viros & mulieres possunt ad Ecclesias convocare, & ipsis ex-

ponere verbum Dei. Mulieres vero poſt partum cum ſolennitate Pſalmi & orationum non inthroniſentur : nuptiæ non benedicantur , nec aqua benedicta populus ſolenniter aſpergatur. Singulis diebus iu EccleſiisMiſſæ celebrentur, & officia Divina quæcunque peragantur , ſubmiſſa tamen voce, & januis clauſis , ac excommunicatis & interdictis omnino excluſis. Poſſunt etiam, campanis non pulſatis , bini vel tres ſimul Horas Canonicas legere , ita tamen quod foris , ſeu extra Eccleſiam , nullatenus audiantur. In Feſtivitatibus Natalis Domini , Paſchæ , Penthecoſtes , Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas incluſive , campanæ pulſentur, Eccleſiarum januæ aperiantur, Divina quoque officia ſolenniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis: qui, ſi cauſam dederint interdicto, Altari nullatenus appropinquent, nec in illis Feſtivitatibus ſepeliantur corpora mortuorum , neque vivis & ſanis Euchariſtiæ Sacramentum miniſtretur.

De Regulis Juris.

Regulis Sanctorum Patrum, & præſentibus noſtris ſtatutis , quivis noſter ſubditus regatur , ut ſciat, & faciat , quod acceptum ſit Omnipotenti Deo, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Concluſio.

Ne de publice geſtis quiſquam valeat ignorantiam allegare ; volumus , & præſenti ſtatuto ſub excommunicationis pœna mandamus, ut quilibet Eccleſiarum Collegiatarum , Monaſteriorum ſæcularium & regularium Diœceſis noſtræ Prælatus principalis , præterea Decanatuum ruralium Decani, & Eccleſiarum Parochialium Sacerdotes curati, aut quoquomodo beneficiati , ſeriem & ordinem prædictorum ſtatutorum habeant de verbo ad verbum infra tres menſes , poſtquam ad eorum notitiam devenerint. Proteſtamur tamen ante omnia , quod per hæc noſtra Synodalia, ſeu Diœceſana ſtatuta non volumus, neque intendimus Statutis ſacrorum Provincialium , ac Prædeceſſorum noſtrorum Synodalium Conciliorum , nec non ſtatutis, privilegiis, & conſuetudinibus Capituli Eccleſiæ noſtræ Ratisbonenſis in aliquo derogare : quinimo ea ſervare , manutenere , & debitæ executioni una cum pœnarum adjectione, in quantum Nobis erit poſſibile , demandare: reſervantes nihilominus Nobis poteſtatem omnimodam, ipſa noſtra Statuta, in toto, vel in parte revocandi, variandi, interpretandi, augendi, & minuendi toties, quoties videbitur, juxta conſilium Jurisperitorum atque Sapientum expedire.

LAUS DEO.

Canones Pœnitentiales.

Cum nulli Presbytero liceat facere, quod poſſit Sanctorum Patrum regulis obviare , & Sacerdotes Canones Pœnitentiales ſcire teneantur, ſine quibus etiam Sacerdotis nomen vix poſſit conſtare : quatenus ergo circa diſpenſationem pœnitentiæ (quæ licet hodie ſit arbitraria) cautius arbitrentur , eoſdem Canones Statutis noſtris duximus ſubnotandos.

Primus eſt, quod ſi Presbyter fornicationem fecerit, pœnitentiam X. annorum faciat hoc modo , ſcilicet: quod ſit incluſus, ſive a cæteris in aliquo loco remotus, ſacco indutus , & humi proſtratus, Miſericordiam Dei jugiter implorans. Primis tribus menſibus continuis a veſpere in veſperem pane & aqua utatur, exceptis Dominicis diebus, & feſtis præcipuis, in quibus modico vino, piſciculis , & leguminibus recreetur. Elapſis autem his tribus primis menſibus, de illo loco exeat: non tamen in publicum procedat; ne populus in eum ſcandalizetur, & per hoc vitetur, quod in publico crimine loquatur. Poſt hoc, reſumptis viribus aliquantulum, unum annum & dimidium in pane & aqua expleat , exceptis Dominicis, & aliis præcipuis feſtis, in quibus vino, ſagimine, ovis, & caſeo poterit uti. Finito ſic primo anno & dimidio , particeps ſit Corporis Domini, & ad pacem veniat, & ad Pſalmos, cum aliis fratribus canendos: in choro ultimus recipitur, ad cornu tamen altaris non accedat, ſed minorum ordinum tantum officia gerat. Deinde uſque ad completionem ſeptimi anni, tres legitimas ferias, ſcilicet: ſecundam, quartam & ſextam, exceptis diebus

bus Paſchalibus, qui ſunt quinquaginta, in pane & aqua jejunet, ſecundam tamen feriam uno pſalterio, vel denario, ſi ſit operarius, redimere poterit: & ſic, cum ſeptimum annum compleverit, poteſt eum Epiſcopus ad gradum priſtinum revocare; ita tamen, quod in tribus annis ſequentibus, ſine ulla redemptione, omni ſexta feria in pane & aqua jejunet. Et eadem pœnitentia imponenda eſt Presbytero de omnibus aliis peccatis, quæ depoſitionem inducunt. Probantur autem hæc omnia *LXXXII. Diſt. Presbyter ſi fornicationem.* Quod intelligunt quidam de ſimplici fornicatione: alii forte melius *ſecundum Ray.* de adulterio, vel inceſtu, puta: quia cognovit conjugatam, conſanguineam, vel affinem.

Secundus caſus eſt, ſi Presbyter cognovit filiam ſuam ſpiritualem, quam ſcilicet Baptizavit, vel in Baptismo, vel in Confirmatione tenuit, vel quæ ſibi confeſſa fuit: debet pœnitentiam agere XII. annis, & etiam debet deponi, ſi crimen ſit manifeſtum, & peregrinando XV. annis pœniteat: & poſtea Monaſterium intret, tota vita ſua moraturus ibidem. Epiſcopus vero, qui talia commiſit, pœniteat XV. annis. Ipſa vero mulier debet omnia relinquere, & res ſuas pauperibus dare, & converſa uſque ad mortem in Monaſterio Deo ſervire. *XXX. Q. I. Si quis Sacerdos &c. Non debet.*

Tertius eſt, quod quicunque filiam ſuam ſpiritualem, vel matrem cognoſcit, VII. annis pœniteat, & ſimiliter ei conſentientes. *XXX. Q. III. Non oportet.*

Quartus eſt, quod qui contrahit cum aliqua alii deſponſata per verba de præſenti, ipſa dimiſſa, XL. diebus jejunet in pane & aqua, & ſequentibus VII. annis pœniteat. *Extrav. De ſpon. duo. accepiſti.*

Quintus eſt, quod, qui cognoſcit duas commatres vel ſorores, ſive uxor vivat, ſive non; ad minus VII. annis pœniteat; licet plus deberet. *XXX. Q. IV. Si Pater.*

Sextus eſt, quod qui cognoverit monialem, ſive devotam, X. annis pœniteat: & ſimiliter ipſa ſecundum formam traditam. *XXVI. Q. I. De filia. & C. Devotam.* In quorum primo C. dicitur, quod ſi filia Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, poſt votum ſolenne contraxerit matrimonium, non admittatur ad communionem, niſi marito defuncto pœnitentiam egerit; ſi autem eo vivente deceſſerit, & pœnitentiam egerit, & communionem petierit, tantum in fine vitæ recipiet eam. In ſecundo C. dicitur, quod devota peccans non eſt recipienda in Eccleſia, niſi peccare deſierit, & deſinens egerit pœnitentiam X. annis. Poſtea recipiatur ad Communionem, & antequam in Eccleſia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Chriſtianæ mulieris accedat.

Septimus eſt de eo, qui ignoranter cognoſcit duas ſorores, vel matrem & filiam, vel amitam & neptem, pœniteat VII. annis: ſi autem ſcienter, perpetuo privetur conjugio. *XXXIV. q. III. Si quis cum duabus.*

Octavus eſt, quod qui duxit in uxorem, eam quam polluit per adulterium, pœniteat V. annis. *XXXI. q. I. Si qua vidua.*

Nonus eſt, quod qui contra naturam peccavit, ſi ſit Clericus, debet deponi, vel religioni tradi, ſi corrigibilis appareat, ad perpetuam pœnitentiam peragendam: ſi vero ſit laicus, a cœtu fidelium, uſque ad condignam ſatisfactionem, debet fieri alienus. *Extrav. de exceſ. Prælat. Cleric.* Hoc enim vitium majus eſt, quam cognoſcere matrem. *XXXII. Q. VII. Adulterii.* & eſt Aug. Adulterii, inquit, malum vincit fornicationem: vincitur autem ab inceſtu fornicatio; pejus enim eſt cum matre, quam cum aliena uxore concumbere; ſed omnium horum peſſimum eſt, quod contra naturam ſit, ut ſi vir membro mulieris non ad hoc conceſſo voluerit uti. Hæc Auguſtinus. Quocunque autem modo tale factum exerceatur, præterquam inter virum & fœminam ordinate in vaſe debito, vitium contra naturam, & Sodomiticum judicatur, ut dicit Ray.

Decimus eſt, quod qui coierit cum brutis, pœniteat plus quam VII. annis, & ſimiliter pro inceſtu. *XXXII. Q. II. Hoc ipſum. & §. ſeq.*

Undecimus eſt, quod Presbyter, qui intereſt clandeſtinis nuptiis, triennio ſuspenditur, & ſi culpa exegerit, gravius pu-

puniatur. *Extrav. De cland. desponſ. Cum inhibitio.*

Duodecimus eſt, quod qui votum ſimplex violaverit, pœniteat tribus annis. *XXVII. Diſt. Si vir.*

Tredecimus eſt, quod qui excommunicatus celebraverit, debet triennio pœnitere, & feria II. IV. & VI. a vino & carnibus abſtinere. *XI. Q. III. De his.* De pœna vero degradati celebrantis habetur *Diſt. L. Accedens.*

Quartus decimus eſt, quod homicida voluntarius ſine ſpe reſtitutionis deponitur, & pœniteat VII. annis. *Diſt. L. C. Miror.*

Quintus decimus eſt, quod homicida caſualis pœniteat V. annis: & hoc ſecundum Ray. ſi culpa caſum præceſſit; aliter non, niſi forte ad cautelam. *Diſt. L. C. Eos. & duobus CC. ſeqq.*

Sedecimus eſt, quod ſi quis fecerit homicidium propter neceſſitatem evitabilem, pœniteat duobus annis. *Diſt. L. C. De his Clericis.* quæ licet, ſi inevitabilis eſſet, in nullo ſibi imputaretur. *L. Diſt. Quia te.* Quod verum eſt quoad culpam: ſed bonum eſſet, quod pœniteret, quoad cautelam & innocentiam ſuam Eccleſiæ oſtendendam. *Extrav. De homicidio. C. §. ult.* Et ſecundum Ray. forte diſtingui poteſt in homicidio neceſſario, ſicut in caſuali, ſcilicet utrum culpa præceſſerit neceſſitatem, vel non. *Arg. diſt. de his not. extra, De homicid. Interfeciſti.* Sed & ſi quis per inſaniam committat homicidium, non ei imputatur. III. *Q.* IV. *Judicas.* Quin etiam, qui intuitu diſciplinæ incaute percutiendo occiderit, deponitur. *Extrav. De homicid. Presbyterum.* XV. *Q.* I. *Si quis non iratus.* Sed qui ligatum latronem interficit, deponitur. *Extrav. De homicid. Suſcepimus.* Qui autem latronem occultum occidit, quem vivum comprehendere potuit, XL. diebus non intret Eccleſiam, & alias pœnitere debet. *Extrav. eod. tit. C.* II. *ubi de hoc dicitur.* Qui vero paganum, vel Judæum occidit, pœniteat XL. diebus. *Diſt. L. Cap. Qui vero odii.*

Decimus ſeptimus eſt, quod matricida pœniteat X. annis ſecundum formam ſatis aperte traditam. XXXIII. *Q.* II. *Latorem.* Uxoricidæ vero gravior pœnitentia debet imponi; talis enim, & qui Dominum occidit, nunquàm equitat, nec vehiculo portatur, nec matrimonium contrahit. Uſque ad X. annos carnes non comedit, nec vinum bibit, & alia, quæ habentur XXXIII. *Q.* II. *Admonere. & C. Quicunque.* Imponitur autem pœnitentia major uxoricidæ, non quia illud peccatum ſit gravius iſto, ſed quia homines proniores ſunt ad occidendum uxores, quam matres. Majus enim peccatum eſt occidere matrem, quam uxorem occidere, ut dicit *Bonav. in* IV. *Sententiarum*, & communiter omnes Doctores. Guil. vero Durand. tenet contrarium *in Repertorio*, pro eo, quod uxoricidæ imponitur major pœnitentia. Mihi autem magis placet ſententia aliorum. Sed qualem pœnitentiam agere debent, qui filios occidunt? Reſp. Aut eſt certum, quod ipſi met ſcienter interfecerunt; & ſic debet eis imponi pœnitentia major, quam pro alio homicidio. *Arg. Extrav. eod. C. ult. In tex. Et gl. & De homic. cum juramento. De pœn. Diſt. I. Aut facta.* In hoc tamen caſu vir uxorem recuperat, quam coactus abjuraverat, & ipſa pœnitentiam agit ſecundum arbitrium Epiſcopi; ita quod ſi habet alios filios pacifice gubernare poſſit eos uxor. *Extrav. eod. Intelleximus.* Quod ſi virum non habet, induci debet, ut intret religionem. Ad quod ſi non poteſt induci, tutius eſt ei dare licentiam nubendi, ut *Extrav. eod. Veniens.* Et hoc quando timetur de incontinentia, alias non. Ut patet *XXXI. Q. II. In adoleſcentia.* Et ſi pater ſit Clericus, ab officio altaris debet perpetuo abſtinere, & ei gravior, quam laico, non tamen publica (niſi veniat in publicum) pœnitentia debet imponi, ut *Extrav. De pœn. Quæſitum.* Aut certum eſt, quod non interfecerunt ſponte, nec in culpa fuerunt, ſed caſu fortuito contigit: & ſic diſtricto jure in nullo tenentur. *Aug. Ext. De homic. ex literis II. & C. Joannes. & C. ult.* Niſi velint ad cautelam pœnitere. In dubio tamen præſumitur, quod hoc non ex certa ſcientia, ſed potius ex incuria provenerit. *Ext. De præſumpt. Afferte.* Aut certum eſt, quod non exhibuerint omnem diligentiam, quam potuerunt, & debuerunt; & ſic culpa præceſſit caſum. Et ſi ſit gravis culpa, ut ſi poſuit puerum in medio utriusque, ſecundum arbitrium Pœnitentiarii imponitur

nitur pœnitentia V. & VII. annorum. *I. Dist. Si qua fœmina. & C. seq. & C. Si quis sponte.* Occulta, si sit occultum; publica, si sit publicum: & major, si in lecto suffocetur, quam si in cunis: & major Presbytero Græco, quam laico, ut habetur *Extrav. De pœn. Quæsitum.* Et licet dispensetur quoad pœnitentiam, quæ est arbitraria, ut dicitur ibidem: non tamen quoad ordines, propter homicidium, quod est delictum enorme & indispensabile. *Dist. L. Miror.* Si autem culpa, quæ præcessit casum, sit levis, ut si posuit puerum in eodem lecto, longe tamen a se; imponitur pœnitentia trium annorum. Secundum hoc intellige illud *Extr. eod. De Infantibus.* Monendi ergo sunt parentes, quod tam tenellos secum in uno non collocent lecto, ne qualibet negligentia interveniente opprimantur, & suffocentur. Ut *II. Q. V. Consuluisti.* & hoc modo distinguit *Hosti.* & *Ber. Extr. De infantibus.* Quid de illis, qui filios, vel servos suos infantes, vel etiam adultos, languidos relegata pietate exponunt, id est, extra se ponunt ante Ecclesias, ut aliqui moti misericordia colligant eos? Resp. Tales graviter peccant. Quia, cum ignoretur sæpe consanguinitas expositorum; contrahere possent matrimonium cum sorore, vel cum consanguinea. Ideo exponens tenetur de hoc peccato pœnitere, & est puniendus, sicut expositus, si scienter cum tali contraheret, puniretur. *Ext. De pœn. Officii.* secundum *Hostien.* Talis enim secundum *Ray.* est tanquam homicida judicandus, qui hominem sibi ita conjunctum periculo mortis exponit. Consideratis tamen circumstantiis, & utrum ob hoc mors secuta fuerit, vel non fuerit, pœnitentia moderanda erit. Erunt autem tales irregulares secundum *Ray.* si mors inde sit secuta: quia scilicet fuerunt in culpa, eos exponendo, vel alimenta negando. Tamen secundum *Ro.*, si in nulla culpa fuissent: quia forte nec eleemosynas quærendo, nec aliter eos alere possent, irregulares non essent, nec peccarent.

Decimus octavus est, quod qui Presbyterum interfecit, pœniteat XII. annis. *Ext. De pœn. & rem. C. II.* De pœnitentia vero ejus, qui occidit Monachum, vel Clericum, Subdiaconum, vel Diaconum, habetur *XVII. Q. IV. Qui occiderit.* De pœnitentia autem ejus, qui machinatur in mortem Domini sui, vel in regimen ejus, habetur *XXIII. Q. ult. §. Si quis.*

Decimus nonus est, quod qui injuste etiam ad mortem accusat, XL. diebus in pane & aqua per VII. annos jejunet & pœniteat: & hoc, si accusatus sit occisus; si autem tantum membrum perdiderit, triennio pœniteat. *Ext. De accus. C. Accusasti. Hostien.* vero, & *Joan de Deo.* in jejunando intellexerunt, quod primus pœniteat per septem annos, quolibet anno jejunando XL. diebus in pane & aqua: secundus vero per tres annos. G. vero Durand. intellexit prout litera magis sonat, scilicet, quod primus jejunabit XL. diebus in pane & aqua, sive continue, sive interpolate, & per septem annos jejunabit & pœnitebit; non tamen in pane & aqua; sed ad arbitrium Presbyteri: secundus vero per tres quadragesimas, prima ante Natalem Domini, secunda ante Pascha, tertia ante Sanctum Joannem, has enim instituit Beatus Petrus, ut habetur in Chronicis. Jejunabit autem tunc in pane & aqua. Probantur hæc secundum *Hostien. XII. Q. V. C. I. II. & III.*

Vigesimus est, quod perjurus XL. diebus in pane & aqua jejunet, & VII. annis sequentibus pœniteat, & semper debet esse in pœnitentia, scilicet interiori. *VI. Q. I. Quicunque.*

Vigesimus primus est, quod, qui compulsus conditionaliter a Domino, scienter perjurat, si liber sit, XL. diebus in pane & aqua, & hoc secundum Gloss. intellige, vel continue, vel interpolate, pœniteat VII. annis sequentibus, non tamen in pane & aqua, ut dicit Gloss. Si vero servus sit ejus, qui eum coegit, tribus quadragesimis, & legitimis feriis, scilicet II. IV. & VI. *XX. Q. V. Qui compulsus.*

Vigesimus secundus est, quod, qui perjurat in manu Episcopi, vel in Cruce consecrata, pœniteat tribus annis; si vero in Cruce non consecrata, uno anno. Qui vero coactus & ignorans ignorantia juris, & postea cognoscit; pœniteat tribus quadragesimis. *XXII. Q. V. C. II.* Qui vero coactus pro vita redimenda, vel

vel qualibet causa, vel necessitate perjurat (quia corpus plus quam animam dilexit) tribus quadragesimis pœniteat. *Ead. Q. V. Si quis coactus.* Alii indicunt tres annos: & unum ex his in pane & aqua.

Vigesimus tertius est, qui falsum scienter jurat, & alium jurare cogit, diebus XL. pœniteat in pane & aqua, & VII. sequentibus annis nunquam sit sine pœnitentia, scilicet interiori. Alii etiam, si conscii fuerint, similiter pœniteant. *XXII. Q. V. Si quis convictus.*

Vigesimus quartus est, quod, qui mensurat in falsa mensura, XXX. diebus in pane & aqua jejunet. *Ext. De contrah. empt. Ut mensuræ.* De pœna vero falsarii literarum habetur. *Ext. eod. Ad audientiam. & C. Dura. & C. Ad falsariorum. & De verb. signi. Novimus.*

Vigesimus quintus est, qui frangunt pœnitentiam solennem, sive redeundo ad crimina priora, vel similia: sive redeundo ad negotiationem, vel militiam sæcularem, quæ sibi fuerant interdicta; sola intra Ecclesiam fidelibus oratione junguntur, a communione suspenduntur, a Catholicorum conviviis separantur, & pœnitere debent X. annis, & communicent in fine vitæ. *XXXIII. Q. II. De his vero. Et: De pœn. Dist. V. Si quis vero.*

Vigesimus sextus est, quod, qui canit Missam, & non communicat, debet uno anno pœnitere, & interim Missas non cantare. *De consecr. Dist. V. Relatum.*

Vigesimus septimus est, quod Presbyter, qui mortuum Clericum involvit in palla altaris, pœniteat X. annis, & mensibus. V. Diaconus vero triennio & dimidio. *De consec. Dist. I. Nemo per ignorantiam.*

Vigesimus octavus, quod qui committit sacrilegium, Ecclesiam violando, vel Chrisma, sive calicem sacrum pollutis manibus accipit, vel similia sacrilegia committit; pœniteat VII. annis. Primo anno extra cœmiterium, quod violavit, consistat, secundo anno ante fores Ecclesiæ, tertio in Ecclesia: & in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, nisi in Pascha, vel Natali. Non offerat, nec communionem accipiat: quarto anno communicabit, & in illo, & in V., & in VI. & in VII. tribus feriis a carnibus & vino abstineat jejunando. *XII. Q. II. Dæmon.* Comburens autem Ecclesiam quindecim annis pœniteat & eam restituat. *XVII. Q. IV. §. Si quis. in vers. Majus.* De pœna vero raptoris, sive furis rei Ecclesiasticæ, & de pœna furis & effractoris, tam Clerici, quam laici, habetur *eadem Q. §. Peccata. & C. Si quis Clericus.*

Vigesimus nonus est, quod si parentes frangunt sponsalia filiorum, a communione triennio separentur; & similiter filii, si sint in culpa. Si tamen filii, secundum promissionem factam contraxerint, excusantur utique, scilicet quoad pœnam Ecclesiæ, sed non quoad reatum, ex quo dederunt operam in contrarium. XXXI. *Q.* III. *Si qui parentes. Arg. De pœn. Dist.* I. *Si cui.*

Trigesimus est, quod, qui blasphemaverit publice Deum, vel aliquem Sanctorum, & maxime Beatam Virginem, illi debet Episcopus hanc pœnitentiam injungere: scilicet, ut VII. diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto, dum Missa cantatur, existat: & ultimo illorum dierum Dominicorum pallium & calceamenta deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat, & VII. præcedentibus sextis feriis in pane & aqua jejunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus & quolibet prædictorum dierum tres pauperes, vel duos, vel saltem unum reficiat, si potest; & si non potest, hæc pœna in aliam commutetur. Quod si renuerit agere omnia supradicta, interdicatur sibi Ecclesia, & in morte privetur Ecclesiastica sepultura. *Ext. De maled. Statuimus.* Item blasphemus, si dives fuerit, XL. alioquin XXX. & XX., & si ad hoc non sufficit, quinque solidorum usualis monetæ pœna mulctetur, nullamque misericordiam in hoc habiturus, ut dicitur ibidem, scilicet, quin solvat quinque solidos, quos si non habet, currat per civitatem, & commutetur in pœnam aliam temporalem. Hæc autem pœna solvetur ei, qui condemnat, id est, potestati sæculari: hanc enim pænam temporalem præcipit Papa imponi per potestatem temporalem. Quod si neglexerit, per Episcopum præcipitur cogi. Hæc Host. Habet autem prædicta pœna locum, secundum

Goffr.

Goffr. cum quis blasphemat, non ex ira, vel ebrietate, vel dementia; quia tunc cum eo benignius ageretur. *II. Q. III. Si quis iratus. §. Notandum.* Secundum vero *Hostien.* pœna est specialiter inducta contra eos, qui Deum blasphemant ex ira; non enim aliquis de levi blasphemat Deum, nisi iratus. Tanta posset esse iracundia, quod æquipararetur dementiæ, & tunc illud, quod dicit *Gof.* locum posset habere. *Hæc Hostien.*

Quid, si quis juret per caput, vel per ventrem, vel corpus, vel capillum? *Resp. Host.* Quod si faciat hoc, affirmando vel jurando; non habet locum hæc pœna: secus est, si faciat hoc detestando, vel vituperando, licet iratus. Item secundum *Gof.* & *Host.* hæc, quæ dicuntur de pœna temporali, fiunt judice pro tribunali sedente; in judicio autem animæ Presbyter discretus, molliendo rigorem, dispensare poterit ex causa circa pœnam spiritualem superiorem. *XXV. Q. VI. Pœnitentibus.* Hæc *Host.* Item blasphemus Clericus, maxime Presbyter, cogatur ad veniam postulandam; quod si noluerit, degradetur. *Dist. XLVI. Clericus.*

Notandum vero, quod blasphemus secundum leges est decapitandus, ut in *Auten. Ut non luxu. Contra natu. Circa medium. Colla. VI.* Secundum vero Canonem antiquum, Clericus erat degradandus, & laicus excommunicandus. *XXII. Q. I. Si quis per capillum.* Hodie vero laicus aget pœnitentiam supradictam, scilicet illius Canonis: *Statuimus*: & hoc, si publice blasphemavit; si enim occulte, non pœnitebit publice, ut puto. Clericus vero hodie est corrigendus pœna arbitraria & occulta; non illa, quæ est publica. Clericus enim publice non debet pœnitere. Si autem rebellis fuerit, vel sæpius commiserit, locum habet pœna legis, scilicet, ut laicus decapitetur in foro civili, & in Canonico anathematizetur, id est, Ecclesiæ ingressus sibi interdicatur, & in morte privetur Ecclesiastica sepultura: Clericus vero degradetur. *Hæc Hostien. Tit. De maledicis.*

Trigesimus primus est de Presbytero, qui revelat confessionem, quod de jure antiquo debet deponi, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinari. *De pœn. Dist. VI. Sacerdos.*

Trigesimus secundus est, quod, qui in dicendis Horis Canonicis, & aliis officiis Divinis discrepat a consuetudine propriæ Metropolitanæ Ecclesiæ, VI. mensibus privatur communione, si hoc accidat ex contemptu. *XVII. Dist. De his.*

Trigesimus tertius est, quod Episcopus, qui ordinat sine causa justa Clericum invitum, aut reclamantem, vel penitus invitum, absolute suspenditur anno uno. *LXXIV. Dist. C. I.*

Trigesimus quartus est, quod Episcopus, qui correctionem de venditione ministeriorum dissimulat, duobus mensibus: Presbyter IV. Diaconus III. Subdiaconus, & cæteri ad arbitrium Judicis pœnitere debent. *I. Q. I. Quidquid invisibilis.*

Trigesimus quintus est, quod sortilegus XL. diebus pœniteat. *Ext. De sortileg. Requisisti.*

Trigesimus sextus est, quod qui videt in astrolabio, pœniteat II. annis. *Extra. De sortileg. Ex tuarum.*

Trigesimus septimus est de stilla Sanguinis altaris, cadentis super terram, vel aliquid aliud, propter negligentiam Presbyteri: debet Presbyter pœnitere XL. diebus: si cecidit super pallio altaris, pœniteat quatuor diebus. *De consecr. Dist. II. C. Si per negligentiam.*

Trigesimus octavus est, quod si aliquis evomit Eucharistiam propter ebrietatem, vel voracitatem, si laicus, pœniteat XL. diebus: si Clericus, vel Monachus, vel Presbyter, vel Diaconus, pœniteat LXX. diebus: si Episcopus, pœniteat XC. diebus; & debet evomitura comburi, & juxta altare collocari. Si vero causa infirmitatis evomuerit; VII. diebus pœniteat. *De consecr. Dist. II. Si quis propter ebrietatem.*

Trigesimus nonus est, quando mus corrodit, vel comedit Corpus Christi, de pœnitentia hujus casus inquire, ubi sit notata. *De consecr. Dist. II. circa finem.*

Quadragesimus est, quod, qui domum vel arcam voluntarie succendit, sublata vel incensa omnia restituat, & tribus annis pœniteat. *Extra. De injuriis. Si quis domum.* Canon tamen dicit, quod si ex odio, vel injuria hoc fecerit, excommunicari debet, nec absolvi, donec satisfe-

tisfecerit, & juraverit, quod ignem de cætero non apponat. Imponitur autem sibi, ut Hierosolymam, vel in Hispaniam vadat, in Dei servitio anno integro ibi moraturus. Si quis autem Archi-Episcopus, vel Episcopus hoc relaxaverit; damnum restituat, & ab officio Episcopali per annum abstineat. *XXIII. Q. VIII. Pessimam.* Hodie autem, postquam sunt denuntiati, non possunt citra Sedem Apostolicam absolvi. *Ext. De sent. excom. Tua nos.* Imo text. loquitur de incendiariis indistincte, postquam sunt publicati. Et *Ber.* hoc idem dicit expresse, & Grat. *Ext. De sent excom. Quicunque.* & *Goff.* licet *Ro.* contrarium dicat. Secundum autem leges, qui in civitate data opera incendium fecerit; si sit humilis, subjicitur bestiis: si sit in aliquo gradu, decapitatur, vel in insulam relegatur. *ff. De incend. ruin. nauf. L. fin.* Qui vero alibi, ut in villis, vel in castris remissis ibidem ædes positas combusserit, si hoc dolo fecerit, comburitur: & hoc intelligendum secundum *Hostien.* si sit humilis: si autem hoc ex sua negligentia contigerit, resarciet damnum: vel si minus idoneus sit, parum vel leviter castigetur, & nomine ædium, omne ædificium continetur, ut ibidem dicitur. *L. Qui ædes.*

Quadragesimus primus est, quod, qui dederit, vel acceperit communionem ab hæretico, & nescit, hoc esse prohibitum ab Ecclesia, & postea intelligit; pœniteat uno anno: si autem scivit, & neglexit, pœniteat X. annis, vel secundum quosdam VII, vel secundum alios V. Qui vero permittit hæreticum Missam celebrare in Ecclesia Catholica per ignorantiam juris, pœniteat XL. diebus: si pro reverentia ejus, per annum pœniteat: si pro damnatione Ecclesiæ Catholicæ, & pro consuetudine Romanorum, projiciatur ab Ecclesia, sicut hæreticus, si sit impœnitens: alioquin pœniteat X. annis. Si autem, relicta Ecclesia, ad hæreticos transierit, & alios ad hoc induxerit, pœniteat XII. annis: tribus extra Ecclesiam, VIII. inter audientes: duobus extra communionem, & sic XII. anno communionem, sive oblationem percipiat. *XXIV. Q. I. Si quis dederit.*

Quadragesimus secundus est, quod Patronus, qui res Ecclesiæ dilapidat, uno anno pœniteat. *XVI. Q. VII. C. Filiis.*

Quadragesimus tertius est, quod, qui domum suam magicis & incantatoribus lustrat, vel aliud facit, & qui ei hoc consulit, annis V. pœniteat. *XVI. Q. V. Qui divinatores, & C. Non liceat.*

Quadragesimus quartus est, quod, qui pacem cum proximo suo non facere jurat, anno uno pœniteat, & ad pacem redeat. *XXII. Q. II. Qui Sacramento.*

Quadragesimus quintus est, quod pro perjurio, adulterio, homicidio dantur regulariter VII. anni: & similiter pro fornicatione, licet non ita aspera pœnitentia, injungatur. *XXII. Q. I. Prædicandum. XXXIII. Q. I. Hoc ipsum. & §. seq.*

Quadragesimus sextus est, quod, qui scienter rebaptizatur, VII. annis pœniteat, & feria IV. & VI. in pane & aqua jejunando, tres quadragesimas faciat: & hoc, si fecit pro hæresi introducenda. Si autem pro munditia, id est, pro salute corporis obtinenda, ut *Extr. De apost. C. II.*, tribus annis pœniteat. *De consecr. Dist. IV. Qui bis.* & talis, qui baptizatur, vel confirmatur, fit de foro Ecclesiæ, & cogitur fieri irregularis. *Dist. LXXXIV. Dictum est.* De pœna autem talium habetur *De consecr. Dist. IV. Eos.* cujus Capituli sententiam prætermitto gratia brevitatis.

Quadragesimus septimus est, quod, qui uxorem adulteram cognoscit antequam pœniteat, III. annos pœniteat. *XXI. Q. I. Si quis secundo.* qui vero cognoscit eam pœnitentem ante pœnitentiam peractam, pœniteat II. annis. *Ead. Q. Si quis primo.* Quomodo vero pœnitentia injungenda sit mulieri, partum alterius supponenti, vel etiam de non suo viro concipienti, habetur *Extr. De pœn. & rem. Officii.*

Ad regulas igitur prædictas inspiciendo, potest studiosus indagator procedere ad pœnitentias pro diversis criminibus secundum Canones imponendas, & ex causa, consideratis circumstantiis, ut dictum est supra, moderari poterit eas. Et licet ab ipso omnes circumstantiæ sint diligenter attendendæ; principaliter tamen qualitates personæ, & præcipue, utrum sit persona obnoxia alicui aliquo vinculo servitutis: nam circa

circa tales perſonas cavere debet pro poſſe Presbyter, ne talem pœnitentiam eis imponat, per quam illis, quibus ſunt adſtrictæ, præjudicium fiat, maxime circa conjugatos. Unde ſi ſervus ſit, & timore peccaverit, obediens Domino ſuo in atrocioribus, eſt mitius puniendus, *XXII. Q. V. Qui compulſus.* obedire tamen non tenebatur in talibus. *XI. Q. III. Si Dominus.* Si autem voluntarie peccaverit, corpore punietur etiam acrius, quam alius. *XXIV. Q. I. Qui contra pacem.* Nec eſt ſervo injungenda peregrinatio, per quam Dominus ejus, qui non eſt in culpa, illius ſervitio defraudetur, *Extr. De ſent. excom. Relatum.* ſi vero liber ſit, tota pœnitentia Canonis (ſi poteſt facere) debet imponi. *XVI. Q. I. Sacerdotes pœnitentiam.* Sed ex cauſa poterit eam Presbyter moderari. Conſiderandum etiam erit, utrum ſit perſona nova in fide: quia novis in fide minor debet etiam imponi. *Extr. De pœn. & rem. Deus, qui.* Et ſimiliter conſiderandæ erunt aliæ perſonarum circumſtantiæ, de quibus ad præſens ſuperſedeo gratia brevitatis.

Sciendum autem, quod in foro pœnitentiali dicuntur legitimæ feriæ II. IV. & VI. *Diſt. LXXXI. Presbyter. De conſecr. Diſt. III. Jejunia.* Aliqui tamen, ut dicit *Ro.* pro II. feria ponunt ſabbatum.

Inſuper notandum, quod ſi pœnitentia in pane & aqua imponatur non habenti panem, poteſt loco panis leguminibus & piſciculis veſci, & etiam aliis, ſi neceſſitas illud requirat. *Extrav. De pœn. & rem.* Licet in tex. & gloſſ. alias non licet. Notandum etiam ſecundum *Jo.*, ſi pœnitentia ſit impoſita à Canone, liberatur quis a jejunio dando denarium, vel legendo Pſalterium propria auctoritate. *Innoc.* vero dicit, quod jejunia neceſſaria, ut quatuor temporum, & hujusmodi, non poſſunt redimi, niſi ſubſit rationabilis cauſa, voluntaria tamen redimi poſſunt etiam ſine auctoritate Superioris.

Ad hoc etiam nota, quod ubi imponitur pœnitentia aliquot annorum, ſive quadrageſimarum, nec additur, quomodo quis debet pœnitere; hoc relinquitur arbitrio Presbyteri, cum pœnitentiæ ſint arbitrariæ, ut dictum eſt ſupra: ipſe enim Presbyter arbitrabitur eam per ferias legitimas faciendam, ſecundum Canones. *I. Diſt. De his Clericis. Extr. De homic. C. II.* & in multis aliis Juribus. Et ſic intelligitur illud *Extr. De accuſ. Accuſaſti.* & *De ſponſ. Dilectus.* & ſimilia.

Expliciunt Canones Pœnitentiales.

Finiunt Statuta Synodalia ſive Diœceſana Eccleſiæ Ratisbonenſis, quæ ſi bene per perſonas Eccleſiaſtices practicata fuerint, procul dubio talentum a Domino cum duplici fœnore reportabunt. Quæ in Pontificali civitate Babenberg. per Joannem Pfeil, artis impreſſoriæ Magiſtrum, nunc primum ſunt impreſſa. Anno a Nativitate Salvatoris noſtri Milleſimo quingenteſimo duodecimo, die Sabbathi poſt Dominicam *Cantate*, quæ fuit XV. menſis Maji.

Lunig Spicil. Eccleſ. Contin. II. a pag. 827.

STATUTUM Synodale COLONIENSE

INNOVATUM SUB PHILIPPO II. (*) ARCHI EPISCOPO COLONIENSI.

Anno Chriſti MDXII. Die XVII. Januar.

De non recipiendis Clericis alienæ Diœceſis ſine literis dimiſſoriis ſui proprii Epiſcopi, & formatis Ordinationis ſuæ.

OFFICIALIS CURIÆ COLONIENSIS UNIVERSIS ET SINGULIS PAROCHIALIUM ECCLESIARUM, CAPELLARUM, ALTARIUM, DIVINORUMQUE RECTORIBUS, CÆTERISQUE PRESBYTERIS, NOTARIIS, ET TABELLIONIBUS PUBLICIS QUIBUSCUNQUE, PER CIVITATEM ET DIŒCESIN COLONIENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, NOBIS SUBJECTIS, SALUTEM IN DOMINO.

PRo parte honorabilis Domini Petri van der Hattert, Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis & Domini noſtri, Domini PHILIPPI, Sanctæ Eccle-

ſiæ Colonienſis Archi Epiſcopi, Principis Electoris &c. Procuratoris Fiſcalis, fuit nobis cum querela expoſitum, quod quanquam jure vetante Clerici unius Diœceſis, in alia Diœceſi ſine literis ſui proprii Epiſcopi commendatitiis, & niſi de ipſorum Canonica ordinatione, & eos juxta claves Eccleſiæ rite ordinatos conſtiterit, recipi, & ad celebrandum, Divinaque officia peragendum admitti minime debeant: cum poſſibile ſit, hujusmodi Clericos eſſe notatos infamia, vel irregulares, excommunicatos, depoſitos, ſive apoſtatas, vel aliquid ſimile ipſis accidiſſe, & ideo ſe ad partes contuliſſe alienas. Et propterea recolendæ memoriæ quondam VUICHBOLDUS (dum viveret) dictæ Eccleſiæ Colonienſis Archi Epiſcopus, in ſuo ſtatuto, per eum contra alienos & ignotos regentes Eccleſias edito, ut nullus Presbyter alienus ad regimen & curam animarum, loco Coadjutoris, vel Vicarii, aut ſocii, per Paſtores Eccleſiarum, vel Capellarum, aut Altarium Rectores, deinceps aſſumeretur, absque literis teſtimonialibus proprii Epiſcopi, profitentis, talem rite ſecundum Claves Eccleſiæ ordinatum, & executionem ſui officii habentem, provide ſtatuerit & ordinaverit, in Paſtores, Capellanos & Altarium Rectores dictæ Diœceſis, qui, his ſpretis, aliquem Clericum ignotum, dicentem ſe Presbyterum, aſſumpſerint, excommunicationis ſententiam, quam ipſos, niſi intra ſex dies talem a ſe amoverint, incurrere voluit ipſo facto, infligendam & promulgandam.

Nec non recolendæ memoriæ quondam HENRICUS, etiam dictæ Eccleſiæ, dum in humanis ageret, Archi-Epiſcopus, in ſuo ſtatuto ſub rubrica: *Ne alienus permittatur celebrare in Eccleſiis*, collocato, univerſos & ſingulos Prælatos, Eccleſiarum Rectores, eorumque Vicarios, eis & eorum cuilibet diſtricte mandando, monuerit, quatenus nullum, cujuscunque fuerit conditionis & ſtatus, Clericum, Beneficium Eccleſiaſticum in civitate & Diœceſi Colonienſi non habentem, ad celebrandum in ordine, vel ordinibus aliquibus, in eorum Eccleſiis, Capellis, ſeu Altaribus permitterent, niſi prius de eorum Canonica ordinatione coram ipſo, aut Nobis, Officiali antedicto docerent: & ſuper hoc a Nobis per literas licentiam habuerint ſpecialem, contrafacientes excommunicationis ſententiæ ſubjacere decernendo, prout hæc in ipſis ſtatutis latius continentur: fuerintque eadem ſtatuta ſæpius poſtmodum in *Sanctis Synodis* in civitate Colonienſi publicata & innovata, ita ut ipſi Eccleſiarum, Capellarum, & Altarium Rectores de eorundem ſtatutorum continentiis & tenoribus aliquam ignorantiam prætendere, ſive allegare minime poſſint, neque valeant; Nihilominus iidem Eccleſiarum, Capellarum, & Altarium Rectores, ſuæ propriæ ſalutis immemores, hujusmodi alienos, & ignotos Presbyteros, & Clericos, ad regimen & curam animarum admittere, ac illos loco Coadjutorum, vel Vicariorum, aut ſociorum, aſſumere, & ad celebrandum in eorum Eccleſiis, Capellis, & Altaribus, nulla deſuper a Nobis licentia obtenta, admittere indies non ſunt veriti, neque verentur, excommunicationis ſententiam, contra eos in dictis ſtatutis latam, temere & damnabiliter incurrentes in animarum ſuarum grave periculum, prædictorum ſtatutorum (ad quorum obſervationem tenentur & adſtricti ſunt) vilipendium & contemptum. Hinc eſt, quod Nos Officialis præfatus, pro parte præfati Domini Petri Fiſcalis ſuper hoc debita cum inſtantia requiſiti, Vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum, authoritate noſtra, præſentium tenore, ſub excommunicationis

(*) Philippus de Duna & Oberſtein, Metropolitanæ Colonienſis Decanus, & Cathedralis Argentinenſis Præpoſitus, anno 1508. Idib. Novembr. electus eſt Colonienſium Archi-Epiſcopus, jam ſenio gravis. Obiit anno 1515, cum Eccleſiæ ſuæ multa cum laude præfuiſſet fere ſeptennio. Præter Statutum hoc anno 1512. nova promulgatione renovatum, anno 1513. convocata Synodo, complura alia Anteceſſorum ſuorum Statuta, ad corrigendos Cleri mores, novis quibusdam additis, confirmavit, & ſub annexis eisdem pœnis obſervari præcepit, quæ paulo poſt ad annum 1513. exhibebimus.

Hiſt. Eccleſ. Germ. edita Bruxellis. P. Mich. Mörckens Carthuſ. Colonienſ. Presbyt. in Catalog. Epiſcop. Colonienſ.

nis pœna districte præcipimus, committimus, & mandamus; quatenus statim visis & receptis præsentibus, ac dum, quoties & quando pro parte dicti Domini Petri Fiscalis vigore præsentium fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, moneatis & requiratis, vice & authoritate nostris, prout Nos eadem authoritate, præsentium tenore sub excommunicationis pœna monemus & requirimus præfatos Ecclesiarum, Capellarum & Altarium Rectores, omnesque & singulos alios, tempore præsentium executionis in specie nominandos, de quibus opus fuerit: quatenus intra sex dies, vestram monitionem & requisitionem hujusmodi ipsis factas proxime sequentes (quos dies ipsis, & eorum cuilibet, pro omni dilatione, terminoque peremptorio, ac monitione Canonica præfigatis & assignetis, prout Nos eosdem dies sic præfigimus & assignamus eisdem) omnes & singulos Presbyteros, & Clericos alienos & ignotos, ac nullum Ecclesiasticum beneficium in civitate vel Diœcesi Coloniensi habentes, a se, & ab eorum Ecclesiis, Capellis, & Altaribus, animo tales sine nostra licentia deinceps non recipiendi, neque admittendi, amoveant & repellant, ac quilibet eorum amoveat & expellat realiter & cum effectu: Inhibentes nihilominus eisdem monitis & requisitis, sub prædicta excommunicationis sententia, ne de cætero aliquem Prtsbyterum alienum ad regimen & curam animarum loco Coadjutoris, Vicarii, aut socii assumere, neque aliquem Clericum, Ecclesiasticum beneficium in civitate vel Diœcesi Coloniensi non habentem, ad celebrandum in ordine, vel ordinibus aliquibus, in eorum Ecclesiis, Capellis, seu Altaribus permittere, absque nostra desuper obtenta licentia, audeant sive præsumant, seu aliquis eorum audeat vel præsumat per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæsito ad hoc colore vel ingenio. Alioquin ipsos contrarium facientes, dicto sex dierum termino exacto, in iis scriptis ob hujusmodi nostri monitionis, & inhibitionis, mandati, non paritionem excommunicamus; quos sic excommunicatos publice nuncietis & teneatis, nisi saltem medio tempore causas coram Nobis rationabiles, quare præmissa fieri non debeant & ad ea non teneantur, allegaverint, altera parte ad hoc legitime vocata. Reddite literas signatas, diem, sive dies, atque modum & formam executionis præsentium, & quidquid in præmissis feceritis, Nobis liquide rescribentes. Datum Anno Domini MDXII. die decima sexta mensis Januarii.

Ex Libro Statut. Coloniens.

Declaratio MAXIMILIANI I. Imperatoris, per Matthæum Gurcensem Episcopum in Concilio Lateranensi V. facta, qua Imperator damnato Schismate, reprobatoque Conciliabulo Pisano, Synodo Lateranensi se adhærere profitetur. (*)

A.C. MDXII. Julii II. PP. X. Maximiliani Imp. XXVII. In Concilii Lateranensis V. Sessione III.

ANno & Indictione quibus supra... Die vero Veneris tertia mensis Decembris, fuit celebrata tertia Sessio Concilii Generalis in Basilica Lateranensi præ-

(*) Maximilianus Imperator schismaticis Cardinalibus, convocatoque ab iisdem anno præcedente Pisano Conciliabulo, non ipse solum favebat hactenus; sed Reges etiam Daniæ, Scotiæque, ut *Paris de Grassis refert apud Raynaldum*, in societatem schismatis invitavit. Neutrum tamen suas pertrahere potuit in partes: cum & Reges ipsi Schisma detestarentur, & subjectarum illis Regionum Præsules ac Prælati profiterentur palam, non aliud se revereri Concilium, quam, quod a Romano Pontifice indictum esset, aut indicendum.

Nec plus quidpiam Imperator a Germaniæ Episcopis ac Principibus obtinuit. Quanquam enim varia, solemniaque Comitia, tum eodem hoc anno millesimo quingen-

præsente præfato Sanctissimo Domino nostro: &c.

Celebrata Missa . . . . . Reverendus Dominus Thomas Phedra, Secretarius Concilii, ascendit ambonem, & legit quoddam Mandatum Procurationis Serenissimi & Invictissimi Principis Maximiliani, electi Imperatoris, datum per supradictum Dominum Matthæum Gurcensem Episcopum, locum tenentem, cujus tenor sequitur, & est talis:

Mandatum Maximiliani.

MAXIMILIANUS, Divina favente clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Palatinus Hannoniæ &c.

Recognoscimus, & tenore præsentium notum esse volumus universis: cum in præsentiarum Nos destinamus in Italiam, & ad urbem, Venerabilem Matthæum, Episcopum Gurcensem, Principem, Consiliarium & locum tenentem nostrum Generalem in Italia, devotum ac dilectum, pro quibusdam rebus nostris ibi faciendis. Idcirco Nos de ejus dexteritate, ingenio, atque rerum gerendarum peritia, plurimum confisi, motu proprio, & ex certa scientia, ac animo deliberato, fecimus, constituimus, creavimus, & ordinavimus, ac tenore præsentium facimus, constituimus, creamus, solenniter ordinamus præfatum Gurcensem Principem & locum tenentem nostrum, Procuratorem, Rectorem, ac negotiorum nostrorum gestorem specialem, omni meliore modo, via, jure & forma & ordine, quibus melius & validius de jure possumus & debemus, ad comparendum pro Nobis & nomine nostro in Synodo, seu Concilio Lateranensi (*) superiori, per Sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum Julium Secundum, Sacrosanctæ Romanæ, ac Universalis Ecclesiæ Summum Pontificem, Dominum nostrum Sanctissimum, & consensu Sacri Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Collegii indicto, & denuntiato, ad illud approbandum, & prosequendum, & si, & in quantum opus foret, illud ad alium locum, & aliud tempus transferendum; Etiam ex toto tollendum & extinguendum, nec non revocandum, annullandum, irritandum & penitus delendum omnia & singula ea, quæ per Ecclesiam Gallicanam in civitate Turonis eodem anno superiori fuerunt acta, conclusa & deliberata; & similiter ad revocandum omnia & singula mandata, & procuratoria, si qua a Nobis emanaverunt pro indictione Concilii Pisani, quod nonnulli Cardinales tunc indixerant, & idem Concilium Pisanum penitus tollendum & extinguendum. Dantes & cedentes eidem Gurcensi Principi, locum tenenti & Procuratori nostro, plenam & amplam potestatem, gerendi & exercendi omnia & singula in præmissis, & circa ea necessaria & opportuna, juxta dexteritatem suam, prout magis videbitur expedire: nec non ad faciendum omnia alia, & singula, quæ verus, & legitimus, & indubitatus Procurator, liberam & generalem potestatem habens, circa præmissa facere posset, & quæ nosmet facere possemus, si præmissis personaliter interessemus: etiam si talia forent, quæ

tesimo duodecimo, tum etiam præcedente, Augustæ, Treviris, & Coloniæ celebrasset, ut Germanos ab obsequio Romani Pontificis avelleret, Conciliique auctoritatem Pontificiæ præferendam suaderet; persuadere id tamen nunquam potuit, Germaniæ Episcopis, Ducibusque in antiqua erga Summum Christi in terris Vicarium pietate constanter persistentibus.

Quare Schismatis & ipse pertæsus, priora de cogenda Pisis Pseudo-Synodo edicta damnare, pacem cum Pontifice sancire, & convocato ab hoc Concilio Lateranensi se se adjungere decrevit.

Eum in finem Matthæum Langium Gurcensem Episcopum, cui suas in Italia commiserat vices, Romam ablegavit, cum plenissima rerum agendarum potestate. Per hunc, pacto fœdere, Cæsarem inter Romanamque Sedem concordia restaurata: tum ex Maximiliani mandato, supra recitato, Conventiculi Pisani declarata damnatio; ac dein ad Concilium Lateranense publica, solemnisque accessio facta est.

Vide Odoric. Raynald. Annal. Eccles. Tom. XX. ad annum Christi 1512. *a n.* 83.

(*) *forte:* anno superiori.

quæ mandatum exigerent magis ſpeciale: ponentes dictum Procuratorem noſtrum, quoad præmiſſa, totaliter (*) in locum noſtrum. Inſuper promittentes in verbo noſtro Cæſareo, & ſub bona fide noſtra, Nos gratum & ratum habituros, quidquid per præfatum Principem, locum tenentem, & Procuratorem noſtrum in præmiſſis & circa ea, cum omnibus ſuis dependentiis, emergentibus & connexis, actum, dictum, transactum, concordatum, ſeu concluſum fuerit: & nullo unquam tempore contravenire directe, vel indirecte, aut quovis exquiſito colore vel cauſa, de jure, vel de facto, etiamſi de jure poſſemus. Supplentes præterea omnes & ſingulos defectus tam juris, quam facti, quæ in præmiſſis aliquo modo poterunt evenire. Promittentes quoque, ut ſi forte mandatum iſtud ad aliqua per ſupradictum Procuratorem noſtrum tractanda & concludenda ſufficiens non foret; quod Nos omnia & ſingula hujusmodi tractata, & per ſupradictum Procuratorem noſtrum ſic concluſa, rata, grata & firma habebimus & obſervabimus, harum teſtimonio litterarum, ſigilli noſtri appenſione roboratarum.

Datum in civitate noſtra Imperiali Colonia, die prima menſis Septembris, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo duodecimo, Regnorum noſtrorum, Romani vigeſimo ſeptimo, Hungariæ vero vigeſimo tertio.

PER REGEM.

Ad Mandatum Cæſareæ Majeſtatis proprium.

Quo perlecto, ſurrexit præfatus Reverendus, & Illuſtris Dominus Matthæus, & legit quandam Schedulam, manu propria ſcriptam, cujus tenor eſt talis:

(*) *al.* fataliter.

Schedula lecta per Gurcenſem.

Ego vigore dicti Mandati Cæſareæ Majeſtatis, Clementiſſimi & Invictiſſimi Principis, ad abolendum omne ſchiſma, quod in Eccleſia oriri poſſet, & etiam pro executione Capitulorum concluſorum coram Sanctiſſimo Domino noſtro, revoco quodcunque Mandatum, qualitercunque conceſſum Conciliabulo Piſano, & Procuratores quoscunque, qui in dicto Conciliabulo intervenerint, & omnia acta & agenda per illud Conciliabulum; quæ declaro irrita & nulla, nomine præfatæ Cæſareæ Majeſtatis: & adhæreo Sacro & Canonico Lateranenſi Concilio, Eccleſiam univerſalem repræſentanti, rite & legitime congregato. Declaro etiam, Majeſtatem Cæſaream nunquam dediſſe mandatum ad præfatum Conciliabulum.

Et declaratione facta, præfatus Dominus Matthæus Gurcenſis acceſſit cum ea, qua decuit, reverentia ad præfatum Sanctiſſimum Dominum noſtrum, & deoſculatus eſt pedes ejusdem Sanctiſſimi Domini noſtri, comitante eum . . . Illuſtri Domno Alberto de Carpi, præfatæ Cæſareæ Majeſtatis Oratore. Quibus peractis Magiſter Marianus de Cuccinis, Procurator Fiſci, & præfati Concilii Procurator, petiit a Proto-Notariis & Notariis Concilii publicum & publica fieri inſtrumentum & inſtrumenta de omnibus ſupradictis, &c.

Ex Concilii Lateranenſis V. Seſſione III. apud Harduin. Conciliorum Tom. IX.

SYNODUS BRANDENBURGENSIS
Eodem Anno Chriſti MDXII.

Mentio hujus Synodi fit a Lenzio in Hiſtoria Diplomat. Diœceſis Brandenburgenſis.

ANno, inquit, MDXII. (Hieronymus (*) Epiſcopus Brandenburgenſis) convocavit Clerum in Belitz, Brietzen, Juterbock, Wittenberg, Zerbſt, Lietzkau, Zieſar, Brandenburg, Rathenau, Nauen, Spandau, Bernau, Templin, Angermunde, Friedland, Strausberg, Berlin, ad Synodum

in

in Caſtro Zieſar celebrandam. Unde eruitur, quæ civitates ad Diœceſin Brandeburgenſem pertinent. Hæc *Lenz. ex Quint. Eſſent. Potsdam.* De menſe ac die, quo facta illa fuerit per encyclicas convocatio, aut ipſa Synodus celebrata, nihil innuitur.

Lenz. in Hiſt. Diplom. Brandeburg. a pag. 58.

(*) Hieronymus Schultz, ſive Schultetus, natus in Gramſchütz, Decretorum Licentiatus, & Parochus erat in Cotbus: a Joachimo I. Electore Brandenburgenſi ad ſanctiora Conſilia, Legationesque, & fœdera ſancienda adhibitus, ejusdem dein favore & benevolentia Brandenburgenſem ad Cathedram elevatus fuit, poſt obitum Epiſcopi Joachimi de Bredau, anno 1507. defuncti.

Anno 1521. ejusdem Joachimi Electoris opera Havelbergenſi etiam Cathedra donatus, armataque militum manu eidem fuit impoſitus, contra Georgium a Blumenthal, quem Canonici Havelbergenſes ſuis ſuffragiis Epiſcopum elegerant, & Leo X. Pontifex confirmaverat. Obiit *judice Lenzio* anno 1523. 29. Celebris.

Hoc ſub Epiſcopo Martinus Lutherus anno 1517. Theſibus contra Indulgentias editis, ac propugnatis, aliisque dein ſcriptis evulgatis, adverſus Pontificem & Eccleſiam tumultuari cœpit: obnitente quidem Hieronymo, multumque allaborante, ut ſilentium illi perſuaderet, ruentemque in præceps ad ſaniora conſilia reduceret, ſed fruſtra.

Promiſerat Lutherus, ſe Præſulis ſui monitis obtemperaturum, dicens: *Bene contentus ſum, malo obedire, quam miracula facere, etiamſi poſſem*; ſed mox ad ingenium rediit, animumque paulo poſt ita obduravit, ut non Epiſcopi tantum ſui, ſed ipſiusmet etiam Romani Pontificis, immo Eccleſiæ univerſæ auctoritatem contemneret.

SYNODUS COLONIENSIS.

Anno Chriſti MDXIII. Leonis X. PP. I. Maximiliani I. Imp. XX.

Innovatio & Publicatio Statutorum infra ſcriptorum facta auctoritate PHILIPPI Archi-Epiſcopi Colonienſis.

INprimis itaque omnia & ſingula tam Provincialia, quam Synodalia Statuta inſignis Eccleſiæ Colonienſis, nec non alia quæcunque Mandata, & pronunciata, in diverſis præteritis Synodis lecta & publicata innovamus, illaque una cum Statutis & Mandatis jam legendis, & publicandis ſub pœnis in iisdem contentis firmiter obſervari mandamus.

Præterea Statutum quondam recolendæ memoriæ Domini SIFRIDI Archi-Epiſcopi Colonienſis, incipiens: *Licet Clericis, qualiter eos cum modeſtia, ſobrietate, vitæ munditia in domo Domini oporteat converſari.* &c. (*a*)

Item ejusdem quondam Domini SIFRIDI Archi-Epiſcopi, *De vita & honeſtate, & officio Clericorum.* Incipiens: *Ex Concilio Generali ſtatuimus, & præcipimus.* (b)

Item ejusdem *De cohabitatoribus mulierum, & concubinariis.* Incipiens: *Ex Concilio bonæ memoriæ CONRADI Archi-Epiſcopi, Prædeceſſoris noſtri* &c. (*c*)

Item Statutum quondam recolendæ memoriæ Domini HENRICI Archi Epiſcopi Colonienſis: *Ne alienus permittatur celebrare in Eccleſiis.* Incipiens: *Item, cum a jure ſit penitus interdictum, ne* &c. (*d*)

Item ejusdem *Contra falſarios literarum.* Incipiens: *Falſarios item literarum* &c. (*e*)

Item

(*a*) Vide Tom. III. Concil. Germ. pag. 657.
(*b*) Ibid. pag. 658. (*c*) ibid. pag. 659.
(*d*) Tom. IV. Concil. Germ. pag. 104.
(*e*) ibid. ead. pag.

Item ejusdem *Contra illos, qui truncos erigunt in plateis, & oblationes tollunt.* Incipiens: *Item cum ex usurpatione* &c. (*f*)

Item Statutum quondam recolendæ memoriæ Domini HERMANNI Archi Episcopi Coloniensis, incipiens: *Item mandat idem Venerabilis Dominus Officialis sub eisdem pœnis & censuris, universis & singulis Ecclesiarum Parochialium, & Capellarum* &c. (*g*)

Item ejusdem quondam HERMANNI, incipiens: *Item mandat idem Venerabilis Dominus Officialis eisdem Pastoribus, & Vice-Plebanis sub similibus pœnis, ut ipsi circa* &c. *Vide infra N. II.*

Item Statutum ejusdem incipiens: *Item mandat, & inhibet idem Venerabilis Dominus Officialis, ne dicti Pastores, aut Plebani.* &c. *Vide infra N. III.*

Item Statutum quondam D. HERMANNI, incipiens: *Item mandat, & inhibet idem Ven. D. Officialis eisdem Pastoribus, & Vice-Plebanis, ne ipsi aliquos* &c. *Vide infra N. IV.*

Ejusdem incipiens: *Item inhibet idem Ven. D. Offic. sub similibus pœnis & censuris, omnibus Ecclesiis, & Religiosis intra* &c. *Vide infra N. V.*

Item ejusdem incipiens: *Item exhortantur, & monentur prædicti Pœnitentiarii, & quicunque Confessarii, ut ipsi* &c. *Vide infra N. VI.*

Item ejusdem incipiens: *Item inhib. idem Ven. D. Offic. eisdem Pœnitentiariis sub pœna suspensionis* &c. *Vide infra N. VII.*

Item ejusdem Dni HERMANNI, incipiens: *Item mandat idem Ven. D. Offic. omnibus & singulis Christianitatum Decanis Diœcesis Coloniensis, ut ipsi Pastoribus, sive Divinorum Rectoribus* &c. *Vide infra N. VIII.*

Insuper Statuta ejusdem quondam Dni HERMANNI Archi Episcopi, *De Executoribus Testamentorum, quæ priori Statutorum Dni HERMANNI editioni impressæ* nondum inserta fuerant, ne quis ignorantiam illorum prætendere posset, de verbo ad verbum præsentibus inseruntur, & sequuntur hujusmodi sub tenore:

HERMANNUS, DEI GRATIA &c. UNIVERSIS ET SINGULIS UTRIUSQUE SEXUS HOMINIBUS, CUJUSCUNQUE STATUS, CONDITIONISVE, NOSTRÆ JURISDICTIONI SUBJECTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CUm nil plus debeatur hominibus, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possint, liber sit stylus, & licitum, quod non redit, arbitrium: nostraque intersit, ut vota defunctorum per omnia observentur, & adimpleantur; idcirco pietate, & misericordia, quam defunctis debemus, moti, & animarum saluti consulentes, authoritate nostra ordinaria statuimus, & ordinamus, ut cujuscunque testamenti, ultimæ voluntatis, sive codicilli, aut etiam ordinationis quorumcunque legatorum, verbo, vel in scriptis quomodocumque factorum executores, manufideles, sive fidei commissarii, quomodocumque nominentur, & appellentur, intra annum continuum, a die mortis testatoris computandum, testamenta, ultimas voluntates, codicillos, sive ordinationes Legatorum, Defunctorum, debeant realiter, cum effectu executi fuisse: alioqui dicto elapso anno, executio testamentorum, ultimarum voluntatum, codicillorum, sive piarum ordinationum, nulla expectata monitione, sive avisatione, ad Nos, nostrosque Successores, futuros Archi-Episcopos pro tempore, devolvatur.

Insuper statuimus, & ordinamus, præcipimusque & mandamus, ut executores præfati, intra triginta unum dies, a die mortis Testatoris computandos, Sigillifero Curiæ nostræ Coloniensis veras & integras de verbo ad verbum concordantes, & collationatas copias, ex veris originalibus extractas testamenti & inventarii, realiter & cum effectu debeant exhibuisse, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & decem florenorum Rhenensium, Fisco nostro, dicto termino lapso, ipso facto persolvendorum; nisi substantia defuncti tam ampla, & magna sit, aut aliud legitimum

(*f*) Tom. IV. Conc. Germ. pag. 105.

(*g*) Capitulum hoc una cum sequentibus ejusdem HERMANNI Archi-Ep. Colonienf. *Vide infra sub finem horum Statutorum* pag. 141.

mum obſtet impedimentum, quod intra dictos triginta unum dies, bona defuncti nequeant commode conſcribi, & de his inventarium fieri. Ex tunc nihilominus noſtro Sigillifero pro tempore teneantur hoc ipſum ſignificare, & intra triginta unum dies prædictos, a Sigillifero tempus competens petere. Quod etiam, ſi eorum petitio fuerit rationabilis, eis non denegabitur, ſub pœnis & cenſuris prædictis.

Item ordinamus, ſtatuimus, præcipimus, & mandamus, ut dicti executores cujuscunque teſtamenti, ultimæ voluntatis, codicilli, aut ordinationis, quorumcunque legatorum, intra menſem poſt annum prædictum immediate ſequentem, ſine ulteriori dilatione coram Nobis de executione dicti teſtamenti computationem, rationem, aut calculum legitimos realiter & cum effectu feciſſe debeant, & teneantur: alioqui in pœnas excommunicationis, & decem florenorum prædictorum incidant ipſo facto. (*)

Hæc noſtra ſtatuta ſalubria, & ordinationes, præcepta, & mandata, libro, ſive volumini Statutorum Provincialium, & Synodalium Eccleſiæ noſtræ Colonienſis inſeri, & in ſingulis Synodis deinceps, more aliorum ſtatutorum, perpetuis futuris temporibus publicari volumus, & mandamus. Datum anno Domini Milleſimo quingenteſimo decimo tertio, die Lunæ, decima tertia menſis Octobris *in Synodo tunc ſervata.*

Item mandat Ven. Dominus Officialis omnibus, & ſingulis Abbatibus, Prioribus &c. Chriſtianitatum Decanis; ut ipſi ſuis ſubjectis, & in Synodis obſervandis præcipiant, & mandent, prout & Nos mandamus, lecta & publicata duo mandata per Nos pro parte M. Franciſci de Reymbach, Procuratoris Fiſcalis, decreta, juxta earundem vim, formam, & continentiam publicent, intiment, & inſinuent, ac inſinuari & publicari, quantum in ipſis eſt, realiter, & cum effectu procurent: quorum mandatorum tenores ſequuntur, & ſunt tales:

De Jurisdictionis Eccleſiaſticæ impeditoribus.

OFFICIALIS CURIÆ COLONIENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS PAROCHIALIUM ECCLESIARUM, CAPELLARUM, ALTARIUM, DIVINORUMQUE RECTORIBUS, CLERICIS, NOTARIIS, ET TABELLIONIBUS PUBLICIS QUIBUSCUNQUE, PER CIVITATEM ET DIŒCESIN COLONIENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

PRo parte providi Viri Magiſtri Sluyn de Reymbach, Decretorum Baccalaurei, Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis, & Domini, Domini PHILIPPI, Eccleſiæ Colonienſis Archi-Epiſcopi, Principis Electoris &c. Procuratoris Fiſcalis, fuit Nobis expoſitum; quod, quanquam ab Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis, recolendæ memoriæ Epiſcopis Colonienſibus, & præſertim a quondam bonæ memoriæ Domino Theoderico, Archi-Epiſcopo Colonienſi, provide, & conſulte ſtatutum fuerit, & ordinatum; ut in cauſis prophanis, ſuper verbis injurioſis, aut percuſſionis, vulnerationisve, & etiam in aliis cauſis emptionis & venditionis, ac ſupportationis, qualescunque fuerint, quæ extendunt ſe ad ſummam duorum florenorum, & infra, quæ contingeret inter commorantes extra civitatem Colonienſem, & per diſtantiam unius milliaris, & inter laicales perſonas tantum; illas cauſas Officialis pro tempore ad judicem temporalem, ſub quo partes commorantur, cum condemnatione expenſarum contra actores ipſos remittat, & remittere debeat: Hinc tamen forſan ſumpta occaſione nonnulli Droſſati, ſeu Officiati certorum caſtrorum Dominii, ſeu territorii Colonienſis, nec non Burgimagiſtri, Officiati, Advocati, Scholteti, & Judicia temporalia inibi regentes (quo ſpiritu ducti, aut qua authoritate fulciti, neſcitur) in cauſis aliis in ſupra expreſſis demptis, & exceptis, indifferenter nedum curſum mandatorum noſtrorum impedire, ſed, quod deterius eſt, ſubditis hujusmodi caſtrorum, ſeu Dominii, ne ullus illorum alium commorantem in hujusmodi dominio, ſeu territo-

(*) Alia Hermanni IV. Archi-Ep. Colon. Statuta partim nova, partim antiqua, ejusdem auctoritate Synodaliter innovata, *vide in Tomo V. præcedente a pag. 541.*

ritorio coram Nobis conveniat, in causam trahere audeat : ac Pastoribus, sive Divinorum Rectoribus, ne nostra mandata exequantur, sub magnis, & formidabilibus pœnis prohibere non sunt veriti, neque verentur: per hæc, & alia diversa media nostram Ecclesiasticam jurisdictionem impedientes temere quidem & de facto: pœnas juris communis, & statutorum Ecclesiæ Coloniensis, contra impedientes Judicum Ecclesiasticorum jurisdictionem editorum damnabiliter incurrentes, in animarum suarum grave periculum: Hinc est, quod Nos Officialis præfatus, pro parte supradicti M. Francisci de Reymbach, Procuratoris Fiscalis, debita cum instantia requisiti, vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrorum cuilibet in solidum, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districte præcipiendo committimus & mandamus; quatenus accedentes, quo propterea fuerit accedendum, & accedere fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, moneatis, & requiratis, vice & authoritate nostris, prænominatos Drossatos, Burgimagistros, Officiatos, Amptmannos, Advocatos, Scholtetos, Scabinos, & alios hujusmodi, judicia temporalia regentes, quorum nomina sciveritis, aut quos lator præsentium vobis dixerit, in specie nominandos, reliquos vero in genere publice de ambonibus Ecclesiarum vestrarum, tempore Divinorum, populi multitudine inibi congregata, prout Nos eosdem conjunctim, & divisim authoritate nostra præsentium tenore sub excommunicationis, & decem millium florenorum, pro una dicto Procuratori Fiscali, & pro reliqua medietatibus fabricæ Ecclesiæ Coloniensis, si commissa fuerit, irremissibiliter applicandorum pœnis(*); ut intra sex dies vestram monitionem hujusmodi ipsis factam proxime sequentes, quos dies ipsis, & eorum cuilibet, pro omni dilatione, terminoque peremptorio ac monitione Canonica præfigatis, prout Nos eosdem dies sic præfigimus eisdem, omnia, & singula impedimenta, & prohibitiones, sic, ut præmittitur, præstita, & facta, ac præstitas, & factas, una cum omnibus inde secutis, animo non innovandi tollant, deponant, cassent, & revocent, tollique, deponi, cassari, & revocari efficiant, ac quilibet eorum (in quantum ipsum concernit) tollat, deponat, casset, & revocet cum effectu, Nosque desuper certificet; inhibentes nihilominus eisdem monitis, sub similibus pœnis, modo præmisso applicandis; ne ipsi deinceps nostram jurisdictionem ordinariam impediant, aut cursum mandatorum nostrorum prohibere, aut quicquam contra eandem, & in illius præjudicium, enervationem, vilipendium, & contemptum attentare audeant, vel præsumant, seu aliquis eorum audeat, vel præsumat per se, vel alios, publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quovis quæsito ad hoc colore, vel ingenio. Alioqui ipsos omnes & singulos, contrarium facientes, dictam excommunicationis sententiam incidisse declarabimus. Et nihilominus ad prædictæ pœnæ pecuniariæ extortionem, sive exactionem, arctius, quo de jure poterimus, procedemus, & procedi faciemus. Citantes nihilominus eosdem monitos, & inhibitos, & eorum quemlibet peremptorie coram Nobis ad Aulam Archi Episcopalem Coloniensem, in qua jura reddi solent, ad primam diem juridicam, cursum, sive terminum dictæ nostræ monitionis proxime sequentem, & ad horam primarum judicii, sive causarum audiendarum coram Nobis consuetam; ad docendum, & fidem legitimam Nobis faciendam, se hujusmodi nostris monitioni, & inhibitioni realiter, & cum effectu paruisse: alioqui eos, & eorum quenlibet pœnas prædictas incidisse declarari, literas declaratorias desuper necessarias decerni & concedi per Nos, videndum, audiendum, vel dicendum, causam rationabilem, quare ea fieri non debeant, allegando, cum intimationibus debitis, & consuetis. Reddite literas sigillatas, diem, seu dies, atque modum, & formam executionis præsentium, & quicquid in præmissis feceritis, Nobis liquide rescribentes. Datum anno Domini 1513. die V. Septembris.

(*) *Supple*: monemus.

De exequendis Teſtamentis.

OFFICIALIS CURIÆ COLONIENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS PAROCHIALIUM ECCLESIARUM, CAPELLARUM, ALTARIUM, DIVINORUMQUE RECTORIBUS, CÆTERISQUE PRESBYTERIS, CLERICIS, NOTARIIS, ET TABELLIONIBUS PUBLICIS QUIBUSCUNQUE, PER CIVITATEM, ET DIŒCESIN COLONIENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, NOBIS SUBJECTIS, SALUTEM IN DOMINO.

GRavi cum querela pro parte providi M. Franciſci Sluin de Reymbach, Procuratoris Fiſcalis Reverendiſſimi Domini noſtri, Domini PHILIPPI, Archi-Epiſcopi Colonienſis, Nobis inter alia expoſitum fuit; quod, licet tam juris communis, quam etiam Statutarii inſignis Eccleſiæ Colonienſis diſpoſitionibus, & ordinationibus ſalubriter cautum eſſe dignoſcitur; quod manufideles, ſeu Executores teſtamentorum, ſive ultimarum voluntatum, intra annum tunc proxime ſequentem ad teſtamenta, & ultimas voluntates hujusmodi implendas pariter, & exequendas adſtricti exiſtant: eſtque nihilominus veritas; quod nonnulli fuerunt, erant, & ſunt manufideles, ſeu Executores teſtamentorum, ſive ultimarum voluntatum quorundam Sacerdotum, ac aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum, & ſæcularium, Diœceſis prædictæ, ſeque pro talibus, & ut tales de rebus, & bonis, per, & poſt obitum & deceſſum eorundem relictis, intromittendo, præter id, & absque eo, quod ultimas voluntates eorundem intra tempus ſupradictum, aut alias tam juris communis, quam etiam ſtatuti ſupradicti diſpoſitione pariter, & ordinatione executioni demandare, aut etiam de rebus, & bonis per eos receptis, & inventis calculum, & computum legales reddere curaverint, in ſalutis animarum eorundem teſtatorum, & decedentium poſtergationem per maximam. Hinc eſt, quod Nos Officialis præfatus pro parte ſupradicti Magiſtri Franciſci de Reymbach Procuratoris Fiſcalis, debita cum inſtantia requiſiti, vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet in ſolidum, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna diſtricte præcipiendo committimus, & mandamus, quatenus vice, & authoritate noſtris, & ad inſtantiam dicti Magiſtri Franciſci Fiſcalis moneatis, & requiratis, prout Nos ſub excommunicationis, & ſexingentorum florenorum aureorum in auro, ſupradicto Reverendiſſimo Domino Archi-Epiſcopo &c, & ejus Fiſco, ſi commiſſæ fuerint, irremiſſibiliter applicandorum pœnis, monemus, & requirimus omnes & ſingulos manufideles, ſeu teſtamentorum, ſive ultimarum voluntatum Executores, per civitatem, & Diœceſin Colonienſem ubilibet conſtitutos, tempore præſentium executionis in ſpecie nominandos; ut intra ſex dies, veſtram monitionem, & præſentium executionem ipſis factam, proxime ſequentes, quos dies ipſis pro omni dilatione, terminoque peremptorio, ac monitione Canonica, ad id præfigatis, & aſſignetis, prout Nos eosdem dies præfigimus, & aſſignamus eisdem, coram Nobis, ſeu Venerabili Viro, Domino Sigilliſero dictæ Curiæ compareant, atque, quo jure ſe de rebus, & bonis teſtatorum, & per eos relictis, intomiſerunt, & intromittunt; atque ſe eorundem teſtatorum ultimas voluntates intra tempus ſupra expreſſum legitime fuiſſe executos doceant, & fidem faciant legitimam, atque de rebus, & bonis per eos receptis, & inventis calculum, & computum reddant legales realiter, & cum effectu, alioquin in ipſos omnes, & ſingulos contrarium facientes, dictam excommunicationis ſententiam incidiſſe, & incurriſſe, in ſcriptis declarabimus, & nihilominus ad prædictæ pœnæ pecuniariæ, ſive mulctæ extortionem, & exactionem arctius, quo de jure poterimus, procedemus, & procedi faciemus juſtitia mediante: niſi ſaltem medio tempore cauſam, ſi quam habeant, rationabilem, quare præmiſſa minime fieri debeant, & ad ea non teneantur, allegaverint, altera parte ad hoc legitime vocata, ſive citata. Citantes inſuper eosdem monitos, & eorum quemlibet, ad præfati conquerentis inſtantiam, peremptorie coram Nobis ad Aulam Archi-Epiſcopalem Colonienſem, in qua jura reddi ſolent, ad primam diem, curſum ſive terminum dictæ monitionis noſtræ proxime ſequentem, juridica

ſi

ſi fuerit, & Nos pro Tribunali ſederimus: alioqui ad proximam diem juridicam, extunc immediate futuram, & ad horam primarum judicii, ſive audientiæ cauſarum coram Nobis conſuetam, ad docendum, & fidem legitimam Nobis faciendam, ſe, & eorum quemlibet prætacto noſtro monitionis-mandato realiter, & cum effectu, ac in omnibus, & per omnia juxta ipſius vim, formam, & tenorem paruiſſe, & obediviſſe, alioqui ad videndum, & audiendum, ipſos, & eorum quemlibet pœnas, ſententias, & cenſuras prædictas damnabiliter incidiſſe, & incurriſſe declarari, literasque declaratorias, deſuper neceſſarias, & opportunas per Nos decerni, & concedi: vel dicendum cauſam, ſi quam habeant, rationabilem, quare præmiſſa minime fieri debeant, & ad ea non teneantur, allegando, cum intimationibus debitis, & conſuetis. Reddite literas ſigillatas, diem, ſive dies, atque modum, & formam executionis præſentium, & quidquid in præmiſſis feceritis, ſeu alter veſtrum duxerit faciendum, Nobis liquide reſcribendo. Datum anno Domini 1513. die 26. menſis Septembris.

Sequuntur Capitula octo HERMANNI IV. Archi-Epiſc. Colonienſis, quorum ſupra facta eſt mentio, deſignatis eorundem initiis, & quæ in Tomis præcedentibus non leguntur.

I. ITem mandat idem Venerabilis Dominus Officialis, ſub eisdem pœnis & cenſuris, univerſis & ſingulis Eccleſiarum Parochialium & Capellarum Rectoribus, per civitatem & Diœceſim Colonienſem ubilibet conſtitutis, ut quam cito ipſi aliquas aggravationes, contra quoscunque eis oſtenſas & præſentatas viderunt, eosdem ſic aggravatos, excommunicatos, immediate vitent, & ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis juxta tenorem earundem literarum publice in Eccleſiis & Capellis eorum tempore Divinorum denuncient, ipſosque ſic excommunicatos ad intereſſendum Divinis non admittant, niſi viſa primitus, & ante omnia per eos abſolutione ſigillata hujusmodi excommunicatorum: non obſtante, quod partes inter ſe factæ eſſent concordes.

II. Item mandat idem Venerabilis Dominus Officialis eisdem Paſtoribus & Vice-Plebanis, ſub ſimilibus pœnis, ut ipſi circa executionem mandatorum noſtrorum, & aliorum Judicum Eccleſiaſticorum diligenter attendant, non ſcribendo, ut ſolent: Executum, ut in forma: non nominando per quem, vel contra quem, vel qua die, vel in propriam perſonam, vel locum domicilii &c. quare plures partes negliguntur & periclitantur; Sed ſic ſcribere debeant: Executum eſt præſens mandatum per me N. talem, contra N. talem, anno, die tali, in propriam ejus perſonam, vel in locum domicilii. Et in teſtimonium executionis ſigillum Eccleſiæ ſuæ, vel proprium, ut antiquitus fieri conſuevit, hujusmodi mandato executo inferius appendant. &c. Alioqui.

III. Item mandat & inhibet idem Venerabilis Dominus Officialis, ne dicti Paſtores, aut Plebani, poſtquam eis conſtiterit, quod aliquis Parochianus eorum, aliquem, vel aliquam, ſuper matrimonio coram eodem Domino Officiali, aut alio Judice competente in cauſam traxiſſet; illos ſic litigantes, etiam ante, vel poſt ſententiam latam ad ſolennizandum matrimonium cum alio, vel alia admittant; niſi prius viderint ſententiam ſigillatam illius judicis ſigillo, coram quo hujusmodi cauſa fuit ventilata.

IV. Item mandat & inhibet idem Venerabilis Dominus Officialis eisdem Plebanis, & Vice-Plebanis, ne ipſi aliquos reclamatos ſuper clandeſtino matrimonio, ad ſolennizandum illud in facie Eccleſiæ admittant, niſi viſa per eos ſententia deſuper lata & ſigillata.

V. Item inhibet idem Venerabilis Dominus Officialis ſub ſimilibus pœnis omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis & Religio-

ligiosis intra Civitatem & Diœcesin Coloniens. ubilibet constitutis, quacunque authoritate fungentibus, ne ipsi in suis Monasteriis, Ecclesiis, & Conventibus, aliquas novas Fraternitates, vel Indulgentias pronunciare audeant, aut pronuncient, nisi de licentia Reverendissimi Domini nostri Archi Episcopi Coloniensis, aut ipsius Officialis, desuper obtenta.

VI. Item exhortantur & monentur prædicti Pœnitentiarii, & quicunque Confessores, ut ipsi fabricam hujus insignis Ecclesiæ Coloniensis in suis sermonibus & confessionibus habeant promotam & recommendatam: inhibentes eisdem, ne ipsi aliquem, impedientem Ecclesiasticam, sive spiritualem jurisdictionem, absolvant, sed illum, vel illos, ad Venerabilem Dominum Sigilliferum, remittant.

VII. Item inhibet idem Venerabilis Dominus Officialis eisdem Pœnitentiariis, sub pœna suspensionis a Divinis, & excommunicationis, ne ipsi in confessionibus, aut alias se de auditione, aut cognitione causarum matrimonialium intromittant; sed confitentes de facto, matrimonium tangente, ad eundem Venerabilem Dominum Officialem, tanquam Ordinarium, ad quem cognitio causarum matrimonialium de jure spectare dignoscitur, indilate remittant, justitiam desuper ab eodem recepturos expeditam.

VIII. Item mandat idem Venerabilis Dominus Officialis omnibus & singulis Christianitatum Decanis Diœcesis Coloniensis, ut ipsi Pastoribus, sive Divinorum Rectoribus singularum Ecclesiarum Parochialium, tam Conventualium, quam aliarum Ecclesiarum ejusdem Diœcesis, mandent sub excommunicationis pœnis, ad conscribendum nomina & cognomina Pastorum, & Vicariorum, in Ecclesiis eorum personaliter residentium, & non residentium, ac titulos beneficiorum, & officiorum in eorundem Ecclesiis, cum nominibus & cognominibus: & nomina defunctorum hujusmodi Beneficiatorum & Officiatorum, ac valorem illorum, intra hinc & proximam Synodum futuram, hujusmodi eidem Domino Officiali, aut Fisco ejusdem, per ipsos descripta notificandum, & in scriptis singula præmissa significandum sub pœnis præexpressis.

Ex Statutis Coloniensibus, impressis typo Quenteliano Coloniæ anno 1554.

HERMANNI V. Archi-Episc. Coloniensis MANDATUM

Ad Officialem suæ Curiæ, de Brevi Apostolico Leonis X. PP. contra violatores Ecclesiasticæ Libertatis, ejusdemque Bulla Cœnæ Domini, in proxima Synodo publicandis.

Anno Christi MDXV. Leonis X. PP. III. Maximiliani I. Imp. XXII.

HERMANNUS, (*) DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ELECTUS ET CONFIRMATUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX. &c. VENERABILI CANCELLARIO, DEVOTO NOBIS AC DILECTO, MARTINO DE OEDE, OFFICIALI CURIÆ NOSTRÆ COLONIENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

Literas Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini LEONIS, Divina Providentia Papæ X. ejus vera Bulla plumbea, filis sericis sub impendente,

(*) De Hermanni V. Wedani, qui anno 1540. a fide defecit, gestis & fatis, vide dicenda ad Synodum Provincialem Coloniensem, ab ipso celebratam anno 1536.

dente, nec non alteras in forma Brevis Apoſtolici, ſub annulo Piſcatoris ſignatas, ſanas quidem & integras, non vitiatas, non cancellatas, ſed omni prorſus ſuſpicione carentes, Nobis præſentatas, cum ea, qua decuit, reverentia recepimus: quas tibi præſentibus colligatas mittimus. Et quia Nos per alia Eccleſiæ noſtræ (quibus diſtringimur) incumbentia negotia, in proxime futura Synodo, ubi hæ literæ commodius publicantur, earundem executioni perſonaliter intereſſe non poſſumus, Tibi committimus & mandamus, ut literas hujusmodi utrasque, & earundem contenta in proxime futura Synodo publices, ſeu publicari mandes, ac per alios Eccleſiarum civitatis & Diœceſis noſtræ Colonienſis Rectores, loco & temporibus, in eisdem contentis, & juxta eorum continentiam, modum & formam, ſub pœnis in eisdem expreſſis, inſinuari, publicari, & ad notitiam omnium & ſingulorum, quorum intereſt, deduci facias & procures. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum fidem & teſtimonium, has noſtras literas fieri, ſigillique noſtri ſub impreſſione fecimus communiri. Datum in Arce noſtra Arnsberch, menſis Septembris die XX. anno Domini MDXV.

BREVE APOSTOLICUM ad HERMANNUM V. Archi-Epiſcopum Colonienſem.

LEO PAPA X.

VENERABILI FRATRI HERMANNO, ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI ELECTORI.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

NUper ſub data videlicet Non. Aprilis, Pontificatus noſtri anno tertio, inter alia excommunicavimus, & anathematizavimus omnes violatores & perturbatores libertatis Eccleſiaſticæ, aut illam quovis modo impedientes, & eos præſertim, qui contra Sacrorum Canonum inſtituta, Eccleſiaſticis perſonis ſine ſpeciali licentia Romani Pontificis, collectas vel alia onera, aut quævis gravamina realia, vel perſonalia, imponunt vel exigunt, aut imponi, vel exigi faciunt, vel procurant per ſe, vel alium, ſeu alios, directe vel indirecte, ac dantes in præmiſſis auxilium, conſilium, vel favorem, prout in literis inde confectis plenius continetur. Cum autem, ſicut accepimus, diverſæ perſonæ tam Eccleſiaſticæ, quam ſeculares, ac communia & univerſitates illarum partium, Eccleſiis, Clero & Eccleſiaſticis perſonis Tuarum civitatis & Diœceſis Colonienſis, in perſonis, privilegiis, bonis ſuis, diverſas moleſtias, impedimenta, & injurias inferre non formidant, in Sedis Apoſtolicæ, ac literarum earundem contemptum, & præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis, ac animarum ſuarum periculum, pernicioſum quoque exemplum & ſcandalum plurimorum; Nos igitur præmiſſa conniventibus oculis præterire non valentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, juſtitia, & æquitate id ſuadentibus, Fraternitati Tuæ in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ac ſuſpenſionis a Divinis latæ ſententiæ, & aliis in dictis literis contentis pœnis, præcipimus & mandamus, quatenus dictas literas, quas ad Te mittimus, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, in prædictis, ac tuorum Suffraganeorum civitatibus & Diœceſibus, ſaltem quater in anno, videlicet in principalioribus Feſtivitatibus anni, per Rectores Parochialium Eccleſiarum civitatis & Diœceſis prædictarum, in eorum Eccleſiis, dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, ac alias, & per alios, ubi, quando, & quoties opus fuerit, & Tibi videbitur expedire, ſolenniter publicari, & ad Chriſti fidelium mentes deduci facias. Nos enim præfatis Rectoribus, & quibusvis aliis Eccleſiaſticis perſonis tam ſecularibus, quam quorumvis etiam mendicantium ordinum Regularibus ſub excommunicationis, & privationis beneficiorum ſuorum ac privilegiorum, illis, ac eorum Monaſteriis, ordinibus & locis conceſſorum, ac inhabilitatis ad beneficia & ordines, ac irregularitatis latæ ſententiæ, & aliis in dictis literis contentis pœnis, quas toties, quoties in præmiſſis contravene-

venerint, ex nunc, prout ex tunc, & econtra, eos incurriſſe, & ab illis per alios, quam Nos, & dictam Sedem, etiam vigore cujuscunque facultatis, aut privilegii, etiam mare magnum nuncupati, præterquam in mortis articulo, & ſatisfactione prævia, abſolvi nullatenus poſſe decernimus, & declaramus: ne violatores, perturbatores, & inobedientes prædictos, ac quoscunque alios, per Nos, & in dictis literis excommunicatos, & anathematizatos, ab hujusmodi cenſuris abſolvere præſumant, diſtrictius inhibentes. Et nihilominus per Te, vel alium, omnes & ſingulos prædictos, etiam exemptos, qui in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum contravenerint, ſententias, cenſuras, & pœnas hujusmodi damnabiliter incurriſſe: authoritate noſtra, etiam extra judicialiter, ac unica citatione præcedente, & omni alia juris ſolennitate omiſſa, declares: & pro talibus publicari, & ab omnibus Chriſti fidelibus arctius evitari facias, ac in eorum Eccleſiis & locis interdictum Eccleſiaſticum apponas, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis volumus non obſtare, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod transſumptis præſentium, manu publici Notarii ſubſcriptis, plena fides ubique in judicio & extra adhibeatur, prout adhiberetur eisdem præſentibus originalibus literis, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die ſecunda Maji, MDXV. Pontificatus Noſtri anno tertio.

JAC. SADOLETUS.

Sequitur:

BULLA JOVIS SANCTÆ, ſic a publicatione, quæ ſolenni COENÆ DOMINI die Romæ fit, appellata. (*)

LEO EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Conſueverunt Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, ad retinendum puritatem religionis Chriſtianæ, & ipſius unitatem, quæ in conjunctione membrorum ad unum caput, Chriſtum videlicet, ejusque Vicarium, principaliter conſiſtit, & ſanctam fidelium ſocietatem ab offenſione ſervandam; arma juſtitiæ per miniſterium Apoſtolatus, in præſenti celebritate exercere. Nos igitur vetuſtum & ſolennem hunc morem ſequentes, excommunicamus & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, authoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, omnes hæreticos, Gazaros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnoldiſtas, Sphæroniſtas, Paſſagerios, Wicleviſtas, ſeu Huſſitas, Fratricellos, de opinione nuncupatos, & quoslibet alios hæreticos, quocunque nomine cenſeantur, ac omnes fautores, receptatores, & defenſores eorundem. Item excommunicamus & anathematizamus omnes violatores, & perturbatores libertatis Eccleſiaſticæ, aut illam quovis modo impedientes, & eos præſertim, qui contra Sacrorum Canonum inſtituta, Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis, ſine licentia ſpeciali Romani Pontificis, collectas, vel alia onera, aut quævis gravamina realia, vel perſonalia imponunt, vel exigunt, aut imponi, vel exigi

(*) Mos in Principe Rom. Eccleſia vetuſtiſſimus fuit, ut die ſolenni Cœnæ Domini, authoritate Summi Pontificis, iis, qui ob admiſſa publica crimina pœnitentiam publicam, ſub initium Quadrageſimæ acceptam egiſſent, Eccleſiæ publice reconciliarentur: qui vero criminibus publicis obſiti, nullam de ſe ſpem reſipiſcentiæ præbuisſent, aut præberent, ab illius conſortio & communione anathematis mucrone abſcinderentur. Qui mos non temere introductus, ſed acceptus eſt partim ex diſciplina Apoſtolica, tradita 1. Cor. 5. & 2. Cor. 2. Partim ab exemplo Domini, qui die Sacræ ſuæ Cœnæ, Juda proditore miſſo foras, Apoſtolis ſuis, cum externa lotione, tum Divino ſermone purificatis, Cœleſtis doctrinæ arcana contradidit. Vide quoque, ſi voles, poſt veteres de iſthoc Eccleſiæ more *Durandum* Libro *Rationali* Divinorum, *Titulo de Officio diei Cœnæ Domini.*

Notatio hæc legitur in Libro Statut. Colonienſ.

exigi faciunt, aut procurant per se vel alium, seu alios, directe vel indirecte, ac dantes in præmissis auxilium, consilium, vel favorem. Item excommunicamus & anathematizamus omnes piratas, corsarios, latrunculos maritimos, & alios, præcipue, qui mare nostrum a monte argentario usque ad Terracinam discurrere, & navigantes in illo deprædari, mutilare, interficere, ac rebus & bonis suis spoliare hactenus præsumpserunt, ac omnes receptatores eorundem, ac eis auxilium dantes, consilium, vel favorem. Item excommunicamus & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia imponunt, vel prohibita exigunt. Item excommunicamus & anathematizamus omnes falsarios Bullarum, seu literarum Apostolicarum, & supplicationum, gratiam & justitiam continentium, per Summum Pontificem, vel Vice-Cancellarium, seu gerentes vices eorum, aut officium Vice-Cancellarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de mandato ejusdem Summi Pontificis, signatarum, aut sub nomine ejusdem Summi Pontificis, seu Vice Cancellarii, seu gerentium vices prædictorum, signantes supplicationes easdem. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, ligamina, & alia prohibita deferunt Saracenis, Turcis, & aliis Christi nominis inimicis, quibus Christianos impugnant. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes victualia, seu alia, ad usum Romanæ Curiæ necessaria, adducentes: vel qui, ne ad Romanam Curiam ipsa adducantur, vel deferantur, impediunt, vel perturbant: qui talia faciunt, vel defendunt, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis & status, etiamsi Pontificali, Regali, Reginali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate. Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, nec non omnes illos, qui jurisdictionem ordinariam vel delegatam aliquam non habent, in eadem Curia morantes, temeritate propria rapiunt, spoliant, & detinent, aut ex proposito deliberato verberare, mutilare, vel interficere præsumunt, & qui talia fieri faciunt, seu mandant.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes temere mutilantes, vulnerantes, interficientes, capientes, carcerantes, & detinentes Patriarchas, Archiepiscopos, eorumque mandatores.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, quascunque personas Ecclesiasticas, vel seculares, ad Romanam Curiam super eorum causis & negotiis recurrentes, illaque in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, vel Procuratores ipsorum, vel etiam Auditores, seu Judices, super dictis causis, seu negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum ejusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, seu bonis spoliant: ac illos, qui ne literis & mandatis, & Apostolicæ Sedis, & Legatorum, Nunciorum, & Judicum delegatorum ejusdem, gratiam vel justitiam concernentibus, decretisque super illis, & cæteris judicatis processibus, & executorialibus, non habito primo eorum beneplacito & assensu pareatur: neve Tabelliones & Notarii, literarum & processuum executiones, instrumenta vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus est, tradere, sub gravissimis pœnis prohibere, statuere, seu mandare: quive in animarum eorundem periculum se a nostra, & Romani Pontificis pro tempore obedientia, pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt: quive jurisdictionem, seu fructus, ad Ecclesiasticas personas pertinentes usurpant vel arripiunt, vel qui per se, vel alium, seu alios directe vel indirecte prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel favorem præstare non verentur: cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis & status fuerint, etiamsi Pontificali, Regali, Reginali, vel quavis alia præfulgeant dignitate. Item excommunicamus & anathematizamus omnes mutilantes, vulnerantes, & interficientes, seu capientes & detinentes, seu deprædantes Romipetas & peregrinos, ad urbem causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel recedentes ab ipsa, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, sub quocunque titulo vel colore occupant, detinent, vel hostiliter destruunt, seu invadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, vel invadere hostiliter præsumunt, in totum, vel in partem, Almam urbem, Regna Siciliæ, vel Trinacriæ, Insulas Sardiniæ & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimæ Provincias, & Terras specialis commissionis Arnolphorum, Bononiensium, Ferrariensium, Beneventanorum, Perusii, Avinionensis civitatis, Castelli, Tuderti, & alias civitates, terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam spectantia & pertinentia; & adhærentes & fautores, & defensores eorum, seu in his dantes eisdem consilium, auxilium vel favorem. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, & indulgentiis, & litteris Apostolicis, generalibus, vel specialibus, eis, vel eorum alicui, vel aliquibus, cujuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis, dignitatis vel præeminentiæ fuerint, etiamsi (ut præmittitur) Pontificali, Regali, Reginali, seu quavis alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, a prædicta Sede sub quavis forma vel tenore concessis, quod excommunicari vel anathematizari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac ordinibus, locis, nominibus omnibus propriis, cognominibus & dignitatibus eorundem, mentionem: Nec non consuetudinibus & observantiis, scriptis & non scriptis, & aliis contrariis quibuscunque, per quæ contra nostros processus hujusmodi, ac sententias, quo minus includantur in eis, se juvari valeant, aut tueri: & quæ, quoad hoc, penitus tollimus & omnino revocamus: & a quibus quidem sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi duntaxat in mortis articulo constitutus, absolvi possit: nec etiam tunc, nisi de stando Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mandatis, satisfactione, vel sufficienti cautione præstitis: etiam prætextu confessionalium, seu quarumvis facultatum, verbo, literis, aut quavis alia scriptura, etiam in qua, quod sola signatura sufficeret, concessorum, & quævis derogatoriarum derogatoriæ fortiores & efficatiores, & insolitæ clausulæ apparerent, quibuscunque personis, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status fuerint, etiamsi (ut præmittitur) Pontificali, Regali, Reginali, aut quavis alia præfulgeant dignitate, Religiosis & secularibus utriusque sexus, Capitulis, Collegiis, Conventibus, etiam mendicantium, & militiarum hospitalibus, Confratriis, & Universitatibus concessarum a Nobis, vel prædicta Sede, & quas concedi contigerit quomodolibet in futurum. Illos autem, qui contra tenorum præsentium talibus, vel alicui eorum, seu aliquibus, absolutionis beneficium impendunt de facto, excommunicationis & anathematizationis sententia innodamus: eisque prædicationis, lectionis, administrationis Sacramentorum & audiendi confessiones officia interdicimus, prædicentes, & declarantes aperte transgressoribus & contemptoribus prædictis, Nos gravius contra eos spiritualiter & temporaliter, prout expedire cognoverimus, processuros, & nihilominus quidquid egerint absolvendo, vel alias, nullius sit roboris ac momenti. Ut autem hujusmodi nostri processus ad communem omnium notitiam deducantur, chartas sive membranas processus continentes eosdem in valvis Basilicarum Principis Apostolorum, Sanctique Johannis Lateranensis de urbe affigi, seu appendi faciemus, quæ processus ipsos suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt, ut hi, quos processus hujusmodi contingunt, qui ad ipsos non pervenerint, aut qui ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, seu ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Verum ut præsentes literæ, ac omnia in eis contenta, eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus & locis fuerint publicata, Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis,

copis, & locorum Ordinariis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, saltem semel in anno, aut pluries, prout expedire viderint, in Ecclesiis suis, dum major in eis populi multitudo ad Divina convenerit, solenniter publicent, & ad Christi fidelium mentes deducant, & declarent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, ablationis, revocationis, innodationis, commissionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo, quinto decimo, Nonis Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

De CURIA.

D. de Comitibus.


Anno a Nativitate Domini Millesimo quingentesimo quinto decimo, Indictione tertia, die vero septima Mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Leonis, Divina providentia Papæ decimi, anno tertio, retroscriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt in Basilicarum Principis Apostolorum, ac Sancti Joannis Lateranensis valvis, seu portis, dimissis ibidem copiis, ut moris est, per me Hubertum Jacobi, præfati Sanctissimi Domini nostri Cursorem.

Ita est. Jo. Bernardi *pro Magistro Curs.*

OFFICIALIS Curiæ Coloniensis, Executor & Commissarius ad infra scripta a Reverendissimo, & Illustrissimo Principe & Domino nostro, Domino HERMANNO, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Electo, & Confirmato, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellario, Principe Electore, Westphaliæ & Angariæ Duce &c. specialiter deputatus, universis & singulis Parochialium Ecclesiarum, Capellarum, Divinorumque Rectoribus, cæterisque Plebanis, Vice-Plebanis, Capellanis, Curatis, & non Curatis, per Civitatem & Diœcesin Coloniensem ubilibet constitutis, Salutem in Domino, & nostris hujusmodi, immo verius Apostolicis, ac præfati Reverendissimi Domini nostri, Domini Hermanni, Electi & Confirmati &c. firmiter obedire mandatis.

Literas Commissionis præfati Reverendissimi Domini nostri, Domini Hermanni, Electi & Confirmati, super publicatione quarundam literarum Apostolicarum Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini LEONIS, Divina providentia Papæ decimi, ejus vera Bulla plumbea in filis sericis sub impendente Bullatarum, in quibus inter alia, die Jovis Sancta proxime præterita excommunicavit & anathematizavit omnes violatores & perturbatores libertatis Ecclesiasticæ, aut illam quovis modo impedientes, & eos præsertim, qui contra Sacrorum Canonum instituta, Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, sine speciali licentia Romani Pontificis, collectas, vel alias onera, aut quævis gravamina realia vel personalia imponunt, vel exigunt, aut imponi, vel exigi faciunt, vel procurant, per se, vel alium, directe vel indirecte, aut dantes in præmissis auxilium, consilium, vel favorem, prout in ipsis literis Apostolicis plenius continetur. Ac quarundam aliarum literarum in forma Brevis Apostolici, sub annulo Piscatoris signatarum, præfato Domino nostro Reverendissimo, per Sanctissimum Dominum Papam nostrum directarum, ejusdem Domini Reverendissimi Sigillo, spatio earundem literarum inferius impresso sigillatas recepimus. Quarum quidem, tum Apostolicarum utrarumque, quam Reverendissimi Domini nostri literarum tenores, præsentibus de verbo ad verbum præinseri fecimus. Nos itaque OFFICIALIS præfatus, volentes tam ipsas Apostolicas, quam præfati Reverendissimi Domini nostri, Domini Hermanni, Electi & Confirmati &c. Commissionis literas reverenter exequi, ac debitæ executioni (ut

(ut tenemur) quantum in Nobis eſt, demandare, utrasque Apoſtolicas ac Reverendiſſimi Domini noſtri literas una cum omnibus & ſingulis in eisdem contentis clauſulis, vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, intimamus, & inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram, & cujuslibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes. Vosque omnes & ſingulos ſupradictos, & veſtrum quemlibet in ſolidum tenore præſentium requirimus, & monemus primo, ſecundo, tertio, & peremptorie, vobis nihilominus & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis, ſententiis, & cenſuris, in ipſis literis Apoſtolicis contentis, diſtricte præcipiendo committimus & mandamus, quatenus utrasque literas Apoſtolicas præinſertas, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, ſaltem quater in anno, videlicet in principalioribus feſtivitatibus anni, in veſtris Eccleſiis, dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, & alias, ac per alios, ubi, quando, & quoties opus fuerit, & vobis videbitur expedire, ſolenniter publicetis, & ad Chriſti fidelium mentes deducatis, ſeu publicari & deduci faciatis. Alioqui contra illos, qui hujusmodi mandatis non paruerint, ad dictarum pœnarum, ſententiarum, & cenſurarum declarationem, ac alia, prout juſtum fuerit, procedemus, & procedi faciemus. In quorum fidem & teſtimonium, præſentes noſtras literas exinde fieri, & per Notarium, dictæque Curiæ Scribam Sententiarum, infra ſcriptum, ſubſcribi, Sigillique majoris Officialitatis dictæ Curiæ appenſione juſſimus & fecimus communiri. Sub anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, quinto decimo, die viceſima quarta menſis Septembris.



Epiſtola MAXIMILIANI I. Imperatoris
ad LEONEM *X. Rom. Pontificem,*
De Martini Lutheri Concionibus, ac Theſibus (*) contra Indulgentias, miſſa ex Conventu Auguſtano
Anno Chriſti MDXVIII. Leonis X. PP. VII. Maximiliani I. Imp. XXV.

BEATISSIME PATER, DOMINE REVERENDISSIME!

Accepimus non adeo multos ante dies, quendam Fratrem Auguſtinianum, Martinum Lutherum, nonnullas concluſiones, in materia Indulgentiarum, ſcholaſtico more diſcutiendas diſſeminaſſe, nec non in concionibus ſuis & de ea re, & de vi Apoſtolicarum excommunicationum plurima docuiſſe, in quibus damnoſa & hæretica pleraque videantur; atque ea nunc per Magiſtrum Sacri veſtri Palacii notata eſſe. Quæ res Nobis eo magis diſplicuit, quo pertinacius dictus Frater, ut edocti ſumus, doctrinæ ſuæ inhærere, atque complures errorum ſuorum defenſores & patronos, etiam potentes conſecutus eſſe dicitur.

Verum cum ſuſpectæ aſſertiones & periculoſa dogmata a nemine melius, rectius, & verius dijudicari queant, quam a Beatitudine veſtra, quæ ſola, ut poteſt, ita debet vanarum quæſtionum, Sophiſticarum rationum, & verboſarum contentionum autores compeſcere, quibus peſtilentiores Chriſtianæ pietati nulli contigerunt; hoc tantum ſpectantes, ut, quod ipſi didicerunt, id ſolum habeatur in precio, non, quod præſentis ſeculi, & eruditiorum conſenſus, & pie antea in Chriſto defunctorum candida & ſolida doctrina comprobat.

Extat perveteſtum Pontificii Senatus Decretum *de conſtituendis Doctoribus*, in quo de Sophiſtica nuſquam quidquam cautum eſt, niſi quod iſta in Decretis vocantur in dubium; utrum fas ſit, ea diſcere, nec ne: atque horum ſtudium a mul-

a multis, & magnis authoribus improbatur.

Cum igitur, quod Pontificum authoritas juſſit, negligitur, & de quo dubitatum, imo improbatum eſt, id ſolum recipitur; neceſſe eſt interdum hallucinari, ſomniare, & cæcutire Magiſtros iſtos: quibus debetur, quod non ſolum hactenus Doctores ab Eccleſia recepti ſolidiores non lecti, ſed plerique depravati ſunt, atque mutili redditi.

Taceamus iis authoribus pullulaſſe longe plures, quam unquam damnatas fuiſſe hæreſes; Taceamus Reuchlinianam infamationem, & nunc præſentem hanc periculoſiſſimam de indulgentiis, atque cenſuris Apoſtolicis diſceptationem, his pernicioſis authoribus in mundum emanaſſe. Quibus niſi Beatitudinis veſtræ, & Reverendiſſimorum Patrum auctoritas legem, finemque impoſuerit; brevi non ſolum imperitæ imponent multitudini, ſed & Principum virorum ſibi aurem & favorem in mutuam perniciem comparabunt.

Quibus ſi conniventibus oculis campus apertus, atque liber dimittatur, futurum eſt, ut, quod omnium maxime in votis habent, ut pro optimis & Sanctiſſimis Doctoribus iſtorum nænias præ oculis habere cogatur totus mundus.

Hæc pro ſingulari noſtra in Sedem Apoſtolicam reverentia Beatitudini veſtræ ſignificavimus, ut ſinceritas Chriſtiana hujusmodi temerariis diſputationibus & captioſis argumentis non lædatur & ſcandalizetur. Nos enim quidquid ſuper his ſancte ſtatuerit, in Imperio noſtro ad laudem & honorem Dei omnipotentis, & Chriſti fidelium ſalutem, ab omnibus obſervari faciemus. Datum in Civitate noſtra Imperiali Auguſta, die quinta menſis Auguſti, Anno Milleſimo quingenteſimo decimo octavo. Regnorum noſtrorum Romani trigeſimo tertio, Hungariæ vero vigeſimo nono.

MAXIMILIANUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM REX.

Nicolaus Zieglerus.

Goldaſt. Conſtit. Imperial. Tom. II. Lunig Spicil. Eccl. T. I. pag. 369.

(*) Promulgatarum a Luthero theſium, de quibus Maximiliani in literis agitur, hæc fuit occaſio: Leo X. ob varias Eccleſiæ neceſſitates, ac cumprimis ob inferendum Turcis bellum, Vaticanamq; Baſilicam reſtaurandam, Fidelium opem ſibi implorandam cenſuerat: omnibusque, qui dictos in fines eleemoſynæ quidpiam ſua eſſent liberalitate collaturi, largas ex Eccleſiæ theſauro Indulgentias conceſſerat. Harum per Germaniam publicandarum negotium demandatum a Pontifice fuit Alberto Brandeburgico, Moguntino tunc Archi-Epiſcopo & Septemviro. Albertus ad exequendum id munus, Indulgentiasque prædicandas, Joannem Tetzelium delegit, ſtrenuum, doctumque ex Dominicana familia virum, qui Fidei Quæſitoris officio fungebatur, ſuamque operam paulo ante in ſimili delegatione pro Teutonicis Equitibus egregie probaverat.

Ægre hunc delectum ferebant Auguſtiniani Eremitæ, qui, ut Spondanus ait, longo jam tempore id muneris obire conſueverant: nec modica inde nata eſt inter utriusque Ordinis Fratres æmulatio. Præ cæteris Joannes Staupitius, Auguſtinianorum per Germaniam Vicarius Generalis, Vir nobilis, eruditus atque facundus, & Martinus Lutherus, Wittenbergenſi in Academia Profeſſor, in abuſus primum, qui in ea Indulgentiarum prædicatione, ſimulque in collectione pecuniarum, tum per imprudentiam, tum etiam per avaritiam admitti ſolebant, vehementius invecti ſunt, monueruntque pro Concione populum, ne fucum ſibi fieri ſinerent, quæſtorumve ſuaſionibus deludi ſe paterentur.

Non diſplicuit ea res Friderico Saxoni Electori, ſuoque hortatu hæc Staupitii & Lutheri ſtudia animabat, tum quod his a viris Wittenbergenſi Academiæ, recens a ſe erectæ, claritudinis aliquod lumen adventurum crederet; tum etiam, quod in Albertum Moguntinum, quem Indulgentiis promulgandis a Pontifice præfectum diximus, iniquiore ferretur animo.

Incenſus hoc Ducis favore Lutherus, non ſatis habuit, abuſus perſtringere; ſed frequentibus inſuper ſermonibus in ipſos Indulgentiarum prædicatores debacchari cœpit, ac demum eo progreſſus fuit, ut, quo illis plus noceret, ipſarummet, quas commendabant, Indulgentiarum vim ac valorem non ore ſolum, ſed calamo etiam, ſcriptisque impugnaret. Igitur ultima die Octobris, in ipſo Sanctorum Omnium pervigilio anni

 MDXVII.

MDXVII. Theses seu Propositiones numero nonaginta & quinque publice exposuit, Valvis Wittenbergensis Basilicæ affixas, illarumque exemplum simul eadem ipsa die additis literis ad Albertum Archi-Episcopum Moguntinum transmisit, ac dein typis excusas, quaqua versum dispersit.

In his Thesibus, multa quidem, quæ vera; sed multa etiam admixta veris falsa legebantur. Carpebat in illis communem & receptum ab Ecclesia Indulgentiarum usum: Romanorum Pontificum in iis concedendis auctoritatem, eorundemque ligandi ac solvendi potestatem vocabat in dubium: Vellicabat insuper, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent: De thesauro Christi & Ecclesiæ, de purgatorio itidem nova, & a fidelium sensu aliena adstruebat.

Propositiones has ut vidit Joannes Tetzelius, qui Francofordiæ ad Oderam tunc morabatur, mox iisdem centum & sex propositiones opposuit, quibus Catholicam doctrinam & declarabat, & tuebatur: cumque, quod supra diximus, hæreticæ pravitatis inquisitor esset, Lutheranas Theses tanquam hæreticas, Spondano teste, exussit. Sed Tetzelianæ vicissim Propositiones parem a flammis Wittembergensibus contumeliam accepere: exemplaribus earundem octingentis publice in foro combustis, Academia universa ad hoc spectaculum advocata.

Atque ex his scintillis eruperunt ingentes illæ flammæ, quæ postmodum per Europam pene universam grassatæ sunt, in gravissimam complurium Regnorum, Germanici præsertim Imperii, perniciem ac stragem. Prævidens hæc Maximilianus Imperator, suis literis, quas attulimus, Pontificem obtestatus est, ut immirenti calamitati matura ope occurreret, & ne longius serperet malum, opportuno remedio præcaveret.

Vide Cochlæum, Authorem Luthero coævum, in Commentariis de actis & scriptis Lutheri. ad annum 1517. *Caspar. Ulenbergium de vita & rebus gestis Lutheri. C. II. Spondanum in Cont. Annal. Ecclesiastic. Baron. Tom. II. ad annum* 1517. *Emin. Cardin. Pallavic. in Hist. Conc. Trid. P. I. Cap. III. IV. & VI.*

SYNODUS TORNACENSIS

Anno Christi MDXX. Leonis X. PP. VIII. Caroli V. Imp. I.

SUB LUDOVICO ECCLESIÆ TORNACENSIS EPISCOPO.

LUDOVICUS, (a) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA TORNACENSIS EPISCOPUS.

PEr Ezechielem Prophetam pollicetur Dominus populo suo fideli salutarem directionem hisce verbis consolatoriis: *Suscitabo* (b) *super pecora mea Pastorem unum, qui pascat ea, servum meum David, ipse pascet ea, & erit eis in Pastorem: Pascet*, inquam, *scientia & doctrina*, inquit Jeremias. (c) Ex quibus quidem verbis evadit dilucidum, Episcopi præcipui Pastoris esse officium, gregem sibi a Domino commissum spirituali pabulo pascere debere, ipsumque ad læta duce-

(a) Carolo du Haut-Bois, Tornacensium Episcopo, anno 1513. e vivis erepto, Henricus VIII. Angliæ Rex, qui armis urbem occupaverat, Episcopi nominandi jus ad se devolutum existimans, Tornacensium Præsulem dixit Guillelmum Volsæum, Anglicani postea schismatis autorem. Sed reddita Gallis urbe ad annum 1518., cum nulla Volsæi haberetur ratio; Anno 1519. Cathedram adivit Ludovicus Guillard, cui eandem a Carolo, annuente Pontifice & Galliarum Rege, transcriptam fuisse supra meminimus in Notatione ad Synodum, anno 1509. a Carolo celebratam. Ludovicus postea in Gallia commoratus, Tornacensem Sedem cum Carnotensi permutavit ad annum 1524. ubi postquam contra hæreticos strenue decertasset, circa annum 1565. e vita discessit. *Le Groux in Synopsi Vit. Epp. Tornacens. De Castillon in Sacra Belgii Chronolog.*

(b) Ezech. 34. v. 23. (c) Jerem. 3. 15.

ducere paſcua ſalubris alimoniæ , per ſacræ Doctrinæ communicationem , & rectam diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtitutionem. Quod ſane diligenter & accurate præſtiterunt noſtri Prædeceſſores piæ memoriæ Ferricus, & Carolus, & eorum Anteceſſores : cum in ſolemni totius Eccleſiæ Tornacenſis convocatione, & Paſtorum ipſius Parochialium , Statuta Synodalia mature ac prudenter ſanxerunt, & eadem omnibus obſervanda publice promulgarunt. Idem quoque & Nos ipſi, Divino indultu in ſollicitudinem & curam paſcendi ejusdem gregis Dominici adſciti, jam pridem libenter præſtitiſſemus munus ; niſi in ipſo Præſulatus noſtri exordio, primisque foribus, incidiſſemus in tempora calamitoſa, quæ filias a piæ matris avulſerunt uberibus : in manus alienigenarum traditæ. Miſeranda plane illa rerum conditio , qua jus erat in armis & oppreſſis leges timor, nequaquam Nobis tum facultatem indulſit , ea exequendi munia , quæ in tranquillæ pacis & libertatis tempore fuiſſemus incunctanter executi. Verum huic ærumnoſæ temporum qualitati Deus (ut confidimus) finem optatum impoſuit. Id quoque in cauſa differendi præſentis negotii fuit , quod necdum Epiſcopalis conſecrationis munus ante fueramus adepti, legitimis certe cauſis impediti, quo minus eam prius ſuſciperemus. At vero , Quoniam Dei gratia jam ſacro ſuo delibuti ſumus oleo, & Epiſcopali conſecratione inſigniti ; liberior nunc & importunior (*d*) indulta Nobis eſt commoditas , noſtro fungendi , ad quod aſtringimur, officio: utpote Synodum convocandi , atque conſtitutiones Synodales , more Majorum noſtrorum decernendi. Acceſſit item huic impedimento & alterum non minus urgens : quod jam diutius detenti fuimus, & occupati in defendenda noſtræ Diœceſis immunitate Eccleſiaſtica, jureque & libertate noſtræ jurisdictionis contra oppugnantes & opprimentes illam ; in quo quidem negotio, quantum operæ, laboris & impenſarum adhibuerimus, novit Deus. Sane Paſtores ignavos increpat Dominus per Ezechielem, dicens: *Non aſcendiſtis ex adverſo: neque oppoſuiſtis murum pro Domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini.* (*e*) Cujus increpationis nota ne merito afficeremur; operæ pretium Nobis certe fuit , pro libertate Eccleſiaſtica, quaſi pro focis, arisque decertare: pro qua legimus plerosque ſanctos Viros ſanguinem ſuum effudiſſe , glorioſaque occubuiſſe morte. At cum nunc, adjutore Deo , lites illæ forenſes aliquantulum ſunt ſopitæ, neque tanto, ut prius, obſtrepunt tumultu; datur Nobis jam otium & opportunitas , ſequendi veſtigia Patrum noſtrorum, noſtroque Paſtorali officio utcumque ſatisfaciendi , per præſentis Synodi ſolemnem celebrationem,& publicam Statutorum Synodalium in ea divulgationem : Quæ partim a noſtris ſupradictis Prædeceſſoribus Ferrico & Carolo ſunt prius conſtituta: partim per Nos, adjectis nonnullis, quæ ſtatui & honeſtati totius Cleri noſtri conducentia videbantur , de novo edita, ad Dei laudem & noſtrorum ſubditorum Nobis commiſſorum ſalutem. Si enim colendis agris , putandis vineis, ovibusque curandis certæ ſtatuuntur leges; nonne longe potius excolendis hominum animis, componendis moribus , & plano virtutis calle dirigendis hominibus decernendæ ſunt? Si Regna, Civitates, & Reſpublicæ , militaris item diſciplina , nautica , & ſcholaſtica, ſuas expoſcant Sanctiones, Decreta, & Conſtitutiones, quibus probe regantur ; quis ibit inficias , Eccleſiaſticam Rempublicam ac diſciplinam rectis itidem legibus definiri debere, quibus ſolide nitatur ? Mandamus itaque , & præcipimus omnibus Decanis noſtræ Chriſtianitatis, & ſingulis Presbyteris noſtræ Diœceſis, præſertim Eccleſiarum Parochialium Rectoribus : quod integrum & verum exemplar hujusmodi ſtatutorum nunc publicandorum, infra trium menſium proxime ſequentium ſpatium habeant , ea ſæpius legant, aſſiduaque verſent manu ; quo facilius eadem intelligant, & intellecta ad unguem & integre obſervare ſtudeant. Confidimus, enim, illorum obſervationem mirum in modum valituram ad ornatum & decorem totius Eccleſiæ noſtræ: ad rectam morum totius Eccleſiaſtici cætus formationem, & lapſorum in melius erectionem : unde & honor

(*d*) *pro* opportunior

(*e*) Ezech. 13. v. 5.

honor Dei in primis augeatur, animarum ſalus procuretur, & ordinis Eccleſiaſtici ſplendor & dignitas amplificetur. Quæ omnia ut melius aſſequamur, iidem Decani & Eccleſiarum Parochialium Rectores, cum iiſdem ſtatutis noſtris in proxime celebranda Synodo compareant, illaque in manibus palam omnibus, atque in propatulo ſinguli contineant; quo ſe diligentes fuiſſe, ad ea obedienter opere complenda, quæ nunc injunximus, liquido oſtendant, & de illa obedientiæ promptitudine a Nobis commendari merito valeant.

Statuta Synodalia Diœceſis Tornacenſis,

Per Reverendum in Chriſto Patrem ac Dominum LUDOVICUM, ejusdem Diœceſis Epiſcopum, noviſſime ordinata.

Primo de Baptismo, & adjacentibus.

CAPUT I.

INjungimus Curatis, Vice-Curatis, & aliis Presbyteris noſtræ Diœceſis, quatenus reverenter ac cum gravitate & modeſtia Baptismi Sacramentum in Eccleſia, & non extra (niſi in caſu neceſſitatis) miniſtrent, verba Sacramentalia tractim proferant. Chrisma, Oleum ſanctum, fontes & piſcinas cum omni munditia & puritate teneant: obſtetrices & mulieres, quid & qualiter in caſu neceſſitatis circa dictum Sacramentum agendum ſit, inſtruant.

Item ordinamus, quod pro levando prolem maſculini ſexus de ſacro fonte, ultra duos viros cum una muliere: & pro fœminei ſexus ſobole ultra duas mulieres cum uno viro, abſque noſtra licentia non admittant. Injungant etiam Presbyteri Baptizantes puerum levantibus, ut ipſi in fidei articulis eum inſtrui procurent, & ad hoc dicti levantes aſtringantur.

Item inhibemus Decanis noſtris, Curatis, Vice-Curatis, cæterisque Presbyteris, & Religioſis noſtræ Diœceſis, ne mulieres, quæ in inceſtu, ſtupro, aut de Presbyteris, vel Religioſis conceperunt, nec etiam Moniales, Hoſpitalarias, Beghinas, aut alias Religioſas ad purificationem, ſeu reconciliationem, poſt partum recipere ſeu purificare præſumant: abſque noſtra, aut Curiæ noſtræ Tornacenſis licentia ſpeciali.

Item etiam ſimiliter inhibemus ipſis Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, Presbyteriſque, & Religioſis noſtæ Diœceſis; ne mulieres, quæ in adulterio, ſeu fornicatione conceperunt, ad purificationem poſt partum, abſque ſcitu & licentia Decani noſtri Chriſtianitatis loci admittant.

Item præcipimus Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, Presbyteriſque & Religioſis dictæ noſtræ Diœceſis, quatenus in Bapriſmo inquirant diligenter, & ſciant nomina & cognomina parentum parvulorum procreatorum, hujusmodique nomina & cognomina, atque Parochias, in quibus degunt, in ſcriptis redigant: nec non literas conſenſus tam Curiæ noſtræ, quam Decanorum Chriſtianitatis, de mulieribus purificandis, fideliter ſemel in anno dictæ Curiæ noſtræ exhibeant.

Item doceant Presbyteri, quod ſi pater, vel mater infantem ſuum in neceſſitate Baptizent, non propter hoc dimittant, quin ut conjuges ſe habeant, ſicut ante; ſi autem ſine neceſſitate hoc fecerint, vel exiſtente neceſſitate, fuerit alter, qui id potuit adimplere, & ipſi in propria (*f*) fecerint, remittantur ad Nos, aut ad Curiam noſtram abſolvendi.

De Confirmatione.

CAPUT II.

Item præcipimus omnibus Curatis, ut diligenter plebes admoneant, ut pueros nondum confirmatos adducant ad Epiſcopum, qui ſolus poteſt confirmare: & moneantur parentes, ut ſic confirmatos adducant ad Eccleſiam, ut Presbyteri lavent frontem eorum, & aquam lotionis cum cinere bendellorum conſervent. Quod ſi pueri ſint duodecim annorum, vel amplius, prius confiteantur.

Item Epiſcopus in eorum confirmatione nomina poterit mutare: & qui fuerit

(*f*) *Supple*: perſona.

fuerit ſemel confirmatus, non accedat amplius ad confirmationem ſuſcipiendam, ſub pœna excommunicationis. Qui autem veniunt ad confirmationem, moneantur, ut interſint primæ orationi, & uſque ad ultimam maneant in Eccleſia, quæ ſuper confirmandos fuerit facienda.

Item præcipimus Sacerdotibus, ut in ſuis Eccleſiis publice denuntient, quod in Confirmatione (ſicut in Baptiſmo) contrahitur compaternitas, quæ non ſolum impedit matrimonium, ſed etiam dirimit contractum.

De Extrema Unctione.

CAPUT III.

Cum reverentia & aqua benedicta deferatur oleum ſanctum ad infirmos, & diligenter ſeptem Pſalmi, Litania & Orationes ad hoc inſtitutæ dicantur.

Item Presbyteri moneant ſæpe populum, ut indifferenter a quatuordecim annis citra & ſupra, ſinguli, cum neceſſe fuerit, inungantur, nec pauperes ſe pro egeſtate excuſent. Inuncti cum ſtuppa diligenter in ſingulis membris inunctis extergantur, & ſtuppæ comburantur, & cinis in Sacrario reponatur.

Item doceant Sacerdotes, quod hoc Sacramentum licite poteſt iterari in qualibet gravi & periculoſa infirmitate. Et ſuſcepturi quodcunque Sacramentum prius confeſſione mundentur.

Item Curati, & Vice-Curati habeant ſemper in promptu & ad manum omnia neceſſaria ad Sacramentum Extremæ Unctionis: ne ſi diu illa perquirere habeant; interea decedat ægrotus ſine ejusmodi Sacramento, ex eorum culpa & incuria.

De Ordinibus.

CAPUT IV.

Præcipimus, ſtatuendo omnibus Clericis habentibus Parochiales Eccleſias, Capellanias, & Præpoſituras, vel alias curas animarum, ut per ſingula tempora Ordinum offerant ſe ordinandos Epiſcopo, prout onus beneficii requiſierit, etiam non vocati, ut poſſint inquirere de iis, quæ pertinent ad ſufficientiam ordinandi.

Statuimus, ut omnes Curati & Beneficiati reſideant & deſerviant Eccleſiis eorum; niſi a Nobis fuerit ſuper hoc cum eis diſpenſatum: alias Decani noſtri arreſtent fructus in manibus noſtris, reddituri Nobis tempore computorum rationem.

Item nullus accedat ad Ordines, qui primo non fuerit confirmatus & confeſſus: & uſque ad finem Miſſæ non recedat, absque licentia Epiſcopi celebrantis.

Omnes ordinandi diligenter ante Ordines confiteantur, ut mundi mente & corpore gratiam recipiant ampliorem.

Excommunicamus omnes illos, qui Tonſuram Clericalem, & quoscunque Ordines ſacros, vel non ſacros, ab alienis Epiſcopis recipiunt: noſtra ſpeciali licentia ſuper hoc non obtenta.

Item excommunicamus alios extraneos, qui a Nobis, ſive noſtras vices gerente, in noſtra Diœceſi Tonſuram Clericalem, vel quoscunque alios Ordines furtive receperint, ſine licentia Epiſcoporum ſuorum.

Item præcipimus, quod nullus accedat ad Ordines, niſi ætate, moribus, & ſcientia dignus exiſtat, & ſub certo titulo: vel quod ad minus habeat juſto titulo tres libras groſſorum; de quibus conſtet, quod non fuerit in fraudem factum, & quod ab eo non poſſit amoveri: & debet illam proviſionem non alienare, donec ſibi ſufficienter proviſum fuerit.

Item omnibus publicis concubinariis, aut de inceſtu cum Parochianis, vel filiabus ſpiritualibus, aut aliter notorie diffamatis & ſuſpectis, omnem Sacramentorum adminiſtrationem interdicimus. Contra quos, niſi ſe Canonice purgaverint, ſecundum juris formam & regulam procedere intendimus.

Monemus item ſollicite omnes in ſacris Ordinibus conſtitutos, lapſum carnis, actumque libidinis in ipſis non eſſe ſimplicem fornicationem, ſed longe gravius peccatum, alteriusque ſpeciei. Cum ſit voti (*Sacris Ordinibus affixi*) fractio, & ex parte Clerici, in majoribus conſtituti Ordinibus, jam Deo conſecrati, ſpiritua-

ritualis incestus, atque sacrilegium. Et ob eam rem considerent illum lapsum debere inter casus reservatos annumerari.

Denique præcipimus omnibus, ad sacros Ordines admissis, & præsertim Sacerdotibus, ut caveant a tabernarum ac ludorum publicorum frequentia, & crebra visitatione. Nam hæc omnia in usum deducta statum Ecclesiasticum dedecorant, & dehonestant.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT V.

Item statuentes ordinamus ob reverentiam Sacrosancti Sacramenti, ut Sacerdos accedens visitare infirmos cum Sacramento Eucharistiæ, faciat lumen ante se deferri, nolam pulsari, & in habitu decenti publice incedat. Et Hostiæ pro infirmis reservatæ, singulis mensibus ad minus renoventur.

Item injungimus Curatis, & Vice-Curatis, ac aliis Presbyteris, ut Altaria, mappas, cortinas, ampullas, & piscinas, vestes sacras, ac ornamenta Altaris & Ecclesiæ, cum omni puritate & munditia conservent: & super hoc Decani vigilent, & quos negligentes, vel culpabiles in præmissis invenerint, Curiæ nostræ referant Canonice puniendos.

Item Altare ad minus paretur duabus mappis benedictis.

Item nullus celebret in ligneo, æreo, vel vitreo vase; sed in aureo, argenteo, aut stanneo.

Item Presbyteri non deserviant duabus Ecclesiis, nisi una ex altera dependeat.

Item nullus se ingerat ad celebrandum, nisi dixerit prius Horas Canonicas, saltem usque ad Tertiam, & nisi fuerit in habitu & tonsura decenti, ob reverentiam Sacramenti.

Item non celebrentur passim Missæ in domibus, aut oratoriis privatis, sine licentia nostra. Quod si aliqui dispensationem habuerint, ostendant eam Nobis, aut Vicariis nostris.

De Matrimonio.

CAPUT VI.

Item inhibemus omnibus Curatis, & Vice-Curatis nostræ Diœcesis, ne de cætero proclamationes bannorum super matrimoniis contrahendis faciant, nisi Dominicis diebus, & aliis Festis solemnibus, per totam Diœcesim nostram observari solitis, & hora summæ Missæ.

Item statuimus & ordinamus, quod si duo contrahere volentes sint diversarum Parochiarum in eodem Decanatu; Curatus literas suas testimoniales super bannis proclamatis scribat alteri Curato. Si vero dicti contrahentes diversorum Decanatuum nostræ Diœcesis existant, Curatus Decano suo scribat, & Decanus illas literas roboratas mittat Decano alterius contrahentium: qui quidem Decanus Curato suo, sub eo degenti, scribat. Et si oriundus de nostra Diœcesi contrahere velit cum persona alienæ Diœcesis, Curatus suas literas dirigat Decano suo, & Decanus illas roboratas mittat Officiali nostro. Pro quibus literis concedendis Curatus ultra octo, & Decanus ultra duodecim grossos, sive solidos Flandriæ, non recipiant. Si autem persona alienæ Diœcesis in nostra Diœcesi matrimonium contrahere voluerit, non admittatur ad hujusmodi matrimonium, absque nostra, seu Curiæ nostræ licentia speciali.

Item inhibemus Curatis, Vice-Curatis, cæterisque Presbyteris, ne sine licentia speciali Curiæ nostræ ad matrimonii solemnisationem admittant illos, quos sciverint sponsalia clandestine contraxisse, vel eorum matrimonium bannis & Ecclesiæ solemnitatibus omissis, carnali copula consummasse: aut ubi sciverint, oppositionem vel impedimentum intervenisse. Et quod de præmissis sciverint per famam, vel alias, Curiæ nostræ Tornacensi rescribant, & denuntient indilate. Etiam, ne aliquos ad sponsalia extra Ecclesiam vel cœmiterium, aut matrimonii solemnisationem, ante solis ortum, vel contrahere volentes, ad sponsalia per verba de præsenti admittere præsumant, absque licentia Decanorum nostrorum.

Item inhibemus nostris Decanis, ne de causis sponsalium, matrimonii, seu divortii, aut aliis, ad forum nostrum Ecclesiasticum spectantibus, cognoscere, vel coram se tractari facere, quoquo modo præsumant. Quod etiam ii, qui sponsalia contraxerint ætate legitima,

ma, non ſe mutuo abſolvant ab illa promiſſione futurarum nuptiarum, niſi interveniente authoritate Eccleſiæ, & cauſas abſolutionis mutuæ declarent.

Item prohibemus ſub pœna excommunicationis omnibus & ſingulis ſubditis noſtris, qui ſunt matrimonialiter copulati, ne absque Judicio Eccleſiæ ſe ab invicem ſeparent, aut ſegregatim vivant, aliquosve contractus, vel promiſſiones, juramenta, aut vota de ſeorſim manendo, facere vel inire præſumant, & quos de præmiſſis Decani vel Curati noverint culpabiles, Curiæ noſtræ referant, ſecundum caſus exigentiam puniendos.

Item ſtatuimus & ordinamus, ne in celebratione ſponſalium, aut matrimonii, fiant ab aſſiſtentibus riſus leves, & ludicri geſtus, aut dicantur verba inhoneſta, aliudve quippiam fiat, quod cedat in irreverentiam, & contemptum Eccleſiaſticæ gravitatis. Et Sacerdos Curatus, aut Vice-Curatus iſta ridicula fieri ab aliquibus conſpiciens, aut audiens, ſevere eos corripiat, & Curiæ noſtræ referat puniendos, ut & cæteri timorem habeant.

Item Sacerdos ſciſcitetur ante ſponſalia ab utroque volentium ea contrahere, ſi inter eos ſit aliquod impedimentum, propter quod non poſſet compleri matrimonium: nam tarde nimium illis adhibetur remedium, cum omnia ad nuptias ſunt præparata, quod tamen opportune potuiſſet præſtari, ſi tempore ſponſalium fuiſſet impedimentum declaratum.

Item Sacerdos tempore ſponſalium admoneat utrumque ea contrahentium, quod tempeſtive confiteantur ante matrimonii ſolemniſationem, & libere declarent omnia ſua dubia idoneo confeſſori. Tunc enim poterunt omnia mature diſcuti, cum ſi tantum revelent die præcedente nuptias, non recte poterunt determinari.

Demum ordinamus & præcipimus, quod Sacerdos ad nuptias vocatus, nihil inhoneſtum in verbis, riſu, aut geſtu perpetret, neque choreas exerceat. Hæc enim omnia vergerent in infamiam ſtatus Eccleſiaſtici, & aliis præſtarent oſtendiculum.

Item jubemus, quod Sacerdos moneat contrahentes ſponſalia, quod ab omni actu carnis, quousque fuerint celebratæ nuptiæ, abſtineant, ſub pœna excommunicationis, & alia Canonica.

Poſtremum admoneantur ſponſorum & ſponſarum parentes, ne liberos ſuos invitos cogant ad contrahendum cum aliquo, aut aliqua. Nam conſenſus in matrimonio debet eſſe liber.

De Pœnitentiis & Indulgentiis.

CAPUT VII.

Item reſervamus Nobis & Vicariis noſtris abſolutiones a majoribus peccatis, ut puta, peccatis contra naturam in viris ultra vigeſimum annum: raptu virginis, homicidio, incendiis, Simonia, hæreſi, & apoſtaſia: ſacrilegio ultra 40. ſolidos: inceſtu cum patre, matre, filio, filia, fratre & ſorore, ac cum religioſis mulieribus profeſſis: injectione manuum violenta in parentes ex deliberatione facta: ſortilegio, quod fit circa Sacramentum, vel Sacramentalia: oppreſſione parvulorum voluntarie vel negligenter facta: negligentia parentum, in igne & aqua natos perdentium: perjurio ſolenni, & fidei fractione in Curia noſtra Tornacenſi, & alibi judicialiter facta: voti ſolemnis transgreſſione: maleficio, impediente coitum: procreatione ſterilitatum, vel abortivorum: propinatione veneni hæreticalis, & magna blaſphemia, Deo & Sanctis vel Eccleſiæ ex animi deliberatione facta: falſificatione literarum noſtræ Tornacenſis Curiæ: omni excommunicatione, tam a Nobis, quam a Canone lata: & omni peccato iis ſimili, vel graviori; niſi ſit Sanctæ Sedi Apoſtolicæ de jure reſervatum; in quibus caſibus, majorem authoritatem a Nobis non habentibus, excepto in mortis articulo, omnimodam abſolvendi interdicimus poteſtatem.

Item, ne deinceps hæſitetur, qui caſus Decanis noſtris Chriſtianitatis ſint conceſſi, eorum declarationem hic duximus annotandam, & ſunt hi, videlicet: Peccatum contra naturam in omni ætate a mulieribus perpetratum, & in viris citra vigeſimum annum: pollutiones

nes in omni ætate: perjuria & fidei fractiones extra judicium factæ : votorum non ſolemnium transgreſſiones : injectiones manuum in parentes & Clericos, citra decimum quartum annum, ubi non fuerit gravis læſio, vel deliberatio: ſortilegia, quæ non ſunt circa Sacramenta vel Sacramentalia: parvulorum oppreſſiones caſuales: clandeſtinæ nuptiæ, inceſtus (exceptis patre, matre, filio, filia, fratre & ſorore) ſtuprum virginis, omnia adulteria : hoc ſalvo, quod ſi clandeſtinæ nuptiæ, inceſtus, ſtuprum, & adulteria hujusmodi, per duos teſtes, aut plures, qui iis interfuerint, aut alias per communem famam, vel infamiam probari poſſint; prius ſuper hoc Eccleſiæ, vel noſtram jurisdictionem exercentibus, ſatisfiat. Injectiones manuum mulierum in Clericum vel Sacerdotem, ubi non eſt enormis læſio; de qua tamen ſi probari poſſit, ut dictum eſt, læſo & Eccleſiæ ſatisfiat : ſacrilegia de quadraginta ſolidis, & infra, dummodo debita fiat reſtitutio Eccleſiæ de eisdem: ac omnia peccata eis ſimilia, & inferiora.

Quæ quidem inferiora Rectoribus Parochialium Eccleſiarum dimittuntur, ut puta: inordinati concubitus cum mulieribus : mollities, peccata contra naturam in ætate puerili : in viris uſque ad decimum quartum annum, & in mulieribus uſque ad vigeſimum quartum annum : adulteria ex una parte provenientia: damnificationes & furta, dummodo fiat reſtitutio, quam cito facultas ſe obtulerit : levis injectio manuum in parentes : ſortilegia in rebus minimis & communibus, ubi non eſt horror & turpitudo: ſtuprum virginis occultum: abortus non procurati.

Item inhibemus omnibus & ſingulis Sacerdotibus, ne confeſſiones mulierum, cum quibus peccaverint carnaliter, vel eas ad peccandum induxerint, audiant, niſi in magno neceſſitatis articulo.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod ſi alicui ſit imponenda pœna publica, aut ſolemnis pœnitentia, talis ad Nos, vel Vicarios noſtros remittatur abſolvendus.

Item præcipimus omnibus & ſingulis Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, ut ſuos Parochianos ſæpe moneant, adhortentur & inducant, ut frequenter ad confeſſionem accedant: ad minus ſemel in anno, omnia peccata ſua confiteantur ſuo proprio Sacerdoti, ſcilicet Rectori Parochialis Eccleſiæ, vel alteri de ejus licentia. Qui quidem Rector Parochialis ideo magis proprius dicitur eſſe Sacerdos, quia non ſolum confeſſiones audit, ſed etiam miniſtrat Sacramenta. Et una cum hoc corpus Chriſti reverenter recipiant : & quos ſciverint omiſiſſe, infra menſem poſt Feſtum Paſchæ quolibet anno Curiæ noſtræ referant, vel reſcribant absque diſſimulatione quacunque.

Item decernimus, quod omnes animarum curam habentes diligenter inquirant, ſi omnes ſui ſubditi ſciant orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica, ſimul & articulis fidei, qui in utroque *Credo* continentur, ac mandata Dei & Eccleſiæ. Quos autem circa prædicta ignorantes invenerint, diligenter inſtruant. Sint etiam Curati multum ſolliciti, monere Magiſtros ſcholarum, ut ſcholaſticos ſuos erudiant diligenter circa prædicta fidei noſtræ rudimenta, omnibus ſummopere neceſſaria.

Ordinamus item, quod Curati de cætero faciant pronum Miſſæ inter oblationem & ſecreta; eo quod ſi ante, vel poſt Miſſam fiat pronum, plerique Parochiani interſunt Miſſæ, qui non interſunt prono.

Inſuper monemus Curatos omnes noſtræ Diœceſis, quod ſint diligentes ad inquirendum de fide ſuorum Parochianorum, & de ſuperſtitionibus contrariis, tam circa morborum curationes, quam rerum perditarum recuperationes, ut illis tempeſtive occurratur atque obvietur.

Item præcipimus noſtris Curatis, quod non permittant Capellanos, & Sacerdotes ignotos, regulariter celebrare in ſuis Eccleſiis; niſi prius conſtiterit eis de vita, honeſtate & ordinatione eorum per literas noſtras : ſecus eſt autem de Sacerdotibus per viam tranſeuntibus, gravitatem & honeſtatem præ ſe ferentibus.

Item animarum ſubditorum noſtrorum ſaluti providere cupientes, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui matrem

trem eorum Ecclesiam Tornacensem devote visitaverint, & de bonis eorum dederint, quadraginta dies: Item benefactoribus pauperum Parochiarum suarum, triginta dies: Item omnibus & singulis quotidie deferentibus funera, sive corpora pauperum de domibus ad Ecclesiam: & qui exequiis intererunt, triginta dies: Item omnibus & singulis flectentibus genua, & dicentibus *Pater noster*, cum in Missa audierint nominare hoc nomen *JESUS*, vel hoc nomen *MARIA*, vel hæc verba: *Et verbum caro factum est*, viginti dies: Item comitantibus Presbyterum, Corpus Christi, vel extremam Unctionem ad infirmos deferentem, si fuerit de die, viginti; si fuerit de nocte, triginta dies: Item illis, qui devote intersunt Processionibus, quæ fiunt in suis Ecclesiis Parochialibus, viginti dies: Item, qui exequiis & funeralibus Presbyterorum interfuerint, quadraginta dies: Item, qui primæ Missæ Sacerdotis novi interfuerint, quadraginta dies: Item illis, qui ob reverentiam & honorem Domini nostri JESU CHRISTI, & Ecclesiæ sanctæ, assurgunt Sacerdotibus, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus.

Item Statuta Prædecessorum nostrorum insequendo, & ad obviandum fraudibus, quæ in foro pœnitentiali committi possent, statuimus & ordinamus, quod de cætero Religiosi mendicantes, qui singulis annis ad prædicandum, & confessiones audiendum per Nos, seu Vicarios nostros admittuntur, literas admissionis eorum Decanis locorum, ubi prædicare, seu confessiones audire intendunt, præsentare teneantur, antequam actus confessionis & prædicationis exerceant: ut ipsi Decani in prima eorum convocatione nomina dictorum Religiosorum admissorum, cum eorum potestate facta, per scedulas & alias Curatis valeant declarare, alias nullatenus admittantur.

Item revocamus ex nunc omnes & singulas facultates, per Nos quibusvis personis Ecclesiasticis, sæcularibus, seu religiosis, cujuscunque ordinis, de absolvendo subditos nostros in casibus, Nobis, vel nostris Decanis Christianitatis, aut Curatis nostræ Diœcesis reservatis, & commissis, per Nos hactenus concessas: volumusque & præcipimus, quod eisdem facultatibus non utantur, nisi a Nobis super hoc specialem obtinuerint commissionem, & facultatem.

De Testamentis & Sepulturis.

CAPUT VIII.

Item præcipimus & injungimus Decanis nostris, quatenus bona mobilia Presbyterorum quorumque, Nobis subditorum, in nostra Diœcesi decedentium, statim post obitus eorum arrestent, fideliter inventarient, & sub stricto & securo arresto inventoriata teneant, quousque eis constiterit, an Presbyteri defuncti testamentum condiderint, vel non. Si autem intestati decesserint; bona prædicta, sic arrestata, & inventoriata, per dictos Decanos ad majorem utilitatem vendantur, & taliter super hoc Decani disponant; quod ipsi indigentibus, & officiariis nostris computum & rationem loco & tempore debitis reddere possint. Si vero testamentum condiderint, non relaxent Decani arrestum, nec manus inde amoveant, quoadusque eis legitime constiterit, testamentum prædictum per Nos, seu Curiam nostram fuisse & esse approbatum. Tunc enim, & non citius, toleramus bona ipsa recredi executoribus testamenti, seu aliis, per Officialem nostrum loco ipsorum executorum, vel alterius eorundem, si onus hujusmodi executionis testamenti assumere recusaverint, surrogandis: injungendo Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, quatenus nomina & cognomina eorum, qui in suis Parochiis fecerint testamenta, suis Decanis rescribant infra mensem post obitum testatoris, ac etiam nomina & cognomina executorum: qui quidem Decani super hoc Curiam nostram informent infra mensem sequentem.

Item statuimus, ut executores testamentorum, quæ per Curiam Tornacensem approbantur, seu eorum loco surrogandi, infra annum a die obitus testatoris, coram gentibus & officiariis nostris computum & rationem reddere teneantur, vocatis hæredibus testatoris, & aliis, qui ad hoc pro suo interesse erunt vocandi: inhibendo dictis executoribus, & surrogatis, ne hujusmodi testamentorum executionem suscipiant, & bona

 testa-

teſtatoris apprehendant, donec & quousque legale, & in fide dignorum præſentia fecerint de dictis bonis inventarium in ſcriptis fideliter redactum.

Item præcipimus omnibus & ſingulis Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, quatenus ſuos Parochianos publice moneant, & ſæpius exhortentur, ut teſtamentorum executiones, quas ſuſceperint, diligenter & fideliter expleant, & præcipue de legatis factis Eccleſiæ, piis locis, ac Eccleſiaſticis, pauperibus, aut miſerabilibus perſonis, ſatisfaciant. Et quos dicti Rectores ſciverint in præmiſſis remiſſos & negligentes, Curiæ noſtræ nuntient & ſcribant indilate.

Item inhibemus Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ne Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare præſumant illis, qui extra eorum Parochias ſe dicunt aliud domicilium habere, & ibi fuiſſe confeſſos; niſi ipſis Rectoribus conſtiterit per literas Rectoris hujusmodi alterius domicilii, ipſos debite fuiſſe confesſos, & Sacramentum Euchariſtiæ recepiſſe: & ſi tales deceſſerint, eorum corpora Eccleſiaſticæ ſepulturæ non tradantur, abſque Curiæ noſtræ licentia ſpeciali: & ſi aliqui in tali errore per biennium perſeverare præſumpſerint; nomina talium præcipimus per dictos Rectores Curiæ noſtræ reſcribi, ut ſuper hoc, prout decebit, provideatur.

Item prohibemus, ne quis cadaver excommunicati, abortivi, aut alterius, ſepultura Eccleſiaſtica indigni, ſepelire præſumat, niſi ſub diſtantia viginti pedum a cœmiterio Eccleſiæ Parochialis.

Item cum ſalus animarum ſit rebus cæteris præferenda, ſtatuimus, ut quilibet pro ſalute animæ ſuæ de rebus & bonis ſuis cauſa ultimæ ſuæ voluntatis teſtari, vel alias diſponere valeat, præſertim ad pios uſus, libere & quiete. In omnes vero, qui contra hujusmodi Statutum noſtrum fecerint, aut venerint, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, clam vel palam, ſeu auxilium, conſilium præbuerint vel favorem; una cum aliis pœnis, a jure ſtatutis, excommunicationis ſententiam in his ſcriptis proferimus. Quæ quidem teſtamenta, ſeu teſtamentarias diſpoſitiones, cum de illis per Sacerdotem teſtatoris, vel Scabinos loci, aut alios fide dignos, quos teſtator diſpoſitor elegerit, ſeu qui præſentes fuerint, legitime conſtiterit; defendere intendimus & tueri, prout de jure tenemur, & debitæ executioni demandari facere, quolibet impedimento in contrarium præſtito, non obſtante.

Item inhibemus dictis Rectoribus, & aliis Presbyteris, ne absque noſtra, & Curiæ noſtræ licentia ſpeciali Eccleſiaſticæ tradant ſepulturæ corpora ſeu cadavera uſurariorum, interdictorum, ſeu excommunicatorum quorumcunque: nec illorum, quos per famam, ſeu alias ſciverint, ſeu dici audiverint, homicidium notorie perpetraſſe, vel in inceſtu, vel adulterio, abjectis ſuis uxoribus, & ſimili fœditate, etiam per plures annos non confitendo, nec ſua Eccleſiaſtica Sacramenta recipiendo vixiſſe; niſi eis conſtiterit per literas inde viſas, & debite examinatas, tales a Nobis, vel Curia noſtra Tornacenſi, beneficium abſolutionis obtinuiſſe. Similiter ne cadaver, ſeu corpus alicujus in Eccleſia, ſeu cœmiterio polluto inhumare, aut ſepelire præſumant, aut permittant.

De Servitio Divino, & nonnullis concernentibus officia Decanorum & Curatorum.

CAPUT IX.

Item præcipimus Decanis noſtris, ut quoties in eorum Decanatibus contigerit, Jurisdictionem noſtram Eccleſiaſticam & ſpiritualem, ſeu obſervationem Synodorum ſuarum impediri, vel Eccleſiarum immunitates infringi aut violari, ſuper hoc mox faciant informationem diligentem, ac ipſam in ſcriptis redactam Curiæ noſtræ immediate transmittant.

Item injungimus dictis Decanis, nec non Curatis, & Vice-Curatis, ac Capellanis, cæterisque ſubditis noſtris, in vim juramenti, per eos præſtiti, quatenus ſignificent & intiment dictæ Curiæ noſtræ, ſeu Promotori cauſarum ejusdem, clandeſtinas affidationes, nec non crimina, exceſſus, & delicta tam Presbyterorum, & Clericorum, quam aliorum, de quorum criminibus & exceſſibus Eccleſia poteſt, ſeu debet cognoſcere de conſuetudine, vel de jure: ſcandala etiam

etiam publica, & præsertim in populo damnabili consuetudine introducta, tollere studeant frequentibus monitis: & si opus est, ad Nos, & Officialem nostrum deferant, atque revelent, potissimum ea scandala, quæ fiunt in festis Parochiarum, aut Dedicationum, in nocte Nativitatis Domini, ac Defunctorum, & in die Pentecostes infra Missarum solemnia, cum dicitur *Veni Creator Spiritus*: & in omnibus communibus obitibus, ubi Sacerdotes undecumque conveniunt, & post multas commessationes publice ludunt, quos omnes ita ludentes jubemus per Curatum loci coram nostro Officiali citari.

Item inhibemus Decanis nostris, nec non Curatis, & Vice-Curatis, ac Ecclesiarum Ministris & Rectoribus, ne in eorum Ecclesiis aliquem Presbyterum alienæ Diœcesis ad celebrandum Missas, ac alia Divina officia admittant; nisi per literas nostras, aut Vicariorum nostrorum de licentia & gratia nostra expresse constiterit: nec dicti Provisores & Ministri talibus Presbyteris vestem, calicem, aut alia ornamenta ad celebrandum apta ministrent.

Item injungimus Decanis nostris, quatenus diligenter inquirant de & super onere Missarum & servitii, ad quod beneficia sui Decanatus astringuntur; & summopere vigilent, ne hujusmodi beneficia obsequiis defraudentur; & ubi defectum invenerint, statim hujusmodi beneficiorum fructus & bona, in & sub manibus nostris arrestent, & de dictis bonis faciant hujusmodi beneficiis deserviri, & etiam quod omissum fuerit, debite suppleri; de residuo Nobis, aut Vicariis nostris tempore & loco redditur computum & rationem.

Item præcipimus Decanis & Curatis, quod sint solliciti, se informare de hospitalibus & leprosariis, aliisque locis piis, in sua ditione contentis, & præsertim de administratoribus & administratione illorum; ut de illis Nos quamprimum efficiant certiores, & quoties a Nobis fuerint requisiti. Quod si ruinæ imminentes promptum remedium requirant, non differant, Nos, aut Officialem nostrum super his debite informare, & eadem per eos fiat informatio de fabricis Ecclesiarum.

Item injungimus omnibus Curatis, & eorum Vice-Curatis, quod in præcipuis Festis solemnibus præmoneant & hortentur suos Parochianos, se præparare ad susceptionem Eucharistiæ, aut saltem ad confessionem peccatorum faciendam: quatenus magis Dominus propitietur eis, & liberis, & familiæ suæ tam in spiritualibus, quam in temporalibus.

Item statuimus, quod Curati, & eorum Vicarii, maxime quod ultimo dictum est, faciant in principio Quadragesimæ. Item, ut omnes Parochiani ante Ramos Palmarum sint confessi, ut dignos pœnitentiæ fructus faciant. Quod si qui inventi fuerint a Paschate præcedente usque ad Ramos Palmarum per negligentiam aut contemptum non confessi, non propter illud dimittat Parochialis Curatus jam confessos reconciliare; sed prædictos remittat usque post Pascha, nisi urgente necessitate prudenter judicet, aliter esse faciendum.

Item injungimus Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, & Beneficiatis in nostra Diœcesi, quatenus Horas suas Canonicas ad usum Diœcesis debite legant: ipsique Curati & Ecclesiarum Parochialium Rectores diebus Dominicis & Festivis, & aliis diebus, quibus eis incumbet, Missas & alia Divina officia celebrent: populumque eis commissum hortentur, excitent, & inducant, diebus Dominicis & festivis Ecclesiam suam Parochialem frequentare, & Divina officia audire, & eisdem interesse: eumdemque populum fidei articulis instruant, ac crimina & maleficia detestentur.

Item prohibemus, ne mulieres, etiam Moniales, aut alias Deo dicatæ, ad altare accedere, aut Presbytero in Divinis ministrare, Reliquias, seu alia sacra tangere, aut alias prædictis se immiscere præsumant, sub pœna arbitraria.

Item cum tam de jure, quam vigore constitutionum Provincialium & Synodalium, Parochiani debeant diebus Dominicis & Festivis ad audiendum servitium Ecclesiæ, & verbum Dei, in suis Parochialibus Ecclesiis venire, & eis intendere teneantur; inhibemus omnibus & singulis Curatis, cæterisque Presbyteris, &

& Religiosis nostræ Diœcesis, ne dictis diebus Dominicis & Festivis, horis decantationum summæ Missæ & Vesperarum, in Capellis, extra dictas Ecclesias Parochiales constitutis, Divina celebrare, seu verbum Dei prædicare præsumant: & Rectoribus seu Gubernatoribus dictarum Capellarum, ne hæc fieri permittant.

Item hortentur dicti Curati, & Presbyteri, prout Nos etiam hortamur, omnes Christi fideles, quatenus cum audient de sero campanam sonare ac pulsari, ob reverentiam B. Mariæ Virginis ter *Ave Maria* genibus flexis dicant: intimando eisdem, quod cuilibet id facienti, & in statu gratiæ existenti, Dominus noster Papa viginti dies indulgentiarum concessit, & Nos decem eis concedimus.

Item injungant dicti Curati suarum Parochiarum Provisoribus, & Ministris tam fabricæ, quam mensæ pauperum, prout etiam eis injungimus, quatenus quolibet anno in præsentia Decani Christianitatis, aut saltem Curati, rationem & computum de per eos administratis faciant, atque reddant, & hujusmodi computa in præsentia Decani Christianitatis loci faciant in archivis & cistis dictarum Ecclesiarum secure custodiri & reponi.

Item præcipiant & injungant dicti Curati suis Parochianis, ut Festa & solemnitates Dei & Sanctorum diligenter observent & celebrent: & quos sciverint in hoc deficere & errare, dictæ Curiæ nostræ referre non postponant.

Item injungimus Decanis nostris, quatenus diligenter inquirant, & Nos informent infra quatuor menses, de & super onus ad fundationem & dotationem Capellaniarum concessis & collatis: & qualiter de dictis bonis disponitur, ut congrue super hoc provideatur: inhibeantque dicti Decani, prout etiam inhibemus, ne in dictis Capellaniis, & confraternitatibus nondum confirmatis, Missæ & alia Divina officia absque nostra licentia celebrentur.

Item prohibemus sub pœna excommunicationis, & alia per Curiam nostram arbitranda, omnibus Presbyteris, Curatis, & non Curatis, ne quis Missam bis in die celebret, seu celebrare præsumat, nisi illis diebus, quibus id per Ecclesiam fieri permissum est.

Item inhibemus sub pœna excommunicationis, & pœna per Curiam nostram arbitranda, omnibus & singulis Presbyteris, ne quis duabus Ecclesiis Parochialibus simul & semel, nec alteri Ecclesiæ Parochiali, propria dimissa, deservire præsumat, absque nostra, aut Vicariorum nostrorum licentia speciali.

Item injungimus dictis Curatis, & Vice-Curatis, quatenus Parochianos suos hortentur & moneant, ut Sacramentum Confirmationis reverenter suscipiant, & eorum proles hujusmodi Sacramentum suscipere faciant ac procurent: suosque Parochianos verbo, doctrina & exemplo viam salutis animarum suarum doceant, ac eos hortentur & excitent, ut pueros suos ad studium literarum deputent, & præcipue *Pater noster*, *Ave Maria*, articulos fidei, *Confiteor*, septem Psalmos, & alias similes orationes & Ecclesiæ suffragia addiscere faciant.

Item præcipimus, & injungimus omnibus & singulis in nostra Diœcesi beneficia obtinentibus, quatenus temporibus ad hæc statutis, ad ordines, quos beneficia sua requirunt, se faciant promoveri, & in eisdem beneficiis residentiam faciant personalem, ipsis deserviendo; nisi super hoc cum eis fuerit legitime dispensatum.

Item præcipimus & mandamus, ne deinceps in nostra Diœcesi, aliquis per Vicarios nostros ad sacros ordines promoveri permittatur; nisi eis debite constiterit, quod ipse promovendus beneficium Ecclesiasticum liberum & (*) non accommodatum pro istius sustentatione, valoris annui ad minus trium librarum grossorum, aut bona patrimonialia ejusdem valoris, sine fraude, oneribus deductis, habuerit: quod, seu quæ, dictus promovendus solemni juramento non alienare promittet; nisi sibi de aliquo beneficio, aut titulo competente debite fuerit provisum.

Item inhibemus Curatis, Vice-Curatis, Capellanis, cæterisque Presbyteris nostræ Diœcesis, ne amodo celebrent in

(*) *to* non *videtur redundare.*

in altaribus, majori, Beatæ Mariæ, & Patroni suarum Ecclesiarum, nisi fuerint consecrata, & alia procurent, quantocyus commode fieri poterit, consecrari: in quibus non poterunt interim uti lapidibus portativis consecratis, nisi de speciali licentia nostra, aut Vicariorum nostrorum.

Item inhibemus Curatis, Vice-Curatis, & Ecclesiarum Provisoribus nostræ Diœcesis, ne aliquas Confraternitates, seu ghildas, de novo institui permittant in suis Ecclesiis, nisi prius Nostra, vel Curiæ nostræ, super hoc obtenta licentia cum consensu Curati loci: quodque illarum convivia, seu commessationes, nullatenus in suis Ecclesiis (quæ domus orationis sunt, non conviviorum) fieri: neque cibaria in Ecclesiarum cœmiteriis, sub pœna viginti librarum, quoties id fecerint, præparari permittant.

Item inhibemus Curatis, Vice-Curatis, & Ecclesiarum Provisoribus, ne indulgentias quascunque in eorum Ecclesiis, seu Capellis, admittant, nec publicari, aut altaribus appendi permittant; nisi de Nostra, vel Vicariorum nostrorum licentia speciali literatorie constiterit.

Item præcipimus & jubemus, majora festa totius anni, sine opere aliquo diligenter & sedulo ab omnibus observari: videlicet Festum Paschæ cum die sequente, Ascensionis, Pentecostes cum die sequente, Trinitatis, Venerabilis Sacramenti, Inventionis Sanctæ Crucis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Magdalenæ, Laurentii, Assumptionis B. M. Virginis, Nativitatis ejusdem, Exaltationis Sanctæ Crucis, Michaelis Archangeli, Lucæ Evangelistæ, omnium Sanctorum, Martini, Catharinæ, Nicolai, Conceptionis ejusdem B. Virginis, Nativitatis Domini, Stephani, Joannis Apostoli, Innocentum, Circumcisionis, Epiphaniæ, Purificationis, Annuntiationis, omnesque dies Dominicales, & Sanctorum Apostolorum.

In Festis autem sequentibus, servitio Divino prius completo, poterit quilibet, qui voluerit, opus seu officium suum exercere, videlicet Feria III. & IV. post Pascha: Feria III. & IV. post Pentecosten: ipso die Marci, quo fit abstinentia a carnibus cum processione: Decollationis S. Joannis, Piati, Remigii, & Bavonis, Commemorationis fidelium Defunctorum, Vincentii, Conversionis Pauli, Cathedræ Petri.

Item inhibemus præterea sub pœna excommunicationis, ne die omnium Ss. conveniant in hac civitate famuli, nec ancillæ, se locaturi, vel locaturæ; sed eligant eis diem sequentem, aut aliam commodiorem.

Item & sub consimili pœna expresse inhibemus, ne tabernæ, cabareta, nec macellum, seu loca, in quibus carnes venduntur, diebus Dominicis, & aliis Festivis supra declaratis, nisi completo in nostra Tornacensi, & aliis Parochialibus Ecclesiis nostræ Civitatis servitio Divino, quovis modo aperiantur. Nec ad easdem, nisi viatores existant, ulli admittantur.

Inhibemus insuper, ne iisdem diebus Dominicis & Festivis, & durante hujusmodi servitio Divino, Sagittarii, Balistarii, seu quivis alii ad psitacum, sive aviculam, sagittare præsumant.

De Immunitate, & libertatibus Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum.

CAPUT X.

Item omnibus & singulis subditis nostris inhibemus, ne in Ecclesiis, Cœmiteriis, aut locis sacris placita sæcularia teneant, aut exerceant, vel exerceri permittant: ludos quoque Joculatorum, & histrionum, vel forum rerum venalium, seu proclamationes edictorum, vel bannorum justitiæ sæcularis, fieri tolerent.

Item eisdem præcipimus, quod non permittant cœmiteria esse viam publicam brutorum, vel hominum, & hoc pacto ea prophanari; sed & ad eorum clausuram, & debitam conclusionem per muros, aut sepes ac spinas, ita suos Parochianos inducant, ut brutis animalibus, vaccis, porcis & jumentis non pateat ad ipsa Cœmiteria accessus, vel ingressus.

Item statuimus, quod ubicumque obsidentur Ecclesiæ, vel Cœmiteria adversus eos, qui causa immunitatis habendæ

bendæ ibi confugiunt, moneantur obsidentes per eorum Rectores; seu eorum vicegerentes, ut recedant & desistant; alioquin dicti obsidentes nuntientur excommunicati, & ibidem cessetur a Divinis.

Item statuimus, quod si Ecclesia vel Cœmiterium quovis modo polluatur, sicque reconciliatione indigeat, nisi ille vel illi, qui in hujusmodi pollutionis culpa fuerint, infra mensem reconciliationem procuraverint, Parochiani infra duos menses sequentes reconciliationem fieri, facere & procurare teneantur: actione eis contra illum, vel illos, quorum culpa pollutio facta est, super damnis & interesse reservata.

Item quia nonnunquam banniti, exules, & alii malefactores, ad immunitatem Ecclesiæ confugientes, solent ibidem minus devote se tenere, & ad longa tempora tanquam in domo privata habitationis suæ perseverare, commessationes, & convivia publice in conspectu omnium, cum amicis, & persæpe cum impudicis mulieribus, in Ecclesia tenere, alta voce cantare, insolentias inhonestas & rumores facere, tabernam publicam de Ecclesia Dei facientes; Eapropter super hoc providere cupientes, districte præcipiendo mandamus omnibus Curatis, & Vice-Curatis nostræ Diœcesis, ne amodo talia permittant, quinimo bannitos, exules, & malefactores quoscunque talia perpetrantes moneant nostra authoritate, ut infra triduum, post monitionem sibi factam, ab inde recedant, cum intimatione expressa, quod nisi id fecerint cum effectu, per Decanum Christianitatis loci, assumpto secum auxilio brachii sæcularis, si opus est, extrahantur, per ipsum ad prisonias Curiæ nostræ adducendi, ut de eis cognoscat noster Officialis, an immunitate Ecclesiæ sic facientes gaudere debeant, an non.

Item præcipimus Decanis nostris, & specialiter injungimus, quatenus Presbyteros & Clericos, quos per justitiarios laicales captos & detentos sciverint, statim authoritate nostra requirant, ac eis restitui procurent, eosque ad Curiam nostram indilate, si pro crimine capti & restituti fuerint, adducant, juxta sua demerita corrigendos & puniendos. Si vero pro levi delicto, vel causa civili, vel emenda pecuniaria capti & restituti fuerint; sub, & mediante cautione idonea, ad Curiam nostram prædictam certa die ibidem comparituri transmittantur.

De vita & honestate Clericorum.

CAPUT XI.

Item inhibemus sub pœnis juris, & aliis per Nos arbitrandis, omnibus & singulis Presbyteris, Beneficiatis, ac Officiatis, & Religiosis nostræ Diœcesis, ne vestes nimium breves, in manicis apertas, aut fronciatas tunicas, seu camisias, comam & bireta retro plicata, pileos etiam cum cornetis, sotulares, aut alias vestes, statui Ecclesiastico repugnantes, & non decentes gestare, & ne arma portare, aut tabernas, seu taxillorum, aut alios illicitos ludos, aut spectacula frequentare, seu negotiis sæcularibus se immiscere, vitamve dissolutam & inhonestam ducere præsumant; sed a frequentatione tabernarum & ludorum illicitorum, ac armorum portatione penitus abstineant. Quod si armati, vel dissolute vestiti, incedere, vel scenis, aut illicitis actibus se immiscere reperti fuerint; volumus, & requirimus, eos per laicales justitiarios capi, ac Nobis restitui, pro suis demeritis juxta casuum exigentiam puniendos.

Item injungimus eisdem, & omnibus Christi fidelibus, ne tempore celebrationis Divini servitii atque officii, in Ecclesia ultro citroque deambulent confabulantes: sed Clerici superpelliciis induti, officio Ecclesiastico reverenter assistant: nec etiam in publico ludant cum laicis, suis vestibus expoliati, aut ad pilam, arcum aut globum; quoniam ex his omnibus Ecclesiæ decor multum deturpatur.

Item præcipimus & mandamus dictis Presbyteris & Beneficiatis, Nobis subditis, ne in domibus eorum, vel alibi, concubinas, vel alias mulieres in ætate suspectas, etiam prætextu consanguinitatis, aut affinitatis teneant, & si quas habuerint, eas immediate expellant. Injungentes Decanis nostris, ut quilibet in

in ſuo Decanatu ſuper hoc diligenter inquirat, & quod invenerit, Nobis, aut Curiæ noſtræ frequenter referat, vel reſcribat; ut contra eos diſtricte, & prout decet, procedatur.

Item ſignificamus omnibus Sacerdotibus & Clericis, Nobis ſubditis, quod intendimus contra eos, qui publice concubinas tenent atque notorie, ſevere procedere, per irrogationem pœnæ a jure expreſſæ atque declaratæ, ſcilicet per ſuſpenſionem ab adminiſtratione Sacramentorum, per ſententiam excommunicationis, ſi adhuc perſtiterint: & demum per privationem ſuorum beneficiorum, & abjectionem de loco habitationis ignominioſam; ut tam abominabile malum tandem evellatur de domo Domini.

Item injungimus dictis Curatis, Vice-Curatis, Presbyteris, & aliis quibuscumque Nobis ſubditis, ut a crapula, potibus æqualibus, & ebrietatibus abſtineant. Etiam Presbyteri convivia, aut comeſſationes, ſive converſationes cum laicis non habeant, præcipue ubi conveniunt mulieres, de quibus poſſit haberi aliqualis ſuſpicio, ſive nota: alioquin prout decebit, contra eos procedatur.

Item injungimus omnibus Curatis, Vice-Curatis, & Sacerdotibus, ne in feſto S. Nicolai, Innocentum, aut alio quovis die, quo fit recreatio Scholaſticorum, aut Sacerdotum totius Eccleſiæ per feſtum ſui Epiſcopi, ipſi in Eccleſia ſtultum aliquid, aut ridiculum faciant, aut aliis fieri permittant, potiſſimum tempore celebrationis Divini officii: nec in Eccleſia & Choro compareant in veſtibus fatuorum, aut perſonas ſcenicas agentium; quoniam hæc omnia vergunt in contemptum Dei & irreverentiam SS., inferuntque grave ſcandalum in populo, qui ex illis male ædificatur, & corrumpitur.

Item injungimus eiſdem Curatis, & Vice-Curatis, quod diligenter moneant pueros, ne circa altare, in quo celebratur Miſſa, conglobentur ſimul in unum, confabulantes, & ſtrepitum, atque tumultum cum irreverentia ibidem excitantes, ſed ſeparatim flexis genibus conſiſtant, legentes Pſalmos, Horas, aut alias orationes. Admoneant etiam Magiſtros ſcholarum, quod ſolliciti ſint, ſuos ſcholaſticos aſſidue inſtruere, & hortari, ut in Eccleſia, Choro, & circa altare, reverenter ſe habeant, & in tenera ætate Deo humiliter ſervire diſcant.

De bonis, & ædificiis Beneficiorum.

CAPUT XII.

Item præcipimus Decanis noſtris, ut ad futuram rei memoriam, & conſervationem jurium beneficiorum, quilibet beneficia ſui Decanatus, & eorum terras, bona, redditus, & pertinentias in ſcriptis particulariter & diſtricte redigat, ac regiſtrum inde faciat: quod, vel ejus copiam veram, bene collationatam, de triennio in triennium in ſuis computis reportare non poſtponat.

Item ſi contingat aliquem Curatum, Vice-Curatum, ſeu Capellanum beneficiatum in Diœceſi noſtra, excommunicationis ſententia, vel a jure, vel ab homine lata, innodari; ſtatuimus & præcipimus, quatenus ſtatim Decanus loci fructus beneficii excommunicati prædicti arreſtet, & ſub manibus noſtris teneat, faciatque de dictis fructibus beneficio excommunicati in Divinis deſerviri.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod Abbates, & Conventus Monaſteriorum noſtræ Diœceſis, bona hujusmodi Monaſteriorum vendere, alienare, ſeu permutare, aut redditus vitales, ſeu perpetuos ſuper dictis bonis vendere, vel aſſignare, contractusve alios ſuper venditione, ſeu alienatione hujusmodi bonorum facere de cætero non poſſint; niſi pro evidenti utilitate, & de noſtra, aut Vicariorum noſtrorum licentia ſpeciali. Quod ſi tales contractus (quos omnino fieri prohibemus) facere præſumpſerint; pronuntiamus & declaramus, illos viribus carere, & effectum, aut executionem ſortiri non debere. Imo ex nunc decernimus, eosdem contractus caſſos, irritos penitus & inanes.

Item injungimus Decanis noſtris, quatenus quilibet in ſuo Decanatu arreſtet, & ſub manibus noſtris gubernari faciat fructus omnium & ſingulorum beneficiorum, Nobis ſubditorum, quorum poſſeſſores in eis reſidentiam non faciunt perſonalem; niſi cum eis ſuper hoc

hoc per Nos, aut Vicarios noſtros fuerit litteratorie diſpenſatum, vel ipſi in ſtudio generali, aut loco privilegiato reſideant, & de hujusmodi privilegio, ac teſtimoniali reſidentiæ legitimæ docuerint, cujus prætextu, hujusmodi fructus ſuos levare poſſint. Ordinamus inſuper, ut ultra duos menſes in anno Curatus ab ejus Eccleſia Parochiali abſens eſſe non poſſit, quam abſentiam duorum menſium, dum eam ex cauſa rationabili facere voluerit, Decano loci tenebitur intimare; alioquin Eccleſiæ fructus facere non poſſit pro anno ſuæ abſentiæ memoratæ.

Item injungimus Curatis, Capellanis & Beneficiatis noſtræ Diœceſis, quatenus infra annum ſuorum beneficiorum, domos & ædificia ſuſtentent, & debite reparent. Quod ſi in præmiſſis negligentes fuerint, aut remiſſi, Decanus loci hujusmodi beneficiorum fructus ſtatim arreſtet, & de dictis fructibus reparationes in hujusmodi ædificiis neceſſarias indilate fieri faciat. Et niſi circa præmiſſa Decani vigilaverint, & diligentiam fecerint; volumus & ordinamus, quod hujusmodi reparationes neceſſariæ, propriis ſumptibus & expenſis dictorum Decanorum negligentium fiant & expleantur.

Item præcipimus, quod quicumque Beneficiati, Nobis ſubditi, omnia bona & redditus ſuorum beneficiorum, tam in Miſſalibus, quam in aliis libris authenticis, ſcripto fideliter redigant, & alienata recuperent. Inhibemus etiam eisdem, ne quidquam de dictis bonis vendere, aut alienare, ſeu parentibus, conſanguineis, aut aliis perſonis dare, aſſignare, ſeu transferre, nec de dictis bonis quidquam acquirere, niſi ad opus beneficii poſſint aut valeant quovis modo: etiam nec in fundis alienis quidquam de hujusmodi bonis ædificare quoquo modo præſumant: decernentes nullum & invalidum, quidquid ſecus factum fuerit.

Item inhibemus quibuscumque Prælatis, Presbyteris, & Beneficiatis, Nobis ſubditis, ne libros, calices, veſtes, jocalia ſeu ornamenta ſuarum Eccleſiarum & Beneficiorum Divino cultui dedicata, vendant, alienent, impignorent, aut alias de eisdem diſponant, quominus res ipſæ officio Divino in Eccleſiis prædictis applicari valeant.

Item ſtatuimus, quod ſi quis Presbyter terras ſui beneficii ad cenſam ſine fraude conceſſerit, & poſtquam cenſitor per ejus laborem, expenſas & induſtriam, hujusmodi terras melioraverit, dictum Presbyterum ante terminum cenſæ contingat decedere, vel reſignare, eo caſu ſucceſſor in beneficio decedentis vel reſignantis, hujusmodi cenſam approbare, aut cenſitori meliorationem ipſam arbitrio & judicio proborum reddere & refundere teneatur, & ſi ſuper his oriatur diſcordia, illam per Officialem noſtrum terminari volumus.

Item quia aliqui abuſus circa regimen beneficiorum noſtræ Diœceſis tam in Divinis, quam in adminiſtratione bonorum eorundem fieri & committi posſent, ex quo Eccleſiarum bona perduntur, & diminuuntur; prohibemus, ne deinceps aliquis Beneficiatus in dicta noſtra Diœceſi bona, terras, redditus & proventus ſui beneficii Nobis ſubditi, ullo modo in emphiteuſim, neque etiam ultra novem annos in arrendam, ſeu ad firmam, aut locationem dare, nec aliquas commutationes terrarum, bonorum, ſeu hæreditagiorum dictorum beneficiorum ad alia, aut cum aliis facere præſumat absque noſtra, aut Vicariorum, ſeu Officialis noſtrorum licentia & authoritate. Quod ſi quis contra fecerit, contractus ipſe nullus ſit, & arbitrarie puniatur.

Item Decanis noſtris Chriſtianitatis diſtricte præcipimus, quatenus debite & diligenter inquirant, & Curiæ noſtræ referant, an per Presbyteros idoneos, Nobis ſubditos, ſeu admiſſos, in Capellis, & aliis beneficiis noſtræ Diœceſis non curatis, Miſſæ, & alia Divina officia ſecundum inſtitutionem beneficiorum, & intentionem fundatorum debite celebrentur. Et ſi negligentia comperiatur in his & ſimilibus, volumus debite provideri.

Item injungimus Decanis noſtris, quatenus diligenter inquirant, & Curiæ noſtræ referant, ſi in Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, & Hoſpitalibus, & aliis locis piis noſtræ Diœceſis cultus Divi-

Divinus debite fiat, & si debitus Religiosorum, vel aliarum Ecclesiasticarum personarum ad hoc determinatus numerus pro servitio Divino celebrando in eisdem resideat: inhibentes Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiasticis personis quibuscumque; ne tantum de bonis ipsarum Ecclesiarum capiant, aut extorqueant, quod residuum hujusmodi bonorum sufficere nequeat ad sustentationem Religiosorum, & aliarum Ecclesiasticarum personarum, in dictis locis deservientium, aut ibidem existentium, atque ad reparationes ædificiorum, aliasque necessitates ipsis in Ecclesiis & locis incumbentes.

Item injungimus & præcipimus Decanis nostris, ne aliquem Presbyterum ad deserviendum Ecclesiæ Parochiali recipiant, nisi prius eis constiterit per nostras, aut Vicariorum nostrorum patentes literas, dictum Presbyterum Nobis præsentatum, & per Nos admissum fuisse. Volumus enim fructus Ecclesiæ, cujus servitio Presbyter non præsentatus, & admissus se intruserit, statim per Decanum loci arrestari, & sub manibus nostris gubernari; ut ibidem tam ad officium Divinum, quam alias, auctoritate nostra debite provideatur.

Item præcipimus & injungimus, sub pœna excommunicationis & anathematizationis, omnibus & singulis, qui celaverint & celant feuda, jura, redditus & proventus, ad Ecclesiam nostram Tornacensem & Episcopatum nostrum, seu alias Ecclesias, vel Beneficia nostræ Diœcesis spectantia, & pertinentia, & eis, qui sciverint aliqua de præmissis fuisse & esse male alienata, aut substracta; quatenus infra duos menses, postquam præmissa sciverint, Nobis, & Curiæ nostræ referre & revelare non omittant.

De Litterarum & Mandatorum nostrorum, & Curiæ nostræ Executione.

CAPUT XIII.

Item præcipimus & mandamus Curatis, Vice-Curatis, Presbyteris, & Notariis, Nobis subditis, quatenus literas & mandata Curiarum nostrarum eis directa, viriliter & diligenter exequantur: nec non literas excommunicatorias & aggravatorias infra summæ Missæ celebrationem, diebus Dominicis & Festivis, alta voce publicent coram populo, ut excommunicati vitari, nec causam ignorantiæ prætendere possint: injungendo eisdem Executoribus, ut quater in anno in dictis Ecclesiis suis, dum aderit populi multitudo, registra interdictorum, & excommunicatorum, absque dissimulatione legant, & publicare non omittant. Nec differant, vel postponant, literarum & mandatorum executiones facere, vel portitoribus, seu procuratoribus hujusmodi literas reddere, & restituere executas, propter minas, inhibitiones, seu requestas, vel preces DD. temporalium, seu quarumcunque aliarum personarum. Et si dictarum literarum, & mandatorum executores videant, aut formident portitoribus literarum periculum imminere; eos dirigere, & a dicto periculo liberare, quantum in eis fuerit, procurent: ac literas & mandata ipsis portitoribus statim reddant executas, ita quod non habeant exspectare, nisi voluerint.

Item inhibemus omnibus & singulis literarum inhibitoriarum per Clericos impetratarum executoribus; ne in executione earum, formam solitam prætermittant: videlicet, si in ipsis literis inhibitoriis contineatur clausula, si pro levi vel pro gravi delicto &c. advertant Executores, si delictum Clerico impositum grave existat, & eo casu sint adeo de dicto Clerico securi, ut quantocyus poterunt, ad prisonias Curiæ nostræ adducatur: & si delictum leve fuerit, ipsum Clericum, mediante cautione, ad certam diem ad Curiam nostram tuansmittant, ad vel infra quam diem executor Officiali nostro Clerico impositi declarationem, una cum nominibus pro eo cautionem præstantium, referat vel scribat. Ordinantes insuper, & statuentes, quod Decanus, vel alter quicunque dictarum literarum inhibitoriarum executor, pro sola executione facta in villa, vel oppido, qua dictus executor residebit, ultra duodecim solidos monetæ Flandriæ a Clerico exigere non valeat, & si extra villam vel oppidum pro executione fienda dictum executorem accedere, aut pluribus diebus vacare contingat, sit moderato salario contentus. Quod si ultra justum & mode-

moderatum salarium exegerit, ipsum, etiam Clerico non instante, ad restitutionem compelli, & acerrime puniri volumus & mandamus.

Item ad obviandum fraudibus & malitiis, quæ per abusores sub umbra falsarum literarum sæpius contra simplices personas Nobis subditas committuntur, eas ad diversa judicia & loca citando, monendo, ac expensis & laboribus multipliciter inquietando; statuimus & ordinamus, ne de cætero qui literas aliarum Curiarum in nostris civitate & Diœcesi exequi præsumant; nisi prius per Officialem nostrum dictæ literæ visæ, & per ejus placitum roboratæ fuerint.

De Sententia Excommunicationis, & cessatione a Divinis.

CAPUT XIV.

Item Prædecessorum nostrorum vestigia insequentes, tam authoritate Ss. Canonum, quam in vim Statutorum & constitutionum Provincialium, & Synodalium hactenus editarum, quas & quæ volumus, in suo robore permanere, nec eis derogare intendimus: excommunicatos publice nuntiari mandamus per Ecclesiarum Rectores, ac alios Presbyteros, omnes & singulos utriusque sexus incendiarios, & Ecclesiarum infractores, seu violatores.

Item omnes illos, & illas, qui contractis sponsalibus in civitate & Diœcesi Tornacensi, etiam si super hoc banni fuerint proclamati, vel non, absque nostra, aut Curiæ nostræ licentia speciali, in alia Diœcesi matrimonium contrahunt, aut solemnisant, & qui præmissis scienter interesse, vel ad hoc consilium, favorem, & auxilium præbere præsumunt.

Item omnes illos, & illas, qui scienter in gradu prohibito, vel tempore a jure interdicto, matrimonium simul contrahunt, ac illos & illas, qui post conventiones, vel sponsalia consummare præsumunt, solemnitate Ecclesiæ omissa. Omnes etiam illos vel illas, qui, vel quæ sponsalibus, aut matrimonio aliquod impedimentum ficte inveniunt, & confingunt, quominus ad matrimonium procedatur.

Item omnes & singulos tam Clericos, quam laicos, qui conjurationes, aut verius conspirationes, communibus eorum expensis, aut alias faciunt ad præstandum impedimenta contra libertates Ecclesiasticas, & jurisdictonem nostram spiritualem.

Item omnes & singulos, qui subditis nostris inhibent, ne unus alium in foro Ecclesiastico trahat, aut conveniri faciat, aut alias directe vel indirecte jurisdictionem nostram impediunt.

Item omnes & singulos, qui tallias, subsidia, angarias, aut alia indebita & extraordinaria onera Viris Ecclesiasticis inducunt & imponunt: eas ab ipsis exigunt & recipiunt, nisi ipsi Ecclesiastici ex causa hoc liberaliter concesserint.

Item omnes, & quoscunque jurisdictionis nostræ perturbatores, & libertatis Ecclesiasticæ violatores, Patrum Decreta, aliasque Sanctiones Canonicas insequendo, sententiæ excommunicationis subjacere declaramus.

Item omnes & singulos Religiosos, exemptos & non exemptos, qui absque nostra, aut Curiæ nostræ licentia, regimini Ecclesiæ Parochialis, Sacramentorum matrimonii, vel alterius administrationi præsumpserint se immiscere.

Item omnes & singulos, qui litigando in Curia nostra, vel ad eam quærelando accedentes, impediunt minis, prohibitionibus, aut alias directe vel indirecte; quo minus causas in Curia nostra prosequantur, aut propter hæc eis, aut eorum consanguineis, vel affinibus, molestias per se vel per alios inferunt, aut inferri procurant, vel eis auxilium, consilium, aut favorem præstant.

Item omnes & singulos Presbyteros & Clericos, qui torneamentis, aut hastiludiis, sive talibus actibus se immiscere præsumunt.

Item omnes & singulos, qui statuta fabricant, edunt, & servant, ac servari faciunt contra Ecclesiasticam libertatem: etiam statutarios & scriptores hujusmodi statutorum, nec non qui talia faciunt statuta, & illa præcipiunt & mandant observari, & secundum ea judicant, in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis.

Item excommunicari mandamus omnes

nes illos, & illas, qui matrimonialiter conjuncti ab invicem se separant, & seorsim se tenent, absque judicio Ecclesiæ.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes exemptos & non exemptos, qui etiam interdicti tempore usurarios publicos, aut excommunicatos sepeliunt in loco sacro.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, privilegio Clericali gaudere debentes, qui pro excessibus & delictis, per eos commissis, sponte & voluntarie respondent coram laicalibus justitiariis, & se eorum ordinationi submittunt. Et ultra hæc ordinamus, dictos Clericos ex officio Curiæ nostræ citari, & Canonica punitione gravissime puniri.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui cogunt & compellunt per captionem, minas, aut alium terrorem, Clericos ad deponendam Tonsuram, & ad inducendum contra eorum voluntatem vestes non Clericales, & se submittendum justitiæ sæculari.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui prohibent directe vel indirecte, ne victualia, aut alia bona Presbyteris, Religiosis, vel aliis Ecclesiasticis personis vendantur, seu expediantur.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui in odium jurisdictionis Ecclesiasticæ Prsbyteros, Religiosos, aut alios Ecclesiasticos, quos sciunt judicio Ecclesiæ se submisisse, & ad forum Ecclesiasticum recurrisse, vexant, molestant, vel exleges faciunt, seu alias inquietant quoquo modo.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui aliquem confugientem, vel se tenentem in Ecclesia, vel Cœmiterio, aut loco sacro immunitatis habendæ gratia, capiunt, percutiunt, vulnerant, aut violenter extrahunt, & eos, qui ad hoc auxilium, consilium & assistentiam præbent.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes illos, qui nostras, aut Curiæ nostræ, seu Decanorum nostrorum literas a portitoribus violenter capiunt, lacerant, vel eosdem portitores verberant, percutiunt, aut male tractant, & qui hæc fieri mandant.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui Decanos nostros impediunt, ne libere teneant suas Synodos, & ob hoc testes, seu Scabinos Synodales male tractant, vel eis in odium eorum officii injuriantur, & qui in hoc eis auxilium, seu consilium præbent atque favorem.

Item excommunicatos nuntiari mandamus omnes & singulos, qui cogunt aliquem in locis interdicto suppositis Divina celebrare: & qui interdictos & excommunicatos in Ecclesia ad audiendum Divina evocare præsumunt: & qui excommunicatis prohibent, ne Ecclesia exeant. Quod si interdicti, & excommunicati hujusmodi per celebrantem exire moniti, non recedant; illico celebrantem a Divinis cessare volumus. Poterunt tamen hi interdicti & excommunicati in Ecclesia interesse, dum in ea prædicabitur verbum Dei, proviso, quod prædicatione facta, statim inchoato servitio Divino recedant.

Item præcipimus, quod in Parochia, in qua Canonicus, Curatus, seu Capellanus, infra nostras civitatem & Diœcesim Beneficiatus, vel Presbyter de nostris civitate & Diœcesi oriundus, seu qui alienæ Diœcesis ad deserviendum Ecclesiæ Parochiali, aut Capellaniæ, per Nos, aut Curiam nostram institutus, verberatus, aut vulneratus fuerit, mox ibidem a Divinis cessetur. Et si ipsum Curatum, Capellanum, aut Presbyterum, vel nostrarum, aut Curiæ nostræ literarum executorem seu portitorem interfici contingat, quod absit; præcipimus, undique ad unam leucam a loco criminis perpetrati, mox cessari a Divinis, & nihilominus occisores singulis diebus Festivis publice in Ecclesiis denuntientur excommunicati.

Item ubicumque portitores literarum & mandatorum, aut literæ & mandata Curíæ nostræ, & pariter ubi Presbyter, aut literarum executores capiuntur & detinentur inviti, tam in loco captionis, quam detentionis, præcipimus & mandamus cessari a Divinis.

Item statuimus, ut si aliqui reperti fuerint, cessationem a Divinis indebite indici procurasse, per Officialem nostrum ad expensas legitimas, & interesse partis con-

condemnentur, & alias graviſſime puniantur.

Monemus inſuper omnes illos & illas, qui ſententiam excommunicationis, quavis authoritate latam, per annum & amplius pertinaciter ſuſtinuerunt corde & animo induratis; quatenus infra duorum menſium ſpatium proxime computandorum abſolutiones ſuas in forma debita obtineant. Alioquin contra ipſos excommunicatos, prout jura volunt, & requirunt Canonicæ Sanctiones, Canonice procedemus. Curatis vero & Vice-Curatis dictæ noſtræ Diæceſis diſtricte injungimus, quatenus omnibus & ſingulis Parochianis ſuis (ſicut præmittitur) excommunicatis, præſentem noſtram monitionem tam ad eorum proprias perſonas, quam in plenis ſuis Eccleſiis, diebus Dominicis & Feſtivis, populo inibi ad audiendum Divina congregato, palam & publice notificent & inſinuent. Nec non eosdem excommunicatos, & quemlibet eorum nominatim & expreſſe moneant, ut a dicta excommunicationis ſententia ſe abſolvi faciant. Monitorum vero hujusmodi nomina & cognomina, ſuis patentibus literis infra menſem proximum Curiæ noſtræ omni excuſatione & favore poſtpoſitis, ſignificent, ut contra eos, prout juſtum fuerit, procedatur.

Item præcipimus Decanis noſtris Chriſtianitatis, ut quolibet anno reportent in ſcriptis nomina & cognomina illorum, qui per annum & ultra non formidant in Excommunicationis ſententia permanere: contra quos, tanquam in fide ſuſpectos, niſi pœnituerint, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere, procedi volumus & mandamus.

De Prædicatoribus & Quæſtoribus.

CAPUT XV.

Item inhibemus Decanis noſtris, ac omnibus & ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, ne aliquem Religioſum, aut alium, ad prædicandum, ſeu confeſſiones ſubditorum noſtrorum audiendum, vel ad deſerviendum Eccleſiæ Parochiali, vel alteri beneficio, ſeu officio Eccleſiaſtico noſtræ Diœceſis admittant, ſeu admitti permittant; niſi per literas noſtras, aut Vicariorum noſtrorum conſtiterit, ipſum Nobis præſentatum, & per Nos admiſſum fuiſſe & eſſe. Ordinantes, ut Religioſi, ſi terminarii fuerint, terminis eorum conſuetis finitis, ad eorum Conventum absque longiori mora in Domino revertantur.

Item injungimus eisdem Decanis, & Curatis, quod pſeudo-prædicatores, id eſt, vagos quæſtuarios, indulgentiarum, aut confratriarum, aut reliquiarum ſubdolos affirmatores, qui ſuis abuſionibus Eccleſiam Dei erroribus, & ſcandalis dedecorant, & quibus prædicatio jure prohibetur, nequaquam recipiant. Super quo ſingulis notum facimus, quod nullas plenarias indulgentias in noſtra Diœceſi publicari permittere intendimus, præter eas, quibus de novo ſumus aſſenſuri: irritantes ſuperius aſſignatas, quia cum majore examine volumus inſiſtere, ne populus ipſe decipiatur, & Curati jure ſuo fraudentur.

Item monemus, quod Curati noſtræ Diœceſis & Vicarii habeant fabricam matricis Eccleſiæ Tornacenſis, multum indigentem; ſuper quæſtâs omnes ſingulariter commendatam; quatenus declarata per eos ſubditis ſuis ejus indigentia, pias eorum eleemoſynas ſtudioſe recipiant, & iis, qui prædictæ fabricæ curam habebunt, fideliter reddant.

Item præcipimus, quod quæſtuarii, ſive quæſtores, absque noſtra, ſeu Vicariorum noſtrorum, aut Curiæ noſtræ licentia ſpeciali, in Eccleſiis, plateis & vicis negotia ſuarum quæſtarum exponere, vel Verbum Dei prædicare non permittantur: inhibendo Decanis, & quibuscumque aliis ſubditis noſtris, ne literas quæſtæ alicui pro caſu quocumque concedant, noſtra Curia prædicta inconſulta: nec permittant, quæſtores ſuas quæſtas exponere diebus ſolemnibus, quibus populus communicare conſuevit: utpote in Feſtis Paſchæ, Pentecoſtes, omnium Ss. Nativitatis Domini, Dedicationis Eccleſiæ, & Patroni loci.

Item ſtatuimus, ut nullus quæſtor admittatur in aliqua Eccleſia, niſi prius ibidem facta quæſta generali pro pauperibus, infirmis, & miſerabilibus perſonis illius loci, ſive Parochiæ: quibus de bonis prius Parochianorum eſt ſubveniendum. Et nuntient Presbyteri ſuis Parochianis

chianis, diebus Feſtivis, quod ex determinatione Concilii Provincialis, cuilibet Parochiano eleemoſynam dictis pauperibus, infirmis & miſerabilibus perſonis eroganti, Epiſcopus loci quadraginta dies indulgentiarum conceſſit.

De Convocationibus Decanorum.

CAPUT XVI.

Item cum Decani noſtri Chriſtianitatis convocationem ſuorum Curatorum in aliquibus locis ter, & aliis locis quater in anno, temporibus minus aptis tenere conſueverint, ſtatuimus & ordinamus, quod amodo dicti Decani noſtri hujusmodi ſuas convocationes teneant & faciant duntaxat ter in anno: videlicet primam inter Feſtum Epiphaniæ & Purificationis B. M. ſecundam inter Dominicam *Exaudi* & Feſtum Trinitatis. Tertiam vero inter Feſtum S. Remigii & omnium Ss.

Item præcipimus & mandamus, quod omnes Curati Nobis ſubditi, diebus & terminis prædictis, in dictis convocationibus ac locis, per dictos Decanos qualibet vice deputandis, perſonaliter compareant; niſi gravi infirmitate, aut alio legitimo impedimento (de quibus literatorie fidem facere teneantur) oppreſſi fuerint. Et qui in his negligentes & defectuoſi fuerint, per Curiam noſtram, tanquam rebelles & inobedientes, puniri volumus & mandamus.

Item quia tam per mortem, quam alias, Eccleſiarum noſtræ Diœceſis Rectores nonnunquam renovari contingit, volumus & ordinamus, quod illi, ſeu illis, cui, vel quibus regimen curæ animarum per Nos, aut Vicarios noſtros, de novo committetur, in proxima convocatione, quæ fiet poſt hujusmodi onus ſibi commiſſum, Statuta noſtra debite collationata, & per Decanum loci ſignata adinſtar aliorum Curatorum noſtræ Diœceſis (qui anno quolibet poſt Feſtum Purificationis Glorioſæ Virginis Mariæ, talia Statuta noſtra portare, & Decano noſtro Chriſtianitatis loci, ſub quo erunt, præſentare tenebuntur) ſecum portent, & ſuo Decano oſtendant.

De Comparitione ad Synodum & eam tangentibus.

CAPUT XVII.

Item omnibus & ſingulis, qui noſtræ Synodo tenentur intereſſe, ad comparendum in noſtra proxima Synodo, feria tertia poſt Dominicam *Miſericordia Domini*, anno revoluto, in Eccleſia noſtra S. Salvatoris Brugenſis, hora ſexta de mane diem aſſignamus, ac eis, & eorum cuilibet, absque alia evocatione intimamus & inſinuamus; niſi interim aliter authoritate noſtra fuerit ordinatum.

Item ſtatuimus, ut quicunque Canonico impedimento detenti, ad noſtram Synodum comparere non valent, Procuratores cum literis ſuis mittant, ſuſcepturos quidquid Synodus ipſa rite ſtatuerit. Procuratores autem ſuos ita inſtructos mittant, ut in animas eorum jurare poſſint, quod Canonico impedimento ſunt detenti, cujus impedimenti ſpecies, ſive cauſa, in ipſo procuratorio exprimatur; alioquin mittentes pro excuſatis non habebuntur.

Item præcipimus, ut venientes ad Synodum honeſte incedant, & in honeſtis hoſpitiis ſe recipiant, ſumptus moderatos faciant, & in veniendo, ſtando, ac recedendo nimiam faciant moram, nec recedant absque licentia. Injungentes Decanis noſtris, ut cum albis & ſtolis, cæteris autem Presbyteris, ut cum ſuperpelliciis dictæ Synodi celebrationi interſint.

Item præcipimus, ut ſinguli Presbyteri, qui ad Synodum hujusmodi venire tenentur, conſtitutiones noſtras Synodales habeant, & ſi contigerit, eisdem additiones, ſubtractiones, aut mutationes fieri, ad noſtrum exemplar corrigant & emendent. Statuendo inſuper, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus diſtricte præcipiendo & injungendo, ut hujusmodi Conſtitutiones & Statuta publicent, & maxime ea, quæ continentur in Capitulo, ſive titulo: *De immunitate Eccleſiarum, & de ſententia excommunicationis*; ac in vulgari exponant in Eccleſiis ſuis Parochialibus quater in anno, videlicet, ipſo die Pentecoſtes, in Feſto B. Remigii in capite Octobris, in Feſto Nativitatis Domini, & Dominica in Ramis Palmarum,

infra Miſſarum ſolemnia, immediate poſt Offertorium.

Item revocamus omnes, & ſingulas gratias tam ſuper non reſidentiis beneficiorum, quam aliis quibuscumque, per Nos, aut Vicarios noſtros hactenus, quacunque occaſione, quibusvis perſonis, tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus factas, ac eas & literas inde factas caſſamus & annullamus, niſi expreſſe clauſula: Synodali revocatione, interim forſan facienda, non obſtante, in eisdem contineatur.

Poſtremo cupientes ſaluti animarum ſubditorum noſtrorum more pii Patris, & boni Paſtoris, providere, omnibus & ſingulis utriusque ſexus perſonis dictæ noſtræ Diœceſis, ſententiis interdicti & excommunicationis, ad inſtantiam & proſecutionem ſuorum creditorum noſtra, vel Curiæ noſtræ Tornacenſis auctoritate, ligatis & innodatis, quæ infra Feſtum Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti proxime venturum, ſuis Creditoribus ſatisfacient, aut cum ipſis concordabunt, ſicque in eorum abſolutionem conſentient, de quo Officiariis noſtris debite conſtiterit, volumus, & de gratia ſpeciali indulgemus, quatenus eorum abſolutionem a Nobis, ſeu dictis Officiariis noſtris gratis, & ſine expenſis pro hac vice obtineant & aſſequantur: mandantes omnibus & ſingulis Curatis, & Vice-Curatis noſtræ Diœceſis, quatenus hujusmodi noſtram gratiam in ſuis Eccleſiis Parochialibus, & alibi, ubi opus fuerit, quamprimum, & repetitis vicibus publice legant, notificent, & diligenter inſinuent.

Lecta & publicata fuerunt Statuta Synodalia præſcripta in Synodo Epiſcopali Tornacenſi per præfatum Rm in Chriſto Patrem, & D. Ludovicum Epiſcopum Tornacenſem, in ſua Eccleſia Tornacenſi celebrata, aſſiſtentibus ſibi Rdo in Chriſto Patre & D. Nicolao Epiſcopo Sarreptano, Suffraganeo, ac DD. & Magiſtris Petro Cotrel in legibus Licentiato, dicti Rdi in Chriſto Patris Vicario Generali Brugenſi, Balthaſar de Cordes utriusque Juris Doct. Officiali, & Gandenſi in Eccleſia Tornacenſi Archi-Diaconis, Guillermo Bernard Sigillifero, Joanne Corvillain, Ludovico Fabri, Jacobo de Boudt partium Flandriæ Procuratoribus, Jacobo van Thielt Eccleſiæ B. M. Curtracenſis Cantore & Canonico, Secretariorum Vicariatus dicti R. in Chriſto Patris altero, Laurentio de Thiedeghem, Joanne Beudins Scribis Curiæ Tornacenſis, ac Goſſuino Ridon ejusdem Curiæ Tornacenſis Apparitore. Per me Leonem Haccart dictæ Tornacenſis Eccleſiæ Canonicum ac Vicariatus prædicti Secretariorum alterum. Feria tertia poſt Dominicam *Quaſimodo*, menſis Aprilis die 17. poſt Paſcha, Anno Domini MDXX. Præſentibus ibidem RR. Patribus & DD. SS. Nicolai in Pratis juxta Tornacum, Bartholomei de Ecchoute apud Brugenſes, & Phalempini S. Auguſtini, ac B. Andreæ juxta Brugas B. Benedicti reſpective Ordinum Monaſteriorum Abbatibus, ac Prioribus Monaſteriorum Ss. Petri & Bavonis Gandenſis, prædicti ordinis S. Benedicti, & S. Petri Thoraltenſis Præpoſito, nec non Domino temporali de Vichta, pluribusque aliis diverſorum DD. Prælatorum, & temporalium Procuratoribus, ac XII Decanis Chriſtianitatis, una cum Curatis, & Vice-Curatis ſuorum Decanatuum, & pluribus aliis Beneficiatis Diœceſis Tornacenſis ibidem comparentibus, ad præmiſſa vocatis.

Collat. cum exemplari authentico Biblioth. Eccleſ. Cathedr. Tornac. Ex impreſſa Inſulis Summa Statutorum Synodalium Diœceſis Tornacenſis, curante Jacobo le Groux, Monte Pabulano, Paſtore in Marque en Barœul.



Bulla

Bulla Apoſtolica LEONIS Papæ X.

Contra Errores Martini Lutheri & Sequacium.

Anno Chriſti MDXX. Leonis X. PP. VIII. Caroli V. Imp. II.

LEO EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

EXſurge Domine, & judica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum eorum, quæ ab inſipientibus fiunt tota die: Inclina aurem tuam ad preces noſtras, quoniam ſurrexerunt vulpes, quærentes demoliri vineam; cujus tu torcular calcaſti ſolus, & adſcenſurus ad Patrem, ejus curam, regimen & adminiſtrationem Petro tanquam Capiti, & tuo Vicario, ejusque Succeſſoribus, inſtar triumphantis Eccleſiæ, commiſiſti. Exterminare eam nititur aper de ſylva, & ſingularis ferus depaſcitur eam. Exſurge Petre, & pro Paſtorali cura præfata, tibi, ut præfertur, divinitus demandata, intende in cauſam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, matris omnium Eccleſiarum, ac fidei magiſtræ, quam tu jubente Deo, tuo ſanguine conſecraſti: contra quam, ſicut tu præmonere dignatus es, inſurgunt magiſtri mendaces, introducentes ſectas perditionis, ſibi celerem interitum ſuperducentes: quorum lingua ignis eſt, inquietum malum, plena veneno mortifero, qui zelum amarum habentes, & contentiones in cordibus ſuis gloriantur, & mendaces ſunt adverſus veritatem. Exſurge Tu quoque, quæſumus, Paule, qui eam tua doctrina, ac pari martyrio illuminaſti, atque illuſtraſti. Jam enim ſurgit novus Porphyrius, quia ſicut ille olim Sanctos Apoſtolos injuſte momordit, ita hic Sanctos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, contra tuam doctrinam, eos non obſecrando, ſed increpando mordere, lacerare, ac ubi cauſæ ſuæ diffidit, ad convitia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum, ut inquit Hieronymus, ultimum præſidium eſt; ut cum conſpiciant cauſas ſuas damnatum iri, incipiant virus ſerpentis lingua diffundere, & cum ſe victos conſpiciant, ad contumelias proſilire. Nam licet hæreſes eſſe ad exercitationem fidelium Tu dixeris oportere, eas tamen ne incrementum accipiant, neve vulpeculæ coaleſcant, in ipſo ortu Te interdicente, & adjuvante extingui neceſſe eſt.

Exſurgat denique omnis Sanctorum, ac aliqua univerſalis Eccleſia, cujus vera ſacrarum literarum interpretatione poſthabita, quidam, quorum mentem pater mendacii excæcavit, ex veteri hæreticorum inſtituto apud ſemetipſos ſapientes ſcripturas easdem aliter, quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio duntaxat ſenſu, ambitionis, auræque popularis cauſa teſte Apoſtolo interpretantur, imo vero torquent & adulterant, ita ut juxta Hieronymum jam non ſit Evangelium Chriſti, ſed hominis, aut, quod pejus eſt, Diaboli. Exſurgat, inquam, præfata Eccleſia Sancta Dei, & una cum Beatiſſimis Apoſtolis præfatis apud Deum Omnipotentem intercedat, ut purgatis ovium ſuarum erroribus, eliminatisque a fidelium finibus hæreſibus univerſis, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ pacem & unitatem conſervare dignetur.

Dudum ſiquidem, quod præ animi anguſtia & mœrore exprimere vix poſſumus, fide dignorum relatu ac fama publica referente, ad noſtrum pervenit auditum, imo vero proh dolor! oculis noſtris vidimus ac legimus multos & varios errores, quosdam videlicet jam per Concilia ac Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones damnatos, hæreſin etiam Græcorum & Bohemicam expreſſe continentes, alios vero reſpective vel hæreticos, vel falſos, vel ſcandaloſos, vel piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, a falſis fidei cultoribus, qui per ſuperbam curioſitatem mundi gloriam cupientes, contra Apo-

Apoſtoli doctrinam plus ſapere volunt quam oporteat, quorum garrulitas, ut inquit, Hieronymus, ſine Scripturarum authoritate non haberet fidem, niſi viderentur perverſam doctrinam, etiam Divinis teſtimoniis, male tamen interpretatis, roborare: a quorum oculis Dei timor receſſit, humani generis hoſte ſuggerente noviter ſuſcitatos, & nuper apud quosdam leviores in inclyta natione Germanica ſeminatos. Quod eo magis dolemus ibi eveniſſe, quod eandem nationem, & Nos & Prædeceſſores noſtri in viſceribus ſemper geſſerimus caritatis. Nam poſt translatum ex Græcis a Romana Eccleſia in eosdem Germanos Imperium, iidem Prædeceſſores noſtri & Nos ejusdem Eccleſiæ advocatos, defenſoresque ex eis ſemper accepimus; quos quidem Germanos Catholicæ veritatis vere germanos conſtat hæreſeon acerrimos oppugnatores ſemper fuiſſe, cujus rei teſtes ſunt laudabiles illæ Conſtitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Eccleſiæ, proque expellendis, exterminandisque ex omni Germania hæreticis ſub graviſſimis pœnis, etiam amiſſionis terrarum & Dominiorum contra receptatores, vel non expellentes, olim editæ, & a noſtris Prædeceſſoribus confirmatæ: quæ ſi hodie ſervarentur; & Nos & ipſi utique hac moleſtia careremus. Teſtis eſt in Concilio Conſtantienſi Huſſitarum ac Wicleffiſtarum, nec non Hieronymi Pragenſis damnata ac punita perfidia: teſtis eſt toties contra Bohemos Germanorum ſanguis effuſus: teſtis denique eſt prædictorum errorum, ſeu multorum ex eis per Colonienſem & Lovanienſem univerſitates, utpote agri Dominici piiſſimas religioſiſſimasque cultrices, non minus docta, quam vera ac ſancta confutatio, reprobatio & damnatio. Multa quoque alia allegare poſſemus, quæ, ne hiſtoriam texere videamur, prætermittenda cenſuimus. Pro Paſtoralis igitur officii, Divina gratia Nobis injuncti, cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus peſtiferum ulterius tolerare, ſeu diſſimulare ſine Chriſtianæ religionis nota atque orthodoxæ fidei injuria, nullo modo poſſumus. Eorum autem errorum aliquos præſentibus duximus inſerendos, quorum tenor ſequitur, & eſt talis:

I. Hæretica ſententia eſt, ſed uſitata, Sacramenta novæ legis juſtificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

II. In puero poſt Baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.

III. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingreſſu Cœli.

IV. Imperfecta caritas morituri fert ſecum neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam purgatorii, & impedit introitum regni.

V. Tres eſſe partes pœnitentiæ, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, non eſt fundatum in ſacra Scriptura, nec in antiquis ſanctis Chriſtianis Doctoribus.

VI. Contritio, quæ paratur per discuſſionem, collationem & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, hæc contritio facit Hypocritam, imo magis peccatorem.

VII. Veriſſimum eſt proverbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præſtantius: De cætero non facere, ſumma pœnitentia. Optima pœnitentia, nova vita.

VIII. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia; quia impoſſibile eſt, ut omnia mortalia cognoſcas: unde in primitiva Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur.

IX. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod Miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum.

X. Peccata non ſunt ulli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti: imo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet; non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratiæ donatio; ſed oportet etiam credere, eſſe remiſſum.

XI. Nullo modo confidas, abſolvi propter tuam contritionem; ſed propter ver-

verbum Christi: *Quodcunque solveris &c.* Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

XII. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret; si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

XIII. In Sacramento pœnitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: imo ubi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.

XIV. Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

XV. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiæ accedunt huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas & præparatoria: omnes illi judicium sibi manducant & bibunt; sed si credant, & confidant, se gratiam ibi consecuturos; hæc sola fides facit eos puros & dignos.

XVI. Consultum videtur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret, Laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt hæretici, & schismatici.

XVII. Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.

XVIII. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum, quæ licent; & non de numero eorum, quæ expediunt.

XIX. Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ, pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam justitiam.

XX. Seducuntur credentes Indulgentias esse salutares, & ad fructum Spiritus utiles.

XXI. Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo & impatientibus.

XXII. Sex generibus hominum indulgentiæ nec sunt necessariæ, neo utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis: his, qui non commiserunt crimina: his, qui crimina commiserunt, sed non publica: his, qui meliora operantur.

XXIII. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

XXIV. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

XXV. Romanus Pontifex Petri Successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in Beato Petro institutus.

XXVI. Verbum Christi ad Petrum: *Quodcunque solveris super terram* &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

XXVII. Certum est, in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse, statuere articulos fidei, imo nec leges morum, seu bonorum operum.

XXVIII. Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum, aut hæresis, contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem; donec fuerit per Concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum.

XXIX. Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & judicandi eorum Decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur; sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocunque Concilio.

XXX. Aliqui articuli Joannis Husz condemnati in Concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi, & Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

XXXI. In omni opere bono justus peccat.

XXXII. Opus bonum, optime factum, est veniale peccatum.

XXXIII. Hæreticos comburi est contra voluntatem Spiritus.

XXXIV. Præliari adversus Turcas est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos.

XXXV. Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

XXXVI. Liberum arbitrium poſt peccatum eſt res de ſolo titulo, & dum facit, quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

XXXVII. Purgatorium non poteſt probari ex ſacra Scriptura, quæ ſit in Canone.

XXXVIII. Animæ in purgatorio non ſunt ſecuræ de earum ſalute, ſaltem omnes; nec probatum eſt ullis aut rationibus, aut ſcripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ caritatis.

XXXIX. Animæ in purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

XL. Animæ ex purgatorio liberatæ ſuffragiis viventium, minus beantur, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

XLI. Prælati Eccleſiaſtici & Principes ſæculares non malefacerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores reſpective quam ſint peſtiferi, quam pernitioſi, quam ſcandaloſi, quam piarum & ſimplicium mentium ſeductivi, quam denique ſint contra omnem caritatem, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, matris omnium fidelium, & magiſtræ fidei, reverentiam atque nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, obedientiam ſcilicet, quæ fons eſt & origo omnium virtutum, ſine qua facile unusquisque infidelis eſſe convincitur, nemo ſanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmiſſis, utpote graviſſimis, propenſius, ut decet, procedere, nec non hujusmodi peſti, morboque canceroſo, ne in agro Dominico tanquam vepris nociva ulterius ſerpat, viam præcludere cupientes, habita ſuper prædictis erroribus, & eorum ſingulis, diligenti trutinatione, diſcuſſione, ac diſtricto examine, maturaque deliberatione, omnibusque rite penſatis, ac ſæpius ventilatis, cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac regularium Ordinum Prioribus, ſeu Miniſtris generalibus, pluribusque aliis Sacræ Theologiæ, nec non utriusque Juris Profeſſoribus, ſive Magiſtris, & quidem peritiſſimis, reperimus eosdem errores reſpective, ut prætertur, aut articulos non eſſe Catholicos, nec tanquam tales eſſe dogmatizandos, ſed contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, ſive traditionem, atque ab ea veram Divinarum Scripturarum receptam interpretationem, cujus authoritati ita acquiescendum cenſuit Auguſtinus, ut dixerit ſe Evangelio non fuiſſe crediturum, niſi Eccleſiæ Catholicæ interveniſſet authoritas. Nam ex iisdem erroribus, vel eorum aliquo, vel aliquibus, palam ſequitur eandem Eccleſiam, quæ in Spiritu Sancto regitur, errare, & ſemper erraſſe, quod eſt utique contra illud, quod Chriſtus diſcipulis ſuis in aſcenſione ſua, ut in ſancto Evangelio Matthæi legitur, promiſit dicens: *Ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſæculi*: Nec non contra Sanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque, & Summorum Pontificum expreſſas ordinationes, ſeu Canones, quibus non obtemperaſſe omnium hæreſeon & ſchiſmatum, teſte Cypriano, fomes & cauſa ſemper fuit.

De eorundem itaque Venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ac omnium & ſingulorum prædictorum matura deliberatione prædicta, authoritate omnipotentis DEI, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, præfatos omnes & ſingulos articulos, ſeu errores, tanquam, ut præmittitur, reſpective hæreticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, & veritati Catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, ac pro damnatis, reprobatis, & rejectis ab omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus haberi debere, harum ſerie decernimus & declaramus. Inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ, nec non quoad Eccleſiaſticas & regulares perſonas, Epiſcopalium omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum quoque & Prioratuum, etiam Conventualium, & quarumcunque Dignitatum, aut Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium, aut quorumvis ordinum regularium, privationis & inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda, quo vero ad Conventus, Capi-

Capitula, seu domos, aut pia loca sæcularium, vel regularium, etiam Mendicantium, nec non universitates, etiam studiorum generalium, quorumcunque privilegiorum, indultorum a Sede Apostolica, vel ejus Legatis, aut alias quomodolibet habitorum, vel obtentorum, cujuscunque tenoris existant, nec non nominis, & potestatis, studium generale tenendi, legendi, ac interpretandi quasvis scientias & facultates, & inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda; prædicationis quoque officii, ac amissionis studii generalis, & omnium privilegiorum ejusdem: Quo vero ad sæculares, ejusdem excommunicationis, nec non amissionis cujuscunque Emphyteusis, seu quorumcunque feudorum, tam a Romana Ecclesia, quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda: Nec non quoad omnes & singulos superius nominatos, inhibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes & singulos actus legitimos, infamiæ, ac diffidationis, & criminis læsæ Majestatis, & hæreticorum, & fautorum eorundem, in jure expressis pœnis, eo ipso & absque ulteriori declaratione, per omnes & singulos supradictos, si, quod absit, contrafecerint, incurrendis: a quibus vigore cujuscunque facultatis & clausularum, etiam in confessionalibus, quibusvis personis, sub quibusvis verborum formis contentarum, nisi a Romano Pontifice, vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti absolvi nequeant. Omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, tam laicis, quam Clericis, sæcularibus, & quorumvis ordinum regularibus, & aliis quibuscunque personis, cujuscunque status, gradus, vel conditionis existant, & quacunque Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Clericis, aliisque Personis Ecclesiasticis, sæcularibus & quorumvis ordinum etiam Mendicantium regularibus, nec non Regibus, Imperatoris Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibusque Officialibus, Judicibus, Notariis, Ecclesiasticis & sæcularibus, Communitatibus, Universitatibus, Potentatibus, Civitatibus, Castris, terris & locis, seu eorum vel earum civibus, habitatoribus & incolis, ac quibusvis aliis personis Ecclesiasticis vel regularibus, ut præfertur, per universum orbem, ubicunque, præsertim in Alemannia, existentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, perversamque doctrinam hujusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet publice vel occulte, quovis quæsito ingenio vel colore, tacite vel expresse favere præsumant.

Insuper quia errores præfati, & plures alii, continentur in libellis, seu scriptis cujusdam *Martini Luther*, dictos libellos, & omnia dicti *Martini* scripta, seu prædicationes, in Latino, vel quocunque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores, seu eorum aliqui continentur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis ac rejectis, ut præfertur, haberi volumus: Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub prædictis pœnis eo ipso incurrendis, omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus superius nominatis, ne hujusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu schedulas, vel in eis contenta Capitula, errores aut articulos supradictos continentia legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, sive defendere per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, tacite vel expresse, publice vel occulte, aut in domibus suis, sive aliis publicis vel privatis locis, tenere quoquo modo præsumant: Quinimo illa statim post harum publicationem, ubicunque fuerint, per Ordinarios, & alios supradictos diligenter quæsita, publice & solenniter in præsentia Cleri & populi, sub omnibus & singulis supradictis pœnis comburant.

Quod vero ad ipsum Martinum attinet, bone Deus! quid prætermisimus, quid non fecimus, quid paternæ caritatis omisimus, ut eum ab hujusmodi errori-

roribus revocaremus? Poſtquam enim ipſum citavimus, mitius cum eo procedere volentes, illum invitavimus, atque tam per diverſos tractatus, cum Legato noſtro habitos, quam per literas noſtras hortati fuimus, ut a prædictis erroribus diſcederet, aut ad Nos, oblato etiam ſalvo conductu, & pecunia ad iter neceſſaria, ſine metu, ſeu timore aliquo, quem perfecta caritas foras mittere debuit, veniret, ac Salvatoris noſtri, Apoſtolique Pauli exemplo, non in occulto, ſed palam, & in facie loqueretur: quod ſi feciſſet, pro certo, ut arbitramur, ad cor reverſus, errores ſuos cognoviſſet, nec in Romana Curia, quam tantopere, vanis malevolorum rumoribus, plus quam oportuit, tribuendo, vituperat, tot reperiſſet errata: docuiſſemusque eum luce clarius, Sanctos Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, quos præter omnem modeſtiam injurioſe lacerat, in ſuis Canonibus, ſeu Conſtitutionibus, quas mordere nititur, nunquam erraſſe, quia juxta Prophetam: *Nec in Galaad reſina, nec medicus deeſt.*

Sed obaudivit ſemper, & prædicta citatione omnibusque & ſingulis ſupradictis ſpretis, venire contempſit, ac uſque in præſentem diem contumax, atque animo indurato cenſuras ultra annum ſuſtinuit, & quod deterius eſt, addens mala malis, de citatione hujusmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, Conſtitutionem Pii Secundi ac Julii Secundi, Prædeceſſorum noſtrorum, qua cavetur, taliter appellantes hæreticorum pœna plectendos. Fruſtra etiam Concilii auxilium imploravit, qui illi ſe non credere palam profitetur; ita ut contra ipſum, tanquam de fide notorie ſuſpectum, imo vere hæreticum, absque ulteriori citatione, vel mora, ad condemnationem, vel damnationem ejus, tanquam hæretici, ac ad omnium & ſingulorum ſupra ſcriptarum pœnarum & cenſurarum ſeveritatem procedere poſſemus.

Nihilominus de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio Omnipotentis DEI imitantes Clementiam, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis, ut convertatur & vivat; omnium injuriarum hactenus Nobis, & Apoſtolicæ Sedi illatarum, obliti, omni, qua poſſumus pietate uti decrevimus, & quantum in Nobis eſt, agere, ut propoſita manſuetudinis via, ad cor revertatur, & a prædictis recedat erroribus; ut ipſum tanquam filium illum prodigum ad gremium Eccleſiæ revertentem, benigne recipiamus. Ipſum igitur *Martinum*, & quoscunque ei adhærentes, ejusque receptatores & fautores, per viſcera Miſericordiæ Dei noſtri, & per aſperſionem ſanguinis Domini noſtri JESU CHRISTI, quo & per quem humani generis redemptio, & Sanctæ Matris Eccleſiæ ædificatio facta eſt, ex toto corde hortamur & obſecramus, ut ipſius Eccleſiæ pacem, unitatem & veritatem, pro qua ipſe Salvator tam inſtanter oravit ad Patrem, turbare deſiſtant, & a prædictis tam pernicioſis erroribus prorſus abſtineant, inventuri apud Nos, ſi effectualiter paruerint, & paruiſſe per legitima documenta nos certificaverint, paternæ caritatis affectum & apertum manſuetudinis & clementiæ fontem.

Inhibentes nihilominus eidem *Martino* ex nunc, ut interim ab omni prædicatione, ſeu prædicationis officio omnino deſiſtat:

Alioquin, ut ipſum *Martinum*, ſi forte juſtitiæ & virtutis amor a peccato non retrahat, indulgentiæque ſpes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat diſciplinæ, eundem *Martinum*, ejusque adhærentes, complices, fautores, & receptatores, tenore præſentium requirimus & monemus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub prædictis omnibus, & ſingulis pœnis, eo ipſo incurrendis, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra ſexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro ſecundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino aſſignamus, ab affixione præſentium in locis infraſcriptis immediate ſequentes numerandos, ipſe *Martinus*, complices, fautores, adhærentes & receptatores prædicti, a præfatis erroribus, eorumque prædicatione ac publicatione & aſſertione, defenſione quoque, & librorum, ſeu ſcripturarum editione ſuper eiſdem, ſive eorum aliquo, omnino deſiſtant, librosque ac ſcripturas omnes & ſingulas, præfatos errores, ſeu eorum aliquos

quo-

quomodolibet continentes comburant, vel comburi faciant. Ipſe etiam *Martinus* errores & aſſertiones hujusmodi omnino revocet, ac de revocatione hujusmodi per publica documenta in forma juris valida, in manibus duorum Prælatorum conſignata, ad Nos infra alios ſimiles ſexaginta dies transmittenda, vel per ipſummet (ſi ad Nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato pleniſſimo ſalvo conductu, quem ex nunc concedimus, deferenda nos certiores efficiat, ut de ejus vera obedientia nullus dubitationis ſcrupulus valeat remanere.

Alias ſi, quod abſit, *Martinus* præfatus, complices, fautores, adhærentes & receptatores prædicti ſecus egerint, ſeu præmiſſa omnia & ſingula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint; Apoſtoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem vitandum docuit, ex nunc prout ex tunc, & econverſo, eundem *Martinum*, complices, adhærentes, fautores & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tanquam aridos palmites in Chriſto non manentes, ſed doctrinam contrariam, Catholicæ fidei inimicam, ſive ſcandaloſam, ſeu damnatam, in non modicam offenſam Divinæ Majeſtatis, ac univerſalis Eccleſiæ, & fidei Catholicæ detrimentum & ſcandalum dogmatizantes & prædicantes, claves quoque Eccleſiæ vilipendentes, notorios & pertinaces hæreticos, eadem authoritate, fuiſſe, & eſſe, declarantes, eosdem, ut tales, harum ſerie condemnamus, & eos pro talibus haberi ab omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus ſupra dictis volumus & mandamus, eosque omnes & ſingulos omnibus ſupra dictis, & aliis contra tales a jure inflictis pœnis, & præſentium tenore ſubjicimus, & eisdem irretitos fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus.

Inhibemus præterea ſub omnibus & ſingulis præmiſſis pœnis, eo ipſo incurrendis, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſuperius nominatis, ne ſcripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem *Martino* quomodolibet condita vel edita, aut condenda vel edenda, ſeu eorum aliqua, tanquam ab homine orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehementer ſuſpecta, & ut ejus memoria omnino deleatur de Chriſti fidelium conſortio, legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſive defendere, per ſe vel alium, ſeu alios, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, publice vel occulte, ſeu in domibus ſuis, ſive aliis locis, publicis vel privatis tenere quoquo modo præſumant, quinimo illa comburant, ut præfertur.

Monemus inſuper omnes & ſingulos Chriſti fideles ſupra dictos, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ut hæreticos prædictos declaratos, & condemnatos, mandatis noſtris non obtemperantes, poſt lapſum termini ſupra dicti evitent, & quantum in eis eſt, evitari faciant, nec cum eisdem, vel eorum aliquo commercium, aut aliquam converſationem ſeu communionem habeant, nec eis neceſſaria miniſtrent.

Ad majorem præterea dicti *Martini*, ſuorumque complicum, fautorum, & adhærentium, ac receptatorum prædictorum, ſic poſt lapſum termini prædicti declaratorum hæreticorum & condemnatorum confuſionem, univerſis & ſingulis utriusque ſexus Chriſti fidelibus, Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis, aliisque perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, & quorumvis ordinum etiam Mendicantium (præſertim ejus Congregationis, cujus dictus *Martinus* eſt profeſſus, & in qua degere & morari dicitur) regularibus, exemptis & non exemptis, nec non univerſis & ſingulis Principibus, quacunque Eccleſiaſtica, vel mundana fulgentibus dignitate, Regibus, Imperatoris Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, Communitatibus, Univerſitatibus, Potentatibus, Civitatibus, terris, caſtris, & locis, ſeu eorum habitatoribus, civibus & incolis, omnibusque aliis & ſingulis ſupra dictis, per univerſum orbem, præſertim in eadem Alemannia conſtitutis, mandamus, quatenus ſub prædictis omnibus & ſingulis pœnis ipſi, vel eorum quilibet præfatum *Martinum*, complices, adhærentes, receptantes, & fautores,

tores, perſonaliter capiant, & captos ad noſtram inſtantiam retineant, & ad Nos mittant, reportaturi pro tam bono opere a Nobis & Sede Apoſtolica remunerationem, præmiumque condignum; vel ſaltem eos, & eorum quemlibet de Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & aliis Eccleſiis, domibus, Monaſteriis, Conventibus, Civitatibus, Dominiis, Univerſitatibus, Communitatibus, caſtris, terris ac locis, reſpective tam Clerici & Regulares, quam laici, omnes & ſinguli ſupra dicti omnino expellant.

Civitates vero, Dominia, terras, caſtra, villas, Comitatus, fortalitia, oppida, & loca quæcunque, ubilibet conſiſtentia, eorum & earum reſpective Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, & alias Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, domus, Conventus, & loca religioſa vel pia, cujuscunque ordinis, ut præfertur, ad quæ præfatum *Martinum*, vel aliquem ex prædictis declinare contigerit, quamdiu ibi permanſerint, & triduo poſt receſſum Eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto.

Et ut præmiſſa omnibus innoteſcant, mandamus inſuper univerſis Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, ac Collegiatarum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis, aliisque perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus & quorumvis Ordinum ſupradictorum Regularibus, Fratribus religioſis, Monachis, exemptis & non exemptis ſupradictis ubilibet, præſertim in Alemania conſtitutis, quatenus ipſi, vel eorum quilibet ſub ſimilibus cenſuris & pœnis, eo ipſo incurrendis, *Martinum*, omnesque & ſingulos ſupradictos, qui elapſo termino hujusmodi mandatis, ſeu monitis noſtris non paruerint, in eorum Eccleſiis, Dominicis & aliis Feſtivis diebus, dum inibi major populi multitudo ad Divina convenerit, declaratos hæreticos & condemnatos publice nuntient, faciantque & mandent ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius evitari.

Nec non omnibus Chriſti fidelibus, ut eos evitent, pari modo ſub prædictis cenſuris & pœnis, & præſentes literas, vel earum tranſumptum ſub forma infraſcripta factum, in eorum Eccleſiis, Monaſteriis, domibus, Conventibus, & aliis locis, legi, publicari, atque affigi faciant.

Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes & ſingulos cujuscunque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis aut excellentiæ fuerint, qui, quominus præſentes literæ, vel earum tranſumpta, ſeu exemplaria in ſuis terris, Dominiis legi, affigi & publicari poſſint, fecerint, vel quoquo modo procuraverint, per ſe vel alium, ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe.

Poſtremo, quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula quæque loca deferri, in quibus neceſſarium foret, volumus & Apoſtolica authoritate decernimus, quod earum tranſumptis, manu publici Notarii confectis & ſubſcriptis, vel in alma urbe impreſſis, & ſigillo alicujus Eccleſiaſtici Prælati munitis ubique ſtetur, & plena fides adhibeatur, prout originalibus literis ſtaretur & adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Et ne præfatus *Martinus*, omnesque alii ſupradicti, quos præſentes literæ quomodolibet concernunt, ignorantiam earundem literarum, & in eis contentorum omnium & ſingulorum prætendere valeant, literas ipſas in Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non Cathedralium Eccleſiarum Brandeburgenſis, Misnenſis & Merspurgenſis valvis affigi, & publicari debere volumus, decernentes, quod earundem literarum publicatione ſic facta, ſupradictum *Martinum*, omnesque alios & ſingulos prænominatos, quos literæ hujusmodi quomodolibet concernunt, proinde arctent, ac ſi literæ ipſæ die affixionis & publicationis hujusmodi eis perſonaliter lectæ & intimatæ forent. Cum non ſit veriſimile, quod ea, quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita manere.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ſeu ſi ſupradictis omnibus & ſingulis, vel eorum alicui, aut quibusvis aliis a Sede Apoſtolica prædicta, vel ab ea poteſtatem habentibus ſub quavis forma, etiam con-

confeſſionali, cum quibusvis etiam fortiſſimis clauſulis, aut ex quavis cauſa, ſeu grandi conſideratione indultum vel conceſſum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales id importantes, de indulto hujusmodi mentionem, ejusdem indulti tenores, cauſas & formas, perinde ac ſi de verbo ad verbum infererentur, ita ut omnino tollantur præſentibus pro expreſſis habentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ damnationis, reprobationis, rejectionis, Decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obſecrationis, requiſitionis, monitionis, aſſignatio is, conceſſionis, condemnationis, ſubjectionis, excommunicationis & anathematizationis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri ac Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDXX. XVII. Kalendas Junii, Pontificatus Anno octavo.

VISA R. MILANESIUS.
ALBERGATUS.

LEONIS Papæ X. Bulla Damnationis & Excommunicationis contra Martinum Lutherum, & ejus aſſeclas; data

Anno Chriſti MDXXI. Leonis X. PP. IX. Caroli V. Imp. III.

LEO EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

DEcet Romanum Pontificem, & tradita ſibi Divinitus poteſtate, pœnarum ſpiritualium, & temporalium, pro meritorum diverſitate, Diſpenſatorem conſtitutum, ad reprimendum nefarios conatus perverſorum, quos noxiæ voluntatis adeo depravata captivat intentio, ut Dei timore poſtpoſito, Canonicis Sanctionibus, mandatisque Apoſtolicis neglectis, atque contemptis, nova & falſa dogmata excogitare, ac in Eccleſia Dei nefarium ſchisma inducere, aut ſchismaticis ipſis, inconſutilem Redemptoris noſtri tunicam, orthodoxæque fidei unitatem ſcindére ſatagentibus, favorem præbere, aſſiſtere, adhærereque non verentur, ne Petri Navicula ſine gubernatore, & remige navigare videatur; contra tales, eorumque ſequaces, acrius inſurgere, & exaggeratione pœnarum, & alias opportuno remedio ita providere, ne iidem contemptores, in reprobum ſenſum dati, illisque adhærentes falſis commentis, ac ſubdolis eorum malitiis ſimplicem turbam decipiant, ac in eundem errorem ac ruinam ſecum trahant, ac veluti morbo contagioſo contaminent: & ad majorem ipſorum damnatorum confuſionem, omnibus Chriſti fidelibus publice oſtendere, ac palam declarare; quam formidabilium cenſurarum & pœnarum illi rei exiſtant, ad hoc, ut ipſi ſic declarati, ac publicati, confuſi tandem & compuncti, ad cor ſuum redire, & ab eorundem excommunicatorum, & anathematizatorum prohibita converſatione, & participatione, ac etiam obedientia, ſe penitus ſubtrahant, ut Divinam ultionem evadant, illorumque damnationis participes minime fiant.

Sane alias, cum quidam falſi fidei cultores, mundi gloriam quærentes &c.

Omittitur narratio, quæ præcedente in Bulla continetur.

Cum autem, ſicut accepimus, licet poſt litterarum affixionem & publicationem, poſt elapſum termini, ſeu terminorum, hujusmodi in litteris per Nos præ-

præfixi, seu præfixorum (quos quidem terminos elapsos fuisse, & esse, omnibus Christi fidelibus & per præsentes significamus, & fidem facimus) nonnulli ex eis, qui ejusdem *Martini* errores secuti fuerunt, ipsarum litterarum, ac monitionum, & mandatorum nostrorum notitiam habentes, spiritu sanioris consilii ad cor reversi, errores suos confitentes, & hæresim in manibus nostris abjurantes, & ad veram fidem Catholicam se convertentes, absolutionis beneficium, juxta facultatem eisdem nunciis desuper concessum, obtinuerint, & in nonnullis civitatibus & locis Alemanniæ libri, & scripturæ dicti *Martini* juxta mandata nostra, publice cremati fuerint; tamen ipse *Martinus* (quod non sine gravi animi molestia, & mentis nostræ perturbatione referimus) in reprobum sensum datus, non solum errores suos infra præmissum terminum revocare, & de revocatione hujusmodi Nos certiores facere, seu ad Nos venire contempsit; verum tamquam petra scandali pejora prioribus contra Nos, & hanc Sanctam Sedem, & fidem Catholicam scribere & prædicare, & alios ad hoc inducere non est veritus. Propter quod, sicut ipse jam hæreticus est declaratus, ita & alii etiam, non parvæ authoritatis, & dignitatis, propriæ suæ salutis immemores, ipsius *Martini* pestiferam, hæreticamque sectam publice & notorie sequentes, eique palam, & publice auxilium, consilium, & favorem subministrantes, ipsumque *Martinum* in suis inobedientia & contumacia confoventes, & alii, publicationem dictarum litterarum impedientes, pœnas in dictis nostris litteris contentas, damnabiliter incurrerunt, & hæretici merito sunt habendi, atque ab omnibus Christi fidelibus evitandi: dicente Apostolo: *Hæreticum hominem post unam & secundam correctionem devita*, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.

Ut igitur cum *Martino*, & aliis hæreticis excommunicatis, & anathematizatis, & maledictis, merito copulentur, & sicut in delinquendo dicti *Martini* pertinaciam sequuntur, ita pœnarum, & nominis participes fiant, secumque Lutherani vocem, & debitas portent pœnas, cum præmissa adeo manifesta, & notoria sunt effecta, & permanentes, ita, ut nulla probatione, aut monitione vel citatione indigeant, prout sic fore decernimus, & declaramus: *Martinum*, & alios, qui eundem *Martinum* in suo pravo, & damnato proposito obstinatum, sequuntur: ac etiam eos, qui eum etiam præsidio militari defendunt, custodiunt, & propriis facultatibus, vel alias quomodolibet sustentare non verentur, ac auxilium, consilium, vel favorem quovis modo præstare, & subministrare præsumpserunt, & præsumunt, quorum omnium nomina, cognomina, & qualitates, etsi quavis celsa, vel grandi præfulgeant dignitate, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, ac in illorum publicatione vigore præsentium facienda, nominatim exprimi possent, decernimus excommunicationis, & etiam anathematis, nec non maledictionis æternæ, & interdicti, ac in eos, & eorum descendentes, dignitatum, honorum & bonorum privationis, & inhabilitationis ad illa, nec non bonorum confiscationis, & criminis læsæ Majestatis, & alias sententias, censuras, & pœnas, etiam in hæreticos a Canonibus inflictas, in dictis litteris contentas, damnabiliter incidisse.

Civitates quoque, terras, castra, oppida, & loca, in quibus tunc pro tempore fuerint, & ad quæ eos declinare contigerit, ac quæ in illis sunt, ac alias etiam Cathedrales & Metropolitanas, Monasteria, & alias religiosa & pia loca, etiam exempta & non exempta quæcumque, Ecclesiastico interdicto supposita esse, ita, ut, illo durante, illis prætextu cujusvis indulti Apostolici, præterquam in casibus a jure permissis, & in illis non alias, quam januis clausis, ac excommunicatis, & interdictis exclusis, nequeant Missæ, & alia Divina officia celebrari, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, illosque pro excommunicatis, & anathematizatis, maledictis, interdictis, privatis, & inhabilibus ubicunque locorum denunciari, & publicari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctius evitari præcipimus & mandamus.

Et ut omnibus, tantum in DEI & Ecclesiæ suæ vilipendium *Martini*, & sequa-

ſequacium, & aliorum inobedientium obſtinatæ temeritatis audacia innoteſcat, ne morbida pecus gregem inficiat, parsque ſincera ad infectionem trahatur; univerſis & ſingulis Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, Prælatis, Capitulis, & perſonis Eccleſiaſticis, & quorumvis ordinum etiam Mendicantium Religioſis, exemptis & non exemptis, ubilibet conſtitutis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis mandamus, quatenus ipſi & quilibet eorum, ſi & poſtquam vigore præſentium requiſiti fuerint, infra tres dies, quorum unum pro primo, & alium pro ſecundo, & reliquum pro tertio & peremptorio termino, ac Canonica monitione præmiſſa aſſignamus, eosdem *Martinum*, & alios excommunicatos, anathematizatos, maledictos, & hæreticos declaratos, aggravatos, interdictos, privatos, & inhabiles, & in præſentium executione nominatos, in eorum Eccleſiis, Dominicis, & aliis feſtivis diebus (dum major inibi populi multitudo convenerit ad Divina) cum crucis vexillo, pulſatis campanis, & accenſis candelis, ac demum extinctis, in terram projectis, & conculcatis, cum trina lapidum projectione, aliisque ceremoniis, in ſimilibus obſervari ſolitis, publice nuncient, & faciant, & mandent ab aliis nunciari, & ab omnibus Chriſti fidelibus arctius evitari. Ad majorem inſuper præfati *Martini*, aliorumque hæreticorum ſupradictorum, adhærentium, & ſequacium, & fautorum confuſionem, in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus omnibus & ſingulis Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, ut, ſicut ipſi ad ſedandum ſchismata, authore Hieronymo, conſtituti fuerunt, ita nunc, urgente neceſſitate, prout eorum incumbit officio, conſtituant ſe murum pro populo Chriſtiano, non tacendo, tamquam canes muti, non valentes latrare, ſed inceſſanter clamando, & exaltando vocem, & prædicando, & prædicari faciendo verbum Dei, ac veritatem fidei Catholicæ contra damnatos articulos, & hæreticos ſupradictos.

Nec non omnibus & ſingulis Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ac Religioſis quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, exemptis & non exemptis, ut præmittitur, ſimiliter in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut ſicut ipſi nubes a Deo conſtituti ſunt, ita ſpiritualem imbrem in populo Dei ſeminare, & contra ſupradictos articulos, ut præfertur, damnatos, ſicut etiam incumbit eorum officio, publice prædicare non vereantur. Scriptum eſt enim, quod perfecta charitas foras mittit timorem. Vos igitur, & veſtrum ſinguli, onus tam meritorii negotii devota mente ſuſcipientes, vos in illius executione ſic ſollicitos, ac verbo & opere ſtudioſos, atque diligentes exhibeatis, quod ex veſtris laboribus, Divina nobis favente gratia, ſperati fructus adveniant, ac per ſollicitudinem noſtram, quæ cauſas pias gerentibus pro retributione debetur, palmam gloriæ non ſolum conſequi mereamini; verum etiam apud Nos, & Sedem prædictam non immerito valeatis de exacta diligentia veſtra uberius commendari.

Verum quia difficile foret, præſentes declarationis, & publicationis litteras ad præſentiam & perſonam propriam *Martini*, & aliorum declaratorum, & excommunicatorum hujusmodi, perſonaliter deducere, propter iis faventium potentiam; volumus, ut affixio & publicatio præſentium litterarum in valvis duarum Cathedralium, ſeu Metropolitanarum: aut Cathedralis unius, & alterius Metropolitanæ, in dicta Alemannia conſiſtentium Eccleſiarum, per unum ex Nunciis noſtris, ibidem exiſtentibus facta, ita eos liget & arctet, *Martinumque*, & alios declaratos, damnatos hujusmodi demonſtret in omnibus, & per omnia, ac ſi eis, & eorum cuilibet perſonaliter intimatæ, & præſentatæ fuiſſent.

Et quia etiam difficile foret, præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferre, in quibus earum publicatio neceſſaria foret; volumus, & præfata authoritate decernimus, quod earum tranſumptis, ſigillo alicujus publici Notarii ſubſcriptis, ubique ſtetur, prout præſentibus originalibus litteris ſtaretur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus

bus illis, quæ in prioribus litteris nostris prædictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ Constitutionis, Declarationis, præcepti, mandati, assignationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo, vigesimo primo, tertio Nonas Januarii, Pontificatus nostri anno octavo.

CAROLI V. Imperat. Aug. Edictum contra LUTHERUM, Promulgatum in Comitiis Wormatiensibus

Eodem anno MDXXI.

CAROLUS QUINTUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ELECTUS ROMANORUM IMPERATOR, SEMPER AUGUSTUS, AC GERMANIÆ, HISPANIARUM, UTRIUSQUE SICILIÆ, HIERUSALEM, HUNGARIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ &c. REX: ARCHI-DUX AUSTRIÆ, DUX BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, COMES HABSBURGI, FLANDRIÆ ET TYROLIS &c.

UNiversis & singulis Sacri Romani Imperii Electoribus, aliisque Principibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus: Archi-Episcopis, Episcopis, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Præfectis, Præsidibus, Judicibus, Schultetis, Burgimagistris, Consulibus, Scabinis, Civitatum, Oppidorum, Villarum, terrarum, & quorumvis aliorum locorum communitatibus: Nec non Universitatum, Studiorum, sive Gymnasiorum Rectoribus, & locum tenentibus, seu Officialibus eorundem, ac cæteris quibuscumque, Nobis tam jure Sacri Imperii, quam hæreditario, aut alio quocumque modo subjectis, & fidelibus dilectis cujuscunque status, gradus, aut conditionis sint, & ad quos præsentes, vel earundem exemplum, nostro, vel alicujus Prælati Ecclesiastici sigillo, sive etiam publici Notarii manus subscriptione communitum pervenerit, gratiam Cæsaream, & omne bonum.

Ad veri Romanorum Imperatoris officium pertinet, non solum fines, seu jus Sacri Imperii, quod Præcessores nostri Germaniæ Principes, ob defensionem Sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ, suo, suorumque sæpius effuso sanguine, per Divinam gratiam sibi quæsierunt, ad orthodoxam viam, abductis vel expulsis infidelibus propagare, verum etiam, nequa hæreseos labes, aut suspicio in jam sibi subditis nationibus, sacrosanctam religionem nostram commaculet, summo studio providere. Aut si qua jam oriri cœperit, eam omni ope, omnique cura, juxta normam a Sancta Romana Ecclesia hactenus observatam, delere penitus & extinguere.

Quod si quis alius e majoribus nostris, tanto Nos magis præstare debemus, quanto Dei Opt. Max. immensa benignitas Nobis plura Regna & Dominia, pluresque, & magis bellicosos populos, majoresque vires, quam jam multis sæculis alicui Principi, qui hisce titulis sit potitus, ad suæ sanctæ fidei tutelam & incrementum elargiri dignata est.

Accedit, quod quum ex paterno genere e Christianissimis Imperatoribus, & Archi-Ducibus Austriæ, Ducibusque Burgundiæ: ex Materno vero, Catholicis, Hispaniarum, Siciliæ & Hierusalem Regibus simus orti, quorum omni-

um pro fide Chriſtiana res præclare geſtas, nulla unquam delebit oblivio, non ſine gravi conſcientiæ noſtræ onere, & perpetua nominis nota, quadamque veluti nebula, felicibus ineuntis Principatus noſtri auſpiciis offuſa, factum crederetur; ſi quæ jam ab hinc triennium pullulare in Germania cœperunt, novas quasdam hæreſes, imo verius jam ſæpe olim per Concilia & Summorum Pontificum Decreta, approbante Eccleſia damnatas, & nunc denuo veluti ab inferis erutas, altiores jacere radices, ulla noſtra negligentia paſſi eſſe videamur.

Sane veſtrum neminem ignorare exiſtimamus, quibus erroribus & hæreſibus ab orthodoxa fide longe alienis, quidam Frater Martinus Lutherus, Ordinis Sancti Auguſtini, religionem Chriſtianam in hac præſertim inclyta Germanica natione, omnis infidelitatis & hæreſum perpetua oppugnatrice, ita inficere conetur; ut niſi mature occurratur, tota hæc natio, & deinde ſerpente contagione, univerſa Chriſtiana reſpublica in abominandum ſchiſma, & bonorum morum, pacisque, ac tandem deteſtandam ſui perniciem prolapſura videatur.

Quapropter non immerito commotus Sanctiſſimus in Chriſto Pater Leo X. Sacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Summus Pontifex, ad quem fidem Catholicam, & Eccleſiæ Sacramenta curare ſpectat, prædictum Martinum a principio clementer & paterne monuit, & hortatus eſt, ut a nefandis hujusmodi incœptis deſiſteret, & jam ſparſos errores revocaret. Quod quum ille neglexiſſet, & pejora ſemper prioribus adderet, idem Beatiſſimus Pater ad opportuna, neque tamen inſueta remedia recurrere ſtatuit.

Itaque convocatis ſæpius Reverendiſſimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Epiſcopis, ac aliis Prælatis, nec non Regularium ordinum Prioribus, ſeu Miniſtris generalibus, accerſitisque pluribus ſcientia & probitate præſtantibus viris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, ac diverſarum nationum Doctoribus, & Magiſtris, prædicto tamen Martino prius vocato, ac citato, & in contumacia perſiſtente; ipſius ſcripta tam Alemannico, quam latino ſermone edita, & edenda, ut perniciosa, & fidei, unitatique Eccleſiæ contraria, auctoritate ſua Apoſtolica, præfatorumque ad hoc accedente Cardinalium conſilio & aſſenſu, ac Epiſcoporum, & Prælatorum, Doctorumque, & Magiſtrorum matura deliberatione, damnavit, & ubique locorum comburenda, prorſusque abolenda cenſuit & decrevit.

Martinum vero ipſum, niſi infra certum expreſſum terminum a publicatione Decreti Sanctitatis ſuæ, mutata ſententia ſe errores ſuos revocaſſe, & ad pœnitentiam rediiſſe docuiſſet; ut inobedientiæ & iniquitatis filium, ut ſchiſmaticum & hæreticum ab omnibus evitandum, & prout jura poſtulant, puniendum declaravit, ſub pœnis & cenſuris, quæ in Apoſtolicis literis, Bulla plumbea communitis, & ſuper hac re editis, latius continentur. Quas ad Nos, utpote Chriſtianæ fidei verum & ſupremum propugnatorem, & Sedis Apoſtolicæ, Sanctæque Romanæ & univerſalis Eccleſiæ primarium filium & advocatum, per ſuum & dictæ Sedis ſpecialem Nuncium, & Oratorem honorabilem virum Nobis dilectum Hieronymum Aleyandrum, ejusdem Sedis Protonotarium, & Apoſtolicæ Bibliothecæ Præfectum, dedita ad hæc opera miſit: petens, atque requirens, ut pro officio ac debito Imperialis dignitatis, in univerſo primum Romanorum Imperio, deinde (quod Catholicum Regem & Principem Chriſtianum decet) in cæteris etiam Regnis, Dominiis & Provinciis noſtris, & præſertim in Germania, præſtito in auxilium fidei Catholicæ brachio ſæculari, omnia & ſingula in jam dictis literis Apoſtolicis contenta inviolabiliter obſervari, & executioni mandari juberemus.

Poſt quas quidem prædicto Martino factas a Summo Pontifice monitionem, vocationem, citationem, & ipſius tandem condemnationem, nec non præſentatas Nobis ejusdem Beatiſſimi Patris literas, Bullamque Apoſtolicam per varia & diverſa Germaniæ loca publicatam, & noſtro juſſu & mandato non ſolum Lovanii in inferioribus Dominiis noſtris, verum & Coloniæ, Treviris, Moguntiæ, Leodii executioni demandatam, tantum abſuit, ut idem Martinus reſi-

resipisceret, errataque sua revocaret, & petita absolutionis venia, in gratiam cum Summo Pontifice, & Sancta Ecclesia redire procuraret; ut etiam detestabiliores perversi ingenii sui fructus in dies ederet, & perinde ac in manifestam Ecclesiæ perniciem furens rueret, complures acervatim libros non modo novarum, sed etiam a Sacris Conciliis condemnatarum hæresum plenos: nec solum latino; verum etiam, ut facilius vulgus perverteret, Alemannico, sermone a se compositos, vel saltem suo nomine editos fere quotidie divulgaret. In quibus observatum ab Ecclesia jam tot sæculis septem Sacramentorum numerum, ordinem, usum, dissipat, confundit, deturpat. Inviolatas matrimonii leges miris modis fœdissime inficit. Extremam Unctionem cum Wigleffo fictionem dicit. Communicandæ Sacratissimæ Eucharistiæ ritum ad damnata Boëmorum revocat instituta. At saluberrimam contaminatis peccato mentibus confessionem, primum ita involvit, ut confusionem eam e confessione fecerit: mox etiam magna in parte convellit: postremo adhuc pejora se de ea scripturum minatur. Unde nonnulli jam sumpta hac occasione de confessionis instituto & modo cœperint subdubitare. Alii mutilatam, & truncam fecerunt, alii vero (pro scelus) & confiteri ipsi destiterint & nequaquam esse confitendum publice asserere sunt ausi. Porro Sacerdotalem ordinem, & per quod Sacrosanctum Christi Corpus, Sanguisque conficitur, Divinum illud munus, claviumque cœlestium potestatem, non solum vilissimi pendit Lutherus, & laicis, puerisque, atque adeo fœminis ipsis communia facit; sed & eosdem laicos ad lavandas sibi in Sacerdotum sanguine manus incitat. Ipsum summum religionis nostræ Sacerdotem, D. Petri Successorem, & verum in terris Christi Vicarium, non nisi infamibus & probrosis nominat verbis, & frequentissimis atque inauditis invectivis, contumeliis & blasphemiis insectatur. Liberum arbitrium prorsum nullum esse, sed omnia certa lege stare ex Manichæi quidem, & Wigleffi penu depromit, sed tanquam irrefragabili argumento Ethnicorum Poetarum carminibus confirmat. Missæ Venerabile Sacramentum neque defunctis, neque vivis aliis, quam soli celebranti suffragari scribit. Jejuniorum & orationum institutionem & consuetudinem, ab Ecclesia observatam invertit & corrumpit. De purgatorio, & animarum, quæ in eo expiantur, statu, deque Divini Sacrificii & vivorum suffragiis, quæ a Nobis fideles defuncti expectant, cum Waldensibus & Wicleffistis contra Ecclesiam sentit. De Ecclesia vero ipsa militante, cum Pelagianis & Hussitis. At Sanctorum Patrum auctoritates & scripta ab Ecclesia recepta, pro nihilo habet, est ubi etiam sæpe deridet, debitumque illis cultum, & devotionem deterit & diminuit. Obedientiam & regimen omne prorsus tollit, unde populi ad defectionem, & rebellionem a suis tam spiritualibus, quam temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia, cum magno & manifesto Christianæ reipublicæ discrimine provocentur. Quinimo cum vitam quandam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicatam & vere ferinam inducere conetur, ita exlex homo leges ipsas omnes damnat & contemnit, ut Decreta Sanctorum Patrum, & Sacros Canones publico igni comburere non formidaverit, facturus pejora civili juri, si non magis sæculi gladium, quam Pontificis excommunicationes & censuras metuisset. Jam vero Sacrosanctis Conciliis palam contradicere, & pro suo arbitratu detrahere non erubescit. E quibus potissimum Constantiense illud, quod cum perpetua inclite Germanicæ nationis gloria pacem & tranquillitatem diffidenti Ecclesiæ dedit, ita ubique mordet, & impuro sceleratoque ore lacerat, ut in magnum universalis Ecclesiæ dedecus & offendiculum, sed Germanicæ præsertim nationis opprobrium & ignominiam, Concilium ipsum nunc pessime omnium erraffe scribat, nunc Synagogam Sathanæ, quique in eo convenerant, & Joannem Hussitam Hæresiarcham comburi jusserant, Sigismundum utique fælicis recordationis Imperatorem, & Sacri Imperii Principes Antichristum & suos Apostolos, homicidasque & Pharisæos vocet. Quidquid damnata in eodem Concilio omnia Joannis Hussitæ errata, Evangelica & Christiana esse; & se recipere probaturumque profitetur. Approbatos vero ejusdem Hussitæ articulos

los nequaquam admittit. In tantamque prorupit mentis vesaniam, ut si semel Joannes Hussita fuerit Hæreticus, se plus decies hæreticum Martinus glorietur, homo usque adeo novarum rerum, ac potius perditionis humanæ cupidus, ut nihil fere scripserit, vel saltem suo nomine divulgarit, cui non aliqua pestis, aliquis lethalis insit aculeus, præter illos libros, ne nominandos quidem, ob execrandam eorum materiam ipsius tamen titulo editos, & ab eo cum reliquis ut suos agnitos, quorum singula verba, singula venena merito quis dicat.

Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt, Lutheri errata singulatim percenseantur, tanquam si hic unus non homo, sed Diabolus ipse, sub hominis specie ad perniciem humani generis adsumpta Monachi cuculla, quam plurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses, tam diu sepultas in unam sentinam congesserit, & aliquas etiam novissime de suo excogitaverit, sub simulata prædicatione fidei, quam ad prætexendos suos dolos, tam sæpe tantoque opere objicit, fidem veram prorsus destruit: sub libertatis, quam promittit, specie, Diaboli jugum & servitutem inducit. Et sub Evangelicæ professionis nomine, omnem Evangelicam pacem & charitatem, omnemque rerum ordinem, & pulcherrimam denique totius Ecclesiæ faciem invertere, labefactare & penitus pessundare molitur.

Quibus omnibus per Nos & Concilia nostra nationum omnium Nobis subditarum, sæpius & diligenter attentis & consideratis; & præserim in hac parte ab eodem Beatissimo Patre requisiti, absque insigni macula nostra, atque orthodoxæ religionis injuria & detrimento, rem tanti ponderis negligere nequaquam potuimus, ut etiam non debuimus, neque voluimus. Sed potius Prædecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum vestigiis insistentes, eorumque pro libertate Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ perpetuo laudabilia facta, ac pias & sanctas super puniendis & exterminandis hæreticis, constitutiones observantes; convocatis sæpius ad præsentiam nostram propter hoc præcipue Electoribus, nec non universis Sacri Romanorum Imperii ordinibus & statibus, in hoc Wormatiensi Conventu congregatis, de eorum omnium & singulorum unanimi consilio, matura deliberatione & consensu, in hanc tandem devenimus sententiam, & conclusionem; ut quamvis hominem ita a Summo Pontifice, & Sede Apostolica condemnatum, & in sua obstinata perversitate obduratum, atque ab usu Catholicæ Ecclesiæ alienum, & notorium hareticum audire, omni jure exceptum esset; tamen ad tollendam omnem cavillandi causam, idque quia nonnulli plerosque libros Martino adscriptos ipsius esse apertissime inficiabantur. Complures audiendum a Nobis hominem, quam in eum ad executionem Pontificii Decreti ulterius procederemus, asseverabant. Martinum sæpe dictum misso ad ipsum dedita opera uno e caduceatoribus seu præconibus, & Heraldis nostris, sub libero huc veniendi, & recedendi salvo conductu accersiri juberemus. Quod & factum fuit, non ut Nos de hoc negotio judicaremus aut cognosceremus, quum id dubio procul ad Romanum Pontificem & Sedem Apostolicam pertineat, neque ut res sacrosanctæ fidei nostræ nunc tandem post tot sæcula per novas altercationes cum magno fidelium scandalo & perturbatione, ac infidelium derisione in controversiam revocari pateremur. Sed ut cum vulgi & plurimorum ita petentium satisfactionem, hominis animum percontantes, eum bonis monitionibus & suasionibus ad rectam semitam (si fieri posset) reduceremus. Itaque Lutherum in nostra & Sacri Imperii Electorum Principum, Prælatorum, statuum præsentia constitutum juxta formam Imperialis mandati, super hac re nuper interrogari jussimus.

Primum nunquid ipse multos libros sibi ob oculos adductos, & titulatim nominatos, & alios item, qui sub suo nomine circumferuntur, composuisset. Deinde, an ea, quæ in ipsis libris contra Sacra Concilia, Decreta Patrum, ritus & consuetudines a nostris Majoribus, ad hunc usque præsentem diem observatas scripserit, revocare vellet, & ad sinum & unitatem universalis Ecclesiæ redire, adhibitis ad hoc nostro & Imperii nomine admonitionibus, & adhortationibus, quæ obstinatissimum hominem, etiam lapide duriorem emollire & convertere potuissent. Qui sane statim libros ipsos antedictos, ut suos agnovit & confessus est, nun-

nunquam se id negaturum protestatus. Imo & adhuc alios se composuisse dixit, quorum copia quum Nobis non fuisset facta, idcirco in medium non fuerant allati.

Quantum vero ad revocationem attinet, terminum sibi ad respondendum dari petiit, qui quamvis merito negari potuisset, tum quia novitates, & errores in fide, nulla sunt dilatione tractandi, sed statim penitus resecandi; tum quia ex mandato nostro sibi legitime insinuato, nec non etiam literis, quas ad eum dederamus, optime admonitus, quam ob caussam vocaretur, non nisi statim respondere paratus ad tantum Imperialis Conventus conspectum venire debuisset, tamen ex nostra clementia & benignitate, unius adhuc diei terminum ad respondendum ei dedimus, quo elapso rursum coram Nobis & prædictis ordinibus Imperii comparens, & similibus adhortationibus sæpius, ut ad cor rediret, efflagitatus, pollicentibus etiam Nobis, si resipisceret, erroresque suos agnosceret, & quæ in libris ejus damnata & mala essent, revocaret, facile Nos impetraturos, ut a beatitudine Pontificis in gratiam reciperetur, & adhibito fideli, æquo & diligenti examine, ex ipsius libris, quæ mala scripserat, secernerentur, quæ vero bona, authoritate Apostolica approbarentur, se ne verbum quidem in suis libris mutaturum; imprudentibus simul & impudentibus verbis, orisque & corporis gestu, quodvis potius, quam religiosum aut sanum hominem præ se ferentem apertissime negavit. Quinimo in nostram & Sancti Imperii faciem summorum Decreta Pontificum, & Concilia ipsa sacrosancta errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse, & tandem nullius apud se momenti fore asseveravit, seque nihil ex his, quæ scripserat revocaturum, nisi evidenti sibi ratione, & Sacræ Scripturæ auctoritatibus ad suæ conscientiæ, animique satisfactionem & assensum fuerit convictus. Illud subinde repetens, & inculcans (quo fraudum suarum virus jam multis detegi cœptum occultaret) conscientia sibi illæsa & integra, neque velle se, nec posse verbum immutare. Mala mens, malus animus: quasi vero Nos id ab eo peteremus, ut verbum Dei immutaret, ac non potius, ut juxta verum Dei verbum ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ, a qua tam impie, quam turpiter defecerat, rediret. Cujus authoritatem, quum tantam voluerit esse Dominus, idemque Deus noster JESUS Christus, ut qui Ecclesiam non audierit, tanquam Ethnicus & Publicanus sit habendus: idcirco non immerito vel eam solam omnibus inventionibus, & vaframentis hæreticorum longe anteferendam nemo nunquam, nisi perditissimus & vere hæreticus & Lutherus judicavit, qui ut tandem egregia sua hic acta, condigno fine clauderet, & quod pessime inceperat, pejus terminaret, quid animi habeat, quam fidelium clade exultet, vel in nostro & in Sacri Imperii conspectu dissimulare non potuit. Nam detorta (ut hæreticis mos est) a vero sensu ad suam impietatem Evangelica illa sententia: *Non veni mittere pacem, sed gladium*, Omnium sibi, dixit, jucundissimam in rebus faciem, videre ob verbum Dei studia & dissensiones fieri. Id est (quod utinam ne experientia videremus) ob diffidentes ab Ecclesiæ ritu Lutheri opiniones, quas verbi Dei falso titulo prætexit, vere studia contraria, & dissensiones, & diffidia, & schismata, & bella, & cædes, & rapinas inter Christianos concitari.

Tali igitur & tam subdola; atque hæreticis omnibus peculiari responsione Nobis & Sacro Imperio a Luthero data, etsi decreveramus ipso statim remisso ad ulteriora progredi (id quod ex sententia nostra scripta, & postera die publicata, nemini non constare potest) tamen ad preces omnium Imper. ordinum inclinati adhuc ipsi triduum ad resipiscendum concessimus. Quo tempore duo Electores, duo Episcopi, duo Principes sæculares, quoque civitatum nomine universos ordines & status Sancti Romani Imperii repræsentantes, & ad hoc communi omnium jussu & nomine deputati, vocato ad se Martino prædicto nullum non admonendi & adhortandi eum, ut tandem resipisceret, & nisi id faceret, quæ ipsum a Nobis & Sacro Imperio, legumque constitutionibus pœnæ manerent, declarandi officium frustra insumpserunt.

Unus etiam ejusdem Sacri Imperii Elector adhibitis secum duobus Doctoribus pietate & scientia præclaris, non solum adhortationibus, sed etiam multorum

rum errorum evidentibus redargutionibus ad ipsius usque obmutescentiam factis, mox seorsim ipsum prudenter & humane commonefecit, ut ad Summi Pontificis & Sedis Apostolicæ, nostrumque & Sacri Imperii statuum, & cæterarum fidelium nationum sanam sententiam, juxta continuatum tot sæculis Ecclesiæ ritum, potius, quam ad suam unius opinionem respiceret, a qua si recedens in ordinem redire vellet, id se primum nonnullorum Sanctorum Patrum, qui & ipsi aliquando erraverunt, laudabili exemplo, deinde salvis anima, corpore, & honore facturum cognosceret. Ad quæ Martinus antedictus, & varia pluraque & diversa, cumque iis, quæ scripserat, pugnantia, nihilo tamen meliora, aut saniora privatim respondit, quam publice coram Nobis, & Sacro Imperio fecerat. Atque adeo se non omnes modo supra memoratos, sed & Concilium ipsum generale (si quod fieret) suspectum habere protestatus est.

Et (ut certissimo & omni exceptione majori testimonio constat) pollutissimo & sceleratissimo ore profari non est veritus, res Evangelii & Catholicæ fidei, nunquam fuisse in Conciliis Generalibus bene tractatas. Unde non injuria plurimum Nobis mirari subiret, cur nam a Summi Pontificis sententia ad Generale Concilium nuper provocarit, quum tam impie de Conciliis ipsis loquatur & scribat. Nisi manifeste sciremus, ut nihil est hæreticis æque formidabile, atque œcumenicum Concilium, nihil iisdem magis proprium esse, quam ut dictis, factisque & scriptis secum ipsi diffideant. Quod si usquam alibi, præcipue in Lutheri libris (Divina providentia sic operante, quo ipsius vana ædificia per se ruant) passim legere & videre est.

His omnibus & singulis sic omnino, ut præmittitur, se habentibus, quum prædictus Martinus tam perverse & obstinate in suis adeo manifeste hæreticis opinionibus persisteret, ut ab omnibus iis, qui sapiunt, partim demens, partim etiam malo aliquo obsessus spiritu judicaretur, Nos juxta tenorem Salvi conductus, ipsum statim a conspectu nostro missum fecimus, datoque ei in comitatu uno ex Heraldis nostris, & præscripto termino a vigesima quinta mensis Aprilis, qua ex Wormatia discessit ad viginti deinde proxime futuros dies, quibus peractis una salvus conductus peractus, & extinctus censeretur.

Nunc tandem ad reliquas oportunas medelas huic pestilentissimo morbo necessarias, in hunc, qui sequitur, modum procedere decrevimus.

Primum omnium ad honorem Omnipotentis, Romanique Pontificis & Sanctæ Sedis Apostolicæ debitam reverentiam, pro Imperialis dignitatis officio ac debito, nec non zelo & studio, quo nostrorum majorum more, & ingenita etiam Nobis vi ad defensionem Catholicæ fidei, Sanctæque Romanæ & universalis Ecclesiæ honorem, tutelam & protectionem, omnes nostras vires ac facultates, Imperium, Regna, Dominia, amicos, vitam denique & animam ipsam nostram exponere sumus parati. Ex Imperiali & Regia authoritate, nec non consilio, & assensu Electorum & omnium Sacri Romani Imperii Principum, ordinum & statuum, in hac celeberrima & frequentissima Imperiali Diæta Wormatiæ congregatorum.

Ad perpetuam rei memoriam exequendo Sanctissimi nostri Domini Papæ in hac parte Judicis sententiam, Decretum, & condemnationem in literis Apostolicis (ut supra dictum est) ad Nos directis contentum, Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei abalienatum, ut obstinatum schismaticum, & notorium hæreticum a Nobis haberi declaramus, & ut talem a vobis habendum decernimus, & edicimus; mandantes de eorundem statuum consilio & consensu, sub criminis læsæ Majestatis, nostræque, & Sacri Imperii gravissimæ indignationis, ac etiam amissionis Feudorum, Dominiorum, & bonorum omnium; gratiarum quoque, & omnium privilegiorum a Nobis, & Sacro Imperio dependentium, quæ obtinuistis hactenus, aut Prædecessores vestri quomodolibet obtinuerunt, nec non proscriptionis, ac banni, & interdicti Imperialis pœnis. Ne quis vestrum præfatum Martinum Lutherum receptare, defendere, & sustentare, fovere dicto, facto, aut scripto præsumat:

Quinimo post elapsum supra dictum viginti dierum terminum, contra eum, ubi-

ubicunque deprehensus fuerit, & in manu aut facultate vestra erit; juxta formam Imperialis Banni procedatis, vel saltem captum tamdiu custodiatis, donec Nos a vobis de hac re certiores facti, de legitima in eum persecutione facienda vobis significemus, ut vos tam sancti operis & laboris debita præmia, & mercedem etiam uberem cum impensis ob hanc causam factis reportetis.

Et nihilominus ejusdem Martini complices, adhærentes, receptatores, & quomodolibet fautores, & sectatores (nisi se iniquitatis semitam deseruisse, & authoritate Apostolica absolutionis remedium consequutos esse fidem condignam fecerint) nec non eorum omnia & singula bona, mobilia & immobilia, juxta sacras Constitutiones, ac interdicti, & Banni Imperialis legem & ordinem, & absque ulla contradictione persequamini, illosque & illa capiatis, & in usus vestros optimo & pleno jure convertatis.

Mandamus insuper vobis omnibus & singulis præfatis, sub eisdem prænominatis pœnis, ne quis Martini Lutheri scripta a Summo Pontifice authoritate sua Apostolica (ut præmittitur) damnata, aut alia quæcunque tam Latino, quam Alemannico, seu alio quovis idiomate ab eo hactenus composita, vel in posterum componenda, utpote mala, suspecta, & a notorio, & pervicacissimo hæretico provenient a emere, vendere, tenere, legere, describere, imprimere, aut describi, vel imprimi facere, afferere, sustentare, prædicare, defendere, præsumat. Non obstante, quod illis etiam aliqua bona ad fallendas simplicium mentes immixta essent.

In quo præter justam Sedis Apostolicæ sententiam, etiam laudatissimam veterum Patrum institutionem & consuetudinem, omnino exequendam duximus, qui Arianorum, Priscillianistarum, Nestorianorum, Eutychianorum, & aliorum hæreticorum libros, & in illis contenta omnia tam bona, quam mala promiscue exusserunt, & adnihilarunt: neque id immerito, nam si optimi quique cibi unius tantum guttæ veneni, quo humanum corpus lœderetur, infusione suspecti, penitus sunt abjiciendi, quanto magis ea scripta, quibus tanta, & tam noxia animabus venena passim inserta sunt, non solum Nobis cavenda sunt, sed etiam ne aliis noceant, prorsus destruenda, & corrumpenda, atque ab omni hominum memoria veniunt observanda. Accedit ad id, quod quicquid boni in Martini libris reperitur, id antea a sanctis Patribus, quos Ecclesia recepit & approbavit, sæpe dictum & sæpius repetitum, absque ullius periculi aut mali suspicione legi, aut haberi potest.

Eapropter sub eisdem pœnis omnibus, & singulis supradictis, vos omnes & quilibet vestrum tam Principes, quam alii, ad quos justitiam quomodolibet pertinet ministrare, & alii quicunque in universo Imperio, Regnis & Dominiis nostris constituti, hujuscemodi pestiferos Martini libros, tam Alemannicos, quam Latinos, impressos, & imprimendos, aut etiam manu scriptos, ubicunque reperiantur, utpote magnæ seditionis, schismatis, hæresios in Ecclesia Dei fomites, diripiendos, & publico igni consumendos, penitusque abolendos cum effectu curetis, Apostolicisque Nunciis, seu eorum Commissariis, si operam vestram ad hanc rem requisierint, fideliter & diligenter adsistatis. Et nihilominus in eorum absentia, per vos ipsos hæc sic fieri nostro nomine & jussu, omnino & reipsa faciatis. In quo omnibus fidelibus dilectis subditis nostris ut Nobis, ac vobismetipsis assistant & pareant, tenore præsentium sub eisdem pœnis injungimus, & mandamus.

Verum quia maxime cavendum est, ne Martini libri, aut ex illis excerpta mala, suppresso aut etiam mutato auctoris nomine, publicentur, quia etiam non sine magna animi nostri offensa, multos quotidie videmus, & audimus cum alibi, tum maxime in Germania componi, & imprimi libros plurimis malis traditionibus & exemplis refertos, & ne non omni astu & dolo humanæ naturæ hostis Christianis laqueos tendat, multas passim divulgari picturas, & imagines non in opprobrium modo privatarum personarum, sed & ipsius Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ contumeliam excogitatas. Ex quibus omnibus libris & picturis, Christi fideles in maximos tam in fide, quam in vita & moribus prolabuntur errores, &

non

non ſolum privata odia, ſcandala, & ſimultates (prout experientia docet) multis in locis exorta fuerunt, verum etiam ſeditiones, tumultus, rebelliones, ſchismata in Regnis, Provinciis, & populis, atque universa Dei Eccleſia (niſi provideatur) jamjam excitanda formidantur. Idcirco ad hanc perniciosiſſimam peſtem extinguendam ex ſupradictorum Electorum & Statuum concordi animo & ſententia omnibus & ſingulis ſupradictis, tam Imperiali, quam hæreditario jure Nobis ſubditis, ſæpe eos dictis pœnis omnibus præcipimus & mandamus, ne quis hujusmodi famoſos, & peſtilentes libros, ſeu quascunque alias ſchedas, ſcripturas, imagines, picturas contra orthodoxam fidem, bonos mores, & id quod Sancta Romana Eccleſia hactenus obſervavit, atque etiam invectivas, criminationes, & ignominias contra Summum Pontificem, Sedem Apoſtolicam, Prælatos, Principes, Univerſitates Studiorum, & eorum facultates, honeſtasque perſonas componere, depingere, vendere, emere, tenere, habere, aut imprimi, deſcribi, depingi, vel vendi facere, quavis arte, aut dolo audeat, aut attentet.

Quinimo ſub iisdem pœnis jubemus omnibus, & ſingulis ſupradictis, & præſertim iis, qui juſtitiæ miniſterio præſunt, ut ejusmodi libros quoscunque antehac impreſſos, vel poſt hac imprimendos, nec non etiam manu ſcriptos, cujuscunque ſint auctoris, aut ubicunque locorum per Sacrum Imperium, atque etiam noſtra hæreditaria Regna & Dominia inveniantur, ſimiliter etiam picturas hujusmodi & imagines, noſtro juſſu & nomine occupent, diripiant, & publico igni comburant.

Et nihilominus hujusmodi deteſtabilium librorum, codicum, ſchedarum, & ſcripturarum, & picturarum authores, & inventores, ac etiam poſt præſentis mandati publicationem, impreſſores, emptores, & venditores, qui contra juſſa facere præſumpſerint (ſi modo id legitime conſtiterit) nec non eorum jura, & bona omnia & ſingula capiant, apprehendant, & detineant, ac jure bono, quicquid ſibi libitum fuerit, de illis diſponant, ita quod de hoc nulli hominum tam in judicio, quam extra reſpondere ſint obligati.

Atque ut omnis ejuscemodi, & aliorum errorum occaſio tollatur, & ne aliorum ſcribentium venena longe lateque diffundantur, ſed præclarum imprimendi libros artificium in bonos tantum & laudabiles uſus exerceatur, ex certa noſtra ſcientia, animoque deliberato, ac Imperiali, Regiaque authoritate de maturo ſupradictorum Electorum, & aliorum Sacri Romani Imperii Statuum conſilio, deliberatione, & unanimi conſenſu volumus, & ſub Banni, & interdicti Imperialis, & aliis pœnis antedictis præcipimus, & jubemus, tenore præſentis edicti, quod vim inviolabilis legis habere decernimus, ne quis de cætero chalcographus, & librorum impreſſor, aut alius quivis ubilibet per Sacrum Imperium, atque noſtra prædicta Regna, & Dominia conſtitutus, libros illos, ſeu aliam quamcunque ſcripturam, in quibus de ſacris literis, aut fide Catholica aliquid vel minimum tractatur, non habito prius conſenſu, & voluntate Ordinarii loci, aut ejus ad hoc ſubſtituti & deputati, aut authoritate etiam Facultatis Theologicæ, alicujus propinquæ Univerſitatis, pro prima videlicet impreſſione, alias vero cujuscumque rei, & facultatis libros, ſchedas, & picturas de conſenſu ſaltem Ordinarii, aut ejus ad hoc ſubſtituti, ullo pacto imprimere, vel vendere, aut imprimi, vel vendi facere directe vel indirecte, quoquo modo præſumat, aut attentet...

Quod ſi quis cujuscunque ſit dignitatis, gradus aut conditionis, hanc noſtram mentem, Decretum, Statutum, tam Lutheranam, quam impreſſoriam materiam concernentibus, inviolabiliter obſervandam ullo pacto, aut quovis quæſito colore vel ingenio contrafacere, aut venire auſu temerario præſumpſerit, præterquam quod illud irritum decernimus & inane, etiam læſæ Majeſtatis crimen, ac noſtram, & ſacram Imperii graviſſimam indignationem, proſcriptionisque, & banni, ac interdicti Imperialis, nec non alias ſæpe dictas pœnas ſe ipſo facto incurriſſe cognoſcat.

Datum in Civitate noſtra Imperiali Wormatia, die octava menſis Maji, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo. Regnorum noſtrorum Romani ſecundo, cæterorum vero omnium ſexto.

Ex Chapeavill. Geſt. Pontificum Leodienſ. Tom. III. Cap. XI. Idem exhibet Odoric. Raynald in Annal. Eccleſ. ad ann. 1521. *n.* 26. *Goldaſt. Conſtit. Imperial. Tom. II.*

HADRIANI PAPÆ VI.

BREVE ad FRIDERICUM, Saxoniæ Ducem, adverſus Lutherum.

Anno Chriſti MDXXII. Hadriani VI. PP. I. Caroli V. Imp. IV.

DILECTE FILI! SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SAtis & plusquam ſatis ſuſtinuimus, Dilecte in Chriſto, ſi forte Dei pietas tuam animam dignetur inviſere ac dare pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, ut reſipiſceres a Diaboli laqueis, a quo captivus detineris. Novimus te paterne monitum a felicis recordationis Prædeceſſore noſtro, ut a te ſeparares perniciem illam Chriſtianæ Religionis Martinum Lutherum, & cum jam toti orbi manifeſtæ eſſent ſceleſtiſſimæ machinationes illius, ſperavimus & te ad cor pœnitens reverſurum.

Sed quoniam exſpectavimus uvas: *Et ecce quia fruſtra conflavit conflator, malitiæ enim tuæ non ſunt conſumptæ*. Coegit Nos miſeratio tui, coegit paternus amor, quo te & tibi ſubditos Saxones in Domino ſemper fuimus proſecuti, ſalutaribus & paternis monitis adhuc convenire, ut vel tandem reſipiſcatis, antequam plane in vos conveniat, quod mox ſubdit Propheta: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit eos.*

Et quid dicemus vobis, quam quod Galatis ſuis Paulus: *O inſenſati, quis vos faſcinavit veritati non obedire? currebatis bene: interrogate patres veſtros, ac dicent vobis, majores veſtros & annuntiabunt vobis*: quod ab ea ætate, qua uno eodemque tempore vixere Hadrianus Romanus Pontifex & Carolus ille magnus Imperator, Saxonicæ fidei plantatores ad noſtra uſque, & cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Caroli tempora, avi & proavi veſtri, atque adeo Saxones omnes ſemper habiti eſtis veluti pacis amatores, fidei propugnatores, per omnia obedientiæ pacifici filii, taleſque, ut non immerito Gregorius V. natione Saxo olim Romanus Pontifex, Saxoniæ Ducem in Romani Imperatoris conſtituerit Electorem. *Quomodo ergo tam cito mutatus eſt color optimus? cur tam facile transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt quidam, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti?* Quis vineam Domini Sabaoth tam pulchre plantatam eſt demolitus? certe exterminavit eam aper de ſylva & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Sed væ illud a vobis, a domeſticis & amicis, a cruciatu præcordiorum. Obſecramus te, Fili dilecte in Chriſto, leva oculos tuos in directum, & vide ubi ſis proſtratus. Conſidera quantam Eccleſiæ Chriſti tot malis undique circumvallatæ, ac pene oppreſſæ pro opera, qua illi ſubvenire debueras, cladem inſuper intuliſti. Oppugnatur foris ab infeſtiſſimo illo ac potentiſſimo Chriſtiani nominis hoſte. Diſſident intus Principes reipublicæ Chriſtianæ & in mutuam armati perniciem cruentiſſimis inter ſe odiis confligantur, & in fraterna viſcera ferrum ſtringunt, ut vix Ethnici inter ſe crudelius. An hæc ita tibi viſa ſunt non ſatis gravia, niſi contritionem induceres ſuper contritionem, nutriens ac fovens ſerpentem illum in ſinu tuo, qui veneno linguæ ſuæ Eccleſiam & terras infecit adeo, ut nunc pervenerit gladius etiam uſque ad animam? Quanto autem pluris eſt anima quam corpus, tanto gravius eſt prædictis omnibus horrendum illud & plusquam Tartareum venenum, quo hæreſeon ac ſchiſmatum contagione tot myriades animarum interierunt, intereuntque. Ita tibi debemus omnes, quod nunc paſſim ab unitate matris Eccleſiæ recedatur, quod avertatur vulgus indoctum, ac bis mille præſtigiis ac faſcinationibus retrahatur a fide,

fide, quam ſuxit ab ubere materno: quod baſilicæ ſint ſine plebibus, plebs ſine Sacerdotibus, Sacerdotes ſine debita reverentia, & ſine Chriſto denique Chriſtiani: quod Sacramenta fidei non ſacra cenſeantur, quod Sanctuarium Chriſti Sanctum eſſe negetur, quod dies feſti feſtivis fruſtrentur ſolemniis, quod moriantur homines in peccatis ſuis, rapiantur animæ ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliati, nec ſacra Communione muniti: quod pulcherrimus ille tabernaculi ordo confuſus ſit, & pro Chriſtiana pace ac tranquillitate ad rebellionem, ad rapinas, ad cædes, ad incendia cum magno ac manifeſto Chriſtianæ reipublicæ diſcrimine veluti Claſſico paſſim excitati. Pro quibus egregiis tuis in Eccleſiam Chriſti meritis, quo te præmio, imo quo non ſupplicio dignum cenſebimus? At dices forte: ſerpens me decepit. Dignam certe recepiſti mercedem, qui illum nutriviſti in ſinu tuo. Sed itane ſtultus es ac ſine corde, ut in eis maxime rebus, in quibus errare damnari eſt, uni homuncioni cooperto peccatis, quam tot ſanctiſſimis ab initio patribus, qui in lege Dei meditati ſunt die ac nocte, & quam tot univerſalibus Conciliis, adverſus quæ impudens os illud velut ſepulchrum patens ſe aperire non erubeſcit: Sanctæ denique & Catholicæ Eccleſiæ, cujus ritum, conſuetudinem & Decreta a temporibus Apoſtolorum ad nos uſque inviolabiliter obſervata, unus iſte ſacrilega temeritate damnare præſumit, plus credere potueris? O cæcam dementiam, ac plus quam Judaicam cæcitatem! At fortaſſis hoc tibi impoſuit, quod veterator ille Martinus & ejus ſequaces de Capitulis ſcripturarum viſi ſunt ſua confirmare. Et quis tandem hæreticorum ita non fecit? An non hæ ſunt veteris ſerpentis aſtutiæ, qui hac veluti eſca obducto hamo miſeris animabus mille technis & verſutiis ſemper eſt inſidiatus, quique, quo angularem infringeret veræ fidei lapidem ac Chriſtianam ſcinderet unitatem, in ſcripturarum agrum ſuum ſeminare ſemen & perverſam ſcripturarum intelligentiam jam pridem eſt aggreſſus? Cum itaque maxime ſemper pars Eccleſiarum imperita turba ſit, & vix unus reperiatur aut alter, qui ſpiritualibus oculis de ſcripturarum intelligentia digne valeat judicare, ſiquidem librum ſignatum legimus, quem ſolus leo de tribu juda dignatus eſt aperire, ac ſolvere ſignacula ejus: quæ tandem iſta Diabolica excæcatio, uni carnali homuncioni ſemper eructanti crapulam & potum, quam reliquo orbi univerſo, quam tot ſpiritualibus Patribus, quorum voluntas ſemper fuit in lege Domini, qui vitæ ſanctimonia, oſtenſione ſpiritus, ac virtute, glorioſo denique Martyrio ſuam doctrinam comprobaverunt, in ſcripturarum intelligentia plus apud te fidei habere potuiſſe? O cæcitatem novam & inauditam! unus apoſtata tibi potuit perſuadere fefelliſſe priores univerſos, errare poſteros, in ſolum ſe & quos decepit, perveniſſe Regnum Dei, perveniſſe totas miſerationum Dei divitias ac gratiam univerſitatis? Et quid non dicimus cum Propheta: *Heu, heu, heu Domine: ergone decepiſti populum tuum.* Quin potius cur non devitatis (ſecundum Apoſtolicum præceptum) quæſtionibus ac pugnis verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictiones hominum mente corruptorum, & ſubvertunt corda audientium, ex operibus ſuis, juxta Dominicam deſignationem ſtuduiſtis cognoſcere filium profanum iſtum, qui ad vos venit primum in veſtimentis ovium, lupus intrinſecus rapaciſſimus, ſiquidem non ex floribus, ſed ex fructibus arbor cognoſcenda erat.

Annon manifeſti ſunt nequiſſimi fructus ejus? Siquidem ſacrilegus hic adverſus Deum, imagines ſacras, atque adeo ipſam Crucem Chriſti ſceleratis manibus confringere & pollutis conculcare pedibus non formidat, contra Sacerdotes DEI furore impio temerarie debachans, non deſinit laicos ad lavandas ſibi in eorum ſanguine manus ſedulo concitare, Eccleſiam Chriſti parricidalibus armis oppugnans hoc agit aſſiduo, ut ſuffocentur homines in peccatis ſuis, hoc unum elaborat, ne Divina miſericordia ſuis Sacramentis, quæ peccatorum remedia efficacia eſſe voluit, vulneratos in Eccleſia ſua curet. Ita enim ea aut ſuſtulit univerſa, aut hæreſeos ſuæ peſtifero infecit veneno, ut toxicum magis requirat, quam animarum medicinas

cinas. Præcepit suis, ne indignanti Deo quis satisfaciat, ne jejuniis, orationibus, lamentationibus peccata redimat, ne hostia illa placens Deo, Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi a Sacerdotibus offeratur quotidie pro peccatis nostris, vota docet non reddere Domino Deo suo. Et cum ipse sit apostata ac professionis suæ desertor, ut plurimos sui faciat similes, sancta illa Deo vasa polluere non veretur, consecratasque virgines & vitam Monasticam professas extrahere a Monasteriis suis, & mundo, imo Diabolo, quem semel abjuraverunt, reddere. Quod in veteri lege in umbraticis Sacerdotibus Dominus non tulit, quod Ethnici in idolorum suorum flaminibus omnes sunt abominati, Christi Sacerdotes etiam vilissimis copulat meretricibus, Sanctos Patres, illos, quorum vita & doctrina illustravit universum mundum, non solum debito honore non prosequitur, sed multo quam Cain scelestius despicit, deridet, contemnit, insectatur.

Sacrosanctis omnibus universalibus Conciliis impudenti ore palam contradicit, ac sacrilega lingua detrahit, libertatis specie licentiosam quandam vitam nullis constrictam legibus ac vere ferinam inducere conatur, unde & exlex homo, contemptor ac violator legum omnium in tantam erupit mentis vesaniam, ut Sanctissimorum Patrum Decreta, & Ecclesiasticos Canones igne publico concremare non formidarit. Et breviter Christianorum veritatem, omnem rerum ordinem, pulcherrimam denique Ecclesiæ faciem a Christo, ab Apostolis, Apostolicisque viris, ac Sanctissimis Patribus ab initio constitutam, unus hic post tot centenos annos discindere, invertere, ac deformare molitur.

Quod si nondum satis etiam internoscis, de Christiano magisterio, an de Antichristi spiritu illa proficiscantur, si ita fascinavit te præstigiator ille, ut credere possis unum hunc perfidissimum apostatam veluti alterum Elisæum habere duplicem spiritum Eliæ, aut alterum esse, quem se jactitat, Danielem, in quo sit spiritus amplior & intelligentia scripturarum major, quam in omnibus olim sanctissimis illis doctissimisque viris, quam in Sacrosancta Ecclesia Catholica, quid est te uno cæcius? aut si jam ex fructibus arborem cognoscens in errore persistis tamen, quid te miserius?

Sed esto, transfiguratus sit coram te Satanas ille in Angelum lucis, & quæ manifesta sunt opera carnis ac diabolica, spiritus esse & Christi opera, venenata sua facundia persuadere potuerit, nunquid non ubique vel hoc ipso prodit, cujusnam spiritus sit, quod omnis ejus sermo amarus est, virulentus, arrogans ac maledicentissimus, nusquam non scatens conviciis, blasphemiis ac scommatibus plusquam venenatis adversus omne Christianæ pietatis, modestiæ, mansuetinis ac benignitatis officium? nunquid ita docuit Paulus, cujus se jactitat spiritum habere, cum nulla ejus extet Epistola, quæ non pacem & unitatem, ac alias id genus virtutes redoleat? An non Romanos suos hortatur in Domino, ut in caritate fraternitatis se diligant invicem, sectentur quæ sunt pacis, & quæ ædificationis custodiant? Corinthiis annon testatur se docere in Ecclesiis Deum non dissensionis sed pacis Deum esse? Et breviter nunquid non ubique clamat, ubique docet Evangelica illa tuba, ut digne ambulemus in omni humilitate ac mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, utque deponamus omnem iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem? Quo igitur pacto maledicentiam, amaritudinem, iram, indignationem, blasphemiam, inflationem, jactationem, quæ ita huic peculiaria sunt, ut illa Paulo ac illius discipulis universis, qui mitis est ac humilis corde, non Paulini, non Christiani, sed diabolici spiritus esse certissima indicia vel cæco non clarissime appareat.

Ex verbis illius quomodo non intellexisti Christum in corde suo, an vero Antichristum haberet, secundum quod ipsa veritas in Evangelio ait: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali, de abundantia enim cordis os loquitur.* Et cum scriptum sit, quod *Maledici Regnum Dei non possidebunt*, item cum in Evangelio dicat Dominus: *Quicunque dixerit fratri suo Raca; reus erit Concilio, qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ incendio.*

Illum-

Illumne esse Antichristi Apostolum cuiquam obscurum esse poterit? qui non modo Sacerdotes Dei, sed & Principem Sacerdotum, Petri Successorem, JESU Christi in terris Vicarium tam infandis, infamibusque nominibus, tam inauditis convitiis ac blasphemiis nusquam non lacerat, discerpit ac insectatur, ut ea commemorare pudica refugiat lingua & & audire horreant aures castæ: Qui Apostolicam Cathedram, in qua præsedit Caput Apostolorum Petrus, cui præfuerunt tot Sancti Pontifices, quam Ecclesiam principalem, unde sit exorta unitas Sacerdotalis, sanctus ille & gloriosus Martyr Cyprianus non dubitat asserere, impio ac pestilenti ore Cathedram pestilentiæ, Antichristianam, Diabolicam, & si quæ potuit excogitare nefandiora, toties appellare non cessat: Qui scholas Christianas, quæ tam multos doctissimos, sanctissimosque viros, tam egregias in Ecclesia Dei Columnas Nobis protulerunt, impudica lingua sua lupanaria, Sodomas & Gomorrhas ubique vocare non verecundatur: Qui non satis habet, Omnipotentis Dei Sacerdotes probris omnibus, convitiis, contumeliis ac blasphemiis horrendis & inauditis, nunquam non publice ac privatim insectari, quibusvis canibus viliores facere, nisi etiam laicos concitet ad lavandas sibi manus in sanguine ipsorum. Cum tamen quanto honore haberi velit Sacerdotes suos, maxime autem Principem Sacerdotem, idem ipse Dominus in Deuteronomio testatus est dicens: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse prospexeris inter Sanguinem & Sanguinem, Causam & Causam, lepram & non lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi Judicii veritatem, & facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex Decreto Judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* Et Samuel cum sperneretur a Filiis Israel, annon dicit Dominus: *Non enim te spreverunt, sed me, ne regnem super eos.* Manifeste ostendens invisibilem se contemni, cum visibilem quis spernit Sacerdotem; quare & Moyses murmuranti adversus se populo respondit: *Non adversus me murmurastis*, sed adversus Dominum Deum vestrum. Quod si Leviticos illos Sacerdotes tanta honoris prærogativa præcellere voluerit Dominus, qui exemplari tantum & umbræ deserviebant, cœlestium in umbratico illo tabernaculo sacrificiorum officia consumentes, quo tandem honoris loco eos haberi voluit, quibus tradidit claves regni cœlorum? tantamque tribuit potestatem, ut quæ ligarent super terram, ligarentur & in cœlis, & quæ solverent super terram, soluta essent & in cœlis, utque quorum ipsi dimitterent peccata, dimissa forent, quorum retinerent, forent & retenta, qui non sanguinem hircorum aut vitulorum, sed hostiam vivam, sanctam, immaculatam Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi offerunt quotidie pro peccatis nostris, conficiunt verbo suo, ac manibus tractant? breviter Sacramenta omnia, quibus hominibus vita salusque tribuitur animarum, suis perficiunt orationibus? quanto inquam honore hos præcellere voluerit Dominus, quis tandem dubitabit, quod nec ipse tacuit in Evangelio, cum dixit ad eos: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit & eum, qui misit me.* Et quid consequitur? quod in eundem Christum blasphemus est & maledicus, qui Sacerdoti Christi blasphemat aut maledicit. Annon hoc primum mandatum in retributione: *Honora patrem & matrem, ut sis longævus super terram; qui maledicit patri aut matri, morte moriatur.* Nunquid ad carnales tantum parentes illud est referendum? Et num minus ad eos, qui nos in Christo regeneraverunt, per quos Christiani sumus, qui nobis peccata dimittunt, qui cœlestibus nos pascunt Sacramentis? Quid si peccatores & mali Sacerdotes? Quid si & parentes? Nunquid propterea eos non honorare, aut eis maledicere licebit? Numquid non & Judas erat inter eos, quos Dominus misit ante faciem suam, & ad quos dicebat: *Quicunque non rece-*

receperit vos, *neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo aut civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die Judicii, quam illi civitati.* Annon præcepit ita Apostolus: *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis?* quod si malis & peccatoribus non sit obediendum, quibus tandem? quoniam si dixerimus, peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ovis es, noli discutere Pastorem, noli te Judicem Dei constituere & Christi. Annon ita præcepit Dominus in Evangelio dicens: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi*, *omnia quæcunque dixerint vobis, servate, & facite, siquæ autem fecerint male, facere nolite.* Manifeste significans, habere eos dignitatem, tametsi vitæ essent perditæ. Nunquid idem Dominus, cum postea tempore Passionis alapam accepisset a servo Sacerdotis dicente sibi: *Sic respondes Pontifici?* Adversus Pontificem quidquam dixit contumeliose, quin magis innocentiam suam asserens & ostendens: *Si male*, inquit, *locutus sum*, *exprobra de malo, sin bene, quid me cædis?* Annon & Paulus cum cæderetur in Concilio jussu Ananiæ, diceretque: *Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem*, *& contra legem jubes me percuti.* Audiens ab adstantibus: *Sic insimulas Sacerdotem DEI maledicendo ipsum*; tamen inane nomen & umbram quandam Sacerdotis cogitans expavit. *Nesciebam*, inquit, *fratres*, *quia Princeps est Sacerdotum*, scriptum est enim, *Principi populi tui non maledices.* Quo magis miramur, quod ex istis diabolici spiritus operibus veluti fructibus nequissimis arborem pessimam nondum cognovistis. Et quis tandem est ita hebes animo, ut non videat, quo nunc prorumpant furiosissimi conatus istius, cum ut quisque facinorosissimus, desperatissimus aut perditissimus latro aut homicida, sub istius vexillis ac signis conveniant? Ecclesiam jam Christi parricidalibus armis ac sacrilegis manibus non clam, sed palam oppugnantes, consecrata Deo loca Templa & Monasteria exurunt & profanant, Christo dicatas Virgines, Sacerdotes Christi & Monachos crudelissime persequuntur, Ecclesiarum bona diripiunt, & breviter rapinis, latrociniis, cædibus, incendiis confundunt universa, excœcante nimirum eos justo Dei Judicio & in insaniam tam manifestam erumpere permittente, ut neminem jam latere possint scelestissimæ machinationes istius, atque hi, qui pestifera contagione ipsius infectos sese nunc tandem cognoverunt, schismatico errore deposito, ac hæretico furore deserto, unitatis ac veritatis domicilium fidei sanctitate repetunt, inter quos dilecte Nobis in Christo Jesu, cum te non ex postremis reversurum ad salutarem matris sinum speravissemus, quem revertentem libenter & obviis excepissemus manibus, bona spe tandem nostra frustrati videmus supra petram induravisse te faciem tuam, videmus perniciem illam animarum Lutherum, sub tuo patrocinio latitantem, suum adhuc virus longe lateque spargere. Sed quoniam adhuc potens est Dominus Deus etiam de lapidibus istis suscitare Filios Abrahæ, antequam egrediatur ut ignis indignatio ejus & succendatur, nec sit qui extinguat. Ideo te fili dilecte in Christo obsecramus per viscera nostri Redemptoris Domini nostri Jesu Christi, per Christianam unitatem, per patriæ caritatem, per tuam denique ipsius tuorumque salutem, miserere Ecclesiæ Christi & tot jam malorum procellis undique exagitatæ ac pene oppressæ tua maxime culpa aliquando fer opem: Miserere patriæ nostræ, quæ sinceræ olim fidei, eximiæ religionis sub jugo Domini ac religiosæ obedientiæ insigni præcellens gloria, perniciem illam religionis Christianæ, ac fidei ac pietatis publicum hostem Martinum in suis se peperisse ac fovisse visceribus nunc erubescit. Miserere denique tui ipsius, tuorumque misere seductorum Saxonum. Quos, nisi resipiscatis & quidem cito, manet præsens & certa ultio Divina, quam neque in hoc sæculo effugietis, neque in futuro. Hæc dicit Dominus Deus: *Audi popule stulte*, audi Princeps, *qui non habes cor*, *qui habetis oculos & non videtis*, *aures & non auditis*, *Me ergo non timebitis & a facie mea non dolebitis?* nunquid non audistis, quæ fecerim in diebus antiquis? legite scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, & invenietis, quam gravis semper fuerit & quam terribilis Divina vindicta in illos, qui populo DEI schis-

ſchiſma concitaverunt. Nunquid non legiſtis horribilem Divinam ultionem adverſus Dathan & Abiron, quod multitudinem adverſus Moyſen concitaviſſent, quos dehiſcens ſub pedibus terra & aperiens os ſuum deglutivit, & omnia, quæ ad eas pertinuerunt, ita ut deſcenderent viventes in infernum? & adverſus Core, quem eandem ob cauſam cum ducentis & quinquaginta viris cœleſtis flamma devoravit. Quod ſi ob durius Imperium fortaſſis, aut quorundam Paſtorum ſeu ignaviam ſeu malitiam ſchiſmata excitanda putatis, nunquid non ex libro Regum audiſtis, adeo indignatum fuiſſe Dominum adverſus decem tribus Filiorum Iſrael & in omne ſemen eorum, ut dimoverit eos & tradiderit in direptionem, donec projiceret eos a facie ſua? ob quam tandem culpam, niſi quod ob durius Imperium Salomonis, & imprudentius arrogantiusque reſponſum Roboam Regis Jeruſalem ſciſſæ fuerunt a tribu Juda & Benjamin? Quam præſens ſemper fuerit Dominus vindex Sacerdotibus ſuis, annon Saul ab regio abjectus honore & Ozias Rex Juda percuſſus lepra, propterea quod, quæ Sacerdotum erant, contra Sacerdotes Domini ſunt auſi uſurpare, ſufficienti vobis potuerunt eſſe argumento? & breviter annon omnes teſtantur hiſtoriæ, univerſos ultrice Domini manu infelice periiſſe exitu, qui in Chriſtos Domini ſacrilegas manus injicere non formidaverunt? contra autem fœlicia omnia, & longam illis contigiſſe vitam, qui Chriſtum in Sacerdotibus ſuis venerati ſunt? Moveant ergo vos exempla, & cogitate, quid vobis ſit exſpectandum, qui venerabilem Dei chorum in manus tentatis tradere profanas. Proinde quod Dominus per Moyſen univerſo præcepit populo Iſrael, ut ſepararentur a tabernaculis Core, Dathan & Abiron, nec tangerent quidquam, quod ad eos pertineret, ne involverentur in peccatis eorum, hoc & vobis, præcipue autem tibi dilecte fili! ejusdem Domini noſtri authoritate præcipimus & obſecramus in Chriſto Jeſu, ut ſeparemini a Martino Luthero, auferatis a vobis petram illam ſcandali, neque tangatis, quod illius eſt, ne & vos Divina ultio involvat ſubito in peccatis illius. *Expurgate* quamprimum *fermentum illud*, quod reliquam fidei veſtræ maſſam corrupit, *ut ſitis nova conſperſio, novaque creatura.* Non dedigneris fili dilecte Paulum imitari, quem ſicut viciſti in Eccleſiæ Dei perſecutione, tam gravem animarum pernitiem ſub tuo nutriens patrocinio, ita reverſus ad cor, effice, ut omnes intelligant tuam converſionem, utque qui per te ſunt ſcandalizati, in te rurſus glorificent Deum. Maxime autem hoc præſta quamprimum, ut impurum os illud obſtruatur, ut capuletur blaſphema lingua, quæ contra Deum ac Sanctos ejus loqui non ceſſat, & virus ſuum undique ſpargit, & ut Propheticis vos verbis admoneamus: *State ſuper vias & videte ac interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.* State inquam, & doctrinis variis & peregrinis nolite abduci, interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, per quam ambulaverunt patres veſtri, quam demonſtraverunt tot Myriades Martyrum, docueruntque tot millia Confeſſorum, & ambulate in ea.

Quod ſi a vobis impetraverimus, ſicut & ſincere ſperamus, erit quod gaudeamus cum Angelis de peccatore pœnitentiam agente, & perditam rurſus inventam ovem humeris noſtris ad ovile Domini gaudentes reportabimus, paternaque pietate, quantum in Nobis fuerit, ſtolam vobis priſtinam reſtituemus.

Quod ſi dixeritis: *Non ambulabimus*; & paterne ſalubriterque vos monenti reſpondebitis: *Non audiemus. Ideo audite gentes*, dicit Dominus, *& cognoſcite congregationes, quanta ego faciam eis. Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum fructum cogitationum ejus, quia verba mea non audierunt & legem meam projecerunt.* Sed & hoc tibi denuntiamus in virtute Omnipotentis Dei & Domini noſtri JESU Chriſti, cujus in terris Vicarius ſumus, nec te in præſenti ſæculo hoc laturum impune, & in futuro æterni te ignis exſpectare incendium. Vivunt una Pontifex Hadrianus, & Religioſiſſimus Imperator Carolus meus in Chriſto cariſſimus Filius & alumnus, cujus tu edictum vere Chriſtianum adverſus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, non ſine gravi offenſa ac vilipenſione Cæſa-

reæ Majeſtatis violare non timuiſti. Non committemus, ut quos olim cum Magno Carolo Hadrianus Pontifex in Chriſto genuerunt, nunc Hadrianus Pontifex & Imperator Carolus ſub ſchismatico ac hæretico tyranno hæreſeon ac ſchiſmatum ſinamus interire contagione. quare revertimini ad cor & reſipiſcite tu, tuique miſere ſeducti Saxones, niſi utrumque gladium Apoſtolicum ſimul & Cæſareum olim velitis experiri. Scripta Romæ Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo vigeſimo ſecundo.

Harduin. Concilior. Tom. IX. columm. 1901.

CONSTITUTIO
AD REMOVENDOS ABUSUS,

Et Ordinatio ad Cleri vitam reformandam, per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum LAURENTIUM, tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem Campegium ad Germaniam &c. de latere Legatum, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto, Ratisbonæ edita.

SYNOPSIS CAPITUM SEQUENTIUM.

Quod nemini prædicare liceat, niſi per Epiſcopum admiſſo, cujus eſt verbo Dei ſeminando eos adhibere, quos probaverit eſſe doctos, modeſtos, ac pios viros. Cap. I.

Quod Clerici morum integritatem Clericali quoque habitu ac tonſura ornare debeant. Cap. II.

Vitandæ Clericis tabernæ, ſcenæ, ludi, omnisque levitas. Cap. III.

Interdicitur Clericis cauponaria, ac mercatio. Cap. IV.

Ut Parochi oblationibus ac juribus ſuis contenti, ſubditis nihil ſuperflui oneris imponant. Cap. V.

Ut Parochi pro neceſſaria Sacramentorum adminiſtratione, quod de conſuetudine voluntarie offertur, recipiant, nihil vero extorqueant. Cap. VI.

Conſuetudo, per quam plus juſto onerantur ſubditi, auctoritate Epiſcoporum, vel Magiſtratus moderanda. Cap. VII.

Quod oporteat Clericos eſſe temperantes, & non miſcere cum laicis convivia, ne funeralia quidem aut fraternitatem. Cap. VIII.

Parochis datur poteſtas occultos peccatores gratis abſolvendi, præter hæreticos, homicidas & excommunicatos, qui cum publicis peccatoribus remittendi ſunt ad eos, quibus abſolutio reſervata eſt. Cap. IX.

Ne Prælati animarum curam indignis & ſub vili ſtipendio locent. Cap. X.

Gaudere non debent Clerici de Eccleſiaſticis Beneficiis, quorum prædia & domos non reſtaurant. Cap. XI.

Non debent animarum curæ præfici Religioſi, ſed ad regulæ (quam profeſſi ſunt) obſervantiam compelli. Cap. XII.

Licebit pauperi Conventui cuilibet ſuæ Eccleſiæ diviti tantum cohærenti præficere Religioſum probatum prius, & admiſſum per Epiſcopum, ſed ne ad ſacros quidem ordines alii, quam tales promoveri debent. Cap. XIII.

Extra Diœceſim ordinati ſine Ordinarii auctoritate, ac literis teſtimonialibus ad Divina non admittantur. Cap. XIV.

Sacerdotes in libidinem effuſos, & nefario concubinatu pollutos, pœnis ac cenſuris Eccleſiaſticis coercendos. Cap. XV.

Stationarios, qui eleemoſynam pacti ſunt, prohibendos, qui vero integra fide colligunt, non admittendos, niſi ſub teſtimonio Ordinarii. Cap. XVI.

Vagos Sacerdotes non tolerandos ultra menſem, niſi cum teſtimonio Ordinarii, unde diſceſſerunt, ejusque cujus Diœceſim intrarunt, admiſſione. Cap. XVII.

Servandas in ærario templi pecunias templo dedicatas, nec erogari debent, niſi accedente ad voluntatem Præfectorum ærarii, Rectoris quoque conſenſu. Cap. XVIII.

Epiſcopi debent ſuis Vicariis (quod & ipſi Epiſco-

Episcopi sunt) ita providere, ne cogantur contra Episcopalem dignitatem quæstui servire. Cap. XIX.

Rediguntur dies festi in numerum: cæteri ita abrogentur, ut nihilominus peragantur Divina. Cap. XX.

Quibus diebus interdicta sit nuptiarum celebritas, & quatenus jejunium plebi sit imponendum. Cap. XXI.

Quod cædis Clerici authores tantum Divinis excludi debeant. Cap. XXII.

Quod Episcopi non debeant Clericorum bonis inhiare, qui legitimos hæredes aut successores relinquunt. Cap. XXIII.

Quod sæcularis potestas capere possit apostatas, debet tamen Ordinario tradere, cujus erit in ipsos animadvertere, quodque non liceat Episcopis pensionem, aut absentiarum decimas extorquere. Cap. XXIV.

Quod non liceat Episcopis beneficiorum fructus immodice ac avare Clericis surripere. Cap. XXV.

Archi-Episcopi debent Provincialem Synodum omni triennio convocare. Cap. XXVI.

Qui recusat altari servire, non debet de altari vivere. Cap. XXVII.

Qui Sacramentorum communionem in totum neglexerint, sepultura debent asinorum sepeliri. Cap. XXVIII.

Non committendum ut relinquatur impunita blasphemia. Cap. XXIX.

Servanda, quæ adversus Simoniacos Sacri Canones decernunt. Cap. XXX.

Divinatores, Hæreticos, & fidei dilaceratores non modo vitandos, ac rescindendos, sed severa quoque animadversione plectendos. Cap. XXXI.

Ut Sacerdotes oportet sacras literas assidue discere, ita laicorum est non temere de illis disceptare, ac judicare. Cap. XXXII.

Decet Episcopos in suos Vicarios esse liberales, Prælatosque omnes eleemosynarios. Cap. XXXIII.

Veterum Decreta Sanctionesque pulchrum est observare. Cap. XXXIV.

Episcopi in Synodo, quomodo de more veterum singulis annis oportet celebrare, debent has Constitutiones publicare, & subditos ad earum observantiam compellere. Cap. XXXV.

LAURENTIUS, MISERATIONE DIVINA TITULI SANCTÆ ANASTASIÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS, PER UNIVERSAM GERMANIAM, AC HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ, POLONIÆQUE REGNA, ET QUÆCUNQUE ALIA LOCA, AD QUÆ NOS DECLINARE CONTIGERIT, DOMINI NOSTRI PAPÆ ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

EX Legationis officio a Sede Apostolica nobis commisso obligamur, ut circa statum personarum Ecclesiasticarum sub finibus nostræ Legationis consistentium, in melius reducendum, propensius cogitemus, ut quæ in eis a Sanctorum Patrum Decretis & ordinatione deviare perpenderimus, ad debitam reformationis normam dirigentes, eis opem & operam adhibeamus efficaces. Nuper siquidem cum Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa septimus, cum pro pastorali suo officio, tum pro ea affectione, qua inclytam Nationem Germanicam paterne prosequitur, intellectis eis fluctuationibus, hæreticorumque impietate indies crescente, Nos ad universam Germaniam suum Apostolicæ Sedis Legatum de latere miserit, non aliam ob causam, quam ut tranquillitati Provinciæ, & saluti animarum, quæ periclitantur ob dictam nuper natam impurissimam omnis hæreseos sentinam, consulat; quod onus licet humeris nostris impar, ejus tamen præceptis & mandatis obedire, ut tenemur, volentes freti Christi favore servatoris nostri, cujus negotium agitur, subivimus, nihil hic prorsus nostris viribus tribuentes, aut præterea cupientes, quam quod ad munus hoc feliciter implendum attineat; cumque aliquot mensium experientia multa collapsa, & præter omnem opinionem difficultatibus plena perpenderimus, cum Serenissimo Ferdinando Hispaniarum Principe, Archi-Duce Austriæ Imperiali locumtenente generali, communicatis consiliis, concordi sententia particularem Conventum in civitate Ratisbonæ convocare decrevimus, in quo una nobiscum interfuerunt præfatus Serenissimus Princeps & Archi-Dux, Reveren-

verendiſſimus Matthæus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli Sancti Angeli Presbyter Cardinalis Archi-Epiſcopus Saltzburgenſis, ac Illuſtriſſimi Guilielmus & Ludovicus, Palatini Rheni Duces in Superiori & Inferiori Bavaria, Fratres germani: Venerabiles in Chriſto Patres Bernardus Epiſcopus Tridentinus, Joannes Adminiſtrator Eccleſiæ Ratisbonenſis, Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, ac Nuntii, ſive Oratores, omnes cum pleno mandato Venerabilium in Chriſto Patrum, ac Illuſtriſſimorum Principum, Vigandi Epiſcopi Bambergenſis, Gregorii Epiſcopi Spirenſis Palatini, Wilhelmi Epiſcopi Argentinenſis, Chriſtophori Epiſcopi Auguſtenſis, Hugonis Epiſcopi Conſtantienſis, Chriſtophori Epiſcopi Baſileenſis, Philippi Epiſcopi Friſingenſis, Palatini Rheni Ducis Bavariæ, Erneſti Adminiſtratoris Eccleſiæ Patavienſis, ac Palatini Rheni Ducis ſuperioris & inferioris, Bavariæ, & Sebaſtiani Epiſcopi Brixinenſis. Cum quibus pluribus hinc inde in diſcuſſionem allatis, & præcipue quibus conſiliis, quibusque modis præfatæ nationi Germanicæ periclitanti conſuleretur, paribus ſententiis receptum fuit, hanc perditiſſimam hæreſin rudi populo plauſibilem, ob libertatem illi falſo perſuaſam, prætextu Evangelicæ caritatis non parvam habuiſſe occaſionem, partim a perditis moribus & vita Clericorum, partim ob non diutius diſſimulandum ſacrarum Sanctionum Eccleſiaſticarum Conſtitutionum abuſum, & proinde non parum momenti fore extirpandæ hæreticorum Lutheranorum, & eorum ſequacium ſectæ, ut Clerici ad honeſtatem vitæ, moresque ſuos illos, quos Divus Paulus exigit & præſcribit, debita cenſura reducti, abuſusque, laicos male offendentes, ſublati fuerint. Itaque habitis maturis deliberationibus, & piis conſiliis præfatorum Ferdinandi Principis, Cardinalis, ac Ducum, & Epiſcoporum, atque Nuntiorum ſuorum infraſcriptos ſalutares aliquot tam neceſſariæ reformationis Sacerdotum, Presbyterorum, Religioſorum & Clericorum modos præſcribere, ſtatuere, ſancire, atque edere neceſſarium duximus. Quocirca authoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, Statuta & Ordinationes per Nos, ut præfertur, editas ab omnibus & ſingulis Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archi-Diaconis, & aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, ac Parochialium Eccleſiarum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum Rectoribus, Presbyteris, Religioſis, ac Clericis in univerſa Germania reſidentibus, prout eos & eorum quemlibet reſpective tangit, aut tangere poterit in futurum, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari volumus, decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, & nihilominus univerſis & ſingulis Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, nec non Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, ipſorumque Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum Officialibus, & Vicariis Generalibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi & eorum quilibet, & poſtquam pro parte illorum, quorum intereſt, aut in futurum intereſſe poterit, fuerint requiſiti, Statuta & Ordinationes hujusmodi, & horum ſingula inviolabiliter obſervari faciant; contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris remedia compeſcendo, invocato, ſi opus fuerit, auxilio Brachii ſæcularis: non obſtante Conſtitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi, qua cavetur, ne quivis extra ſuam Civitatem & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam diœtam a fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices a Sede Apoſtolica, vel ejus auctoritate deputati extra Civitatem & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant. Et in Concilio generali de duabus diœtis & perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, & aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Verum quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula loca, ad quæ expediens fuerit, deferri: volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod tranſumptis præſentium literarum, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſti-

constitutæ munitis, ea fides adhibeatur, quæ eisdem originalibus, si essent exhibitæ vel ostensæ, adhiberetur. Et ut hujusmodi Statuta & Ordinationes ad singulorum notitiam deducantur, universis locorum Ordinariis authoritate Apostolica præfata in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus Statuta & Ordinationes hujusmodi per se, vel alium, seu alios in eorum Ecclesiis, vel civitatibus publicent, seu publicari faciant, quæ post publicationem ipsam eosdem, quorum interest, aut interesse poterit, perinde arctent, ac si eis personaliter intimatæ essent, aut intimarentur. Tenor vero Statutorum & Ordinationum prædictarum sequitur, & est talis:

I.

CUm potissimum anima verbo, quod ex ore Dei procedit, vivat, id autem nec passim, nec ab omnibus expediat prædicari, admonente Apostolo, qui inquit: *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* ideo statuimus, & ordinavimus, ut non liceat cuiquam etiam religionem professo ac quomodolibet exempto Evangelium docere, nisi ab Ordinario vel ejus Vicario, tam moribus quam doctrina probatus fuerit, facta fide per patentes literas, quæ præter Notarii mercedem gratis prorsus concedantur. Missi itaque atque probati Evangelicum negotium tractabunt recte, sobrie, & pure, loca quæque recondita magis & abstrusa intellectuque difficilia non ad novum & adulterinum sensum, sed juxta Sanctorum Patrum & ab Ecclesia receptorum Doctorum præcipue Cypriani, Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, Augustini & Gregorii exponant & interpretentur, omni etiam opere studeant, ne pro veris somnia & aniles fabulas, pro certis dubia, pro receptis apocrypha & jam dudum explosa damnataque ab orthodoxa Ecclesia tendant, vel depromant, idque omni modestia, ne unquam eos ad convitia injuriasque delabi contingat, locusque ille cum populi offendiculo dehonestetur. Itaque Ordinarius aliquot excellenti doctrina praeditos constituat, qui per Diœcesim inquirant, qui sint ad Evangelicam doctrinam idonei disseminandam, quique ad impias novitates & perfidiam aliquam non deflectant, ut remedia adhibeantur, quo populus recte instituatur in Christiana lege, & ab ea deficiens, ne secum alios trahat, debite coerceatur, cultus Divinus observetur, peragaturque his modis & ritibus, qui per manus Sanctorum Patrum Nobis traditus & per majores nostros observatus est in sacrificio Altaris, officiis defunctorum, Canonicis Horis, cæterisque Divinis laudibus atque cærimoniis.

II.

Hinc hortamur atque monemus omnes & singulos, qui sacris initiati sunt, ut vivant vitam, quam professio exigit & Christus requirit inquiens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Cum vestitu honesto incedant, quem Paulus alicubi præscripsit. Quapropter singulari cura intendat quisque Prælatus, ne hi, quibus præest, in sacris ordinibus constituti, vestes varii coloris virgatas & fimbriatas deferant, sed longis atque talaribus utantur: nulla arma induant nisi itinerantes; barbam & comam non nutriant, coronam & tonsuram deferentes, tum summopere curantes, ne quem laicorum indecentia vestitus offendant, ut Sacris Canonibus cautum est.

III.

Insuper tabernas publicas evitent, nisi eas peregre proficiscentes ingredi oporteat, & tam inibi, quam domi & alibi a crapula & ebrietatibus, omnique ludo a jure prohibito, blasphemiis, rixis, ac aliis quibuscunque excessibus & offensionibus penitus abstineant, choreas spectaculaque & convivia publica vitent, ne ob luxum petulantiamque eorum nomen Ecclesiasticum male audiat.

IV.

Cumque secundum Apostolum *Nemo militans Deo sese negotiis sæcularibus implicare debeat*: Nemini liceat contra Provincialia Statuta & Synodalia domi suæ tabernam compotandique locum aperire laicis, quoniam non raro sequi solent ebrietatem rixæ, cædes, & multa hoc genus scelera, quæ Sacerdotalem polluunt dignitatem: præterea negotiationibus mercimoniisque more mercatorum abstineant.

V.

V.

Sacerdotes quoque Curati, quique vicem eorum referunt, ſubditos in remediis & aliis juribus Parochialibus ultra ea, quæ ſibi de jure debentur, non gravent, ultraque depoſitiones, eos ad peractiones ſeptimi, triceſimi vel anniverſarii peragi faciendas non cogant: tum præter oblationes feſtis ſolemnibus fieri ſolitas, cum illa pro arbitrio fieri debeant, ab invitis non exigant.

VI.

De Sepultura quoque ac adminiſtratione Sacramentorum aliisque ſpiritualibus paciſci, aut aliquid ab invito exigere nemo poſſit aut debeat, & propter ejusmodi a Parochianis neglecta, cuiquam non liceat aliquid Sacramentorum denegare, neque propter debita quempiam ab Eccleſiaſtica ſepultura prohibere: Parochialia tamen jura, quæ uſus recepit, & debentur Altari ſervienti, per prædicta non abrogamus.

VII.

Cum autem in Diœceſibus non ſit eadem conſuetudo, & inter ſubditos & Paſtores multa & varia emergant diſſidia; Paſtoribus quibusdam plura exigere propenſis, ſubditis vero ob penuriam & egeſtatem reclamantibus & recuſantibus: ordinamus, quod quilibet Ordinarius infra ſex menſes poſt præſentium publicationem omnibus perpenſis, beneque & ſufficienter examinatis, ſuper prædictis certam legem ordinationemque una cum Principum aut Dominorum ſæcularium conſilio, quos iſta negotia tangunt, conſtituat; ne viduæ, pupilli & alii pauperes nimium ultra vires injuſte graventur; quos Nos, ſi neglectum fuerit, ſi in provincia affuerimus vel Succeſſor noſter, habita de his plena informatione facturos pollicemur, aut rem ipſam Sanctiſſimo Domino noſtro relaturi ſumus, qui huic rei proſpiciendæ Judices deputabit.

VIII.

Convivia Presbyterorum, quæ in exequiis & fraternitatibus publice in tabernis hucusque exhibita ſunt, prorſus abrogamus, quod plerumque laicis ſint ſcandalo: ſi autem convivium vel conſuetudo vel locorum diſtantia exiget, fiat illud in domo Sacerdotis, honeſteque non ad luxum, ſed ad neceſſitatem inſtruatur, ſiquidem neque commeſſationi, neque compotationi vacandum eſt Sacerdotibus, cum quod ne audiant: *Quorum Deus venter eſt*, tum quod officii eorum eſt & ſobrie & caſte pro peccatis Deo dona ſacrificiaque offerre.

IX.

Porro ne & ipſi videantur pecuniæ aucupium magis, quam ſalutis animarum ſtudium amplecti, dum laicos graviora delicta confeſſos hinc inde remittunt non ſine famæ rerumque diſpendio: conſtituimus & ordinavimus, ut deinceps quilibet confeſſor abſolvere poſſit laicos contritos & confeſſos a quibuscunque peccatis occultis, quantumcunque gravibus & enormibus, quæ Ordinarii ſuæ authoritati reſervaverant, exceptis duntaxat homicidis, hæreticis & excommunicatis, ad Epiſcopum vel ejus Vicarium mittendis. Quod autem ad Clericos, nihil, quoad hoc ſtatutum, intelligatur innovatum. Pro condonatione autem & remiſſione peccatorum, quam abſolutionem vocant, nihil omnino ab invito exigant.

X.

Statuimus quoque juxta Apoſtoli ſententiam, quæ dicit nemini cito manum eſſe imponendam, ne cui temere cura animarum committatur. Itaque probetur prius per Epiſcopum vel ejus Officialem, etiam religionem profeſſus, nec liceat ulli Vicarium Eccleſiæ & plebi ſuæ ſufficere, illamve locare, ſive emolumentum, quod abſentium nomine recipiet, conſtituere; ſine authoritate Epiſcopi aut Vicarii. Nam cum os bovi trituranti non ſit alligandum, Epiſcopi vel Officialis arbitrio ejusmodi emolumenta locationum, & abſentiarum moderanda cenſemus.

XI.

Domos quoque fundosque dotales beneficiorum collapſos inſtaurent poſſeſſores, quantum neceſſitas poſtulaverit, reparataque in debita ſtructura conſervent, & per Archidiaconos & Decanos rurales ac alios, ad quos de jure vel conſuetudine ſpectat; ubi negligentes fuerint, per ſubtractionem proventuum authoritate noſtra arctius compellantur.

XII.

XII.

Expreſſe cavemus, ne cura Eccleſiarum, beneficiorumque concedatur religionem quamcunque profeſſis, etiam exemptis, quod ſi hactenus aliqui admiſſi vel recepti eſſent, niſi de voluntate favoreque Superioris ſui, legitimisque cauſis conſtiterit, extra ſua Monaſteria degere nequaquam ſibi integrum fore putent, quando illos ſic vagos per Ordinarios vel Vicarios ad Superiores ſuos per victus denegationem, aut alia juris remedia remittendos eſſe jubemus.

XIII.

Monaſteriorum Prælati, unitas Eccleſias habentes, prædictos Vicarios perpetuos, vel ad nutum amovendos in eisdem Eccleſiis impoſterum non conſtituant, niſi prius per Ordinarios, aut eorum Vicarios ut idonei & apti fuerint admiſſi, Eccleſiæ tamen, ſuis Monaſteriis unitæ, uſque adeo propinquæ, quod Religioſi earundem curam habituri, ſub religione in Monaſterio ſub debitaque obedientia ſtare poſſent, modo ſint habiles & idonei, per hujusmodi Religioſos provideri poſſint: id quoque permittimus de Monaſterio; quod tam tenue eſt, ut debitam ſuſtentationem habere nequeat, volentes, Religioſos, & qualitercunque exemptos, curata beneficia habentes, Ordinario loci eſſe ſubjectos. Cumque in Eccleſia Dei magis præſtet paucos bonos & doctos, quam plures indoctos & imperitos habere miniſtros, id quod ratio noſtrorum temporum exigere videtur, idcirco deinceps non initientur ſacris Ordinibus, niſi viri morum, vitæ candore, & doctrina præ cæteris ſpectati, probatique per teſtimonium examinis, rite ſervandi.

XIV.

Quod attinet ad ordinatos in urbe, vel in alia quacunque aliena Diœceſi, ſancimus, ut & illi ſuarum ordinationum literas & titulos oſtendant, & ſimili modo ad Divina peragenda prius non admittantur, quàm ab Epiſcopo, vel Vicario, aut Officiali fuerint rite admiſſi.

X V.

Præterea cum nihil æque conveniat omnibus numeris, ac eos eſſe mundos, qui vaſa Domini portant, & in Sacrario operantur, quales Sacerdotes conſtituit ipſe Dominus, qui quotidie ſacroſancta tractant, & in illis verſantur. Igitur volumus, atque juxta Sanctiones Canonicas, feliciter a Divis Patribus inſtitutas, ſancimus, ut caſte continenterque vivant. Sacerdotes concubinarii incontinenterque vitam agentes, Canonum pœnis in ordinem redigantur, nulla conſuetudine eis, nulla conniventia, imo damnoſa Prælatorum negligentia patrocinante.

XVI.

Quo vero ad quæſtores, qui vulgo ſtationarii appellantur, ne quis quavis authoritate & literarum occaſione, vel ad prædicandum, vel ſubſidia, eleemoſynasque colligendas ſe ingerat, utcunque ſe jactet indulgentiis abundare, niſi prius literæ admiſſionis & approbationis Ordinariorum, vel Vicariorum ab eo prolatæ fuerint, adſtringentes ipſos Ordinarios, ut tales admittant, qui probæ vitæ teſtimonium habeant, & de prædicatione ſua, dum opus erit, rationem reddere poſſint, eleemoſynis, piorumque oblationibus non abuſuri per luxum proprium, religione jurejurandi affirmaturi ſe, nec quotam, nec totam colligendi facultatem certa ſumma pecuniarum pactos eſſe. Fratribus tamen mendicantibus integras ſalvasque conceſſiones a Sede Apoſtolica factas relinquimus.

XVII.

Et ut Paſtor agnoſcat vocem ovis, & illa viciſſim vocem Paſtoris audiat, tollaturque omnis vagandi occaſio: ordinamus, quod Presbyteri peregrini & ignoti ad Miſſarum ſacrificia non admittantur, non ultra menſis ſpatium in conſortio Presbyterorum tolerentur, niſi exhibeant literas admiſſionis alterius ex Archi-Epiſcopis vel Epiſcopis, in cujus Diœceſin ſe tranſtulerint, ac documenta & literas teſtimoniales ſui Ordinarii, a cujus Diœceſi proxime diſceſſerunt, quibus de eorum ordinibus & honeſtate conſtet, ne aliquis incorrigibilis poſt perpetratos exceſſus impune ad aliam Diœceſin tranſeundo evadat.

XVIII.

Ut autem Chriſti fidelium eleemoſynæ in uſum, pro quo erogantur, vertantur, non liceat Procuratoribus, ſeu Vica-

Vicariis fabricarum in ſingulis Eccleſiis quidquam de pecuniis ad fabricam provenientibus diſtribuere, aut in ædificiorum, vel alterius rei uſum diſpenſare ſine Rectoris ſcitu, ſed ad armaria fabricæ reponantur, ut hactenus ſervatum eſt, duabus vel tribus clavibus pro loci conſuetudine tenendis; quarum una ipſi Rectori ſervanda tradatur, obſervato uſu in clavibus & rationibus reddendis a Principibus & Superioribus hactenus recepto.

XIX.

Statuimus quoque & ordinamus, ne Epiſcoporum in Pontificalibus Vicarii in conſecrandis Eccleſiis & Altaribus, quod ſacri jubent Canones, quidquam omnino exigant, excepta procuratione. Convenit namque, ut pro qualitate ſtatus ipſorum Epiſcopi proſpiciant, præſtando præcipue penſiones, ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis a Sede Apoſtolica conſtitutas, ne aliquid attentare habeant in Dedecus Epiſcopalis dignitatis.

XX.

Nec ab re, imo juſtis de cauſis adducti feſtorum multitudinem conſtringendam eſſe duximus, ſtatuentes & ordinantes: ut de cætero Dominica dies, quæ in gloriam Dominicæ Reſurrectionis ad nos uſque a primitiva Eccleſia maxime celebris ſemper habita eſt, dies quoque Nativitatis Chriſti, Sancti Stephani, Joannis, & Innocentium, Circumciſionis, Epiphaniorum, Paſchæ cum feria ſecunda & tertia duntaxat, Aſcenſionis, Georgii, Pentecoſtes cum feria ſecunda & tertia duntaxat, Corporis Chriſti, & præſertim quatuor Beatæ Virginis: Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, & Nativitatis, natalitia Apoſtolorum, Joannis Baptiſtæ, Magdalenæ, Laurentii, Dedicationis Michaelis, omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, & Catharinæ, & per Diœceſim Saltzburgenſem Feſtivitates Sancti Ruperti, ſicut hactenus obſervatæ fuere, celebres quoque & feſti habeantur. In cæteris autem Feſtivitatibus quacunque ratione vel inſtitutis vel receptis, & quæ ſub præcepto celebrari debeant, permittimus, liberumque cuique facimus, ut Miſſa audita ad operas ſuas, quibus ſuam ſuorumque alimoniam quærere cogitur, redire poſſit, Feſtis tamen Dedicationum & Patronorum principalium nihil derogantes, quoad eorum celebrationem in Cathedrali Sede, Civitateque, ac loco etiam Epiſcopalis reſidentiæ duntaxat.

XXI.

Cumque in certis locis & Diœceſibus inter Paſtores & gregem propter nuptiarum celebritatem, quam alii inthronizationem, alii ſolemnizationem vocare ſolent, multa jurgia & ſcandala eveniant, declaramus & ſtatuimus, quod matrimonia in conſpectu Eccleſiæ poſſint ſolemnizari, nullo ab Ordinario ad hoc conſenſu petito, aut quapiam re pro ea expoſita, exceptis tamen tota quadrageſima, ultima hebdomada Adventus, Feſtis Paſchæ, Pentecoſtes & Nativitatis Dominicæ, cum octavis, ac diebus Rogationum: jejunia quoque ab Eccleſia inſtituta ſub debito obedientiæ ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ impoſterum indici debent, omiſſo excommunicationis verbo, ne infirmorum conſcientiæ offendantur, cum his temporibus pietas pene omnis jaceat, Sacerdotibusque parum deferatur.

XXII.

Ut igitur extinctus cultus excitetur, populusque non fiat indies negligentior: ſtatuimus, ut propter cædem Clericorum perſona tantum, non autem locus interdicendus veniat, niſi cœtu concurſuque populari facinus patratum eſſet.

XXIII.

Inhibemus inſuper, ne impoſterum Epiſcopi Clericis legitimis ab inteſtato decedentibus, in patrimonialibus bonis aut induſtria propria acquiſitis, ſuccedere poſſint, aut debeant.

XXIV.

Cumque quotidie ob novas, imo jam olim damnatas hæreſes apoſtatarum numerus tam Religioſorum, quam Sacerdotum in immenſum creſcat, quamplurimis eorum uxores ducentibus, ut ergo hæc ſacrilegia impunita non remaneant, concedimus quibuscunque Principibus, ſtatibusque poteſtatis ſæcularis, eorumque Officialibus facultatem, ut ejusmodi

modi apoſtatas & ſacrilegos capere poſſint, modo reos ipſos Ordinariis infra tempus debitum tradant & aſſignent absque aliqua in eos tortura & animadverſione debite puniendos. Quibus enixe mandamus, ut omni poſita mora, favoreque diligentius, quam hactenus factum fuit, juxta ſacras Sanctiones omnino puniant facinoroſos, adeo quod criminis enormitate expoſtulante, poſſit Epiſcopus, ſervata forma Capituli primi de hæreticis in ſexto, reum Curiæ ſæculari relinquere, vel ad perpetui carceris ærumnam damnare. Negligentia autem Ordinariorum ad Apoſtolicam Sedem deducta Judices Eccleſiaſtici ab ea deputabuntur, qui conſtito de Ordinariorum negligentia ad preces Principum, aliorumque ſæcularium reos, maxime hæreſeos, meritis pœnis afficient. Quod jam Epiſcoporum quidam, ut accepimus de beneficiorum penſionibus atque abſentiis decimas exigant, cum ſit id contrarium juri, longeque præſtet male inductos uſus delere, quam inuſitatum quid admittere, idcirco decimas ejusmodi ulterius exigi ſolvique interdicimus, uſumque talem qualitercunque receptum caſſantes, caſſatumque eſſe cenſentes.

XXV.

Item reprobamus, & ut abſonum prorſus rejicimus, ab Epiſcopis medios exigi fructus de beneficiis, quæ unius ſuſtentationi vix ſufficiunt, ut ſunt, quæ non excedunt valorem triginta duorum Rhenenſium, de quibus in Romana Curia medii fructus non exiguntur: quod etiam ab Ordinariis obſervandum eſſe præcipimus, niſi concordatis aliter cautum eſſet, vel honeſta ratione aliquid ſine tamen reprehenſibili gravamine recipiant.

XXVI.

Cæterum quo major fiat conjunctio, firmaque magis inter Provinciales ſtabiliatur concordia, totius Provinciæ antiquum morem Synodorum innovantes ſtatuimus: ut ſingulo triennio poſt Paſcha Provinciale Concilium celebretur.

XXVII.

Ad hæc cum beneficia propter officia juxta Patrum Sanctiones dari conſueverint, fierique vix poſſit, ut in tanta Præbendatorum caterva non reperiatur, qui officii oblitus horas negligat Canonicas, hinc ſtatuentes volumus, & ordinamus: ut locorum Ordinarii per Archidiaconos & Decanos de hujusmodi Sacerdotibus negligentibus ſeſe diligenter edoceant, & ſecundum uniuscujuscusque negligentiam atque deſidiam fructus perceptos, vel in utilitatem Eccleſiæ, vel in uſum pauperum vertant. Quod ſi poſt legitimas monitiones, & ſimul primam correctionem in eandem negligentiam, quæ diſſolutæ prorſus mentis indicium eſt, quis relabatur, tum beneficio etiam Eccleſiaſtico privetur, Collatorique vel Patrono de alio idoneo providendi, aut præſentandi ſit poteſtás.

XXVIII.

Sanctionem Patrum, qua Eccleſiaſtica ſepultura privatur, quisquis non confeſſus, nec Euchariſtiæ Paſchali tempore communionem ſumpſerit, inviolabiliter obſervandam eſſe ſtatuimus: at ubi quem contigerit inopinata morte obire inconfeſſum, ſepultura præfata illum carere non volumus, modo ipſius Curato conſtet vel doceatur illi, ipſum ſecundum jam dictam Sanctionem confeſſum eſſe, & ſimul communicatum, aliudque non obſtet Canonicum impedimentum.

XXIX.

Ad tollendam execrabilem blaſphemiam Divini nominis ac Divinorum, quos temnere fas non eſt, ſtatuimus & ordinamus: ut quicunque Clericus vel Sacerdos Deo palam maledixerit, conviciis, contumeliisque, atque adeo obſcenis verbis inceſſerit Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, aut nunquam ſatis laudatam Matrem ejus glorioſam Virginem pari blaſphema lingua impetiverit, aliosque Sanctos blaſphemaverit, fructuum vel bonorum privatione, ſeu aliis pœnis pro qualitate blaſphemiæ & delicti plectatur.

XXX.

Contra Simoniæ labem non diſcedimus a Patrum Sanctionibus; jubentes eas ſub pœnis in illis contentis obſervari.

XXXI.

In ſortilegos, divinaculos, incantato-

tatoresque Clericos, quos tam Sacræ Leges, quam Patrum Decreta execrantur; ſtatuimus & ordinamus: ut arbitrio Superiorum infamia notentur, ſi qui moniti non deſtiterint, ordine amoveantur, inque Monaſterium ad tempus juxta arbitrium Superioris relegentur, beneficiisque ſuis Eccleſiaſticis privati. Cæteri autem pſeudochriſtiani, de fideque parum probe ſentientes, citra delectum perſonarum, hæretici quoque, vel Judaiſmum referentes, a ſancta Congregatione Chriſtianorum procul arceantur. Contraque eos diligenti inquiſitione procedatur per Ordinarios, vel eorundem Vicarios, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitores, vel per Judices a Sede Apoſtolica vel per Nos Deputandos, ut non reſipiſcentes pœnis puniantur debitis.

XXXII.

Prohibemus etiam tam Clericis, quam laicis de Sacroſancta Fide temere præcipue inter pocula atque convivia diſceptare, injungentes Sacerdotibus, ut omni modeſtia utantur, & peculiariter operam impendant novo, veterique teſtamento legendo, ut par eſt, ne per otia in vitia voluptatesque labantur.

XXXIII.

Statuimus & ordinamus, ut quilibet Epiſcopus diligenter provideat, atque imprimis id curet, ut Vicarii, ſive perpetui, ſive pro nutu poſiti, competentem vivendi portionem aſſequantur, ne detur eis anſa ſuos ſubditos ob rei familiaris penuriam gravandi: porro quod proxime accedit ad Apoſtolorum inſtitutionem, moremque primitivæ Eccleſiæ, hortamur cum Prælatos, tum reliquos Sacerdotes, ut meminerint pauperum, & Eleemoſynis ſtudeant alter alterum vincere.

XXXIV.

Sunt item pleraque alia a Summis Pontificibus, Sacris Conciliis, Provincialibusque & Synodalibus Conſtitutionibus prodita, quæ mire decent & adornant candorem vitæ Clericalis, nec minus obviant offendiculis, quæ Chriſtus paſſim cavenda præcepit, quæ velut ſancta teneri & obſervari mandamus, transgreſſores ſecundum Canones ipſos, prædictasque Conſtitutiones puniri volentes.

XXXV.

Inhibentesque propterea omnibus & ſingulis Vicariis & Officialibus, nec non & Archidiaconis & Decanis ruralibus, , aliisque, ad quos criminum denuntiatio, correctioque quomodolibet ſpectant, aut quibus id per Ordinarios committetur, ne ad exceſſus transgreſſionesque alicujus dictarum Conſtitutionum, Statutorum & ordinationum noſtrarum ob pecuniam, etiam ultro oblatam, aut alterius rei gratia conniveant, ſed potius ad pœnas, de jure vel conſuetudine debitas, contra delinquentes pro delicti qualitate & officii ſui debito procedant, atque ut ita fiat, quoniam nihil proderit leges condere, niſi ſint, qui conditas juvent, mentemque earum exequantur, utque refloreat Catholica fides, Eccleſiaſticaque dignitas, hæreſibus radicitus extirpatis, ſuum locum recuperet; idque vix alio modo aptius & commodius fieri poſſit, quam Synodis. Itaque priſcum Synodorum morem renovare cupientes, ſtatuimus & ordinamus: ut ſingulo anno ſaltem Synodus Diœceſana opportuno tempore a ſingulis Epiſcopis celebretur cum potioribus Prælatis, Decanis ruralibus, viriſque dignis. In quibus per quartas deſignentur Judices, qui diligenter intendant, ſi Statuta prædicta, ac alia per Synodos de ſcitu Epiſcopi ſtatuenda obſerventur, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachio ſæculari. Mandantes propterea, ut hujus noſtræ Conſtitutionis ordinationisque ſeries in præfatis Synodis tam Provincialibus, quam Diœceſanis in earundem principio diligenter legatur, ne quis in futurum ignorantiam prætexere poſſit.

Datum Ratisbonæ a Nativitate Domini Milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo quarto, Nonis Julii, Pontificatus præfati Domni noſtri Papæ Anno primo.

VISA JUL. FLO. MONTINUS.
D. DE PATERNINA.
G. PREGO.

Harduinus Concilior. Tom. IX.

SYNO-

SYNODUS MOGUNTINA

Anno Chriſti MDXXVII. Clementis VII. PP. IV. Caroli V. Imp. IX.

FRIDERICI NAUSEÆ Blancicampiani, ad Eccleſiaſticam in inclyta Eccleſia Moguntina Synodum de reformanda Eccleſia Oratio.

QUum anno ſuperiore, PP. in hoc primum ampliſſimo dicendi, conſultandique loco ad vos eſſem dicturus, initio paucis in hoc ipſum ab Eccleſia præfabar inſtitutum, quo bis in anno hic cogimini, de iis, quæ hujus ſunt Eccleſiæ, non minore ſtudio, quam conſilio tractantes: in hoc, inquam, tum inſtituti præfabar, ipſum vel inter cætera pro loco commendans, quod & inibi plerumque ſemper quiſpiam pro concione diceret, ad bene, beateque vivendum verius admoneret, quam cogeret. Nimirum cujus ſit, ut, vel quamlibet Propheta inferior clamet, ne ceſſet, perindeque tuba ſuam exaltet vocem, DEI Opt. Max. gloriam promoturus, populo ſcelera eorum, domuique Jacob peccata eorum denuntiaturus, interimque zizaniis exertis triticum ſeminaturus. In hoc vero, quam tum ex animo, ut potui, conatus ſim, nemo arbitror eſt, qui ſecundum Deum, quem nihil latet, me novit melius: qui ſane non parum multa paulo longius repetebam, unde vera illa priſtina vobis reditura eſſet dignitas, futuraque ſua Chriſto gloria, quam antea apud vos, amplior & frequentior haberetur. Quod vero mea interim ea in re (ut ajunt) diu multumque deſiderata ſpe & exſpectatione adeo ſim falſus; ut præter quod oleum & operam perdidi, aliud nihil egerim, tam hercle doleo, quam rurſus nunc idem negotium animo quaſi conſternatus ſubeo. Cujus tamen Provinciam mihi, quam antea felicius ſpero ſucceſſuram, quod ſæpe numero juxta proverbium δευτέρων ἀμεινόνων perfruimur. Accedit, quod nihil eorum, me confido prætermiſſurum, quod non æque ſit omnibus ſalutare, atque impendio neceſſarium, & ſane illud, in quo ſumma rei ſit poſita, & in quo noſtræ religionis cardo non dubie vertatur, quod & audiiſſe tam ſit commodo, quam non facere incommodo futurum. Id quod ut in memoriam ſimul & in intellectum facilius veniat, duabus, & quidem, breviſſimis partibus in præſentia acturus ſum. In quarum prima narrabitur, unde potiſſimum hæc deploranda, qua nunc agitamur, in Eccleſiam Chriſtianam hac miſera tempeſtate, calamitas irrepſiſſe, tamque inibi alte ſuas egiſſe radices videri queat: deinde quo illi poſſit antidoto occurri, ipſaque ſaltem ex parte & maturius tamen tolli. Quod igitur primum eſt, vos omnes ex animo velim oratos, ut quæ dicturus ſum, ea audire ſatagatis attentione & gratia, quam res ipſa cum tempore exigit: nec ſolum quid a me dicatur, ſed & quid oporteat dici, conſideraturi. Quo nimirum pacto fiet, ut vel res ipſa, non noſtra oratio, apud vos in animo calcar ſit, & aculeum ad bene vivendum relictura.

Atque, ut ordiamur P.P. nemo eſt, arbitror, qui, ſi non ſuo periculo, certe non ſine magno animi dolore hanc miſerrimam hujus temporis in Eccleſia Chriſtiana calamitatem & intelligat, & experiatur: cum videt in ea adeo in diverſum ire omnia, & nihil perinde ſub Cœlo ſibi conſtare, ſed omnem totius rei ordinem multo longiſſime inverti, regnum utpote contra regnum, & gentem contra gentem diduci, fratres in fratres mutuo odio plusquam hoſtiliter ferri, ſeditionibus ac tumultibus, bellis item ac præliis, plusquam cruentis, omnia fervere & æſtuare: peſtilentia denique & fame apud non parum multos, vel hiſce noviſſimis diebus eſſe laborari cœptum; eaque paſſim nunc mala incrudeſcere, & ſua lue nullum non locum

adstare. Sileo, quæ sunt hoc genus reliqua, non minus dictu, quam auditu horrenda. Hæc nimirum non possumus perinde ob oculos posita non scire. Verum, unde huc emanarint, admodum pauci quærimus, nec qua ex scaturigine derivarint, inter omnes recte convenit: quum procul dubio singula & universa, nisi ex una eademque lacuna profluere nequaquam possint. Cur enim obsecro, in dubium venire queat, undenam isthæc & illud genus adversa in nos, adeoque in totam Christianam Ecclesiam se obtruserint: quando certissima rerum experientia magistra constet, hæc illa a solis nostris peccatis & sceleribus, quibus obvoluti Deum Max. offendimus, hanc sibi sævam in nos vendicare tyrannidem? Nonne Davidi vel ideo terrorem non unius, sed & famis, cædis, pestilentiæ, sibi & suis Divino oraculo propositum legimus, quia superbior populum suum recensuerat, in eoque arroganter facto peccarat? Atque cur illud? Argumento nimirum, Deum Max. hisce rebus adversis plerumque semper mala nostra ulcisci, in illaque serio animadvertere. Jam vero si itidem constat, Regem Salomonem, mortalium alioqui sapientissimum, non aliam ob causam magnis bellorum fuisse fluctibus jactatum, quam quod uxoriis obstrictus illecebris, a Majorum religione & pietate deflexerat, sitque hæc ipsa patris noxa etiam in filio Roboam adeo vindicata, ut is opulentissimi regni hæres relictus, confestim a morte patris ex hujus parte multo maxima ceciderit.

Si quoque constat, Oziam in regio constitutum fastigio, lepra infectum, deponere regnum fuisse coactum, & in ordinem turpiter redactum; quia Sacrorum ritu tam stulte, quam impie neglecto, malorum se se Dœmonum præstigiis addixerat? Si pariter plus quam notum est, Joam, Ochoziæ filium, difficili bello in urbem fuisse compulsum, & ignominiosam sibi redimere pacem, omni regia gaza hostibus tradita perpulsum, morbo deinde atrociter conflictatum, domestica fraude exitum invenisse; quia Zachariam virum justum in medio templo interfecerat, quod is peregrinum cultum non probaret. Si etiam perhibent in Hierichuntis excidio, Achanum, Charmi filium, mutato Numinis indicio cum uxore & liberis ab universo fuisse exercitu, Deo jubente, lapidibus obrutum, quoniam rem sacram in profanum verterat usum. Si præterea in confesso est, bis dena millia Judæorum spatio paucorum dierum pestilentia fuisse consumpta, quod illi non patrio ritu, non religione, a Moabitarum mulierum congressu concubituque nefario inhiberi potuerant: insigni nimirum documento, nullam domum oportere privata charitate scelus admittere, ne quod in paucis peccatum sit, in multis vindicetur. Si denique constat, non paucos quondam partim ægrotasse, partim fuisse una misere vita defunctos, quia Sacrosanctam Eucharistiam non satis digne tractarant.

Si, inquam, constat, toties tamque serio Deum Max. in mortalium olim scelera, vel quamlibet privata, animadvertisse, proptereaque illum mala rebus adversis fuisse ultum: ipsi adhuc dubitamus, aliunde, quam a peccatis, tot nobis hoc tempore flagella obvenire, quibus tam nihil est a peccato uspiam immune? Quis enim obsecro latiorem vidit unquam, aut sensit omnium scelerum, quam apud Nos, hisce quidem temporibus, colluviem? An, oro, nostris sit criminibus aliquid additura posteritas? Nihil sane: quum videmus omne in præcipiti stare vitium, cui nec addi possit quicquam. Et quando uberior vitiorum copia? quando major avaritiæ patuit sinus? quando alea dies ac noctes frequentior? & quando, & quo in loco, quam nunc & apud nos major veræ religionis contemptus? quum non desint, qui & suam Deo immortali Majestatem plane extinctam, illique Filium ejus unigenitum JESUM Christum, unicum nostrum Servatorem omnino sublatum; ejusque Sanctissimum Corpus & Sanguinem pretiosissimum non modo in numerum redigendum velint, sed & nulli non convitio, contumelia, injuria, opprobrioque, supra quam dici debeat, aut possit, turpiter adficiunt, pedibusque immundis & spurcidis proculcant, & in Sacramenta quæque Sanctissima scurriliter debachantur. Atque Dei Max. ejusque Divorum delubra, & quæ illis jure ipso sunt dicata, prophanant, demoliuntur & tollunt: qui etiam nedum Reges & Prin-

Principes, vel quamlibet pios, appellitant carnifices, scurras & nebulones: item Pontifices Antichristos, Lenones & Idola: Dei opt. templa, quæ illius sunt domicilia, vocant lupanaria: sed & divos ipsos atque adeo ipsam, nunquam alioqui satis laudatam Virginem, Deiparam Mariam linguis suis acerrimis vellicant, vilipendunt, elevant: in Sacerdotes, vel quamlibet Religiosos indiscriminatim invehuntur, jaculanturque: cælibatum, precesque illorum prolixas damnant, subsannant, & execrantur & tollunt. Monachorum vota solvunt, Monialibus (proh æternum dedecus) præstare potius, quam sub jugo esse Monastico, suadent, quibus eapropter vice scortorum execrando abutuntur connubio: conjugia, ut Cynici, posthabita omni honestate, communia faciunt: itemque jejunia Lurconibus in derisum, Numina cœlestia nefariis in contemptum, & bona spiritualium Harpiis in prædam concedunt, vulgusque omne a legibus & obedientia plane missum faciunt. Sileo interim, quam elati, superbique intumeant, quam portentose libidinentur, quam luxuriose voluptuentur & crapulentur, naso interea adunco alios suspendentes, & sua crimina, quamlibet horrenda & impia, verbo Evangelico perinde operculo quodam apud indoctam plebeculam nequiter prætexuantes. Proh scelus indignum, & nec igne satis piandum. O Cœlum. O terra. O tempora. O mores. Proceres hoc Christiani non intelligunt modo, sed vident, sed sentiunt, sed & suo nunquam satis deplorando periculo, & dispendio experti sunt, experiuntur, indiesque, quod nollem, vehementius experturi? Et isti tamen vivunt? Immo vero etiam indulgentius contra Deum, contra Rempub. Christianam foventur, publicique apud nonnullos consilii fiunt participes. Atqui de hoc alias. Jam vero, jam, quis æquo sit animo laturus, qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt? Et quis tulerit Gracchos de seditione querentes? Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo? Si fur displiceat Verri, homicida Miloni? Clodius accusat Mechos? Catilina Cethegum? In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres? Annon Dominus noster, idemque Præceptor unicus & Max. hoc genus homines evidenter & serio notavit, inquiens: Hypocrita, ejice primo trabem ex oculo tuo, ac tum, si videbitur, dispicies, ut eximas festucam de oculo fratris tui. Sane quis sine peccato? Nullus. Si quidem dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, nec veritas in nobis est ulla. Quis non vicus abundat tristibus obscænis? Nimirum omnis. Et unde primum tot tantorumque vitiorum, tamque deploratæ in Christianismo vitæ fons & origo? Egressa est, respondet Dominus, iniquitas a Senioribus, qui videbantur regere populum: vel quod ipsi sint mali, vel quia malis conniveant, & suis irretiti peccatis alios ad peccandum perinde vehementissimo exemplo provocarint. Tales quidem esse plerique omnes solemus, quales sunt, qui nobis præsunt: sic & Scriptura tales adseverat urbis esse inhabitatores, qualis ejus sit Rector. Si proinde vitiosi fuerint Magistratus & Prælati, abesse nequit, quin & ejusmodi sint subditi, quum in eorum, quos sequimur, vitia sumus veluti natura proclivi. Sic utique natura comparari videmus, ut velocius ac citius nos corrumpant domestica vitiorum exempla, magnis præsertim quum subeant (ut ille ait) animos authoribus. Sic Cherea ille Terentianus (si Sacra tractanti convenit profanis uti) quum Jovem in imbrem aureum versum in sinum Danaes decidisse animadverteret per inpluvium, tali confirmatus exemplo inquit: Hæc ego non facerem, quæ Jupiter fecerat? Utpote vitium puellæ inferens, exemplo ductus magni authoris. Ita nimirum, quando Pastor, qui Prælatus est, per abrupta vitiorum graditur, necesse est, ut ad præcipitium grex trahatur: quandoquidem lapis magnus de monte corruens, multos secum lapides subjectos trahat, corruereque cogat; sic & Prælatus ubi peccat, multos suo secum exemplo ad barathrum inferni demergit. Hinc passim clamant Scripturæ, populi peccata derivari a peccatis Presbyterorum, & Sacerdotum, perinde atque ægritudines a capite in membra. Superest modo, quod in altera nos parte dicturos, polliciti sumus, qui tantis, quibus adflictim oppugnamur, calamitatibus demum occurri queat, pro virili & quidem breviter, doceamus.

Hoc

Hoc ſane loco P.P. nodum in ſcyrpo quærendum non cenſuerim, quando citra difficultatem, amota cauſa, ſemoveatur effectus. Atqui nunc conſtat totum, quo miſere diſtringimur, & divexamur, haud aliunde, quam a peccatis, & hæc primum a proceribus in plebem, non ſecus atque a capite morbos in membra diffluere. Sic non video nos aliter ab iis & tantis rebus adverſis in Dei MAX. gloriam, adeoque in omnium noſtri ſalutem ereptum iri, niſi primum vitiis deſueſcant, initioque reformentur, unde primum vitia derivata ſuas in plebe radices egerunt. Cujusmodi eſſe audivimus, qui aliis ex officio præferuntur, Prælati inde cognomen ſortiti. Et ita quidem, ut quemadmodum inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ſic etiam illinc ſanitas & reformatio omnium emanet. Cujus ſane rei Chriſtus Dominus inſigne nobis poſt ſe reliquit documentum, quum curaturus infirmam civitatem Hieruſalem, prius templum ingreſſus traditur, ut peccata Sacerdotum primo caſtigaret, inſtar boni medici, qui morbum a radice curat. Quem & ipſi hac in parte, ut & alias, & ſemper debemus, imitantes hortamur, ut quæ opus ſunt facto iis, qui aliis ſunt vel Prælati, vel præfuturi, diligenter audiatis.

Principio eapropter meminiſſe debent, qui aliis, præſertim inter Eccleſiaſticos officio anteſtant & dignitate, ſe titulo tenus duntaxat cæteris eſſe majores, non etiam dominatione: nimirum ſe non eſſe tam Dominos, quam aliorum miniſtros, dicique Prælatos & Præpoſitos eam ob rem cœptos, quod aliis miniſterio præponantur, & ſint, qui pervigilant, rationem perinde pro animabus noſtris ſuo loco reddituri: unde & illos peculiari ferme vocabulo ἐπισκόπους, id eſt, obſervatores, ſpeculatores, exploratores, cuſtodes appellamus, quoniam vigilem curam, atque conſiderationem in eorum ſalutem, quibus præfecti ſunt, gerere debeant, qui & ideo ſpeculatores, inquam, a Domino paſſim nuncupati ſunt, quod etiamnum, ut oculi vigiles ſpeculentur, videant, & quæ domui Iſrael, cui præſunt, dimiſſu ſunt aut factu neceſſaria, diligenter, exacteque proſpiciant. Id quod procul dubio, ut debent, exequentur, quando meminerint, ſe hoc eſſe in Eccleſia, quod in homine oculi, ſibique idem atque unicum cum illis eſſe officium, munus atque onus.

Eſt itaque, ut oculorum, bonorum Prælatorum, ut quemadmodum in corpore oculi, cæteris ſunt officio, & ſtatu eminentiores, ita vitæ quoque ſanctimonia, virtute, & doctrina multo præſtent, & lucis inſtar in loco editiore poſitæ, morum candore luceant, nec ſibi ſolis, ſed toti corpori, & quidem in ſalutem & incolumitatem provideant: ne de illorum ſint numero ſpeculatorum, quos eſſe cæcos Dominus queritur, nequaquam idoneos, ut aliis ducatum præſtent, quum illi omnium primi ſe, atque ſuos, deindeque alios recte ſunt emendaturi. Quomodo enim, inquit Apoſtolus, Eccleſiæ Dei diligentiam habebit, qui domui ſuæ præeſſe neſcit? Sint proinde Epiſcopi atque Presbyteri cum Timotheo fidelium exemplo, in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate, ut eorum profectus ſit omnibus notus, ut & ſe & ſuos ſalvent, qui non de ſe tantum, ſed de omnibus, quos paſcendos ſuſceperunt, rationem reddituri ſunt. Porro vereor, ne nunc ſuis ſint Prælati ſubditis deteriores, aut certe cum iſtis eorundem rei, in quos hoc Prophetæ dici poſſit: Sicut populus, ſic Sacerdos. Moſes quondam faciem ſuam velabat, quoniam alioqui propter gloriam vultus ejus Filii Iſrael in eum intendere haud poſſent. Jam ſuſpicor plerosque Presbyterorum, & quidem Majorum, ſuam faciem præ confuſione velare, non ſane memores talentorum, quæ a Domino in uſuram aliquando exhibendam ſuſceperunt. Quid illi, obſecro, olim, Domino ad judicium veniente, dicturi ſunt, qui hi Paſtores tum vacui apparebunt, quando ſuos quisque Apoſtolorum, quibus ſe iſti ſucceſſiſſe gloriantur, greges coram palamque eſt ante Judicem cum lucro exhibiturus? Judæam converſam Petrus, gentes Paulus, Achaiam Andreas, Aſiam Joannes, Indiam Thomas, & hoc genus, inquam, quisque ſuos? utique non aliud, quam quod piger iſte ſervus, reſpondere habebunt: quos propterea Dominus in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium, ſit proſcripturus. Sint ideoque, qui aliis præſunt, tam ſui ipſorum, quam & eorum, quorum cu-

curam acceperunt, diu noctuque ad omnem salutem solliciti, suis in miseria, calamitate, atque inopia ex animo misericordes collachrymentur, ne eos se arguant esse Sacerdotes & Levitas, qui nulla moti misericordia relicto homine semimortuo pertransiere: immo esse conentur, ut ad suos cum Apostolo dicere queant: Qui infirmantur, & nos non infirmamur? Qui tanto etiamnum in illos adfici amore debuerint, ut pro ipsis, sicubi pietas exigat, esse a Christo anathema non renuant, minime sua, & quæ illorum sunt, quærentes: mediocritatis item circa res temporales adservandæ nunquam non studiosi: nimirum contenti eis, quibus natura, quæ paucis est contenta, ali & tegi possunt, ab omni prorsus alieni avaritia, quæ omnium est malorum radix, & Idolorum servitus, & Sacerdotibus maxime dedecorosa, quos inter omnes decet, misericordia, & liberalitas; quum in hoc sint Pastores, ut oves pascant, non deglubant. Quum enim ad omnes a Christo JESU dictum scimus: Quod superest, date eleemosynam, quid ad eos, quos ille sibi singulariter elegit, deque sua sorte Clericos esse voluit, ab eodem arbitramur dictum? Hoc indubie iter ingressuri, ne zonas vestras oneretis auro, argentove, immo ne peram quidem, veluti pennarium quoddam vobiscum circumferatis, neque tunicas binas, ne calceamenta quidem aut baculum. Et quare hoc obsecro? Nimirum, quo essent cæteris perfectiores, qui alios ex officio regere debent, quorum est peccatum, quam aliorum longe perniciosius: quando sit omne animi vitium tanto conspectius in se crimen, quanto major, qui peccat, habetur: quum aliis sit ad peccandum ansa, interimque ad pœnam ruina. Cujus quidem solius non modo scelus, sed & in ipso aliorum crimen Deus sit ulturus.

Quod igitur reliquum est, PP. modis, quibus possum, omnibus, vehementer oro, ut quæ dixi, non solum boni consulatis, verum etiam, quæ facto juxta ea opus sunt, reipsa implere conemini: toto demum pectore hujus, qua undecunque agitamur, memores calamitatis, causam ejus, unde istam derivasse monstravimus, jam tandem mediis, quæ recensuimus, mature abscindatis, ne vel (quod dici solet) damno accepto serius januam sitis clausuri, vel mora ne Concilium quidem ulterius sit admissura: a quibus Deus ille Max. ita primum suscipiat vindictam, ut qui gradu dignitatis primi esse volunt, primi quoque, justitia censente, in supplicio sufferendo sint futuri, juxta Domini verbum: a Sanctuario meo incipite.

Ex impresso exemplari, Moguntiæ edito, & Alberto Brandeburgensi, Archi-Episcopo Moguntino, & Magdeburgensi ab Authore dicato, eodem anno 1527.

SYNODUS COLONIENSIS VERNA

Eodem anno Christi MDXXVII.

Duæ hoc anno sub HERMANNO V. Archi-Episcopo celebratæ fuerunt Synodi, altera Verna, altera Autumnalis. Vernam 11ma Martii habitam fuisse, testatur Antonius Cornelius Lynnichanus, Gymnasii Laurentiani Professor, in Epistola, quæ subjectam Orationem hac in Synodo a se dictam, & altero post mense ejusdem anni typis datam, dedicavit *Magnifico, Præstantissimoque Viro, Dno Arnoldo Broickſmidt de Lemgo, Artium, & SS. Canonum Doctori Eximio, Curiæ Coloniensis Officiali, & Metropolitanæ Ecclesiæ Canonico.* Epistolam his verbis orditur: *Improbis quorundam Amicorum precibus oppugnatus, Vir Ornatissime! cogor Orationem eam, quam nuperrima in Synodo, quinto Idus Martias ad Clerum Coloniensem habui, excudendam, dare, &c. . . . . . Coloniæ in Pedagogio Divi Laurentii Anno Domini Millesimo, quingentesimo, vicesimo septimo. III. Non. Aprilis.* Præter Orationem hanc Synodalem, quam Ortwinus in fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum recudit, alia hujus Synodi acta non reperi.

ORATIO

Habita Coloniæ in Synodo coram frequenti Clero ab Antonio Cornelio Lynnichano, qua Scripturarum teſtimoniis oſtendit, cujusmodi Eccleſiæ Principes, Pontifices, Primarii Sacerdotes, & Evangelici Gregis Paſtores eſſe debeant, eos officii ſui admonens: interim tamen gravem Eccleſiæ jacturam deflens, & lamentans.

MAjorum noſtrorum ſtudium & induſtriam, Venerandi Patres, quantum laudare quis debeat, non mearum eſt virium oratione conſequi, cum omnia ſic providerint; ut providentius pene nihil poſterior ætas excogitare poſſit: omnia ſic conſilio & ratione libraverint; ut quidquid extra eorum conſilium geſtum fuerit, diuturnum eſſe non poſſit: omnia ſic ad amuſſim perpenderint; ut quidquid citra eorum præſcriptum negligenter omiſſum fuerit, bonis moribus adverſum, & caſtis legibus obvium atque contrarium ſit. Quæ quidem inſtituta abolere, & veteres eos mores antiquare, viſum eſſet non in Eccleſiæ commodum & profectum conſulere, ſed in ejus grave diſpendium, ingensque diſturbium moliri. Quis noſtrum nunc non videt, quantis Eccleſia æſtuet perſequutionum procellis, quantis periclitetur negotiorum undis, quantis involvatur æſtibus? Spirant circumquaque horridi venti, ſonorus Boreas ſuum afflat horrorem, procax Auſter e tartareo ſpecu miſſus, noxias flat nebulas, Circius turbines & vertigines, Septentrio grandines, repentinasque procellas. Conſciſcunt graves nobis in dies tempeſtates, circumfremunt circumquaque, ad Eccleſiæ navem quaſſandam. At nos, qui ea navi vehimur, nihilo ſecius nosmet gerimus, quam ſi nulla oborta ſit tempeſtas: arbitrantes, nihil adverſum nos poſſe contrariorum flatuum vires, pigri, ſegnes, inertes, inconſiderati homines, quieſcimus & deſidemus, non videntes, quantum naufragium fecerimus. Ubi nunc noſtri Archi-nautæ? ubi naucleri? quorum conſilio & prudentia eſſet, ne ſic ad ſcopulos illideremur, quorum officio eſſet, pyratarum molimina, & perſequutiones aut fruſtrare, aut vitare, non invitare. Ab horum inſidiis & molimine, quam ſe caverint Majores noſtri, ſatis perſpicuum eſt ex laudatis his Legibus & Conſtitutionibus, nec non probis moribus, quibus ſatis ſe poſteritati commendarunt: quas vero Leges & Conſtitutiones, quosque laudatos mores, ſi nos ea integritate ſervaremus, qua illi; procul dubio haud eſſet, quod ſic periclitaremur. Nimirum cum id antiquus Poeta doceat: *Moribus* (inquiens) *antiquis res ſtat Romana virisque.* (a) Ut tamen ex multis unum colligam, quis neſcit hunc morem a majoribus inoleviſſe, & apud poſteros receptum eſſe, bis quot annis per ſingulas Diœceſes, ex altis ſuggeſtibus, Eccleſiaſtica declamari ſtatuta, in loco, ubi ſeniores Patres Metropoleos conveniunt, in Eccleſiæ bonum & commodum conſulentes; a quibus ſubditus quisque vitæ normam & diſciplinam acciperet.

Hoc quo commodius agatur, quid convenientius excogitari poſſit, quam ſubditum quemque præmio & honore invitare: prævaricatorem autem omnem, mulctis & pœnis deterrere, & non eorum more agere, qui ſecus, quam decent, faciunt: quaſi præſcribatur lex, cujus ſancitor voluerit eſſe exlex. Parendum enim eſt legi, quam quisque ſancit.

Id quidem ſi non feceris, male audies a vulgo. Quid porro eſt, quod Principem magis vulgo commendet, quam ut bonorum morum exemplar in ſe ſtatuat; ſecundum quod vulgus vivat? Quod ſi ipſe Princeps & Magiſtratus recta via non inambulaveris, idem haud dubie tibi obtinget, quod ſtulto illi Prophetæ Balaam Filio Boſor, (b) qui iniquitatis ſuæ redarguebatur per aſinam, animal ſubjugale, mutum, quod humana voce loquens,

(a) Ennius. (b) Numer. 22.

quens, Prophetæ prohibuit dementiam.

Num ſimile iſtius nunc fieri videmus, cum paſſim a laicis & indoctis audimus Principum, & Prælatorum, veſtigiis Chriſti non inſiſtentium, mores & vitam reprehendi? Ignoſcant, rogo, mihi dicenti, hi, qui nullius iniquitatis ſibi ſunt conſcii. Caveant item & mihi iraſci, quos ſtimulus conſcientiæ pungit: generalem de vitiis diſputationem in ſuam non referant contumeliam; ne dum mihi iraſcuntur, ſuam indicent conſcientiam, pejus de ſe, quam de me judicantes. Non ego in hunc ſuggeſtum aſcendi, ut cuiquam adulari velim, omnia (ut quidam dixit) temperaturus fumo & parietem velle linire lapſantem. Nolo etiam canina quadam facundia orationem noſtram nimis eſſe maledicam atque rixoſam, ne reddam aures veſtras mihi invitas. Facilius duxi, Muſicorum morem ſequi, qui leni Chordarum tactu pectora demulcent, non gravi pulſu; ita orationem meam placidam citius, quam aſperam, vos poſſe movere non dubito: in qua ſi delicatus quiſpiam auditor exactum Rhetorices artificium ullum deſiderarit, ſciat nec Philoſophiæ, nec Rhetorices artificium ullum Divinam Scripturam admittere, ſuo nitore ſatis claram: quemadmodum Paulus ad Corinthios ſcribens, miſſum ſe dicit, ad Evangelizandum, non erudito ſermone, ne inanis reddatur Crux Chriſti: *Sermo* (inquit) *Crucis ſtultitia eſt his, qui pereunt, at illis, qui ſalutem conſequuntur, potentia Dei.* (*c*) Rogemus nos, ut arcanus ille ſcripturarum ſpiritus corda noſtra percellat, qui & balbos reddit diſertos, ruſticos ſupremæ ſapientiæ, & gloriæ compotes hæredes. Quid nobis mundana Philoſophia? quid confert Ethnicos authores nocturna, diurnaque evolvere manu, dum non in Chriſto proficimus, dum non ad ſalutem noſtram ſapimus. Intelligamus ea, per quæ ſervabimur: Erudiamur ea, quæ æternam ſapientiam & hæreditatem nobis pollicentur. Porro, quam hoc nunc neceſſum ſit, ipſi ſatis cognoſcitis, ipſi Judices eſtis, Vos Pontifices, Prælati, & Primarii Sacerdotes, ad quos mea feſtinat oratio. Veſtrum eſt intelligere, Veſtrum eſt erudiri. Videtis, quam invaluerint hoſtium vires, quam late proſerpſerit hæc contagioſiſſima hæreſeos lues? Num adhuc veſtram jacturam intelligitis? Num adhuc erudimini? Uſquequo torpebunt corda veſtra? Uſquequo hos reſides animos detinebitis? Satis jam, ſatis dormitum eſt: Satis jam, ſatis ceſſatum eſt: Expergiſcimini, qui habitatis in torpedinis pulvere. Audite Davidicam tubam, Vobis buccinantem in Pſalmo Myſtico: *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.* (*d*) Hoc ego buccinum per totam noſtram orationem cantabo, hoc efflabo: ſub hoc, quidquid eſt meæ operæ, ponam, orationem eo modo bipartiturus, quo ipſum Prophetæ elogium eſt bipartitum. Nempe priori membro vos ad intelligendum hortaturus, poſteriori vero ad erudiendum. Quod ut incitatius facere poſſim, vos, quæſo, reddite mihi attentos, & mecum una Divinum implorate auxilium, quo prætermiſſo, nullum rite fundatur exordium. Mecum, inquam, una Deum implorate, ut gratiæ ſuæ ſpiritum nobis omnibus infundat, per quem vos audire, & ego ſalubriter dicere valeamus. Adoremus ſupremum illum Judicem: cui cum nos multis malis obnoxios reddiderimus, profugiamus triſtes rei ad mitiſſimam eam advocatam, potentiſſimam quippe Judicis matrem, quæ Filium nobis exorare poteſt. Ea cum ſit gratia plena; laboremus, ne gratiæ per illam nobis partæ exortes reddamur: cum & inter omnes mulieres ſit benedicta; agamus, ne fructus ventris JESUS CHRISTUS, extremo ſeculo venturus Judex, propter blasphemias in matrem jactas, nos judicet ad æternum ſupplicium ire maledictos. Quapropter dicamus cum Sancta Eliſabeth, eam inter omnes mulieres benedictam; & cum Gabriele Archangelo ſalutemus eam, dicentes: Ave gratia plena.

Pſaltes ipſe myſticus David, vos Reges, Pontifices, Primarii Sacerdotes, Magiſtratus & Poteſtates, hoc, quo dixi, elogio ad intelligendum, & erudiendum adhortatus eſt, dicens: *Et nunc* (inquit) *Reges intelligite: erudimini, qui judicatis terram. Et nunc*, inquam, inquit, *nunc intel-*

(*c*) 1. Cor. 1. (*d*) Pſalm. 2.

intelligite : haud negligite, sed intelligite, quid vos intelligere deceat. Nullam vult intervenire moram, nullam ad intelligendum dari dilationem : quin instanter, & in hoc temporis momento, *nunc* vult, ut intelligatis. Res omnis in novaculæ acie sita est. Extremum urget periculum. Aut est intelligendum, quid vos deceat, quid vos decoret: quo pacto salutem consecuturi, & hostium molimina sitis frustraturi; aut certe per negligentiam, pereundum vobis est, futuri præda, & irrisio inimicis vestris. Gladius imminet capiti, laqueus insidiatur jugulo; securis posita est ad arborem, non trunco, nec ramis minans, sed radicibus: funditus & immedicabili vulnere, succisura omnem arborem non ferentem dignos pœnitentiæ fructus. Vestra omnium refert, *nunc* intelligere, & omnes nervos ad intelligendum intendere, quid vos facere expediat. Audite Sapientis vocem, vobis acclamantem : *Attendite Reges, & intelligite*; (e) *discite Judices finium terræ : præbete aures, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum : quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis Ministri Regni illius; non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non subtrahet personam cujusquam Deus, qui omnium est Dominator, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam. . . . . . Si delectamini* (f) *Sedibus & Sceptris, O Reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis: diligite sapientiam, omnes qui præestis populis.* Hisce verbis jubemini discere sapientiam, & legem Domini, non Veneris, non aleæ, non Martis, non Bacchi. Non sit in voto vobis summum scire, quid dexter senio ferat, & quantum damnosa canicula radat, (g) & angustæ collo non fallier orcæ. Nec id vobis sit studium, assem discere in partes centum diducere, ut constet, quid superfit, si de quicunce remota est uncia. Vestrum studium sit, meditari in lege Domini, Philosopharique in Philosophia Christi. Non temere a Platone, & a laudatissimis Viris dictum, beatam fore Rempublicam, si aut philosophentur Principes, aut Philosophi capessant Principatum. Enim vero talis solet esse populus, qualis Princeps & Sacerdos. *Multitudo* (h) *Sapientium sanitas est orbis terrarum. Rex sapiens populi stabilimentum*, insipiens autem populi detrimentum. Revolvamus veterum historias, reperiemus ubique ejusmodi fuisse seculi mores, cujusmodi fuerat Principis vita. Proinde Principis, & ejus, qui Principis munus gerit, est se quam optimum exhibere. Cum enim quoddam Dei sit simulachrum, suarum partium est, bonitate, clementia, sapientia, & doctrina, omnibus velle prodesse. Hoc secum animo perpendat : memineritque id se esse in populo, quod Sol in mundo. Quippe ut Deus pulcherrimum sui simulachrum in Cœlo constituit, Solem, ita inter homines vivam ac evidentem sui collocavit imaginem, Regem atque Principem. Sole nihil communius, ac cæteris item corporibus cælestibus lucem suam impartit: ita Princeps publicis usibus maxime debet esse expositus, & nativum sapientiæ lumen habere domi, ut etiam, si quid cæcutiant cæteri, nunquam tamen ille hallucinetur. Curandum ergo Principi, ne ejus, quod ab eo exigitur, expers inveniatur. Alioqui audiet Dominum per Oseæ vocem dicentem: *Conticuit populus meus, eo quod non habuit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Audi hæc Rex, hæc discute Princeps, intellige Sacerdos, cum & ipse Principatum in terris geras, quid Dominus a te exigat, quid tibi præscribat: *Cum* (inquit Deuter. 17.) *fuerit* Rex *constitutus, non multiplicabit sibi equos, non reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus: præsertim cum Dominus præceperit, ne per eandem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque auri & argenti immensa pondera. Postquam autem sederit in*

(e) Sapient. 6. v. 2. & seqq.
(f) Ibid. v. 22.
(g) Persius Sat. 3.
(h) Sap. 6. v. 26.

in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium, *Legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tribus: & habebit secum omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram; ut longo tempore regnet ipse & filii ejus super Israel.* Audis præceptum esse, ut non sit magnus equorum strepitus, ut non reducas populum in Ægyptum. Ægyptus cum sit terra vitiosa, in qua populus Dei sub duro Pharaonis Imperio operibus luti & lateris, omnique operoso famulatu premitur. Audis præterea non licere plurimas habere uxores, quæ animum tuum alliciant: non decere domi alere tot scorta, tot Veneres, quæ te continue exedunt, tuamque substantiam disperdunt. Quæ nunc (malum) impudens, non dico, Sacerdotum impudentia, qui effronte libidine membra Deo dicata templum Dei, quod ipsi sunt, spurcant, & contaminant; iisdem labiis osculari audentes filium Virginis, quibus impuræ Veneris os & labia circumlamberant? Quid est nocte se exhibere filium Veneris, die autem polluto ore, pollutissimaque mente insumere filium Virginis? Tu, quisquis Sacerdos es, quique totus Divinis rebus es consecratus, cogita, quam indignum sit facinus, eo ore sumere adorandum illud corpus, quo putidam scorti carnem contigisti: iisdem manibus abominandas sordes contrectare, quibus ministrantibus Angelis ineffabile illud mysterium peragis. Item, quam non conveniat, idem corpus eundem cum Deo Spiritum fieri, & unum corpus fieri cum meretrice. Pudet me, multa de his dicere, quæ tamen multos minime pudet facere. Vellem mentirer: vellem mendacii arguerer. Hæc, ut vereor, veriora sunt, quam ut redargui possint. His & aliis datur scandalum populo; præbetur offendiculum vulgo, cui hac tempestate vilet, & contemptui est ordo quilibet Sacer. Vilis plebs te Sacerdotem nunc cachinnis, atque ludibriis incessit, & odit, qui calumniandi ansam ultro præbueris. Dicit namque: tot hic, aut ille scorta domi suæ ex patrimonio Crucifixi nutrit, quo non sordida scorta, sed pauperes Christi forent sustentandi. Tot hic, aut ille Sacerdotiis, seu (ut dicunt) Præbendis & Beneficiis Ecclesiasticis est suffarcinatus: quem non multis Sacerdotiis deceret esse suffarcinatum, sed vita, moribus, atque virtutibus esse probatum. Habet profecto & vulgus suos oculos, habet & suum de te judicium, quod tu ne ut vile refutes, dico: sæpe etiam, ut ajunt, & olitor est verba opportuna locutus. Quamdiu ipse pergis te tua vita, tuisque moribus dedecorare, & ipsum vulgus de te judicium dare non desinet. Vis ut te vulgus amet? ut te revereatur, ut te amore & benevolentia prosequatur? Age, quæ amore sunt digna, quæ amorem & benevolentiam promerentur, quæ justum est, in te revereri: ita te geras, ut sis illi probæ vitæ norma & regula: fingas te quandam omnis virtutis amussim. Curandum est & id tibi præcipue, qui inter Sacerdotes primas tenes, ut non de Cathedra Mosis reddas Cathedram pestilentiæ. *Qui bene sederit super Cathedram, honorem accipit Cathedræ: qui vero male, injuriam facit Cathedræ*, authore Chrysostomo *Dist.* 40. *C. Multi Sacerdotes.* Officium tuum aptissime Hieronymus super Levitico scribens commonstrat, ut habes 36. *Dist.*, quem Canonem ad verbum hic subjicere lubet: *Si quis* (inquit) *Pontifex vult esse, non tam vocabulo, quam merito imitetur Mosen, & Aaron. Quid enim dicitur de eis? Quod non discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moses indesinenter in tabernaculo Domini. Quid autem ei opus erat? Ut a Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt Pontificis opera, ut a Deo discat legendo Scripturas Divinas, & sæpius meditando: aut populum doceat; sed illa doceat, quæ a Deo ipse didicerat: non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus Sanctus docet. Est & aliud opus, quod fecit Moses: Ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos: sed quid facit? Orat, & donec orat*, vincit populus: *Si relaxaverit & dimiserit manus, populus vincitur & fugatur. Oret ergo Sacerdos Ecclesiæ, ut vincat populus, qui sub ipso est, hostes invisibiles Amalechitas, qui sunt Dæmones impugnantes eos, qui volunt pie vivere in Christo.* Hæc Hieronymus. Verendum est, proh dolor (ut audentius quid dicam) Pontifices

tifices noſtros non multum vacaſſe orationibus, non uſque adeo meditatos fuiſſe Legem Domini, non continuam moram traxiſſe in tabernaculo Domini; quin pro lege Domini, meditatos fuiſſe legem Martis, Veneris & Bacchi: de tabernaculo Domini abſceſſiſſe ad cruenta bella, pro gladio Spiritus Sancti, quod eſt efficax verbum Dei, exemiſſe gladium cruenti Martis: non expandiſſe manus in Cœlum, ſed per ignaviam remiſiſſe in cœnum. Hinc factum, quod populus Dei vincitur & fugatur, invaluerunt Amalechitarum vires: Hæreticus & ſchismaticus, hoſtes noſtri domeſtici, ſuum evomuerunt virus, quo, proh pudor! infectus totus pene Chriſtianus orbis. Nemo repertus, qui præmunierit antidoto, quique remedio ullo ſuccurrere ſtuduerit; ſed pigri, ſocordes, nulla alacritate inſignes, admiſimus nos falli, nobisque imponi. Ubi modo induſtrii Patres familias, quos debuiſſet excubias poſuiſſe, ne nocturni ſures, nos incautos oppreſſiſſent, ne oppreſſos ſuo cachinno irriſiſſent. Jam facti ſumus opprobrium, ſubſannatio & irriſio inimicis noſtris. In nos comminiſcuntur carmina; in nos occentando, jaculantur convitia, & convitiando varia impingunt cognomina. Nec ſatis hoc, quin ſæviunt in Divos & Sanctos; quin etiam in eum, qui eſt Sanctus Sanctorum, in ſæcula benedictus, proterviunt. Nempe latrones hi, ubi inconſutilem Domini tunicam in varias partes conati ſunt rumpere, demum invaſerunt ipſiſſimum Corpus & Sanguinem Domini, commiſcentes Sacra prophanis, adulterantes legitima, antiquantes Sacroſancta Sacramenta, Chriſti ſanguine ſancita. Quid multa de his ego effutiam ineptus? Compertum habetis, quod non vobis mentior, quodque hæc ſe ſe longe execrabilius habent, quam ego dicere poſſum. O tempora! O mores! Eo dementiæ ventum? quod humana protervitas Divinam inceſſit Majeſtatem? Cui omnis Majeſtas cedit, quam omnis principatus in cœlo & in terra veneratur, & adorat: cuique omne genu Cœleſtium, terreſtrium, infernorum flectitur, atque proſternitur. Si humanis cautum eſt legibus, ne Imperatori quis maledicat, & ne contra Magiſtratus ſuos quis ſceleſtam ineat factionem; quanto magis id cautum oportuiſſet in eum, qui Summum Imperatorem, illum Monarcham mundi inceſſit, cœlo, terræ, mari & ventis, & quæ in his ſunt, creaturis imperantem? uſque adeo Judaica rabies non ſæviit in Chriſtum Dominum, ut poſtera hæc ſordidorum hominum colluvies, ludibriis, irriſionibus, calumniis, blasphemiis, ſpurcitiis innumeris eum eſt adorta: ſiquidem illi poſtremo palam, & in aperto profeſſi hoſtes, Chriſtum multis plagis impoſitis crucifixerunt; hi autem ejus morte redempti, & in ejus Sacramenta jurati milites, qui & ultro ſe Sacramentario munere ſubarrhari permiſerunt, facti apoſtatæ & transfugæ deficiunt ad hoſtes: deſciſcunt a vero Duce, deſerentes propria caſtra, dant manus & paciſcuntur cum hoſtibus. Obliti & immemores datæ fidei, perjuri ſe ſe agglomerarunt inimicis Catholicæ fidei. Interim tamen ſe inimicos videri nolunt, quin Evangelici nominis prætextu, jactant ſe veſtigiis Chriſti inſiſtere, Chriſti doctrinam & viam ſequi. At quo ſua figant veſtigia, & ad quæ ſuam doctrinam moliantur, ſatis exploratum eſt. Pax publica turbatur, quies privata negatur. Nusquam eſt, ubi tuto quisquam ſibi conſulere poſſit. Confuſus eſt omnium rerum ſtatus. Quocunque vergas, quocunque oculos declines, non datur cernere, quod antiquam repræſentet morum honeſtatem. Non opus eſſet adeo in id incumbere, ut quæque innovarentur, modo ſinguli ſtuderemus obſervare ea, quæ antiquitus ſunt ſancita: Non tantum dediti in quæſtum, in privatum commodum, inhiantes prædæ & avaritiæ, non ſecus huc atque illuc hæc Sacerdotia & beneficia diſtrahentes, quam ſi venalium mercium publicam auctionem, ſeu venditionem faceremus. Quid Deo cum Belial? Quid Sacra ad Mercurium prophanum mercaturæ Deum? Abeat & valeat ille cum ſuo Ethnicorum mercium emporio. Inſpiciantur Hebræorum hiſtoriæ: reperiemus ubique peſſum iviſſe Judæorum religionem, dum fas & nefas ambiebant Magiſtratus & Sacerdotia. Diceret hic adverſum me adverſarius: Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. Reſpondeo, ſive ego, ſive ille aliter ſentiat; hunc prætex-

textum, ſive hanc doloſam ſtropham nihil in re mutare, ſed magis dare errori patrocinium, quo rei veritas ſemper eluditur. Inſuper & iniquiſſimum eſſe, Chriſti Sacerdotes, hæc beneficia diſtrahere, veluti venales merces eſſent, quæ tabernatim circumferuntur. Non hæc Propheta vult eſſe intelligenda & erudienda. Non præpoſtero modo faciendum, ut qui Diabolo & omnibus operibus idololatriæ renuntiavimus, & Deo nos totos devovimus, rurſum ad illius, puta, Diaboli cultum & ſervitium (*i*) recurrere. Secus in utroque teſtamento factum legimus. Abraham, homo dives, de patria ibat, quo neſciebat: Apoſtoli de piſcatione lacus Genezareth, ad piſcationem hominum tranſierunt. At hoc tempore, plerique in Apoſtolorum loca ſe ſuffectos eſſe credentes, piſcatione hominum relicta, redeunt ad lacum Genezaret, ad locum ſordidi quæſtus, in quo quæritur cibus ventris, in quo laboratur pro victu vilis corpuſculi. Miſeri, infelices & ſtulti homines, corporis tantum ingluviei indulgentes, negligimus quærere dulcem illum cibum animi. Et cum ipſo Evangelico reti æternam neſciamus piſcari ſalutem, jacimus & ponimus laqueos & retia, ad irretiendum & circumveniendum fratrem, ad machinandum dolum & fraudem. Quid multis morer? Intelligenda dediſcuntur, & negliguntur; erudienda dedocentur.

Nos alio mentes, alio convertimus aures.
Omnia hic dicere,
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprehendere formas:
Omnia cunctorum percurrere nomina poſſum.

Digrediar ergo ad alteram orationis partem, quæ eſt de eruditione, qua terrarum Judices Propheta jubet eſſe imbutos, ſiquidem noſtrum ſic habet elogium: Et nunc Reges intelligite: Erudimini, qui judicatis terram. Quid Propheta a terrarum Judicibus exigat, & ad quid hortetur, ſatis ex ipſo verbo haberi poteſt, dicens: erudimini, qui judicatis terram, perinde ac ſi dicat, ſi hucusque rudes inertesque fuiſtis, tempus nunc eſt, ut erudiamini: ſi hucusque animos geſſiſtis incultos; expedit nunc eos fieri cultos & expolitos. Quos ſi cultos & expolitos fieri volueritis, hilares agite, capeſſatis ſapientiam & doctrinam, qua & vobis, & gregi, veſtræ cuſtodiæ commiſſo, prodeſſe poſſitis. Videtis errabundum & palantem gregem, multijugis inſidiis obnoxium: inſidiantur fures & latrones, qui gregem per devia abigere & abducere moliuntur. Opus ergo eſſet Paſtoribus, qui furum & latronum inſidias fruſtrarent, qui contra rugientium leonum incurſus, & contra rapacium luporum infeſtationes, repagula ponerent. Præterea & opus eſſet canibus, qui gregem ſuo latratu a luporum morſibus tutarentur, quique & oves e luporum faucibus eripere ſint gnari, nec quicquam timeant, ſi quando lupus gregem invadat. Timerem ego, quod, ſi Iſaias (*k*) pleroſque noſtri ſæculi Paſtores cerneret, rurſum diceret: ſpeculatores gregis cæci, omnes neſcierunt: univerſi canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia. Et canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem. Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viam ſuam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam ſuam. Et Dominus per Hieremiam locutus, ſic criminaretur gregis ſui perditionem: *Grex perditus factus eſt populus meus*, (*l*) *Paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus.* Rurſum & Ezechiel ſtomacharetur his verbis: Væ Paſtoribus Iſrael, (*m*) *qui paſcebant ſemetipſos*: qui lac comedunt, & lanis operiuntur: quod craſſum eſt, occidunt; gregem autem non paſcunt: quod infirmum eſt, non conſolidant: quod ægrotum eſt, non ſanant: quod confractum eſt, non alligant: quod abjectum eſt, non reducunt: quod periit, non quærunt: ſed cum auſteritate & potentia imperant. Ovibus diſperſis, & ſegregatis, non eſt paſtor fidelis; factæ ſunt ergo in devorationem omnium beſtiarum. Hic ego me continere non poſſum, quin effutiam

(*i*) *Supple*: velimus. (*k*) Iſai. C. 56. v. 10. (*l*) Jerem. 50. v. 6. (*m*) Ezech. 34. v. 2.

tiam id, quod res eſt, cogorque dicere: heu mihi quam paucos hæc mea verba movent? Eloquar an ſileam? Quotusquisque eſt hodie paſtor, qui his fungatur officiis, quæ Petrus paſtoribus præſcribit: dicens in Epiſtola 1. Cap. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei: providentes non coacte, ſed ſponte ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque, ut dominantes, in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.* Dicite Paſtores, quo amoris argumento dicere poſſitis, vos Chriſtum diligere, cum oves ejus pabulo ſermonis Evangelici paſcere negligatis? Nonne hujusmodi amoris aut ſaltem dilectionis argumentum, a Petro ſibi exhiberi poſtulat Chriſtus, dum verbis ſæpe repetitis eum interpellat, dicens: *Simon Johannis diligis me? paſce oves meas.* Cum Paſtores vocemini, cur non præſtatis, quod appellamini? Veſtra appellatione, veſtri officii admonemini. Quod ſi lupos in gregem impune graſſari ſinitis, jam non paſtores, ſed mercenarii appellandi eſſetis. Enim vero bonus paſtor, animam ſuam dat pro ovibus ſuis, mercenarius autem in lupi adventu oves deſerit, fugitque, ac ſinit oves a lupo rapi & diſpergi. Nempe, quia eſt mercenarius, & oves non ſunt illi curæ. Paſtoris boni officium eſt, paſcere gregem, curare, regere, cuſtodire, ne qua ovis ulla aberret. Errantem prompte, libenter, non gravate, ſed ex animo quærere, quousque inventa fuerit. Inventam autem in humeris ad gregem portare. Videmus (proh dolor) hoc infelici ſeculo non unam aut alteram ovem errantem, ſed totum ferme gregem, Paſtore bono deſtitutum, inter ſalebroſas hæreſeos rupes errantem. Quotumquemque putatis hodie reperiri Paſtorem, qui ovem errantem quærat, ut ſervet, ut reducat, qui & in humeris ſuis ovem ad gregem, vel ad ovile portet? Annon diceretis, pleroſque in hoc tantum deditos eſſe Paſtores, dum ovem quærunt, ob nil aliud quærere, quam ut lanam cum vellere deglubant, ut ovem excorient, ut mactent? Nonne, ſi noſtri ſæculi Paſtores cum priſcis conferre volueritis, illos re id præſtitiſſe, quod vocabantur, nempe Paſtores paſcebant, & cuſtodes cuſtodierunt gregem; hos autem longe ab illorum ſtudio excidiſſe & degeneraſſe? Illi, quanta cura, quanta ſolicitudine, quanta vigilantia vigilaverunt ſupra gregem ſuum, excubiis poſitis contra rugientium leonum impetus, & furentium luporum inſidias? Illi in dies & numeroſiorem, & fertiliorem reddiderunt gregem, lucrantes gregi amœniſſima & latiſſima paſcua, florentiſſima regna, celeberrimas urbes & nationes; At hodie, neſcio qua fatorum invidia fieri videmus, quod grex, puta populus Chriſtianus, cruentiſſimis bellis, immaniſſimis cædibus, horrendiſſimisque pœnis affectus, ſuis regnis exulat. Quod ne quis meum, aut alterius cujusvis commentum eſſe dicat; in promptu ejus, quod dico, occurrit argumentum & exemplum: Pro ſe, rogo, mihi quisque intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros, aut quibus artibus, res Chriſtiana & Evangelii Majeſtas longe lateque per univerſum terrarum orbem eſt propagata? labente deinde paulatim diſciplina, ſecum cogitet, ut ſenſim quoque partum illud, & per omnia pene mundi regna auctum Chriſti Imperium, magis, magisque dilapſum ſit. Primo amiſimus Africam, deinde mox tota Aſia Saracenis & Turcis ceſſimus, poſtremo etiam majore & nobiliore Europæ parte adempta, vix tandem in Europæ angulo deſidemus, noſtras ipſorum conterentes vires, inteſtinis tumultuantes bellis, mutuis digladiantes armis, Turcarum immanitati non modo non repugnantes; verum eam potius per mutuas contentiones, & inteſtina diſſidia, nutrientes. Heu miſeram & infelicem Chriſtianæ religionis ſortem! O cæcas noſtrorum Principum mentes, quos tantus perturbationum ſtupor oppreſſit, ut perinde tanquam in theatrali ludo otioſi ſpectarint, intra biennium Rhodum occupari, & hoc ipſo anno majorem Hungariæ partem ſivimus a Turcis devaſtari! In quo quidem bello bellicoſiſſimus Ille Chriſtianæ Religionis pugil & athleta, felicis recordationis, Rex Hungariæ, de Chriſtiana fide ſemper bene meritus, interiit a ſuis deſtitutus, non audeo dicere, ut fertur, traditus. O vos Principes Chriſtiani, quibus victimis, quibus, putatis, piaculis, quibus luſtra-

ſtrationibus tantum facinus eluetis? qui licet titulo tenus, quaſi Dii tutelares, ſalutem & ſecuritatem Chriſtianæ reipublicæ polliceamini, quosque vel ipſa cognomina ad publicas clades levandas inflammare debuerat, Chriſtianas tamen opes diſtrahitis, evertitis, dilaceratis! Cavete, cavete, ne qui nunc ab aliena domo incendium reſtinguere negligitis, mox flammarum impetus in veſtras proprias evolet ædes, utque poſterior Africanus in incenſæ Cartaginis conflagratione, Romanæ urbis occaſum verſibus Homericis deflevit.

Tempus erit, ſacram quod deleat Ilion urbem,
Ac Priamum, & Priami populum, regnumque decori.
Veſtra revera agitur res, paries modo proximus ardet.

Subvenite ergo Principes, accurrite per Deum immortalem, occurrite perditis & profligatis rebus, jam tandem opem afferte. Extremum periculum cuique veſtrum ante oculos obverſatur. Quod prius fides & pietas debuerat, jam ſumma cogit neceſſitas: ut qui prohibere noluiſtis, ne hoſtili igne arderemus, ſaltem exuſtam & conflagrantem Chriſtianam rempublicam a tanto incendio liberetis. Quo autem noſtra intendit ſimulatio? Cur publica omnium errata in unum, aut alterum conjicimus? Magis ipſi in cauſa & culpa ſumus. Accuſetur noſtra negligentia, accuſentur inteſtinæ ſimultates, & civiles diſſenſiones, quibus nimium Chriſtiana reſpublica conteritur: & interim dum nos ſic domeſtico bello tumultuamur, tertius nos invadit hoſtis, barbarus & immaniſſimus ille Turca, pro certo ſperans, & jactare non deſinens, ſe propediem totius Chriſtiani orbis potiturum Imperio. Qui quidem nobis haud dubie eſt ille Aſſyriorum Rex Sennacherib, vel Babyloniorum tyrannus Nabuchodonoſor, a Deo ad nos miſſus, quem peccata noſtra meruerunt, a quo nobis imminet virga furoris Domini, qua flagellamur prævaricatores, & transgreſſores mandatorum Domini. Porro hoc ſic in Pſalmo myſtico comminatus eſt dicens: *Si dereliquerint filii mei legem meam*, (n) *& in judiciis meis non ambulaverint: ſi juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea non cuſtodierint; viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Et per Ezechielem: *Quia Sacerdotes*, inquit, *contempſerunt legem meam, & polluerunt Sanctuaria mea:* (o) *Inter ſanctum & prophanum non habuerunt diſtantiam: inter pollutum & mundum non intellexerunt, & a Sabbatis meis averterunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorum. Principes, quaſi lupi, rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas avare ſectando lucra. Prophetæ liniebant eos absque temperamento, videntes vana, & divinantes eis mendacium, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non ſit locutus.* Et rurſum per Michæam: *Principes in muneribus judicabant* (p) *& Sacerdotes in mercede docebant. Prophetæ in pecunia divinabant, & ſuper Dominum requieſcebant, dicentes: nunquid non Dominus in medio noſtrum? nunquid ſuper nos venient mala? Propter hoc cauſa veſtri, Sion quaſi ager ambitur, & Hieruſalem quaſi acervus lapidum, & mons templi in excelſa ſylvarum.* O Sion? O Hieruſalem, Civitas Deo Sacra! O Sancta Chriſti Eccleſia, quæ quondam ab Aſſyriis, & Babyloniis, exteris inimicis tuis, expugnabaris, nunc autem longe execrabiliori bello, non modo ab exteris, verum etiam ab intraneis pignoribus, piratis militibus, grave, internecinum bellum, ne dicam, exitium, pateris. Hi, qui in tua Sacramenta jurarunt, facti transfugæ, apoſtatæ, tua caſtra relinquunt, paciſcendo cum hoſtibus. Quæ hæc iniquitas? quæ veſania? Siccine fides ſervanda? ſiccine promiſſum in fidei Sacramenta? Domeſticis his hoſtibus non ſat erat, diruta eſſe templa, quum aras, templa, ſacras ædes & domos ſunt demoliti; quin ſcelus ſcelere gravantes, temerario auſu graſſati ſunt in Sanctuarium Domini, in quo juxta Ezechielis Prophetæ vaticinium, egerunt, ipſum Sanctuarium prophanantes, nullo diſcrimine inter ſanctum & prophanum habito, inter mundum & pollutum, nil intelligentes, Sabbata & ſacras ferias prophanantes, docentes ea, quæ carnis ſunt, non quæ ſpiritus. Blando

(n) Pſalm. 88. (o) Ezech. 22. (p) Mich. 3.

do ore, blandoque ſermone incautos homines, incautaque pectora fallentes, non ſecus ſacris literis abutentes, quam verſipellis ille Satan, cujus Evangelium meminit, qui ad ſuum ſenſum ſacris literis abuſus, Salvatorem noſtrum decipere eſt molitus. Qui nimirum ſtulti & impii homines, ex ſacris literis hæreſeos & majoris impietatis habent occaſionem, ſicut e diverſo ſobrii & prudentes ſalutarem ex his habent alimoniam: quemadmodum ſimile legimus de rhododaphnes arboris frondibus, quæ (authore Plinio) quadrupedibus venena ſunt, hominibus autem contra ſerpentium venena remedio. Proinde hoc unum dicere non erubeſco, præſtaret, nunquam Evangelia & ſacras literas legiſſe, quam horum lectione id fieri, quo demum prævaricemur legem Altiſſimi. Enim vero non hæc ſapientia, nec prudentia, ſed prudentiæ nequitia, de qua Eccleſiaſtici 19. dicitur: *Melior eſt homo, qui minuitur ſapientia, deficiens ſenſu in timore Dei, quam qui abundat ſenſu & transgreditur legem Altiſſimi.* Longe ſatius eſſet tibi, cum Paulo & Antonio Eremitis, ruſticis illis Patribus, qui in Eremo latitarunt, literas neſcire, & cum illis conſors fieri cœleſtis gloriæ, quam eas ſcire, & cum verſutiſſimo hæreticorum ſodalitio detrudi in infernum. Quid, rogo, eſt ſcientia? quando charitas nos non informat? quando intellectus non captivatur ad fidem? quando cor ad ſervitutem Chriſti non redigitur? Præter modum & plusquam oportet, ſapere, eſt deſipere. Paulus ad Romanos ſcribens, præcipit, ut ad ſobrietatem, & non plus, quam oportet, ſapiamus, ut non ſimus prudentes apud nosmetipſos, & ut non alta ſapiamus; ſed humilibus conſentiamus. Diligit Dominus mites & humiles corde. Non ſimus, quales idem futuros eſſe prædixit, ad Timotheum ſcribens, fore his extremis temporibus, qui erunt homines ſui amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blasphemi, parentibus immorigeri, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores, magis, quam Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Hæc ea periculoſa eſſe tempora, quis modo non diceret? Videmus ne, quam univerſus terrarum orbis, ex pravis & perverſis moribus degenerans, totus Redemptori factus ſit contumax, & rebellis? Hæreſes ubique pullurarunt, ubique eruperunt, & in dies magis, magisque propagantur, quibus infelix plebs & ad omnem rerum novandarum varietatem obvia ſemper & expoſita, velut peſtifera quadam contagione tabeſcit: adeo, ut & magna Europæ pars, quæ hactenus omni monſtro caruit, tota ſui diſſimilis ſit facta, quum cum fide perfidia, cum pietate impietas, cum veritate mendacium nullo pacto cohæret. Proruperunt ab inferis furiæ ipſæ Erynnies, ira, rabie, cæde, ſanguine, ſcelere perturbantes, involventes, permiſcentes univerſa. In qua omnium rerum confuſione nihil eſt, quod non inquietatum ſit, ita ut vere nunc dicere poſſumus, ut habetur Machabæorum. 1. cap. 3. Ablatam eſſe voluptatem a Jacob, & deficere apud eum tibiam. Nonne, ut eodem loco dicitur, ſancta conculcata & contaminata ſunt? Sacerdotes facti ſunt in luctum & humilitatem: nationes convenerunt adverſum nos, ut nos diſperdant. Dixi fortaſſe de his longius, quam ferebat tempus, ſed omnino parcius, quam res poſcit. Reliquum eſt, ut redeam ad orationis meæ elogium: *Et nunc Reges* intelligite: *Erudimini, qui judicatis terram.* Si hactenus neglectum eſt meditari in lege Domini: Si hucusque ceſſatum eſt, ambulare in via Domini: ſi ad hunc uſque diem deſitum eſt, nolle ſalubri admoneri eruditione; tempus nunc eſt erudiri. Apprehendamus diſciplinam, ne pereamus de via juſta. Satis jam ſuperque inſanitum eſt: ſatis in mutua debacchatum eſt exitia, ſatis hactenus furiis, orcoque litatum: ſatis diu, quæ Turcarum paſcat oculos, acta eſt Tragœdia. Si volumus Turcis, & inimicis Chriſtianæ fidei formidabiles eſſe, ſimus concordes, ſit amor mutuus, ſit timor Domini: extirpentur hæreſes, faceſſant inteſtina jurgia & diſſidia: fœdum eſt, Chriſtianos contra Chriſtianos belligerari. Etenim Chriſtianus orbis una nobis eſt patria, una nobis eſt Eccleſia, una familia, eadem ſumus gens & ejusdem civitatis incolæ, ejusdem corporis membra:

bra : ab eodem continemur Capite , Chriſto Jeſu , eodem vegetamur ſpiritu, pari pretio redempti , ad eandem hæreditatem ex æquo vocati. Sit igitur omnium eadem vox , eadem mens , idem conatus.

Vos ergo appello , Reges , Principes , Pontifices , de quorum nutu Chriſtiani orbis felicitas potiſſimum pendet, ut ſuper his intelligatis, in quibus Chriſtianæ fidei commodum quæritur , & incommodum evitatur. Vos appello terrarum Judices , Primates, Magiſtratus, Paſtores , Sacerdotes, & qui Eccleſiaſtica præeminetis dignitate, ut quisque ruditate ſepoſita, curet ſalubri eruditione fieri verum Chriſtianæ Scholæ membrum. Adeſt modo tempus acceptabile, adeſt dies ſalutis. Quod inſanivimus, imputetur fatis : reſipiſcamus, & conemur impetrare veniam. Adoremus, procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter. Apud eum eſt portus placida manens quiete: apud eum patens unum omnibus miſeris aſylum. Jubet ipſe nos ad ſe venire , inquiens : *Venite ad me omnes*, (q) *qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos , & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Hanc nos doctrinam intelligere, & hac diſciplina erudiri omnes ſtudeamus. Beatus eſt enim, quem Dominus erudit, & legem ſuam docet. Monſtrat ſiquidem viam , qua itur ad gaudia vitæ , ad quam nos omnes pervenire concedat idem is, qui dixit: *Ego ſum via, veritas , & vita*: (r) qua vita & Propheta cum Chriſto in æternum fruitur, qui vos Reges & terrarum Judices ad eam quoque adipiſcendam adhortatus eſt, dicens : *Et nunc Reges intelligite: Erudimini, qui judicatis terram.* Dixi.

Ex Ortwini Gratii Faſciculo a pag. CCXV. Edition. Colon. anno 1535.

(*q*) Matth. 11. (*r*) Joan. 14.

SYNODUS COLONIENSIS
AUTUMNALIS
Eodem anno Chriſti MDXXVII.

In qua publicata fuit hæc Conſtitutio: de his, qui Matrimonium clandeſtinè contraxerunt.

OFFICIALIS CURIÆ COLONIENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS CHRISTIANITATUM DECANIS, PAROCHIALIUM ECCLESIARUM, ET CAPELLARUM RECTORIBUS, PLEBANIS ET VICE-PLEBANIS, CAPELLANIS CURATIS, ET NON CURATIS, CÆTERISQUE PRESBYTERIS, CLERICIS, NOTARIIS, ET TABELLIONIBUS PUBLICIS QUIBUSCUNQUE PER CIVITATEM ET DIŒCESIN COLONIENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, NOBIS SUBJECTIS, SALUTEM IN DOMINO, ET NOSTRIS HUJUSMODI OBEDIRE MANDATIS.

QUerelam gravem pro parte honorabilis Domini Joannis Trip, Reverendiſſimi Domini noſtri, Domini Hermanni, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, Principis Electoris &c. Procuratoris Fiſcalis , recipimus in effectu continentem : Quod cum ne dum de jure, verum etiam de ſtatuto , ac antiqua & laudabili ab immemorabili tempore citra obſervata conſuetudine dictæ Eccleſiæ Colonienſis , clandeſtina conjugia fuerint & ſint prohibita , nec non taliter matrimonia contrahentes, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, atque cum matrimonia inter aliquas perſonas fuerint contrahenda, tres proclamationes in Eccleſiis Parochialibus, ſub quarum Parochiis hujusmodi perſonæ natæ fuerint, aut moram traxerint, ſeu domicilium foverint, publice de Ambonibus , ſeu aliis conſuetis & publicis locis , populi multitudine ibi-

ibidem ad Divina audiendum congregata, & tribus diebus festivis, a se invicem distantibus præmitti consueverint & debeant; ut intra illum terminum, si alicui impedimentum aliquod occurrerit, & obsistat, opponat: non liceret prætactis personis per Civitatem & Diœcesin Coloniensem constitutis, & in eisdem moram trahentibus, matrimonia clandestina, aut alias aliunde, nisi hujusmodi proclamationibus, prætacto modo factis, prævis contrahere: Nihilominus tamen frequenti & assidua fama prævia, & quod dolenter referimus, evidentia facti id, acclamante, ad aures nostras diversis cum querelis, & per medium dicti Procuratoris Fiscalis pervenit, quomodo plures personæ, prælibato Reverendissimo Domino nostro Archiepiscopo Coloniensi, & nobis subjectæ, inter quas plura impedimenta, quominus matrimonium invicem contrahere potuissent, comperta fuerint, & in eventum, quo proclamationes prætacto modo factæ præcessissent, indubie hujusmodi impedimenta opposita fuissent, timore Dei postposito, propriæque salutis immemores, nedum extra suam Parochiam, verum etiam Diœcesin Coloniensem hujusmodi proclamationibus etiam minime præviis, se matrimonialiter copulari fecerunt, & passim faciunt, atque suos Plebanos ad eas personas, ac si in earundem Ecclesiis debite copulatæ fuerint, pro conjugibus legitimis habendas, tenendas & reputandas, compellere nisi fuerunt, & passim nituntur: non obstante, quod inter aliquas ex eis notoria, quominus in matrimoniis hujusmodi persistere possint, obsistant impedimenta, unde plura scandala exorta sunt, & quotidie magis ac magis exoriuntur, in earundem animarum gravia pericula.

Nos igitur Officialis præfatus, hujusmodi scandalis & periculis, quantum possumus, obviare cupientes, pro parte supra dicti Domini Joannis Trip, Procuratoris Fiscalis super hoc requisiti, vobis omnibus & singulis supradictis, & vestrum cuilibet in solidum, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, auctoritate nostra præsentium tenore districte præcipiendo committimus & mandamus, quatenus personas supradictas, quæ inter se (ut præmissum est) matrimonium clandestine contraxerunt, & quæ se tribus proclamationibus, tribus diebus festivis, & a se invicem distantibus, in earum Parochialibus Ecclesiis non præviis, ac sine licentia sui proprii Pastoris, extra suam Parochiam sive etiam Diœcesin Coloniensem, matrimonialiter copulari fecerunt, in vestris Ecclesiis & Capellis ac aliis locis publicis, ubi, quoties, & quando expediens fuerit, excommunicatos publice nuncietis, & ut tales evitetis, & ab aliis, quantum in vobis fuerit, nunciari & evitari faciatis, donec Deo & Ecclesiæ satisfecerint, ac absolutionis beneficium a dicta excommunicationis sententia a nobis meruerint obtinere: Inhibentes nihilominus vobis Christianitatum Decanis, Pastoribus ac Rectoribus Ecclesiarum & Capellarum, Plebanis, Vice-Plebanis, Capellanis, Presbyteris, & aliis supradictis, nec non quibuscunque utriusque sexus personis per Civitatem & Diœcesin Coloniensem prædictas ubilibet constitutis, sub dicta excommunicationis & quinquaginta florenorum aureorum, præfato Reverendissimo Domino nostro, si commissa fuerint, applicandorum pœnis, prout vobis & ipsis sic præsentium tenore inhibemus, vobis videlicet Christianitatum Decanis, Pastoribus, ac Rectoribus Ecclesiarum & Capellarum, Plebanis, & Vice Plebanis, Capellanis, Presbyteris, & aliis supradictis, ne tales personas, quæ inter se (ut præfertur) matrimonium clandestine contraxerunt, & tribus diebus festivis a se invicem distantibus, in earum matrice Ecclesia non præviis, ac sine licentia sui proprii Pastoris, extra suam Parochiam, sive Diœcesin Coloniensem taliter qualiter matrimonialiter copulari se fecerunt, pro conjugibus legitimis minime admittatis, teneatis & reputetis: quin imo ut excommunicatos publice evitetis, & vitari procuretis. Ipsis vero utriusque sexus personis supra dictis vestris Parochianis, ne de cætero aliunde & extra suam Parochiam, seu etiam Diœcesin Coloniensem, absque licentia sui proprii Pastoris & tribus modis & formis, prout præscribitur, minime præviis, matrimonium solennizent, seu matrimonialiter se copulari faciant, publice vel occulte, quovis quæsito etiam ad hoc colore, vel ingenio. Alio-

Alioqui contra ipſos contrarium facientes, & hujusmodi noſtro mandato non parentes, ad dictæ excommunicationis ſententiæ declamationem, ac pœnæ pecuniariæ exactionem, arctius, quo de jure potterimus, procedemus, & procedi faciemus, niſi ſaltem intra ſex dies poſt præſentium inſinuationem & publicationem ipſis factam proxime ſequentes, cauſas coram nobis rationabiles, quare præmiſſa fieri non debeant, & ad ea non teneantur, allegaverint, dicto Domino Joanne Trip, Procuratore Fiſcali ad hoc legitime vocato. Reddite literas ſigillatas & debite executas. Datum anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo ſeptimo, menſis Septembris die 28.

Conſtitutionem hanc in Synodo autumnali anni 1527. fuiſſe promulgatam, patet ex Decreto, *contra eos, qui quemvis & quamvis temere matrimonio copulant, aut alibi temere copulatos, apud ſe ferunt*, edito anno 1535. In quo aſſeritur, ſimilem de eodem argumento Conſtitutionem, anno 1527, in Septembri fuiſſe conſcriptam, & *in Sancta Synodo legitime* promulgatam. *Vide Statuta Colon. Editionis Quentelianæ anni* 1554. pag. 327.

SYNODUS COLONIENSIS,

In qua Reformatio Curiæ Colonienſis, præſcripta ab Hermanno V. Archi-Epiſcopo Colonienſi, ab ejusdem Officiali publicata fuit

Anno Chriſti MDXXVIII. Clementis VII. PP. V. Caroli V. Imp. X.

HERMANNUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, LEGATUSQUE NATUS &c.

QUanquam a recolendæ memoriæ retro Principibus, Prædeceſſoribus noſtris, Eccleſiæ noſtræ Colonienſis Archi-Epiſcopis, cum alia multa, tum ea, quæ ad judiciorum ordinem pertinent, ſumma cum providentia conſtituta ſint, eaque jurisdictioni noſtræ Eccleſiaſticæ exercendæ forma data, ut ſi hominum & temporum malitia ab ea paulatim diſceſſum non fuiſſet; judicia haberemus priſtino illo ſuo vigore decurrentia, nec tantas in dies querimonias aures noſtræ ſuſtinerent. Verum, quum, quod & aliis omnibus in rebus uſu venire videmus, ut ea quæ rectiſſime ſancita ſunt, partim abutentium nequitia depraventur, partim etiam malorum improbitate penitus aboleantur; Conſtitutionibus quoque Prædeceſſorum noſtrorum, quæ de exercendis judiciis emanarunt, evenerit, & quidem pernicioſiſſime: quid enim Reipublicæ damnoſius contingat, quam cum judiciorum rigor, & tribunalia, ubi juſtitia (qua ſine nulla hominum ſocietas conſiſtit) adminiſtranda eſt, vitium contrahunt, & a recto tramite aberrant? Idcirco, cum nihil æque Principis officio conveniat, ut juris juſtitiæque viam omnibus patentem faciat, his, quæ remorantur, obſtaculis procul amotis, operæ precium nobis viſum eſt, jurisdictioni noſtræ Eccleſiaſticæ corrigendæ animum adjicere. Adhibito itaque tam Venerabilis Capituli noſtri, quam Juriſperitorum conſilio, initio Statuta bonæ memoriæ THEODERICI & ROPERTI Archi-Epiſcoporum, Anteceſſorum noſtrorum ſuper hac re olim edita, innovavimus. Deinde cum novis morbis nova ſint apponenda remedia, permulta inſuper nova Statuta præſenti tempori ſervientia prioribus illis adjecimus, eaque in generali noſtra Synodo publicari mandavimus, omnibus & ſingulis Conſiſtorii noſtri ordinibus ſua munera præſcribentes.

De Officiali.

IMprimis & ante omnia Officialis huc ſpectet, & intendat, ut partibus expeditam & celerem juſtitiam faciat.

II. Officialis in omnibus audientiis uſque in finem per ſeipſum præſideat, & patienter audiat, & reſpondeat, niſi urgente neceſſitate avocetur.

III. Civitatem Colonienſem pro examinandis teſtibus, vel aliam ſimilem ob cauſam non exeat, niſi ex permiſſu noſtro, ne inde partes maximo diſpendio, & graviſſimis expenſis afficiantur.

IV. Advocatos diligenter & benigne audiat & reſpondeat: Inſtructiones juris cuſtodiat: dubia non neceſſaria omittat: Decreta certa, non conditionalia, ſed indubitata proferat, nec extranea & impertinentia faciat.

V. Reſponſiones partium & examina teſtium, a quibus fere ſemper tota cauſa dependet, ipſe audiat: aut impeditus, non paſſim omnibus, ſed probis tantum & circumſpectis committat.

VI. Cauſas in prima inſtantia deleget, ut ad minimum duæ inſtantiæ in Conſiſtorio noſtro peragantur.

VII. A Procuratoribus referentibus ad jura nihil recipiet, niſi ab eo, qui per interloquutoriam ſuam, injuſte ad jura retuliſſe convincitur.

VIII. In excommunicando & abſolvendo parem ſervet gravitatem. Volumus enim excommunicationem, nonniſi magna cum maturitate ſolis inobedientibus infligi: inflictam vero, non facile & ex abrupto tolli, ne authoritas ejus vileſcat, & pars altera diſpendio afficiatur, quemadmodum etiam habet Statutum Prædeceſſoris noſtri Domini Theoderici.

IX. Id quod & in interdicto ponendo ſervari præcipimus, & tanto magis, quanto eſt cenſura durior, & latius ſe porrigit, quemadmodum etiam in Statutis Domini Theoderici perſpectum eſt.

X. Et quo id maturius fiat, Officialis noſter Notariis communibus & Bancalibus noſtris magno ſerio præcipiet, injunget, & mandabit: ne aliquod mandatum excommunicationis, ſeu declarationis contra quempiam ſcribant, niſi prioribus mandatis in perſonam contumacis legitime exequutis, aut conſtito, quod talia mandata in notitiam indubitatam ejus pervenerint, quovis modo dent, ſive tradant. Quod ſi eos ſecus feciſſe, aut excommunicationis ſeu declarationis litteras nulliter extractas ob indebitam executionem, aut alias ipſorum vitio comperiatur, ſtatim Officialis noſter eos compellat, eorum expenſis nulliter excommunicato abſolutionem impetrare, cum omnium expenſarum & damnorum paſſorum refectione, abſque procraſtinatione, & citra aliquod appellationis remedium, facienda, & præterea ipſo facto, quoties in hoc ſtatutum noſtrum commiſerint, incident in mulctam unius floreni aurei per noſtrum Fiſcalem exigendam.

XI. Et ne ſubditi noſtri inopinato excommunicationi innodentur, & præcipitetur cenſura, quam convenit, (eo quod medicinalis eſt) ſumma cum maturitate infligi: volumus per Notarios & Bancales mandata immediate excommunicationem præcedentia, quæ hactenus ad quintam, poſthac ad octavam diem: ubi vero per quatuor citationes proceditur, quartam & ultimam, quæ hactenus ad primam, deinceps ad tertiam diem conſcribi. Per quod ſubditis noſtris & bonis, præcipitationis duritiem & moleſtiam; & malis, frivolæ excuſationis materiam amputamus.

XII. Officialis impeditus, quominus præſideat, Sigillifero noſtro vices ſuas committat. Quod ſi hic forte etiam impeditus ſit, (*) alium ex Advocatis, ſtatus, honeſtatis, & habitus Clericalis.

XIII. Officialis noſter citra diligentem cauſæ examinationem & cognitionem nullas inhibitionis literas contra Judices ſæculares ad liberandum reos in vincula conjectos, & in criminibus notoriis comprehenſos : Nec pro tuitione rerum ſeu bonorum illorum hominum, qui conſcientia malæ cauſæ ex Diœceſi noſtra ſe reddunt fugitivos, decernet.

De Sigillifero.

I. Ipſe & Officialis circa jurisdictionem noſtram diligentes ſint, unus alteri aſſiſtat, ac ſimul jurisdictionem noſtram contra violatores tueantur, & defendant, ſeu ad nos referant, quemadmodum habent Statuta a Prædeceſſoribus noſtris edita.

II. Per ſe, aut Subſigilliferum ſuum acta circa obſervationem terminorum, &

(*) *Supple*: ſubſtituat.

& alia diligenter revideat, an videlicet nullitates aliquæ admissæ sint: & an debite scripta sint per Notarios, & rubricata, & contineant tot versus, seu rigas, dictiones, & syllabas, quot requirunt Statuta. Et Notarios in conscriptione actorum delinquentes, pro suo arbitratu, & modo delicti corrigat.

III. Et generaliter cum consilio Officialis, excessus, negligentias, aliaque correctione digna Procuratorum, Notariorum, Bancalium, Latorum litterarum, & audientiarii emendet.

IV. Et præsertim intendat animum, ut Bancales sua officia sedulo & probe exerceant, partes inutilibus expensis non gravent, sed Statutis obtemperent. In delinquentes vero & excedentes animadvertat, ut sint aliis in exemplum, privatione scilicet officiorum, aut saltem temporaria suspensione.

V. Ut notoria Presbyterorum crimina, sive excessus, quæ in scandalum vergunt laicorum, non sinat redimi pecunia, sed perpetua aut temporali suspensione, aut alia pœna Canonica pro modo culpæ corrigat.

De Advocato Fisci.

Advocatus Fisci statutum Domini Theoderici servet, copiam sui Procuratoribus Fisci faciat: ut causæ fiscales debite instituantur & peragantur, diligenter animadvertat. In conficiendis materiis exhibendis non tardum, sed celerem se præbeat.

De Fiscalibus.

Fiscales statuta Domini Theoderici, aliorumque nostrorum Prædecessorum observent. Processum in contradictorio judicio nonnisi de consilio Advocati Fisci incipiant, quo etiam frequenter utantur, ne ex incuria processus, nullitatis argui contingat.

De cæteris Advocatis.

I. Clientes non instruant ad tegendam vel occultandam veritatem.

II. Quod si aliqua per incuriam vel ignorantiam, vel alias non admittenda temere subscripserint, aut eorum vitio pars propter commissam nullitatem in institutione actionis succumbat, teneant parti læsæ ad refusionem expensarum, & refectionem damni, & servent statutum Roperti ultimum.

III. Causas commissas post præsentationem actorum intra duos menses sub pœna restitutionis sportularum expediant, nisi gravitas causæ, Officiali significanda, aliud desideret.

IV. Advocati & Procuratores pauperibus, paupertatem juramento affirmantibus, gratis inserviant: quod si plures pauperum causæ occurrant, eas Officialis inter Advocatos & Procuratores distribuat, ne unus plus aliis gravetur. Volumus etiam, quod quibuslibet litigantibus, justas tamen causas habentibus, contra quoslibet, cujuscunque etiam status & dignitatis sint, requisiti fideliter inservire teneantur.

De Procuratoribus.

I. Quod se non intromittant de his, quæ pertinent ad Advocatos, conficiendo libellos, articulos, & alias materias, judicialiter exhibendas.

II. Nullam materiam exhibeant, quam quæ manu jurati Advocati subscripta sit, nisi Advocatus causam legitimam, quare se subscribere nolit, alleget, & juramento suo approbet: quo casu materias exhibendas, subscriptione sua signet Officiali mittendas.

III. Quod si aliquam nullitatem, aut negligentiam per incuriam aut imperitiam commiserint, de expensis & damnis, ea occasione passis, absque appellatione & ulla contradictione ad dictamen Officialis & Sigilliferi parti læsæ satisfaciant: id si facere recusent, protinus suspendantur.

IV. Et sibi videant, ne aliquam causam occupent, aut in judicio compareant, nisi mandatum sufficiens ab omnibus, quorum nomine comparent, habeant sub pœna suspensionis ab officio. Præterea si ex defectu mandati, processum in dubium revocari contingat: ipsi, non partes, dispendium ferant.

V. Alium loco sui, absque permissu Domini Officialis, substituere non debent: nam per substitutiones istas sæpius repetitas, partes non modo gravantur, immo sæpius negliguntur, & processus nullitatis insimulantur.

VI.

VI. Ne partes nimium, ut hactenus, graventur, Procuratores in caufis, ubi conícribuntur acta, pro eorum falario, pro obfervatione terminorum, exhibitione inftrumentorum, conftitutionum, libellorum, aliarumque materiarum & jurium habebunt tantum, quantum fecundum numerum foliorum Notarius: fed pro foliis, quibus libelli, materiæ, jura, inftrumenta, conftitutiones, aliaque exhibita, vel atteftationes teftium, infcripta, & per eos diligenter revifa funt, recipient unum album. Ubi vero acta extenfe non fcribuntur, fed dumtaxat per modum protocolli, pro quolibet terminorum recipient unum album.

VII. Diligenter fervari volumus ftatuta Roperti quintum & quartum a fine, nec non penultimum, & ultimum fub pœnis in eisdem expreffis: in quibus remittendis, prohibitam noftris Officiali & Sigillifero omnem conniventiam volumus.

VIII. Procacem & maledicum Advocatum, & Procuratorem, Officialis non ferat. Quod fi vel ille fcribendo, vel hic exhibendo, & proponendo, ultra, quam litium expofcit utilitas, in licentiam conviciandi, & maledicendi temeritatem proruperint, præter infamiæ notam a confiftorio amoveantur.

IX. Nullum contractum cum clientibus, lite pendente, ineant, fed fuis falariis contenti fint.

X. Jurabunt, quod pecunias, quas a partibus recipient, juxta voluntatem partium diftribuent, & partibus inde calculum verum & legalem reddent.

XI. Juramentum calumniæ non ita, ut hactenus maxima cum levitate, fed folenniter omnibus Capitulis illius recenfitis, & reverenter tactis facris præftabunt. Nolumus tamen, ut propterea fiat latior in actis extenfio, quam hactenus.

De Notariis.

I. Notarii in omnibus audientiis perfonaliter præfentes erunt. Quod fi ex inevitabili & urgenti caufa impediti funt, ex permiffu Officialis alium Notarium juratum Confiftorii noftri, non extraneum, fubftituent juxta Statutum XLIII. & finale Domini Theodorici, quod fervabunt nedum Notarii, fed & alii officiarii fub pœna inibi expreffa.

II. Nullos actus eis abfentibus factos, vel alia, ab eis non audita perfonaliter, fubfcribant: & fi unus Notariorum juratorum pro alio fcripferit, aut protocollaverit, ille idem fubfcribat.

III. Notarii de quolibet folio regiftri in utroque latere fcripto, quorum unum quodque latus continebit triginta duas lineas, & una quæque linea ad minimum quindecim fyllabas, habebunt quatuor folidos monetæ Colonienfis currentis: nec exigent quicquam ultra, falvo beneficio pauperis, cui fervient gratis, quemadmodum in Advocato & Procuratore fupra fcriptum eft.

IV. Interpellati & fubarrhati pro completione actorum, non differant acta confcribere, fed intra triduum decem folia perficere, & ita confequenter fecundum numerum foliorum afcendendo, mandata quam primum abfolvere teneantur. Quod fi negligentes fuerint, Officialis & Sigillifer caufam ex eorum manibus eripient, ac aliis acta fcribenda committent.

V. Et quum plurimum noftra intereft, ut in caufis jurisdictionis legationis Apoftolicæ cita partibus fiat expeditio; Notario ejusdem injungimus, ut celeriter confcribenda confcribat, & præfertim primum mandatum a requifitione partis uno die. Et fimiliter alias litteras & mandata ocyus abfolvat, fub pœna fufpenfionis, & decem florenorum aureorum.

VI. Acta vero, feu regiftra debite confcribant per fe aut alios idoneos & intelligentes; non autem per illiteratos & pueros, ficut quandoque factum eft, fub pœna lacerationis actorum, damno ipforum juxta ftatuta Domini Theoderici.

VII. A fuperflua & nimia extenfione, ac multiplicatione verborum, quæ ad nihilum valent, nifi ut regiftra reddantur ingentia, abftineant: & in principio tantum cujuslibet menfis, ponant expreffe annum Domini, deinceps per totum menfem, illum omittendo: volumusque, ut breviter comparitionem

hinc

hinc inde, Procuratorum nominibus & cognominibus dumtaxat expreſſis, absque inani & vana titulorum ipſorum & partium ſuarum, aliarumque deſignationum non neceſſariarum repetitione, extendant.

VIII. Privilegia, inſtrumenta, commiſſiones Apoſtolicas, reſcripta, libellos, appellationes, querelas, aliasque materias, & quæcumque jura ſemel duntaxat actis inſerant: deinde ubi reexhibentur, reexhibitionis actum tantum ſcribant, ſubnotando principium & finem, cum remiſſione ad locum regiſtri, ubi præſcripta reperiuntur.

IX. In extenſione atteſtationum, ſolum neceſſaria, & non inutilia, extranea, vel impertinentia, ponere debebunt: ut puta, ſi teſtis dicit, ſe neſcire, breviter annotet. Et ſi plura ſint interrogatoria, aut articuli conjuncti, ſuper quibus teſtis idem deponit, aut ſe neſcire dicit, non repetentur ſinguli articuli, ſeu interrogatoria ſeparatim; ſed ſcribant, teſtem ſuper illo, ac aliis articulis ſubſequentibus, hoc, vel illud depoſuiſſe, vel ſeſe expedire non potuiſſe juxta modum & qualitatem depoſitionis.

X. In cauſis minimis non ſcribentur acta extenſa, ſed tantum per modum protocolli, juxta ſtatutum Domini Roperti, incipiens: In minimis tamen &c.

XI. Debebunt, & tenebuntur pro eodem ſalario rubricare acta, & regiſtra diligenter revidere, ut concordent cum actis & protocollo.

XII. Statuta Dominorum Theoderici & Roperti exacte ſervabunt, & ſervanda jurent, & præſertim ſtatutum Domini Roperti decimum ſeptimum, incipiens: Item, Notarii nulli &c. quod eſt de non ſcribendo, ſeu concedendo aliquod mandatum citationis, aut monitionis, niſi partibus principalibus petentibus, ſeu conſtito ſaltem de mandato procurationis impetrantis, aut prævia cautione, quod principalis ratificabit, ita quod ipſe in primo termino in contradictorio judicio ſervando, de mandato fidem faciat, ſub pœna inſerta, Fiſco noſtro committenda.

XIII. Notarii in prima citatione, vel monitorio emittendo, deſignabunt ſpecifice rem, vel cauſam, ſuper, vel ex qua actor intendit agere.

XIV. Notarii nullum mandatum reſpondendi ſubſcribant, niſi prævia reali ac judiciali exhibitione libelli, ſive petitionis: & juxta tenorem hujusmodi libelli, aut petitionis, mandatum ipſum extendant: videlicet, ut monitus libello articulato, aut petitioni ſummarie reſpondeat: neque etiam mandata aliqua per Procuratores, vel Notarios, Bancales, aut cauſarum ſollicitatores conſcripta, ſubſcribant, ſub pœna decem florenorum aureorum toties, quoties præmiſſis contraventum fuerit.

XV. Pignora & depoſita, in numerata pecunia, & clenodiis reponibilibus reſiſtentia, intra octo dies debebunt ad ciſtam in armario Eccleſiæ Colon. exiſtentem, per Notarios reponi, ſub pœna decem florenorum aureorum toties, quoties id factum non fuerit: & amodo non habebunt aliquod ſalarium ratione pignorum aut depoſitorum.

XVI. Tenebuntur Notarii & Bancales, tam expenſas mandatorum & actorum, quam principalem ſortem, ſuper qua actum eſt, receptas in continenti partibus petentibus integre tradere, niſi legitima cauſa ſubſiſtente impediantur, quam eisdem exponent, ſub pœna decem florenorum aureorum toties, quoties &c.

XVII. Non habebunt copiiſtas (quos vocant) cauſarum, quarum ipſi Notarii ſunt, ſollicitatores: quibus etiam niſi juratis, atteſtationes & teſtium dicta conſcribenda non committant.

XVIII. Diligenter examinabunt mandatorum executiones, an videlicet debite executa ſint, nec ne. Et ſi compererint, jam tres menſes a die executionis lapſos, ulteriora non ſcribant, ſed ultimum mandatum renovabunt per transfixum, idque etiam ſervabunt Bancales.

XIX. Eodem modo excommunicationum, cæterarumque declarationum mandata poſt trimeſtre, a die Decreti elapſum, exequi nolumus. Quod ſi contrarium factum fuerit, impetrans, qui tantam moram exequendi commiſit, excommunicato ſuis ſumptibus, modo tamen ei ſors principalis & expenſæ perſolvantur, abſolutionem obtinebit. Non tenebitur tamen ea de cauſa ex-

communicato actione injuriarum, nisi alia causa subsit.

De Audientiario.

I. Audientiarius noster accurate annotabit & registrabit omnes citationes, tam vigore mandatorum per Bancales nostros scriptorum, quam per apparitorem, seu cursorem nostrum factas; quo sciatur, quis contumax reputandus sit, & quando: & quis a citatione (ut vocant) licentiandus sit.

II. Et quoniam sæpe numero contingit, partem citatam in termino comparere, & partem adversam contentam reddere non posse; aut, cedere velit ne, an contendere, & juri stare, apud sese nondum deliberasse; in ea ergo re ita ei consulitur, ut in termino citationis ab Audientiario nostro petat, seu per quemlibet peti faciat dilationem. Dabit autem Audientiarius petenti parti, si intra Coloniam moratur, dilationem ad primam aut secundam: si vero extra Coloniam degat, in Quadragesima & in Adventu Domini, ad octo: si vero extra ea tempora fuerit, ad quindecim dies: lapso vero termino præfixo, habebit utraque pars respicere & curare, ut sua comparitio iterum annotetur: actor quidem, sive impetrans, accusando contumaciam citati, non comparentis: reus vero, sive opponens, petendo a citatione & mandatis absolvi, seu licentiari.

III. Reputabit autem Audientiarius citatum in termino non comparentem, contumacem: & admittet processum contumacialem. Quod si in primo termino comparuisset, dilationemque petiisset, verum se in præfixo non repræsentet, signabit processum (ut vocant) per recessum, & procedetur in contumaciam, donec reus eandem purgare curaverit. Si vero impetrans in termino primo, aut prorogato non comparuerit, Audientiarius citato licentiatorium impertietur. Citato autem in primo, & in prorogato termino comparente, Audientiarius actorem remittet ad tribunal Officialis nostri, ad proponendum suam actionem, & nequaquam processum contumacialem admittet. In matrimonialibus causis, injuriarum, deflorationis, in citationibus cum litteris inhibitionis, arresti, & cum litteris universis, atque in causis ad proponendum actionem juxta L. diffamari C. de ingenuis, non procedetur in contumaciam. Nihilominus tenetur impetrans facere registrari per Audientiarium: alias citatus potest impetrare licentiatorium ab Audientiario.

IV. Quod si Audientiarius per incuriam admittat processum contumacialem, qui ob citati comparitionem admittendus non erit, aut licentiatorium in sua audientia cautum signare neglexerit; tenebitur parti ex hoc læsæ ad refectionem expensarum, & damnorum.

De Bancalibus.

I. Sint honestæ vitæ, non ebriosi, tabernarii, aleatores, neque fornicarii, non histriones, mimi, aut immorigeri, Superioribus suis debitam reverentiam exhibentes, partes & omnes se accedentes, humaniter absque jurgiis audientes, & expedientes, sub pœna suspensionis, aut etiam privationis officiorum suorum ad arbitrium Sigilliferi nostri.

II. Et quoniam iniquum est, quem falcem mittere in messem alienam, nostraque multum intersit, ut ordines officiorum Aulæ nostræ non confundantur, nec quisquam officio & rei ad se non pertinenti, ingerat sese; nemo citra Notarios nostros Bancales juratos, & per Sigilliferum nostrum receptos, & (ut vocant) installatos, de officio Bancalium, eorundemque emolumentis, quovis modo se intromittat, contravenienti decem florenorum aureorum pœna infligenda, & nostro Fisco applicanda.

III. Nemo Bancalium, processum per alium Bancalem inchoatum occupabit, prosequetur, seu continuabit, aut absolutionem super alterius Notarii, seu Bancalis habito processu scribat: nec unus Bancalium sollicitationem causarum alicujus partis, quam hactenus alter exercuit, acceptabit; nisi huic priori Bancali antea per partem principalem de salario & expensis satisfactum sit: nisi aliud Sigillifero nostro faciendum placuerit, sub pœna suspensionis, donec statuto satisfiat.

IV. Ne expensæ de expensis fiant, non audietur contumax, nisi contumaciam integre purgaverit, videlicet per cita-

citationem cum litteris, conſtitutionem Procuratorum, & omnium expenſarum refuſionem: alias proceſſus ad Bancalem, deinceps continuandus, remittatur.

V. Bancales mandata ſua ſcribant debite, legibiliter, & congrue. Nec amodo ſcribant mandata ſuper objiciendis in genere, ſed cum expreſſione rei, vel cauſæ inſerta, ſub pœna lacerationis mandatorum.

VI. Principale debitum a reis exactum, aut expenſas mandatorum per partes expoſitas, non recipiant ad ſe ſine conſenſu partis ſuæ: & ſi quid de conſenſu partium in depoſitum receperint, illud partibus intra octo dies notificabunt, & partibus ipſis tradent integre ad quamcunque requiſitionem, ſub pœna ſuſpenſionis, & decem florenorum aureorum toties, &c.

VII. Nullas expenſas a partibus recipient, niſi deliberatis mandatis ipſis, pro quibus illas recipient, ſub pœna ſuſpenſionis &c.

VIII. Quamdiu principale debitum non eſt ſolutum, aut partes concordatæ non ſunt, Bancales non procedant ſub expenſis litterarum, ſeu mandatorum, ne expenſas de expenſis faciant, ſub condemnatione expenſarum, & ſuſpenſione, per Sigilliferum noſtrum infligenda.

IX. Recognita non recipiant alibi, quam in Aula; Officiali noſtro pro tribunali ſedente. Quod ſi alibi recognitiones receperint, neceſſe habebunt adhibere duos idoneos legales, & notos teſtes; ut ſi talem recognitionem in dubium revocari contingat, veritas erui poſſit.

X. Nolumus deinceps mandata aggravatoria, & contra Judices, quæ ſequuntur excommunicationem, per Bancales noſtros, niſi ſervatis certorum dierum intervallis, extrahi: ita videlicet, ut intra ſingulorum talium mandatorum extractionem medient dies decem & quatuor.

XI. Nolumus etiam Procuratores, Notarios, ac Bancales, ſalarium ſuum a parte adverſa extorquere; ſed id a ſuis partibus aut recipiant, aut exigant. Eodem quoque tempore, quo pars condemnata ſolvit ſortem, ſolvet expenſas: & quum componitur ſuper ſorte, debet etiam ſuper expenſis (quas tum taxari mandamus) componi, ut principalis cauſa, & expenſarum, ſimul tranſigantur.

XII. Huic rei præponetur quiſpiam fidelis & legalis, qui ut ita fiat, curabit, & reſpectum habebit pauperum, ſeque medium inter partes interponet, ac dilationem ſolvendi, ubi exigit paupertas, obtinere conabitur.

De Curſore, ſive Apparitore.

I. Imprimis jurabit Nobis, ac noſtris Officiali & Sigillifero pro tempore exiſtentibus, & ipſorum Succeſſoribus, fidelitatem & obedientiam.

II. Curſor habebit claves Conſiſtorii & Aulæ noſtræ, & ſemper hora audientiæ cauſarum erit in Aula Conſiſtorii noſtri primus & ultimus: januas ejusdem Conſiſtorii claudere & recludere debebit.

III. Omnes paſſim citationes, videlicet primam ad cauſam cum litteris, præterea contra teſtes, citationes quare, pro contumacia, & ſimiles, in noſtra Civitate Colonienſi, & locis extra eandem, ad unum dumtaxat milliare diſtantibus, idem per ſe, aut ſuum ſubſtitutum habilem & idoneum, rite & legitime faciet.

IV. De qualibet citatione prima ad cauſam, in dicta Civitate noſtra facienda, recipiet quatuor hallenſes. Item de citatione cum litteris, contra teſtes, & citatione quare, pro contumacia, unum ſolidum Colonienſis monetæ, niſi eadem contra communitatem aliquam, Conventum, Capitulum, Fraternitatem, ſive Prælatum, utpote Commendatorem, Balivum, Præceptorem &c. aut Executores, Curatores, ſive pupillorum & miſerabilium perſonarum tutores, aut proviſores, aut hujusmodi ſtatus ſive conditionis homines fecerit; de quarum qualibet in civitate quidem noſtra habebit duos ſolidos monetæ Colonienſis, extra vero eandam facienda ad unius milliaris ab ipſa civitate diſtantiam, ſimiliter duos ſolidos recipiet.

V. Volumus, quod quilibet Novitius, in dicta Curia noſtra ad aliquod officiorum aſſumptus, poſtquam fideli-

tatis juramentum more consueto præstitit, pro introitu apparitori Curiæ nostræ duos florenos aureos intra quindenam ingressus solvet, aut sese super eo jure cum Apparitore componet. Vicissim autem cursor singulis diebus vespere post octavam horam pomeridianam, candelam ardentem ante imaginem gloriosæ Virginis Mariæ ante Aulam nostram constitutam, collocabit & ponet.

VI. Omnia passim arresta & quaslibet inhibitiones, de scitu tamen & expresso consensu nostri Officialis passim in civitate nostra facere potest, & debet: & de quolibet arresto octo solidos, & qualibet inhibitione duodecim solidos: sed extra eandem civitatem intra unius milliaris spatium, decem & sex recipiet solidos consimiles monetæ Coloniensis; vicissim vero congeriem prunarum in loco Sigilliferi nostri ad necessitatem ejusdem & causa liquefaciendæ ceræ per tempus brumale disponet.

VII. Præterea causis & examini partium, quæ sese super matrimonio contracto, coram Officiali, seu ejus delegato impetunt, aut impetere volunt, intererit: & pro jure suo tantum solidum cum dimidio recipiet.

VIII. In habitu decenti, pro dicti nostri Consistorii honore, incedere debebit.

De Tabellariis, seu Latoribus litterarum.

I. Sint quatuor numero litterarum latores jurati, qui jurent secundum formam antiquam, aut aliam eis præfigendam.

II. Fideliter & absque mora deferant & præsentent litteras exequendas, & executas reportent.

III. Exhibeant sese morigeros, non autem insolentes, nec quicquam recipiant, quo minus mandata exequenda præsentent: quod si favore, aut pecunia corrupti, mandata penes se retinuerint, aut non executa reportaverint absque causa legitima; officio privabuntur, & punientur pœna X. florenorum aureorum toties &c.

IV. Deferent arma Domini Reverendissimi, non solum in Diœcesi, verum etiam in civitate nostra Coloniensi, ac observabunt profectiones, seu reisas suas (ut vocant) vicissim.

V. Deputabitur etiam aliquis nobis juratus, legalis, & fidelis in magistrum nunciorum seu latorum, qui, & nullus alter, omnia mandata emittenda & exequenda a nostris Fiscalibus & Bancalibus recipiet, & latoribus deferenda tradet: exibuntque latores cum mandatis, die eisdem per dictum magistrum nunciorum, de consensu Subsigilliferi præfigendo, & revertentur in termino similiter eisdem juxta distantiam locorum & reisæ assignando, sub pœna unius floreni aurei.

VI. Magister autem nunciorum, per latores mittendos, Fiscales & Bancales faciet certiores diei, cum ipsi latores cum mandatis egrediuntur.

VII. Idem dabit latoribus litterarum una cum mandatis chartam quamdam papyream, in capite cujus hæc vel eis similia verba, ad mandatorum executores (qui erunt ex hac ordinatione nostra nova, Pastores ipsi, aut eorum Vice Curati, & nulli alii) scribet: Honorabiles Domini, Divinorum Rectores, & mandatorum Executores, exhortor vos, ut in hanc chartam diem adventus præsentium literarum latoris ad vos, & quot numero mandata exequenda vobis præsentaverit, & quot ex eisdem executi sitis, nec ne, rescribatis. Executor autem rescribet hac forma: Tali die N. tot N. mandata mihi N. Divinorum Rectori N. exequenda præsentavit, quorum tot N. sum executus. Causam vero non executorum mandatorum in marginibus mandatorum scripto significabit.

Generale

In Consistorio nostro suspendetur tabula scripta, continens salarium Procuratorum, Notariorum, Audientiarii, Bancalium, litterarum latorum pro uno quoque mandato: & quilibet eorum jurabit, contenta illius servare velle: nec ultra illam taxationem exigere vel recipere sub pœna privationis officiorum suorum, præsumant.

De

De Processu.

I. Servetur in omnibus & per omnia tabula in Consistorio pendens, & Statuta Domini Roperti.

II. Cum hactenus variatum sit in processu contra Judices, & circa invocationem brachii sæcularis, unde plures subortæ sunt dissensionum materiæ, quos amputare volentes post Statuta Domini Theoderici, ea de re edita, sancimus, quod ubi aliqua mandata contra Judices emittuntur, eadem lator noster juratus, Pastori Parochiæ, in qua excommunicatus moratur, tradet, & statim Pastor eadem perferet ad Præfectum, seu Judicem temporalem ibidem, eidemque mentem & sententiam eorundem exponet, ut sciat, an reus ob meram contumaciam, an vero ob non paritionem rei judicatæ, vel non solutionem recogniti, vel confessati, excommunicatus sit. Et si ob meram contumaciam, Præfectus, seu Judex temporalis, non expectata citatione Quare, designabit Pastori diem certam, quæ erit intra octo dies post terminum executionis, qua apprehensurus & repositurus erit contumacem in vincula, & bona ejus positurus in arresto, donec excommunicatus idonee caveat, quod contumaciam in forma juris purgabit. Hoc responso accepto, scribet Pastor veram & debitam executionem in modum infra scriptum: Executum est præsens mandatum per me N. Rectorem Parochialis Ecclesiæ N. anno, ut in mandato, die N. contra N. Judices, per traditionem copiæ ad manus eorum, qui intellecto tenore mandati, responderunt se die N. incarceraturos reum, & bona ejus arrestaturos: quod protestor &c. Præsentibus &c.

III. Quod si ob non paritionem rei judicatæ, aut non solutionem recogniti seu confessati, quis excommunicatus fuerit; Præfectus, seu Judex temporalis, post receptum & intellectum mandatum, contra Judices, designabit Pastori diem, quo pignora erit daturus, & scribet Pastor executionem sub hac forma: Executum est hoc mandatum die N. per me N. Rectorem Ecclesiæ Parochialis N. contra N. Judices, qui intellecto tenore mandati, responderunt, se die N. actori ad ejus requisitionem in loco judicii, sub quo reus habet domicilium, se tradituros pignora: quod protestor &c.

IV. Comparebit pars impetrans utroque casu diebus designatis, per se, aut Procuratorem, aut cursorem juratum cum taxatione expensarum totius habiti processus, sigillo Curiæ nostræ signata, quam Judicibus præsentabit. Et priori casu, ubi reus ob contumaciam excommunicatus est, dabit incarcerato dari solita alimenta. Præfecto vero, & nuncio judicii sui, jura infra scripta, hactenus dari consueta: & incarcerabitur reus, & arrestabuntur bona ejus, tam pro sorte, & pro taxatis prædictis, quam expensis viatici, quas singulis diebus ad unam marcam Coloniensem computari volumus: nec non pro expensis ibidem in judicio fieri necessariis. Posteriori vero casu, ubi ob rem liquidam excommunicatus est reus, dabunt Judices tam pro sorte, quam expensis præscriptis (quemadmodum dictum jam est) computandis, parti impetranti idonea & sufficientia pignora, in modum infra scriptum, videlicet, ut primum dent res mobiles, quæ sine expensis & sumptibus non conservantur: ut puta, vina, equos, boves, aliave pecora, & res similes. Quod si illæ præsto non sint, dent ex supellectili & utensilibus. Quod si desit supellex, dent immobilia bona. Quod si neque immobilia bona habeat excommunicatus, conjicietur reus in vincula, donec bonis suis cedat in forma juris, salvis Domini Theoderici Statutis.

V. Datis pignoribus, procedetur hoc modo: nam si res mobiles sumptuosæ datæ sunt pignori, reservabunt usque in diem tertium: interim licebit excommunicato luere pignus, & solvere sortem, & expensas creditori, seu impetranti. Quod si id intra triduum non fecerit; taxabuntur pignora a juratis, & vendentur; fietque creditori ex pretio redacto solutio sortis & expensarum, nisi valor pignorum sorti & expensis æquetur, quo casu dent pignora in solutum. Quod si meliora sint pignora, creditor illis receptis, pretium, in quo sortem & expensas excedunt, excommunicato restituet.

VI. Quod si in pignus data sit supellex, utensilia, & aliæ res mobiles, quæ

quæ non expoſtulant ſumptus, ut ſunt ciſtæ, lecti, lectiſternia, veſtes, currus, aratra, carrucæ &c. reſervabunt res tales diebus decem & quatuor. Interim poteſtas erit excommunicato, easdem luendi. Quod niſi factum fuerit, taxentur: & proclamatæ exponantur vendendæ, ut ex pretio creditori ſatisfiat: aut ſi emptorem non invenerint, dentur in ſolutum, quemadmodum de prioribus mobilibus bonis dictum eſt.

VII. Verum ſi nullæ res mobiles præſto ſint, dabuntur bona immobilia, videlicet domus, vineæ, horti, agri, & ſylvæ &c. hoc pacto, ut primum per juratos æſtimentur, deinde vero tribus diebus Dominicis continuis proclamatio fiat in Eccleſia ad reſciſcendum, an quispiam ex conſanguineis, & attinentibus excommunicato, ſeu alius ſit, qui eadem majoris emere velit. Quod ſi nemo venerit, tradentur creditori, ſeu impetranti, qui eis anno & die, hoc eſt, anno toto & ſex ſeptimanis utetur, & fruetur. Interea integrum erit excommunicato, ſeu ejus proximis, & conſanguineis, eadem bona redimere, ſoluta ſorte & expenſis: nemine vero hujusmodi res luente inter annum & diem, faciet creditor ſe ſe ad easdem res per Judicem ſecundum conſuetudinem judicii & loci immitti, & easdem pro debito ſibi adjudicari.

VIII. Cæterum ſi excommunicatus repoſitus ſit in vincula, qui neque mobilia, neque immobilia bona habeat; detinebitur in carceribus, quamdiu creditor, ſeu impetrans ſolverit ſingulis diebus pro alimentis incarcerati quatuor hallenſes, & nuncio, ſeu commentarienſi etiam quatuor hallenſes pro jure carceris. Quod ſi creditor, ſeu impetrans, octo diebus id facere neglexerit, nuncius impune incarceratum dimittet: & erit mandatis Officialis noſtri pro illa vice ſatisfactum.

IX. Ex eo vero tempore, quo excommunicatus apprehenſus & receptus eſt in carcerem, continue erit in vinculis: nec dabitur ei copia quoquam exeundi, donec mandatis realiter paruerit.

X. Ut autem fraudi, quæ circa taxationem bonorum quandoque adhibetur, occurramus, volumus res per taxatorem juſte, atque ita æſtimari, ut ſi non inveniant emptorem, qui tanti eas comparare in animum inducat, actor quoque easdem multo minoris faciat, & tanti accipere recuſet; ipſe taxator easdem pretio æſtimato recipere compellatur.

XI. Quod ſi Judices ſive Præco, præſcripta noſtra ſtatuta prævaricati fuerint, contra eos juxta formam juris, quibuscunque non obſtantibus procedatur.

Et hic finem accipiat Reformatio noſtra nova, qua ſingulis Conſiſtorii noſtri Eccleſiaſtici ordinibus, formam & regulam exercendorum officiorum, & ſervandi proceſſus præſcripſimus, ea quoque (ut putamus) omnia, quæ emendationem exigebant, caſtigavimus. Quod ſi poſthac alia irrepant, quæ neceſſe ſit corrigere, novis morbis nova remedia dabimus, & ut tempus, aliaque poſtulabunt, providebimus. Et quoniam parum, immo nihil refert, bonas leges eſſe conditas, niſi eædem ad amuſſim ſerventur, volumus ergo has noſtras Conſtitutiones per Officialem noſtrum in Sancta *Synodo* proxima publicari, & deinceps ab omnibus Nobis ſubjectis, ipſius quidem Officialis & Sigilliferi cura & diligentiſſima providentia, obſervari: quod procul dubio probi omnes ſua ſponte, maxima animi promptitudine & conſenſu facient, improbiores vero pœnis debitis adigentur. In fidem & teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum, ſigillum noſtrum appendi curavimus. Datum in Arce noſtra Arnsbergenſi, anno a Nato Chriſto Salvatore noſtro ſupra milleſimum quingenteſimum viceſimo octavo, die Mercurii poſt Mathæi Apoſtoli.

PUBLICATIO REFORMATIONIS Præſcriptæ, facta Anno Domini 1528. in SANCTA SYNODO altera poſt Remigii.

Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps, & Dominus noſter, Dominus HERMANNUS, Archi-Epiſcopus Colonienſis, Princeps Elector &c. Commodis & utilitati ſubditorum ſuorum diligenter invigilans, inter alia multa, quæ ad reipublicæ profectum & quietem ſpectare videbantur, ſumma cura uni rei optimæ & quidem ſaluberrimæ, nempe reforman-

dæ

dæ jurisdictioni Ecclesiasticæ (quæ ob abutentium malitiam passim male audiit) animum intendit, tandemque reformationem absolutam, sigilloque gratiæ suæ Reverendissimæ munitam, Nobis Officiali, in hac *Sancta Synodo* publicandam destinavit, ita ut eandem, quam primum fieri possit, excusam, omnibus, qui ejus copiam habere desiderarint, communem faciamus.

Statuta Synodalia Coloniensia editionis Quentelianæ.

De Conventu Augustano anni 1530, & de iis, quæ ibidem in causa Religionis gesta sunt, agemus in Digressione.

SYNODUS OSNABRUGENSIS

Anno Christi MDXXXIII. Clementis VII. PP. X. Caroli V. Imp. XIV.

FRANCISCI Episcopi Osnabrugensis Statuta Synodalia.

FRANCISCUS, (*) DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA MONASTERIENSIS ET OSNABRUGENSIS EPISCOPUS, AC MINDENSIS ECCLESIARUM ADMINISTRATOR, UNIVERSIS ET SINGULIS DOMINIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS ET ARCHI-DIACONIS, CAPITULIS ET CONVENTIBUS, CATHEDRALIS, AC COLLEGIATARUM REGULARIUM ET SÆCULARIUM, PAROCHIALIUMQUE ECCLESIARUM, ET DIVINORUM RECTORIBUS, NEC NON TOTI CLERO, AC CLERICIS, ET NOTARIIS PUBLICIS, ET PERSONIS ECCLESIASTICIS, QUIBUSCUNQUE NOMINIBUS CENSEANTUR, AUT QUACUNQUE PRÆFULGEANT DIGNITATE, CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRARUM OSNABRUG. UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO.

PRo cultura agri Divini ad extirpandum vitia, plantandum virtutes, corrigendum excessus, & reformandum mores Cleri prædicti, recolendæ memoriæ dictæ Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopi nostri Prædecessores nonnulla saluberrima, Constitutiones & Statuta *Synodalia* in diversis retroactis *Synodis* Episcopalibus publicari, eaque sub certis censuris & pœnis firmiter teneri & observari præceperunt & mandarunt. Nos igitur, qui regimen & gubernationem ejusdem Osnabrugensis Ecclesiæ pro nunc gerimus, eorundem nostrorum Prædecessorum vestigiis inhærere volentes, Constitutiones & Statuta Synodalia hujusmodi sub modo & forma infrascriptis duximus innovanda, & innovamus, atque sub pœnis & censuris infrascriptis firmiter observari præcipimus & mandamus per præsentes.

I.

(*) Franciscus, Comes de Waldeck, ineunte anno 1530. Mindensium electus fuit Episcopus, idemque biennio post Monasteriensi etiam & Osnabrugensi mitra ornatus. Magnam sibi Episcopi apprime Catholici laudem sub aditi Regiminis initia conciliaverat, quod Anabaptistarum colluviem, Monasteriensem in Civitatem undequaque illapsam inde ejecerit; Sed anno dein 1543. adulatorum quorundam blanditiis ad amplectendos Lutheri errores impulsus, partum antea gloriæ decus sua apostasia turpissime obscuravit, eo usque etiam progressus, ut, quos ipse jam animo imbiberat errores, in commissas sibi Diœceses invehere niteretur. Perstitit in hæresi annis plus quatuor. Anno 1548. cum de Episcopatuum, ex Pontificio Decreto jam edito, amittendorum periculo doceretur, mutavit animum, & ejurata Lutheri doctrina, Catholicum se esse, & impofterum fore professus est. Obiit Wolbecæ, Catholicis Sacris ex Ecclesiæ ritu præmunitus, anno 1553. Cadaver Monasterium delatum, & in Cathedrali Ecclesia honorifice tumulatum fuit.

P. Michael Strunck Annal. Paderborn. Parte III. ad annos supra citatos.

I. Imprimis, ut omnes & ſinguli Prælati dictarum Civitatis & Diœceſis Oſnabrugenſis, de jure vel conſuetudine juriſdictionem in ſuos ſubditos habentes, infra unius menſis ſpatium, poſtquam eis & eorum cuilibet innotuerit, crimina & exceſſus corrigendos ſuorum corrigant ſubditorum, alioquin nos lapſo dicto menſe ad illorum correctionem procedemus, prout de jure fuerit procedendum.

II. Item, ut omnes & ſinguli Clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ dictarum Civitatis & Diœceſis, cujuscunque ſtatus vel præeminentiæ fuerint, in eorum domibus familiam honeſtam habeant, nec concubinas publicas, vel alias perſonas ſuſpectas ſibi cohabitare permittant: quinimo tales infra unum menſem proxime ſequentem a ſe expellant adeo remote, quod vulgus inde nihil ſiniſtri valeat ſuſpicari, easdem nullatenus reaſſumpturi.

III. Item, ut nullus eorum tabernas publicas, niſi in itinere conſtitutus, viſitet, aut frequentet: ac habitum & tonſuram Clericales debitos & decentes deferant, ſeque prout eorum beneficia exigunt & requirunt, infra terminum juris, ſtatutis ad hoc temporibus, ad ſacros Ordines faciant promoveri, & in ſuis beneficiis reſidentiam faciant perſonalem.

IV. Item, ut quarumcunque Eccleſiarum & aliorum locorum piorum ſtructuarii & proviſores pro tempore, Eccleſias, Capellas, Oratoria, Altaria, Cœmiteria, Campanas, feneſtras Sacramentales, & alia vaſa quæcunque, ad Eccleſiaſtica Sacramenta deſervientia, violatas vel violata, reconciliari, ac non conſecratas & non conſecrata, infra dicti menſis ſpatium conſecrari debite faciant & procurent.

V. Item, ut quicunque pro tempore quorumcunque Clericorum vel Beneficiatorum dictarum civitatis & Diœceſis Oſnabrugenſis defunctorum, manu fideles, & teſtamentorum executores, infra unius menſis ſpatium, obitum teſtatoris immediate ſequens, Nobis vel Officiali noſtro de bonis inventis, & de diſpoſitione, & infra unum annum, a tempore obitus hujusmodi immediate ſequentem, de executione eorundem certificent & informent legitimis documentis, prout hactenus ſolitum fuit, & conſuetum.

VI. Item & Eccleſiarum quarumcunque Campanarii, temporibus Divinorum condigna religione, ſicut decet, ſint induti, ac nocturno tempore in Eccleſiis dormire non omittant: ſintque etiam ipſi campanarii, ubi ſaltem Eccleſiarum facultates ad hoc ſuppetunt, competenti literatura imbuti, & decorati.

VII. Item, ut nullus Clericorum, vel Notariorum, vel Executorum citationes, vel alia quæcunque, proceſſus, ſeu mandata quorumcunque Judicum delegatorum, vel ſubdelegatorum, ſeu aliorum, alias quam Ordinariorum exequi præſumat; niſi talium Judicum poteſtas, ſive jurisdictio eisdem citationibus, proceſſibus, literis, vel mandatis, de verbo ad verbum ſit inſerta.

VIII. Item, ut nullus cujuscunque ſtatus, gradus vel conditionis exiſtat, ex nunc in antea, cauſam vel cauſas quascunque, contra quoscunque incolas civitatis & Diœceſis præfatarum, extra easdem civitatem & Diœceſim, coram quocunqne delegato, vel ſubdelegato, Conſervatore, Commiſſario, ſive Judice movere, proſequi, ſeu aliquem ex prædictis incolis evocare, ſeu evocari facere præſumat, vel attentet quoquo modo, quam diu iidem incolæ infra civitatem Oſnabrugenſem antedictam, coram eorum veris locorum Ordinariis, ſeu Archidiaconis, de ſe querulantibus ſtare juri ſe paratos aſſerunt: quinimo ipſi hujusmodi ſuas cauſas primo & ante omnia coram eisdem Archidiaconis & locorum Ordinariis proſequi debeant atque teneantur; donec & quousque per appellationem legitimam a ſententia, ſeu notorio aliquo gravamine, cauſa ſeu cauſæ hujusmodi ad Superiorem legitime fuerint devolutæ.

IX. Item, ne Quæſtuarii, vel Terminarii, ſine literis licentiatoriis, integris & illæſis, in robore & vigore exiſtentibus, ac pro anno innovatis, ac de novo a Nobis aut Officiali noſtro, ac Decano & Capitulo Eccleſiæ Oſnabrugenſis, prout ſolitum eſt, obtentis ac illæſis, viſis, lectis, oſtenſis & diligenter examinatis, per

per quoscunque admittantur: quodque quarumcunque Ecclesiarum Rectores, sive mercenarii, pro hujusmodi a Nobis, & dicto nostro Officiali literarum obtentarum, ac adventus intimatione, a quolibet Quæstuario ultra quartam urnam vini, seu illius valorem non exigant seu extorqueant: & quod nullus falso nomine in dictis civitate & Diœcesi quæstum faciat, seu talis admittatur absque literis consimilibus, ut præfertur, a Nobis & Officiali nostro, ac Decano, & Capitulo obtentis.

X. Et insuper ne structuarii Ecclesiarum, sine licentia & expresso consensu suorum Plebanorum, quoquo modo fabricent: & quod semel in quolibet anno de bonis Ecclesiarum perceptis, & expositis singulis ipsarum Ecclesiarum Plebanis computum faciant, atque rationem.

XI. Item statuimus & præcipimus, ut Sacerdotes & Presbyteri frequenter prohibeant omnibus subditis suis sub pœna excommunicationis, ne fidem mutuo dent clandestine & in occulto super matrimonio contrahendo, vel clam matrimonium contrahant, sed publice, trina proclamatione præcedente, coram Presbytero & coram pluribus hoc faciant: & si aliter fidem dederint de contrahendo, vel contraxerint, ipsos excommunicamus, qui sic excommunicati publice denuntientur & teneantur, donec absolutionis beneficium meruerint obtinere.

XII. Item volumus & mandamus, ut nullus Abbas, Abbatissa, Priorissa, Monachus, seu Monacha, habitu religionis abjecto in Ecclesiis, vicis vel plateis, aut alicubi, nisi in religione debita & decenti, sicuti in eorum Monasteriis procedant, ac secundum regulam ferant peplum & velum, ubicunque fuerint constituti: alioquin ad Divina nullatenus admittantur.

XIII. Item, ne quis saltem pacis tempore in cœmiteriis forum teneat, seu in illis commorari præsumat; seu commorari permittatur: quodque Ecclesiæ & illarum cœmiteria, nec non Baptisteria, & alia sacra vasa & receptacula, ne forte quovis casu eadem violari, seu alias contaminari contingat, diligenter præmunita, purgata, munda & serata conserventur, immunitatesque Ecclesiarum & cœmiteriorum inviolatas & incontaminatas præcipimus ab omnibus observari.

XIV. Item, ut omnes & singuli, qui tempore de annis structuræ ratione beneficiorum, quæ obtinent & adepti sunt, satisfacere tenentur, infra mensem antedictum collectoribus ad hoc deputatis cum effectu respondeant atque satisfaciant.

XV. Insuper, ut universi & singuli Ecclesiarum Rectores, seu eorum loca tenentes, ac Capellani, nec non Clerici & Notarii, per dictas Civitatem & Diœcesim ubilibet constituti, in mandatorum executionibus modum & formam executionum suarum fideliter & authentice conscribant, & observent: mandata quoque eadem de ambone, vel alias publice denuntient, nec occulte vel clandestine, quinimo publice & patenter mandata exequenda exequi, & publicare studeant: Decretum etiam in mandatis ipsis positum, in præjudicium, atque partium detrimentum abbreviare, vel prorogare non præsumant: quodque etiam factis mandatorum executionibus, saltem excommunicatos mox ad eorum registra inscribant, ac excommunicatorum registra hujusmodi singulis annis suis Archi-Diaconis, salvo eorum pro labore salario competenti, præsentare non recusent: quodque etiam ipsi mandata quæcunque, quæ pro tempore executi fuerint, absque omni denegatione & difficultate partibus, sive nuntiis restituant, nec publice excommunicatos ad Divina vel Communionem quovis modo admittant.

XVI. Item, ut nullus Presbyterorum cupiditate, vel alia sinistra causa ductus, quinimo causa rationabili subsistente, una die duas Missas, præterquam in die sancto Natalis Domini, vel alias in casibus a jure permissis celebrare præsumat: quodque etiam nullus de cætero Presbyterorum in dictis Civitate & Diœcesi Osnabrug. in altari portatili, nisi quantum jus permittit, celebrare præsumat absque desuper a Sede Apostolica, seu Nobis, vel Officiali prædicto pro tempore obtenta, & impetrata licentia speciali.

XVII. Item, ut nulli alienæ Diœcesis Presbyteri in Capellanos, vel mercenarios assumantur, nisi tales de eorum formatis, atque personarum legalitate coram Nobis,

Nobis, seu Officiali prædicto, fidem fecerint oculatam: nec aliqui loco sui mercenarios, sive loca tenentes in suis beneficiis ponant, vel substituant, nisi tales eorum Archi-Diaconis rite præsentaverint, curam ab eis animarum recepturos.

XVIII. Insuper, ut excommunicatis, in articulo mortis, post idoneam & sufficientem receptam, atque datam cautionem, solum & duntaxat viaticum ministretur juxta modum & consuetudinem vicinarum Ecclesiarum, & maxime Ecclesiæ Metropolitanæ: quodque talibus etiam, si decesserint, Ecclesiastica denegetur sepultura, donec & quousque de satisfactione partis, & Judicis absolutione, per aliqua legitima constiterit documenta.

XIX. Item, ut nullus Notariorum, de cujus idoneitate, ac sufficientia, ac experientia in officio possit merito suspicari, sine speciali dicti Domini Officialis approbatione, officium Notariatus exercere, seu instrumenta scribere, & conficere præsumat, ne forte propterea pericula verisimiliter valeant suboriri.

XX. Et insuper, ut Rectores, & Provisores Ecclesiarum ad vasa Chrismalia, ut sint munda, integra, & diligenter clausa, respectum singularem, & debitum studium habeant: ac dato ac recepto, tempore, & loco solitis, oleo sacro hujusmodi talia vasa cum debita reverentia, atque pudicitia deferri faciant, & procurent: in quo quidem oleo sancto deferendo unaquæque Parochialis Ecclesia suum proprium habeat, & propterea emittat campanarium, seu fidelium (*) & legalem nuntium, seu cursorem, pauperibus Ecclesiis duntaxat in hoc exceptis.

XXI. Cæterum fraudibus nonnullorum obviare, ac communi singulorum civitatis & Diœcesis Osnabrugensis tam spiritualium, quam sæcularium incolarum utilitati providentes, ordinamus & statuimus per præsentes: ut ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus omnes & singuli in dictis civitate & Diœcesi Osnabrugensi tam Beneficiati, quam non Beneficiati Clerici, & personæ Ecclesiasticæ, qui pro tempore fuerint in eorum Constitutionibus manufidelium, & testamentariorum, ac ultimarum voluntatum Executorum, & inter illos unum vel plures de personis Ecclesiasticis, in eisdem Civitate & Diœcesi Beneficiatos, in eorum testamentarios, ac ultimarum voluntatum executores, & manufideles, non cum minori, sed simili per omnia & æquali aliis suis fidelibus testamentariis & executoribus attributa potestate, sub omnium bonorum suorum, post eorum & cujuslibet eorum obitum relictorum confiscationis pœna deputent & constituant, ac tales post eorum, & cujuslibet eorum obitum habeant & derelinquant. Inhibemus etiam sub pœnis similibus, & infrascriptis, ne quis in præfatis Constitutionibus suorum manufidelium focarias, seu personas suspectas constituat, & si constitutæ forent, illis omnino disponendi interdicimus facultatem.

XXII. Volumus etiam & mandamus, ut Stationarius sancti Petri, secundum suæ præsentationis tenorem, benevole recipiatur, & favorabiliter pertractetur. Dies vero stationis suæ populo fideliter intimetur, & per utriusque sexus homines, in quorum Parochia pro tempore existit, donec officium suum compleverit, celebris & festiva habeatur.

XXIII. Insuper vero per præsentes citamus omnes & singulos Dominos Prælatos, Clericos, & Personas Ecclesiasticas supradictas, sacrosanctam Synodum hujusmodi celebrantes, & ipsi interesse debentes, tam præsentes, quam absentes, quatenus feria tertia post Dominicam Oculi, vel feria tertia post Festum sancti Remigii proxime sequente, pro Sacrosancta Synodo hujusmodi tunc, ut moris est, iterato celebranda, loco & hora præsentibus compareant, Nobisque, & Commissario, sive Commissariis nostris, per Nos ad hoc deputandis, in hujusmodi celebratione ex tunc, prout ex nunc debito modo assistentes; inhibentes præterea sub infrascriptis excommunicationis, & pecuniarum pœnis universis & singulis Dominis Parochialium Ecclesiarum, Capellarum & Altarium, Divinorum Rectoribus, Plebanis, Vice-Plebanis, Capellanis, Curatis & non Curatis, Vicariis perpetuis, Altaristis, cæterisque Presbyteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis quibuscunque, per civitatem & Diœcesim Osnabrugensem ubilibet constitutis, ne de cætero aliqua tam conservatorum, quam subconservatorum, seu aliorum quorumcunque Judicum, quacunque authoritate fungen-

(*) *forte*: fidelem.

gentium, præterquam Sedis Apoſtolicæ immediate, & noſtri Officialis, ac Dominorum Archidiaconorum Eccleſiæ mandata citationum, ſeu alias quascunque literas exequantur, ſeu ad eorum executionem procedant, niſi talia per Nos, aut dictum Officialem noſtrum rite ſint admiſſa ac approbata, & deſuper noſtras, aut dicti noſtri Officialis literas receperint patentes.

Præmiſſa omnia & ſingula, Conſtitutiones & Statuta, *authoritate hujus Sanctæ Synodi*, cum omnibus & ſingulis ſuis clauſulis per quemque in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub ſuſpenſionis, & excommunicationis, trium dierum Canonica monitione præmiſſa, præſentibus ferimus in rebelles, nec non quinquaginta florenorum Rhenenſium, in pios uſus applicandorum, pœnis, præcipimus & mandamus firmiter & inviolabiliter obſervari. Proteſtamur tamen, quod ſi quid forſan dubii vel difficultatis emerſerit in præmiſſis, hoc nobis in his ſcriptis per expreſſum reſervamus declarandum, corrigendum, interpretandum, mutandum, augmentandum, ſeu in melius commutandum: omnem etiam in præmiſſis omnibus & ſingulis per Edictum etiam publicum in valvis Eccleſiæ Oſnabrugenſis, ſeu alias, prout viſum fuerit, ulteriorem executionem, proceſſuum continuationem, ac pœnarum & ſententiarum prædictarum, *in* quoslibet negligentes, & contra rebelles declarationem, & relaxationem, & abſolutionem faciendam, dicto noſtro Officiali plenarie committentes. Abſentes vero, qui ad hanc Synodum, absque petita & obtenta licentia, non venerint, ſeu abſque religione hunc locum Capitularem intraverint, præſentibus judicamus contumaces, deſuper proceſſuri, prout de jure fuerit procedendum.

In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes literas Synodales hujusmodi ſubſcriptas, Conſtitutiones & Statuta in ſe continentes, Sigilli Officialatus dictæ Curiæ Oſnabrugenſis juſſimus & fecimus appenſione roborari. Datum Oſnabrugis apud Eccleſiam Oſnabrugenſem, Anno a Nativitate Domini Milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo tertio, feria tertia poſt Dominicam *Oculi.*

Subſcriptum per me JASPARUM MISSINCK, Sacris Apoſtolica & Imperiali Authoritatibus Notarium.

Lunig Spicileg. Eccleſ. Tom. II. pag. 584.

SYNODUS COLONIENSIS PROVINCIALIS

Anno Chriſti MDXXXVI. Pauli III. PP. II. Caroli V. Imp. XVIII.

PRÆFATIO.

HERMANNUS, (*) DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, SACRO-SANCTÆ APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS NATUS, AC ADMINISTRATOR ECCLESIÆ PADERBORNENSIS &c. UNIVERSO CLERO AC POPULO PROVINCIÆ NOSTRÆ COLONIENSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

INter innumera hujus calamitoſæ tempeſtatis adverſa, quibus juſto Dei Judicio premimur, nihil ita ex eo potiſſimum tempore, quo nos Deus Optimus, Maximus, licet indignos, ad miniſterii Epiſcopalis Functionem vocare dignatus eſt, animum noſtrum torſit; quam quod videmus, Eccleſiæ navicu-

lam, velut indormiente ipsius Nauclero, Christo Jesu, in mediis constitutam fluctibus, turbulentissimarum procellarum impetu, jam nimium diu summo cum rei Christianæ periculo jactari: nec interim in tanta rerum desperatione laborantibus, ullum aliunde salutis portum, in quem se tuto recipiat Christi navis, vel de longinquo adfulgere.

Nam, quod aliquot abhinc annis pleraque remedia tentata sint, id nos discruciat magis; quum animadvertimus, hactenus pene nihil actum, sed omnino frustra laboratum esse. Et quis, tam stupidus est, qui non sentiat omnem conatum nostrum idcirco irritum, atque inanem fuisse; quod hucusque nec syncera in Deum fide, nec unanimi voto indormiscentem Dominum ardentibus precibus inclamaverimus; sed incredulitate torpentes, ac corruptissimis animorum affectibus, studia in contraria currentes non respexerimus toto corde in eum, qui dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Neque enim ille vel immemor est promissi, vel manus ejus abbreviata, ut salvare non possit, qui non derelinquit omnes sperantes in se: sed iniquitates nostræ diviserunt inter nos & illum. Atque utinam jam tandem resipiscentes, studeamus, repurgatis per Dei misericordiam mentibus nostris, vel tantillam fidem a Domino impetrare, quantula Apostoli præditi erant, quum in mari intumescenti comprehensi, Dominum pariter accesserunt, atque in cervicali reclinantem suscitarunt, inclamantes: *Domine salva nos, perimus.* Quæ ut tum non satis integra fuerit, quod vicissim audirent: *Quid timidi estis modicæ fidei?* tanta tamen fuisse perhibetur, ut JESUS ille Servator excitatus ac surgens, imperaret ventis & mari, adeo ut statim subsequuta sit tranquillitas magna. Quomodo inferior ergo, illa licet modica, unanimi tamen discipulorum fide, nostra erga Deum fiducia hactenus fuerit, quam indignos gratiæ Dei præ Apostolis, quanquam adhuc rudibus, nos hucusque præstiterimus, res ipsa, actionumque nostrarum eventus satis superque

(*) Hermannus V. hoc nomine Coloniensium Archi-Episcopus, anno 1472. Wedanis e Comitibus natus fuit. Anno 1515. ex Primarii Cleri suffragiis Philippo Dunensi in Cathedra Metropolitana successit. Anno 1519. cum cæteris Septemviris Francofurti Carolum V. Romanorum Regem dixit, & anno sequente Regiis insignibus Aquisgrani coronavit.

Diu Boni Pastoris, Præsulisque egregii laudem tenuit, tantoque Catholicæ fidei tuendæ zelo exarsit, ut Lutheranis erroribus infectos nullibi sua in Diœcesi quietos consistere pateretur: Præter frequentes Synodos Diœcesanas, in quibus saluberrima Statuta promulgari fecit, celeberrimum Concilium Provinciale coegit anno 1536., invitatis ad illud Leodiensi, Trajectensi, Monasteriensi, Osnabrugensi & Mindensi Episcopis, Metropolitanæ Coloniensis Suffraganeis. Multa in eo Concilio de Cleri moribus emendandis, & Sacramentorum digna administratione, condita fuere Decreta, quæ Joannes Gropperus Susatensis, vir sua ætate Clarissimus, & ob rerum pro Ecclesia Christi præclare gestarum merita, in S. R. E. Cardinalium numerum deinde cooptatus, digessit in ordinem, typisque vulgavit. Cum Hermannus viginti circiter & quinque ab adito Episcopatu annos, cum ista fidei defendendæ laude traduxisset, anno 1540. Hagenoæ, ubi Principum tunc Conventus erat, in Bucerum, fidei, religionisque desertorem incidit, quem dum ab hæresi ad Ecclesiam reducere nitebatur, ipse, cum sacrarum literarum rudis esset, veteratoris fraudibus ac sophismatis circumventus, instillatam ab illo Lutheri doctrinam tam alte immisit in animum, ut non solum ab hæresi nunquam recesserit, sed eandem etiam transfundere in alios, accitisque Bonnam Bucero, Melanchthone, Erasmo Sarcerio, Casparo Hedione, Joanne Pistorio, aliisque Apostatis, totam per Diœcesin dispergere allaboraverit. Sed Clerus, Universitas, atque ipse Senatus Coloniensis voce, scriptis, & solenni ad Pontificem, Cæsaremque facta provocatione impiis ejus conatibus tam fortiter obstitere; ut, quæ facere decreverat, perficere non potuerit: immo sua ipse dignitate, lata in eum Anno 1546. & a Paulo III. Papa, & a Carolo V. sententia exciderit. Cum a Protestantibus Principibus, bello a Carolo fractis, opem & subsidia frustra exspectasset, Anno 1547. cedere Cathedra coactus, in Wedanum Comitatum se recepit, ibidemque post quinquennium vivere desiit, Biverni, obscuro in loco, tumulatus.

Arn. Meshovius in Schism. Hermanni V. Spondanus Annal. Ecclesiast. Tom. II. Mörckens in Conatu Chronologico: Strunck in Annal. Paderborn. Parte III. &c.

que declarant. Quid enim tot comitiis, tot conventibus, tot denique cum privatis, tum publicis consultationibus super componendis hisce fluctibus, non semel habitis, aliud effectum est, quam quod tempestas propemodum facta est concitatior?

Tandem ad Universale Concilium, uti ad ultimum asylum respeximus omnes, quod in primis invictissimus perinde, ac pientissimus Ecclesiæ pugil, Carolus, ejus nominis Quintus, Romanorum Imperator, semper Augustus, authoritate Apostolica indici, magna cum instantia postulavit, Beatissimus subinde Pontifex pientissimæ postulationi assentiens, futurum promisit, totus denique orbis ingenti cum desiderio hactenus expectavit.

Sed ut non levis momenti res est, Generalem Ecclesiæ Synodum convenire, ita permulta sunt, quæ omnis diffidii parente diabolo procurante, subinde suboriuntur impedimenta, quibus etsi non omnino spes indicendi, cogendique Concilii adimatur, tamen res omnium maxime necessaria, in longum saltem protrahitur.

Nos igitur rationem officii Episcopalis nobis concrediti, solicite animo versantes, quanquam maluissemus rebus labentibus, publico atque adeo totius orbis Christiani auxilio succurri, quam privatim in provincia nostra de necessario remedio dispicere; in tam longa tamen expectatione, dilationeque speratæ opis, nullam excusationem invenimus diutius in officio nostro cessandi, maxime quod hæresum ac schismatum pestilentissimis, exitialibusque flatibus provinciam nostram undecunque, idque agminatim impetentibus, scelere quoque ac morum longe corruptissimorum lue ac fluctibus magis ac magis inundantibus, omnem dehinc moram extremi plenam periculi judicemus.

Proinde & Divina voce commoniti, & Sacrorum Canonum jussu cohortati, Provinciale Concilium in civitate nostra Colonia Agrippina, DEO authore, celebrandum indiximus: in quo quum nobiscum Reverendorum Suffraganeorum nostrorum Leodiensis Episcopi, ac Monasteriensis & Osnabrugensis confirmati, Administratorisque Mindensis Ecclesiarum Legati (Trajectensis interim Episcopi Procuratoribus, quo minus ad nos se reciperent, inter eundum per obvios milites, quemadmodum ipsorum litteræ excusatoriæ continebant, prohibitis) simul & cum Venerabili Clero nostro, in Dei nomine convenerint, ipsiusque Dei ac Ecclesiæ causam (quantum is, a quo omne datum optimum, ac omne donum perfectum descendit, Pater luminum concessit) diligenter pertractarint; tandem discussis omnibus, quæ repurganda videbantur, reformationem (quam omni ope molimur, & ex animo optamus) in Canones quosdam Divinæ Legi, ac Patrum Sanctionibus consentaneos contraximus, quos Visitatione Diœceseos nostræ effectui mancipare, (quoad ejus fieri potest) Deo adjutore adnitemur; ut habeat Provincia nostra, donec Generale illud indicatur Concilium, aliquantulam saltem opem, qua se adversus ingruentes ac inundantes diffidiorum fluctus ac scelerum luem, servet ac tuetur. Omnia tamen, quæ in hoc libello continentur, judicio Sacrosanctæ Apostolicæ Sedis, quam merito veneramur, submittentes.

Index Titulorum principalium, ac Capitulorum Concilii Provincialis Coloniensis, quæ sub illis ad Christianæ pietatis augmentum comprehenduntur.

PARS II.

PARS III.

PARS IV.

PARS V.

Pasto-

PARS VI.

PARS VII.

PARS XI.

PARS XII.

PARS XIII.

PARS XIV.

Vitia

CANONES.

PARS PRIMA.

DE MUNERE EPISCOPALI.

Officium Episcopi, post verbi prædicationem, consistit potissimum in impositione manuum, & visitatione Ecclesiarum.

EPiscopi munus in duobus potissimum consistit. Primum in impositione manuum, quæ est Ordinum Ecclesiasticorum collatio, ac institutio Ministrorum: Deinde in Visitatione Diœceseos. Utrumque Beatissimus Apostolus ad Titum, dilectum filium, Cretæ Episcopum scribens, complectitur. *Hujus*, inquit, *rei gratia*, (a) *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Alterum vero idem Apostolus, cum a Mileto discessum maturaret, profecturus Hierosolymam, ac certus, quod amplius haud visurus esset faciem eorum omnium, per quos transivit, prædicans regnum Dei, vocatis illo ad se ab Epheso Ecclesiæ Presbyteris, Apostolica vehementia inculcat, cum ait: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* (b) Et *quoniam scio*, inquit, *quod intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, propterea vigilate.* Cui muneri, ut ambo illa Apostolici ordinis eximia luminaria, nimirum Petrus, ac illius collega Paulus, satisfacerent, alter transivit, & invisit universos: alter perambulavit Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum: nimirum non tantum verbo, sed & exemplo, Episcopos commonentes, ut qui Speculatores in Dei Ecclesia constituti sunt, ac appellantur, provinciæ sibi mandatæ, vigilantissime intendant, fidem, conversationem, mores, & vitam singulorum explorent, examinentque, ac provideant, ne alicubi quis in ea vocatione, ad quam a Deo vocatus est, torpescat.

De Impositione manuum, quæ est Ordinum Ecclesiasticorum collatio, ac institutio Ministrorum.

Caput I.

Impositio manuum est ostium, per quod intrant, qui Ecclesiarum gubernaculis admoventur. Proinde, quia ejusmodi ostium diligenter custoditum non est, factum est, ut tanta mala, quæ sentimus, agminatim in Ecclesiam Dei irruperint. Hujus januæ vigilantissimi custodes fuerunt Apostoli Christi, & quotquot ipsis successerunt, Apostolici Episcopi. Imprimis vero Divinissimus Paulus, qui dilectissimis discipulis Timotheo ac Tito, ejuscemodi custodiæ formulam, ex professo præscribit. Porro Apostoli, (c) cum esset in locum Judæ proditoris deligendus duodecimus Collega, statuerunt duos ex his viris, (qui cum ipsis congregati fuerunt in omni tempore, quo intravit & exivit inter eos Dominus JESUS) probatissimos, electionem

(a) Tit. 1. (b) Act. 20. (c) Act. 1.

ctionem alterutrius Domino committentes. Ad hæc cum essent deligendi primi illi Ecclesiæ Diaconi, Apostoli convocata discipulorum multitudine, dixerunt: *Considerate Fratres ex vobis viros boni testimonii*, (d) *plenos Spiritu Sancto ac sapientia, quos constituamus super hoc opus.* Atque illi (cum placuisset hic sermo) coram omni multitudine *elegerunt Stephanum, virum plenum Fide & Spiritu Sancto*, ac reliquos sex, quos statuerunt ante conspectum Apostolorum: qui dein non temere, sed orantes, illis imposuerunt manus. Denique de Barnaba, per Apostolos ad Antiochiam destinato, refert Scriptura: Quoniam Apostoli miserunt Barnabam, (e) quod esset vir bonus & plenus Spiritu Sancto ac fide. Quibus exemplis edocemur, quanta cura ac delectu manus impositionem fieri oporteat. Beatus Apostolus inter alia Timotheum (f) sic alloquitur: *Commenda*, inquit, *quæ audisti per me* per multos testes, fidelibus, qui *& idonei erunt alios docere.* Et iterum: *Manus nemini cito imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* (g) A qua regula cum longe lateque discessum sit, affectibus privatis sibi omnia vendicantibus, morbus obortus est plurimus, atque ita radicatus; ut vix spes medendi relicta sit. Neque tamen in mediis, & exulceratissimis morbis, de remedio desperandum erit, sed tanto magis de pharmaco idoneo cogitandum, providendumque.

Ad certum titulum Ecclesiæ Ministros Canonice deligendos, ordinandosque.

Caput II.

Quoniam (h) vero primitivæ Ecclesiæ facies, quod ad institutionem ministrorum attinet, paulatim immutata fuit: nimirum, dotatis Templis, Sacerdotiisque ac certis stipendiis ministrantibus constitutis, visum subinde Sanctis Patribus, non absque multa ratione fuit, ne quisquam sine certo titulo (qui illi victum necessarium suppeditaret) ad majores, quos & sacros Ordines vocamus, ordinaretur. Adhibita etiam non levi severitate in Episcopos, qui secus facere præsumpsissent. Quæ cum sic se habeant, Reformationem ordiri hinc fuerit necesse. Videndum itaque imprimis est, ut collationes Ecclesiasticorum Sacerdotiorum seu beneficiorum, ut Electiones, Præsentationes, & Institutiones Clericorum ac ministrorum, maxime eorum, qui curæ præficiuntur animarum (quæ scientia scientiarum merito appellanda est) rite ac Canonice fiant: Utque maximi illi & teterrimi abusus & vitia (quæ in deligendis personis Ecclesiasticis, non vulgari cum detrimento Ecclesiæ, sæpe numero committuntur) quoad fieri potest, tollantur. Quod tunc demum futurum est, cum repulsis ac submotis indignis, digni tantum & idonei admittantur, qui & velint & possint officium (propter quod beneficium datur) gerere & explere. Scriptum est enim: *Qui non laborat, non manducet.* (i)

Manum nemini cito imponendam.

Caput III.

Quamobrem omnibus, qui præficiendi Ecclesiasticis muniis ministros potestatem habent, illa (quam paulo ante retulimus) Paulina admonitio semper ob oculos versabitur: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Si enim (k) ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est pervenire: & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant; quam diligens & quam prudens habenda est dispensatio Divinorum munerum, & Cœlestium dignitatum? Certe olim excommunicatione percellebantur, qui Ecclesiastica beneficia contulissent indignis.

Humani adfectus & venalitas in Beneficiis Ecclesiasticis, execrabiles.

Caput IV.

Nulla itaque (l) consanguinitatis ratio, nulla propinquitatis contemplatio, facere debet hoc, ut populi gubernatio, alii, quam meliori tradatur. Cessent omnes affectus humani, qui sua, (m) non quæ Jesu Christi sunt, quærunt. Maxime vero Sacerdotiorum ac bene-

(d) Act. 6. (e) Act. 11. (f) 2. Tim. 2.
(g) 1. Tim. 5. (h) Ex Concil. Lateran. sub Alexandr. III.
(i) 2. Thess. 3. (k) *S. Leo. C.* Miramur. 61. *Dist. Ex Conc. Tolet.*
(l) Hieron. in Num. (m) Philip. 2.

beneficiorum venalitas execranda eſt. Quod, qui ſic præficiunt ac præficiuntur, inter ementes (*n*) & vendentes columbas (quos Dominus flagello, de funiculis facto, e Templo ejecit, ac menſas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit,) computentur. Si enim is dignus Sacerdotio creditur, cui non actionis merita, ſed præmiorum copia ſuffragatur; reſtat, ut nihil ſibi in Eccleſiaſticis honoribus gravitas, nihil ſibi defendat induſtria, ſed totum auri profanus amor obtineat. Et cum fides ſimul & vita in Sacerdotibus & miniſtris eligenda ſit; quæ tandem vita, & quæ opera Sacerdotis illius erunt, qui honores tanti Sacramenti per præmium convincitur obtinere?

Beneficia Eccleſiaſtica priusquam vacent, nemini promittenda.

Caput V.

Cum olim (*o*) Conciliari conſtitutione vetitum ſit, ne ulla Eccleſiaſtica miniſteria, ſeu beneficia promittantur alicui, priusquam vacent: tum ne quis mortem proximi, in cujus locum & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum, deſiderare videatur: tum quod turpe ſit, Divinique plenum animadverſione judicii, ſi locum in Eccleſia Dei futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam ipſæ etiam ſæculares leges condemnare curarunt: idque vero cum nunc paſſim præter omnem perſonarum delectum, deſignatis etiam ex nomine beneficiis, in qua ſtipulatores ſucceſſuri ſunt, peſſimo exemplo fiat, tollendus abuſus eſt: idque non aliter, quam ſecundum Canonicam ordinationem, ne quis ſolicitus ſit, non tam de officio, quam de beneficio viventis.

Dignis tantum Beneficia eſſe conferenda.

Cap. VI.

Qui Sacerdotia Eccleſiaſtica pleno (ut ajunt) jure, poteſtatem conferendi habent, alium, factæ a ſe manuum impoſitionis, diſcuſſorem non expectant. Præcipua ergo illis habenda cura eſt, idque maxime in præficiendis Parochis, ne Apoſtolici præcepti prævaricatores ac rei fiant. Quis enim non intelligit, quam gravi culpa ſe obſtringit is, qui in cauſa eſt, ut cæcus (*p*) cæco ducatum præſtet? nimirum ambobus in foveam delabentibus. Deſpiciunt (inquit Malachias Propheta) nomen Domini, (*q*) qui cæcum, qui claudum, qui languidum animal, ad immolandum offerunt, & propterea graviter a Domino increpantur: Quis vero cæcum animal offert, (*r*) niſi qui indoctum in docti locum ordinat: Magiſtrum facit, qui vix diſcipulus eſſe poterat? claudum vero, qui lucra terrena quærentem, locat in dignitate, veluti pedem in diverſa ponentem? cui poteſt inferri illud: *Uſquequo* (*s*) *claudicatis in duas partes*? Languidum denique, qui vitioſum pro religioſo habet, quique tardum & pigrum probat patientem.

Idoneos tantum in Prælatos eligendos eſſe.

Cap. VII.

Sacris Canonibus ſaluberrime conſtitutum eſt, (*t*) ut omnes Cathedrales Eccleſiæ, Collegia, & Conventus ad dignitates vacantes, ex ſua congregatione idoneos eligant Prælatos: atque eos demum ſacris adminiſtrationibus dignos eſſe exiſtiment, quorum omnis ætas per diſciplinas Eccleſiaſticas cucurriſſet. Jam ut primitivæ Eccleſiæ cenſura mitigationem recipiat diſcretionis, is ſaltem aliorum curæ præficiatur, cujus comparatione, grex cæteri merito dicantur. Quomodo enim fieri poteſt, ut non viliſſimus reputetur, qui eſt honore præſtantior, niſi quoque ſcientia & ſanctitate præcellat? atque utinam hic penſitetur, & nautis & navigio deferendis eandem imminere periclitandi neceſſitatem.

In eligendo, ætas, mores, literatura, & ſacer ordo ſpectanda.

Cap. VIII.

Quapropter Electores ſoliciti ſint, ut talem præficiant, qui officio credendo ſatisfacere poſſit: virum ætatis legitimæ, moribus gravem, ſcientia præditum, atque in ſacris Ordinibus conſtitutum, ſcientes ipſis in re tam gravi, vel dolo,

(*n*) Matt. 21. (*o*) Ex Conc. Lateran. (*p*) Matth. 15.
(*q*) Malach. 1. (*r*) Hieron. in Malach. (*s*) 3. Reg. 18.
(*t*) *Ex Conc. gener. C.* Ne pro defectu. De electione.

dolo, vel negligenter agentibus, non minorem, quam malis illis Paſtoribus ac Prælatis (quos ipſi præfecerunt) in diſtricto Dei judicio imminere pœnam. Neque enim impune peccatur in Spiritum Sanctum, qui in omni electione ut author invocatur. Neque inultum permittet Deus, ſi quis jurejurando, quod ſub electionem præſtatur, fruſtra nomen Domini (*u*) uſurpaverit. Ut omittamus pœnas Canonicas, quæ perperam eligentes manent.

Electionem ſynceram eſſe oportere.

Cap. IX.

Abſit ergo omnis Simoniæ pravitas, omnis perſonarum reſpectus. Ceſſent potentiorum preces, quæ minis æquiparantur, omnisque impreſſio. Ceſſet ambitio, ac dominandi libido. Adhæc, procul abſint omnes illicitæ obligationes, quæ ſub electionem, aut paulo poſt ab eligendo vel electo, haud præter ſimoniæ labem extorquentur. Et procedat de vultu Dei opus ipſius, ut ſcilicet, qui præſtantior eſt omnibus, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, hic eligatur.

In confirmatione Electionis, quæ expendenda.

Cap. X.

Electione facta, Nos, & cæteri qui confirmationis munus impendemus, officio noſtro, Deo volente, non deerimus, diſcuſſuri ſcilicet diligenter, & formam electionis, & electi merita, priusquam noſtras imponamus manus.

Per Patronos idoneos præſentari oportere.

Cap. XI.

Patroni tum Eccleſiaſtici, tum laici (quos hac de re diligenter admoneri curabimus) videbunt, ut idoneos (quemadmodum ante diximus) Archidiaconis præſentènt. Compertum ſiquidem habemus, quod hic ſupra modum peccetur. Sunt enim, qui tantum filios, aut conſanguineos, ſeu aliter ipſis addictos citra ullum delectum, aut diſcrimen ſcientiæ, morum ac ætatis, beneficiis Eccleſiaſticis admovent. Sunt, qui admotis nomen tantum relinquunt, (*x*) cenſum autem atque Eccleſiaſticos redditus, ſibi auſu quodam ſacrilego (nihil minus quam de Eccleſiaſtico miniſterio cogitantes) uſurpant. Quæ omnia cum Sanctorum Patrum Sanctionibus damnentur, multorumque malorum in Eccleſia Dei cauſa ſint, poſthac non committi, ſed ſublata penitus eſſe, ſuamque vim Canonicis regulis conſtare ex animo cupimus.

Quid incumbat Archi-Diaconis.

Cap. XII.

Archidiaconi noſtri, [*y*] ad quorum curam inter alia pertinet, ut noſtro nomine Parochias ordinent, ac miniſtros Eccleſiæ ipſis præſentatos ac oblatos inquirant: ſcient ſui muneris eſſe, negligentiam Patronorum ſupplere. Cum enim oculi noſtri ſint, diſpicient, ne quis alioqui indignus, ſub alicujus præſentationis prætextu irrepat, ac admittatur. Nec contenti, quod poſt edicta ter publicata, nusquam compareat, qui præſentationem oppugnet; eorum etiam, qui ipſis præſentantur, & ad inſtituendum offeruntur, vitam, mores, & eruditionem accurate perveſtigabunt: ac niſi comperti illi fuerint, muneri, cui præfici poſtulantur, pares; fore nefas putabunt, ſtulte petentibus aſſentiri. Neque exiſtimabunt id temporis, quod huic examini impendent, perdi: cum nequaquam poſſit collocari melius: maxime quod officium eorum, hoc ipſum ut fiat, magnopere requirat.

Aliquot abuſus Officialium inter viſitandum corrigendi.

Cap. XIII.

Et quoniam ad Nos quorundam querela perlatum eſt, nonnullos Officiales Archidiaconorum noſtrorum, inveſtituræ nomine plus æquo interdum petere: quosdam etiam inſtitutionem ipſam petentibus, vel temere negare, vel ſaltem in longum differre tempus, quamlibet legitima ſit præſentatio, & idoneus is, qui præſentatus eſt. Curæ itaque nobis erit, inter viſitandum, de his diligenter inquirere, & quæ vitioſa comperientur, Archiepiſcopali authoritate, com-

(*u*) Deut. 5. (*x*) Alexand. III. C. Ex freq. De inſtit.
(*y*) C. Ad hæc. De offic. Archidiac. C. finali De elect. in 6.

communicato tamen cum Archidiaconis noſtris (ut par eſt) conſilio, quoad ejus fieri poterit, corrigere.

Omnes, qui de Beneficiis diſponunt, ſui officii admonendi.

Cap. XIV.

Referre etiam non parum exiſtimamus, omnes, qui de Sacerdotiis ſeu beneficiis Eccleſiaſticis quamcunque diſponendi poteſtatem habent, ſpeciatim ac diligenter admoneri, ut hiſce Synodaticis Canonibus per omnia obtemperent, niſi in eo ipſo, in quo deliquerint, puniri velint.

Moderatio Patronos laicos reſpiciens.

Cap. XV.

Attamen quod ad Patronos laicos attinet, hanc cenſuram eatenus moderamur, ut ſi Archidiaconi noſtri præſentatos ab eis, qui inidonei ſint, inſtituere recuſent, liceat ipſis, inutilium loco, alios iterum, intra tempus legitimum præſentare, modo tamen dolus abſit.

De officio Vicariorum in Pontificalibus.

Cap. XVI.

Poſteaquam de illorum officio diximus, qui Sacerdotiis ſeu beneficiis Rectores admovent Eccleſiaſticis ordinibus initiandos: reſtat, ut de Vicariis noſtris in Pontificalibus, qui huic muneri (in partem ſolicitudinis noſtræ vocati) potiſſimum delegati ſunt, paucis dicamus. Nobis quidem, uti cæteris omnibus Pontificibus, in Aaronis perſona locutus eſt Deus: *Homo* (z) *per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus. Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel parvo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu: ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi jugem ſcabiem in corpore, vel hernioſus. Omnis enim qui habuerit maculam, non accedat offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo.* Quid per allegoriam ſermo Divinus ſignificare voluerit, maximus ille cœleſtium rerum perveſtigator Paulus in Epiſtolis, quas Timotheo ac Tito, ambobus naſcentis Eccleſiæ Epiſcopis, inſcripſit, graviſſime explicavit. Cum enim mandaſſet, ut per civitates Presbyteri conſtituerentur, ſtatim ſubjecit, quales ſubſtitui vellet, & oporteret. *Oportet* (inquit) (*a*) conſtituendum *ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, prudentem, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, (qui contradicunt, arguere. Diaconos* (b) *ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* Et ut iterum nos officii noſtri commonefaceret, ſubjecit: *Et hi probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.*

Quid Epiſcopis potiſſimum curandum ſit.

Cap. XVII.

Incumbit itaque nobis, ut probemus primum eos, qui ordinibus, maxime ſacris, initiari deſiderant. Curæ ergo erit Vicariis noſtris in Pontificalibus, manus impoſitionem auſpicaturis, ne hic quid deſit, neve ordines ſacros aliter, quam ſecundum regulam Evangelicam impartiantur. Ut adjutores in hoc examinationis munere habeant, non repugnamus: modo primæ ſolicitudinis partes apud eos ſint, nec quæ ipſis ante omnia agenda erant, in alios penitus relegent, interim ipſi de omnibus incerti. Per hæc tamen Suffraganeis noſtris nihil præjudicantes, quo minus ipſi, quemadmodum videbitur opportunum, de hujuſmodi examine faciendo, diſpiciant. Ut vero ſummatim multa complectamur, diſpicient de ordinandorum, ætate, vita, ſcientia, & affectu.

De ætate Ordinandorum.

Cap. XVIII.

Olim Diaconus ante XXV., Presbyter vero ante XXX. ætatis annos non ordinabantur. (*c*) In Viennenſi vero Concilio ſub Clemente quinto, (*d*) Ordines Sacri minori etiam ætati conceſſi ſunt, nempe Subdiaconatus XVIII. Diaconatus XX. Presbyteratus denique XXV. ætatis annum nato. Num ad antiquos Canones regredi referat, futurum Con-

(*z*) Levit. 21. (*a*) Tit. 1. (*b*) 1. Tim. 3.
(*c*) Ex Conc. Arelat. III. (*d*) Ex Vienn. Conc. Clem. Generalem De æta. & qual.

Concilium diſpiciet. Nos interim admonemus, Viennenſe Concilium, tum ex aliis Canonibus, tum ex ſe ipſo interpretandum. Nimirum, ut ætas quidem illa ſufficiat, modo tamen cætera quoque, quæ Canones plus, quam ætatem reſpiciunt, haud deſint: nempe literarum ſcientia, & morum gravitas.

Teſtimonium vitæ ac doctrinæ, per initiandos Sacris exhibendum.

Cap. XIX.

De doctrina, vita, ac moribus Suffraganeus noſter teſtimonium præceptorum, qui ipſos in litteris inſtituerunt, docueruntque, eorum quoque, apud quos ſacris initiandus potiorem vitæ partem tranſegit, ac diverſatus eſt, exigere non omittet, ne manifeſte criminoſi irrepant: Idque ad certam formulam, quam delineari curabimus. Dum enim priſcam Eccleſiam reſpicimus, ſummo deſiderio tangimur, priſcos illos ſanctiſſimos mores, non tantum verbis, ſed & re ipſa in Eccleſiam, quod in nobis eſt, reducendi. Illa certe vetuit, [e] ne Epiſcopus ſine teſtimonio Clericorum & plebis, Clericos ullos inſtituat. Hinc illæ interrogationes ſolennes, præambulæ: Sunt juſti? ſunt caſti? atque aliæ ſimiles. [f] Neque fruſtra ſcriptum legimus, quod quanquam Dominus de conſtituendo Joſue Principe, præcepiſſet, eundemque elegiſſet, nihilo ſecius tamen convocari Synagogam voluiſſe.

De eruditione Ordinandorum inquirendum.

Cap. XX.

De eruditione quoque & ſcientia diſquiret, ne ſtatim a ſtiva ad Eccleſiaſtica munia, confugiatur. Per Prophetam Dominus dixit: *Quoniam tu ſcientiam repuliſti,* (g) & ego *repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Subſtantia ſiquidem Sacerdotii, ſunt eloquia divinitus tradita, ut Dionyſius ille magnus appoſite dixit. Quæ vero in Parochis, quæ in cæteris eruditio requirenda ſit, poſt dicemus.

Videndum, quo affectu ad Ordines accedatur.

Cap. XXI.

Quo denique affectu & propoſito accedant ordinandi, videndum, accurateque inveſtigandum eſt; Num videlicet Dei cauſa tantum, an potius ſuæ commoditatis gratia ad Ordines capeſſendos aſpirent: *Quærentes,* (h) *quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Quid enim eſt ſua quærere & non quæ Chriſti ſunt, niſi cum tales non gratis Deum diligunt, non Deum propter DEUM quærunt, temporalia commoda ſequentes, lucris inhiantes, & honores ab hominibus expetentes. (i) Quiſquis ergo talis eſt, non DEI Filius, nec ovili Chriſti idoneus Paſtor futurus, ſed mercenarius eſt. Ubique Deus hominis intentionem & mentem ſpectat, quam Chriſtus in Evangelio (k) lucernam corporis, atque oculum vocat. Qui ſi ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit: ſin autem fuerit nequam, totum corpus tenebroſum erit. Quare ſi lumen (quod in initiando eſt) tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quantæ erunt?

Quanto temporis ſpatio, ante majorum Ordinum receptionem, initiandi ſe præſentare debeant. Item, & quid initiandi tum ſecum allaturi ſint.

Cap. XXII.

Ut autem hic animus Vicariis noſtris in Pontificalibus eo exploratior ſit, neque enim qualicunque aſſertioni ſtatim tuto creditur; operæ pretium exiſtimamus, ut qui ad ſacros [quos vocamus majores) Ordines capeſſendos aſpirant, quatuor temporibus, ut vocant, quæ tempus impertitionis ejusmodi Ordinum proxime præcedunt, Vicariis noſtris in Pontificalibus ſe ſe repræſentent; qui eos (quemadmodum diximus) rogabunt, quid eos huc permoveat, an expenderint, quid in hac vocatione præſtare oporteat, an huic vocationi ſe ſentiant poſſe reſpondere: & an ſperent, ſe adjutore Deo continere poſſe ac velle. Item, an affectu carnis huc ducantur, ut videlicet in otio, & ſuaviter vivant, opesve & honores parent. Admoneantur

(e) Conc. Carthag. III. (f) Hieron. in Levit. (g) Oſe. 4.
(h) Philip. 2. (i) Aug. 8. q. 1. C. Sunt in Eccleſia. (k) Matth. 6.

tur quoque, ut ſeipſos bene explorent, excutiantque, ne cum ad capiendos Ordines reverſi fuerint, Spiritum Sanctum fraudent.

Eo ipſo etiam tempore, ordinandi teſtimonium vitæ ac converſationis ſecum adferent, ut Vicarii noſtri in Pontificalibus cum ex reſponſione, tum vitâ præcedente colligere poſſint, an admittendi videantur: & num referat, diligentius de vitæ teſtimonio, ante appetens ordinationis tempus inquirere.

Quale Teſtimonium adferendum.

Cap. XXIII.

Qui civitatem, aut oppidum, Senatus: qui vero pagum aut vicum incolit, judicii ejus loci litteras ſigillatas, quæ gratis dabuntur, ſecum feret. Quæ ne cuipiam vel per invidentiam, vel alium minus ſyncerum affectum denegentur, prohibemus. Alioqui adferens documentum factæ requiſitionis, & denegati teſtimonii, nec tamen incuſatus criminis vel defectus, ac idoneus per Vicarios noſtros in Pontificalibus repertus, nihilo ſecius admittetur. Qui vero non in oppidis aut pagis, in quibus titulum nacti, ac miniſtraturi ſunt, ſed in longinqua regione moram traxerunt, hi Canonicis ſatisfaciant inſtitutis.

Die Mercurii proxima ante ſuſceptionem Ordinum, examinandi, qui initientur Sacris.

Cap. XXIV.

Et ut hæc omnia eo accuratius obſerventur, viſum nobis eſt, ut ordinandi maxime ad Sacerdotii gradum (quod die Sabbatino ex more Eccleſiaſtico fieri ſolet) die Mercurii proxime præcedente ad noſtras civitates, ubi Vicarii noſtri in Pontificalibus Ordines ipſos ſacros impartient, ſe ſe conferant: quo duobus dehinc ſequentibus diebus, videlicet Jovis & Veneris, quos ejusmodi diſquiſitioni peragendæ deputamus, Vicariis noſtris, ipſisque noſtra authoritate in eo munere adjungendis Theologis, ſe repræſentent, examinationique eorum ſubmittant.

Neminem ab examinatione immunem eſſe oportere.

Cap. XXV.

A qua quidem neminem excipimus, etſi magiſterii titulum prætexat, niſi quem publicum ſit, & vitam integram egiſſe, & ea, quæ ordo impertiendus requirit, facile callere. Quamobrem non ſolum Clerici, qui ſeculares appellantur, ſed & religioſi, cujuslibet etiam profeſſionis fuerint, hanc cenſuram experientur.

Cujus admonendi ſint pridie Ordinationis, initiandi Sacris.

Cap. XXVI.

Pridie Ordinationis, admonebit Vicarius noſter in Pontificalibus omnes iterum, quo ſe quiſque diſcutiat, ne officio ſe alliget, cui non poſſit ſatisfacere. Neve mentiatur Spiritui Sancto, aut impœnitenti corde accurrat; ſed ore confeſſus, ac ſpiritu contritus, humiliatusque, poſt perceptam Sacroſanctam Euchariſtiam, Deo totus deditus accedat.

In minoribus Ordinibus conferendis, quæ cura adhibenda.

Cap. XXVII.

Quanquam qui minores vocantur ordines, tam exactam curam non requirant, ſuo tamen modo, pro gradu & excellentia ordinis, omnium eorum, quæ diximus, ratio adhibenda eſt. Quid enim indecorum magis, quam admoveri infantes, qui non intelligant, quid agatur, imo ne capiant quidem, quid Clerici nomen, & reliqua minorum Ordinum vocabula ſignificent? Quid turpius, quam quod penitus Analphabeti, ac interdum flagitioſi (qui ut legum civilium cenſuras ac pœnas eludant, ſe ſe impudentiſſime ingerunt) in maximam Eccleſiaſtici nominis ignominiam, ſacris initiantur? Qua de re nemo poſthac ordinibus hiſce inſigniendus eſt, niſi quem & vita commendet, & litteraturæ, ætatisque ſit, pro ratione ſuſcipiendi Ordinis, ſufficientis, ac rectæ ſynceræque voluntatis. (*l*) Qui enim in Clerum alleguntur, rem profitentur minime ridiculam, nempe ſe peculiariter in ſortem Domi-

(*l*) Hieron. ad Nepot.

Domini aſcitos, quibus poſthac omnia terrena ſordeant, ac ſolus Dominus ſors ac pars hæreditatis futurus ſit. Cujus quoque, priusquam ordinentur, diligenter admoneri debent.

Ab initiandis nihil exigendum.

Cap. XXVIII.

Ut autem Eccleſiaſtici Ordines, ſumma ſynceritate, omni quæſtus ſuſpicione, omnisque mali ſpecie quam longiſſime ſubmota, conferantur: nolumus, ut ab initiatis quicquam, vel ſigilli nomine, a Vicariis noſtris in Pontificalibus exigatur; ſed tantum ſcribis earum litterarum (quæ formatæ appellantur) unus albus ſolvatur. Nam eos ſumptus, quos antehac Vicarius noſter in Diœceſi Colonienſi Choralium cauſa facere conſuevit, non deinceps pendemus. Non dubitamus interim, Suffraganeos noſtros Vicariis ſuis in Pontificalibus ita proviſuros, ne quis juſtam querendi cauſam inveniat.

Litteræ dimiſſoriæ nulli temere concedendæ.

Cap. XXIX.

Prohibemus quoque, ne Officiales noſtri litteras dimiſſorias, quæ vulgo licentiatoria ordinandi vocantur, alicui temere concedant. Illorum enim prætextu, qui ſuæ nuditatis, & inſcitiæ ſibi conſcii ſunt, noſtrorum Vicariorum in Pontificalibus diſquiſitionem ſubterfugiunt, ac alio demigrant, ubi nullus Canonicæ traditionis reſpectus habetur.

Tituli Ordinandorum diligenter diſcutiendi.

Cap. XXX.

Tituli quoque Ordinandorum diſcutiantur. Plerique enim inventi ſunt, qui fictis, & emendicatis titulis, ad Sacerdotii dignitatem evecti, eandem turpiter proſtituere poſtea coacti ſunt, vendibiles, quandocunque doloſi ſpes refulſerit nummi. (m) Quorum numerum, quod nihil fere aliud, quam numerus ſint, imminui, plurimum referret. Inter hos ſiquidem eſt, qui in plateis mendicat infelix Clericus, & ſervili operi mancipatus, publicam depoſcit eleemoſynam: Qui eo magis a cunctis deſpicitur, quod miſer ac deſolatus, juſte putatur ad hanc ignominiam deveniſſe. Inter hos eſt, qui in divitum ac nobilium domibus ſcurram, aut mimum, aut morionem agit, quem ab officio retrahendum, Carthaginenſe Concilium decernit.

Peregrini Clerici quomodo admittendi.

Cap. XXXI.

Peregrini Clerici (n) Romæ, aut alibi ordinati, priusquam de ordinatione ſua rite adepta, deque vita, moribus, eruditione, ac titulo fidem fecerint, ac commendatitias ſuorum Epiſcoporum, ſuæque Ordinationis litteras exhibuerint, repellantur. Quanta enim per hos (qui evagandi licentia abutuntur) ſcandala, animarumque pericula, & in Clero, & in populo frequenter eveniant, nemo eſt, qui non videat.

Odioſa Beneficiorum pluralitas in una, eademque perſona.

Cap. XXXII.

Odioſa ſemper apud veteres fuit plurium Sacerdotiorum ambitioſa cupiditas, neque ſemel generalibus Conciliis damnata. In Chalcedonenſi enim inter alia cautum eſt, Clericum in duabus Eccleſiis conſcribi non oportere; quod difficile videatur, ut unus vicem duorum ſuſtineat: & abſurdum, ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia. (o) Id vero inprimis noxium eſt, ubi plures Parochiæ, ſeu dignitates, uni Presbytero committuntur, quod ſolus per omnes Eccleſias, nec officium perſolvere, nec rebus earum neceſſariam curam impendere valeat. Quare tam eos, qui de Sacerdotiis ejuscemodi diſponendi poteſtatem habent, quam qui ea, cæca cupiditate ducti, ambiunt, commonitos volumus, ut ſuos affectus Canonicis inſtitutis ſubmittant. Qui vero diſpenſatione Apoſtolica adverſus hæc ſe tueri velint, hi viderint, ut cauſam diſpenſationis obtentæ, Deo comprobent. Neque enim ſublimes, atque admodum litteratas perſonas ſuo privilegio nudamus, modo illo recte & ſecundum Deum utantur.

Diſpen-

(m) Hieron. ad Ruſt. C. Diac. 93. Diſt.
(o) Ex Tolet. C. Unio. 10. q. 3.

(n) Ex Agath. C. 25. de Cler. pereg. toto Tit.

Dispensationes inspiciendæ, ut occurratur abusibus.

Cap. XXXIII.

Quam impudenter plerique diplomatis ac dispensationibus apud Sedem Apostolicam extortis, præter Summi Pontificis mentem (qui & vult & debet potestate sibi concessa (p) non ad destructionem, sed ad ædificationem uti) abutantur, nullus est, qui ignoret. Non prohibeo, (inquit quidam vir pius (q)) dispensare, sed dissipare, dispensatio quidem credita est: sed (r) *hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Quamquam apud illos maxima culpæ pars resideat, qui vel nulla, vel minus legitima, vel etiam ficta causa, supplicatoriis precibus inserta, dispensationis tectorium tandem eliciunt; quos apud Deum, (s) qui renes & corda scrutatur, omnemque hypocrisin ac fraudem execratur, securos quis dixerit? Nemo sibi (ait idem ille, (t) quem jam citavimus) de dispensatione Apostolica blandiatur, cujus conscientiam Divina sententia tenet alligatam. Sed quia pauci sunt, in quorum conspectu est Deus, plerique vero, qui sacra authoritate pro sua libidine passim abutuntur, fit, ut Lugdunensis Concilii (u) sub Gregorio decimo celebrati, non insalubre Decretum adversus insolentiam ejuscemodi hominum in usum revocare cogamur. Quo subnixi, cunctis, qui talibus diplomatis sibi blandiuntur, necessitatem imponemus; litteras suas nobis exhibendi, visuris, num rite impetraverint, ac recte impetratis utantur. Et ut quam maxime robustæ sint dispensationes istæ, curabimus tamen, ut menti Canonis, ac Summi Pontificis satisfiat: videlicet, ne animarum cura in his Ecclesiis, Personatibus, seu dignitatibus, quas sub hoc prætextu occupant, negligatur; nec Beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur.

In resignationibus ac permutationibus Beneficiorum, quæ cura adhibenda.

Cap. XXXIV.

Postremo, cum Nobis haud clam sit, in resignationibus, permutationibusque Beneficiorum multa ancipitia perjuria committi ab his; qui frequenter, subito, ac non præmeditati, aut ipsi, aut per suos Procuratores (id quod ejusdem reatus ac culpæ est) jurejurando, ante manus impositionem testantur, in hujusmodi resignationibus, seu permutationibus nullam Simoniæ labem, aut aliam illicitam intervenisse corruptelam, cum res crebro longe secus habeat, per quod illi gravem in se Dei iram procul dubio provocant. Majori ergo cura diligentiorique, quam antehac fieri consuevit, pervestigatione prævia, hæc juramenta recipi convenit.

Præstat paucos esse bonos, quam multos inutiles Sacerdotes.

Cap. XXXV.

Et ut cum Divo Clemente hoc caput concludamus; melius est Episcopo, paucos habere Sacerdotes, ac Ecclesiæ Ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant.

De visitatione ultimo loco dicendum.

Cap. XXXVI.

De visitatione (quæ est altera muneris nostri Episcopalis pars) hic dicendi locus non fuerit importunus. Expedientius tamen erit, hanc partem in ultimam harum Synodalium Institutionum classem rejicere, quod illic tractetur commodius, majorique cum fructu, nimirum traditis, jam atque expositis regulis, ad quas oporteat, veluti ad amussim quandam, visitationem redigere, ordiri, atque peragere.

PARS SECUNDA.

De officio privato ac publico, vitaque ac moribus Clericorum generatim.

Caput I.

QUi exacte volet cognoscere Clericorum officium & vitam, is Divum Hieronymum ad Nepotianum, ac cæteros Patres, non minus eruditione, quam vitæ sanctimonia claros, qui de hac re ex professo justis voluminibus

[p] 2. Cor. 10. [q] Bern. ad Eugen. [r] 1. Cor. 4.
[s] Psal. 7. [t] Bern. ad Rup. cog. [u] C. Ord. De offic. Ord. lib. 6

nibus scripserunt, perlegat. Sat nobis in præsentiarum erit, carptim quædam delibare, ex quibus Clerici nostri summatim deprehendant, quam longe lateque a recta semita declinarint; subindeque errores ipsi tam periculosæ digressionis commoniti, pedem in viam mandatorum Domini referant: quod ab illis pientissimus simul ac justissimus Deus, cum verbo hactenus adhortans, parum profecerit, innumeris plagis justissime immissis commonens, manifesto requirit.

Unde Clerici appellatio derivata.

Cap. II.

Neminem fugit, unde Clerici appellatio derivata sit: nempe a Cleros, quod sortem sonat. Propterea etiam (si Divo Hieronymo credimus) Clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars eorum est. Quia ergo vel ipsi pars Domini sunt, vel Dominum partem habent, tales se exhibere debent, ut & ipsi possideant Dominum, & possideantur a Domino; quo cum Propheta confidenter dicant: (*x*) *Dominus pars hæreditatis meæ*; non quidem, quia a sorte Domini laicos secludamus, (omnes enim, qui Christo per Baptismum & fidem concorporati sumus, populus acquisitionis ejus sumus, de quo Propheta dixit: (*y*) *Pars autem Domini populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus.*) sed quod Clerici peculiari quadam ratione ministerio Dei & Ecclesiæ dedicati sint. Omnis quidem multitudo Sanctorum erat; attamen Dominus Tribum Leviticam suo ministerio peculiariter delegit, (*z*) quam in terra Israel propter primitias, decimas, partesque immolatorum, ac reliqua, quæ ipsis peculiariter lex dedicavit, nihil proprium possidere, nec habere partem inter fratres voluit. Dominus etiam ipse est hæreditas ejus, quam in hoc elegit ex omnibus Tribubus, ut stet & ministret nomini ejus. Habet Evangelium suam Magdalenam, habet & Martham: & secrevit *quosdam* Christus, quos *dedit Apostolos*, (a) *quosdam autem Prophetas*, *alios vero Evangelistas*, *alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Breviter, a condito orbe, & ab Ecclesiæ, quæ in Adam cepit, crepundiis, semper videntur ex hominibus assumpti quidam constituti (*b*) pro hominibus, in his, quæ sunt ad Deum. Semperque visum est genus humanum (*c*) a duobus Ministris Dei optime regi, quæ sunt Sacerdotalis authoritas, & regia potestas. Quibus, quamdiu inter se convenit, bene actum est de republica Dei: quum secus, omnia in diversum repente mutata sunt. Ponit ob oculos sermo Divinus pleraque exempla huc spectantia, perpetuo memorabilia. Sed quid attinet antiqua repetere, quum nostri temporis exempla non minus insignia, non in aures tantum, sed in oculos ipsos influant, quæ nimis abunde docent, quantum malorum in Ecclesiam Dei invexerit, sacra profanis miscuisse?

Clericum suo officio intentum esse oportere.

Cap. III.

Omnis mali seminarium (*d*) cupiditas semper fuit. Nam dum nemo suum peragit officium, alienis semper intentus: nempe Clericus, quæ laici, laicus, quæ Clerici sunt (ut deteriora sileamus) usurpat: fit, ut Ecclesiæ harmonia diutius constare non possit. Obtestatur Paulus Apostolus Timotheum, quin potius contestatur simul omnes, quotquot erant Timotheo successuri: *Tu* (inquiens) *vigila*, (e) *in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.*

Duplex Clericorum Ministerium.

Cap. IV.

Clericis, & inprimis Ecclesiæ Presbyteris, duplex ministerium, Divinis & humanis legibus est injunctum. Alterum, ut in commissum sibi populum Deum propitium habere, cunctis rationibus enitantur: quod non tantum sacrificiis solennibus efficitur, sed etiam precibus, quæ a pio corde proficiscuntur, teste Jacobo, qui nos ad precandum cohortans: *Orate* (inquit) *pro invicem*, (f)

(*x*) Psal. 15. (*y*) Deut. 32. (*z*) Num. 18. Deut. 18.
(*a*) Ephes. 4. (*b*) Hebr. 5. (*c*) Gelas. Pontif. ad Anast.
(*d*) 1. Tim. 6. (*e*) 2. Tim. 4.

(f) *ut salvemini: Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Omnibus quidem dictum est: (g) Petite & accipietis. His vero, ut semper petant, nec pro semetipsis tantum, sed & pro tota Ecclesia Dei, ut vincat populus, qui sub ipsis est, hostes illos invisibiles, impugnantes eos, qui volunt pie vivere in Christo, ut stent sicut Moyses, levatis semper interioribus animi manibus in cœlum, in confractione, in conspectu Domini, ad avertendum iram ejus, ne disperdat populum suum assidue precantem: deinde ut offerant dona, ac sacrificia pro peccatis, quemadmodum scriptum est: (h) Quoniam *Sancti erunt Deo suo, & non pollarent nomen ejus. Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerent, & ideo sancti erunt.* Alterum, ut sint religionis magistri, proindeque ut in lege Domini meditentur die ac nocte, (i) ut *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum; dulciora super mel & favum*, totis præcordiis amplectantur, exquirant, scrutenturque. Idque non propria præsumptione, aut humano sensu, sed Spiritu Sancto dictante, qui abscondit (k) hæc a sapientibus & prudentibus in oculis suis, & revelat ea parvulis. Unde scriptum est: (l) *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem exquirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Qui in hoc secundo munere præstant, gregi Christi pascendo admovendi sunt: de quibus suo loco dicemus.

Biblia a Clericorum manibus nunquam deponenda.

Cap. V.

Hic satis est admonuisse omnes, pariter Ecclesiasticis muniis consecratos, ipsos precibus supplicationibusque publicis Deo persolvendis mancipari. Quas ut non tantum ore murmurent, sed & corde persolvant, nunquam a manibus eorum liber legis (hoc est, Biblia) deponatur. Nam ut quæ legunt & canunt, discant intelligere, tota vita vix suffecerit: si tamen quid est in litteris sacris, quod totum humanus intellectus assequi possit, aliis subinde divitiarum fonticulis ex eodem fonte semper scaturientibus.

De horariis precibus indies perlegendis, & reformandis Breviariis.

Cap. VI.

Veteris ergo instituti, quo sancitum est, ut Clerici sacris initiati, vel Sacerdotiis præsidentes, singulis diebus perlegant horarias preces, quas Canonicas appellamus, causæ multæ, & potissimum eæ, quas jam commemoravimus, videri solent. Hic multo jam ex tempore, pio (ut spes est) animo desideravimus repurgari Breviaria. Nam cum olim a Sanctissimis Patribus (m) institutum sit, ut solæ Scripturæ sacræ in Ecclesia recitarentur, nescimus, qua incuria acciderit, ut in earum locum successerint alia, cum his neutiquam comparanda. Atque interim historiæ Sanctorum tam inculte, ac tam negligenti judicio conscriptæ, ut nec authoritatem habere videantur, nec gravitatem. Deo itaque Authore, deque consilio Capituli nostri, ac Theologorum, aliorumque piorum virorum, reformationem Breviariorum meditabimur.

Pro cujuslibet affectu, non facile novandum, quod in Ecclesiastico officio agitur.

Cap. VII.

Sunt in Clero (n) Zelum quidem Dei habentes, sed non secundum scientiam, qui privatis quibusdam affectibus ducti, vel testamento, vel (ut vocant) fundationibus efficiunt, ut nova Festa, præter Ecclesiæ authoritatem, solenniter subinde celebrentur. Quo interim fit, ut preces horariæ, ac reliqua publice recepta, pro affectu cujuslibet facile noventur, id quod nobis non satis probatur. Neque enim errarunt Patres, a quorum institutis in dicendis precibus, utinam tam longe discessum non fuisset. Quod si hic singulorum affectibus indulgebitur, tandem antiquus ritus penitus evanescet.

 Quo

(f) Jac. 5. (g) Matt. 7. (h) Levit. 21.
(i) Psal. 18. (k) Matt. 11. (l) Malach. 2.
(m) In Conc. Afric. (n) Rom. 10.

Quo affectu horariis preces persolvere oporteat.

Cap. VIII.

Non suffecerit autem preces istas horarias, utcunque permurmurasse, sed ut conciliari Constitutione (o) cautum est, Presbyter ex intimo affectu, elevataque mente in solum Deum, nocturnum hoc, diurnumque suæ servitutis pensum exsolvat. Maledictus (p) enim, qui facit opus Domini negligenter. Alioqui in precantes competet: [q] Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Quam maxime vero orantem cavere oportebit, ne alio respiciat, quam ad Deum. Quod si externæ gloriæ aucupandæ, aut lucri gratia, denique potius ex more, quam mente orare instituat; pars ejus inter hypocritas reputabitur, de quibus Dominus in Evangelio pronuntiavit, (r) quod ament in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus, proindeque mercedem suam receperint. Et alibi ipsis interminans: [s] *Væ* (inquit) *vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.* Alibi quidem Dominus ait, (t) Oportere semper orare, ac nunquam deficere, sed alia prorsus ratione, quam precabantur Pharisæi: nempe secundum Divi Pauli sententiam, qui Divini Numinis clementiam sibi conciliare volet orando, oculis interioribus in Cœlum semper intentus, (u) orabit spiritu, orabit pariter & mente, psallet spiritu, psallet & mente: quemadmodum de Anna Samuelis matre legimus, quæ multiplicans preces, coram Domino (x) *loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* Effudit enim animam suam in conspectu Domini. Denique curandum est, ut pœnitenti animo ac corde contrito, humiliatoque, gratiæ Deo dicantur, ac psallatur. Ut enim Divinus Psaltes ait: (y) *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas?* & ea, quæ sequuntur. Utque oculi inter orandum ab omni vanitate avertantur.

Summa devotione Missæ sacrum celebrari oportere.

Cap. IX.

Jam si tanto mentis ardore quælibet preces dicendæ sunt, quanta, putamus, devotione Sacrosanctum Missæ Ministerium, in quo Corporis & Sanguinis Dominici Sacramenta tractantur, conficiunturque, peragendum est? Certe graviter dolemus, atque animo inhorrescimus, ubi videmus passim, tantis mysteriis indignos, ac conductitios illos, ac indignos Sacerdotes, publicis etiam ac manifestis criminibus contaminatos, sese (idque irreverenter & interdum magis lucelli ac stipis, quam Dei causa) Sacris ingerere, quorum instat interitus, & perditio non dormitat. *Probet* (inquit Paulus) (z) *se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Atque *ideo* (ut subdit) *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Nam si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Arguuntur, qui polluta mente altare Domini accedunt.

Cap. X.

Terret, nec immerito, nos sermo Dominicus, qui vetat, (a) nos Sanctum dare canibus, & margaritas nostras projicere ante porcos, quum quosdam leviculos Sacerdotes, illotis manibus, pedibusque (ut in Proverbio est) audacius in hæc sacratissima mysteria, quam in prophana irrumpere comperimus. Quales sunt, qui humano affectu tantum, & potius ex more, quam devotionis ardore ad altare accedunt, quorum polluta est & mens & conscientia: quos merito horrendum Evangelii exemplum (quod Joannis decimo tertio legimus, in hæc verba: Et postquam accepisset buccellam, introivit in eum Sathanas, & cætera, quæ sequuntur) ad meliorem vitæ frugem,

[o] Ex Conc. Agath. Cum Presbyter. & C. Dolentes, De celebr. Miss.
[p] Hierem. 48.
[q] Esaiæ 29.
[r] Matt. 6.
[s] Matt. 23.
[t] Luc. 18.
[u] 1. Cor. 14.
[x] 1. Reg. 1.
[y] Psal. 49.
[z] 1. Cor. 11.
[a] Matt. 7.

gem, altioremque tanti myſterii contemplationem revocaret.

Revidenda Miſſalia, ac Breviaria.

Cap. XI.

Peculiaria Miſſarum argumenta, recens præter veterum inſtitutionem inventa, etiam Patribus diſplicuerunt, quod tantum myſterium pro affectu cujuslibet tractari non debeat. Proſas indoctas, nuperius Miſſalibus cæco quodam judicio invectas, prætermittere per nos liceret. Videbimur ergo operæ pretium facturi, ſi Miſſalia perinde, atque Breviaria pervideri curemus, ut amputatis ſuperfluis, & quæ ſuperſtitioſius invecta videri poſſint, ea tantum, quæ dignitati Eccleſiæ, & priſcis inſtitutis conſentanea fuerint, relinquantur.

Quæ omitti aut decurtari, vel organorum, vel cantorum concentu haud debeant.

Cap. XII.

Jam & illud non recte fit in quibusdam Eccleſiis, ut ob Cantorum & Organorum concentum, omittantur, aut decurtentur ea, quæ ſunt præcipua. Cujus generis ſunt, recitatio verborum Propheticorum, aut Apoſtolicorum, quam Epiſtolam vocamus, Symbolum fidei, Præfatio, quæ & gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem hæc tota diſtinctiſſime ac intelligibiliter, uti cætera omnia (ſi tamen non levis decurtandi cauſa ſubſit) decantentur. Sit quoque cantus, quo Presbytero reſpondetur, æqualis, nec præcipitatus.

Quemadmodum Miſſa legenda.

Cap. XIII.

Qui legit Miſſam, cum reverenda modeſtia, clare, diſtincte, & exerte legat omnia uſque ad Canonem, ut qui audiendi Sacri cauſa aſtat, quod legitur, intelligat, atque ad pietatem excitetur.

Quid poſt Elevationem Euchariſtiæ agendum.

Cap. XIV.

Poſt Elevationem conſecrati Corporis & Sanguinis Dominici in nonnullis templis canunt Antiphonas, pro pace, aut contra peſtilentiam, & mortalitatem, cum potius tum videretur ſilendum, & ab omni populo mortis Dominicæ commemoratio habenda, proſtratisque humi corporibus, animis in cœlum erectis, gratiæ agendæ Chriſto redemptori, (*b*) qui nos ſanguine ſuo lavit, morteque redemit. Cantiones vero illæ contra mortalitatem, ſeu cladem, aut pro pace, ſatius poſt finitam Miſſam canuntur. Quæ ut ad Deum dirigantur, excerptæ ex Canonica Scriptura plus placuerint, quales ſunt Antiphonæ, *Media vita*: ac, *Da pacem Domine*, & ſimiles. Sic tamen, ut illis etiam, quæ Glorioſæ Virgini Matri dicatæ ſunt, ſuus honos ac locus ſervetur.

Organorum melodia quemadmodum temperanda.

Cap. XV.

Organorum melodia in templis ſic adhibebitur, ne laſciviam magis, quam devotionem excitet; neve præter Hymnos Divinos ac cantica ſpiritualia quicquam reſonet, ac repræſentet.

Singulis Dominicis diebus, quæ ipſis peculiaria ſunt, officia dicenda.

Cap. XVI.

Mos inolevit non admodum improbandus, (*c*) ut diebus Dominicis, toto ferme anno, officium Miſſæ vel de Sacroſancta Trinitate, vel de Spiritu Sancto dicatur. Nobis ſatius videtur, ut quæ priſca Eccleſia ſingulis Dominicis peculiaria fecit, obſerventur. Quod ſi illorum loco alia uſurpanda erunt, videbitur, quod de Reſurrectione Domini eſt, diei Dominico magis convenire, quod dies illa potiſſimum Reſurrectioni dedicata ſit. Neque ignoramus non abſque cauſa Concilio Triburienſi (*d*) conſtitutum, ne propter Miſſas peculiares, Miſſa, quam de feria vocamus, prætermittatur.

Confeſſio, Miſſæ præambulum, devote recitanda.

Cap. XVII.

Confeſſio illa, Miſſæ præambulum, devote cum Miniſtris uno aut pluribus, viciſſim confitentibus, ac Sacerdotis abſolu-

(*b*) Epheſ. 5. (*c*) De Conſ. Diſt. 3. Sabb. C. 2. De feriis.
(*d*) C. 2. De celebr. Miſſ.

ſolutionem in verbo Chriſti, plena pœnitentis cordis erga Dei pietatem fiducia, recipientibus, recitanda. Ad omnes enim Sacro aſtantes, ea abſolutio refertur, ut digne tantis myſteriis valeant intereſſe. Quamobrem dum hæc fiunt, non ſit miniſter accendendis luminaribus, aut aliis mentem avocantibus (quæ prius facta oportuit) intentus.

Cur Sacerdos in Altari Miniſtrum habeat.

Cap. XVIII.

Nec ſine magna ratione in Concilio Toletano (*e*) conſtitutum fuit, ut habeat quisque canens Deo atque ſacrificans, poſt ſe vicini ſolaminis adjutorem, ubi temporis, loci, ſive Cleri copia ſuffragatur: idque propter morbos & caſus diverſos, qui occurrere poſſunt; quo is, qui impleturus officia accedit, ſi aliquo caſu turbatus, vel in terram eliſus fuerit, a tergo ſemper habeat, qui ejus vicem & officium intrepidus exequatur. Aliis inſuper Canonibus (*f*) cavetur, ne Presbyter, niſi duobus teſtibus præſentibus, celebret. Quæ decreta in quam diſſuetudinem abierint, in aperto eſt: nimirum Presbyteris frequenter celebrantibus, talibus tantum adhibitis, qui vix ipſis reſpondere, nec quid agatur, ſciant.

Omnis Cultus Divinus ſumma cum veneratione peragendus.

Cap. XIX.

In ſumma, Cultus Divinus, (*g*) quem Sacerdos in domo Dei exhibet, debita cum veneratione peragendus eſt, ut & Deo gratus ſit, & inſpicientibus placitus, qui conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed & reficiat. Monet ſiquidem Diviniſſimus Paulus, (*h*) ut omnia noſtra ordinate ac honeſte fiant: ac acerrime increpat Corinthios, (*i*) quod irreverenter convenirent in unum ad cœnam Domini manducandam.

De vita ac moribus Clericorum.

Cap. XX.

Nunc de vita ac moribus paucis videamus. De vita inſtituenda ſic præcepit Paulus, nedum Clericis, ſed omnibus Chriſtianis: (*k*) *Mortificate* (inquiens) *membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ. . . . Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam de ore veſtro, ... expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum, . . .* quia eſt *omnia & in omnibus Chriſtus. Induite vero vos ſicut Electi Dei, Sancti & Dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam. . . . . Super omnia autem hæc, Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis, . . . & grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter: in omni ſapientia docentes & commonentes vosmetipſos in Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri JESU CHRISTI, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum . . . . Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum. Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus.* [l] *Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione . . . Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, ut ſciatis, quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.* (m) *Omnis* autem *ſermo malus ex ore veſtro non procedat. Sed ſi quis bonus, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei.* (n) *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. . . De cætero, quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, . . . & Deus pacis erit vobiscum.*

Ob

(*e*) C. 11. C. Ut illud. De conſec. Diſt. 1.
(*f*) De conſec. Diſt. 1. Hoc quoque.
(*g*) Ex Conc. Lugd. ſub Greg. X.
(*h*) 1. Cor. 14.
(*i*) 1. Cor. 11.
(*k*) Coloſ. 3.
(*l*) Coloſ. 4.
(*m*) Epheſ. 4.
(*n*) Philip. 4.

Ob quam causam Clerici male audiant, ac puniantur.

Cap. XXI.

Olim Clericis hæc Apostolica præcepta tenentibus, (*o*) *Pax super illos* erat: (*p*) quomodo ergo non tantum vinea, sed & vineæ cultores facti sunt in direptionem? *Ecce* (inquit Ezechiel, (*q*) ad Hierusalem verba faciens) *hæc fecit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus: & manum egeno non porrigebant. Et elevatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me, & abstuli eos, sicut vidisti.*

Præcipuæ causæ omnis mali tres.

Cap. XXII.

Præcipuæ ergo causæ omnis mali, sunt fastus, luxus, & avaritia, a quibus Clerici potissimum male audiunt.

Ambitionem, ac fastum Clericali officio maxime repugnare.

Cap. XXIII.

Ut omnem ambitionis radicem Christus discipulorum cordibus eximeret, parvulum in medio illorum statuit, (*r*) deque primatu certare prohibuit. *Qui major* (inquit) (*s*) *est in vobis, fiat sicut minor, & qui Præcessor est, sicut Ministrator. Nam quis major est? qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit?* Quis vero ignorat Clericum in medio Ecclesiæ esse tanquam eum, qui ministrat? Quare meminerimus potius officii nostri, quam dignitatis. Neque enim ad dominationem vocati sumus, sed ad opus. Non immerito Hieronymus, ut pestem quandam fugiendos Clericos ait, qui a speluncis domorum paternarum abstracti, & post in Ecclesia sublimati, ac Sacerdotiis ditati, vanæ gloriæ & superbiæ stimulis efferuntur.

Omnis luxus Clerico interdictus.

Cap. XXIV.

Beatus Hieronymus Ecclesiæ Præfectos, qui luxu ac deliciis affluunt, Micheam describere asserit, quod ejiciendi sint de spatiosis domibus, lautisque conviviis, & multo labore conquisitis epulis, (*t*) *in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Vivere quidem de Altario Sacerdoti licet, luxuriari non permittitur. A crapula itaque & ebrietate, a compotationibus illis ad haustus æquales, a luxu, ab alea, ab immoderatis sumptibus & commessationibus Concilium Generale (*u*) Clericos revocat universos, sequutum veteris testamenti institutum, quo ministris Templi vinum & sicera prohibebatur, ne ebrietate gravarentur corda eorum, & ut sensus eorum semper vigeret, & esset tenuis. Et Apostolus ait: (*x*) *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed impleamini Spiritu Sancto.* Et iterum: (*y*) *Non in commessationibus & ebrietatibus*; & quæ sequuntur. Atque alibi Salomon: (*z*) *Luxuriosa res, vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit sapiens.*

Clerico non licere vel cauponem agere, vel tabernas, nisi necessitatis causa, intrare.

Cap. XXV.

Olim tanta honestas desiderabatur in Clero, (*a*) ut ne nuptialibus quidem conviviis ipsis interesse liceret, nec immisceri spectaculis, ac cœtibus, ubi amatoria cantantur, aut obscœni motus corporis, choræis, & saltationibus efferuntur, ne auditus & intuitus sacris mysteriis deputatus, turpium spectaculorum, atque verborum contagione pollueretur. Quid? si videret Ecclesia illa prisca Clericos nostri temporis tabernarios, tabernisque (quasi domos non haberent) noctu diuque alligatos, quam execraretur facinus? Posthac ergo, non solum nullus ex Clero sordidissimum Cauponem, aut tabernarium agat; sed ne ad tabernas quidem, nisi necessitatis causa, divertat. Alioqui pœnæ Canonicæ imminent ei, qui Ordini suo hanc ignominiosam notam inurere tentaverit.

Habi-

(*o*) Gal. 6. (*p*) Esaiæ 5. (*q*) Ezech. 16.
(*r*) Matt. 18. (*s*) Luc. 22. (*t*) Matt. 8.
(*u*) De vit. & honest. Cleric. C. A crapula. (*x*) Ephes. 5.
(*y*) Rom. 13. (*z*) Prov. 20. (*a*) Ex Conc. Agath. Laodic. Carthag. ult.

Habitus, seu exterioris corporis cultus modestia, a Clericis exigitur.

Cap. XXVI.

Beatissimus Paulus [b] habitus modestiam & in mulieribus desiderat, quem vult verecundum esse, *non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Itidem Apostolus Petrus (c) eas commendat, *quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Quam turpis ergo putanda est in Clericis, tanto gradu sublimioribus, deformissima illa ac frequentissima nostræ tempestatis habituum variatio, quam ne infirmiori quidem vasculo Apostolorum Principes permittendam duxerunt? Ex veste apud homines sanctimoniæ opinionem aucupari prohibuit Christus, qui in omnibus operibus nostris, id quod intus est, primum respicit, mundarique jubet, deinde quod deforis est, væ illud horrendum Pharisæis hypocritis interminans, (d) qui ut viderentur ab hominibus justi, dilatabunt philacteria sua, & magnificabant fimbrias, cum essent intus pleni rapina, & immunditia. Interim tamen Evangelium non temere vestimentum Joannis Baptistæ (quod illius professioni ac menti respondebat) de pilis camelorum contextum celebrat, (e) ac ipse Christus vestium mollitiem ac lenitatem aversatur. (f) *Ecce!* (inquiens) *qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Quæ omnia huc spectant, ut velimus, Clericos præter indictam tonsuram, vestes quoque suo Ordini congruentes deferre; quemadmodum olim Generali Concilio (g) cautum est. Pudet siquidem nos, cum videmus, prodire Clericos perinde, atque seculi milites amictos, vel qui sint ut fœmina compti: Itidem pannosi Clerici ac vestibus laceri displicent. Neque etiam affectatæ sordes, aut exquisitæ deliciæ laudem pariunt.

Mali exempli est, Sacerdotem se venditare in Capellanum delicato laico, aut mulierculæ.

Cap. XXVII.

Magna eorum levitas est, in magnam Cleri ignominiam redundans, qui se laicis, atque adeo delicatis fœminis, ventris causa, in Capellanos, ut appellant, atque Anteambulones venditant. Qui enim debebant esse gregis duces, rediguntur in caudam, & sordidissimis quibusque negotiis alligantur. Proh! nefas.

Suspecta mulierum cohabitatio Clericis interdicta.

Cap. XXVIII.

Nicæno Concilio neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli Clericorum omnino habere secum mulierem extraneam permittitur, nisi forte mater, aut soror, aut avia, vel amita, vel matertera sit. Nos [si tamen hæc tempora tantam severitatem pati non videntur] saltem suspectam cohabitationem prohibemus.

Avaritia in Clero execrabilis.

Cap. XXIX.

Ex quo in Ecclesia Dei avaritia crevit, (h) periit lex de Sacerdote, & visio de Propheta, quemadmodum Divus Hieronymus ad Rusticum Narbonensem ait. Nec mirum, quod nemo possit servire Deo & Mammonæ: (i) *aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* (k) *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur,* quisque secundum suæ vocationis rationem, *his contenti simus.*

Honesto artificiolo victum quærere, Clerico licet.

Cap. XXX.

Quibus non suppetit ex Sacerdotio, (l) honesto artificiolo victum quærant, secuti Divi Pauli exemplum. [m] Sic tamen, ne sordidam aliquam artem, Sacerdotio ignominiosam, exerceant.

Clerici

(b) 1. Tim. 2. (c) 1. Pet. 3. (d) Matt. 23.
(e) Matt. 3. (f) Matt. 11. (g) C. Cler. De vit. & hon. Cler.
(h) Ex Conc. Mogunt. Ezech. 7. (i) Matt. 6. (k) 1. Tim. 6.
(l) Ex Conc. Carth. C. Cler. vict. 91. Dist. (m) Act. 18.

Clerici ne mercatores sint, multo minus fœneratores.

Cap. XXXI.

Nemo militans Deo (*n*) implicet se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Quare multa providentia olim vetitum est, (*o*) ne Clerici vel Monachi, mercatores (tacemus fœneratores) sint lucri causa.

Damnantur Clerici superstitiosi, scurræ, curiosi, ac leviculi.

Cap. XXXII.

Reperiuntur, qui superstitioni, divinationibusque ac sortibus dediti sunt, (*p*) quos damnamus. Sunt qui scurras in conviviis divitum, ac potentum agunt, qui cum malefecerint, gloriantur, & exultant in rebus pessimis: qui digni non sunt, ut Clerici appellentur. Sunt curiosi & leviculi, (*q*) qui in foris, in compitis, in plateis, in vicis obambulant vagis oculis, effræni lingua, petulante fluidoque incessu, & levitatem animi, impudentiamque mentis ostendunt: quos aversamur. Eos vero tantum, & re, & nomine Clericos reputamus, qui legem Dei die noctuque meditantur, munus susceptum debite exequuntur, ac vitam agunt Sacerdotio dignam.

PARS TERTIA.

De Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, & in his ministrantibus.

Caput I.

Quum Metropolitana, seu Cathedralis Ecclesia Sedes sit Episcopi, Principemque locum in Clero obtineat, nequaquam postremum in reformatione locum obtinere debet. Nisi enim ea Ecclesia præluceat omnibus, quæ in tota Provincia aut Diœcesi constitutæ sunt, frustra intendimus redigere in ordinem Ecclesiasticæ disciplinæ cæteras.

De officio Decanorum.

Cap. II.

Porro quum Collegiatæ Ecclesiæ, secundariæ sint post Cathedrales, & instar illarum (quod ad ordines ministrantium, Divinumque cultum attinet) constitutæ; utrobique Decanis curæ erit, ut Cleros suos ad observationem piorum rituum provocent, ac reducant; ut ad agendam vitam Clericis dignam perpetuo cohortentur, ac impellant; ut a negotiis, a tumultibus mundanis revocent, ne magis seculi, quam Christi milites videantur: ut comessationibus, ebrietatibus, ac omni luxui interdicant; denique ut singulos suo officio satisfacere compellant.

De officiis in ejuscemodi Ecclesiis ministrantium generatim.

Cap. III.

Sunt in hisce Ecclesiis diversi ministrantium gradus: nempe Præpositi, Decani, Archi-Diaconi, Scholastici, Cantores, qui & Chori-Episcopi: Thesaurarii, qui & Sacristæ, seu Custodes: Canonici, Vicarii, atque id genus alii. Interpretetur quisque vocabulum suum, & curet esse, quod dicitur, secundum veterum Patrum institutionem ac regulam. Atque eo solo fecerint, ut cum nostræ, tum omnium piorum exspectationi magna ex parte respondisse videantur.

De Canonicorum vita & officio.

Cap. IV.

Ut de Canonicis dicamus paucis: Respondeat eorum vita titulo, respondeat nomini: sint reipsa, ut sunt nomine, Canonici, id est, Regulares. Neque enim clam est, primam eorum originem monasticæ disciplinæ fuisse. Imitentur Apostolos, & nascentis Ecclesiæ Ministros, (*r*) quorum erat cor unum, & anima una; qui quotidie (ut in Actis Apostolicis legimus (*s*)) *perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis*, perseverantes in orationibus, *collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* De tali Conventu Psaltes dixit: (*t*) *Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Qui & compellans, ac provocans ejuscemodi

(*n*) 2. Tim. 2. (*o*) Ex Conc. Mogunt. C. 1. Nem. Cler. vel Mon. C. So. eo Tit.
(*p*) Ex Conc. Agath. 7. C. Quam sit grave. De exc. Præl. (*q*) 23. Dist. C. His.
(*r*) Act. 4. (*s*) Act. 2. (*t*) Psalm. 132.

cemodi Conventum, ait: (u) *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini: qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Porro Ecclesiæ istæ Collegiatæ quandam vetustatem spirant, & Ecclesiæ primitivæ institutum præ se ferunt, quod vel forma ædificiorum ostendit, quæ Canonicos prope templum in unum pene habitaculum collocavit, ut procul a promiscua multitudine separati, Divinis pariter laudibus jugiter insisterent.

Quemadmodum preces horariæ, aliæque laudes Divinæ decantandæ.

Cap. V.

Statis ergo ac debitis horis, (x) laudes Divinæ non cursim ac festinanter, sed tractim; non truncatim, sed integre, distincte, devote, reverenterque ab omnibus decantentur, persolvanturque. Et quum psallendi gratia conveniatur ibidem, muta aut clausa labia nemo tenuerit; sed omnes pariter, senes cum junioribus laudent nomen Domini in Psalmis, Hymnis, & Canticis, Deo alacriter modulantes; sic tamen, ne boatus confundat recitationem. Nemo tum, cum publice vel preces horariæ, vel Missæ sacrum, cantando peraguntur, legat vel dicat privatim officium: nam is id, cui obnoxius est, choro subtrahit, atque alios vel psallentes perturbat, vel a psallendo retrahit. Quem tamen aliud officium Ecclesiasticum, aut publicum alio statim rapiet, ut nisi legens preces horarias, tempestive absolvere haud possit, hac lege teneri nolumus. Quam autem a vero aberrant, qui existimant, se se non alicujus officii in Ecclesia exercendi, sed quietis & inertiæ tantum causa Canonicatus esse adeptos? Perinde atque satis sit, paucis quibusdam Clericis admodum ignaris, tenui pretio conductis, curam Divini officii committi, quod deinde ejuscemodi mercenarii, non servatis temporum interstitiis, syncopando transcurrunt, interim ipsis Canonicis tota vita torpentibus.

Inter Sacra nihil ne cogitandum quidem, quod Dei aut Ecclesiæ oculos offendat.

Cap. VI.

Longe vero abominabile est, quod quidam tum, cum Divina aguntur, inter se se de rebus profanis tractant, mussitationes, colloquia, risus, & cachinnos intermiscent. Quidam aut in aliquem chori angulum se recipientes, de nugis, ne quid gravius dicamus, commentantur: aut foris per templum magno cum populi offendiculo deambulantes, oculos pariter & aures ad vanitatem convertunt, atque sacra loca fœdant, positi in lapidem offensionis & petram scandali. Hac lege nullum excipimus, sive claris sit natalibus prognatus, sive plebejus. Quin potius, qui genere præstant, meminerint se illic Canonicos agere, & conversari non in aulis, sed in scholis virtutum, ac Ecclesiasticæ disciplinæ.

Decani templi summi potestas in prævaricatores.

Cap. VII.

Facimus quoque Decano Ecclesiæ nostræ potestatem, personas Ecclesiasticas ex aliis Collegiatis Ecclesiis, interdum magis curiositate rerum novarum, quam devotionis causa ad Templum summum se recipientes, ac inibi, præter omne decorum, sæpe etiam Ecclesiastico habitu non amictas, inter laicos sursum, & deorsum inambulantes, pœna Canonica, nimirum suspensionis temporariæ, aut majori etiam, pro ratione culpæ coercendi.

Quem oporteat esse vestitum ministrantium in hisce Ecclesiis.

Cap. VIII.

De vestitu Clericorum ante diximus, qui in his tanto debet esse decentior, quo sunt altiori loco, perindeque atque in speculo quodam constituti. Sit ergo chorum ingredientibus vestis talaris, sint pilei, (quæ bireta vocamus) sint camisiæ, sint denique calcei pariter & caligæ tales, in quibus non fastus, jactantia, elationis vitium, vel mentis levitas, sed Clericalis Ordinis honestas & modestia deprehendatur. Siquidem ita semper visum est majoribus nostris, externum habitum, quid intus crepet, designare: Adeo ut & leges civiles injuriam, matronæ, habitu meretriceo utenti, illatam, non

(u) Psalm. 133. (x) Ex Conc. Agath. C. Presb.

non vindicent: ac Canones [y] Clericum non alligatum conjugio, habitum ac tonſuram Clericales deferentem, poſt tertiam monitionem; Clericum vero conjugatum, ſtatim privilegio exuant Clericali: Adeo ut ſic in maleficiis deprehenſi, animadverſionem civilium Magiſtratuum non evadant. Ne autem poſthac quispiam excuſationem non factæ aut præviæ monitionis prætexat, hac noſtra Synodali conſtitutione omnes (quotquot ſunt in noſtris Diœceſibus conſtituti) Clericos, qui habitu minus decenti utuntur, monemus, ut intra tres menſes, quorum ſingulos pro ſingulis dilationibus, tertium vero uti peremptorium terminum præfigimus, habitum, qui Clericos deceat, reaſſumant: Alioqui ipſo facto, nulla poſthac alia monitione expectanda; in cenſuras ac pœnas conſtitutionum Canonicarum incurſuri.

Decani undiquaque advigilabunt.

Cap. IX.

Quo ergo hæc, quæ diximus, repurgentur, ac debite ſimul cum omnibus aliis ad Divini Officii proſequutionem, ac Cleri diſciplinam ſpectantibus obſerventur, Decanus diligenter invigilabit, hinc & hinc circumſpiciens, ne quid inordinate fiat.

Ante omnia vero, ut Canonici Sacris adſint.

Cap. X.

Cui ante omnia curæ erit, ne quis Canonicorum Sacris abſit, ſed ut qui emolumentum ferre volent, officium quoque ſuum, propter quod beneficium datur, in Eccleſia gerant. Aurelianenſi Concilio cavetur, Clericos, qui officio adeſſe contemnunt, Eccleſiaſticam diſciplinam arbitrio Epiſcopi recepturos. Sed facile caſtigabitur hic lapſus, ſi negligentes ſubtractione proventuum ſeu diſtributionum mulctentur. Quare qui ab Epiſtolæ lectione, exinde toti Miſſæ, & a Pſalmo, ſingulis horis Canonicis integris ac minime interpolatim (niſi forſan neceſſitate avocante, petitaque ac obtenta licentia) non interfuerit, juſtum eſt, ut hic illius horæ aut officii ſtipendio in totum careat.

Vicarii, ut Divinis laudibus decantandis interſint, adigendi.

Cap. XI.

Qui Vicarii dicuntur, in quibusdam Collegiis ſe in libertatem quandam potius carnis, quam ſpiritus vindicare contendunt, nolentes choro, decantandisque ſimul cum Canonicis, Divinis laudibus ac ſacris eſſe addicti: ſed hi reſipiſcant, ac incipiant intelligere, cur Vicarii dicantur: ſuperpelliceis quoque utantur. Cujus enim vices gerent, niſi Canonicis adjutores accedant? Horum nimirum vice, qui vel adverſa valetudine detenti, vel negotiis neceſſariis avocati, intereſſe non poſſunt. Cur tandem ſuperpelliceis utentur, qui chori ſacris ſe mancipatos non agnoſcunt? In ordinem ergo diſciplinæ redigantur, ſuſpenſionisque pœna, etiam a fructibus, nedum quotidianis illis, quæ diſtribuuntur, ſed a groſſis etiam, pro culpæ modo, animadvertendum in non parentes.

Ad perſonalem reſidentiam cogendi, quibus hæc per fundationes Beneficiorum eſt impoſita.

Cap. XII.

Quorum fundationes perſonalem reſidentiam requirunt, illi aut ipſi reſideant, aut a proventuum perceptione ſuſpendantur, & fructus illi in alios pios uſus convertantur, niſi qui Reipublicæ cauſa ex authoritate noſtra abſuerint.

Lucri tantum cauſa Sacris adeſſe non oportere.

Cap. XIII.

Utinam optando a Deo Opt. Maximo conſequi poſſimus, ne quisquam lucri cauſa Divinis intereſſet, alioqui non acceſſurus ſacra: veluti quem nummi magis, quam Dei amor in templum trahit, quæſtum pietatem eſſe putans: qui, non dubium, ex numero eorum eſt, de quibus, Eſaias dixit: Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Nec multum is abeſt, (uti plerisque doctiſſimis viris placuit) ab horrendo crimine Giezi, (z) qui exiſtimavit Divinum munus pecunia redimendum. Quare viderint Clerici noſtri, ut eorum mens

(y) Honor. 3. C. Ex parte. De privil. & exceſ. privil.

(z) 4. Reg. 5.

mens & intentio tota in Deum referatur, ut cum David confiteantur Deo in directione cordis, ac in labiis suis pronuntiantes omnia judicia oris ejus. Optandum, ut Psalmus ille centesimus decimus octavus, qui toties non sine causa in Ecclesiis replicatur, ore simul & correspondente singulis verbis mente decantetur: & cum eodem Psalte ex animo dicatur: (a) *Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.* Non adimit Christus, sed decernit operanti suam mercedem: (b) *Dignus est enim operarius mercede sua.* Et: (c) Qui altario deservit, de altario & vivet. Sed interim cogitare debet Clericus, se vivere, non ut edat: sed edere, ut Christo vivat, habereque semper mente reconditum Christi verbum: (d) *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Capitula disciplinæ qualiter observanda.

Cap. XIV.

Capitula vero disciplinæ (quæ vocant) multo majori diligentia observentur, atque hactenus. Id ita fiet; si non tam prophanæ, quam res sacræ in his tractentur: si de moribus inquiratur, si vita expendatur singulorum: Et quod olim Sancti Patres fecisse dignoscuntur, extemporali oratione, interdum commonerentur fratres: Et imprimis ad sacras litteras capessendas instigarentur, atque ut in his optimas horas collocarent, incitarentur; quod hic reperiatur fons vitæ scaturiens, (e) ex quo, qui haurit, non sitit in æternum. Hic thesaurus Evangelicus (propter quem oportet vendere universa) reconditus sit, (f) ex quo prudens ille paterfamilias profert nova & vetera.

Officium Decani in rebelles.

Cap. XV.

Si quos Decanus (g) rebelles cernat, si Divini cultus atque sui officii negligentiores, si rixosos, si litigiosos, si percussores, si aleatores, si scorta foventes, aut aliis publicis criminibus irretitos, atque hi fraternam correptionem audire recusaverint, agat in his Capitulis, quod jubet Paulus: (h) Peccantes coram omnibus argue. Tum si resipiscere nolint, arceat a Sacris, prohibeat participare fructus, donec ad meliorem vitæ frugem revertantur; sic tamen, ut hic servetur regula Apostolica: (i) *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, patientes estote ad omnes,* & neque ira, neque odium, neque rancor, ullas sibi partes vendicent. Nam illa Præpositorum solicitudo est utilis, illa cautela est laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor nihil sibi vendicat. Ira enim sæpe etiam innocentes ad crimen adducit. Dum enim justo amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata, graviora committimus. Per hæc tamen nostris ac Ecclesiarum Provinciæ nostræ privilegiis, ac legitimis consuetudinibus, & præsertim mori ac consuetudini, quæ in aliquibus Ecclesiis est, (nempe ut causæ disciplinæ per Diaconos dijudicentur) nihil præjudicamus, modo tamen Diaconi, ad requisitionem Decani, suo officio gnaviter ac strenue incumbant, ac satisfaciant. Quod si Decanus & Capitulum negligentes, aut eisdem criminibus irretiti fuerint, ad juris communis dispositionem redire, necesse erit.

Contentiosi ad pacem & concordiam per Decanum & Capitulum revocandi.

Cap. XVI.

Invidiæ, detractionisque vitium longe omnium pestilentissimum, in Collegiis non est novum, quod humani generis hostis inter fratres serere semper conatus est. Quemadmodum (k) de Abel & Cain, [l] de Joseph, & fratribus ejus legimus. Quin parum aberat ab omnium sanctissimo illo Collegio, nempe Apostolico, (m) nisi pacificator Christus Jesus intercessisset, ac Satanam repente ejecisset. Hinc sæpe numero in Clero, rixæ, jurgia, & injuriæ nascuntur. Hinc multæ falsæ criminationes, æmulationes, obtrectationes, & delationes oriuntur. Et fit lingua, ordinata in laudem Dei, (n) *inquietum malum,*

(a) Psalm. 53.
(b) Luc. 10.
(c) 1. Cor. 9.
(d) Matt. 6.
(e) Joan. 4.
(f) Matt. 14.
(g) Ex Conc. Agath. C. 2.
(h) 1. Tim. 5.
(i) 1. Thess. 5.
(k) Gen. 4.
(l) Gen. 37.
(m) Joan. 13.
(n) Jac. 3.

lum, plena veneno mortifero. Fit denique, ut in ea, qua benedicimus Deum & Patrem, in ipsa maledicantur homines, qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt. Atque ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. *Non oportet,* (inquit Divus Jacobus (*o*)) *Fratres mei, hæc ita fieri: sed qui sapientes, & disciplinati inter vos, ostendant ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.* Nam *si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem. Non enim est ista sapientia de sursum, descendens a Patre luminum; sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio est, ibi inconstantia, & omne opus pravum. Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, . . . plena misericordia, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione. Fructus enim justitiæ in pace seminatur, facientibus pacem.* Proinde (*p*) *si quis putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Hæc ille.

Pœna adversus contentiosos pertinaces.

Cap. XVII.

Agathensi Concilio (*q*) constitutum est, ut quicunque odio aut longinqua inter se lite dissenserint, & ad pacem revocari nequiverint, primitus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur. Decanus ergo, ubi viderit, intercedere inter fratres dissensionis materiam, quæ fraternam dirimat charitatem, hujus Canonis authoritate utatur: ac pro pace sarcienda, conservandaque, Capituli sui consilium atque auxilium imploret, quod invicem libenter præstabunt, cujuscunque odio vel amore longe postposito.

Quo tempore Capitulorum quotidianorum conventus observandi.

Cap. XVIII.

Quotidiani Capitulorum conventus, aut maturius sub summam Missam, aut statim post illam servandi sunt; Ne ob illos Divinum Officium vel suspendatur, vel præcipitetur, vel denique ab ipsis Canonicis negligatur. Debet enim Dei causa omnibus aliis anteponi.

Volumina Statutorum revidenda.

Cap. XIX.

Habent fere quotquot sunt Cathedrales, ac Collegiatæ Ecclesiæ, suum volumen peculiarium Statutorum, quæ interdum pro affectu privato cujuslibet augentur, ac crescunt. Inter hæc reperias quamplura, quæ quæstum magis, quam pietatem resipiant, & ad inæqualitatem potius, quam æqualitatem faciant: unde discordia inter fratres (uti fieri solet,) frequenter alitur, concordia vero scinditur, laceraturque. Et quantumvis pleraque inter hæc iniqua reperias, adiguntur tamen omnes, qui recens admittuntur, ut ad ejuscemodi Statutorum observationem (etiam penitus ignari, quid contineant illa) citra ullum delectum jurejurando sese alligent, quum tamen juramentum non debeat esse iniquitatis vinculum, nec ad ignorata extendi. Operæ pretium itaque nobis videtur, hujuscemodi Statutorum volumina inter visitandum excutere, & quæ Evangelicæ puritati, atque fraternæ charitati, denique disciplinæ Ecclesiasticæ minus consentanea reperta fuerint, resecare: cavereque, ne posthac ulla nova Statuta in ejusmodi Ecclesiis, (nisi tamen noster accesserit calculus) edantur.

In Capitulis a juramentorum facili exactione temperandum.

Cap. XX.

Et quum Christus (*r*) tanto serio jurandi facilitatem prohibuerit, ut nisi necessitate veritatis, alioqui periclitandæ, cogamur, omnino non jurare debeamus: Coercenda est illa immoderata in Capitulis juramentorum exactio, per quam necesse est, ut multi in ancipitia perjuria corruant, quorum non tantum illi, qui peierant, sed & qui causam perjurii, temere exigendo præstant, rei sint. Nam Christi verbum est, sit sermo vester, Est, est: non, non; quod amplius his est, a malo est. Et in Ecclesiastico legi-

[*o*] Jac. 3. [*p*] Jac. 1. [*q*] Ex Agat. Conc. C. 31.
[*r*] Matt. 5.

legimus: (s) *Vir multum jurans, replebitur iniquitate, & non discedet a domo ejus plaga.* (t) *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Inter visitandum de moderandis annis, qui exspectantiæ appellantur, videndum.

Cap. XXI.

Num annos, (qui exspectantiæ appellantur,) moderari possimus, videbimus inter visitandum: quando Nobis vel id maxime curæ erit, ut qui recens accesserunt Canonici, aliquot annis de consensu Capitulorum suorum, bonarum ac potissimum sacrarum literarum studiis, in Academia aliqua publica & bene Christiana incumbant: utque tum sequantur illos interim reditus præbendarum suarum, quotidianis distributionibus tantum exceptis, aut portio ejusmodi personis, juxta Ecclesiarum Statuta, & consuetudines assignata. Multum enim refert, viros doctos esse in Ecclesia Dei, qui veluti splendor firmamenti fulgeant, & tanquam stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam plurimos valeant erudire. Indignum ergo, studio tam frugifero intentos, ac in vinea Domini operantes, diurno denario fraudari, modo tamen testimonium exhibeant magistrorum, quod totos illos annos rectis operam dederint disciplinis. Per hæc tamen Canonis inducias, (quæ se latius porrigunt) nolumus coarctare.

Non oportere a Canonico recens admisso, pecuniam statutariam duplicatam, ob antecessorem exigi.

Cap. XXII.

Nec ferendus nobis diutius videtur mos ille irrationabilis, quo ad unam præbendam receptus, ob suos in eadem præbenda antecessores non receptos, (a quibus jus non habet, sed potius a conferente vel instituente) pecuniam statutariam sæpius exolvere compellitur. Nec ignoramus, quosdam Decanos, & Capitula in eo esse, ut hæc pecuniaria onera (qua recens recepti, contra sacrorum Canonum dispositionem gravantur) indies novis quibusdam adinventionibus graviora, ac tandem importabilia efficiant: quod penitus improbamus.

Communi necessitati Ecclesiæ, communi contributione consulendum.

Cap. XXIII.

Quod si fabricæ, aut alia necessitas Ecclesiæ immineat, satius est, ut quod in communem vertetur utilitatem, ex communibus reditibus desumatur, quam ut quis privatim gravetur. Evangelicum præceptum est, in quo universa lex consistit, & Prophetæ: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &: (u) quodcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Ad hanc regulam, veluti ad Lydium quendam lapidem, omnes actiones suas, quum omnes Christianos, tum viros Ecclesiasticos, redigere, æquum est pariter, ac necessarium.

Tribunalia extra templa collocanda.

Cap. XXIV.

Cum in quibusdam nostris templis jurisdictionis Ecclesiasticæ Officiales pro tribunali sedeant, ad quod interdum multo cum tumultu concurritur, delitigaturque: visum Nobis est, ut hæc tribunalia foris, intra tamen Ecclesiarum pomœria, collocentur. Cordi siquidem Nobis est, ut quæcunque Divinum officium perturbare possunt, aut Divinæ Majestatis oculos offendere, e templis eliminentur: ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.

Optandum, ut deambulationes in bisce Ecclesiis probiberi possint.

Cap. XXV.

Atque utinam commode deambulationes etiam illas laicorum [qui ad Cathedrales ac Collegiatas Ecclesias sola rerum novarum curiositate ducti confluunt, ibidemque nihil minus, quam de rebus sacris, quæ inspectantibus illis aguntur, cogitant] submovere possimus. Grande equidem putamus piaculum, tam veneranda mysteria, quibus astat Deus, & inter quæ Christi Corpus & Sanguis conficitur, tam irreverenter habe-

[s] Eccli. Cap. 23. [t] 1. Cor. 11. [u] Matt. 7.

haberi. Tacemus, quod domus Dei contemnitur, de qua Christus ejecit ementes & vendentes, & non finebat ut quis transferret vas per templum, & dicebat docens: (x) *Nonne scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum?* Duplici autem cura hic videbitur opus: tum ut Prædicatores verbi Dei ex suggestis populum ab istis deambulationibus ex Scripturis deterreant; tum ut Magistratus civiles huic rei corrigendæ officium accommodent, cum quibus hac de re agemus.

Theatrales ludos non inferendos templis.

Cap. XXVI.

Olim theatrales quoque ludi, & larvarum ludibria inferebantur, pessimo quidem exemplo, adeo ut provisione Canonica, (y) (qua is teterrimus abusus aboleretur) opus fuerit: quem ex nostris Diœcesibus jam, ut speramus, ejectum gaudemus.

Cujusdam abusus abrogatio.

Cap. XXVII.

In quibusdam Collegiatis Ecclesiis ad summum altare, non ordinarii, sed mercenarii Clerici, Presbytero Sacra peragenti ministraturi adjunguntur, qui tamen officio suo satisfaciunt minus, cum ab altari ad subsellia, ex quibus succinitur, a subseliiis rursus ad altare multum incomposite subinde discurrunt; quod fieri non oportuit, maxime in Ecclesiis illis, quæ ordinariis personis abundant, & quorum ministri copiosis reditibus sunt ditati. Nam omnis occasio contemptus & scandali promiscuo vulgo adimenda est.

Processionum Collegiatarum Ecclesiarum, quæ ad majorem fiunt, moderatio.

Cap. XXVIII.

Processiones Ecclesiarum Collegiatarum (z) ad summum templum, quæ diebus maxime celebribus ac festis fiunt, procul dubio institutæ sunt, causa conveniendi illuc ad Missas Episcopales, desiderioque recipiendi communionem, vel benedictionem Episcopalem: jam quum isti conventus speciem quidem antiquitatis, & nihil præterea repræsentent, imo perniciosæ evagationis materiam, & crapulæ occasionem diebus illis sacratissimis præstent; illas Nobis eatenus abrogare visum est, ut Collegia in civitate nostrâ Coloniensi, in quatuor illis summis anni festis, ac diebus celebribus sequentibus, quæque in suis Ecclesiis Divinum officium statis horis reverenter, solenniterque concelebrent ac peragant: neque his diebus, nisi quum nos in summo templo nostro præsentes erimus, collegialiter accedant. Nam quantula sit devotio Collegiorum, quæ tum accedunt, quis Dei cultus ac veneratio, satis in aperto est. Tacemus, quod interim apud ipsas Collegiatas Ecclesias hisce diebus, maxime insignibus, solenne officium prætermittitur: aut si quod dicitur, verius præcipitatur ac truncatur, quam celebratur.

De Processionibus non abrogatis.

Cap. XXIX.

Reliquas autem processiones more antiquo observari volumus: jubemus tamen, ut Clerus civitatis nostræ abusus, qui hactenus irrepserunt, matura consultatione prævia, tollere peragat.

Quomodo ad Anniversaria Episcoporum in majori Ecclesia conveniendum sit.

Cap. XXX.

Dum Vigiliæ in Anniversariis Episcoporum in summo nostro templo, convenientibus illuc Collegiis, persolvuntur: inconcinnus, atque adeo specie ipsa non satis pius ac devotus cantus editur. Quare Nobis visum est expedientius, ut Collegia singula in suis templis Vigilias hasce devote absolvant, dein Ecclesiam nostram majorem ad Sacrum tantum accedant, illic tantisper facturi moram, donec id compleatur, singulis interim animum ad Deum ac pias precationes conversuris, quemadmodum superiori articulo diximus.

Minora

(x) Marc. 11.
(y) Innoc. III. C. Cum decorem. De vit. & hon. Cler.
(z) Agath. C. 63. & 64.

Minora ministeria idoneis committenda, ac decenter peragenda.

Cap. XXXI.

Antiquissimis Canonibus in plerisque etiam Conciliis sancitum est, (a) ne laici secus altare inter Clericos ministrent, neve insacrati Ministri, licentiam habeant ingrediendi in Sacrarium, quod Græci Diaconium appellant, neve vasa Domini contingant. Præterea, ne Reliquiæ Sanctorum, & vestimenta Ecclesiastica, quæ honesta esse decet, nisi tantum a sacratis Ministris attrectentur: adeo ut ne sacratis quidem Deo fœminis, ac monachabus, aut lectoribus etiam sacra vasa, vel sacratas pallas contingere, vel incensum circa altare præferre licuerit, verum id solis Diaconis permissum sit: expressim autem laicis vetitum, ne pallas, Ecclesiæ vela, ac altaris ornamenta abluant. Neque Patres hic scripturis destituuntur. Jam vero eo ventum est, ut quatuor illi minores Ordines, nempe Ostiarii, Exorcistæ, Psalmistæ, ac Lectores, non temere ab Ecclesia instituti, ac recepti, præter nomen nihil in Ecclesia retinuerint, illorumque loco tenues aliquot homines laici, qui per Ecclesiæ Prælatos minoris compendii gratia subrogantur, illorum officiis sese ingerant, idque indecore; quippe nullo penitus clericali habitu amicti, inter quos sunt, quos appellamus campanarios. Quos ad minimum (cereis accendendis, aliisque in choro ministrationibus intentos) deceret superpelliceis indui. Ne interim prætereamus ablutionem pallarum, vestimentorumque altarium, breviter, Sacrorum custodiam talibus per Custodes seu Thesaurarios nostri temporis committi, quos hæc contingentes antiquitas nefarii criminis, simul cum surrogantibus damnasset: quare cautius posthac agendum, ne ob talem præsumptionem Dominus iratus, plagam populo, qua simul innocens cum nocente involvatur, immittat.

PARS QUARTA.

De Parochis, ac eorum Vicariis, aliisque verbi Ministris.

Cap. I.

Titulus hic cum generalis sit, in plerosque alios scinditur. Primum enim videndum, qui ad verbi ministerium, & regimen Ecclesiarum admittendi sint: deinde de vita ac moribus eorum: post, de officio, quod in duobus potissimum situm est, disseminatione verbi, administratione Sacramentorum. Postremo de ipsorum victu, de quibus speciatim dispiciemus. Ante omnia tamen Lectorem admonitum esse volumus, hos esse locos, quos Ecclesiarum jubar Divus Paulus in Epistolis ad Timotheum (b) ac Titum accuratissime tractat. Nam huc illi potissimum spectant, ut sciant Timotheus ac Titus, quomodo oporteat eos in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei viventis, nisi quod articulus administrationis Sacramentorum, & qui de victu est, alibi fusius explicantur. Porro cum hæ Paulinæ Epistolæ meræ aureæ sint, & nulli non Parocho cognitu imprimis necessariæ: Idcirco ad verbum ediscendæ, memoriæ mandandæ, ac opere complendæ erunt. Ex quibus aliis Evangelicis, Apostolicisque Scripturis, ac Patrum Sanctionibus, nos quædam decerpemus, quo dilucidius fiat, in quibus hactenus magno cum Reipublicæ detrimento peccatum, & quid de cætero Parochis facto opus sit.

Qui admittendi.

Cap. II.

Quum CHRISTUS JESUS (c) Pastor ille bonus, ac pastorum Princeps, qui posuit animam suam pro ovibus suis, circuiret omnes civitates & castella, docens in Synagoga eorum, (d) & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem: Quum, inquam, is, qui venit requirere, & servare, quod perierat, vidisset turbas, misertus est eis, qui erant vexati & jacentes, sicut oves non habentes pastorem, dicebatque Discipulis suis: (e) *Messis quidem*

(a) Ex Conc. Mogunt. De vit. & hon. Cler. C. Non liceat. Ex Conc. Agath. C. De Sacr. 23. Dist.
(b) 1. Tim. 5.
(c) Joan. 10.
(d) Matt. 9.
(e) Marc. 6. & Luc. 10.

quidem multa, operarii autem pauci: rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Orandus Deus, ut operarios suos mittat in messem suam.

Cap. III.

Num, quæso, putamus, necdum tempestivum esse, interpellare Dominum messis, ut mittat operarios in messem, ac Pastores, non quoslibet, sed secundum cor suum: nimirum ovibus misere dissipatis ac palantibus requirendis? Quis, nisi in media luce cæcus, non præsentiscat, Nos in ea periculosissima tempora incidisse, in quibus prædictiones Christi, & Apostolorum scripturæ omnino atque omni ex parte complentur? Quis enim non videt, venisse, irrupisseque, numerosa admodum caterva ad nos, falsos illos prophetas in vestimenmentis ovium (*f*), qui sint intrinsecus lupi rapaces, qui non introierint (*g*) per ostium in ovile ovium, sed ascenderint aliunde fures ac latrones? Non enim venerunt, nisi ut furentur, & mactent, & perdant, quos videntes mercenarii, & qui non sunt pastores, venientes fugiunt, & dimittunt oves, & lupi rapiunt, & dispergunt eas. Fugit enim mercenarius, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Poterant direptores isti sub exuvio ovino aliquamdiu delitescere, nisi Christus eos prodidisset. *Ex fructibus* (inquiens (*h*)) *eorum cognoscetis eos*; quod non possit arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos. Ex fructu enim suo unaquæque arbor cognoscitur.

Unde dignoscere oporteat Pseudo-Ecclesiastas.

Cap. IV.

Quos qui velit penitus agnoscere, is secundam Petri Epistolam legat cap. II: & quæ ejusdem argumenti est, Judæ Apostoli unicam, & eas potissimum Divi Pauli Epistolas, quas ad Timotheum ac Titum (*i*) Co-Episcopos suos perscripsit, in quibus illos, eodem, quo Dominus, nomine appellat lupos rapaces, non parcentes gregi: ex nobis quidem suborituros, sed perversa loquentes, ut abducant discipulos post se, homines se ipsos amantes, cupidos, elatos, superbos, blasphemos, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, protervos, reprobos circa fidem: a fine præcepti, quæ caritas est, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, toto cœlo aberrantes, in vaniloquium conversos, seductores, proficientes in pejus, errantes, & in errorem mittentes, magistros prurientes auribus, & in fide (quod bonam conscientiam repulerint) naufragos, verbis contendentes, sanis vero sermonibus, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ neutiquam acquiescentes, superbos, languentes circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones, malæque conflictationes hominum mente corruptorum, ac proinde ad nihil utiles, nisi ad subversionem audientium, quorum sermo ut cancer serpit. Nunquid poterat Apostolus futurorum conscius, hosce Pseudo-Ecclesiastas apertius aut dilucidius designare? quos nullus profecto Apelles tam expressim suis coloribus depingere potuisset.

Soli, authoritate ordinaria comprobati, ad Verbi ministerium admittendi.

Cap. V.

Adversus hos Pseudo-Christos & Pseudo-Prophetas nos præmunivit Christus: (*k*) Videte (inquit) ne seducamini. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent, . . . ut in errorem (si* tamen *fieri potest) inducantur etiam electi.* Nolite ergo ire post eos. Vos ergo (uti subjecit commonens) videte: Ecce prædixi vobis omnia. Christi ergo præceptum, quantum nobis ipse concedit, sequentes, quo lupos tam pestilentes ab ovilibus & Diœcesibus nostris abigamus, visum nobis est operæ pretium fore, antiquos innovare Canones, quibus præcipitur, ne ulli ad Verbi ministerium, seu Prædicationis officium, nisi missi, authoritateque ordinaria approbati sint, admittantur; *Quomodo* enim (secundum Apostolum (*l*)) *prædicabunt, nisi mittantur?*

Quod

(*f*) Matt. 7. (*g*) Joan. 10.
(*i*) 2. Tim. 3. Tit. 1. (*k*) Matt. 24.
(*h*) Matt. 7.
(*l*) Rom. 10.

Quod legitimi, & ordinarii Verbi Ministri, sunt Parochi, & illorum Vicarii, modo tamen hi examinati prius, & admissi sint.

Cap. VI.

Ordinarii ergo Verbi Ministri, (*m*) Ecclesiarum Parochialium legitimi Rectores, ac Parochi sunto, quos etiam personaliter apud easdem Ecclesias, secundum Canonicas Sanctiones perpetuo residere volumus: nisi tamen eos magna ratio, veluti quod vel majoris ac publicæ utilitatis causa absint, quæ & nostro calculo approbari debet, vel quod soli ob Parochiæ amplitudinem gubernationi tantæ non sufficiant, excusaverit. Tum enim, qui per illos delegabuntur Vicarii, seu Vice-Curati (modo tamen hi etiam examinati, & tam quod ad vitæ integritatem, quam Christianæ eruditionis puritatem, & zelum attinet, idonei reperti fuerint) nostro permissu eodem officio perfungentur. Qui vero deinceps in Vice-Curatos assumentur, Vicarii nostri in Pontificalibus, ac Theologorum ei per Nos adjungendorum: in Diœcesibus vero Suffraganeorum nostrorum, illorum, quibus hoc muneris committendum duxerint, censuram (num videlicet obeundo muneri apti seu idonei sint, vel minus) exspectabunt.

Fratres mendicantes quatenus admittendi.

Cap. VII.

Aliquot retro seculis (*n*) in Ecclesiam recepti sunt quatuor mendicantium Fratrum Ordines, quo Parochorum in verbi ministerio cooperarii forent. Quos absit, ut repellamus: si tamen intra Concilii Viennensis, sub Clemente quinto celebrati, aliarumque Canonicarum constitutionum cancellos se continuerint: Nec ante accesserint, quam per ipsorum Prælatos, ut vitæ inculpatæ viri, discreti pariter ac modesti, ac verbi Divini probe gnari judicentur, atque ad hoc munus deligantur: Deinde etiam Vicariis nostris in Pontificalibus præsentati, tales inventi fuerint ac permissi.

Quam modestiam Fratres mendicantes in Verbi prædicatione servare oporteat.

Cap. VIII.

Qui tamen, quum in subsidium tantum vocati sint, Ordinariis Ecclesiarum Rectoribus molesti esse desinent, ita videlicet, ne eosdem (quum suo munere fungi ipsimet velint) præoccupent, neve quos in excolenda vinea Domini juvare debent, (*o*) in concionibus virulenta ac detractoria lingua carpant, uti nonnulli hujus generis solent, qui inflati, ac incompositi populi auribus demulcendis student, suam, non Christi gloriam ambientes: tam ignari omnis Ecclesiasticæ disciplinæ, ut ignorent, Parochos, si forte ceciderint, suos habere Judices, non ipsos fratres censores: multo minus promiscuam plebem, quam, exploratum est, mutuis Ecclesiasticorum virorum amarulentis detractionibus adeo non emendari, ut scandalizetur multo magis. (*p*) Nec audiendi sunt isti, si servos Dei accusare se dicant, ut meliores fiant; quum potius invidiæ stimulis, adulationisque, quam charitatis studio agitari convincantur: Id ipsum vel propria eorum conscientia attestante, quod sciant, nullum vel in seculo, ne dicamus in eorum Monasteriis inveniri, qui velit suum servum ab alio, quam a se, judicari: Adeo ut siquis secus facere præsumpserit, hunc & multa sequatur indignatio, & ulciscendi cupiditas. Quin Paulum audiant dicentem: (*q*) Nolite judicare invicem, sed hoc judicate magis, ne offendiculum detis fratri.

Non ferendi, qui in jurisdictiones, & potestates temere ad plebem invehuntur.

Cap. IX.

Multo minus ferendi sunt, qui, ut auram venentur popularem, in jurisdictiones Episcopales ac Ordines Ecclesiasticorum pariter, & civilium Magistratuum invehentes, temere vociferantur ad populum: (*r*) *non intelligentes* interdum, *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Quo nihil aliud efficiunt, quam ut plebem,

(*m*) C. Licet is. De elect. Lib. 6.
(*o*) Ex Decret. Pontian. Pont.
(*q*) Rom. 14.
(*n*) Ex Conc. Viennens. Cle. Dudum. De sepul.
(*p*) Ex Decret. Anaclet.
(*r*) 1. Tim. 1.

bem, alioqui fatis in Clerum irritatam, irritatiorem reddant, ac glifcenti feditionum igni oleum fubminiftrent. Jurisdictiones ac Magiftratus effe oportet. Quod interdum perfonarum, non ordinis feu magiftratus, vitio peccatur, alia providentia purgandum eft, non cæco plebis judicio expendendum. (s) Fraterna correptione opus erat, non accufatione aut laceratione ex fuggeftis. Et ut omnia non ftatim ad vivum ufque repurgentur, quod fieri vix poteft, non gravabuntur ifti oculati, in fe quoque defcendere, ac fuos erratus infpicere, quo tandem æquiores fiant, Divinisque judiciis etiam quædam relinquant. Si enim omnia [ut fcite Anacletus ait] in hoc feculo vindicata effent, locum Divina judicia non haberent. Sed de his fatis.

Abufus eft, qui Parocho fuo officio interdicit.

Cap. X.

Ex his, quæ diximus, confequitur, eum morem, qui alicubi irrepit, penitus irrationabilem, ne dicamus, execrabilem abufum effe, quo legitimi Ecclefiarum Parochi adiguntur jurejurando affirmare, fefe in fuis Ecclefiis Fratres mendicantes ad verbi minifterium (etiam fi ipfimet pro ratione fufcepti ac concrediti muneris eo fungi velint) perpetuo admiffuros. Quid enim hoc more aliud agitur, quam ut Parocho officium, quo fe Chrifto & Ecclefiæ obftringit, adimatur, ac in alium relegetur? Id vitii, ut fpes eft, curabimus.

Fratres mendicantes his Synodalibus Conftitutionibus erunt parentes.

Cap. XI.

Æquum quoque cenfemus, ut qui ex fratribus huic muneri accingi velint, noftris Vicariis in Pontificalibus ferio promittant, fefe hifce Synodalibus inftitutis omnino obtemperaturos, quo fermo Dei, pure, fincere, ac fine offenfione decurrat.

Decet quoque, ut Fratres eatenus Ordinariæ poteftati fubjiciantur.

Cap. XII.

Qui ut Ordinariæ noftræ poteftati, quod ad ejuscemodi functionem attinet, fubjiciantur, & eatenus monafticæ profeffionis regulis, obligationibusque eximantur, non decens tantum, fed & juftum putamus.

De femel certo loco deftinatis, ac admiffis non temere retrahendis.

Cap. XIII.

Qui vero femel præfentati ac admiffi fuerint, ut certo loco hoc minifterio fungantur, non debebunt temere, feu præter noftrum affenfum a fufcepto munere retrahi. Nam frequentem perfonarum mutationem periculofam putamus: ut interim fileamus, fæpe minus idoneum in idonei locum furrogari.

Qui nulla legitima authoritate innixi, fe verbi minifterio ingerunt, uti feditiofi comprimendi.

Cap. XIV.

Extra Ordinarios Parochos, (t) illorumque legitimos cooperarios, nemo deinceps fuggeftum occupet, neque conventicula vel in privatis domibus, vel vicis faciat, aut quovis tandem modo ufurpet. Quod fi quis fecus agere præfumpferit, & inobediens perturbare Ecclefiam Dei (quæ foris eft) perfeveraverit, hunc tanquam feditiofum corripi oportet.

Prohibentur omnes Apoftatæ, Monachi ignoti, ac peregrini Spermologi.

Cap. XV.

Quamobrem prohibemus omnes Apoftatas, Monachos ignotos, item iftos ac peregrinos fpermologos, quorum neque doctrina, neque vita ulli perfpecta eft: eritque proinde curæ civilibus Magiftratibus, ac Præfidibus, ut de his inquirant diligenter: & quos Nos profcripfimus, eos illi cum receptatoribus ipforum doli mali confciis, excedere provincia compellant: (u) Nifi quid feve-

[s] Matt. 18. [t] Ex Conc. Antioch. C. 5.
[u] Ex Conc. Sardic. 1. & 18. Laodic. 13.

ſeverius culpa horum prævaricatorum in ipſos ſtatuere poſtulaverit. Jam ut inveniatur quispiam (quod abſit) qui aliter, quam legitime Parochiam occupaverit, hunc abjici ſtatim oportet, quantumvis plebs, quam corrupit, eum retinere contendat.

De Terminariis, quatenus admittendi.

Cap. XVI.

Ex Ordine Mendicantium, qui oppidatim ſoli commorantur, quos Terminarios appellamus, vitam interdum agere (*x*) monachiſmo plurimum diſſimilem cognovimus, proindeque multis eſſe inviſos: hos potius, quum officio prædicationis ſtatis illis diebus perfuncti eſſent, eleemoſynasque collegiſſent, ſtatim ad monaſteria ſua regredi, ibidemque quieti operam dare atque obſervare jejunia, & orationes juxta Ordinis ſui inſtitutum, malumus, quam vitam communem, ne dicamus licentioſam, inter civium turmas ducere. Ubi tamen monaſteria ab oppidis aut vicis tam longe diſſita fuerint, ut unius diei itinere repeti non poſſint, nolumus Terminarios iſtos hac lege teneri, modo tamen viri graves & annoſi, vitæ quoque ex omni parte integræ, ac ſacræ doctrinæ comperti fuerint, ac id etiam viſitatione potius, quam conſtitutionibus cavebitur.

Privilegiis fratrum nihil derogatur.

Cap. XVII.

Nolumus autem per prædicta, privilegiis, ordinibus fratrum mendicantium rite & legitime conceſſis, præjudicare.

Monachorum Eccleſiæ per ſæculares (ut vocant) Presbyteros gubernandæ.

Cap. XVIII.

Eadem ratione decens eſt, ut Monachi, qui (*y*) Parochiales Eccleſias, cura animarum apud ipſum Monaſterium, non perſonam relicta, incorporatas (ut vocant) Monaſteriis ſuis habent, non per Religioſos, quos in Monaſteriis perpetuam vitam agere convenit, ſed per Vicarios Presbyteros ſeculares [modo haberi poſſint] ad eundem modum, quem ſupra diximus, examinandos admittendosque gubernari procurent. Quibus etiam de Eccleſiæ proventibus tantum aſſignare obligati erunt, unde & jura Epiſcopalia perſolvere, & congruam ſuſtentationem habere poſſint: quod ut fiat, nobis curæ erit. Non tamen tam duri hic erimus, quo minus interdum viros monaſticos, quos ſingulari vitæ exemplo, & doctrinæ ſalutaris diſſeminatione inſignes comperiemus, apud Eccleſias Parochiales relicturi & confirmaturi ſimus.

PARS QUINTA.

De vita & moribus Parochorum.

Caput I.

QUanquam de vita ac moribus Clericorum ſupra diximus, videtur tamen hic locus poſtulare, ut ſpeciatim aliquid de converſatione ac moribus Parochorum dicamus, quod horum vita & officium Divo Paulo præcipue curæ fuerint, adeo ut his recte ſe habentibus, de reliquis non admodum magnam ſollicitudinem habuiſſe videatur. Nec immerito: res enim ipſa declarat, ac priſca ſæcula meminerunt, quam tranquilla, quam florens, quam fructificans, quam denique felix Eccleſia fuerit, dum talibus eſſet Parochis inſignis, qui Evangelicis Apoſtolicisque inſtitutis, Sanctorumque Patrum regulis adducti, non tantum vocabulo, ſed & facto præſtabant, quod dicebantur. Contra vero, in quantos æſtus, tempeſtates, procellas, ac pericula ob eosdem ſenſim in diverſum mutatos ac varicantes, Eccleſiæ navicula miſere conjecta ſit, Nos ſentimus: Ex quibus rurſus emergere, quum certo certius non poſſimus, niſi Nos [quibus gregem ſuum Chriſtus paſcendum commiſit] vias Domini rectas, a quibus varicando excidimus, inambulare pergamus: Quid tandem aliud conſilii capiendum nobis, quam ut ſinguli, quales eſſe debemus, tales & ſimus: atque hoc inſigne Chriſti verbum, quod hinc diſcedens, Petroque oviculas ſuas committens, poſt tertiam demum dilectionis ſtipulationem, promiſſionemque, uti ultimum elogium ac memoriale, fideliſſime,

(*x*) Ex Conc. Chalced. (*y*) C. De Monach. De Presb. C. 1. De Capell Mon.

lissime, diligentissimeque inculcavit, & mente & opere teneamus, quod est: [z] *Pasce agnos meos?* Id fecerimus, si gregem Christi post Christum unice diligamus, atque eundem tam verbi doctrina, quam operis exemplo pascamus, Divinorumque Sacramentorum dispensationem tueamur, defendamusque.

Vita ut doctrinæ in Parocho conveniat, necessarium.

Cap. II.

Ubique ferme, cum de Parochis sermo incidit, scriptura vitam doctrinæ copulat: Nimirum, qui vitam agit doctrinæ contrariam, plus exemplo destruit, quam ædificet verbo. Oportet enim & fieri sermonem, non tantum dici. Alioqui competet in Parochum, quod Seneca Platoni objectum fuisse refert: aliter loqueris, aliter vivis. Et quod Christus Pharisæis imputat: (*a*) *Dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Apponatur ergo manus ori necesse est, ne sit (*b*) *vox quidem, vox Jacob, manus autem manus Esau.* Porro vox operum fortius sonat, quam verborum. Intuendus nobis Pastorum Princeps est, cujus tota vita, sua doctrina est; (*c*) qui cœpit primum facere, post docere. Siquidem (*d*) potens opere, & sermone, qui Discipulos Joannis, de adventu Messiæ rogantes, ad opera remisit, dicens: (*e*) Ite, dicite Joanni, quæ vidistis, & audistis. Qui denique non solum vocat oves suas nominatim, sed & vadit ante eas. Et eum tantum, (*f*) qui sic docuerit & fecerit, magnum in regno cælorum fore pollicetur.

Pastorem gregis exemplum esse oportere.

Cap. III.

Quare Beatissimus Paulus, Ecclesiæ Ministrum instituturus: (*g*) *Exemplum* (inquit) *esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Itidem ad Titum: (*h*) *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Sal enim (*i*) terræ, & lux mundi Prædicator Evangelii dicitur, & lucerna super candelabrum posita, ut luceat omnibus, qui in domo sunt: sic ut videant homines opera illius bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est. Quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Ad nihilum enim valet ultra, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Apostolus itaque hoc præceptum commendat Timotheo, (*k*) ut militet bonam militiam, *habens* non tantum *fidem*, sed & *bonam conscientiam: quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt: ex quibus* tum erant *Hymenæus & Alexander*, quos tradidit Satanæ, ut discant non blasphemare. Interea vero ex eodem numero omnes hæretici fuere.

Vitanda Parocho inprimis avaritia.

Cap. IV.

Jam quæ Clericis vitanda erunt, supra diximus. Ea ipsa potissimum Paulus quam longissime a Parochis esse vult, & quæ illis opposita sunt, in ipsis quam maxime elucere. Primum scilicet, ut abstineant ab omni avaritia. (*l*) Hospitales enim erunt, non turpis lucri cupidi; non opes, sed animas venantes; non auri, sed hominum piscatores. Alioqui ex Pastoribus fient mercenarii; & vertentur in lupos, audientque Dominum per Ezechielem exprobrantem: (*m*) *Lac comedebatis, & lanis operiebamini: quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum erat, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsivistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia*, & cætera, quæ sequuntur. *Qui* (*) enim *volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix* quippe *omnium malo-* rum

(*z*) Joan. 21. (*a*) Matt. 23. (*b*) Gen. 27.
(*c*) Act. 1. (*d*) Luc. 24. (*e*) Matt. 11.
(*f*) Matt. 5. (*g*) 1. Tim. 4. (*h*) Tit. 2.
(*i*) Matt. 5. (*k*) 1. Tim. 5. (*l*) 1. Tim. 5. & Tit. 1.
(*m*) Ezech. 34. [*] 1. Tim. 6.

rum est cupiditas; quam quidem appetentes, erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu vero *o homo Dei, hæc fuge: sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, & mansuetudinem.*

Parochi familiam irreprehensibilem esse debere.

Cap. V.

Interim erit domui suæ bene Præpositus, ut non tantum ipse, sed & sua familia irreprehensibilem, vitam agat. Qui enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? oportet autem illum & testimonium habere ab his, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.

Parocho luxus omnino cavendus.

Cap. VI.

Deinde procul absint Parochi ab omni luxu. Sobrium enim vult Parochum esse Paulus, nec multo vino deditum, ac vino potius ad necessitatem, quam ad voluptatem utentem, quemadmodum ipse Timotheo præcipit, [n] ne aquam adhuc bibat, sed modico vino utatur propter stomachum suum, & frequentes suas infirmitates. Nesciat ergo Parochi domus commessationes crapulosas, execretur compotationes illas, ad æquales haustus obligatorias. Sit procul a symbolorum (ut vocant) dationibus. Turpissimum putet, nisi causa necessitatis, intrare tabernam, quasi domum non habeat ad edendum & bibendum. Breviter, vitet omnia, quæ Pastoralem authoritatem aut dedecorant, aut imminuunt.

Pudicitia servanda Parocho.

Cap. VII.

Detestetur quoque omnem libidinem. Nam oportet Parochum esse pudicum. 1. Timoth. 3. & se præbere exemplum in castitate, 1. Timoth. 4. ne in eum vere dicatur: (o) *Qui alium doces, te ipsum non doces: Qui prædicas, non furandum, furaris: Qui dicis, non mæchandum, mæcharis. . . . Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras*, per quod blasphematur nomen Dei inter gentes. Quo enim vultu fornicarios cælo excludet cum Paulo, (p) qui huic volutabro cæni ipse immersus est? An existimas (inquit ipse Paulus) (q) *O homo omnis, qui judicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei? In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. Scimus* quippe, *quia judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt.*

Quæ fugienda, & quæ sectanda Parocho.

Cap. VIII.

Denique Paulus ad Timotheum: (r) *Juvenilia* (inquit) *desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem*, spem, & *charitatem, & pacem cum his, qui invocant Dominum de corde puro. Labora sicut bonus miles Christi. Nemo* enim *militans Deo, implicat se negotiis secularibus*, & quæ sequuntur. In summa, sollicite cura, te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.

PARS SEXTA.

De Disseminatione Verbi.

Caput I.

Hoc ministerium Sanctissimus Apostolus cæteris omnibus longe prætert. Unde & Corinthiis scribens, ait: (s) *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare:* cui & cæteri Apostoli adstipulantur, quum inquiunt: (t) Non est æquum nos relinquere verbum, & ministrare mensis. Quinimo & Christus aliis anteponit: (u) *Euntes* (inquiens) *in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, (x) & *docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Quamobrem Paulus Timotheum suum excitans, ait: (y) *Attende lectioni*, attende *exhortationi & doctrinæ: noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. Hæc meditare;*

[n] 1. Tim. 5.
[o] Rom. 2.
[p] 1. Cor. 6. Ephes. 5. Gal. 5.
[q] Rom. 2.
[r] 2. Tim. 2.
[s] 1. Cor. 1.
[t] Act. 6.
[u] Marc. 16.
[x] Matt. 28.
[y] 1. Tim. 4.

tare; in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, & doctrinæ; insta in illis: hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Et iterum: (z) *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, prædica verbum, insta opportune, importune, ministerium tuum imple.*

Quid Parocho meditandum.

Cap. II.

Meditabitur Parochus, quid ipsi Dominus per Ezechielem cap. III. XXXIII. ac XXXIV. præceperit: parabolaque speculatoris, menti infigenda est: *Speculatorem* (inquit) *dedi te domui Israel. Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.* Parochi siquidem sunt, quibus potissimum dictum est: (a) *Fratres, si quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum: scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.* Dura est nimis illa Prophetæ lamentatio: (b) *Parvuli petierunt panem,* & nemo dabat eis. Pasce ergo fame morientem: si non paveris, occidisti. At homo ex duabus partibus constat, ex carne scilicet & spiritu. Duplici ergo cibo opus est. Nam ut Scriptura ait: (c) *Non in sole pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Cibus exterior carnem tantum mortalem reficit, & intrans per os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Panis autem Spiritus, tam per verbum prædicationis, quam Sacramentaliter in veritate corporis & sanguinis Dominici, in viva fide comestus, vivificat, reficit, ac vegetat animam, qui non perit, sed permanet in vitam æternam: & hunc, qui ederit, non morietur in æternum. Id quod omnes pii sciunt ac sentiunt. [d] *Vivus enim sermo Dei est, & efficax,* & penetrantior quovis gladio ancipiti, *ac pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagumque & medullarum.*

Fidelitas imprimis in Parocho requiritur.

Cap. III.

Hic jam inter hujus cœlestis panis *Dispensatores* [e] *quæritur, ut fidelis quis inveniatur:* Fidelis, inquam, servus & prudens, quem constituit Dominus super suam familiam, ut det illis escam in tempore. [f] *Beatus ille servus, quem, quum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem.* Sin secus, veniet Dominus servi illius, in die, quo non sperat, & hora, quam ignorat, & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, ubi erit fletus & stridor dentium.

Quis sit fidelis verbi Dispensator.

Cap. IV.

Is autem fidelis est Dispensator (attestante Divinissimo Joanne (g)) cujus scopus unicus ille Christus est, & cujus Spiritus confitetur Christum in carne venisse, id est, ut Divus Paulus interpretatur, (h) qui docet apparuisse gratiam Dei & Salvatoris nostri omnibus hominibus ad erudiendum nos, ut abnegantes omnem impietatem & secularia desideria, sobrie, juste, & pie vivamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni DEI & Salvatoris nostri JESU CHRISTI. Qui, inquam, docet eundem CHRISTUM JESUM Dominum nostrum hominem factum, ut daret semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Quibus verbis Sanctus Paulus duas in Christo naturas, Verbi scilicet & carnis, indissolubili vinculo cohærentes, & utriusque naturæ rationem complectitur: Verbi, quatenus erudit nos, docens, quæ sit voluntas Patris, quam facientibus denuntiat præmium, prævaricantibus vero pœnam æternam. Carnis vero, quatenus datus & immolatus est pro nobis in ara Crucis: Agnus immaculatus, & victima tollens peccata mundi, (i) nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus, & eadem cogitatione armemur: quia (k) *qui passus est in carne, desiit a pec-*

[z] 2. Tim. 4. [a] Jac. 5. (b) Thren. 4.
(c) Matt. 4. (d) Hebr. 4. (e) 1. Cor. 4.
(f) Matt. 24. (g) 1. Joan. 4. (h) Tit. 2.
(i) 1. Pet. 2. (k) 1. Pet. 4.

a peccatis: ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne temporis, vivamus. (l) *Omnis* autem *Spiritus, qui solvit JEsum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & jam in mundo est.*

Omnis scriptura ad geminam charitatem exigenda.

Cap. V.

Is item fidus est minister Verbi, qui omnem scripturam ad Christianam exigit charitatem. Charitas enim Christianismum consummat, quemadmodum apud Divum Paulum legimus: (m) *Finis præcepti, est charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* Et est potissimum illud indicium, quo Christiani esse comprobamur. *In hoc* (ait Christus) (n) *cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Unde Beatus Augustinus in libris de Doctrina Christiana (o) brevissimam methodum ad pervestigandas, intelligendasque scripturas commonstrare volens: Quisquis (inquit) Scripturas Divinas, vel quamlibet eorum partem intellexisse sibi videtur, ita ut in illo intellectu non ædificet geminam charitatem, Dei & proximi, is nondum intellexit, quod Legis, ac Scripturarum summa, finis ac plenitudo, (p) fit dilectio, quæ duobus mandatis comprehenditur, nempe: (q) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* ex *tota anima tua,* ex *tota mente tua,* ex tota virtute tua; & *diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Et quemadmodum vultis, (r) ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis. In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ. Quicunque ergo ad hanc amussim doctrinam suam attemperat, is nunquam potest perniciose errare.

Summa Evangelicæ Prædicationis.

Cap. VI.

Ezechiel vero Propheta summam suæ Prædicationis Dominum enarrantem facit, hisce pene verbis: (s) Vivo ego, dicit Dominus: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur impius, & vivat. Justitia justi non liberabit eum, in quacunque die peccaverit; & impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. Quare qui egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium, & justitiam, & in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet, & non morietur. Quod Christus brevius complexus est: (t) *Pœnitentiam* (inquit) *agite appropinquavit enim regnum cœlorum.* Sed de his alias locupletius. Sufficerit hic, utcunque indicasse scopum.

Parocho cautissima solicitudine in prædicatione verbi utendum.

Cap. VII.

Quo autem solicitius Parochus provinciam, cui admotus est, gubernare satagat, haud ex-stimabit se alicui levi muneri, sed omnium gravissimo ac difficillimo præfectum, tantæ nimirum difficultatis, ut verbi prædicatorem undequaque absolutum, vix unum e millibus reperias. Non idem est ovium palatum; magna in pascendis varietas: quod unam oviculam nutrit, alteram macerat vel mactat. Culpaverit aliquis avaros, prodigus hinc argumentum prodigalitatis suæ colliget. Culpaverit prodigos, avarus inde tenacitatis suæ excusationem arripiet. Ea est hominum malitia, ut nedum alia, sed & Sanctissimum Dei verbum pro suis quisque affectibus, ac ad sua desideria confovenda potius, quam eradicanda trahat. Videmus, pro dolor, quemadmodum hac tempestate plerique sacras literas in parabolam ac proverbium vertant, atque (u) *ad excusandas excusationes in peccatis* summa vi atque impudentia torqueant, adulterantes verbum Dei. Quare Parochus cautissima solicitudine agere debet, per gladium Dei, secantem a dextris, & sinistris, ut medium iter pateat ad incedendum per viam regiam mandatorum Dei.

Quemadmodum sermo temperandus.

Cap. VIII.

Attemperandus sermo, quoad ejus fieri potest, pro auditorum captu. Alii siqui-

(l) 1. Joan. 4.
(m) 1. Tim. 1.
(n) Joan. 13.
(o) Lib. 1. C. 36.
[p] Rom. 13.
[q] Matt. 22.
[r] Matt. 7.
[s] Ezech. 18.
[t] Matt. 4.
(u) Psal. 140.

ſiquidem acri ingenio ac judicio ſunt, alii hebetes animo, ac rudi minerva præditi: quidam attenti, quidam vero deſides: hi recte ac ſyncere inſtituti, illi ſeducti ac decepti: Diſcretione ergo maxima opus eſt. Breviter, nemo erit concionator abſolutus, cui præter vitam exemplarem non adſint omnia, quæ ſequuntur: nempe cognitio ſcripturarum, utriusque Teſtamenti, ingenium velox, ſolers, atque verſatile, eloquentia vehemens, ſuadibilis & ſuavis: neque interim minus temperata, quam copioſa, prudentia rerum ac perſonarum docendarum, experientia multiplex, immobilis conſtantia. Denique ſpiritus, qui ſi deerit, reliquis donis parum profecerit. (x) *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Quomodo enim ad æternarum rerum deſideria alios accendet, qui ipſe totus languet ac friget, nondum ſpiritu concepto, qui ex Deo eſt, quem & ipſe Deus dat bonum, petentibus ſe? En quam arduum eſt concionandi munus. Nec tamen propterea diffidentia (quæ plerumque multos avertit,) deſerendum. Ad evangelizandum miſſi ſunt Parochi. Væ (y) ergo illis, ſi non evangelizaverint. Si quis (z) autem eorum ſapientia indiget, ſcrutetur ſcripturas, & poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.

Quid cavendnm inter concionandum.

Cap. IX.

Cavebit autem omnibus modis, ne lubricus in docendo ſit, (a) huc illucque effluens. Et inprimis, ne vento doctrinarum ab Eccleſia Catholica non receptarum, veluti nubes ſine aqua circumferatur, ſed formam habebit ſanorum verborum ab Eccleſiæ (quæ columna veritatis eſt) inſtituto nihil diſcrepantium. *Tu* (inquit Paulus (b) ad Titum) *loquere, quæ decent ſanam doctrinam, . . . verbum ſanum & irreprehenſibile.*

Nihil aut fabuloſum, aut ſuſpectum adferendum.

Cap. X.

Ineptas (c) autem & aniles fabulas devitabit, qualia nuper erant, quæ ex nullis probatis authoribus, ſed potius ſuſpectiſſimis obſcurorum hominum commentis adferebantur exempla. Olim vero genealogiæ interminatæ, quod ad pietatem illa nihil fecerint. Exercebit autem ſe ipſum ad pietatem, quod corporalis exercitatio ad modicum utilis ſit. Pietas autem ad omnia utilis, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

Loquacitas vitanda.

Cap. XI.

Neque minus evitabit profana, & vaniloquia, hoc eſt, futilem & inanem loquacitatem, qua nonnulli ratiocinationibus humanis falſam ſcientiæ opinionem ſibi venantur. Sic enim ſuum compellat Timotheum Paulus: (d) *O Timothee, depoſitum ſerva, devitans profanas vocum novitates & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.*

Quemadmodum Parochum adverſus hæreticos pugnare oporteat.

Cap. XII.

Paratos nos eſſe vult Apoſtolus Petrus (e) ad ſatisfactionem omni, poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe & fide, ſed cum modeſtia & timore. Neque ergo doceat, neque intendat his Parochus, quæ quæſtiones magis præſtant, quam ædificationem, quæ eſt ex charitate. 1. Tim. 1. Et iterum 2. Tim. 2. & 3. Paulus ait: Stultas & ſine diſciplina quæſtiones, & pugnas legis reſpue, ſciens, quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare. Proindeque ubi cum hæreticis res eſt, corripiet quidem eos cum modeſtia, qui reſiſtunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo tenentur captivi ad illius voluntatem. Quod ſi non pro-

(x) Matt. 10. (y) 1. Cor. 11. (z) Jac. 1.
(a) Ex Epiſt. Judæ. (b) C. 2. (c) 1. Tim. 4.
(d) 1. Tim. 6. (e) 1. Pet. 3.

profecerit, (f) hæreticum hominem post unam & secundam correptionem, devitet, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, quum sit proprio judicio condemnatus. Nequaquam autem ad populum verbis contendat: ad nihil enim utile est, nisi ad audientium subversionem: memor Apostolici sermonis, quo rejiciuntur omnes, qui scissuram quærunt. (g) *Siquis enim vult contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

A scommatis & convitiis abstinendum.

Cap. XIII.

Inter concionandum ergo, a scommatis, maledictis, ac conviciis omnino abstinendum est. Prædicetur pure ac sincere Dei verbum, juxta Ecclesiasticam traditionem, & Patrum ab Ecclesia Catholica approbatorum interpretationem. Quæ vero in contentionem & disceptationem revocari possunt, penitus sileantur, quemadmodum quoque pragmatica Augustensi Sanctione cautum est.

In contentiosis dogmatibus, quomodo docendus populus sapere.

Cap. XIV.

In controversis autem & contentiosis, obscurisque dogmatibus, quæ sacris voluminibus, vel universali Ecclesiæ consensu expressim decisa non sunt, populus privatim (maxime cum exomologesi se purgat, modo gravatam conscientiam in hoc habeat) ita docendus est sapere, atque hac cautione profiteri de his se credere, sicut credit Ecclesia. Hoc enim tutius, quam asseverare, de quo dubites, aut quod non intelligas.

Qualem oporteat esse Parochum in reprehendendis criminibus.

Cap. XV.

Erit quoque Parochus in reprehendendis criminibus vehemens atque acer. Constitutus est enim, ut annuntiet populo scelera eorum, sic tamen, ut in suggesto vitia tantum reprehendat, non personas nominatim perstringat. *Argue,* inquit Apostolus, (h) *increpa, obsecra in omni patientia & doctrina.* Ubi persona arguenda, denuntiatione Evangelica utendum. *Si peccaverit in te frater tuus:* (inquit Christus) (i) *vade, & corripe eum inter te & ipsum solum:* quod *si te audierit, eris lucratus fratrem tuum.* Quod *si non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si eos non audierit, dic Ecclesiæ:* quod *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Sic Paulus Corinthium resipiscere nolentem [k] excommunicavit. Et hic iterum Christi doctrina, & exemplum sequendum, ut benevolentia severitatem vincat, ut paratus sit Parochus dimittere peccanti non modo septies, [l] sed septuagesies septies. Et cum Christo paratior sit, ad absolvendum (m) adulteram, ad frugem melioris vitæ revertentem, quam ad condemnandum. Quemadmodum Paulus (n) quoque in gratiam recepit Corinthium illum pœnitentem.

Manifesta reprehensio utriusque potestatis vitanda.

Cap. XVI.

Vitanda quoque manifesta reprehensio utriusque potestatis, tam Ecclesiasticæ, quam Civilis. Neque invehendum in ordinem aliquem, aut aliquod ab Ecclesia receptum vivendi genus. (o) Omnis enim potestas a Deo est, & propterea eatenus honoranda, non incessenda. Sequenda Dominici Præcursoris doctrina, & exemplum, (p) qui ne milites quidem a se repulit, aut ulla contumelia affecit, sed magis viam recte vivendi ostendit. Per ejuscemodi enim incautam reprehensionem plebs ad seditionem magis, ac rebelliones incitatur. Hanc murmur, odium, impatientia, contumacia, protervia, & detractionis libido comitantur. Quin potius docendus populus est obedire Magistratibus, parere Præpositis suis, etiam discolis: ac interim admonendus est, ut si sint Magistratus interdum vitiosi, id evenire, quod Dominus regnare (q) faciat malos & hypocritas propter peccata populi: Omnem

(f) Tit. 3.
(g) 1. Cor. 11.
(h) 2. Tim. 4.
(i) Matt. 18.
(k) 1. Cor. 5.
(l) Matt. 18.
(m) Joan. 8.
(n) 2. Cor. 2.
(o) Rom. 13.
(p) Luc. 3.
(q) Job. 14. Prov. 28. Esaiæ 3.

nem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe, quodque omnis poteſtas a Deo ſit: quod denique, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtat. Niſi tamen poteſtas expreſſim præcipiat, quod eſt contra mandatum Dei: tum enim oportet (r) plus obedire Deo, quam hominibus.

Quomodo corripiendi Magiſtratus.

Cap. XVII.

In corripiendis vero Magiſtratibus, correctioni quoque fraternæ locus eſt, quemadmodum Joannes reprehendit Herodem. Sic enim legimus: Dicebat enim Joannes Herodi (non populo) (ſ) *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Qua ſi nihil promoveas, poſtulanda & exſpectanda proviſio Prælatorum, ac majorum Magiſtratuum eſt: qui ſi diſſimulent, etiam conſultum magis, ut ultio remittatur ad Deum: quam ut tantum ſcandalum inde deterius ſubſequatur.

Admonendus populus, ut oret pro Magiſtratibus.

Cap. XVIII.

Eſt autem populus frequenter in concionibus, poſt conciones vero ſemper diligentiſſime commonendus, ut Deum Optimum, Maximum pro Poteſtatibus deprecetur. Volo (inquit gentium Magiſter Paulus (t)) ut fiant *omnium primum obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate* conſtituti *ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Notantur, qui ſecus docent.

Cap. XIX.

Siquis (u) *aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri JESU CHRISTI, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ: ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum corruptorum, & qui a veritate privati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.*

Summa Doctrinæ Chriſtianæ in Enchiridion contrahenda.

Cap. XX.

Porro, cum ſecundum Evangelicam, atque Apoſtolicam Doctrinam, quibus Decreta Patrum, ac Conciliorum, (x) denique pragmatica Sanctio Auguſtana merito accedunt, in Eccleſia Dei ſola Canonica Scriptura, ac Divina eloquia ſecundum Eccleſiaſticam interpretationem Sanctorum Patrum, ac Doctorum, & recitari, & prædicari debeant, non abs re videbitur, Parochis ſummam Bibliorum pauciſſimis præſcribere, ne alicubi, dum Scripturæ metas neſciunt, impingant.

Enchiridion quæ docebit.

Cap. XXI.

Et cum præcipue ipſis incumbat, ut plebem erudiant in Præceptis Decalogi, Articulis Fidei, qui Symbolo Apoſtolico recenſentur, ac Eccleſiæ Sacramentis ſimul cum explicatione Orationis Dominicæ (hic eſt enim inchoationis Chriſti ſermo, quo jacitur fundamentum ab operibus mortuis & fidei in Deum) idcirco, ut imperitioribus conſulatur, quoddam Enchiridion dabimus, in quo breviſſime hæc omnia ſecundum ſanam & Eccleſiaſticam doctrinam exponentur: ſimul & loci quidam communes ad omnes hominum ætates, ac Ordines commonitorii inſerentur: Veneratio quoque Sanctorum, ac Reliquiarum: denique quatenus imaginibus ac picturis utendum, docebitur. Nec interim, quid ſibi Eccleſiaſticæ ceremoniæ, præſertim illæ piæ ac antiquiſſimæ, velint, & quo conducant, in eodem libello declarare omittemus, idque ſuccinctiſſime.

Ordo Concionandi, quem ſimpliciores ſequentur.

Cap. XXII.

Simpliciores, ac minus eruditi Concionatores, feſtis quibusque diebus concione (y) in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis; cum imprecatione gratiæ Dei (nempe ut Dominus ſuum Spiritum verbo addere dignetur) cœpta, initio ambas Lectiones, quæ Epiſtola ac Evangelium

(r) Act. 5. (ſ) Marc. 6.
(u) 1. Tim. 6. (x) Ex Conc. Aphr.
(t) 1. Tim. 2.
(y) S. Aug. De doct. Chriſt. Lib. 4. C. 30.

gelium Missæ ejus diei appellantur, ad verbum denarrabunt. Deinde post imploratam Divini Numinis clementiam, regrediantur ad utriusque lectionis brevem dilucidationem, locos aliquot communes ex utraque deligentes, quibus populus ad vitæ pietatem, charitatemque Dei ac proximi inflammetur. Denuntiabunt quoque, quid Ecclesia Dei eo die potissimum Deum oret ac precetur. Quod in precationibus seu collectis, quæ post canticum Kyrie eleyson, aut Gloria in excelsis, dicuntur, continetur: ac hortabuntur populum, ut idem pariter interea, dum Sacra aguntur, Deum oret, si non verbo tenus, mente tamen.

Sanctorum historiæ quatenus attingendæ.

Cap. XXIII.

Sanctorum historiis ne nimis diu immorentur: quin potior pars (uti jam diximus) Evangelio detur, & Epistolæ explicandis. Quod si fabulosa videbitur historia, ne attingat quidem: si verisimilis, leviter, eaque decerpat, quæ imitanda videantur. Miracula quoque, ne impudentius jactentur, nisi quæ Scripturis prodita, aut a non levibus Scriptoribus summa cum historiæ fide tradita fuerint.

Allegoriæ quomodo explicandæ.

Cap. XXIV.

Si quas allegorias, aut sensus scripturæ reconditiores, spiritualia spiritualibus conferentes, adferre velint: has ex receptis Ecclesiæ Doctoribus, veluti Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, ac similibus comprobatis authoribus desument.

Quomodo finienda Concio.

Cap. XXV.

Ubi ad calcem Concionis deventum erit, brevi epilogo, quo argumentum, ac capita totius concionis renarret, utatur. Id enim ad captum, ac fulciendam memoriam Auditorum plurimum fecerit.

Quid recitandum finita Concione.

Cap. XXVI.

Debet quoque finita Concione, Decalogus ac Symbolum fidei & succincte, & exerte recitari. Illa quoque exomologesis, ac publica peccatorum confessio, cum imploratione misericordiæ DEI, pure ac distincte pronuntiari, ac moneri populus, ut eisdem verbis Sacerdotem pronuntiantem subsequatur: ac deinde recenseri consolatoria imprecatio remissionis peccatorum, ut populus dejecto, contrito, humiliato animo, ac toto corde cum Presbytero accingatur, ad mysterium redemptionis suæ (quod in altari tractatur) contemplandum, fructumque Dominicæ Passionis, quæ in altaris mysterio commemoratur, repræsentaturque, participandum.

Quomodo, finita Concione, populus excitandus ad orandum pro defunctis.

Cap. XXVII.

Cum multum plerumque temporis, parvo cum fructu teratur in recensendis singulatim defunctorum nominibus, ubi viritim pro quolibet exigitur una oratio Dominica, idque interdum non citra suspicionem vel quæstus, vel ambitionis fiat: Nobis potius videbitur, ut populus ad communem pro defunctis orationem pie ac devote dicendam accendatur, & hæ genealogiæ intermittantur. Super qua re tamen, quod ad morem civitatis nostræ Coloniensis attinet, & cum Parochis, & cum Senatu latius agere non omittemus.

PARS SEPTIMA.

De Administratione Sacramentorum.

Caput I.

Ecclesiæ Catholicæ usus, septem Mysteria (quæ Sacramenta appellantur) observat, veluti septem quædam parata remedia, per quam Deo visum est peccatis nostris mederi, ac nobis gratiæ suæ salutaris medicinam (diversa tamen ratione) infundere: quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ cur a Christo & Ecclesia instituta sint, & a veteribus Sacramenta peculiariter appellata: deinde quæ illorum sit per gratiam Dei efficacia, & virtus, nunc non est dicendi locus. Tantum admonebimus in præsentia Parochum, quæ illum circa dispensationem, singulorum observare conveniat.

Instru-

Inſtruendus populus, quid agatur in cujuslibet Sacramenti exhibitione.

Cap. II.

Quia igitur (z) in Sacramentis aliud videtur, atque aliud agitur: inſtruendus eſt populus in cujuslibet exhibitione, quid in hujuscemodi religioſo arcano (id enim Sacramentum ſonat) agatur. Cum enim in Sacramentis iſtis per ſigna quædam ſenſibilia infundatur inſenſibilis gratia, congruens externis ſignis, excitanda eſt fidelium fides, & devotio in Deum, ut credentes, ac Divinum myſterium intelligentes ad Dei ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti participandam gratiam accedant. Quod fiet, cum Parochus ſub adminiſtratione cujuslibet Sacramenti, ſacra concione populum breviter admonuerit, quid in ea re agatur.

Quid agatur in Baptiſmo.

Cap. III.

Et ut de ſacro Baptiſmo exordium capiamus, docendus eſt populus, quod illic (a) aboleatur vetus homo, remiſſo omni peccato: atque novus exoriatur, ab omni labe purgatus per fidem in Chriſtum: quod illic, qui baptizatur, lavetur (b) lavacro regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti in Sanguine Chriſti, pro nobis effuſo: quod illic veterem Adam exuimus, ac viciſſim Chriſtum induimus, conſepulti cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus (c) ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: quemadmodum hæc Enchiridion latius edocebit.

Cujus ſint admonendi ſuſceptores infantis.

Cap. IV.

Suſceptores infantes (Patrini qui dicuntur) merito admonentur, quod ipſi ſint, qui Eccleſiæ nomine, & in Eccleſiæ fide Chriſto parvulos offerant per Baptiſmum, ac ſe propemodum pro parvulis fidejuſſores conſtituant, nomine parvuli reſpondentes: quem etiam poſtquam adoleverit, Symbolum ſimul & orationem Dominicam edocere, atque vitam Chriſto ac profeſſione in Baptiſmo facta dignam perpetuo agere, ſaltem ubi id neceſſitas poſcere videbitur, cohortari non omittent: proindeque malumus illos deligi proveċtæ ætatis, quam impuberis, ne videatur infans infantem offerre, ac ſponſorem ſe Deo pro alio conſtituere, qui, quod promittit, non intelligat, ideoque multo minus, quod non intelligit, docere queat.

Populus docendus, quid velint externa ſigna.

Cap. V.

Præterea docebunt populum, quid ſit, quod Catechizetur baptizandus: quid reliqua ſolennia, quæ Eccleſia adhiberi voluit, ſignent: videlicet, cur inſufflетur in faciem baptizandi, cur ſignum crucis & in pectore & in fronte fiat, cur ſal in os detur, cur aures & nares ſputo attingantur, linianturque: cur inunctio in pectore & ſcapulis fiat, & cur poſt Baptiſmi tinctionem in vertice. Denique quid ſignificet amictus albus, quo infans ſeu alius baptizatus ſuperinduitur: quæ omnia ſunt myſteriorum plena, quemadmodum Enchiridion declarabit.

Quomodo accedendum ad Baptiſmum.

Cap. VI.

Cum Beatiſſimus Apoſtolus (d) in Eccleſia omnia honeſte atque ſecundum ordinem fieri jubeat, debebit Baptismus ſumma mentis in Deum, & in Sacratiſſima, quæ aguntur Myſteria, intentione & dari & accipi. Quare quidquid hinc ſuſceptores ſeu alios aſtantes avocat, procul tollendum eſt. Accedatur itaque, depoſito omni faſtu, humili ſpiritu, ac recta in Deum fiducia, quemadmodum acceſſerunt, (e) qui Jeſu parvulos obtulerunt, ut manus eis imponeret. Nam hic renuntiatur Satanæ, omnibus operibus, atque omnibus pompis ejus. Conveniaturque inter Patrinos de nomine infantis, ut potius in Baptiſmo ipſo cogitetur de lucranda anima Chriſto, quam retinendo nomine.

Baptis-

(z) S. Aug. de Doct. Chriſt. (a) Gal. 6. (b) Tit. 3.
(c) Rom. 6. (d) 1. Cor. 14. (e) Matt. 18.

Baptiſmus in facie Eccleſiæ peragendus.

Cap. VII.

Magna certe ratione Eccleſiaſticis Patribus viſum eſt, ut Baptiſmus in conſpectu Eccleſiæ in loco ſacro recipiatur, niſi tamen imminens neceſſitas fieri aliud ſuaſerit. Quamobrem diſplicet Nobis, quod quidam faſtuoſi templum Domini deſpicientes, ambiunt magis ſuos infantes in domibus privatim baptizari. Quod deinceps, niſi neceſſitas id ipſum exegerit, & cauſæ cognitio præceſſerit, indulgere nolumus.

In Confirmationis exhibitione quid docendum.

Cap. VIII.

Itidem dum Sacramentum (*f*) Confirmationis confertur, docebunt Vicarii noſtri in Pontificalibus, quid agatur, nempe quod illic ambiatur gratia Spiritus Sancti, qua confirmatur tyro adverſus Satanæ tentationes, roboraturque, ut quod (*g*) corde credit ad juſtitiam, ore quoque palam confiteatur ad ſalutem. Quamobrem eo communiri ſolet ætas tenera, quæ ad nequitiam proclivior eſt, quam ad pietatem; ut ea proclivitas minuatur, docilitasque ad pietatem augeatur. Omnes fideles, (inquit Urbanus Pontifex Romanus) per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur: quia cum Spiritus infunditur, cor fidele ad prudentiam & conſtantiam roboratur. De Spiritu Sancto accepimus, ut efficiamur ſpirituales, (*h*) quia *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.* De Spiritu Sancto accepimus, ut ſapiamus inter bonum malumque diſcernere, juſta diligere, injuſta reſpuere, ut malitiæ, ac ſuperbiæ repugnemus, ut luxuriæ & diverſis illecebris, ac fœdis indignisque cupiditatibus reſiſtamus. De Spiritu Sancto accepimus, ut amore vitæ, & gloriæ ardore ſuccenſi, erigere a terrenis mentem ad ſuperna & Divina valeamus. Sed de hoc alibi latius.

Quomodo ad Sacramentum Confirmationis accedendum eſt.

Cap. IX.

An expediat imitari conſuetudinem, (*i*) qua obſervatur, ut nedum adultis, ſed & Confirmatio detur infantibus, idque pranſis, hic non definimus: quanquam quod Aurelianenſi Concilio ſancitum eſt, Nobis magis placuerit, videlicet, ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur Confeſſionem Sacramentalem facere, priusquam acceſſerint; quo mundi, donum Spiritus Sancti mereantur accipere. Cum enim hoc Sacramentum non ſit neceſſitatis abſolutæ, convenientius & utilius dabitur, ſi addatur admonitiuncula. At antequam infans ſupra ſeptimum ætatis annum progreſſus fuerit, parum aut nihil horum, quæ aguntur, intelliget, ne dicamus, meminerit.

Cujus ſint admonendi ſuſceptores Confirmati.

Cap. X.

Quemadmodum in Baptismo ſuſceptores ſunt, ita hic, qui confirmandum præſentant, ac coram Epiſcopo ſiſtunt: idque non admodum diverſa ratione, niſi quod quidam etiam dicunt, decens eſſe, ut qui nondum adverſus Carnis, Mundi, ac Satanæ tentationes roborati ſint, per Confirmatos jam dudum atque exercitatos ſenſus habentes, quibus fides Confirmandi cognita atque explorata ſit, Epiſcopo præſententur. Quamobrem quoque admonendi ſunt iſti officii ſui, curandumque, ut tanti Sacramenti perceptio digne ac reverenter peragatur, quemadmodum in primitiva Eccleſia obſervatum legimus.

De moderandis donariis, quæ ſuſceptores infantibus donant.

Cap. XI.

Quibusdam in locis ambitionis magis, quam pietatis cauſa, dum utriusque tam Baptiſmi, quam Confirmationis Sacramentum peragitur, hi, qui Patrini dicuntur, certant, ut alter alterum donariorum pretio (quo ſuſcepti ac præſentati pueri donantur) vincant. Præterea

itur

(*f*) Act. 8. De Conſ. Diſt. 5. C. Noviſ. (*g*) Rom. 10. (*h*) 1. Cor. 2.
(*i*) Ex Conc. Aurel. C. Ut jejun. De Conſ. Diſt. 5.

itur ſtatim poſt Baptismum ad comeſſationes, cum tum maxime comeſſationibus eſſet abſtinendum. Qua de re monendus populus eſt, ut quæ digna ſunt his Sacramentis, tantum curent. Cætera aut moderentur, aut penitus tollant. Nam non offenderimus Deum gravius, quam cum illius Sanctiſſima Myſteria indigne tractamus.

Docendus populus de ſignis externis.

Cap. XII.

Docebit præterea Parochus populum, quid ſignet Chrisma; & cur ex oleo olivæ ac balſamo conficiatur, quemadmodum docebit Enchiridion.

De Sacroſancta Euchariſtia.

Cap. XIII.

Euchariſtia, unicum illud piarum mentium ſolatium, ac delicium, hac deploratiſſima tempeſtate, execranda inſania, ac abominabili prophanatione hæreticorum, de re tanta quodlibet comminiſcentium, plerisque quodammodo in nauſeam vertitur: adeo ut (quod dolentes referimus) multi nunc ſint, qui non tantum hunc panem vitæ, (*k*) qui de cælo deſcendit, accipere non deſiderent; ſed & averſentur, homines ſolo nomine Chriſtiani, re ipſa vero Capernaitis ipſis deteriores, etiam quos poſt acceptam notitiam veritatis, (*l*) voluntarie in Filium Dei peccantes, ac Corpori Dominico & Sanguini contumeliam inferentes, terribilis quædam exſpectatio judicii, & ignis æmulatio (quæ conſumptura eſt adverſarios) manet.

Quid docendus populus in hujus Sacramenti ſumptione.

Cap. XIV.

Docendus eſt itaque populus Chriſtianus certiſſima fide credere, quod in hoc Sacramento ſit verum Corpus & verus Sanguis CHRISTI JESU. Neque enim veritas mentitur, quæ apud Matthæum, Marcum, & Lucam, (*m*) hoc Sacramentum inſtituens, ac porrigens, ſimpliciſſime dixit: *Accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum: Hoc facite in meam commemorationem.* Sic docet Paulus Apoſtolus: (*n*) *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?* Unde conſequitur, in Euchariſtia totum eſſe Chriſtum, quanquam ibi ſit ſub ratione cibi & potus. Qui enim tradidit verum Corpus & Sanguinem, haud dubie tradidit vivum. Quare ſi credimus in ſepulchro Divinam naturam non fuiſſe ſeparatam ab exanimi corpore, quanto magis credemus eam a vivo corpore non eſſe ſeparatam in Sacramento.

Quibus perſuaſum eſt, utramque ſpeciem laicum participare oportere, quomodo docendi.

Cap. XV.

Ubi ſunt, quibus contra Eccleſiæ conſuetudinem eſt perſuaſum, oportere laicos participare Corpus & Sanguinem Domini ſub utraque ſpecie: ibi docebit Parochus hos, qui gravatam habent conſcientiam, Corpus & Sanguinem Domini in altera tantum ſpecie perfecte conſiſtere, adeo ut laicus, qui ſub ſpecie panis communicat, non tantum Corpus, ſed & Sanguinem Domini non minus recipiat, quam qui capit ſub utraque ſpecie panis & vini. Eccleſiam quoque (*o*) laicis unam tantum ſpeciem dare, quod pro reverentia ipſius Sacramenti, & ſalute fidelium, Eccleſia (cui diſpenſatio Sacramentorum Dei commiſſa eſt) ſic viderit expedire. Nam quum nullatenus ambigendum ſit, ſub ſpecie panis non tantum carnem, nec ſub ſpecie vini ſanguinem tantum, ſed ſub qualibet ſpecie totum Chriſtum contineri: cur ſe laicus judicio Eccleſiæ, (*p*) quam Dominus audire voluit, non ſubmittet? Quæ non temere, ſed multis rationibus permota, decrevit, ſalubrius eſſe, ut non tantum populus, ſed & Sacerdotes non ſacrificantes, Chriſtum ſub una tantum ſpecie, quam ſub duabus, perciperent. Quid enim (*q*) panis vini-

(*k*) Joan. 6. (*l*) Hebr. 10. (*m*) Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.
(*n*) 1. Cor. 10. (*o*) Ex Conc. Conſtant. (*p*) Matt. 18.
(*q*) Ambr. de Sacr. C. Rever. De Conſ. Diſt. 2.

vinique ſpecies, aliud ſunt poſt conſecrationem, quam ſpecies Sacramentales, & accidentia ſine ſubjecto? Ut non habeat laicus, cur queratur; ſibi alteram ſubtrahi ſpeciem, ubi totum, quod ſub utraque ſpecie continetur, integre accipiat. De qua re alibi latius dicetur.

De veneratione Sacroſanctæ Euchariſtiæ.

Cap. XVI.

Et quoniam (r) in hoc Sacramento Chriſtus continetur, cohortandus eſt populus, ut ad hæc myſteria contremiſcens, quum in celebratione Miſſarum elevatur Hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinet, corporeque humi fuſo, mente adoret Crucifixum, facturus idem, quum Presbyter defert ad infirmum Euchariſtiam, quam ob id paratam ſemper habere debet, ut quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione decedat. Quod faciens, decenti habitu indutus, hanc ſalutarem Hoſtiam palam ac honorifice ante pectus cum omni reverentia & timore ferat, & referat lumine ſemper præcedente, ut ſigno populus intelligat, illic eum eſſe præſentem, qui eſt candor lucis æternæ. Hæc denique Sacroſancta Hoſtia reponatur ſemper in loco ſingulari, mundo, & ſignato: honorificeque collocata, devote ac fideliter conſervetur.

Quomodo tantum miraculum in hoc Sacramento fiat, populus docendus.

Cap. XVII.

Docendus item eſt populus, quod tantum miraculum in hoc Sacramento virtute Chriſti fiat, non ex merito Sacerdotis; quod & in cæteris Sacramentis obtinet. Nam intra Sanctam Eccleſiam Catholicam in myſterio corporis Chriſti, nihil a bono majus, nihil a malo minus, perficitur Sacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritus Sancti. Si enim in merito eſſet Sacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret. Nunc autem, ſicut ipſe eſt, qui baptizat, ita ipſe eſt, qui per Spiritum Sanctum hanc ſuam efficit carnem, & tranſit vinum in ſanguinem. Sed hoc tantum intereſt, quod malus Sacerdos ſibi tantum nocet, indigne tanta myſteria tractans. Nam quod ad veritatem corporis Dominici attinet, ita percipit hic, cui dicit Apoſtolus: (s) Qui manducat indigne, judicium ſibi manducat: ſicut is, cui dicitur: (t) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.*

Quomodo admonenda plebs, ad ſumendum Euchariſtiam accedens.

Cap. XVIII.

Præterea inſtituenda plebs eſt, quomodo Euchariſtia ſumenda ſit. Et inprimis admonenda, quam grave crimen ſit, ad tanti Sacramenti participationem indigne accedere. Nam Apoſtolus ait: (u) *Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Et iterum hanc horrendam ſententiam congeminans: *Qui* (inquit) *manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ideoque (ut ſubjicit) *multi inter vos infirmi & imbecilles ſunt, & dormiunt multi. Quod ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Qui ad hoc Sacramentum participandum admittendi.

Cap. XIX.

Proinde nemo admittendus eſt, niſi ejus conſcientia Parocho ſit, aut cui poteſtas ſuper hac re legitime facta eſt, per exomologeſim explorata, & qui pœnitenti ac contrito corde corpus Domini dijudicans acceperit, quod jubet Apoſtolus, quum ait: (x) *Probet autem ſemetipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ne cum Juda, (y) qui cœnæ Dominicæ ad judicium interfuit, locum diabolo præbeat. Mens ergo ab omni affectu peccandi longe abſit. Nam ſi (z) adhuc habet voluntatem peccandi, gravatur magis Euchariſtiæ perceptione, quam purificatur. At contra, quamvis quis peccato mordeatur, ſi tamen pœniteat, & de cætero peccandi voluntatem nullam habeat; confidens de

(r) Honor. III. C. Sane. De celeb. Miſſ. Ex Conc. Mogunt. C. Presb. De Conſ. Diſt. 2. in C. Sane. (s) 1. Cor. 11. (t) Joan. 6.
(u) 1. Cor. 11. (x) L. c. (y) Joan. 13.
(z) S. Aug. C. Quot. De Conſ. Diſt. 2.

de Domini miſeratione, accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus.

Quatenus alteri, quam ſuo Parocho confeſſus, ad Euchariſtiam admittendus.

Cap. XX.

Qui alteri, quam ſuo Parocho confeſſus eſt, is ſi non factæ confeſſionis ſuſpectus habeatur, teſtimonium adferet ſe confeſſum eſſe, cujus etiam conſcientiam verus ille Parochus in principalibus Chriſtianiſmi articulis excutere non omittet. Ac generatim ſinguli Parochiani rudiores anno ſaltem ſemel, quum adibunt menſam Dominicam, examinandi prius, in præceptis Domini, articulis fidei, oratione Dominica, ac Eccleſiæ Sacramentis, maxime Baptiſmi & Euchariſtiæ.

Intra annum ſaltem ſemel communicandum.

Cap. XXI.

Et ut cohortandus eſt populus, quo ſæpe numero communicet, quemadmodum (*a*) olim ſingulis diebus Dominicis fieri conſuevit (quod quidem nunc, quo minus fiat, per laicos ſtat, quibus non debet cœleſtis ille cibus invitis, aut nauſeantibus intrudi) ita ad (*b*) minimum populus ipſe in diſciplina Eccleſiaſtica retinendus eſt, ut ſaltem toto anno ſemel ab omnibus, qui ad diſcretionis annos perveniſſent, confeſſis & contritis, Euchariſtia ſumma cum reverentia ſuſcipiatur. Olim qui non communicaſſent in anno ſaltem ter, in Paſcha videlicet, Pentecoſte, & Natali Domini, inter fideles Catholicos non connumerabantur: ſed quum ſenſim omnis pene refrixerit Charitas, in hoc quoque Eccleſiaſtica diſciplina cœpit eſſe remiſſior.

Quorum admoneri populus, hoc Sacramentum participaturus, maxime debeat.

Cap. XXII.

Omnium autem maxime inſtruendus eſt populus, (*c*) ut recta fide accedat, ſermoni Domini firmiter credens, quo nos edocet Chriſtus, dicens: [*d*] *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis & veritatem ſui Corporis aſtruit, & credentibus, digneque ſuſcipientibus, remiſſionem peccatorum promittit, jubens, ut hoc faciamus in ſuam commemorationem. Porro anima, quæ fidem habet, & ejusmodi Chriſti verbis credit, in memoriam Chriſti Sacramentum edit, quum ſecum recogitat, quemadmodum unigenitus Filius Dei, ob perditum hominem Deo Patri reconciliandum, & delendum, (*e*) quod contra nos ſcriptum erat, chirographum, de cœlo deſcenderit, ſemetipſum exinaniverit, ac humiliaverit, (*f*) *factus obediens* Patri *uſque ad mortem, mortem autem crucis.* In quo maxima erga nos Dei caritas commendatur, qui (*g*) unico Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis, a peccati & ſatanæ vinculis redimendis, tradidit illum. Talem ergo fidem & affectum, Deo ſuggerente, præparare debet in animo ſuo is, qui Euchariſtiam percipit.

Docendus quoque, cur hoc Sacramentum ſub ſpecie panis, & vini inſtitutum ſit.

Cap. XXIII.

Neque interim negligendum eſt, ſed perpetuo inculcandum erit, (*h*) hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis Dominici, ſub ſpecie panis & vini inſtitutum eſſe, ut præter veritatem Corporis, & Sanguinis [quæ in eo continetur, & recipitur] quoddam etiam eximium ſignum mutuæ dilectionis & charitatis excitandæ in nobis foret, quemadmodum Divus Paulus inquit: (*i*) *Quoniam unus panis*; & *unum corpus multi ſumus*, *qui de uno pane* & de uno calice *participamus.* Quamobrem ab hujus convivii ſpirituali participatione longe abſunt, qui invidiæ vel odii veneno infecti, aut iracundiæ furore repleti fuerint. Monendi itaque ſunt, qui communicare deſiderant, ut depoſita omni ſimultate, diligant alterutrum

(*a*) Ex Conc. Gener. C. Omnes. De pœnit. & remiſ.
(*b*) Ex Conc. Tolet. & alibi De Conſ. Diſt. 2. Omnis homo.
(*c*) C. Timorem. De Conſ. Diſt. 2.
(*d*) Matt. 26.
(*e*) Coloſ. 2.
(*f*) Philip. 2. Epheſ. 2.
(*g*) Joan. 3.
(*h*) S. Aug. in Serm. de ædific. Eccl.
(*i*) 1. Cor. 10.

utrum, ut unius corporis membra, ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed in id ipſum pro invicem ſollicita ſint membra.

Quomodo ſingulis Dominicis diebus plebs ad audiendam Miſſam ſe præparabit.

Cap. XXIV.

Docendus quoque populus, ut qui juxta antiquum Eccleſiæ ritum ſingulis Dominicis diebus ad communicandum Corpori & Sanguini Dominico non ſe præparat, Miſſæ ſaltem Parochiali, hiſce, aliisque feſtis diebus interſit, ut tametſi inter ſacrificantem & aſſiſtentes non ſit (more illo antiquo) tam frequens (*k*) Sacramentalis communio, ſit ſaltem ſacræ doctrinæ, piæ exhortationis, precationis, laudis, & gratiarum actionis communio, ut ſic quodammodo omnes ſpiritualiter communicent, cum deſiderio etiam Sacramentaliter communicandi. Ne vero populus ab hac Miſſa Parochiali, & ab auditione verbi Dei diſtrahatur, placuerit nobis, ut ſi quæ ſint aliæ Miſſæ legendæ die Dominico, hæ inchoentur primum poſt verbi prædicationem finitam, quemadmodum latius in viſitatione ſecundum diverſorum locorum mores ordinare ſtudebimus.

Docendus populus generatim, quid agatur in Miſſa.

Cap. XXV.

Docendus populus generatim, quid agatur in Miſſa, & quibus partibus conſtet. Conſtat ſiquidem pſalmodia, quem vocamus introitum, invocatione, & glorioſa celebratione Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ in canticis *Kyrie eleyſon*, & *Gloria in excelſis Deo*, peraguntur: precatione, ſeu Collecta, recitatione verborum Propheticorum, aut Apoſtolicorum, quam vocamus Epiſtolam: ſacris Canticis, quæ vocamus Gradualia, & Alleluja, & quæ ſequuntur: Lectione Evangelica, Symboli recitatione, ſeu Profeſſione fidei Catholicæ: cantico, quod non ſine myſterio Offertorium appellatum eſt: gratiarum actione, quæ dicta eſt Præfatio: religioſa commemoratione mortis, conſecrationeque Corporis & Sanguinis Dominici, quæ fit in Canone. Rurſus, precationibus, inter quas eſt precatio Dominica: ſequitur oſculum pacis, ſymbolum Chriſtianæ caritatis, mox communio. Rurſus ſacrum canticum, quod commune appellatur, & precatio. Poſtremo loco Sacerdos totum populum, velut in ſuam tutelam receptum, Deo benedictione tradit atque commendat, ut perſeveret in affectu pietatis, mutuaque charitate. Quorum quum admonetur populus, incipiet nedum credere, ſed & ſentire, quod in Miſſa nihil non ſit pium ac venerandum.

Corripiendus abuſus eorum, qui ante finitam Miſſam irreverenter diſcedunt.

Cap. XXVI.

Corripiendus vero (*l*) abuſus eſt, quod quidam poſt aſperſam aquam ante Miſſæ introitum, exitum faciunt: Quidam poſt auditum, & non intellectum Evangelium abeunt: aliique poſteaquam Sacerdos dixit: *Surſum corda*, & *Gratias agamus*. Atqui tum præcipue populi partes erant, quando ſubmiſſius legente, aut tacente Sacerdote, quiſque cum Deo loquitur. Denique alii ſtatim poſt elevationem Corporis & Sanguinis Dominici, non exſpectantes præcipuam Miſſæ partem, quæ eſt Communio. Antiquiſſimus ergo Canon populo rememorandus eſt, qui ſic habet: (*m*) Omnes fideles, qui in ſolennitatibus ſacris ad Eccleſiam conveniunt, & ſcripturas Apoſtolorum, & Evangelium audiant. Qui autem non perſeverant in oratione, uſque dum Miſſa peragatur, nec ſanctam Communionem percipiunt, (quam nos, ut non exigimus quotidie Sacramentalem, ſaltem ſpiritualem a populo requirimus) velut inquietudines Eccleſiæ commoventes, convenit communione privari.

Docendus populus, quale ſit Miſſæ Sacrificium.

Cap. XXVII.

Docendus item eſt populus, quale ſit Miſſæ ſacrificium, nempe repræſentatio-

[*k*] C. Et hoc attendend. De Conſ. Diſt. 5. Ex Conc. Carthag. C. Sacer. De Conſ. Diſt. 1.
[*l*] Ex Conc. Agath. C. Miſſ. De Conſ. Diſt. 5. & C. ſeq.
[*m*] C. Omnes fidel. De Conſ. Diſt. 1.

tativum. *Semel (n) quidem Christus .. est mortuus, justus pro injustis*: ſemel in manifeſtatione ſui corporis, in diſtenſione ſuorum membrorum omnium. Verus Deus & verus homo, ſemel tantum in cruce pependit, offerens Patri ſe ipſum hoſtiam vivam, paſſibilem, immortalem, vivorum & mortuorum redemptionis efficacem. Et ſcimus, quia *Christus (o) reſurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Et tamen quotidie immolatur in Sacramento: non quod toties Chriſtus occidatur; ſed quod illud unicum Sacrificium myſticis ritibus quotidie renovetur, quotidianaque recordatione mortis Domini (qua liberati ſumus) in edendo & potando Carnem & Sanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, hoc ipſum repræſentetur, quod olim factum eſt: facitque oblatio iſta Sacramentalis moneri nos, tanquam videamus præſentem Dominum in cruce, elicientes ſubinde nobis ex illo fonte inexhauſto, gratiam ſalutarem: immolamusque hoſtiam pro vivis, & defunctis, dum pro illis Patrem per Filii mortem deprecamur.

Exequiæ, ac Miſſæ pro defunctis, quando & cum qua admonitione celebrandæ.

Cap. XXVIII.

Exequias ac Miſſas, quæ pro defunctis peculiariter dicuntur, malumus in alium diem transferri, quam die Dominico celebrari, niſi tamen plebs diei translatione gravaretur. In quibus etiam ad populum fiat admonitio, declareturque, quibus potiſſimum modis Dei miſericordia pro animabus ambienda ſit: ſic ut interim admoneantur hi, qui funebres pompas, ac Miſſas, gloriæ tantum aucupandæ cauſa inſtituunt, perdere mercedem ſuam. Debet quoque plebs doceri, pium eſſe, quemadmodum ab Apoſtolorum temporibus, Eccleſia (quæ (p) *columna, & firmamentum veritatis* eſt) & docuit, & obſervavit, pro defunctis Dominum exorare, & Eleemoſynas in ſinus pauperum elargiri, atque hæc eis prodeſſe, qui in communione Eccleſiæ, & ſigno pacis deceſſerunt, & qui cum viverent, hæc ſibi, ut poſtea poſſent prodeſſe, cooperando meruerunt.

Qui ad Exequias evocandi.

Cap. XXIX.

Ad Exequias, quæ extra civitatem noſtram Coloniam celebrantur, non evocandi Monachi, nec iſta cohors levium, ac indignorum Sacerdotum. Aut ſi evocentur, videndum ipſis, ne laſciviant. Quanquam nobis magis probetur, ut qui volet, pietate ductus, multiplicari pro defuncto preces, is Monachos in ſuis Monaſteriis, ac Clericos ſingulos in ſuis templis permanere, ſinat, ibidemque preces, ac Miſſas peragere. Quonam enim ſpectat concurſus iſte, interdum, quam par eſt, immodeſtior, quam ad captandam auram popularem? Cavenda vero ſummopere poſt exequias delicata convivia, crapulæ, ac comesſationes, ne Deus placandus, magis irritetur.

De Pœnitentiæ partibus.

Cap. XXX.

In Sacramento Pœnitentiæ explicando, ac recte miniſtrando, maturitate multa ac diligentia opus eſt. Veteres orthodoxi pœnitentiæ partes tres nobis tradiderunt, Contritionem, Confeſſionem, ac Satisfactionem, ſeu fructum pœnitentiæ dignum. Quanquam pœnitentia, quatenus Sacramentum dicitur, potiſſimum in abſolutione Presbyteri conſiſtat, qua ille ex virtute verbi, & clavium (q) ſibi a Chriſto traditarum, peccatorem pœnitentem, & in miſericordia Dei ſperantem, a peccatis ſuis abſolvit, de quibus paulo latius in Enchiridio dicemus.

Prima Pœnitentiæ pars, Contritio, in ſuggeſto ſemper pertractanda.

Cap. XXXI.

Prima Pœnitentiæ pars, quum omnis Evangelicæ prædicationis exordium ſit, nunquam non eſt in ſuggeſto pertractanda. Hac enim confugitur ab ira Dei ad miſericordiam, hac convertimur (r) ab operibus mortuis ad Deum viventem, hac ſubducimur a peccati, ac diaboli laqueis, ac concorporamur Chriſto. Unde

[n] 1. Pet. 3. [o] Rom. 6. [p] 1. Tim. 3.
[q] Joan. 20. [r] Hebr. 6.

Unde a pœnitentia Præcurfor Joannes, (s) deinde Chriftus ipfe, ac Princeps Apoftolorum Petrus, (t) Prædicationis Evangelicæ doctrinam funt exorfi. Pœnitentia autem tum recte prædicatur, quum arguuntur fcelera, ac flagitia per verbum Dei, & incutitur populo timor iræ, indignationisque, (u) ac jufti judicii Dei, certo certius manentis eos, qui male agunt, ac male agendo perfeverant. Subinde vero vino oleum mifcendum eft, ut ex animo, vereque territis ac converfis promittatur gratia ac mifericordia. Ad eum modum Paulus ad Ephefios fcribens: (x) *Hoc* (inquit) *fcitote*, . . . *quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus* (*quod eft idolorum fervitus*) *non habet hæreditatem in regno Chrifti & Dei. Nemo vos feducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum.* Et iterum ad Galatas: (y) *Manifefta autem funt opera carnis, quæ funt, fornicatio, . . impudicitia, luxuria, idolorum fervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, iræ, diffenfiones, fectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeffationes, & his fimilia, quæ prædico vobis, ficut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non confequentur.*

Neminem non ad Pœnitentiam invitari.

Cap. XXXII.

Jam, quanquam nemo convertatur ad Dominum, nifi (z) tractus per Patrem, attamen nemo hic excufationem prætexat, quod non trahatur: quod ille femper ftet ante oftium pulfans, nimirum per internum & externum verbum, commonens, ut convertamur a via noftra peffima, & inclamans, quoniam (a) *ira, indignatio, tribulatio, & anguftia in omnem animam hominis operantis malum. . . Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum.* Hic concuffis confcientiis commonftrandus eft Samaritanus ille, [b] qui infundit vinum & oleum, *qui* (c) *fanat omnes contritos, & alligat omnes contritiones eorum. Filioli mei,* inquit D. Joannes, (d) *hæc fcribo vobis, ut non peccetis. Sed & fi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, JEfum Chriftum juftum, & ipfe eft propitiatio pro peccatis noftris: non pro noftris autem tantum, fed & pro totius mundi.* Hæc eft doctrina, quæ docet mori mundo, & vivere Chrifto.

Presbyter, qui a Confeffionibus eft, qualis effe debeat.

Cap. XXXIII.

De Confeffione, & quotuplex fit, alibi dicemus. Tantum, quod ad eam, quæ Sacerdoti privatim fit, attinet, paucis admonebimus. Primo magnopere neceffarium judicamus, ut Sacerdos, qui a confeffionibus eft, fit integer, eruditus, ac filentii tenax: alioqui fi ad quæftum intentus fit, fi ad malum folicitet, fi curiofior explorator fit, fi pertinacibus blandiatur, fi intricatam confcientiam extricare nefciat, fi denique vel ebriofus, vel iracundus, vel levis, vel fecreti minime tenax, diffipandis magis, quam pafcendis ovibus videbitur idoneus.

Quid confitentem docebit Presbyter confeffarius.

Cap. XXXIV.

Inprimis autem, qui huic muneri intentus eft, docebit confitentem, ne ambiguis ac perplexis fermonibus fe remoretur, & percontando cogatur velut expifcari crimina [quod fæpe numero periculofum eft] fed fimpliciter tanquam coram Deo, aperiat lethalia crimina, & quæ confcientiam onerant, ac lædunt, quod ea, quæ contra confcientiam aguntur, ædificent ad gehennam. Atque ibi maxime opus eft Sacerdote judice, difcernente inter lepram, & non lepram.

Remedium pro ratione morbi adhibendum.

Cap. XXXV.

Quod omnibus Chriftianis præcepit Paulus dicens: (e) *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, confolamini pufillamines, fufcipite infirmos, patientes eftote ad omnes:* hoc eum, qui a confeffionibus eft, maxime convenit obfervare, nimirum ut confolando erigat pufillamines per immenfam Dei mifericordiam: præfractos

[s] Matt. 3. [t] Act. 2. [u] Rom. 2.
[x] Ephef. 5. [y] Gal. 5. [z] Joan. 6.
[a] Rom. 2. [b] Luc. 10. [c] Pfal. 146.
[d] 1. Joan. 2. [e] 1. Theff. 5.

fractos autem objurget, tremendumque Dei judicium ante oculos ponat. Denique uti prudentissimus medicus pro morbi qualitate temperabit medicinam, magis obfuturus, quam profuturus, si putaverit uno collyrio omnium mederi morbis. Monendi ergo, qui confitentur, singuli secundum ordinem, statum, ac ætatem, atque id per locos quosdam communes, ex Scriptura depromptos, quos in numerato habere debet Parochus.

Nimis anxii, quomodo tranquillandi.

Cap. XXXVI.

Qui nimis anxii sunt in repetenda confessione, vel iteranda apud alium Sacerdotem, vel etiam in enumerandis circumstantiis, quales sunt quidam, qui quantumvis confitendo, conscientiam tamen vix tranquillare possunt, docendi erunt, Deum (cui omnia patent) synceritatem tantum cordis a nobis requirere, nec tam severum esse exactorem, qui conscientiam ob unam, vel aliam delicti circumstantiam, inter confitendum non dedita opera neglectam, perpetuo turbatam esse velit. Nam quis omnes erratus suos enumeraverit? quemadmodum David ait: (*f*) *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me* Domine.

Moderatio in casibus reservatis.

Cap. XXXVII.

In occultis delictis ex reservatione casuum compertum habemus, nonnihil mali interdum accidere: vel quod peccator non habens in promptu Sacerdotem, qui illum absolvat, confiteri vel differt vel contemnit: vel quod, qui minores ætate sunt, vel mulieres, difficile adducantur, ut ex suis Parochiis non sine levi suspicione ad Nos, seu Commissarios nostros proficiscantur. Quare ut consulamus & verecundiæ, & famæ, visum Nobis est, hanc potestatem nostram absolvendi a peccatis, & casibus nostræ absolutioni reservatis (occultis tamen) omnibus Parochis per Diœcesim nostram constitutis, rite vocatis, delegare: modo tamen Vicariorum nostrorum in Pontificalibus consilium requirant ac adhibeant: nostris tamen Suffraganeis potestatem facientes, aliter in Diœcesibus suis, uti consultius videbitur, super hac re ordinandi.

Publicæ pœnitentiæ usus in Ecclesiam revocandus.

Cap. XXXVIII.

In publicis vero criminibus, quemadmodum necesse est, ita jubemus ad Canones antiquos publicæ pœnitentiæ regredi, atque adeo ad Christi & Discipuli sui Pauli institutum reverti, qui ad (*g*) Corinthios exemplo ostendit, quomodo oporteat Ecclesiam in publice peccantem animadvertere, donec ipsi publice peracta pœnitentia satisfecerit. De quo fusius dicemus sub titulo, de jurisdictione Ecclesiastica contentiosa.

Recitata confessione, quid agendum per Parochum.

Cap. XXXIX.

Peracta confessione, sub absolutionem Sacerdos monebit confitentem, ut quod admissum est, detestetur, ut sic deinceps vitam instituat, ne in ullum lethale crimen posthac incidat, quemadmodum Christus ad mulierem dixit: (*h*) *Vade, & noli amplius peccare.* Utque eum affectum habens, credat, per Dei misericordiam virtute Sanguinis Christi per absolutionem impartiendam in verbo ejus, sibi remissum iri peccata. Injungat etiam illi fructum dignum pœnitentiæ facere, ac tum denique imponat manum, ac absolvat confitentem.

In Matrimonii Sacramento quid agatur.

Cap. XL.

Dum Matrimonio jungunt Parochi virum ac mulierem, docebunt, Matrimonium institutum esse a Deo, confirmatum per Christum, ut Geneseos secundo & Math. XIX. legimus: quod Sacramentum si quis, sicut decet, acceperit accedente Sacerdotali precatione, confertur donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto, (*i*) sicut Christus dilexit Ecclesiam: mulier vicissim, propter Christum amet, revereaturque virum suum uti Dominum. Uterque liberos (si dentur) summa cura instituant ad Christianam pieta-

(*f*) Psal. 18. (*g*) 1. Cor. 5. (*h*) Joan. 8.
(*i*) Ephes. 5.

pietatem. Copiosam monendi materiam Paulus ad Ephes. 5. subministrat.

Quemadmodum monendi sunt, qui Matrimonium contrahere affectant.

Cap. XLI.

Cum Matrimonium (*k*) ante lapsum Adæ propter procreandos liberos institutum, ac benedictione Dei firmatum sit, qua dixit ille: (*l*) *Crescite, & multiplicamini, & replete terram:* peculiariter autem homini: (*m*) *Erunt duo in carne una: propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Nec ratio conjunctionis, seu benedictio post lapsum defecit: sed tantum, quod sanis potuit esse officium, id ægrotis factum etiam sit remedium. Dum utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, recte excipitur honestate nuptiarum. Quemadmodum Divus Paulus ait: (*n*) *Unusquisque uxorem suam habeat, propter fornicationem,* nimirum vitandam: monendi sunt, qui Matrimonium contrahere affectant, ne alius affectus ipsos huc rapiat, ut sit honorabile conjugium, ac cubile impollutum. Nam si neque ob prolem suscitandam, neque ob fornicationem vitandam, sed potius divitiarum, aut opum nanciscendarum, aut alterius rei gratia Matrimonium contrahatur, perperam agitur, ac graviter in Sacramentum peccatur. Hic, quæ Tobiæ VI. VII. & VIII. scribuntur, enarrari, proponi, ac doceri conveniet: ubi locus pulcherrimus est, exemplo commonstrans, quemadmodum bona uxor donum Dei sit, debitum timenti Dominum: quomodo in timore Dei apparentibus, non luxuriæ causa, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei in sæcula, petenda: quo pacto conjugii conscriptione facta, tradenda: quemadmodum etiam convivium nuptiale cum laude & benedictione Dei agendum. Denique quomodo sit precandus Deus per conjuges; ut benedictionem suam in ipsos, quos conjunxit, impleat. Hæc enim decent sanctorum filios, qui non debent ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Eritque horrendum illud exemplum de septem Saræ viris, a Dæmonio occisis, replicandum. His namque (ut Raphael Angelus apud Tobiam ait] qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se & sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, dæmonium malum dominatur. Quamobrem vehementer comprobamus, illum morem, quo Matrimonio jungendi ante Ecclesiasticam conjunctionem, jejunio se præparant, & sacram Eucharistiam sumunt.

Matrimonium tria complecti.

Cap. XLII.

Docendi itaque breviter, [*o*] Matrimonium tria complecti, fidem, prolem, & Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera vel cum altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur. In Sacramento autem, ne conjugium separetur, neve dimissus aut dimissa etiam prolis causa alteri conjungatur.

Pium votum, & in clandestine contrahentes censura.

Cap. XLIII.

Optandum, ut Canon Evaristi Pontificis Concilio Generali renovetur, tollanturque illa clandestina matrimonia, quæ invitis parentibus ac propinquis Veneris potius, quam Dei causa contrahuntur. Nam quanta ex his clandestinis matrimoniis mala suboriantur, in aperto est. Interea vero donec Ecclesia de hoc prospiciat, si non irrita, prohibita saltem sint, & pœnæ canonicæ, hoc est, excommunicationi, contrahentes, & qui ope aut consilio his adfuerint, subjaceant: quam nec tam facile, nisi Ecclesiæ satisfiat, tolli admodum expedire Nobis videtur. Quantum fieri potest, cavebit Parochus, ne liberos citra parentum authoritatem conjungat. Quod si parentes negligentes fuerint, aut in admittendo matrimonio jam contracto rigidiores negatores: admonebit eos, ut liberos maturæ ætatis elocent, neve vinculo jam per Ecclesiam indissolubili, pertinacius obluctentur.

Conjun-

(*k*) Aug. de Gen. Ad lit. Lib. 9. C. 3. & seq. (*l*) Gen. 1. (*m*) Gen. 2.
(*n*) 1. Cor. 7. (*o*) Aug. de Gen. Ad lit. Lib. 9. C. 7.

Conjunctio conjugum in facie Ecclesiæ peragenda.

Cap. XLIV.

Conjunctionem per Sacerdotem cum benedictione Sacerdotali, ac precibus inter Missarum solennia, in templo secundum antiquos Canones, & Ecclesiasticum ritum fieri decernimus. Superbia ac fastu tumidis, qui in privatis domiciliis malunt, quam in templo (ubi Ecclesia convenit, ac conjungendis bene precatur) copulari, quis non inepte opposuerit illud Paulinum: (p) Num Ecclesiam Dei contemnitis? Nec Sacerdos ante quoslibet conjugio jungat, nisi edictis, aut proclamationibus tribus publice e suggesto ad populum factis, præcedentibus, ob multas ac varias fraudes evitandas. Contra hæc haud facile, sed tantum, ubi ratio admodum necessaria hoc ipsum fieri postulaverit, idque non, nisi causa cognita, dispensabitur.

Peregrinos & ignotos sine legitimo testimonio non conjungendos.

Cap. XLV.

Peregrini, & ignoti non conjungantur, nisi legitimis testimoniis doceant, se, ubi ante versati fuerint, nullis Matrimonii vinculis adstringi, ipsisque per suum Parochum licere, per alium Parochum copulari.

In gradibus consanguinitatis ac affinitatis, Concilium Generale observandum.

Cap. XLVI.

Quod ad gradus [q] consanguinitatis ac affinitatis attinet, qui Matrimonium contrahendum, ac contractum dirimunt, Decretum Concilii generalis observabitur. Hic si Parochi in dinumeratione graduum addubitaverint, peritiores consulent. Ubi Romanus Pontifex dispensatorio diplomate Matrimonium secus contractum, approbandum jusserit, examinentur causæ diligentius, quæ dispensationem extorserunt. Quæ si comperiantur aliter, quam narratum est, se habere, non dubium est, dispensationem nullius roboris esse.

Ludicra tollenda.

Cap. XLVII.

Ludicra illa, quæ in templis post conjunctionem Sacerdotalem fieri consueverunt, veluti in pulsando sponso, atque alia ejusdem generis, penitus tollantur. Nam res seria, quam Deus ipse instituit, benedixit, inviolabilemque decrevit, agitur.

De Sacro Ordine dictum esse prius.

Cap. XLVIII.

De Sacro Ordine, & quæ salutaris gratia hoc Sacramento conferatur: quæ denique in eodem Sacramento conferendo observari oporteat, Titulo primo, qui de Munere Episcopali est, abunde diximus.

Cur adhibeatur extrema Unctio.

Cap. XLIX.

Restat extrema Unctio, quæ (quoniam in morte extrema lucta est) adhibetur, ut vel convalescat ægrotus, si Deo ita visum, vel cum fide, bonaque spe obdormiat in Domino.

Quomodo impendenda Unctio extrema.

Cap. L.

Est autem Unctio impendenda cum expositione Unctionis, & mandati Apostolici, quod sic habet: (r) *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Postremo loco adhibebit Parochus admonitionem præparationis ad mortem, quemadmodum Enchiridion docebit.

A Sepultura nemo, in communione decedens, repellendus.

Cap. LI.

Quod ad Sepulturam attinet, quis poterit negare, rem longe piissimam esse, & in veteri (s) & in nova lege accurate observatam, ut Christianorum (qui spem resurrectionis habent) corpora non pecudum more disjiciantur, sed in cæmiterii sinum recordantur, quod etiam alto mysterio

(p) 1. Cor. 11.
(q) Ex Conc. Gen. C. Non debet. De consang. & affin.
(r) Jac. 5.
(s) Gen. 23. & 25.

ſterio non caret? Ab hac ergo ſepultura (*t*) nemo Chriſtianus, qui in communione deceſſit Eccleſiæ, arceatur, etſi caſu mortuus fuerit. Quum enim communicabatur viventi, & mortuo communicandum eſt. Soli vero hæretici excommunicati, publici latrones, & hi, qui ſibi mortem criminis conſcientia adacti, conſciverunt, & quos in peccato lethali, nullis pœnitentiæ ſignis præcedentibus, deceſſiſſe conſtiterit, prohibeantur.

Quam admonitionem in Sepulturis & Exequiis fieri oporteat.

Cap. LII.

In ſepulturis autem & exequiis, mortalitatis atque hujus calamitoſæ vitæ admonitio diligens fiat, atque excitandi inter alia præſentes, ut recogitent, ſibi eodem modo hinc excedendum eſſe, ſeſe in hac terra peregrinos agere, (*u*) aliam autem inquirere, ad quam ſemper oporteat ſuſpirare. Nam quo pacto ad exorandam pro defunctis Dei miſericordiam commonendi ſint, ſupra diximus.

PARS OCTAVA.

De victu Parochorum.

Caput I.

SUpereſt, ut de victu Parochorum diſpiciamus. (*w*) Hic inprimis, quod Chriſtus docuit, & Sacri Canones maximo ſerio præceperunt, præmittendum duximus: nempe ut Sacramenta Eccleſiaſtica gratis adminiſtrentur, dicente Domino: (*x*) *Gratis accepiſtis, gratis date.* Quamobrem (*y*) neque pro baptizandis, conſignandiſque fidelibus, neque pro collatione Chriſmatis, vel promotionibus graduum, neque aliis Sacramentis diſtribuendis pretia quælibet, vel præmia, niſi quid voluntarie offeratur, recipienda ſunt. Neminem quoque ad quæſtuoſas exequias cogi, aut pro ſepultura munus, aut pretium exigi volumus ſecundum Canonicas Sanctiones. Cuſtodi interim ac veſpilloni, de ſua mercede nihil detrahentes.

Parochis victus neceſſarius ſuppeditandus.

Cap. II.

At quum Lex Divina præcipiat, (*z*) non alligandum os bovi trituranti, quod utique non boum cauſa, ſed propter nos dictum, Chriſtus in Evangelio explicat: (*a*) Dignus [inquiens] eſt mercenarius mercede ſua. Ac Paulus toto Capite IX. primæ ad Corinth. confirmat: *Quis enim militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Neque enim magnum eſt, ſi qui ſpiritualia ſeminant, etiam carnalia metant. Quamobrem diſpiciendum eſt, ut Parochis Evangelii Prædicatoribus, certa ac competens ſubminiſtratio victus, & veſtitus fiat, idque ad eum modum, ne in adminiſtrandis Sacramentis quippiam exigendo, oneri ſint Parochianis, aut cibum vicatim diſcurrendo emendicare cogantur, quo nihil turpius, aut ſordidius.

Vice-Curatos, quos vocant, ex proventibus Eccleſiæ congruam ſuſtentationem recepturos.

Cap. III.

Inprimis igitur, qui per Vicarios ſeu Vicecuratos Eccleſias Parochiales regendi poteſtatem a Nobis acceperunt, iisdem Vicariis tantam ex proventibus Eccleſiæ partem aſſignabunt, qua vitam congrue ſuſtentare poſſint. Quod Nos inter viſitandum ratione locorum ac Parochiarum, ut fiat, ordinabimus.

Qui Eccleſias unitas habent, Vicariis perpetuis portionem congruam aſſignare oportere.

Cap. IV.

Eccleſiæ Cathedrales, (*b*) ac Collegiatæ, itidem Monachi ſeu Religioſi, qui Eccleſias Parochiales, aut ſuis Eccleſiis vel Monaſteriis unitas habent, aut regendas aliis committunt, aut præſentando committi procurant, adeo interdum omnem proventum emungunt, ut reſidui redditus, qui Rectoribus Eccleſiarum permittuntur, nimis tenues ſint & exiles. Quamobrem noſtræ curæ eſt, ut tanta portio Rectoribus iſtis aſſignetur, unde

(*t*) C. Ex parte. De Sepult.
(*u*) Hebr. 11.
(*w*) Ex Conc. Tolet. 11. C. 8.
(*x*) Matt. 10.
(*y*) C. In Eccleſiaſtico. C. Præcipiendum 13. Q. 2.
(*z*) Deut. 25. 1. Tim. 5.
(*a*) Matt. 10.
(*b*) De Præbend. & Dignitat. Lib. 6.

unde jura Episcopalia solvere, & congruam sustentationem habere possint.

Ubi redditus non suffecerint, quid agendum.

Cap. V.

Ubi vero redditus (c) Ecclesiarum non suffecerint, juris consilium sequendum putamus, nempe ut duæ uniantur: aut si id grave videbitur, saltem una aut plures etiam Vicariæ, quæ ad altaria in ejuscemodi Ecclesiis fundatæ sunt, ipsi Ecclesiæ Parochiali (ut vocant) incorporentur: sic tamen, ut quoad fieri potest, per Parochum officium, ob quod Vicariæ illæ fundatæ sunt, minime negligatur. Porro decimas potissimum Parochis, ac Ecclesiæ ministris deberi, non dubium est. Nunc quum illæ passim a laicis magna ex parte usurpentur, neque facile ex eorum manibus divelli possint: videndum, num diligenti cohortatione, aut alia via juri consentanea, Parocho, cui Ecclesiæ redditus ad victum non sufficiunt, hinc aliquid emendicari possit.

Denarius consuetus, sed duplicatus, pendendus.

Cap. VI.

Postremo loco justum ac decens putamus, ut singuli Parochiani denarium illum consuetum, sed duplicatum, saltem in anno quater, videlicet in festis illis majoribus, veluti in Natali Dominico, Paschate, Pentecoste, Assumptioneque Virginis gloriosæ, id est, singulis festis duos Parocho denarios pendant. Neque enim tantillum offerri, ulli onerosum esse, aut videri potest. Quis enim tam sordidus est, qui non æquum putet, modicum quid caduci, ac temporalis subministrare illi, a quo spiritualia ac æterna vicissim repetit. Certe omnes scire debent, eos, qui (d) in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edere: & qui altario deserviunt, cum altario participare. Nam & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Qui se unica solutione (quæ uno albo rotato fiet) liberare volet, id ipsi liberum esto. Ne vero Parochus aut in contentionem aut suspicionem trahatur, potius hæc pecunia per Ecclesiæ œconomos, aut alios probatæ fidei viros colligetur, ac ipsi Parocho numerabitur.

Laudabilem consuetudinem Agrippinæ Coloniæ per hæc non abrogari.

Cap. VII.

Laudabilem tamen consuetudinem in civitate nostra Coloniensi erga sanctam Ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, per has nostras Synodales constitutiones nolumus immutare; donec ipsis Parochis intra eandem civitatem de sufficientiori victu fuerit provisum.

PARS NONA.

De Constitutionibus ac consuetudinibus Ecclesiasticis.

Cap. I.

De constitutionibus humanis, ac Ecclesiasticis consuetudinibus magna in præsentiarum in Ecclesia Dei concertatio est, quam Ecclesiæ turbatores, ut Ecclesiæ authoritatem everterent, ad nihilumque redigerent, invexerunt. At populus hic docendus est, Sanctorum Patrum regulam sequi, qui diligenter admonent; traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita observandas, ut a majoribus traditæ sunt. Sunt autem illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, non unius generis, quemadmodum Divus Augustinus tradit. (e) Alia enim toto terrarum orbe observantur, a Patribus nobis, quasi per manus tradita. Quæ quidem putanda sunt vel ab ipsis Apostolis, vel ex plenariis Conciliis (quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas) commendata, atque statuta retineri, veluti quod Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, adventus Spiritus Sancti, & Quadragesima, annua solennitate celebrantur, quod die Veneris a carnibus abstinetur; atque alia multa, quæ ab universis merito observantur. Alia vero, quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicut est, quod alii jejunant diem Mercurii, alii non: alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt. Et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas

(c) Ex Conc. Vienn. Clem. Si una. (d) 1. Cor. 9. (e) C. Illa autem 12. Dist.

beras habet obſervationes. Quod enim neque contra fidem Catholicam, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum. Sic Divus Ambroſius Auguſtinum docuit, de hoc altero genere interrogantem: Tu (inquit) ad quamcunque forte Eccleſiam (nimirum in unitate Eccleſiæ Catholicæ permanentem) veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalum, nec quemque tibi. Sed de his, ac quatenus Eccleſiaſticæ illæ conſtitutiones obligent, alibi latius dicemus.

Jejunia ab Eccleſia indicta, reverenter obſervanda.

Cap. II.

Jejunia ergo ab Eccleſia indicta, reverenter obſervari volumus, admonendusque populus, cur ſint inſtituta, nempe ut corpus, per intemperantiam cibi ac potus luxurians, caſtigetur, in ſervitutemque redigatur, quo animus vegetior ac liberior laudibus Divinis inſiſtat, Divinæque voluntati ſeſe attemperet. Magnum (*f*) certe & generale jejunium eſt, abſtinere ab omnibus iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus ſeculi. Ad hoc perfectionis, qui nondum pervenit, is Eccleſiæ indictum huc vocans, haud contemnat.

Irriſores Eccleſiaſticorum jejuniorum refelluntur.

Cap. III.

Qui Eccleſiæ ordinationem irrident, illique Divum Paulum (*g*) opponunt, quaſi is jejuniis Eccleſiaſticis contradicat, graviſſimam utrique contumeliam (Apoſtoli doctrinam dedita opera adulterantes) inferunt. Non enim Eccleſia aliquod cibi genus perpetuo interdixit, aut Judaicum ciborum delectum contra Apoſtolicam doctrinam invexit: quinimo cum Paulo ſemper docuit, doctrinam eſſe dœmoniorum, cibum aliquem immundum judicare, & prohibere, quem Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his, qui cognoverunt veritatem. Quod ſcilicet omnis creatura Dei bona ſit, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sed potius Eccleſia veteris legis, ac Apoſtolicorum virorum exempla ſequuta, jejunia quædam publica certis diebus indixit, jubens tum a carnibus abſtinere, & cibis aridioribus uti, non quod carnes immundæ ſint, ſed ut luxui temperetur. Qua de re in Gangrenſi Concilio (quod non multo poſt Apoſtolorum tempora obſervatum eſt) pari cenſura damnati ſunt, tum hi, qui nonnullos cibos carnium illicitos reputarunt; tum illi, qui præter neceſſitatem corporalem ſuperbientes, jejunia communia totius Eccleſiæ putaverint contemnenda, perfectam in ſua ſcientia rationem vindicantes, quos anathema eſſe Concilium illud decrevit. Atque alia multa, quæ nunc in contentionem rurſus vocantur, ut ſuccincte admodum, ita chriſtianiſſime Apoſtolico ſpiritu diffinit.

Eccleſiæ conſtitutionem charitati cedere.

Cap. IV.

Cur vero criminentur hoſtes Eccleſiæ ejus inſtitutum, non videmus, quum ipſa nulli injiciat laqueum, quod hanc conſtitutionem adeo ligare non velit, ut vel charitati vel neceſſitati minime cedere debeat. (*h*) Quinimo liberum facit, quolibet tempore quibuslibet veſci, modo id vel charitas vel neceſſitas ſuadeat, adhibito tamen utriusque Medici (ſi præſto ſint) aut ſaltem alterius, nimirum animæ, conſilio.

Quid in jejunio potiſſimum ſpectandum.

Cap. V.

Jam quum in jejuniis ratio potius indictionis, quam abſtinentia iſta a carnibus ſpectetur: admonendus eſt populus, quum jejunandum erit, non minus ſumptuoſa & prolixa illa piſcium fercula, quam carnium vitanda: bellaria item illa magis, quam carnes, inflammantia.

Redarguuntur, qui Quadrageſimæ obſervationem contemnunt.

Cap. VI.

Quadrageſimæ inſtitutio antiquiſſima eſt, (*i*) a temporibus Apoſtolorum ad

(*f*) Aug. in Joan. C. Jejunium autem magnum. De Conf. Diſt. 5.
(*g*) Coloſ. 2. 1. Tim. 4. (*h*) C. Conſilium. De obſerv. jejun.
(*i*) Orig. ſuper Levit. Hieron. adverſ. Monta. hæret. Ambr. in ſerm. de Quadrag. 36.

ad nos uſque deducta, cujus violatores plerisque generalibus Conciliis, præſertim Toletano octavo acerrime redarguuntur, religionique contraire monſtrantur. Atque adeo omnes, quotquot ſine inevitabili neceſſitate ſeu fragilitate, evidentique languore, ſeu etiam impoſſibilitate ætatis, diebus Quadrageſimæ eſum carnium attentare præſumpſerint, alienos a ſancta Communione decernit, quod ſacris diebus abſtinentiæ obliti ſint, diſciplinam, ac Quadrageſimæ dies (quæ anni totius decimæ putantur, quæ & in oblatione jejunii Domino conſecrantur) temerarie prophanaverint. Quos vero vel ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat; non ante prohibita, violare præſumant, quam a Sacerdote permiſſum eſſe percipiant.

Litaniæ, & Rogationes cur inſtitutæ, & quomodo populus admonendus ſit.

Cap. VII.

Litanias, id eſt, ſupplicationes, (*k*) ſeu rogationes, in dicto triduano jejunio, ante Domini Aſcenſionem Patribus placuit celebrari: quibus omnes intereſſe jubentur, ut quemadmodum omnes peccaverunt, ſic & omnes pro venia ſupplicent, omnesque ad Deum corda cum manibus elevent. Quanquam potiſſimum Litaniæ iſtæ principio inſtitutæ ſint, ut tum populus, Divina inſtitutione admonitus, clementiam DEI exoret, quo peſtes, clades, calamitates, fames, bella, & id generis adverſa, quæ nobis juſtiſſimo Dei judicio ob peccata noſtra infliguntur, ac ſub id anni tempus, nempe Veris (quum bella emergere, atque terræ fructus, qui tum in flore, atque teneri adhuc ſunt, facile corrumpi ſolent, potiſſimum imminent) avertat, & tollat. Ut autem Eccleſia fiduciam erga Deum (quam orantes ac petentes habere neceſſe eſt) cum nobis adaugeat, Heliam proponit hominem nobis ſimilem & paſſibilem, qui oratione oravit, ut non plueret ſuper terram; & non pluit annos tres, & menſes. Et rurſus oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum. Quod ſi ſolus Helias petens exauditus eſt, num Chriſtus Eccleſiæ ſuæ preces averſabitur? Hic interim populus docendus eſt, quod non ſolum, quæ animi, ſed & quæ corporis & externa bona ſunt, a Deo omnium authore poſtulare oporteat. Et redarguendi illi (haud ita multo, quam gentes, meliores) qui vel fortunæ vel ſuæ induſtriæ, bona temporaria accepta ferunt.

Proceſſiones intra ſepta Eccleſiarum peragendæ.

Cap. VIII.

Quod proceſſiones per agros & campos peraguntur, rationem quidem habet, nempe quod populus oret, ut ſegetes, ac fruges terræ a Domino conſerventur. Verum ut alia plurima, ita & hic mos hominum malitia depravatus eſt; quod per occaſionem talis deambulationis; quæ Deo placando erat inſtituta; pleraque ſcelera committantur. Quamobrem Nobis ſatius videtur, ut hæ, aliæque ſupplicationes, ac proceſſiones de cætero intra ſepta Eccleſiarum religioſe fiant, ac ut in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque pius, rei ac tempori conveniens, ad populum commonitorius ſermo. Noſtris tamen Suffraganeis liberum relinquimus, ut ipſi in ſuis Diœceſibus de hac re, uti mores regionis patientur, diſpiciant.

Admonendus populus, cur feriæ inſtitutæ.

Cap. IX.

Diligenter quoque populus admonendus eſt, cur feriæ, & potiſſimum dies Dominicus (qui a temporibus Apoſtolorum in Eccleſia Dei ſemper celebris fuit) inſtitutæ ſint. Nempe, ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque Sacrum, & communicandum. Breviter, ad vacandum Deo ſoli, ut dies illa tantum orationibus, hymnis, pſalmis, & canticis ſpiritualibus tranſigatur. Hoc enim eſt ſanctificare ſabbathum.

In Feriis ſoli Deo vacandum.

Cap. X.

Quamobrem cupimus, hiſce diebus prohibere nundinas, claudi cauponas, vitari

(*k*) Ex Conc. Aurelian. C. 23.

vitari comeſſationes, ebrietates; ſumptus, lites, luſus improbos, choreas plenas inſaniis, colloquia prava, cantilenas turpes: breviter, omnem luxum. Nam hiſce (& quæ hæc fere ſemper conſequuntur) blasphemiis, ac perjuriis nomen Domini prophanatur, ac ſabbathum (quod nos admonet, ut quieſcamus perverſe agere, & bene facere diſcamus) contaminatur.

Dies Dedicationis Templi extra Coloniam, uno die ubique celebrandus, & quomodo ſit admonendus populus.

Cap. XI.

Et quum in diebus feſtis (qui Dedicationi Eccleſiarum peculiariter dicati ſunt) plerumque indigna committantur adeo, ut videatur populus tum potiſſimum comeſſationis cauſa convenire: viſum Nobis eſt, ut per Diœceſes noſtras, uno certo die anni, quo ejuscemodi feſtum Dedicationis in Metropolitana noſtra colitur, in reliquis quoque Eccleſiis omnibus, extra civitatem noſtram Coloniam Agrippinam conſtitutis, obſervetur. Nam intra Coloniam ſummo noſtro templo ſuus honos conſtare debet: quod & in aliis oppidis inſignioribus, ubi una cæteris Eccleſiis præeminet, obtinere placuerit: videlicet, ut ibi minores Eccleſiæ pridie ejus diei, qui dedicationi Eccleſiæ ſummæ ejus loci conſecratus eſt, aut die Dominico proximo præcedente ſuas ſingulæ dedicationes celebrent, obſervetur. Docendus autem eſt populus, dedicatione templi ſignificari Eccleſiæ dedicationem Catholicæ, ac cujuslibet hominis Chriſtiani, qua copulatur Deo. Nam ut Divus Auguſtinus ait: Quotiescunque templi feſtivitatem colimus, ſi fideliter, ac diligenter attendimus, & ſancte & juſte vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis ſpirituali ædificatione completur. Non enim eſt mentitus ille: qui dixit: Templum enim Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos. (*l*) Et iterum: Neſcitis, quia corpora veſtra templum eſt Spiritus Sancti.

Cur Templa & Altaria conſecrentur.

Cap. XII.

Ex vetuſtiſſima inſtitutione, & more receptum eſt, (*m*) Templa, & Altaria, & pleraque alia, quibus in templis ad excitandum fidelium animos, & Divinum cultum explendum utimur, conſecrari, ſolennibusque precibus ac benedictionibus dedicari Deo, quod in veteri quidem teſtamento præceptum etiam Divinum habuit, quemadmodum Exodi XXXI, & II. Paralip. XXII. legimus. Ungitur præterea ſecundum Eccleſiaſticam conſuetudinem, quum conſecratur altare, quum dedicatur templum, quum benedicitur calix, idque non ſolum ex mandato veteris legis, verum etiam exemplo beati Sylveſtri, qui quum conſecrabat altare, illud Chriſmate perungebat. Verum Unctionis Sacramentum, aliud quidem efficit, & figurat, tam in novo, quam in veteri teſtamento. Unde non judaizat Eccleſia, quum Unctionis celebrat Sacramentum, (*n*) ſicut aliqui mentiuntur, qui neque ſcripturas, neque Dei novere virtutem.

Populus docendus, quid agatur, & ſignificetur in Conſecratione Templorum, ac Altarium.

Cap. XIII.

Quamobrem populus docendus eſt, hic aliud agi, atque aliud ſignificari, quum conſecratur templum. Funduntur preces Domino, ut hunc locum ſibi peculiariter dedicatum eſſe velit; ut diabolum, & ejus poteſtatem inde penitus expellat; ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, (*o*) ex quacunque tribulatione conſolationis Divinæ beneficia conſequantur; ut ab omnibus pariter convenientibus Deo laudes ſolvantur, Divinum verbum audiatur, ac Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrentur. Peculiariter altare conſecratur, ut hic oblatio munda Deo offeratur, hoc eſt, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti, quod in memoriam paſſionis Dominicæ immolamus. Quod vero præter preces, aſperſionis etiam, atque unctionis,

(*l*) 1. Cor. 3. (*m*) C. Sicut non alii. C. Miſſarum ſolennia. C. Eccleſias. De conſec. Diſt. 1. (*n*) C. 1. Et ſi. De ſacra Unct. (*o*) 2. Reg. 6.

ctionis, aliarumque rerum solennia adhibentur, mysterii secretionis plenum est: non quod inanimata ista gratiæ Divinæ susceptiva sint: sed quum hæc visibiliter fiunt, admonetur Christianus, Deum omnia hæc per invisibilem virtutem in anima operari, quæ est domus Deo dedicanda, ubi fides facit fundamentum, spes erigit, & caritas consummat. Signat ergo templi dedicatio tam fidelis animæ, quam Ecclesiæ cum Christo desponsationem. Ipsa enim Ecclesia, ex multis vivis lapidibus adunata, verum Dei templum est. Quodsi Dei templum sumus, altare intus habemus. Altare quidem nostrum, cor nostrum est. In hoc altari fit sacrificium laudis: sacrificium enim Deo, spiritus (p) contribulationis, & cor contritum. In hoc altari fit commemoratio Corporis & Sanguinis Christi: hinc preces ad cœlum ascendunt; ad cor enim respicit Deus. Quamobrem, nisi omnia, quæ in hujuscemodi consecratione exterius aguntur, in nobis spiritualiter impleantur, parum hinc fructus nobis accesserit. Quid enim exterior ablutio, vel inunctio sine interiori prodest?

Cur benedicantur Campanæ.

Cap. XIV.

Benedicuntur quoque campanæ, ut sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur populus ad conveniendum in templum, & audiendum verbum Dei: Clerus vero ad annuntiandum mane misericordiam Dei, & veritatem ejus per noctem, ut per illarum sonitum fideles invitentur ad preces, & ut crescat in his devotio fidei: quamvis etiam Patres alio respexerint, videlicet ut dæmones tinnitu campanarum Christianos ad preces concitantium, terreantur, quin potius precibus ipsis territi abscedant, illisque submotis, fruges, mentes & corpora credentium serventur, ut procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum temperentur, infesta tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum, & aereæ potestates prosternantur. Breviter, ut audientes confugiant ad matris Ecclesiæ gremium, ac ante S. crucis vexillum, cui flectitur omne genu, quemadmodum hæc in solenni benedictione campanæ reperies.

Docendus populus, ut signatis potius, quam signis inhæreat.

Cap. XV.

Docendus ergo est populus ab exterioribus istis, ut signatis potius, quam signis inhæreat ac intendat. Quod & in omnibus aliis obtinet ceremoniis, alioqui parum ad pietatem profuturis. Nam qui in exterioribus istis consistit, ac non potius illis admonetur, ut ad Deum respiciat, confugiat, ac totam suam fiduciam in illum collocet, huic citius externa ista in subversionem, quam ædificationem erunt.

Quidquid in cæremoniis ad abusum spectat, caute ac diligenter cavendum.

Cap. XVI.

Quamobrem quidquid in ejuscemodi rebus ad abusum & superstitionem spectat, & quo populus a Deo ad collocandum in externis istis aliquam fiduciam abduci possit, prohibemus. Quale inter alia est, quod Sanctorum imagines cum indulgentiis & impositione incertarum reliquiarum dedicantur: quod quidam aqua, sale, cereis, ac herbis benedictis in medicandis pecoribus superstitiosius abutuntur. Omnis quidem creatura per verbum Dei & orationem sanctificatur, quemadmodum Divus Paulus testatur. Ergo quanto res sacratior, tanto abusus ejus damnabilior.

Cur reconcilietur Templum, aut Cœmiterium.

Cap. XVII.

Reconciliatur Ecclesia, aut cœmiterium ob seminis emissionem, peccandi libidine factam. Itidem ob enormem sanguinis effusionem, dedita opera, violenter, & injuriose commissam, ac aliis quibusdam de causis, qui mos ex Levitici XIV & XV. suam trahit originem. Fit autem hæc reconciliatio, non quod templum revera polluatur. Ecclesia enim, quum sit sancta, coinquinari non potest: imo ipsius loci sanctitas infamiam loci abolet. Sed cum templum locus

(p) Psal. 50.

cus ſit, ubi deliɛtorum venia poſtulatur, ubi ſalutaris hoſtia pro peccatis immolatur, ubi Deo laudes exolvuntur, ubi tutela refugii eſſe debet; fit, ut ſcandalum, horror, atque abominatio turpitudinis, & peccati ibi commiſſi, propoſitum quoque & voluntas lethaliter delinquentis, in cauſa ſint, ut ſacer locus reconcilietur: idque ad exemplum, & terrorem, ut videntes locum ſacrum ſeu inanimatum templum, nullo peccato obnoxium, lavari, & purificari, delicti horrore concutiantur, & cogitent, quantum pro expiatione peccatorum, vivo Dei templo ſit elaborandum. Sic Chriſtus (q) ementes & vendentes e templo ejecit, flagello facto de funiculis, ipſos acerrime corripiens, ac dicens: (r) *Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*: aliud quidem agens, aliud vero innuens.

Quæ pollutio reconciliationem requirat.

Cap. XVIII.

Non tamen omnis pollutio hanc reconciliationem requirit, ſed tantum publica, vel per rei evidentiam, ac ſaltem per famam. Quodſi occulta ſit contaminatio, quæ etiam Baptiſmi, ac Pœnitentiæ Sacramenta non remoratur, ſolemnitas non exigitur, quod ratio reconciliationis in occultis non habeat locum.

Quorum ſumptu & expenſis reconciliatio facienda.

Cap. XIX.

Reconciliationem autem ejuſcemodi gratis fieri, ac tantum itineris ſumptus Vicariis noſtris in Pontificalibus ſuppeditari volumus. Qui quidem ſumptus ex bonis deliquentis deſumentur, modo tamen tantæ illius facultates ſint: ſin ſecus, Parochiani non gravabuntur, vel tantillos ſumptus itineris ſuppeditare, ne populus præter culpam ſuam gravetur. Ne vero diutius ob talem pollutionem Divinum ſuſpendatur officium, aut Eccleſiaſtica intermittatur ſepultura, Vicarius noſter in Pontificalibus ſtatim, ut vocatus fuerit a populo (modo gravioribûs rebus id temporis non fuerit implicitus) ultro ibit, officium ſuum expleturus.

Immunitatem Eccleſiaſticam in duobus potiſſimum ſitam eſſe.

Cap. XX.

Immunitas Eccleſiaſtica vetuſtiſſima res eſt, jure pariter Divino ac humano (s) introducta, quæ in duobus potiſſimum ſita eſt. Primum ut Clerici, illorumque poſſeſſiones & bona a vectigalibus & tributis, aliisque muneribus laicis libera ſint. Nam (ut de libertate Levitarum ſileamus) non temere refert ſcriptura, Pharaonem totam terram Ægypti feciſſe tributariam, præter terram Sacerdotum, & poſſeſſiones, quæ a Rege traditæ fuerant eis, quas vendere non ſunt compulſi: quin potius ipſis etiam ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, ut legimus Gene. XLVII. Deinde ne rei criminis, ad Eccleſias confugientes, inde violenter extrahantur, exceptis publicis latronibus, qui per induſtriam proximum occiderint, ac nocturnis depopulatoribus agrorum, qui itinera obſident aggreſſionum inſidiis. Denique his, qui ſub immunitatis ſpe in Eccleſiis, ac cœmiteriis delinquunt. Quodſi a confugientibus ad Eccleſias paria his commiſſa ſint crimina, quæ Reipublicæ referat puniri, tantiſper ſaltem debet ſæcularis poteſtas a manuum injectione abſtinere, donec noſtros conſulat Officiales, ne devenire neceſſe ſit ad ceſſationes a Divinis, & interdicta, quæ viſum eſt anteceſſoribus noſtris, ob violationem ejuſcemodi immunitatis, editis conſtitutionibus promulgare.

Quemadmodum fraternitates reformandæ ſint.

Cap. XXI.

Fraternitates (quæ vocantur) & in honorem aliquorum Sanctorum in Eccleſiis fiunt, ſpeciem quidem pietatis habent: ſed quales hac tempeſtate ſervantur, nempe in quibus tam Clerici, quam laici potiſſimum comeſſationibus & ebrietatibus vacant, interdum etiam variis conſpirationibus adverſus poteſtates

(q) Matt. 21. Joan. 2. (r) Matt. 21. Joan. 2.
[s] Ex Conc. Later. C. Non minus. Ex Conc. Tolet. III. C. Eccleſ. ſervos. Ex Conc. Gangr. C. Si quis per ſuper. 30. Diſt. &c.

tes intenti sunt, si non omnino sublatas, saltem correctas volumus: omnino sublatas malimus, ac redditus seu census earundem, vel in usus pauperum, vel Parochi expendi, nobis magis placuerit. At quum hæ sodalitates forsan propter publicum offendiculum, ac pauperum (qui ab eis eleemosynas ex constitutione accipiunt) præjudicium commode tolli non possint, videbimus inter visitandum, ut saltem tollantur abusus, ut prima servetur institutio, & examinentur formulæ earum, & statuta, ut ratio ac calculus singulis annis per Provisores (ut vocant) earundem fraternitatum coram Parochis Ecclesiarum reddatur, ut superextantes fructus ac redditus in pauperum seu Ecclesiæ usum, ac utilitatem convertantur, aut etiam inde aliquid Parocho ad victum decidatur.

PARS DECIMA.

De vita & conversatione Monastica.

Caput I.

Vita Monastica non multo post Apostolorum tempora cœpit, quanquam multis persuasum sit, aliam tum fuisse, quam nunc est, Monachismi rationem. Nemo tamen negaverit, hoc vitæ genus ad perfectionem Evangelicam maxime accommodum, modo secundum sanctissimam institutionem pure immaculateque observetur. Quia vero res est quam maxime ardua, in carne vivere, & carnis stimulis nullum locum dare, diabolique mille fraudibus (quibus præsertim solitarios aggreditur) feliciter semper resistere: idcirco in hoc vitæ genus nemo vel invitus intrudendus, vel pelliciendus, vel temere suscipiendus, sed summa cura adhibita, post diligentissimam demum examinationem, Monachi ac Monachæ recipiantur. Quibus sæpe inculcandus est prius Christi verbum (*t*) de Eunuchis, qui se castrarunt propter Regnum cœlorum, quum ait: *Qui potest capere, capiat.* Proponenda sapientis sententia, (*u*) quæ habet in hæc verba: *Altiora te ne quæsieris*, &c. Rememorandum quoque diligentissime, quod Deo stulta infidelisque promissio admodum displiceat. Breviter, admonendus est omnis, ad hanc vitam aspirans, ut primum se totum excutiat, ne provinciam suscipiat, cui non suffecerit, alioqui parabolæ Evangelicæ (*x*) dicterio notandus, quod cœperit ædificare, & non potuerit consummare. Maxima autem cautio adhibenda est in puellis, propter sexus fragilitatem, ne vel ob ætatem desit voluntas, vel metus adsit, aut alius affectus minime Christianus.

Neminem Monachismi Professione temere alligandum.

Cap. II.

Certe Sancti Patres admodum fuerunt solliciti, ut non nisi voluntario (*y*) ac spontaneo judicio, virginitatis propositum atque habitus susciperentur, quod coacta servitia Domino ingrata esse dignoscantur. Siquidem voluntarie Domino sacrificandum est, & voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Domini Psalmographus (*z*) obsecrat. Quod enim quis non eligit, nec optat: quod non optat, non diligit: quod non diligit, facile contemnit. Unde consequitur, nullum esse bonum, nisi voluntarium, adeo, ut qui alio affectu, quam bonæ voluntatis, monachismo se alligant, magis peccent, quam mereantur. Ambigi enim non potest, crimen magnum admitti, ubi & propositum deseritur, & consecratio violatur. Nam si humana facta non possunt impune calcari, quis de eis manebit, qui corruperint fœdera Divini Sacramenti? De adolescentioribus viduis Paulus pronuntiavit, (*a*) quod quum fuerint luxuriatæ, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Admonendi parentes, ne liberos invitos in Monasterium detrudant.

Cap. III.

Admonendi quoque erunt parentes, ne liberos in Monasterium invitos detrudant, quod illos væ longe gravius maneat, quam Pharisæos, qui (*b*) circum-

(*t*) Matt. 19. (*u*) Eccli. 3. (*x*) Luc. 14.
(*y*) C. Puella. 12. Quæst. 2. C. Præsens. 12. Quæst. 2. (*z*) Psal. 118.
(*a*) 2. Tim. 5. (*b*) Matt. 23.

cumibant mare, & aridam, ut facerent unum proſelytum, & quum eſſet factus, fiebat filius gehennæ duplo magis, quam ipſi.

Quo affectu monaſtica vita amplectenda.

Cap. IV.

Qui Monaſterium ingreditur alio affectu, quam ſimplici amore Dei ductus, veluti vel ſpem vel promiſſionem Abbatiam conſequendi habens, vel in otio vivere affectans, vel lucris temporalibus inhians, vel honores ab hominibus appetens: quisquis talis eſt, non Dei Filius, aut Monachus, ſed plane mercenarius eſt, quemadmodum ſuperius nos de Clericis etiam dixiſſe meminimus. Cui verendum eſt, ut quum volet ingredi nuptias Evangelicas, objiciatur illud: (c) *Amice! quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* quodque, ipſo obmuteſcente, Rex ſit præcepturus miniſtris, ut ligatis manibus & pedibus, ipſum in tenebras exteriores mittant, ubi erit fletus & ſtridor dentium.

In Monaſteriis habendus, qui doceat Legem Domini.

Cap. V.

Habendus in virorum Monaſteriis vir pius ac doctus, qui doceat Monachos ab adoleſcentia meditari in lege Domini die ac nocte, ad quod munus in Monaſteriis Monialium, Sanctimonialis, cæteris vita & doctrina præſtantior deligatur. Debet autem, qui Monaſterio præeſt, ſumma diſcretione uti, maxime erga eos, quos compererit Divinis literis intentos, aut contemplationi deditos, ut ſcilicet tales ſordidioribus officiis ſinat eſſe immunes.

Verbi Prædicatorem in Monaſteriis eſſe oportere.

Cap. VI.

In Monaſteriis quoque verbi Prædicator erit, pius quidem ac eruditus; nam nulla armatura fortior ad reſiſtendum diabolicis inſidiis ac jaculis, quam gladius ille ſpiritus, ; quod eſt verbum Dei, (d) quo Chriſtus in deſerto ſolitarius, jejuniis & orationibus vacans, & nihilo ſecius tentationibus diabolicis expoſitus, retudit omnem dæmonis fraudem atque nequitiam. Nihil quoque potentius illo ad dejiciendos, ac viciſſim conſolandos animos noſtros, nihil efficacius ad concitandum mentem in amorem Dei ac contemptum mundi, ac omnium, quæ in mundo pulchra, ac ſpecioſa apparent.

Monachi bonæ indolis ad Academias mittendi.

Cap. VII.

Neque Nobis diſplicuerit, ut aliquot ex Monachis bonæ indolis, ad Univerſitates publicas, & bene Chriſtianas, aliquot annos theologicis ſtudiis operam navaturi mitterentur: illic tamen non alibi, quam in Monaſteriis ſeu Gymnaſiis ſub cura & oculis præceptorum commoraturi, ne bonis ac rectis ſtudiis deſtinati, mores minime monaſticos imbibant, ac contrahant.

Moniales non eſſe alligandas, ut nulli, quam ſuo (ut vocant) Patri, aut Præpoſito confiteantur.

Cap. VIII.

Sint præterea in Monaſteriis, virginum præſertim, præter Abbates, aut Præpoſitos, alii conſcientiarum Examinatores, ac a confeſſionibus, aut ſaltem virginibus liberum ſit, bis aut ter in anno aliis (quos elegerint) probis ac doctis viris de ſuorum Superiorum (ut vocant) conſenſu (quem hi interpellati, rationabili cauſa intellecta, nequaquam negabunt,) conſcientias ſuas exomologeſi exponere, exonerareque, ne ſcilicet adigatur Monialis renitens, ſemper uni homini delicta confiteri. Debent autem hi, qui ejuscemodi munere in Monaſteriis Monialium funguntur, eſſe homines vitæ probatiſſimæ, ac morum quam maxime inculpatorum, eruditi ac ſingularis judicii, obſervaturi ea, quæ ſupra, ubi de pœnitentiæ Sacramento tractatum eſt, delibavimus. Cavebit autem is inprimis, criminum non confeſſorum rememorationem, ne virgines diſcant, quæ prius neſcierunt. Cavebit præterea, niſi res omnino exegerit, duritiem increpationis, magis intentus ad modeſtiſſime arguendum, & pientiſſime viciſſim conſolandum. Confeſſiones autem Monialium non privatim audiet, ſed in cætera-

(c) Matt. 22.

(d) Matt. 4.

terarum conſpectu, non tantum, ut omne malum, ſed & omnis mali ſuſpicio omnino ceſſet.

Mutatam eſſe paulatim faciem Monaſteriorum, ac uſurpatum hoſpitii jus, ſimul cum acceſſu, moderandum.

Cap. IX.

Monaſteria olim virtutum ſcholæ, ac pauperum hoſpitalia erant: nunc prô dolor, videmus ea, quæ virorum ſunt, e ſcholis virtutum in diverſoria militum ac raptorum: quæ vero mulierum ſunt, in plerisque locis in ſuſpectas de incontinentia domos, (ne quid gravius dicamus) eſſe commutata. Quamobrem diſpiciendum Nobis eſt, ne tam paſſim a quibusvis militibus hoſpitii jus a Monaſteriis vi exigatur, & eleemoſynæ, pauperibus deputatæ, improborum luxu devorentur, neve ad Monaſteria virginum acceſſus, toties a ſacris Canonibus (e) prohibitus, pateat. Et ut, qui deprehenſi propter hæc fuerint, offendiculum, aut occaſionem illis labendi, ſive intra ſive extra Monaſteria dediſſe, dignas pœnas ferant.

Viſitatio Monaſteriorum neceſſaria.

Cap. X.

Viſitatione ergo Monaſteriorum quam maxime opus eſſe intelligimus, quam & Canones (f) nobis imponunt. In hac vero oportebit omnia ad regulam Ordinis monaſtici exigere; nihil non ad pietatem & vitæ Sanctimoniam dirigere; & quidquid mali exempli, aut improbæ conſuetudinis irrepſit, penitus tollere ac eradicare. Profecerit quoque hic examinari Regulas, ſtatuta, & conſuetudines, tolli ſuperſtitioſa.

Sumptuoſi Monialium Præpoſiti abrogandi, & frugales œconomi conſtituendi.

Cap. XI.

Habent quædam Monialium Monaſteria ſumptuoſos Præpoſitos, ſub quorum poteſtate quum omnis bonorum adminiſtratio ſit, ipſi de redditibus monaſticis luxuriantur; & qui monaſticæ converſationis exemplum eſſe debuerant, ad mundi delicias revolvuntur. Faſtidientes interdum ſimilam & mella, interim Monialibus ipſis vix milio & cibario pane rugientem ventrem ſaturantibus. Sunt quoque Virginum Monaſteria, ubi non eſt victus, & menſa communis, ſed mos ille (quem ad Corinthios (g) ſcribens Paulus, quamvis in longe ſacratiori convivio damnavit) quotidianus, nempe quod unaquæque ſuum cibum præſumit ad manducandum: & alia quidem eſurit, alia vero ebria eſt. Quos abuſus (h) tollere putamus neceſſarium, videlicet, ut in illorum delicatulorum Præpoſitorum locum probi œconomi a Nobis comprobandi (quorum victus ſit monaſtico ſimilis) ſurrogentur; qui etiam obligati erunt ſingulis annis rationem de receptis ac erogatis integram reddere.

In Monaſteriis Monialium victum, ac menſam communem eſſe oportere.

Cap. XII.

Itidem ut Moniales victum ac menſam communem ubique habeant, & quæ pari ſunt officio deſtinatæ, pari etiam cibo alantur. Quod ut quam minime oneroſum ſit, non debebunt plures in Monaſterium Moniales recipi, quam congrue poterunt in ſingulis Monaſteriis ſuſtentari, de quo Nobis prius legitimam fidem fieri conveniet.

De Præpoſitis ſolitarie commorantibus.

Cap. XIII.

Diſplicet etiam Nobis, quod quædam Monaſteria quosdam Præpoſitos habent, qui in capellis ſolitarii commorantur, quod Lateranenſi Concilio vetitum eſt, ac cautum, ut Epiſcopus Abbates, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam compellat, ut ejuscemodi Præpoſitos, aut Priores ad clauſtrum revocent, faciantque Eccleſiis ipſis ſeu capellis per ſæculares Clericos deſerviri, aut ſaltem alios monachos ipſis adjungant.

Viſi-

(e) C. 1. De Immun. Eccl. C. Monaſt. De vit. & hon. Cler.
(f) C. In ſing. §. Porro Diœc. De ſtatu Monach.
(g) 1. Cor. 11.
(h) C. Oſius. 9. Quæſt. 3. C. Qui Relig. 17. Quæſt. 2.

Visitandæ Domus Fratrum Teutonicorum, Divi Joannis Baptistæ, & Antonitarum.

Cap. XIV.

Visitandæ quoque inprimis,& reformandæ erunt domus hospitalium Militum Teutonicorum, præterea Ordinis Divi Joannis Baptistæ, ac Antonitarum, atque initio providendum, ut in iisdem domibus cultus Divinus rite ac debite peragatur, ut hospitalitas pro pauperibus servetur, ut vita ac conversatio Regularis, secundum institutionem primam ac regulam, quam illi professi sunt, illic geratur: ut ab ipsis vestes, Ordini ac Professioni dignæ, ac convenientes publice deferantur; ut comessationes, crapulæ, ac omnis luxus prohibeatur; ut prædæ illæ bonorum mobilium, quæ post mortem Prælatorum per primores Ordinis fieri, ac in exteras regiones deferri pessimo omnium exemplo consueverunt, amodo nequaquam fiant; sed quidquid parsimonia defuncti Prælati coacervatum, ac relictum fuit, vel necessariis usibus Ecclesiæ, aut successorum, aut pauperum ejus regionis, ubi religiosa domus sita est, applicetur.

De vita & conversatione Monachorum.

Cap. XV.

Et ut revertamur ad Monachorum vitam, haud ignorare debent, Concilio Chalcedonensi cautum, Monachos oportere quieti operam dare; jejunia, & orationes observare; in his locis, in quibus se semel Deo devoverunt, remanere; nullas Ecclesiasticas seu sæculares actiones tractare; sua Monasteria nunquam relinquere, nisi forsan ob ingentes necessitates id facere a suo Episcopo jubeantur, ne nomen Domini blasphemetur. Quare libertas illa peregrinandi seu exeundi, prætextu invisendi parentes, moderanda seu penitus tollenda erit.

Monachorum studia atque exercitationes, quales esse oporteat.

Cap. XVI.

Monachus & Monacha amare debent (*i*) scripturarum scientiam, & carnis vitia non amare: Psalterii librum de manu aut oculis nunquam deponere, semper orare, sensu vigilare, vanis cogitationibus aditum præcludere, corpore pariter & animo in Deum tendere, iram patientia vincere: Breviter, nullis animi perturbationibus (quæ si insederint, ad delictum maximum inducunt) locum dare: semper aliquid operis facere, ut eos diabolus semper inveniat occupatos. Et (*k*) ut nulla sint, quæ manibus operari liceat, libros tamen sacros describere ipsis maxime conveniret, ut & manus operetur cibos, & lectione anima saturetur. Porro Ægyptiorum Monasteria hunc morem servasse leguntur, ut nullum Monachum absque opere ac labore susciperent, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem; ne perniciosis cogitationibus vagarentur, neve instar fornicantis Israel, (*l*) omni transeunti divaricarent pedes suos.

Monachos vagos sub custodiam revocandos.

Cap. XVII.

Monachi, qui (*m*) pervagati fuerint, ubicunque invenientur, tanquam fugaces, nostro auxilio sub custodia revocentur. Et siqui habitum abjecerint, ut eundem reassumant, cogendi.

Litteras privatas Monacho, aut Monachæ, injussu Abbatis, resignare non licere.

Cap. XVIII.

Ut Monachi, seu Monachæ literas nullas, vel destinare, vel recipere audeant, absque Abbatis seu Abbatissæ aut ejus, qui ipsorum loco Monasterio præest, scientia, summa ratione olim constitutum est, sed per incuriam abolitum: id præsenti constitutione innovandum censuimus.

Canonissarum sæcularium mores reformandi.

Cap. XIX.

Postremo vitam, conversationem, ac mores Canonissarum, quæ sæculares ob id appellantur, quod perpetuæ castitatis, ac reliqua vota monastica non emittant, reformari omnino ducimus necessarium. Nam vitam agunt plus nimio

(*i*) S. Hieron. ad Rust. Mon.
(*l*) Hierem. 3.
(*k*) C. Nunquam. De Cons. Dist. 3.
(*m*) Ex Conc. Tolet. IV.

mio licentiosam ac plerisque scandalosam. Quæ ut in Ordinem & Ecclesiasticam quandam disciplinam, quoad fieri potest, revocentur, Nobis, quum visitationem aggrediemur, curandum est.

PARS UNDECIMA.

De hospitalibus, orphanotrophiis, aliisque id genus piis locis.

Caput I.

Non solum Canonicis Constitutionibus, sed & Imperialibus, ac Regalibus institutis antiquitus pientissime sancitum est, ut habeantur, quoad fieri potest, frequentia in Repub. Xenodochia, Ptochotrophia, Orphanotrophia, Gerontocomia, & Brephotrophia, & id genus alia loca pietati consecrata, in quæ recipiantur peregrini, pauperes, invalidi, senes, parentibus orbati, atque inopes liberi, infantes expositi, furiosi, leprosi, contagiosisque atque perpetuis morbis obsiti, atque aliæ miserabiles personæ. Idcirco curæ nostræ imminebit, ut ejuscemodi loca, ubi constituta sunt, sarta tecta teneantur. Ubi vero dissipata sunt, instaurentur, reformenturque. Denique ubi necdum constituta sunt, Episcopali nostra providentia ædificentur, construanturque. Pauperum enim curam nobis Christus (*n*) præcipuam esse voluit, & horum toties meminit Divinissimus Paulus Apostolus. (*o*)

In hospitalibus inprimis animæ curandæ, deinde corpus.

Cap. II.

Hic ante omnia curandum nobis est, ut in domibus istis, quæ ad salutem animarum pertinent, minime negligantur, sed ante omnia de Sacramentorum administratione, pauperibus debilibus & ægrotis provideatur. Ac ubi corporis infirmitas medicum postulat, ibi prius animæ, deinde corporis medicus accersatur.

In hospitalia qui recipiendi.

Cap. III.

In ejuscemodi autem hospitalia nullæ aliæ, quam eæ, quas diximus, miserabiles personæ, quæ aut morbo, aut debilitate, aut ætate impeditæ, suis manibus laborare, victumque ac vestitum sibi comparere non possunt, recipiantur: quas ad Ecclesiasticam disciplinam Canones pertinere, ac nostris, aliorumque piorum hominum largitionibus victitare, voluerunt.

In hospitalia pauperes ejus loci, ubi constituta sunt, potissimum recipiendos, maxime contagiosis morbis implicitos.

Cap. IV.

Inprimis autem recipiantur in hæc hospitalia personæ miserabiles ejus loci, ubi hospitalia constituta sunt. Quodsi recte curatum est, suffecerint pene (nisi tamen fallamur) jam constituta hospitalia omnibus vere pauperibus, per singula oppida, ac vicos repertis, ut amodo illis non fuerit necesse, ostiatim panem emendicare, aut eos, qui lepra, seu alio contagioso morbo impliciti sunt, inter homines diversari, quod lege Divina, (*p*) ne fiat, prohibitum legimus. Nec immerito, quod ex tali commixtione, ac conversatione cum sanis, infinita pericula subsequantur, etiam ex solo aspectu, qui intuentibus horrorem solet incutere. Quodsi leprosis, aliisque, qui similibus morbis impliciti sunt, hospitalium, quibus addicuntur, redditus non suffecerint, satius est, ut ipsorum nomine in conventu Ecclesiæ eleemosyna per aliquot viros probos, ad hoc munus deputandos, colligatur ac præstetur; atque ut trunci in templis, eleemosynis istis colligendis, asservandisque erigantur, quam ut ipsi morbosi, alimoniæ petendæ obtentu, aut quocunque alio prætextu, consortiis hominum misceantur.

Mendicantibus validis hospitalia clausa, & mendicitatem interdictam esse oportere.

Cap. V.

Sint autem mendicantibus validis non solum hospitalia clausa, sed & publice ac ostiatim mendicare penitus interdictum. Et qui secus agere comperti fuerint, arceantur, ac legalibus, Nostrisque constitutionibus comprehensis pœnis

(*n*) Matt. 26. Marc. 14. (*o*) 2. Cor. 8. (*p*) Num. 12.

pœnis ſubdantur. Utilius enim eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligat; quam eidem frangitur, ut ſeductus, injuſtitiæ acquieſcat.

Magiſtrorum hoſpitalium pravi affectus damnantur.

Cap. VI.

Damnamus ergo abuſum, quo in quibusdam locis fit, ut neglectis miſeris ac inopibus, quibus hoſpitalia dedicata ſunt, ex privato affectu Magiſtrorum, aut Magiſtratuum, qui hoſpitalibus hiſce præſunt, non modo validi, ſed & quibus victus & veſtitus ſuppetit, recipiantur, tantum quod illic commodius & in otio vivatur: qui certe aliter cenſeri non poſſunt, quam pauperum deprædatores, raptoresque de alieno viventes, ac veluti ex ſanguine pauperum ſaginati. Quos Divus Hieronymus graviſſime increpat. Qui, inquit, ex bonis parentum, & ſuis opibus ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profecto committunt, & per abuſionem talium, judicium ſibi manducant, & bibunt.

Quam graviter peccent, qui ex pauperum victu ſe ditant.

Cap. VII.

Viderint quoque hi Magiſtri, ac hoſpitalium Præſides, ne Judam imitentur, qui (q) loculos (ex quibus pauperibus diſtribuebatur) ferebat, ac fur erat, ne ſicut ille, ita & ipſi pereant. Noverint ergo, ſe tali muneri addictos, non ut ſui, ſed ut pauperum curam gerant; quos neglexiſſe, occidiſſe eſt: quibus quid ſubtraxiſſe, ſacrilegii inſtar eſt. Et quo vigilantiores in officio ſint, annis ſingulis, aut ſæpius, Magiſtratui ejus loci, præſente Parocho, rationem de omnibus reddant. Non meum eſt (inquit Proſper) dicere, quantum peccatum eſt eorum, qui cibos pauperum ſibi uſurpant, & unde pauper victurus erat, præſumendo accipiunt.

(q) Joan. 12.

PARS DUODECIMA.

De Scholis, Typographis, ac Bibliopolis.

Caput I.

Eccleſiæ reformatio a ſummis pariter & infimis, a capitibus ſimul & a parvulis ordienda eſt. Parvuli enim ſunt, qui ſuccreſcentes, in majorum locum ſubinde decedentium, in Reipublicæ tam Eccleſiaſticæ, quam ſæcularis adminiſtratione ſuccedunt, ut conſequens ſit, ab ipſis prave ac nequiter inſtitutis, Reipublicæ perniciem imminere. Quamobrem ſummopere refert, ut pueritia, quæ Seges omnium Rerum publicarum eſt, in timore Domini, ac bonis Diſciplinis edoceatur. Id quod Dominus præcepit Exodi XIII. & Proverb. 6. Siquidem ea ætas nullis aliis uſibus accommoda, per id tempus colligere poterit, & ſibi & Reipublicæ luculentum fructum. Imprimis autem operæ pretium videtur Nobis, ut clancularii illi magiſtelli, qui in conventiculis vicatim docent, prohibeantur, utque Gymnaſia illa, ac ſcholæ minores, in quibus pueri primis Rudimentis imbuuntur, diligenter repurgentur, præfectis illis didaſcalis, ſeu præceptoribus, non tam eruditis, quam ſanæ doctrinæ, integræque ac inculpatæ vitæ viris, idque hac potiſſimum tempeſtate, qua innumeræ peſtilentes hæreſes totam fere Germaniam ſummo cum Chriſtianiſmi, ac Reipublicæ detrimento, juſto Dei judicio pervadunt, ac veluti cancer ſerpunt: quas quum pueri ſemel imbiberint, difficile, imo impoſſibile erit, ut easdem penitus iterum eluant. Nam, quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem Teſta diu.

Scholæ inter viſitandum repurgandæ, ac inſtituendæ.

Cap. II.

Quemadmodum vero Didaſcali pueros in claſſes digerent, quæ dein ipſis prælegent tam ad eruditionem, quam ad vitam Chriſtianam recte inſtituendam pertinentia, Nos inter viſitandum pro ratione cujuscunque ſcholæ trademus.

Apud

Apud ſingulas Eccleſias habendus vir eruditus, qui Clericos ejus Eccleſiæ inſtituat.

Cap. III.

Olim Conciliari conſtitutione (r) cautum eſt, ut non ſolum apud quamlibet Cathedralem Eccleſiam, ſed & apud alias, nimirum collegiatas, quarum ſufficere poterunt facultates, conſtituatur Magiſter idoneus, qui Clericos earundem Eccleſiarum doceat ac inſtituat. Apud Metropolim autem Theologum haberi præceptum eſt, qui Sacerdotes, ac quoscunque alios in ſacris literis doceat, & in his præſertim inſtituat, quæ ad curam animarum pertinere dignoſcuntur. Viſum etiam Concilio fuit, ut ſingulis Magiſtris unius præbendæ proventus tantiſper, quoad in docendo perſtiterint, aſſignentur. Cujus quidem ſaluberrimæ conſtitutionis vix veſtigia quædam apud ejuſcemodi Eccleſias reliqua videmus. Nam ut ſcholas ipſas reperias, Didaſcalum tamen vix ullum eruditum ac pium repereris, quod nihil pene ſtipendii (ne dicamus unius præbendæ proventus) illi ſuppeditetur: quod emendatione magna indiget. Neque enim hæc res levis momenti eſt, a qua totius propemodum Reipublicæ tum ſalus, tum pernicies dependet.

Qui huic viro victum ſuppeditabunt.

Cap. IV.

Curandum itaque, ut ſingula Collegia ludos literarios diligenter inſtituant, eisque de idoneis ludimagiſtris, ac ſumptibus proſpiciant: ubi Collegia non ſunt, Senatus & Reſpublica idem curet.

Quemadmodum Academiæ inſtaurari, ac ſtudia ali poſſint.

Cap. V.

Academias, ſeu Univerſitates publicas per hanc hæreſum colluviem miſere perire cernimus, quas inſtaurari maxime in votis eſt. Id fieri poſſe Nobis videtur, ſi modus aliquis inveniatur, quo pauperibus Scholaſticis ex Eccleſiaſticis ſtipendiis aliquid poſſit decidi: (Clericos enim illos convenit Eccleſiaſticis ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla bona ſuffragantur) Quo inſuper Profeſſoribus, atque his, qui in bonis literis, optimis quibusque diſciplinis, ac inprimis ſtudiis Theologiæ multum profeciſſent, ſpes præmii fieret: nam ſpes alit artes.

Pium votum ad ſtudia ſublevanda.

Cap. VI.

Et quanquam hic (s) articulus a Summo Pontifice potiſſimum pendere videatur; tamen quod in Nobis eſt, cuperemus omnes ordinarios collatores, præſertim Parochialium Eccleſiarum, huc induci poſſe, ut Academiæ poteſtatem facerent, ſignificandi ſubinde ipſis viros literatos, ad regendum Eccleſias ejuſcemodi idoneos, quos ipſi collatores quibuscunque aliis non idoneis præferrent, ac Parochiis, quum vacarent, præficere non differrent, modo tamen perſonaliter reſidere non detrectarent. Quodſi idem apud Collegiatas Eccleſias (qui menſe ordinario Canonicatus, & Præbendas conferunt) obtineri poſſit, non dubium, id plerisque ad ſtudia capeſſenda calcar fore non exiguum.

Decretalem Honorii tertii, quoad ejus fieri poteſt, renovari æquum eſſe.

Cap. VII.

Præterea non parum huc fecerit, ſi Honorii tertii decretalis (t) ſervetur, nempe ut Canonici Eccleſiarum Diœceſis noſtræ Colonienſis dociles ad ſtudia, potiſſimum Theologiæ, per Capitula transmittantur, percepturi toto quinquennio beneficiorum ſuorum fructus, non obſtante aliqua contraria conſuetudine, vel ſtatuto; cum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes, de quo dictum eſt partim ſuperius. Ex his enim tandem ſpes non vana concipi poſſit, aliquando futurum, ut doctorum copia habeatur, quo veluti ſtellæ valerent plurimos ad juſtitiam erudire, & temporis ſucceſſu Eccleſiam Dei univerſalem in vita ac doctrina reformare.

Quid curandum in Academiis.

Cap. VIII.

Neque ignoramus multa, ac diligenti proviſione eſſe opus in Academiis, qua inprimis curari neceſſe erit, ut optimi

(r) C. 1. & C. Quia nonnullis. De Magiſt.
[t] C. Super ſpecul. De Magiſt.

(s) Ex Conc. Baſil.

mi quique libri in singulis professionibus ac disciplinis per doctissimos Professores statis diebus ac horis vigilantissime prælegantur, enarrenturque. Deinde ut scholasticis vivendi regulæ præscribantur: nempe ut bonis disciplinis vacent; a pompis, comessationibus, ebrietatibus, aleæ ludis, dissensionibus ac rixis abstineant; ut prodigi esse desinant, ac quisque se suo modulo metiatur; ut fastum omnem, ac doctrinæ supercilium deponat. Nec incipiant esse magistri, priusquam fiant discipuli. Quot enim sunt, qui magistrorum ac doctorum insignia ambiunt, ac per ambitum extorquent, etiam qui nunquam eam artem, quam post magisterium profitentur, vel a limine salutarunt? quod quam turpe ac indecorum sit, nemo ignorat.

Nihil imprimendum, aut vendendum, nisi revisum prius.

Cap. IX.

Prætérea quum per abusum Artis impressoriæ librorum, plurimum malorum emerserit, prohibemus, ne ulli Typographi, aut Bibliopolæ quenquam recens editum librum, aut chartam vel imprimant, vel venum exponant, vel vendant publice vel occulte, nisi hic liber revisus, & charta vel scripturam, vel picturam continens, per nostros ad hoc deputatos Commissarios, diligenter perspecta sit prius. Quæ & Typogaphi nomen & cognomen complectantur, atque eam civitatem seu oppidum, in quibus excusa sunt, nominatim designent. Quæ vero his caruerint, nullo pacto venum exponantur. Porro Typographi, Bibliopolæ, ac reliqui librorum institores ac geruli, qui huic ordinationi contravenerint, præter confiscationem librorum, pœnis etiam legalibus, ac pragmaticæ constitutioni Augustanæ subjacebunt. Contra quos in territoriis nostris Fiscalis noster acerrime inquirere, ac ad justarum pœnarum declarationem procedere non omittet.

(*) Anno 1528. *Vide supra pag. 221.*

PARS DECIMA TERTIA.

De Jurisdictione Ecclesiastica contentiosa.

Caput I.

ANte annos non admodum multos, (*) reformationem jurisdictionis nostræ Ecclesiasticæ edi curavimus, per quam ita temperata, ac moderata omnia speramus, ut nemo de ea jure queri possit.

Excommunicationis origo, & præcipuus usus.

Cap. II.

Ne autem quispiam excommunicationis Ecclesiasticæ originem ignoret, primus excommunicationis in Ecclesia usus, qualis fuerit, Paulus I. ad Corinth. V. manifeste ostendit, ubi Corinthium, publice cum noverca fornicantem, tradit satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus salvus fieret in die Domini nostri JESU Christi: non tantum exemplo indicans, sed & expressim jubens, ut qui ejuscemodi sunt, e medio Ecclesiæ ejiciantur. Si is (inquit) qui frater nominatur, inter vos est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejuscemodi nec cibum sumere permitto. Quin ante discipulum, ille qui solus vere magister est Christus, ejuscemodi excommunicationis usum Matthæi XVIII. docuit. Quem optamus in Ecclesiam revocari, ac frequentissimum esse; nempe ut tales publice ac enormiter peccantes, ne aliis offendiculo sint, & notati tandem resipiant, extra communionem Sacramentorum, ac vitæ communis ponantur, donec ad cor, & Ecclesiæ gremium reversi, suum reatum deplorent. Divus sane Paulus gravissime Corinthios increpat, quod incestum illum tantisper paterentur. *Omnino,* inquit (*u*), *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui quis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.... Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam cor-* rum-

(*u*) 1. Cor. 5.

rumpit? Expurgate ergo vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azimi. Et cætera, quæ sequuntur. Quod si denuntiationem Evangelicam, (qua nulla res salubrior esse potest, & quæ nobis non tantum facienda suadetur, sed præcipitur) frequentaremus, & Apostolica præcepta mordicus teneremus, rariores profecto in cœtu nostro haberemus adulteros, raptores, homicidas, & id genus alios publice criminosos, propter quos (x) blasphematur nomen nostrum inter gentes, & scandalizantur multi inter nos infirmiores.

Cur passim in omnes inobedientes excommunicationis censura distringi cœperit.

Cap. III.

Jam dudum vero cœpit excommunicatio in omnes inobedientes distringi: quod (y) *quasi peccatum hariolandi* sit *repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.*

Usum excommunicationis in publice criminosos in lucem revocandum.

Cap. IV.

Usum excommunicationis, præsertim adversus publice criminosos, in lucem revocari convenerit: deinde posthac in aliis causis excommunicatio tantum in manifeste contumaces feratur.

Quid cavendum in decernenda excommunicationis censura.

Cap. V.

Cavebit autem (z) inprimis Judex, ne hanc, aliasve censuras Ecclesiasticas, vel ex injustis, vel ex levibus causis, vel juris ordine non servato, vel ex odii fomite proferat unquam. Quum enim excommunicatio pœna sit, qua nulla major est in Ecclesia; nec sit excommunicandus quis, nisi pro peccato lethali, quod anathema sit æternæ mortis damnatio: nec insligenda veniat, nisi his, qui aliter corrigi non possunt: debebit judex non ante excommunicare quempiam, quam cognoverit id, vel causæ gravitatem, vel ejus, qui extra communionem ponendus est, apertam contumaciam, præcepto justo acquiescere nolentis, exigere.

Excommunicatos vitandos.

Cap. VI.

Volumus autem, (a) ut hæc censura ab omnibus (jure non tantum humano, sed & Divino id ipsum postulante) timeatur: utque excommunicati in familiari conversatione vitentur, & a nemine recipiantur, quemadmodum antiquissima Concilia sub gravis reatus incursu id ipsum fieri præceperunt.

Non passim contra omnes delatos, per Fiscales inquirendum.

Cap. VII.

Procuratores nostri Fiscales adversus neminem (b) inquirant, nisi quem legitima, ac frequens gravat infamia, non quidem a malevolis & maledicis, sed a providis & honestis justitiæ zelo commotis, suborta; quam si non probaverint, condemnentur ipsi, non autem inquisiti, in expensis. Neque enim speciem aliquam æquitatis habet, quod ab innocentibus absolutis quippiam, expensarum nomine, extorqueatur. Alioqui calumnia, & injusta diffamatio, mercedem (quod absit) haberent. Valeant ergo alii malevoli delatores, depeculatores famæ, ac Reipublicæ pestes. Neque enim ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt, in occulto inquirendum est super criminibus in eodem descriptis: Quum inquisitio fieri tantum debeat super illis, de quibus clamores aliqui præcesserint.

Manifeste criminosi pro quæstu nequaquam ferendi.

Cap. VIII.

Nolumus autem, ut (c) concubinarii, aut alii manifeste criminosi ullo modo pro quæstu, aut pecuniæ emungendæ causa ferantur, tolerenturque: aut

[x] Esaiæ 52. Rom. 2.
[y] 1. Reg. 15.
[z] C. Nullus Sacer. 11. Quæst. 3. Ex Conc. Lugd. C. 1. De sent. excom. in 6.
[a] Ex Conc. Carthag. Arelat. Bracar.
[b] C. Inquisit. §. tert. Dubitat. De accusat.
[c] C. Pauper. 11. Quæst. 3.

aut ut pœnæ pecuniariæ pro criminibus paſſim imponantur; quod res mali exempli ſit, crimen pecunia redimere: ſed reformationis noſtræ conſtitutio, quæ de officio Sigilliferi poſtrema eſt, ſervetur. Quodſi interdum vel perſonæ delinquentis, vel delicti qualitas pœnam pecuniariam imponi poſtulaverit, hæc in pios tantum uſus convertatur, ne magis avaritiæ, quam correctionis cauſa exacta videatur.

Clerici graviſſimorum criminum rei, ſecundum Canonicas Sanctiones puniendi.

Cap. IX.

Clerici, in graviſſimis criminibus deprehenſi, juxta Canonicas Sanctiones puniantur. Expedit enim, ut publice delinquentes, & Eccleſiam Dei ſcandalizantes, (*d*) publice quoque arguantur & puniantur. Quamobrem tales vel a Nobis deprehenſi, vel extra territoria noſtra per Magiſtratus capti, ac Nobis juxta ſanctiones Canonicas traditi, dignam ſui ſceleris pœnam recipient. Quodſi tam grave fuerit, ut degradatione dignum ſit, faciemus ipſos Curiæ tradi ſæculari, ne Clericali privilegio gaudeant, quo ſe per flagitia reddiderunt indignos.

De Teſtamentis inſinuandis, approbandis, ac exequendis.

Cap. X.

In Concilio Moguntino (*e*) ſancitum eſt, ut hæredibus, qui juſſa teſtatorum non adimpleverint, ab Epiſcopo loci illius, omnis res, quæ eis relicta eſt, interdicatur, cum fructibus, & emolumentis, ut vota defunctorum adimpleantur. Quamobrem Procuratores noſtri Fiſcales in Diœceſi noſtra Colonienſi advigilabunt, ut teſtamenta, maxime Eccleſiaſticarum perſonarum, privilegiis Eccleſiæ noſtræ majoris ſalvis, intra anni ſpatium exequutioni mandentur: utque intra idem tempus exequutores teſtamentorum legitimum calculum reddant. Quorum etiam teſtamentorum inſinuationem, approbationemque intra triginta dies a morte Sacerdotis peti volumus, atque obtineri, niſi rationabilis cauſa longiorem dilationem expoſcat in præmiſſis. Diſpiciet autem Sigillifer noſter, ut ſi quid in quempiam ſtultum, aut jure prohibitum uſum temere relictum ſit, in pium convertatur.

Bona Presbyteri, ab inteſtato defuncti, in piam cauſam convertenda

Cap. XI.

Ubi Sacerdos noſtræ Diœceſis Colonienſis mortuus eſt inteſtatus, bona ipſius præter patrimonialia, quæ hæredibus cedunt, deducto ære alieno, & funeralibus, in piam cauſam pro defuncti animæ ſalute convertentur.

Portio, quæ Archi-Epiſcopo ſolvitur, minime gravis.

Cap. XII.

Ea portio, (*f*) quæ Nobis uti Archi-Epiſcopo ſecundum rationem bonorum (extra quæ tamen patrimonialia immobilia ſunt) deducto ære alieno, ex more & ſpeciali conventione, cum Clero noſtro inita, debetur, nemini gravis eſſe poteſt, quod major Epiſcopo ſecundum Canonicas Sanctiones portio, quam ea eſt, quæ ex remiſſione noſtra Nobis ſolvitur, debeatur.

Juramentorum facilis exactio in judiciis refrænanda.

Cap. XIII.

Multiplex illa & facilis juramentorum exactio, quæ in judiciis Eccleſiaſticis fit, Nobis probari non poteſt. Chriſtus (*g*) inter perfectionis hortamenta ponit & illud, ut in totum abſtineamus ab omni jurejurando. Quo colore ergo conſuetudo, nunc paſſim jurantium in omni negotio, excuſari poſſit, non videmus, niſi aut gravitate negotii, aut neceſſitate. Crebris juramentis raro deeſt perjurium, quod graviſſime (*h*) punit Deus. Quamobrem monemus Cauſidicos, ne tam faciles ſint in exigendis malitiæ ac aliis juramentis. Compertum enim habemus, quosdam eſſe tam male Chriſtianos, qui in re tam ſeria ludant, ac juramenta interdum exigant, quibus præſtitis credere nolint. Ne dicamus, quosdam eo veſaniæ prolabi, ut jusjurandum exigant, quod malint ſuſpicari, præſtando violatum iri, quam vere reverenterque adhiberi. Quo

laqueo

[*d*] 1. Tim. 5. [*e*] C. Si hæred. De Teſt. [*f*] C. Offic. De Teſt.
(*g*) Matt. 5. (*h*) Deut. 15.

laqueo quis perniciosior esse potest? Admonebit igitur Officialis noster Causidicos, atque alios juramenta exigentes, ut ea, quæ judiciarii processus solennitas necessario non requirit, remittant: utque memores sint, eandem manere pœnam temere exigentem, quæ manet frustra præstantem.

Formula inquirendi hæreticos delineanda.

Cap. XIV.

Quum hæresum ac schismatum inpræsentiarum plena sint omnia, videbimur operæ pretium facturi, si communicato cum inquisitoribus Apostolicis consilio, formulam quandam inquirendi, juri consentaneam, ac tantum negotium decentem, minimeque captiosam, præscribamus. Quamobrem ea de re nostris jurisperitis mandabimus.

PARS DECIMA QUARTA.

De Visitatione, ac Synodis Episcopalibus, Archi Diaconalibusque.

Caput I.

QUum frustra sint in Civitate leges, nisi & sint, qui eas exequantur; itidem institutiones Canonicas inefficaces, & languidas esse oporteat, nisi ab Episcopo & reliquis (quibus ea cura demandata est, & quodammodo viva lex sunt, qui & in Evangelio (i) nuncupantur sal terræ) mancipentur effectui: Idcirco visitatione per nostram Diœcesim Coloniensem opus est, quam Deo authore per nostrum in Pontificalibus Vicarium, ac ipsi adjunctos viros juxta pios ac doctos, quibus plenam dabimus in his spiritualibus ac Ecclesiasticis rebus ordinandi potestatem, aggrediemur, eodemque adjuvante Deo peragemus.

Quo ordine Visitatio instituenda.

Cap. II.

Ex Superioribus vero liquet plus satis, quo ordine visitatio instituenda sit. Siquidem inprimis ab nostris Ecclesiis Metropolitana, ac Cathedrali inchoandum: dehinc singulæ Collegiatæ simul cum Monasteriis & virorum, & mulierum invisendæ: post hæc ad Parochiales Ecclesias omnes in nostris Civitatibus ac Diœcesibus constitutas, (ubi maxima cura opus erit) transeundum: ibi non solum Parochi, sed etiam alii, (quotquot ibidem commorantur) Sacerdotes, & Clerici advocandi. Atque interim non prætermittendæ scholæ, & bibliothecæ, ubi illæ reperientur: ac postremo hospitalia pauperum diligenter perlustranda erunt.

Quæ ubique corrigere oporteat.

Cap. III.

Quæ vero oporteat ubique sciscitari ac investigare, quæ corrigere ac repurgare, quæ statuere ac ordinare, superiores constitutiones abunde docent.

Inprimis reformandos esse Decanos.

Cap. IV.

Quod ad Cathedrales, & Collegiatas Ecclesias attinet, prima cura erit in reformandis Ecclesiarum Prælatis, maxime Decanis, qui si cæci fuerint, consequitur necessario, ut hi, quibus ducatum præstant, simul in foveam trahantur ac cadant. Quod enim ab illis committitur, facile ab aliis trahitur in exemplum.

Inquietos, & Prælatis rebelles, corripiendos.

Cap. V.

Et quoniam alicubi tanta est Cleri dissolutio, ut Prælatis, quantumvis bonis ac eruditis, neque suus honor, neque authoritas servetur, intendent Visitatores nostri animum, ut inquieti corripiantur. Qui corripi & obedire nolunt, censura Ecclesiastica secundum culpæ modum percellantur, donec resipuerint.

In Monasteriis quomodo abusus percipiendi.

Cap. VI.

In Monasteriis facile percipientur abusus, modo regulæ Ordinis relegantur, interrogenturque, qui illis præsunt, num illis scilicet simul cum nostris constitutionibus per omnia satisfiat.

In

(i) Matt. 5.

In visitatione Parochiarum quid agendum.

Cap. VII.

Ubi ad Parochias ibitur, debebit Parocho ac populo paucis ante diebus adventus Visitatorum significari, quo tum omnes expediti adsint, ac publicæ saluti intendant: Denique ea Sacramenta ac munera, quæ per solum Episcopum administrantur, expurgati & præparati recipiant.

Habenda Concio per Visitatores.

Cap. VIII.

Nec videbitur inutile, ut Vicarius noster in Pontificalibus, seu alius ex Visitatoribus nostris Theologus, concionem ad populum habeat, eundemque de omnibus, de quibus utile videbitur, ex Divinis Scripturis per Dei verbum admoneat.

Interrogandus Parochus, quo titulo ministerium gerat.

Cap. IX.

Interrogandus deinde Parochus, num ipse principalis Rector sit, aut Vicarius mercenarius, an ordinaria authoritate admissus, nec ne: ubi Vicarius præest Parochiæ, videndum, quo privilegio absit Parochus principalis.

De vita, moribus, & doctrina inquirendum.

Cap. X.

Deinde investigandum de vita, moribus, ac doctrina, quo pacto verbum Divinum disseminet, ac Sacramenta Ecclesiastica administret, & num omnia calleat, quæ ad officium suum spectant: Ubi vero minus fuerit instructus, erudiatur maxime in his, quæ ad dispensationem Ecclesiasticorum Sacramentorum attinent, præsertim pœnitentiæ. Subinde inquiratur, num in his deses, aut negligens interdum sit; & num illi necessarius & honestus victus suppetat, seu digna stipendia exolvantur. Nam si competens victus defecerit, ad eum modum (uti supra diximus) procurandus erit, aut ad Nos referendum.

De habitu, Tonsura, ac reliquis externis videndum.

Cap. XI.

Videndum deinde de eruditione, habitu, tonsura, ac familiari conversatione: honestas familiæ exploranda: libri quoque omnes inspiciendi, qui si nothi, aut suspecti erunt, auferendi ac tollendi sunt.

Num hæresis quæpiam serpat, diligenter investigandum.

Cap. XII.

Insuper investigandum erit diligentissime, num in tota Parochia ullus hæreticus, aut schismaticus delitescat, num hæresis aliqua serpat: atque hic apponenda securis ad radicem, ut seducti, per verbum Dei in viam veritatis, & Ecclesiæ unitatem reducantur. Qui contumaces fuerint, e cætu cæterorum tollantur.

Num agantur alia, quæ cum Dei, & Ecclesiæ institutis pugnent, dispiciendum.

Cap. XIII.

Præterea num in Parochia superstitiones, sortilegia, divinationes, atque alia id generis, quibus mentes a DEO vivo per diaboli fraudes seducuntur, exerceantur: num perjuria, blasphemiæ, adulteria; & similia crimina, ob quæ iratus Deus in nos gladium iræ suæ vibrat, publice committantur: num Ecclesiasticæ censuræ contemnantur: num sint, qui Parocho obedire floccifaciant, qui Sacramenta Ecclesiæ non participent: item, num festi dies, & jejunia Ecclesiastica rite observentur.

De puerorum institutione, & hospitalium cura quærendum.

Cap. XIV.

Dein videndum, quo pacto pueri instituantur, qui præterea sint scholis præfecti. Hospitalium quoque cura haud prætermittenda.

Vitia, quibus assueverint Parochiani, acriter corrigenda ac refrænanda.

Cap. XV.

De vitiis, quibus Parochiani vel maxime assueverint, inquisitio facienda, ut per Visitatores verbo Divino ab his populus avocetur.

De officio Parochi inquirendum.

Cap. XVI.

Denique expiſcandum, num Parochus Divinum officium in Eccleſia canendo, legendoque rite gerat: num Sacrum Baptisma, itidem Sacroſanctam Euchariſtiam cum Chrismate ſecure ac decenter cuſtodiat: num veſtes, & reliqua ornamenta, quibus in Divinis officiis utimur, munde aſſervet: num ipſe, aut qui Eccleſiæ Proviſores appellantur, templum ſartum tectum curent: num ſacris Altaribus ſuus honos impendatur: num ruinis domus Parochialis occurrat: num de rebus Eccleſiæ alienationes faciat. Atque his ſimilia, quæ Viſitatoribus noſtris pro eorum circumſpectione & prudentia facile occurrent; & ex conſtitutionibus noſtris, quas ubique pro loci ac perſonarum ratione rememorari debebunt, ſuppeditabuntur.

Synodus Epiſcopalis anno bis habenda.

Cap. XVII.

Et quoniam viſitationes iſtæ generales per ſingulas Parochias absque magno ſumptu ſingulis quibusque annis frequentari haud poſſunt, ſaluberrime ſancitum eſt in antiquiſſimis Canonibus, bis per ſingulos annos, in ſingulis Provinciis Concilium fieri; ut primum ante dies Quadrageſimæ habeatur, videlicet quo omnibus, ſi quæ ſunt, ſimultatibus amputatis, mundum ſolenneque DEO munus poſſit offerri. Secundum vero agatur ante tempus autumni, in quo ſi communi omnium conſenſu rationabiliter comprobato, ſecundum Eccleſiaſticam Regulam, duo vel tres animoſitate ducti, per contentionem contradicant, obtineat plurimorum ſententia Sacerdotum.

Quid agendum in Synodo Epiſcopali.

Cap. XVIII.

In his ergo Conciliis, anno bis, de his omnibus apud Metropolitanæ, Cathedralium, Collegiatarum, Monaſteriorumque Prælatos, & præſertim Archi-Diaconos, ac quos vocamus Decanos rurales (qui vocati ſunt in partem ſollicitudinis Epiſcopalis) per Vicarium noſtrum in Pontificalibus, ac Officialem disquiſitio diligens fiat. Et quæ ex illorum judicio reformatione opus habere comperientur, communi conſilio emendentur.

De Synodis Archi Diaconalibus, & Ruralibus.

Cap. XIX.

Denique Archidiaconi, qui Epiſcoporum oculi dicuntur, ac Decani iſti Rurales in ſuis deinceps Synodis, quæ ſancita fuerint, in Provinciali ſeu Epiſcopali Concilio publicabunt. Et ad eundem modum (qui in viſitatione præſcriptus eſt) vitiis extirpandis, ac virtutibus inſerendis ſtudeant, criminibus publicis, magis per pœnitentias Canonicas, quam pecuniæ exactione puniendis, intenti.

Officiales Archidiaconorum, & Decanos rurales, viros graves eſſe oportere.

Cap. XX.

Quod ut recte ac prudenter fiat, Archidiaconis noſtris incumbit, ne ullos inidoneos Officiales aut Decanos Rurales deligant, aut admittant, ſed ad has functiones viros tantum aſſumant, cum doctrina præſtantes, tum vitæ innocentis, inculpatæque, qui nullius criminis labe notabiles, officium ſuum irreprehenſibiliter exequantur.

Synodi Archidiaconales antiquitatem quandam præ ſe ferunt.

Cap. XXI.

Ex vetuſtiſſima (k) quadam inquirendorum criminum formula relictum eſt, ut Archidiaconi anno biſſextili circumeant, & peccata enormia emendent, quæ ſequitur in hæc verba: In Concilio publico ab Epiſcopo habito, primitus jurare debent de villis ſingulis fideliſſimi quique liberi & ſervi, tres vel quatuor, ſeu etiam plures, ut rei veritas omnino inquiratur. Juramentum autem illud hujuscemodi eſſe debet: quicquid in villa, in qua habitat, veraciter ſciat, vel ſerio audierit actum contra fidem rectam & Chriſtianitatem, Epiſcopum aut ejus nuntium, quantum recordari poſſit, & ſcientia ſubminiſtrat, non lateat. Poſt juramentum vero Epiſcopus per ſingula numerare debet, quæ prius jura-

[k] C. 1. De offic. Archid. Hunc Canonem renarrat B. Rhenanus in Procemio Tertull.

juramento comprehendit, hoc eſt: ſi vir ſuper uxorem ſuam, aliquam clanculo corrupit: ſi cum duabus cognatis, ſive mulier cum duobus propinquis fornicata ſit: ſi commatrem ſpiritualem aut filiolam ſuam ſtupro violavit: ſi qua mulier partum ſuum necavit, vel conceptum quocunque modo excuſſit: ſi quis cognatum ſuum voluntate, aut caſu occidit, ſeu morbidum fecit, & necdum ad publicam pœnitentiam venit: ſi mulier maritum ſuum, aut maritus uxorem ſuam iniquo conſilio interemit: ſi quis virum aut fœminam veneno, aut aliqua alia potione occidit, & qui hoc ſcilicet veneno machinatur: ſi ſciant divinatrices vel augures, etiam illos, qui per incredulitatem illas inquirant: ſi ſciant meretrices, quia meretrix appellatur, ſi uno contempto, cum aliis fornicatur, licet nupta non ſit: ſi illos etiam ſciant, qui cum excommunicatis communionem habent: ſi illos ſciant, qui convicti ſunt perjurium perpetraſſe: ſi & illos noverint, qui loca Deo non dicata, contra fidem Eccleſiaſticam colunt, & ad Chriſti Eccleſias venire contemnunt: illos etiam, ſi ſciant, qui indictum jejunium negligunt. Hæc omnia, dum Epiſcopus habet recitata, juratores per juramentum commoneat, cæteros vero omnes nobiles & ignobiles, per bannum Chriſtianitatis conſtringat, ut ſupradictas res minime celent, acſi in die judicii ante tribunal Domini N. J. C. rei occultatione rerum præfatarum nefandarum inveniantur. Hoc enim indicet, & per bannum conteſtetur, ut nemo per ullius timorem aut favorem, vel etiam amicitiam, præfata reticeat, veraciter ſcita. Neque per odium, neque per inimicitiam ullam quicquam alicui irroget, quod veraciter non poſſit probare. Horum aliqua, ſi antea in præſentia Epiſcopi allata eſſent, ejusque judicio terminata, poſtea iterata comperta fuerint, velut in initio referantur, & Epiſcopali decreto conſtituantur.

Abuſus in Synodorum Archidiaconalium, ac Ruralium obſervatione.

Cap. XXII.

Præſcripta quidem formula, quam antiquitatis cauſa retulimus, ſucceſſu temporis in abuſum, quod negare non poſſumus, deducta eſt; quod non fideliſſimi quique, ſed leves delatores, non qui veraciter ſciant, aut ſerio audiverint, idque a probatis, neque uno tantum, ſed pluribus, hisque fide dignis, minimeque malevolis, ſed frequentius absque omni delectu vel leves, ac futiles, vel invidi, ac rapaces calumniatores delationi comperiantur adſciti. Quodque pro manifeſtis criminibus non Canonicæ pœnitentiæ, ſed pecuniariæ potiſſimum mulctæ a delinquentibus fuerint exactæ, permiſſis interim delinquentibus, haud præter grave populi offendiculum, in publica ſcelerum infamia perſeverare.

Inter viſitandum abuſus corrigendi.

Cap. XXIII.

Quæ omnia magna correctione indigent, quam, volente ac adjuvante Deo, inter viſitandum adhibebimus, nimirum curaturi, ut viris exploratæ virtutis tantum hoc officii delegetur.

Procurationem, ſuo officio recte fungentibus pendi, æquum eſſe.

Cap. XXIV.

His autem, (*l*) qui Synodo præficiendi ſunt, ſumptus neceſſarios (quam procurationem Canones vocant) per Parochianos ſuppeditari, juſtum atque æquum eſt.

Cætera, quæ præſentis Concilii decretis comprehenſa non ſunt (ſunt autem pleraque non minorem, quam ea, quæ correximus, caſtigationem poſtulantia) ea ſecundum ſacrorum Canonum cenſuram, partim in viſitatione, partim in futuris Synodis Epiſcopalibus, Deo dante, emendare diligenter adnitemur.

FINIS.

(*l*) Ex Conc. Lateran. & C. Cum Apoſtol. C. Procurat. De cenſib.

SYNO-

SYNODUS HILDESIENSIS

Anno Christi MDXXXIX. Pauli III. PP. V. Caroli V. Imp. XX.

SUB VALENTINO (*) EPISCOPO.

INDEX

Rubricarum Statutorum Synodalium Episcopi Hildesheimensis.

De

(*) Valentinus, e nobili Teutlebiorum stirpe progenitus, Theologiæ & Canonum Doctor, magna scientiæ virtutisque laude claruit. Ottone Schawenburgico ob inertiam & Lutheranismi suspicionem anno 1537. a Paulo III. Pontifice, Hildesiensi e Cathedra deposito, communibus omnium votis illius in locum suffectus, sub initium anni sequentis ab eodem Paulo Pontifice Romæ Episcopus consecratus fuit: Hildesiensi Ecclesiæ afflictissimis ejusdem temporibus præfuit usque in annum decimum quartum, majori suæ commendatione virtutis, quam felicitate: Nam ab Hildesiensibus, qui Lutherana ad dogmata defecerant, exulare coactus, cedere Diœcesi debuit. Exul Moguntiam se recepit, ubi Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicus fuerat, & Alberti Brandeburgici Moguntini Archi-Episcopi & Cardinalis Vicarius, ibidemque anno 1551. vivere desiit.

P. Mich. Strunck in Annal. Paderborn. Part. III. L. XX. & XXI. Hist. Eccl. Germ. edit. Bruxellens. T. I.

Statuta Synodalia Reverendi in Christo Patris, Domini VALENTINI, Episcopi Hildesheimensis.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

VALENTINUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS HILDESHEIMENSIS, UNIVERSIS SÆCULARIUM ET REGULARIUM ECCLESIARUM PRÆLATIS, CAPITULIS, CONVENTIBUS, RECTORIBUS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, CANONICIS, CAPELLANIS, PRESBYTERIS, CLERICIS ET LAICIS PER CIVITATEM, ET DIOECESIM NOSTRAS UBILIBET CONSTITUTIS, PRÆSENTIBUS ET FUTURIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CHRISTUS ille Optimus Maximus Gubernator & Rector omnium cœlestium & terrenorum, æquo tramite cuncta disponens, voluit & in terris cum spiritualium, tum & sæcularium negotiorum, legum quandam esse seriem, qua in humanis degentes, ducti, nativa insolentia, quæ perpetuo ad malum flexa est, postposita, a vitiis tanto magis deterrerentur, alter ab altero diligeretur, adamareturque, ita ut justitia matre & Duce, omnia justo ducerentur tramite: pacata & in tuto omnia consisterent, cohiberenturque appetitus & libido lædendi proximi. Cujus consideratione moti, cumque Ecclesiam & Diœcesim nostras Hildesheimenses pluribus annis gravissimis bellorum ac tumultuum fluctibus & procellis misere vexatam & afflictam, Episcopo ac Pastore sponso suo viduatam atque orbatam, & ab optimo quoque flore, præcipue legum ordine pessumisse ac cecidisse, legibus Diœcesanis, bonisque & salubribus Statutis carere, & in summa, quod ajunt, omnia susque deque versa, sacraque profanis mista esse reperissimus: ad honorem Dei Omnipotentis, Gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris ejus, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Godehardi, Epiphanii, Berwardi, & aliorum Patronorum nostrorum, ac Sanctorum omnium, pro communi Cleri, Civitatis & Diœcesis nostrarum utilitate, proque expurgandis sordibus, quibus Ecclesia & Diœcesis nostra polluta est: utque singula suo ordine gerantur, & cuique, quibus porro sibi vivendum sit legibus & ordine, constet; has Synodales nostras Constitutiones, ex jure & Patrum Decretis sumptas, præter æquum & honestum nihil spirantes, sed ad unius Dei & suorum Cultum, proximique dilectionem deservientes, hic congessimus. Quare ne hic labor & studium nostrum, integerque animus noster in vos frustraneus sit, & illudatur, authoritate nostra Ordinaria, vobis omnibus & singulis, nostris curæ & gubernationi commissis ac subjectis, mandamus, volentes, ut has nostras, quas videtis, Sanctiones Synodales studiose & inviolabiliter observetis, & eisdem pro Statutis Synodalibus abhinc in futurum utamini: hoc addito, ut quivis Archipresbyter Nobis subjectus, easdem habeat, & apud se custodiat, perque se, seu suo nomine in Capitulo rurali Confratribus suis, & omnibus, quorum interest, annuo & singulis annis ad minus bis prælegat, publicet & publicari faciat & procuret. Contrafacientibus Ecclesiasticis &

&aliis juris remediis & cenſuris obviaturi. Interim non ab re Generalem Cleri Germaniæ Reverendiſſimi Domini Cardinalis Campegii Reformationem, Ratiſponæ evulgatam, præmiſſam fuiſſe putantes.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

Caput I.

INprimis igitur omnia & ſingula, quæ propter ſui exquiſitam & probatiſſimam perfectionem, ac clariſſimam & candidiſſimam veritatem adjectione, vel declaratione ulla non indigent, & ad quæ, utpote ad principium, medium & finem ſalutis omnium, corda noſtra, manus & oculos elevamus devoti, & quod ſancta Catholica & Apoſtolica, Romanaque credit, tenet, & docet Eccleſia, ſanctiſſima, piiſſima, & prudentiſſima mater noſtra, & nihil aliud credendum, tenendum, ac docendum ſtatuimus & ordinamus, atque præcipimus.

Cæterum ea, quæ per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum Laurentium S.R.E. Sabinenſem Epiſcopum, Cardinalem, de Latere ad Germaniam Sanctæ Apoſtolicæ Sedis olim Legatum (tam circa reformationem vitæ ac morum Cleri Germaniæ, quam antiquandos abolendosque abuſus, quæ hic præinſeri curavimus) Ratiſponæ edita, ordinata & ſtatuta ſunt, reverenter & obedienter acceptamus atque ſuſcipimus, illaque ab omnibus ſubditis noſtris obſervari mandamus.

Ex Concilio Provinciali Aſchaffemburgenſi Domini Petri Archi-Epiſcopi Moguntini.

Item ſtatuimus & ordinamus, ut ſi aliquis Clericus vel laicus utriusque ſexus, cujuscunque dignitatis, religionis vel ſtatus exiſtat, auſus ſit præſumptione & pertinacia damnabili publice prædicare, vel occulte docere, credere vel tenere, quod Sacerdos, in mortali peccato exiſtens, non poſſit conficere Corpus Chriſti, ſeu ſic ligatus, non poſſit ligare vel ſolvere ſuos ſubditos a peccatis, pro hæretico & incredulo habeatur; & errorem hujusmodi Sacri Concilii approbatione condemnamus, anathematizamus & penitus reprobamus: cum ſacræ Scripturæ dicat authoritas, quod ſive bonus, ſive malus ſit miniſter, per utrumque Deus effectum gratiæ ſuæ confert. Non enim quæ ſancta ſunt, coinquinari poſſunt, nec ipſa Sacramenta poteſt hominum malitia profanare: unde Sacerdos, quantumcunque pollutus exiſtat, Divina non poteſt polluere Sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt. Licite ergo a quocunque Sacerdote ab Eccleſia tolerato, Divina myſteria audiantur, & alia recipiantur Eccleſiaſtica Sacramenta.

Ad idem de Blaſphematoribus & Sortilegiis.

Quamvis Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum traditionibus contra manifeſtos Sanctorum blasphemos, ac damnatum & abominabile ſcelus idololatriæ, videlicet incantationes, ſuperſtitiones, & ſortilegia Pythonum & Pythoniſſarum, in locis diverſis ſufficienter cautum & proviſum exiſtat: quia tamen (quod mentis amaritudine referimus) adhuc vitia talia in multis locis nobis ſubjectis exiſtant in uſu, quapropter erroribus & periculis exinde indies conſurgentibus, quantum in nobis eſt, obviare cupientes, diſtricte ſtatuto præſenti perpetuo duraturo præcipimus, ut contra tales ſtatuta Canonica deſuper edita, ſumma cum diligentia ab univerſis nobis ſubjectis practicentur: & in confeſſionibus de peccatis hujusmodi ſolers fiat inquiſitio; & tam mares quam mulieres, talia exercentes, a communione Sacramentorum excludantur, ac pro abſolutione ad Nos vel Vicarium noſtrum remittantur. Et nihilominus ſiqui publici blasphemi reperti fuerint, vel de hujusmodi incantationibus, vel ſuperſtitionibus ab Eccleſia reprobatis, ſe intromiſerint, vel eisdem fidem adhibuerint, ut ab his infra breve tempus, eis ſtatuendum, deſiſtant, volumus moneri, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis & Eccleſiaſtica ſepultura, a qua nonniſi per Nos, vel Vicarium noſtrum, aut noſtros Superiores valeant liberari & abſolvi. Hoc etiam ſtatutum noſtrum ſalutiferum, ne quis illius ignorantiam prætendere poſſit, volumus per Rectores Eccleſiarum, ac curam animarum habentes, in can-

cellis Ecclesiarum, si & quoties expedire visum fuerit, solenniter publicari.

De Officio Archi-Presbyteri.

Caput II.

Indemnitatibus Ecclesiarum & Beneficiorum, quæ frequenter propter eorum longam vacationem grandia in spiritualibus & temporalibus dispendia patiuntur, occurrere volentes, statuimus: ut quilibet Archipresbyter, seu ejus locum tenens, singulis annis ad minus bis, scilicet in quibuslibet sex mensibus semel, in præsentia Confratrum suorum, in loco Capitulari congregatorum, de omnibus beneficiis, infra Archipresbyteratum suum vacantibus, curatis, & non curatis, quæ ultra tempus, Collatoribus & Patronis eorum a jure statutum, vacaverint, nec non de ipsis Collatoribus & Patronis, ac eorum nominibus diligentius inquirat, Nobis, seu Vicario nostro in Spiritualibus illa cum suorum Patronorum & Collatorum nominibus quamprimum commode possit (sic tamen quod istud ultra duorum mensium spatium non differatur) post inquisitionem hujusmodi in scriptis notificet: quod si facere omiserit, pœnam suspensionis ab officio Divinorum (dictorum duorum mensium spatio lapso) incurrat; quam etiam pœnam quilibet confratrum, qui super præmissis requisitus, ea Archipresbytero scienter celaverit, incidat simili modo. Verum quia nonnulli prætextu literarum Apostolicarum, quas se impetrasse mentiuntur, Ecclesiastica beneficia vacantia, propria authoritate in periculum suarum animarum occupare præsumunt, ordinamus, ut de cætero quilibet Archipresbyter, seu ejus locumtenens, tam eorum, qui infra suum Archipresbyteratum Ecclesiastica beneficia vigore literarum Apostolicarum assequuntur, quam etiam beneficiorum & Patronorum eorundem nomina infra mensis spatium, a tempore assecutionis hujusmodi computandum, Nobis vel Vicario nostro rescribat seu notificet: alioquin similem pœnam, ut præfertur, dicto mense lapso incurrat. Tempus autem a jure datum pro conferendis beneficiis, Patronis Ecclesiasticis sex menses, laicis vero quatuor intelligatur.

Ad idem.

Præterea statuimus & ordinamus, ut quilibet Archipresbyter, seu ejus locumtenens, infra proximos tres menses a publicatione præsentium, omnes suos Confratres, cæterosque Presbyteros, sæculares & religiosos, infra suum Archipresbyteratum beneficia Ecclesiastica obtinentes seu officiantes, de quorum titulis, investituris, seu institutionibus ac provisionibus sibi non constat, ad ostendendum sibi investituras, titulos, aut institutiones, seu provisiones beneficiorum suorum, authoritate nostra in scriptis cum insertione pœnæ suspensionis requirat: & de cætero nullum infra suum Archipresbyteratum, ad officiandum aliquod beneficium Ecclesiasticum, nisi prius ostenderit sibi titulum, investituram, aut institutionem & provisionem sigillatas, scienter toleret vel admittat. Quod si Archipresbyter quempiam talium, literas suas, ut præfertur, sibi non ostendentem, in regimine & officiatione Ecclesiastici beneficii contra præmissa tolerare præsumpserit, ipsum, ut supra mandatur, non suspendendo; ex tunc aliis quindecim diebus elapsis, Archipresbyter ipse suspensionis sententiam propter hujusmodi negligentiam incurrat ipso facto. Sit etiam forma suspensionis, quam in scriptis Archipresbyteri ferant: Quia tu monitus, ut titulum vel provisionem tui beneficii ostenderes, infra quindecim dierum spatium hujusmodi mandato non paruisti, nec titulum ostendisti, idcirco, authoritate mihi concessa, te in his scriptis a Divinis suspendo ac suspensum denuntio. Quam formam etiam in aliis censuris infligendis juxta causarum exigentiam volumus observari.

Ad idem.

Considerantes, quod Archipresbyteri rurales pro eo constituuntur, ut Clericorum honestatem, & Confratrum utilitatem procurent, excessus eorum referant, mandata nostri Vicarii & Officialium nostrorum debite exequantur, & singula, quæ a Superioribus mandantur, ad notitiam Confratrum suorum deducant, quæ tamen ab Archipresbyteratibus suis absentes nequeant adimplere: statuimus & ordinamus, ut quilibet Archipresbyter Diœcesis nostræ Hildesheimensis

mensis teneatur infra suum Archipresbyteratum facere residentiam personalem; decernentes, ut absentes a suis Archipresbyteratibus Archipresbyteri, nisi infra mensem proximum a publicatione præsentium ad residentiam se cum effectu receperint, & etiam illi, qui de cætero a suis Archipresbyteratibus se absentaverint, & animo alibi residendi, seu domicilium extra Archipresbyteratum suum constituendi & fovendi, in absentia hujusmodi per unum mensem mansérint, suis Archipresbyteratibus, lapso mensis spatio prædicto, sint eo ipso privati. Moxque Camerarius teneatur Confratres Capitulares pro electione alterius Archipresbyteri convocare, & alium Achipresbyterum eidem eligere. Quod si Camerarius infra quindecim dies post lapsum dicti mensis facere neglexerit, sit eo ipso ab officio Divinorum suspensus.

Ad idem.

Hac insuper Constitutione universis & singulis Archipresbyteris præcipimus, ut notorios excessus, & præsertim illos, in quibus Ecclesia scandalizatur, quorumcunque intra suum Archipresbyteratum Beneficiatorum seu aliorum Clericorum, infra duos menses a tempore notitiæ suæ computandum, Nobis, seu Vicario nostro notificent & conscribant. Quod si quis facere neglexerit, & hujusmodi statutum executus non fuerit cum effectu, præter Omnipotentis Dei indignationem, quam incurrat, pœna condigna per Nos, vel nostrum Vicarium puniatur & inflectatur. Sunt autem scandalosi excessus, furtum manifestum; Presbyteri homicidium; fornicatio scandalosa Cleri, & adeo notoria, quod nulla tergiversatione celari potest; si Clericus literatorie publice, & in forma Ecclesiæ excommunicatus celebret, legendo Evangelium, seu Epistolam; si Clericus usuram manifeste exerceat; si Clericus cujuscunque gradus post monitionem Archipresbyteri se tabernis, lupanaribus, & actibus illicitis ac litigiosis notorie immisceat: & his similes, qui, pro loci, temporis, & personæ ratione, scandalosi dici possunt.

Ad idem.

Insuper ordinamus, ut nullus Archipresbyterorum ruralium nostræ Diœcesis electus, aut eligendus, nondum confirmatus, officium Archipresbyteri ante confirmationem suam, a Nobis, vel Vicario nostro obtinendam, exercere, aut se Archipresbyterum nominare, vel scribere, vel pro tali gerere quomodolibet præsumat. Formam autem Juramenti, per Archipresbyterum quemlibet in sua confirmatione præstandi, talem esse volumus, ut sequitur: Primo videlicet jurabit, quod mandata nostra, ac Vicarii, & Officialium nostrorum, pro tempore existentium, reverenter exequetur, ac Nobis, & eisdem fidelis erit, quodque officium, ad quod electus est, fideliter exercebit absque dolo & fraude. Item, quod penes se habeat Statuta Synodalia, & illa quater, vel evidenti occurrente impedimento, bis in anno Confratribus suis ad intellectum publicabit, ea quoque inviolabiliter observabit, & in aliis, quantum in se est, observari faciat, dolo & fraude semotis: quod insuper excessus Confratrum suorum, prout ad se spectat, corrigere, incorrigibiles vero pro eorum excessibus, pro quibus deferendi sunt, Nobis, vel Vicario, aut Officiali nostris deferre non tardabit.

De Renuntiationibus Beneficiorum.

Caput III.

Universis nostri Episcopatus Ecclesiasticis Personis beneficiatis districtius prohibemus, ne audeant aliter, quam in manus nostras, seu Vicarii nostri in Pontificalibus, & Officialis, vel Superioris, ad hoc potestatem habentis, beneficia sua dimittere, & resignare, aut illa alias (nulla super hoc a Nobis, seu Vicario nostro, vel ab alio Superiore potestatem habente, obtenta licentia) relinquere: quod si secus factum fuerit, ad hujusmodi resignata & dimissa beneficia, per Nos, vel Vicarium nostrum, nisi forte ex causa rationabili tales resignationes authoritate nostra approbarentur, seu ratificarentur, quisquam nullatenus instituatur.

De

De temporibus Ordinationum.

Caput IV.

Sæpe contigit, quod nonnulli Clerici Civitatis & Diœcesis nostrarum, vinculo excommunicationis astricti, aut apostatæ, seu irregulares, vel idiotæ, vel alias susceptione Sacrorum Ordinum indigni, in remotis partibus per alienos Episcopos, quandoque furtive, & aliquando per saltum, & interdum extra statuta tempora, & alias indebite se faciunt contra Statuta sacrorum Canonum promoveri. Et deinde se a Romano Pontifice, vel alias debite promotos fore mentientes, in sacris Ordinibus præsumunt ministrare. Volentes igitur his pro executione juris communis juxta posse providere, statuimus: ut nullus Civitatis & Diœcesis Hildesheimensis Clericus, absque licentia nostra, seu Vicarii nostri, ad sacros Ordines promotus, in Ordinibus hujuscemodi in Civitate & Diœcesi nostris ministrare præsumat, seu ad executionem Ordinum, taliter susceptorum, per aliquem admittatur; imo ipsum, & quemlibet ipsorum sic furtive promotum, ab ingressu Ecclesiæ suspendimus, donec & quousque de Ordinibus suis coram Nobis, aut Vicario nostro in Spiritualibus legitime docuerit, & quod admitti debeat, nostris, seu Vicarii nostri patentibus literis ostendat. Si quis autem hanc Constitutionem transgredi, & contra illam in susceptis Ordinibus non admissus (ut prædicitur) ministrare præsumpserit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, quam etiam ex tunc per Archipresbyterum, & alios Confratres, apud quos moram fecerint, ipsos incurrisse denuntiari volumus, & publicari.

De Filiis Presbyterorum.

Caput V.

Sacris disponentibus ordinationibus, filii Sacerdotum in Ecclesiis Patrum ministrare, aut ea, seu alia in eisdem Beneficia Ecclesiastica quomodolibet obtinere, & ipsi & alii illegitime nati, seu ex illegitimo coitu procreati, sine dispensatione Sedis Apostolicæ unum beneficium curatum obtinere prohibentur. Et si ex dispensatione hujusmodi unum curatum, deinde tacito defectu natalium, quem patiuntur, a Sede præfata, ut duo vel plura beneficia similem curam habentia, recipere possint, & retinere valeant, & si eis canonice conferantur, obtineant, talis dispensatio, tanquam per surreptionem obtenta, nullius penitus sit momenti. Quapropter censentes parum fore, jura condere, nisi executioni demandentur: volumus & statuimus, ut deinceps Sacerdotum filii in suorum Patrum Ecclesiis, in nostris Civitate & Diœcesi ministrare, aut eas, seu alia beneficia in eisdem quomodolibet obtinere non præsumant; illaque ex tunc in antea per ipsos taliter contra juris dispositionem occupata vacare decernimus, & eorum Collatoribus licentiam, talia idoneis conferendi, præsentibus assignamus, nisi cum ipsis per Sedem Apostolicam desuper sit dispensatum; eisdem Presbyterorum filiis, & aliis illegitime natis, Beneficiatis nostrarum Civitatis & Diœcesis præsentibus injungentes, ut infra unius mensis spatium a publicatione præsentium de suis dispensationibus tam super eo, quod in Ecclesiis Patrum ministrare, succedere, & in eis beneficia obtinere valeant, quam quod super defectibus suis, & pro obtinendis uno vel pluribus beneficijs a Sede prædicta obtentis, coram Nobis, vel Vicario nostro doceant, ut animarum periculis obvietur, & Ecclesiasticis beneficiis debite provideatur: quod si secus fecerint, contra ipsos secundum ordinationes prædictas, prout de jure poterimus, procedemus.

De Clericis peregrinis.

Caput VI.

Didicimus, quod in Civitate & Diœcesi nostris Hildesheimensibus, plures Clerici peregrini, de quorum promotione non constat, in sacris Ordinibus publice ministrent, & curam gerant animarum, licet literas commendatitias, & dimissoriales suorum Episcoporum, vel examen nunquam ostenderunt. Volentes igitur in his providere, statuimus, ut deinceps nullus Clericus peregrinus, sive sæcularis aut religiosus existat, ad executionem sacrorum Ordinum infra Civitatem & Diœcesim nostras in publico admittatur, nisi per literas nostras, aut Vicarii nostri se admittendum fore prius osten-

ostendat. Si quis autem contra hoc statutum, per Nos, vel Vicarium nostrum non admissus, scienter ministrare, & de cura animarum se intromittere præsumpserit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat. Quam etiam sententiam taliter delinquentes incurrisse volumus denuntiari, certificando quoslibet eorum, taliter excommunicatos, post hujusmodi denuntiationem celebrantes, suspensionis sententiam a jure in tales promulgatam incurrere, & exinde notam contrahere irregularitatis.

De Majoritate & Obedientia.

Caput VII.

Statuimus, ut unusquisque Archi-Presbyter, Rector, Plebanus, Vice Plebanus, sive Curatus Nobis subjectus, literas nostras, ac Vicarii & Officialis nostrorum, nostraque & eorum mandata reverenter ubique infra limites suæ Parochiæ recipiat, & sine dolo & fraude proxima Dominica die sequenti diligenter exequatur, nuntiosque literarum nullo modo prodat, sed pro viribus defendat. Secus autem faciens, & constito de eo, puniatur. Volumus etiam & statuimus, ut in executione quorumcunque mandatorum, literarum, & processuum, a Nobis, vel Vicario, seu Officiali nostris emissorum, dies, mensis, annus, nomen exequentis, & locus executionis per Rectores, Plebanos, & Vice Plebanos apponatur, ut sic videlicet executor scribat a tergo mandati ejusdem propria sua manu: Executum est hoc mandatum per me N. Plebanum Ecclesiæ in N. nomen & cognomen suum, ac Ecclesiæ suæ nomen exprimendo, anno infrascripto, die tali, mensis talis, &c. ut de hujusmodi executione legitima fides per hoc habeatur: alioquin si secus factum fuerit, per Officiales gravius puniatur.

Inhibemus quoque, ne quispiam Clericorum, Nobis subjectorum, cuicunque Congregationi, Capitulo, aut Conventiculo, in quo quidquam in præjudicium status & honoris nostri, & successorum nostrorum Episcoporum Hildesheimensium, seu jurium Episcopalium tractatur, interesse, dando consilium, auxilium, vel favorem, scienter & dolose præsumat: secus autem faciens nostram incurrat, ultra pœnam juris, indignationem.

Et præterea considerantes, quod tunc Ecclesiasticus Ordo confunditur, cum unicuique honor debitus non observatur: statuimus & ordinamus, quod in Ecclesiis Collegiatis, Conventualibus seu Capitularibus antiquæ honestates & consuetudines approbatæ debite serventur; & Prælatis earundem assurgendo, & aliis prærogativis, debita reverentia & obedientia, cum sint columnæ Ecclesiarum earundem, exhibeantur, tam a Canonicis, quam aliis simplicibus Presbyteris Ecclesiarum hujusmodi. Quod si quis hujus statuti transgressor repertus fuerit, in fructibus præbendæ suæ taliter puniatur, ut discat Superioribus honorem, & reverentiam condignam impendere, & exhibere.

De Judiciis.

Caput VIII.

Quia causæ matrimoniales, cum dependentibus & connexis per eos, qui potestatem judicandi habent, & Canonum statuta non ignorant, tractari & definiri debent: statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut deinceps unusquisque Presbyter, habens curam animarum, ac subditos, quorum cohabitatio, seu discohabitatio, seu matrimonia publica, in veritate vel errore fuerint, ita quod de his, an jure subsistere possint, saltem probabile dubium extiterit, tales, postquam hoc sciunt, specifice moneant, & super his infra duos menses proximos, pro declaratione decisionis recipienda, ad Nos, vel Officialem nostrum remittant, ut & sententiam Judicum super his petant, & abinde causam hujusmodi usque ad finem, quantum in eis est, prosequantur: alioquin taliter moniti, si hoc infra eosdem duos menses facere contempserint, Ecclesiastica Sacramenta eis in vita denegentur, & morientes peccata sua non confessi careant Ecclesiastica sepultura. Presbyter autem curatus, qui taliter monendo non processerit, per Nos, vel Vicarium nostrum graviter & condigne puniatur. Volentes, ut quilibet Plebanorum hujusmodi nostram Constitutionem singulis annis semel aut bis in Ecclesiis eorundem publicet, aut publicari faciat.

Inhibemus quoque omnibus & singulis subditis nostris, Clericis & laicis, cujuscunque status aut conditionis existant, ne de examinatione, cognitione, vel decisione judiciali quarumcunque causarum matrimonialium aliter, quam per modum salubris consilii se intromittant, aut aliarum quarumlibet, de jure vel consuetudine ad forum Ecclesiasticum spectantium. Secus autem facientes, decernimus excommunicationis sententiæ eo ipso subjacere: per hoc autem non prohibemus, quo minus in causis, ubi transactiones locum habent, in arbitratores & viros communes compromitti possit, per quæ discordiarum materiæ, & quæstiones celerius valeant terminari, dummodo talia in fraudem non fiant.

De Foro competenti.

Caput IX.

Attendendo, quod laici de Ecclesiasticis negotiis intromittere se non debeant, omnibus & singulis Ecclesiasticis personis, per Civitatem & Diœcesim nostras ubilibet constitutis, interdicimus, ne quisquam laicorum ad judicia laicalia seu sæcularia Clericum dolose trahat, aut Clerici se trahi ad talia consentiant, vel hujusmodi vetita judicia subeant, seu ibidem aliquatenus respondeant, sub causarum suarum sic motarum, etiamsi in hujusmodi vetitis judiciis pro ipsis judicaretur, perditione, seu amissione: feudalibus tamen exceptis, quas, prout de jure, volumus tractari.

Ad idem de Foro competenti servetur Capitulum Libri secundi Decretalium, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur:

Si diligenti. *Et infra*: Asseruisti, te usque ad hæc tempora tenuisse, quod sit licitum Clerico, renuntiare saltem in temporalibus causis juri suo, & sibi laicum Judicem constituere, præsertim ubi adversarii voluntas accesserit, ac tenere juramentum super hoc interpositum respondisti, immemor Constitutionis, qua cavetur, pacto privatorum, juri publico minime derogari. Quum igitur jus hoc in Milevitanen. & Carthaginens. Conciliis specialiter promulgatum sit, ne Clerici Clericos, relicto suo Pontifice, ad judicia publica pertrahant: alioquin causam perdant, & a communione habeantur extranei, & tam Episcopi, quam Diaconi, seu quilibet Clericus in criminali vel civili negotio, si derelicto Judicio Ecclesiastico, publicis Judiciis se purgare voluerint, etiamsi pro eis lata sit sententia, locum suum amittant, & hoc in criminali actione: in civili vero perdant, quod evicerint, si locum suum maluerint obtinere: manifeste patet, quod non solum inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia habeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat; sed potius toti Collegio Ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest, nec juramentum licite servari potuit, quod contra Canonica Statuta illicitis pactionibus informatur.

Prætereà inhibemus, ne de cætero quæcunque Ecclesiastica persona Civitatis & Diœcesis Hildesheimens. Nobis subjecta, sæculare auxilium, vel subsidium laicorum contra Nos, sive Jurisdictionem nos[tr]am, sibi qualitercunque assumat, aut avocet, vel sibi procuret: contrarium autem facientes, eo ipso excommunicationis sententiæ subjaceant.

De Alienatione, Judicii mutandi causa facta, & cessionibus.

Caput X.

Cum alias sancta Sedes Moguntinensis inter alia statuta provincialia ediderit provinciale statutum, cujus tenor sequitur, & est talis:

Quia plurium cessiones actionum in fraudem aliquando non pure & simpliciter ex causa seu legitimis causis fiant: statuimus, ut cessiones actionum ex justis causis procedant in præsentia Episcoporum, Judicum vel Officialium suorum, & de licentia eorundem, si subsunt causæ legitimæ, etiam jurent cedentes, quod non simulate, sed vere cedant; & si cessiones secus factæ fuerint, decernimus non tenere. Et tenore præsentium, inter alia mandamus, statuta provincialia dictæ Sedis Moguntinæ (quorum etiam aliqua præsentibus nostris statutis Synodalibus & Episcopalibus, ex certis Nos ad hoc moventibus causis, inseruimus) in

in Civitate & Diœcesi nostris Hildesheimens. servari; & præsertim statutum cessionis præinsertum, attento, quod per simulatas cessiones privilegia, in favorem Cleri data & concessa, sæpe per abusum eorundem, prout experientia docet, ad noxam tendunt. Et propterea singulis subditis nostris statuendo committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, nec non quinquaginta aureorum Rhenensium pro una Fisco nostro, pro altera medietatibus, partibus pro tempore læsis, seu propterea lædendis applicandorum pœnis, mandamus & præcipimus, quatenus præinsertum statutum irrefragabiliter & firmiter teneant & observent, inhibentes eisdem sub similibus pœnis, ne deinceps cessionibus præter & contra præinsertum, & per Nos modo innovatum statutum factis & celebratis, in judiciis seu extra utantur: quod si secus fuerit, contra negligentes contradictores & rebelles ad dictæ excommunicationis sententiæ declarationem, ac prædictæ pœnæ extorsionem, servatis servandis, procedemus, seu Curiæ nostræ causarum Officialis Generalis irremissibiliter procedet.

De Probationibus.

Caput XI.

Quia sicut didicimus, sæpe propter defectus probationum cognationum spiritualium, pericula consurgunt animarum, eo quod adinvicem matrimonii Sacramento constrictis interdum cognationum spiritualium obstant impedimenta, quæ difficulter, vel aliquando vix, vel non probari possunt: hujusmodi periculis cupientes, quoad nobis subjectos, obviare, decernimus, & hoc statuto perpetuo servari præcipimus, ut Ecclesiarum per civitatem & Diœcesim nostras Rectores, Plebani, Vice-Plebani, & singuli Curati in baptizando pueros subditorum suorum, levantium & Baptizati nomina in registro communi, quod in sua Ecclesia habeant, conscribant, & testes quamplures assumantur: similiter subditos suos inducant & informent, ut deinceps in Confirmatione suorum puerorum coram Episcopo testes requirant discretos & intelligentes; qui de Confirmatione & tentione coram Episcopo, ac nomine tenentis, dum opus fuerit, testimonium valeant dare, ut facilius impedimenta hujusmodi, & minoribus laboribus & expensis valeant opportuno tempore comprobari.

De fide Instrumentorum, ac Notariis.

Caput XII.

Statuimus pariter & ordinamus, ut nulli tabellionatus, sive Notariatus officium juxta Sacrorum Canonum ac legum, & præcipue novissimæ Imperialis reformationis & ordinationis, Coloniæ factæ, committi debeant, aut exercere liceat, nisi competentis literaturæ, honestæque conversationis & vitæ, & laudabilis testimonii sit, & vigesimum tertium ætatis annum peregerit: unde præter præmissam ordinationem, plerumque minus idonei ad officium hujusmodi assumuntur, qui sub umbra ignorantiæ, & temeritatis audacia graviter in dicto officio delinquunt, sibi ipsis infamiam parant, aliisque grave præjudicium, & inæstimabile periculum inferunt. Ne igitur detestabilis morbus in hac nostra Diœcesi amodo, ut in antea, serpat ac progressum habeat; volumus, præcipimus, & mandamus, quod nullus hujusmodi officium tabellionatus sive Notariatus amplius in nostra Diœcesi exercere præsumat, nisi prius per Nos, aut Officialem nostrum ad id repertus fuerit idoneus atque sufficiens, ut sit legitime & tanquam legalis admissus. Contrarium vero facientes, præter excommunicationis pœnas, tanquam mandatorum nostrorum transgressores utique puniemus, eorumque instrumenta, tanquam invalida, nulliusque roboris aut momenti decernimus rejicienda, neque in judicio, vel extra quoquo modo admittenda.

De Sententia & re Judicata.

Caput XIII.

Intelleximus, quod interdum Ecclesiarum civitatis & Diœcesis nostrarum Hildesheimens. Rectores, seu Plebani cum suis subditis in causis matrimonialibus, tam simplicibus quam impedimentorum, in curiam nostram Hildesheimensem, ubi expediri debeant, adveniant: & latis sententiis definitivis, prætendentes sufficere, quod lectioni sententiæ interarant, partes jubent sine literis & sententiis recedere: sæpius etiam contingit, quod,

quod, latis hujusmodi ſententiis, partes coram ſuis Plebanis & aliis aſſerunt, eas aliter eſſe latas, quam ſunt, & deinde ſecundario curiam noſtram viſitantes, variant depoſitiones, & contrarias reportant ſententias: & quia aliquando propter temporis diuturnitatem de ſententia conſtare non poterit, ex quo non modica pericula evenerunt animarum, ut experientia ſumus edocti. Volentes igitur hujusmodi periculis obviare, præſenti edicto diſtrictiùs jubemus, ne de cætero aliquis Eccleſiarum Rector, ſeu Plebanus præmiſſa quomodolibet faciat: decernentes, partibus aſſerentibus ſententias pro matrimonio vel contra matrimonium latas, absque ſententiarum literis debite ſigillatis, credi nullo modo debere, nihilominus easdem aſſerentes a Sacramentorum communione excludimus, ſalvo mortis articulo, donec, & quousque ſententias hujusmodi ſcriptas & debite ſigillatas obtineant. Rectores autem & Plebanos Eccleſiarum, ſi deinde præmiſſa perpetraverint, aut etiam quamcunque ſententiam hujusmodi, antequam illam ſcriptam viderint, publicare præſumpſerint, per integrum menſem ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendimus, fructus Eccleſiarum ſuarum per idem tempus cedentes, officiantibus easdem, & ſubditis providenbus reſervantes.

De vita & honeſtate Clericorum.

Caput XIV.

Præſenti inviolabiliter duraturo prohibemus edicto, ne de cætero aliquis Clericus, in ſacris Ordinibus conſtitutus, aut Beneficiatus infra civitatem & Diœceſim noſtras cereviſiam ſub menſura publice vendere, miniſtrando fercula, lectiſternia & hoſpitium ad modum publici hoſpitis, aut mercatoris & laicorum exercere, puta res venales pro lucro captando remiſſius emere, ut carius vendat, ſeu alias illicite mercari per ſe, vel interpoſitam perſonam quomodolibet præſumat. Si quis autem talia facere præſumpſerit, & ab hujusmodi negotiationibus non deſtiterit, lucrum exinde captatum, Fiſco noſtro applicandum, atque eundem alias etiam gravius puniendum juxta exceſſus qualitatem decernimus.

Cæterum ſub pœna excommunicationis, Canonica monitione præmiſſa, mandamus, quatenus Clerici noſtri, & præſertim illi, qui curam animarum gerunt, ab ſcurrilibus, & illicitis crapulis in Calendis & Exequialibus conviviis, per eos fieri ſolitis, abſtineant atque deſiſtant; quodque ſcorta & mulieres ſuſpectas ad hujusmodi convivia minime adducant, ſed honeſte in Calendarum ſolennitatibus, & exequiis hujusmodi ſe habere ſtudeant: alioquin contra non obſervantes & delinquentes rigide procedemus.

Ad idem.

Rurſus Conſtitutione præſenti, prout etiam in Provinciali Concilio quondam Domini Conradi, Archi-Epiſcopi Moguntinenſis, ſancitum dignoſcitur, volumus, præcipimus, & ordinamus, ut Clerici noſtrarum civitatis & Diœceſis in civitatibus & oppidis, præſertim in Eccleſiis, veſtes longas, ſtatui Clericali decentes, & non ſubductas de vario, aut ſerico (niſi graduatus, aut Canonicus majoris Eccleſiæ Hildesheimenſis, vel nobilis exiſtant) deferant, non ſericeas, ab extra non variatas, aut diviſiatas, nec deſuper ab extra cum plicaturis foderatis, ſed manicis ſtrictis & alias decentibus utantur. Non deferant calceos, ſeu ſotulares inhoneſtos aut indecentes. Itinerantibus autem ex cauſa brevioribus veſtibus uti liceat: Coronam vero, & tonſuram ſuo ſtatui, ordini, aut dignitati convenientem, juxta Canonum Sanctiones deferant; nec armati incedant, neque gladios, ſeu cultellos longos portent; niſi forte extra civitatem, vel loca ſua eos pergere contingat, vel de licentia Superioris pro perſonarum Eccleſiæ, & rerum ſuarum defenſione id faciant. Diſtrictius inſuper inhibentes, ne mantellos ab ante apertos & ſciſſos, & circa collum cum magna zona conſtrictos, ſed veſtibus honeſtati Clericali congruentibus utantur, prout Canonicam & noſtram gravem ultionem voluerint evitare. Hujus autem ſtatuti transgreſſores, ad unius menſis ſpatium, a fructibus beneficiorum ſuorum noverint ſe ſuſpenſos. Quorum fructuum diſpenſationem arbitrio noſtro reſervamus per præmiſſa. Cæterum Clementinæ de vita & honeſtate Clericorum Generalis Concilii ordinationi, & aliis juribus, quæ de indecentia veſtium tractant, non intendimus derogare.

Item

Item ut Clericorum, maxime Beneficiatorum, vita ſit exemplaris & accepta, univerſis Clericis beneficiatis in Sacris & noſtra Diœceſi conſtitutis, conſtitutione præſenti diſtrictius inhibemus, ne ludis taxillorum, aut aliis levitatibus, ac choreis, haſtiludiis, torneamentis, & aliis ſpectaculis publicis & prohibitis interſint, aut talia exerceant, prout pœnas condignas in contrafacientes, facti exigente qualitate, authoritate noſtra infligendas, voluerint evitare.

Inſuper diſtrictius inhibemus Clericis, pro ſacris Ordinibus ſuſcipiendis itinerantibus, ne in hoſpitiis, ludis taxillorum, aut aliis enormibus ac turpibus actibus inſiſtant, ſed honeſte & clericaliter vivant: ſecus vero facientes, volumus eſſe a ſuſceptione Ordinis pro qualibet vice ipſo facto ſuſpenſos: quodque comas non nutriant, ſed crines capitis ante & retro non nimis longos deferant, prout Canonum & Statutorum prædictorum pœnas, & noſtram ac Canonicam ultionem voluerint evitare.

Simili modo præcipimus, & mandamus, ut Clerici beneficiati noſtrarum Civitatis & Diœceſis, temporibus Divinorum Eccleſias, in & ſub quibus Beneficiati exiſtant, absque ſuperpelliciis non accedant, vel ſubintrent: contrarium facientes vice qualibet trium dierum ſpatio ſtipendiis ſuis præbendalibus careant, in uſus fabricæ convertendis: quos etiam Decanis, Rectoribus, Plebanis, & aliis in Eccleſiis Superioribus reverentiam debitam impendere volumus, ſub noſtra gravi indignatione, & pœna ſuperius expreſſa.

De cohabitatione Clericorum, & Mulierum.

Caput XV.

Sancta Generalis Synodus Baſileenſis, reformationi Status Clericalis intendens, inter alia conſtitutionem ſalubrem contra Clericos concubinarios edidit, per locorum Ordinarios publicandam & exequendam: cujus quidem conſtitutionis ignorantiam ne quis prætendere valeat de Clero noſtro, illam præſentibus inſeri, & cum ſtatutis aliis noſtris publicari, & diſtrictius volumus obſervari, cujus tenor ſequitur, & eſt talis:

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILEENSIS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUicunque Clericus, cujuscunque ſtatus, conditionis, religionis, dignitatis, etiamſi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ exiſtat, qui poſt hujus Conſtitutionis notitiam, quam habere præſumatur, poſt duos menſes poſt publicationem ejusdem in Eccleſiis Cathedralibus, quam ipſi Diœceſani omnino facere teneantur, poſtquam eadem Conſtitutio ad eorum notitiam pervenerit, fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus; quos ſuus Superior in fabricam, vel aliam evidentem Eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat: nec non hujusmodi publicum concubinarium, cum primum talem eſſe innotuerit, mox ſuus Superior monere teneatur, ut infra noviſſimum terminum concubinam dimittat; quam ſi non dimiſerit, vel dimisſam, aut aliam publice reaſſumpſerit, vult hæc Sancta Synodus, ut ipſum omnibus ſuis beneficiis omnino privet. Et nihilominus hi publici concubinarii, uſquequo cum eis per ſuos Superiores poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vitæ emendationem fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum, vel officiorum ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alterius diſpenſationis, ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant. Quod ſi hi, ad quos talium correctio pertinet, eos (ut prædictum eſt) punire neglexerint, eorum Superiores tam in ipſos de neglectu, quam in illos de concubinatu modis omnibus digna punitione animadvertant. In Conciliis etiam Provincialibus & Synodalibus adverſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem & privationem collationum beneficiorum, vel aliam condig-

nam pœnam severiter procedatur. Et si hi, quorum destitutio ad Summum Pontificem spectat, per Concilia Provincialia, aut suos Superiores propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, statim cum processu inquisitionis, ipsi Summo Pontifici deferantur. Eadem diligentia & inquisitio in quibuscunque Capitulis Generalibus & Provincialibus quoad suos servetur, pœnis aliis contra prædictos, & alios non publicos concubinarios statutis, in suo robore permansuris. Publici autem intelligendi sunt, non solum hi, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla potest tergiversatione celari, notorius est; sed & qui mulierem de incontinentia suspectam & infamatam tenet, & per suum Superiorem admonitus ipsam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibusdam Regionibus nonnulli, Jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, pecuniarios quæstus a concubinariis percipere non erubescunt, patientes eos in fœditate sua sordescere, sub pœna maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps sub pacto, compositione, aut spe alicujus quæstus, talia quovis modo tolerent, aut dissimulent; alioquin ultra præmissam negligentiæ pœnam duplum ejus, quod propterea acceperint, restituere ad pios usus omnino teneantur, & compellantur. Ipsas autem concubinas, seu mulieres suspectas, Prælati modis omnibus curent a suis subditis, etiam per brachii sæcularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcere; quarum concubinarum res, quas de bonis præsumuntur habere Ecclesiæ, in fabricam, vel in aliam ipsius Ecclesiæ utilitatem per ipsos Prælatos convertantur. Qui etiam ex tali concubinatu procuratos filios apud patres suos cohabitare non patiantur. Jubet insuper hæc Sancta Synodus, ut etiam in prædictis Synodis & Capitulis hæc Constitutio publicetur, & quoslibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter. Injungit præterea omnibus sæcularibus viris, etiamsi Regali præfulgeant dignitate, ne ullum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quæsito colore, Prælatis, qui ratione sui officii adversus suos subditos pro hujusmodi concubinatu procedunt. Et cum omne fornicationis crimen Lege Divina prohibitum sit, & sub pœna peccati mortalis evitandum; monet omnes laicos tam uxoratos, quam solutos, ut similiter a concubinatu abstineant: nimis etiam reprehensibilis est, qui uxorem habet, & ad alienam mulierem accedit: qui vero solutus, si continere noluerit, juxta Apostoli consilium uxorem ducat. Pro hujusmodi autem Divini observatione præcepti, hi, ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis Canonicis remediis omni studio laborent.

De Clericis non residentibus.

Caput XVI.

Cum autem ad hoc sint Ecclesiastica Beneficia deputata, ut in eis ad serviendum Altissimo tales assumantur, qui per se ipsos volunt & possunt eorum curam exercere: statuimus, ut quilibet infra Civitatem & Diœcesim nostras Beneficiatus, cujuscunque status, ordinis, vel conditionis extiterit, cujus beneficium residentiam personalem, vel certum ordinem de jure, statuto, vel consuetudine requirit, in illo infra proximum mensem personaliter residere incipiat, & abinde quamdiu beneficium hujusmodi obtinuerit, talem residentiam faciat, seque ad Ordinem, quem onus beneficii sui requirit, juxta tempora obtineat promoveri. Transgressores vero hujus statuti nostri per suos Superiores servato juris ordine priventur, nisi expressam super hoc a Nobis, vel Vicario nostro licentiam obtinere meruerint.

De Præbendis.

Caput XVII.

Item statuimus, ut quilibet Religiosus, infra Diœcesim nostram Hildeshemensem, curam gerens animarum, titulum hujusmodi beneficii sui in proximo Capitulo post illius assecutionem Archipresbytero, vel ejus locum tenenti in præsentia fratrum ostendat: & si alium, quam a Nobis, seu Vicario nostro impetratum ostenderit, titulo hujusmodi nulla fides adhibeatur, nisi forte Romanus Pontifex illum sibi concessisset, & hoc Nostris, vel Vicarii nostri literis appareret declaratum.

Si quis

Si quis vero contra præmiſſa venire præſumpſerit, ultra pœnam juris communis tam diu a Divinis ſuſpenſus remaneat, quousque hujusmodi ſtatuto noſtro ſtuduerit cum effectu parere, & obedire.

De Portione congrua ſeu competentia.

Caput XVIII.

Cum non debeat ligari os bovis triturantis, ſacris jubentibus Canonibus, univerſos & ſingulos Prælatos civitatis & Diœceſis noſtrarum in Domino exhortamur, ut Eccleſiarum, ipſis & eorum menſis unitarum & incorporatarum, noſtræ Diœceſis Vicariis de præbendis congruis, unde decenter ſuſtentari, jura Epiſcopalia & Archidiaconalia ſolvere, hoſpitalitatem tenere, & alia incumbentia onera ſupportare valeant, prout de jure tenentur, provideant: alioquin prout de jure conſtringuntur, eis negligentibus, ad præbendarum hujusmodi deputationem, ſervatis ſervandis, procedere non omittemus.

De Inſtitutionibus.

Caput XIX.

Cum in cunctis ſacris miniſteriis ſint ætatis maturitas, gravitas morum, & literarum ſcientia requirenda, præſenti perpetuo prohibemus Edicto, ne deinceps aliquis Sacerdos ſæcularis vel religioſus infra civitatem & Diœceſim noſtras quodcunque Eccleſiaſticum beneficium, cum cura vel ſine cura, absque inſtitutione, ſeu inveſtitura, aut induciis ſeu licentia a Nobis, vel Vicario noſtro, aut alias legitime, ac per literas ſigillatas obtentis, & prius Archipresbytero vel ejus locumtenenti oſtenſis, regere aut quomodolibet officiare, ſuo vel aliquo nomine præſumat, niſi ipſius beneficii Rector, ſeu Vicarius, vel Capellanus perſonaliter in eo reſideat, cujus nomine & conſenſu aliquis ut ſocius in Divinis inibi inofficiet; ſecus autem facientem, cum non ſuos fructus faciat, ipſo jure ad reſpondendum Fiſco noſtro de fructibus, ſic per eum levatis, condemnamus, Fiſco eidem decernimus applicandos: concedimus tum, (*) ut beneficio, poſtquam primo vacare cœperit, poſſit loci Archipresbyter per ſe vel alium, quem duxerit eligendum, per primum proximum menſem & non ultra in Divinis providere, ſervato moderamine, ſuperius de officio Archipresbyteri expreſſo.

Cum ad extirpandum quorundam deteſtandam cupiditatem in Sacro Lateranenſi Concilio prohibitam, ut nullus diverſas Eccleſiaſticas dignitates, aut Parochiales Eccleſias recipiat, & conſequenter ſtatutum, quod recipiens beneficium, habens curam animarum annexam, ſi prius tale habeat, is eo ſit ipſo jure privatus; & ſi forte illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur; imo ſi ultra menſem teneat, ambobus eſt privatus, Apoſtolicæ tamen Sedis diſpenſatione in his ſalva: & alibi Canon, vitium cupiditatis hujusmodi redarguens, tales in curatis beneficiis plurales, eo quia ſic retenta ad ipſos non ſpectant, de jure rem aſſerit attrectare alienam; & ſic furtum committerent quodammodo & rapinam, non ſine ſuorum, & ſubditorum animarum periculo: eapropter ut hujusmodi Canones, & Sacrorum Conciliorum Generalium ſancita debitæ executioni demandentur, locorum Ordinariis per fœlicis recordationis Gregorii decimi decretum, in Sacro Generali Concilio eſt præceptum, ut ſubditos ſuos, plures dignitates vel Eccleſias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, ſeu perſonatum aut dignitatem cum alio beneficio, cui ſimilis cura eſt annexa, ad exhibendum diſpenſationem, authoritate cujus Eccleſias, perſonatus, aut dignitates canonice ſe tenere aſſerunt, infra tempus, arbitrio Ordinariorum ſtatuendum, diſtricte compellant. Nos itaque animarum periculis obviare, & ut Eccleſiaſtica Beneficia canonice poſſideantur, per executionem præmiſſorum cupientes providere, hoc præſenti ſtatuto decernimus, ut deinceps a publicatione præſentium ſic, ut præfertur, plura curata obtinentes beneficia, ac plures dignitates & perſonatus, ſeu perſonatum & dignitatem cum alio beneficio curato, de ſuis diſpenſationibus, quarum authoritate illa tenere prætendunt, nec non titulis

(*) *forte*: tamen.

tulis suis ad eadem, infra duorum mensium spatium coram Nobis, vel Vicario nostro in Spiritualibus legitime, & sub pœnis juris doceant, ne deficientes in titulis & dispensationibus hujusmodi Canonicis, occupando injuste ipsa beneficia, contrectent rem alienam, & per consequens furtum committant, & animæ exinde periclitentur, ipsorumque sanguis de nostris manibus exigatur: alioquin ad executionem præmissarum sacrarum Constitutionum contra ipsos, dictis lapsis mensibus, effectualiter procedemus.

De rebus Ecclesiæ non alienandis.

Caput XX.

Item mandamus sub excommunicationis pœna, canonica monitione præmissa, universis & singulis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Prioribus, Priorissis Monasteriorum & Ecclesiarum nostrarum Civitatis & Diœcesis, ne de cætero aliqua bona immobilia, seu reditus, & proventus Monasteriorum, seu Ecclesiarum suarum vendant, aut obligent quovis modo, absque licentia nostra speciali. Et si qui contra hujusmodi inhibitionem, & mandatum nostrum bona vel reditus suorum Monasteriorum, seu Ecclesiarum alienaverint, seu obligaverint, hujusmodi Contractus decernimus irritos, ac inanes: Decernentes, ut in mutuo contrahendo, nec non obligatione mobilium vel immobilium, sacri Canones observentur.

Statuimus etiam, quod ornatus, & libri Ecclesiæ, Altariumque; seu Vicariarum fundationes, & literæ capitales censuum, ac proventuum eorundem bis vel ad minus semel in anno inspiciantur a Decano & Capitulo diligenter, & sub sigillis Prælatorum & Capituli ponantur sigillatim in Scriniis, ut sic cognoscatur imposterum, si de ipsis augmentatum sit aliquid, vel subtractum.

Et quoniam pauci sunt in singulis Ecclesiis, qui prædia, & reditus Ecclesiæ plene cognoscant, & nonnulli reditus & bona propter negligentiam officiariorum, & infœlicem statum horum turbatissimorum temporum sunt forte perdita, seu destructa: statuimus, quod prædia & reditus Ecclesiarum communes, & specialiter dignitatum & officiorum, & quæ ac quales rationes cujuslibet officio fieri debeant, sub sigillis Prælatorum, & Capituli plenissime conscribantur.

De Testamentis & ultimis voluntatibus,

Ex Provinciali Concilio Fritzlariensi.

Caput XXI.

Clericus de proventibus anni gratiæ, vel alias de rebus Ecclesiæ acquisitis, concubinæ suæ, vel filiis ex fornicatione genitis quidquam penitus non relinquat: quod si fecerit, legatum non teneat, & quod taliter est relictum, Ecclesiæ applicetur.

Ex eodem Concilio.

Ad abolendam pravam consuetudinem, vel potius corruptelam, seu temeritatem Clericorum, qui signum pudicitiæ deberent ostendere laicis, quibus sunt positi in exemplum, in argumentum suæ finalis impœnitentiæ fructus præbendarum suarum concubinis, seu spuriis suis legant in ultima voluntate, rigor Ecclesiasticus debet exerceri. Quare sub anathematis vinculo prohibemus, ne de cætero Clerici, annis gratiæ abutentes, de rebus Ecclesiæ, fructus beneficiorum Ecclesiasticorum spuriis, & concubinis dimittendo, aliquo modo disponant. Qui vero contra inhibitionem hujusmodi venire præsumpserit, in signum suæ perditionis Ecclesiastica sepultura, & quibus taliter fructus legantur, eis careant ipso jure. Qui autem testamentum tale post mortem defuncti manu tenere voluerint, & per quorum manus talibus personis fructus præbendarum & beneficiorum Ecclesiasticorum fuerint ministrati, Ecclesia ipsa sit suppposita interdicto.

Ex Provinciali Concilio Moguntino.

Sunt nonnulli, qui anno gratiæ pro relevatione debitorum in fructibus beneficiorum defunctis Clericis concesso, damnabiliter abutuntur, fructus anni ipsius gratiæ consanguineis suis, vel aliis, quibus voluerint, relinquentes, ex quo provenit duplex injuria, Ecclesiæ scilicet, & personæ: fraudatur enim Ecclesia per dictum

dictum anni ſpatium ſervitore; privatur etiam ſucceſſor in percipiendis fructibus ſuo jure: quod de cætero fieri prohibentes, ſacra approbatione Concilii ſtatuimus, quod niſi pro relevatione debitorum, quæ cum aliunde ſolvi non poſſunt, anno gratiæ Clerici non utantur, niſi ipſius anni fructus pro aliqua pia cauſa, ipſi relinquant Eccleſiæ, a qua iidem beneficium habuiſſe noſcuntur.

Ad idem.

Quoniam in quibusdam locis noſtrarum Civitatis & Diœceſis, uti accepimus, conſuetudo, ſive corruptela deteſtabilis obſervatur, videlicet quod tam Clericus, quam laicus, in lecto ægritudinis conſtitutus, ultra certam, limitatam, & expreſſam ſummam, nec piis locis, nec perſonis Eccleſiaſticis, pro animæ ſuæ remedio & ſalute aliqua poſſit ordinare legata: conſiderantes prædictam conſuetudinem, ſacris Canonibus & ſæcularibus legibus obviare, cum omnia jura clament, quod ultima voluntas hominis, & ultimum teſtamentum immobile perſeveret, & nihil ſit, quod hominibus magis debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis liber ſtylus exiſtat; eandem conſuetudinem Deo odibilem, animabus & bonis moribus inimicam, authoritate hujus ſalutaris Sanctionis penitus reprobamus, firmiter ſtatuentes, ut illis, quos jura a teſtamentorum non prohibent factione, etiam in ſanitate vel in lecto ægritudinis conſtitutis legandi, diſponendi, & ordinandi de bonis, ſibi a Deo collatis, ad pia loca, & perſonas Eccleſiaſticas, dummodo contra legitimas conſtitutiones non venerint, libera ſit facultas: Volentes, & præcipientes diſtricte, ut univerſi Clerici & laici, impedientes defunctorum legata ſeu voluntates, per excommunicationis in perſonas, & interdicti in loca ſententias (monitione canonica præmiſſa) ferendas, ab hujusmodi impedimentis deſiſtere compellantur.

Ad idem.

Dolenter audivimus, quod fidelium tam Clericorum, quam laicorum teſtamenta, & ultimæ voluntates, maxime pro animarum ſalute, & ad pios uſus legata & teſtata, in ſuis debitis executionibus ac ordinationibus, interdum perverſis machinationibus hominum, & quandoque negligentiis intervenientibus & obſtantibus, in noſtris civitate & Diœceſi in locis pluribus multipliciter impediantur & retardentur. Cum itaque ultima voluntas, ſeu ultimum hujusmodi teſtamentum pro lege ſervari debeat, & ſupremæ hominis rationabilis voluntatis liber ſtylus exiſtat, & noſtro incumbat Paſtorali officio talibus providere, & teſtamenta utroque jure ſuadente defendere; univerſis noſtræ jurisdictioni ſubjectis, Eccleſiaſticis & ſæcularibus, ſub interminatione Divini Judicii, & excommunicationis ſententia, quam in contrafacientes, ſex dierum monitione prævia, in his ſcriptis ferimus, ne teſtamenta & ultimas fidelium Eccleſiaſticarum vel ſæcularium perſonarum, quas jura a teſtamentorum factione non prohibent, voluntates, maxime ad uſus pios, & animarum ſalutem ſe extendentes, earumque executiones debitas impediant, negligant vel retardent, nec de teſtamentorum & cauſarum earundem, ac ipſorum occaſione pro tempore motarum cognitioni ſe intromittant; ſed ad Nos, & Officiales noſtros, ordinariam jurisdictionem cauſarum hujusmodi habentes, remittant, diſtrictius inhibemus, atque mandamus.

Mandamus præterea, teſtamenta ac ultimas voluntates per Teſtamentarios & Executores ad hoc per defunctos teſtatores, deputatos, nominatos, ac deſignatos, juxta Juris communis ordinationem ac diſpoſitionem infra anni ſpatium a morte eorundem teſtatorum computandum, etiam absque aliqua prævia monitione (cujus vicem hoc præſens ſtatutum noſtrum habere volumus) debitæ executioni demandentur, & rite exequantur: alioquin elapſo anno eorundem executionem ipſo jure ad Nos uti Epiſcopum Diœceſanum & loci Ordinarium, devolutam eſſe decernimus.

De Parochis & Parochianis.

Caput XXII.

Gravis ad Nos querela perduxit, quod nonnulli ſuis juribus & finibus non contenti, Parochianos alterius præſumant recipere temere ad Divina, contra canoni-

cas Sanctiones: & cum dictorum Parochianorum Judices non existant, nec ligandi vel solvendi in eos receperint potestatem, se tamen Judices faciendo in foro pœnitentiali periculose absolvunt & ligant pro libito suæ voluntatis, sicque ipsis, qui proprios spernunt Sacerdotes, minime absolutis, illud salutiferum nostræ peregrinationis viaticum, quod non proficit nisi prius a criminum labe mundatis, & in animarum suarum, & eorum, qui id non dijudicantes indiscrete recipiunt, periculum conferre non verentur: sicque dicti eorum Sacerdotes, qui curam recipiendo, suam pro ipsis animam obligarunt, dum sibi taliter subtrahuntur, statum ignorantes ipsorum ægrotantium, non possunt, quod in eis est, sanare, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum: & sic, dum curationis necessaria non adhibentur remedia, invalescentibus morbis usque ad interemptionem læsio dilatatur, unde Sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus summo Judici dare rationem. Nostrorum Patrum, qui Ecclesiæ Sanctæ Dei, & Personis Ecclesiasticis terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, statuta considerantes, universis Sacerdotibus tam religiosis quam sæcularibus, cujuscunque ordinis, conditionis, sive status existant, in civitate & Diœcesi nostris degentibus, sub debito juramento, quod in receptione suorum ordinum præstiterunt, & sub interminatione Divini Judicii firmiter inhibemus, ne quis alienum Parochianum, cujus cura per Episcopum loci, vel Archidiaconum, vel ejus Vicarium alii est commissa, præsumat (excepta necessitatis causa, quæ legem non habet) ad confessionem recipere, vel ad porrigendum ei Ecclesiasticum Sacramentum, nisi petita desuper & obtenta licentia proprii Sacerdotis, accedere; cum certi & indubitati juris existat, talem a tali Presbytero absolvi non posse aliquatenus, vel ligari, & ex hoc ordinem Ecclesiæ, per majores & Sanctos Patres Divina providentia institutum, confundi: quod per universos Plebanos singulis diebus Dominicis & Festivis, coram suis plebibus præcipimus publicari.

Ad idem.

Insuper veridica relatione intelleximus, populum vulgarem in plerisque locis nobis subjectis, diebus Dominicis & Festivis raro interesse Divino officio Missæ, & prædicationi verbi Dei, licet juxta ordinationem & statutum Sanctæ Matris Ecclesiæ, eisdem diebus interesse debeant, ut ibidem Divinis præceptis, & Evangelicis doctrinis informentur. Nos volentes huic morbo obviare, ac animarum saluti consulere, præsenti volumus & ordinamus statuto, districte universis Presbyteris curatis nostræ Diœcesis mandantes & exhortantes, quatenus plebes & Parochianos suos, qui ad annos pervenerint discretionis, hortentur & admoneant sub pœna excommunicationis, quatenus deinceps singulis Dominicis & Festivis diebus officio Missæ in Ecclesiis suis interesse studeant, & prædicationem verbi Dei diligenter audiant, nisi legitimo impedimento ex causa rationabili quis excusetur, nec ab officio hujusmodi ante benedictionem Sacerdotis, donec compleatur, recedant; vel alias inhoneste discurrant, faciendo ob reverentiam Divinissimi Sacramenti genuflexiones. Interim dum hostia salutaris per Presbyterum elevatur, cum devotione cordis Deum exorent pro peccatis. Si quis vero rebellis & negligens in his fuerit, hunc in confessione severe volumus emendari; & nihilominus talis, qui tempore prædicationis verbi Dei extra Ecclesiam, & in cœmiterio stare contra prohibitionem hujusmodi præsumpserit, ad authoritatem nostram Episcopalem remittatur. Contemptores etiam hujus saluberrimi præcepti per excommunicationis inflictionem coerceantur. Insuper Presbyteri curati in sermonibus populum, eis commissum, ad hoc inducere curent, ut processionibus & aliis actibus & cæremoniis Ecclesiasticis intersint devote, laudesque omnipotenti Deo cum attentione cordis & morum gravitate persolvant.

De

De fructibus Defunctorum Plebanorum, seu Rectorum Ecclesiarum Parochialium, Vicariorum, Altaristarum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum Civitatis & Diœcesis Hildesheimens. Et qualiter inter defunctum & successorem dividi debent.

Caput XXIII.

Volumus, ut in morientium Plebanorum, Vicariorum, Altaristarum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum fructibus, subsequens definitio seu decisio, juri communi & æquitati conformis, in omnibus observetur.

De Bladis seu Frumentis.

Caput XXIV.

Annus ad deserviendum blada, incipit in Festo Beatæ Margarethæ: unde declaramus, quod si aliquis decesserit quacunque parte anni, fructus bladorum libere cedentium, debentur defuncto a festo Beatæ Margarethæ, usque in finem tricesimi diei obitus sui, proportionabiliter secundum ratam temporis; reliqua portio hujusmodi bladorum debetur successori defuncti. Si autem defunctus haberet vel habuisset blada per ipsum elaborata, & fecisset omnem laborem agrorum usque ad messem exclusive, tunc duæ tertiæ crementorum debentur defuncto: de reliqua tertia defunctus recipiat partem a festo Margarethæ usque ad finem tricesimi diei obitus sui, secundum ratam temporis; residuum vero habebit successor suus. Itidem si defunctus dictos agros coluisset usque ad sparsionem seminis exclusive, extunc successor satisfaciat defuncto, per ipsum ad culturam agrorum expositis usque in diem obitus sui, & colat ulterius bona ipsa, recipiatque omnes fructus ipsorum bonorum. Et si fortassis successor recusaret labores hujusmodi facere, ex tunc testamentarii ac manufideles defuncti, vel pro ipsis, si defunctus decessit intestatus, Vicarius noster in Spiritualibus, seu Officialis, vel alius quicunque per Vicarium seu Officialem nostrum ad hoc deputatus seu deputandus, colat vel colant bona ipsa usque ad consummationem, colligantque fructus omnes dictorum bonorum pro defuncto, tertia tamen parte dictarum frugum reservata pro defuncti successore.

De Fœno.

Caput XXV.

Annus ad deserviendum fœnum, incipit in die Beati Urbani Papæ, de quo fœno judicabitur sicut de blado, libere cedente proportionabiliter secundum ratam temporis, usque ad diem tricesimum obitus defuncti.

De Fructibus arborum.

Caput XXVI.

Annus ad deserviendum fructus arborum, incipit in die Assumptionis Gloriosæ Virginis Mariæ, de quibus idem judicium erit, sicut de blado, libere cedente proportionabiliter usque in diem tricesimum obitus defuncti.

De Censibus & aliis proventibus.

Caput XXVII.

Annus ad deserviendum census, reditus, ac proventus pecuniales, anseres, pullos, capones, & alia, quæ intra census computantur, incipit a festo B. Martini Episcopi. Hæc omnia veniunt defuncto pro rata temporis, usque in diem tricesimum obitus sui proportionabiliter dividenda: reliqua autem portio debetur successori pro sua rata. Idem etiam judicium erit in omnibus Altaristarum fructibus, sicut de proventibus Ecclesiarum, quoad assignationem ratæ temporis pro defuncto & ejus successore.

De rata solutionis impositionum.

Caput XXVIII.

Volumus etiam, quod si aliqua subsidia sive procurationes imponerentur Clero, anno illo, in quo aliquis Beneficiatus naturæ debitum persolvisset, quo in persolutione talium impositionum, quilibet partim tam defunctus quam successor, solvat ipsas impositiones proportionabiliter, secundum quod recepit de fructibus ipsius anni, unde solvuntur hujusmodi subsidia seu impositiones.

De Regularibus.

Caput XXIX.

Quoniam nonnulli Religiosi contra Deum & suam conscientiam multipliciter

ter excedunt, eorumque Prælati desides & negligentes in observatione regularis disciplinæ, & correctione excessuum existunt, eos per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi requirimus & hortamur, ut personas regulares sibi subjectas ad observantiam regularum suarum, & statutorum regularium diligentius inducant, moneant, & alliciant: & si opus est, strictius compellant, ut de officio sibi commisso dignam Deo possint reddere rationem: quod si ultra prævaricatores ordinis sui fuerint aut contemptores, seu negligentes vel remissi, pro certo se noverint, non solum ab officio deponendos, sed alias secundum regulam suam castigandos, cum offensa non solum propria, verum etiam aliena, ac sanguis subditorum suorum de suis manibus requiratur. Nos etiam eorundem Prælatorum negligentiam, favente Domino, supplebimus, juxta canonicas sanctiones.

Ad idem.

Periculosum nimium fore considerantes, & scandalosum, quod personæ regulares utriusque sexus extra Monasteria sua vagantes, in sæculo moram trahant, nonnullæ etiam ex ipsis, religionis habitu dimisso, apostatare non formidant, excommunicationis sententiam ut sic incurrendo, & suis Superioribus rebellando. Cum itaque periculosum sit talibus sic vagantibus, excommunicatis & apostatis in Divinis participare, volumus, & universis nobis subjectis Ecclesiasticis personis mandamus, ut omnes & singulos, sic in sæculo suis sub districtibus vagantes, & commorantes, cujuscunque ordinis vel conditionis fuerint, moneant & requirant, ut infra mensis spatium a die publicationis & requisitionis hujusmodi ad sua Monasteria redeant, & ut vota sua Deo reddant, suis Superioribus juxta ordinem & regulæ institutionem obediendo, vel saltem infra eundem terminum coram Nobis vel nostro Vicario de indultis, si quæ de contrario habeant, legitime doceant: alioquin contra ipsos per Ecclesiasticæ censuræ pœnas, & prout justum fuerit, procedemus.

Ad idem de Regularibus.

Quamvis contra Monachos & Moniales, de suis claustris propter aliquos enormes excessus, aut animi levitate temere fugientes, & in sæculo per tempora vagantes, & conversantes, & tandem pœnitentia ducti ad claustra sua humiliter redire volentes, certæ & variæ pœnæ juxta qualitatem & quantitatem excedentium a sanctis Patribus sint statutæ: quidam tamen Abbates, & Magistratus pœnis in sacris Canonibus & regula sui ordinis contra tales profugos expressis non contenti, graviores, & quasi importabiles pœnas ipsis in sui reversione imponere non verentur, vel quod deterius est, easdem personas, quantumcunque humiliter postulantes, ad sua claustra, de quibus exiverunt, admittere inhumaniter contradicunt. Cum itaque de jure pœnæ ampliandæ non sint, sed leniendæ, & longe sit securius de misericordia, quam de crudelitate reddere rationem, cum etiam Dominus per os Prophetæ sit pollicitus, dicentis: Peccator quacunque hora conversus fuerit, & ingemuerit, iniquitatum suarum ampliusnon recordabor: Nos advertentes, quod ubi paterfamilias largus dispensator existit, non familiam esse tenacem, ut peccandi materia & occasio talibus præcludatur, provida deliberatione statuimus, & præsenti statuto decernimus & ordinamus, ut Monasteriorum Abbates, & Prælati, Abbatissæ, Præpositi, Priores, & Magistratus cujuscunque ordinis Nobis subjecti, fratribus & sororibus, modo præmisso a suis Monasteriis profugientibus, aut in apostasiam ex quacunque causa lapsis, desiderantibus & quærentibus cum humanitate ac devotione regressum, gremium misericordiæ (quod Mater Ecclesia claudere nulli petenti consuevit, more pii patrisfamilias, qui filium primum prodigum, & postea pœnitentem paterne suscepit) studeant liberaliter aperire, & tales redire volentes, quantumcunque eorum excessus graves fuerint vel enormes, juxta cujuslibet Ordinis disciplinam sive regulam & consuetudinem observatam, sine contradictione recipiant & admittant, ita tamen, quod propter eorum excessus, nec victus nec vestitus eis subtrahatur, sed alias regulariter puniantur, ut præfertur, prout ipsi Prælati, Abbates, Abbatissæ, Præpositi, Priores, & Magistratus sententiam suspensionis a Divinis, quam in contrafacientes, sex dierum canonica monitione præmissa, in his scriptis ferimus, voluerint evitare.

Ad

Ad idem de Monialibus.

Caput XXX.

Sacras Apoſtolicas Conſtitutiones debitæ executioni demandantes, hoc noſtro ſtatuto inhibemus, ut Sanctimoniales, cujuscunque ſint ordinis vel religionis, noſtrarum Civitatis & Diœceſis, quæ in ſuis Monaſteriis ſub perpetua clauſura manere jubentur in Conſtitutionibus Apoſtolicis antedictis, ita quod nulla earum religionem tacite vel expreſſe profeſſa, quacunque ratione vel cauſa, niſi forte tali morbo evidenti aliquam earum laborare conſtaret, quod non poſſet cum aliis absque gravi periculo, vel ſcandalo commorari, Monaſteria ipſa egrediendi ſit facultas, deinceps absque licentia Superiorum ſuorum, quam non niſi ex cauſa expreſſa, vel inevitabili exigente neceſſitate, concedi volumus, Monaſteria ſua non exeant, prout dictarum Conſtitutionum pœnas & ultionem canonicam voluerint evitare: quodque ut ipſæ Sanctimoniales a publicis & mundanis aſpectibus ſeparatæ, Deo liberius ſervire, & laſciviendi opportunitate ſublata, corda ſua & corpora in animi ſanctimonia diligentius cuſtodire valeant; univerſis & ſingulis Eccleſiaſticis & regularibus perſonis, noſtræ jurisdictioni ſubjectis, interdicimus & prohibemus, ne absque rationabili & manifeſta cauſa, & ſine Superioris, ad quem pertinet, licentia ſpeciali, ipſa Monaſteria Sanctimonialium ſubintrent, ſub pœnis ſuſpenſionis in Eccleſiaſticas, & excommunicationis in ſæculares perſonas, prout de jure poterimus, contra ipſos procedemus.

Ad idem.

Item præcipimus, & ſub pœna excommunicationis mandamus, ne etiam ipſi Prælati, Proviſores, aut Præpoſiti Monaſteriorum Monialium, noſtrarum Civitatum & Diœceſis, ipſa Monaſteria ſeu clauſtra quovis modo introeant, niſi magna & evidens neceſſitas id expoſcat. Quæ ſi talis fuerit, nequaquam tamen hujusmodi ingreſſum ſine religione, & ſocio ſibi comite facere præſumant, ſub pœna præmiſſa: & ſi ex juſta & honeſta cauſa cuiquam perſonarum ſui Monaſterii loqui voluerint, hoc in Eccleſia ſub bono teſtimonio faciant manifeſte, ne ſiniſtra contra ipſos ſuſpicio oriatur, alioquin gravi ſubjaceant ultioni.

Ad idem.

Item mandamus ſub pœna excommunicationis ſimiliter, ne Capellani aut Scholares Monaſteriorum Monialium, ſeu illi, qui converſi dicuntur, absque licentia Præpoſitorum, Proviſorum eorundem Monaſteriorum, clauſtra vel clauſuras Monialium, perſonis mundanis prohibitas (*), aut cum Monialibus per feneſtras colloquium habeant. Contrarium facientes, & Præpoſitis, ſeu Proviſoribus Monaſteriorum inobedientes & rebelles in hac parte, prout eorum rebellio vel pertinacia exegerit, Nobis, aut Commiſſario noſtro in hac parte fideliter ſtudeant intimare.

De Magiſtris Scholaſticis.

Caput XXXI.

Quia nonnullis propter inopiam & legendi ſtudium opportunitas proficiendi ſubtrahitur, in Lateranenſi Concilio pia fuit inſtitutione proviſum, ut per unamquamque Cathedralem Eccleſiam Magiſtro, qui Clericos ejusdem Eccleſiæ, aliosque Scholares pauperes gratis inſtrueret, aliquod competens beneficium concederetur, quo & docentis relevaretur neceſſitas, & via pateret diſcentibus ad doctrinam. Verum cum in multis Eccleſiis id minime obſervatur, Nos prædictum roborantes ſtatutum, adjicimus, ut non ſolum in qualibet Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in aliis, quarum ſufficere poterunt facultates, conſtituatur Magiſter idoneus, a Prælato cum Capitulo, ſeu majori ac ſaniori parte Capituli eligendus, qui Clericos Eccleſiarum ipſarum, & aliarum gratis in Grammatices facultate & aliis inſtruat juxta poſſe. Volumus etiam, ut Prælati & Capitula tam Cathedralium, quam Collegiatarum Eccleſiarum, qui Magiſtros hujusmodi aſſumendi, recipiendi, ac conſtituendi habent facultatem, modernis perverſorum dogmatum, & perniciosarum novitatum temporibus, neminem in Magiſtrum recipiant, ſeu aſſumant, niſi de cujus vita, integritate, ſcientia, moribus ac converſatione, plenam & perfectam habeant notitiam, & qui per-

(*) *ſupple:* intrent.

perverſorum dogmatum fermento conſperſus, infectusque non ſit, ne tenera juventus cum lacte venenum imbibat, & ea diſcat, quæ poſtea non ſine magno ſalutis diſcrimine, ac ingenti labore dediſcere vix aut nullatenus poſſit. Cæterum Magiſtros, qui tales reperti fuerint, mox deſtituendos, amovendosque diſtrictiſſime mandamus.

De cuſtodia Euchariſtiæ, & reverentia Sacramentorum.

Caput XXXII.

Ne propter irreverentiam Sacramentorum ira Dei ſæviat in Miniſtros, ſtatuimus, ut Euchariſtia, Chrisma, & Oleum Sanctum ſub diligenti cuſtodia ſerventur. Cum autem Sacerdos Euchariſtiam, vel Oleum infirmorum ad decumbentem deportaverit, videat, quod ſuperpellicio, ſtola, ſeu orario ſit indutus, ſuppoſito mundo velamine, manifeſte & honeſte, lumine ac etiam campanella Euchariſtiæ præcedentibus Sacramentum. Hæc facienti, ac omnibus etiam vere pœnitentibus & confeſſis, qui Sacerdotem, Euchariſtiam, vel Oleum infirmorum, ut ſic deferentem eundo, vel redeundo aſſociaverint, vel ſecuti fuerint, & hoc de die faciunt, decem: ſi vero de nocte cum lumine proprio vel alieno, viginti dierum de injunctis ſibi pœnitentiis, præter indulgentias ab aliis, & authoritate Apoſtolica conceſſas, authoritate noſtra ordinaria miſericorditer in Domino relaxamus. Similiter in miniſtratione Sacramenti Baptiſmatis, ut Sacerdos ſuperpellicio ac ſtola utatur, volumus atque mandamus.

Ad idem de cuſtodia Euchariſtiæ.

Conſiderantes, quod graviter glorioſus Deus propter Sacramentorum irreverentiam offendatur, ideo quanquam circa Sacramentorum cuſtodiam & reverentiam ſufficienter ſancitum dignoſcatur, quia tamen, ut quotidiana edocemur experientia, Sacerdotes, cum digniſſima Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta ad infirmos deportant, incaute cum callopedibus & ſcandaloſe ac turpiter, capite nudo, aut vix Birreto ſuperpoſito, non ornatis capillis, in mundi conſpectum procedant, diſtricte præſenti ſtatuto inviolabiliter duraturo, ſancimus, ut Conſtitutio proxime præinſerta firmiter obſervetur, ac quilibet Presbyter ſic infirmos Euchariſtiæ & extremæ Unctionis Sacramentis accedens, absque callopedibus & capite almutio (ſi ſaltem tali in loco almutia ſolita ſint portari) tecto, alioquin caputio Clericali per collum tracto, ut ſola facies nuda appareat, devote ac religioſe præcedentibus lumine & campanella, juxta ejusdem Conſtitutionis tenorem incedat, indulgentias inibi expreſſas, Chriſti fidelibus in Domino elargientes. Si qui vero Conſtitutionem noſtram ſervare contempſerint, ſe ultionem noſtram gravem non evaſuros agnoſcant.

De Baptiſmo, ex Concilio Provinciali Fritzlarienſi.

Caput XXXIII.

Baptiſmus cum ſumma reverentia celebretur, maxime in diſtinctione & prolatione verborum, in quibus Sacramenti virtus conſiſtit, his ſcilicet verbis: *Ego Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Doceant etiam Sacerdotes, tam mares, quam fœminas, in neceſſitate parvulos baptizare, eadem forma in ſuo idiomate, & quod patres & matres proprios infantes, ſi ſumma neceſſitas exigat, poterunt baptizare: & ſi Sacerdotes ſuper hoc diligentius requirentes, debitam formam ſervatam in Baptiſmate invenerint, quod factum eſt, approbent, ſupplentes circa Baptizatum quoad unctionem olei in pectore & in ſcapulis, & Chriſmatis in vertice, quod a laicis eſt omiſſum. Si autem in Baptiſmate debitam formam non invenerint obſervatam, non differant pueros iterum baptizare.

De Eccleſiarum Procuratoribus.

Caput XXXIV.

Quorundam fide dignorum didicimus relatione, quod plurimarum Eccleſiarum noſtræ Diœceſis Procuratores laici duntaxat conſtituantur, qui ad eorum nutum cum pecuniis & rebus earundem Eccleſiarum absque Plebanorum ſcitu & conſenſu propria commoda quærant, ac mercationes & contractus interdum vitioſos cum illis exerceant, & eas ad alios privatos uſus convertere non formident, nec de per eos perceptis collectis, imbur-

bursatis & gestis in præsentia Plebanorum, quorum tanquam Procuratorum principalium interest, rationem reddere studeant; fabricas Ecclesiarum hujusmodi, & eorum animas miserabiliter defraudando, quod profecto periculosum fore arbitramur. Quamobrem Ecclesiarum indemnitati, & subjectorum saluti providere cupientes, præsenti Constitutione ordinamus, ut deinceps cujuslibet Ecclesiæ nostræ Diœcesis Rector sive Plebanus tanquam principalis, & cum eo ad minus duo laici hujusmodi procurationis officia, citra eorum privata commoda fideliter cum scitu & consensu Plebani exerceant, ac utilitatem Ecclesiæ promoveant, rationem de singulis per eos levatis, collectis, distributis, actis & factis, in præsentia ipsius Rectoris sive Plebani, tanquam principalis Procuratoris coram his, qui ad hoc sunt Deputati, temporibus consuetis faciendo, prout de hoc in extremo Judicio respondere velint. Qui autem hujusmodi nostri statuti rebelles fuerint reperti, per eorum Plebanos & Pastores monitione prævia excommunicari possint & debeant, ad quod eisdem Plebanis præsentis statuti vigore liberam damus facultatem.

De celebratione Missarum & Horarum Canonicarum persolutione, & de Concionatoribus, ex Concilio Provinciali Moguntino.

Caput XXXV.

Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, statuimus, inhibentes sub excommunicationis pœna, quam in omnes transgressores hujus sacri approbatione Concilii decernimus ferendam, ut nullus Sacerdotum novitiorum. illa die, qua celebrare intendit primam Missam, in exordium publicationis sui sacratissimi officii, oblaturus Deo primitias gratiæ ac salutis sibi collatæ, aliquos ad convivium invitare, aut invitatos habere aut procurare, per se vel per alium quoquo modo præsumat, sed ad solum Deum, cujus militiæ est adscriptus, dirigat aciem sui cordis, maxime die illa devotus, & curis ac sollicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum distrahuntur, exutus, remotus a vanitatibus, histrionum cursibus, tumultibus & insolentiis reproborum, qui etiam sæpe venire solent non vocati. Si qui autem post vel ante (octo dierum spatio seu plurium intermedio) amicorum honestam vocationem habere velint, absque histrionum cursibus, fieri non vetamus.

Quomodo Divinum Officium sit celebrandum.

Caput XXXVI.

Sancta Generalis Synodus Basileensis, reformationi status Clericalis intendens, etiam inter alia de celebrando Divino officio, & horis Canonicis rite persolvendis, ac nonnullis aliis circa cultum Divinum necessariis, certas ordinationes fecit tenoris infrascripti: Si quis Principem sæculi rogaturus, habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincta, attenta quoque mente, seipsum ac verba studet componere: quanto diligentius in sacro loco Omnipotentem oraturus Deum, hæc omnino facere curare debet? Statuit igitur Sancta Synodus, ut in cunctis Cathedralibus ac Collegiatis Ecclesiis horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis, laudes Divinæ per singulas horas non cursim ac festinanter, sed tractim & cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi Psalmorum, debitam faciendo inter solenne ac feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus persolvantur. Horas Canonicas dicturi cum tunica talari ac superpelliciis mundis, ultra medias tibias longis, vel cappis, juxta temporum ac regionum diversitatem, Ecclesias ingrediantur, non caputia, sed almutias, vel birreta tenentes in capite. Qui cum in Choro fuerint, gravitatem servent, quam & locus & officium exigunt, non insimul aut cum aliis confabulantes, seu colloquentes, aut literas, seu scripturas alias legentes: & cum psallendi gratia ibidem conveniant, muta ac clausa labia tenere non debent; sed omnes, præsertim, qui majori funguntur honore, in Psalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat in principio* &c. omnes consurgant. Cum nominatur gloriosum illud nomen JESUS, in quo omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, omnes caput incli-

inclinent. Nemo ibidem, dum horæ in communi publice cantantur, legat vel dicat privatim officium: nam non solum obsequium, quo obnoxius est Choro, subtrahit, sed alios psallentes perturbat. Super his debite observandis, aliisque ad Divini officii prosecutionem, ac Chori disciplinam spectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet, hinc inde, ne quid inordinate fiat, circumspiciens. Horum autem transgressores, illius horæ, in qua circa prædicta excesserint, vel alia majori, prout transgressionis gravitas exigit, plectentur pœna; laudabilibus tamen consuetudinibus, statutis, ac observantiis specialibus Ecclesiarum singularum salvis.

Quo tempore quisque debeat esse in Choro.

Caput XXXVII.

Qui in Matutinis ante finem Psalmi: *Venite exultemus*, in aliis horis ante finem primi Psalmi: in Missa ante ultimum *Kyrie eleyson* usque in finem Divino officio non interfuerit (nisi forte necessitate cogente, ac petita & obtenta a Præsidente Chori licentia, discedere oporteat) pro illa hora absens censeatur; salvis Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ forte circa hoc arctiores existant. Idem in his observetur, qui a principio usque in finem in processionibus non permanserint; pro cujus executione deputetur aliquis, onus habens notandi personas singulas, statuto tempore non convenientes, juramento adstrictus agere fideliter, & nulli parcere. Jubet etiam hæc sancta Synodus, quod in illis Ecclesiis, in quibus singulis horis certæ distributiones statutæ non sunt, omnino etiam de grossis fructibus (si opus sit) deputentur, ut juxta mensuram laboris, plus minusve quisque capiat emolumenti; tollens prorsus abusum illum, quo in una duntaxat hora præsens totius diei distributiones usurpat; & illum, quo Præpositi, vel Decani, aut alii Officiales ex hoc solum, quod Officiales sunt, licet actualiter pro utilitate Ecclesiæ non absint, quotidianas distributiones percipiunt.

Qualiter Horæ Canonicæ extra Chorum dicendæ sint.

Caput XXXVIII.

Quoscunque etiam alibi Beneficiatos, seu in Sacris constitutos, cum ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc sancta Synodus, si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture, vel inter dentes, seu deglutiendo aut syncopando dictiones, nec colloquia vel risus intermiscendo, sed sive soli, sive associati, diurnum nocturnumque officium reverenter, verbisque distinctis peragant, ac tali in loco, unde a devotione non retrahantur, ad quam se disponere & præparare debent, juxta id, quod scriptum est: Ante orationem præpara animam tuam, ne sis, quasi qui tentat Deum.

De his, qui tempore Divinorum vagantur per Ecclesiam.

Caput XXXIX.

Quicunque in Ecclesia Beneficiatus, præsertim de majoribus, Divinorum tempore per Ecclesiam, vel foris circa ipsam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari visus fuerit, non solum illius horæ, sed totius diei præsentiam ipso facto amittat. Qui si semel correctus non destiterit, per mensem distributionibus careat, vel graviori (si pertinacia exegerit) pœnæ subjaceat, ita ut tandem desistere cogatur. Prohibeatur etiam, ne Divina officia tumultuosi quorumcunque per Ecclesiam discursus impediant, aut perturbent. Regulares, qui in conventualibus Ecclesiis circa prædicta excesserint, graviter Superioris arbitrio castigentur.

De Tabula pendente in Choro.

Caput XL.

Ut cuncta in Domo Dei ordinate procedant, & quilibet sciat, quid sibi agendum imminet, statuatur tabella aliqua, continue pendens in Choro, in qua quid per unumquemque ex Canonicis, vel aliis Beneficiatis in singulis horis per hebdomadam, aut majus tempus legendum, cantandumve sit, scribatur. Qui autem, secundum quod ibi descriptum fuerit, facere per se, vel alium neglexerit, pro qualibet hora distributiones unius diei amittat.

De

De tenentibus Capitula tempore Missæ.

Caput XLI.

Prohibet hæc Sancta Synodus, ut tempore Missæ majoris, præsertim solennibus diebus, Capitula, seu actus Capitulares, aut alii tractatus per Canonicos non celebrentur, nisi forte urgens & evidens ingrueret necessitas. Qui vero ad talem horam Capitulum indixerit, a distributionibus quotidianis per hebdomadam sit suspensus, neque ipsi Canonici pro illa hora distributiones ipsas lucrentur.

Experientia docti novimus, quod quidam verbum Dei in Ecclesiis nostrarum Civitatis & Diœcesis seminantes, religiosi & sæculares Presbyteri, interdum rancore moti, contra se invicem prædicare non verentur, in populi scandalum, & exemplum perniciosum: Nos considerantes, quod sicut ex indiscreto silentio sæpius error post se relinquitur, ita & incauta locutio sæpius errorem inducit, idcirco præsenti statuto inhibemus, ne quis Prædicantium in Monasteriis & Ecclesiis nostrarum Civitatis & Diœcesis, sive religiosus, sive sæcularis existat, de cætero contra alium quidquam in cancellis prædicet; sed si errorem, hæresim, vel quid aliud aliquis ex ipsis prædicaverit, id Nobis, vel nostro Vicario in Spiritualibus referatur; ne ex hujusmodi contentione publica scandala in populo, & pericula consurgant animarum: secus facientes pœnam gravem & condignam non evadent.

De Sponsalibus & Matrimoniis.

Caput XLII.

Quamvis in Generali Concilio Innocentius Papa tertius sufficienter statuerit, ne quis Sacerdos clandestinis Matrimoniis intersit, inhibens nihilominus, ne talia clandestina Matrimonia contrahantur: cum tamen, quod dolenter referimus, prædicta clandestina Matrimonia sæpius contrahantur, per quæ grandia scandala, & animarum pericula non modica insurgunt; prohibemus, de cætero clandestina Matrimonia contrahi, juxta Constitutionem in Concilio Generali editam, quæ habetur in *C. fin. de clandestina Desponsatione* infra scriptam, quam in omnibus Parochialibus Ecclesiis præcipimus singulis annis per Plebanum, & curam animarum habentem, quater publicari: ne autem Constitutio prædicta cuiquam sit incognita, eam etiam de verbo ad verbum hic inseri volumus, cujus tenor sequitur, & est talis:

Cum inhibitio copulæ conjugalis sit in ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis volumus districte observari. Unde Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina Matrimonia inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuimus, ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito: ut intra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat; & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. Si quis vero hujusmodi clandestina, vel interdicta conjugia inire præsumpserit, in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta, prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium: cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserunt. Sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed & his, qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu concesso, pœnitentia condigna injungatur. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitiose impedimentum objecerit, canonicam non effugiet ultionem.

Hac Constitutione prohibemus, ne quis Plebanorum, seu Curatorum Civitatis & Diœcesis Hildesheimen. de cætero clan-

clandeſtinis Matrimoniis interſit: quod ſi ſecus fecerit, ultra pœnas Canonis prædictas, condigne mulctetur. Si autem aliqui ex ſubditis Matrimonium clandeſtinum contraxerint; mox poſtquam hoc ſciverit, eos moneat, ut Matrimonium per eos contractum, in facie Eccleſiæ infra proximum menſem ſolemnizent, qui etiam infra tempus & ſpatium menſis eis præfigendum, Matrimonium hujusmodi in facie Eccleſiæ ſolemnizare, legitimo ceſſante impedimento, teneantur. Et ſi id facere contempſerint, ſeu eorum Curatus, ut præfertur, ipſos monere non curaverit, tam Curatus, quam contrahentes juxta dictam Conſtitutionem, & alias canonice puniantur.

De Judæis.

Caput XLIII.

Ne Judæi de cætero in Civitate & Diœceſi noſtris, nutrices, ſeu ſervientes habeant Chriſtianas, diſtrictius inhibemus; quia indignum eſt, quod filii liberi filiis famulentur ancillæ: omnibus ipſorum ſervientibus ac nutricibus præcipientes, ut a ſervitiis eorum infra proximum menſem, a publicatione præſentium, recedant; quos etiam Judæi libere dimittere teneantur, & transgreſſores hujus ſtatuti condigna animadverſione puniantur.

Ad idem.

Quoniam dudum in Generalibus Conciliis, & in Sacra Provinciali Synodo Moguntina, noviſſime celebrata, inter cætera de Judæis, & Crucis Chriſti inimicis, ſub ceſſatione Divinorum & pœna ſubtractionis Communionis, ſtatutum & mandatum reperitur: quod etiam nuper in Conventu Imperiali Auguſten. per Piiſſimum & Invictiſſimum Dominum, Dominum Carolum quintum, Romanorum Imperatorem, in reformatione ſua Imperiali, ibidem facta, ſimiliter repetitum, ac de novo eſt ordinatum & diſpoſitum, quod Judæi ſigna deferre debeant, per quæ a Chriſtianis diſtingui, & diſcerni videantur; declarando, & adjiciendo tale ſignum eſſe debere, circulum videlicet de filis croceis in veſte extrinſeca ante pectus quoad mares ac maſculos; & duas rigas blavei coloris in peplis mulierum quoad fœminas. Cum autem parum proſit ſtatuta condere, & eorum executionem negligere; idcirco Conſtitutione præſenti præcipimus diſtricte univerſis Judæis, per civitatem & Diœceſim noſtras habitantibus, ſub pœna quinquaginta florenorum Rhenenſium, mandantes, quatenus hujusmodi ſigna extrinſeca juxta declarationem Cæſareæ & Catholicæ Majeſtatis prædictam deferant conformiter; & ad hoc per poteſtatem ſæcularem, & Officiales, ac Regentes compellantur: alioquin contra ſecus facientes Officiales & Regentes ad ſubtractionem Sacramenti Euchariſtiæ, & nihilominus etiam contra Judæos ad excluſionem communionis fidelium, & alias pœnas, prout de jure, procedatur.

De Adulteris.

Caput XLIV.

Quædam perſonæ, relicto legitimo thoro, non verentur una domo in adulterinis amplexibus manifeſte cohabitare, in ſcandalum plurimorum: quorum ſaluti providere volentes, omnibus Rectoribus, Plebanis, & Curatis noſtrarum civitatis & Diœceſis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus omnes & ſingulos, qui in adulterinis amplexibus inſimul reſidere non verentur, admoneant, requirant, & exhortentur, ut infra quindecim dies ab invicem diſcedant; & ſi mandato hujusmodi obedire contempſerint, & poſt dictos quindecim dies (quod abſit) inſimul cohabitaverint, tales in eorum vita ab Eccleſiaſticis excludantur Sacramentis, & poſt mortem, niſi pœnitentiam egerint de commiſſis, Eccleſiaſtica careant ſepultura; & nihilominus ad Nos, vel Vicarium noſtrum pro abſolutionis beneficio conſequendo remittantur: ipſi vero Rectores, Plebani & Curati, qui eos monere omiſerint, a Nobis, vel Vicario noſtro canonicam exſpectare ſe non dubitent ultionem: quibus etiam ſub ſimili comminatione diſtrictius injungimus, ut eorundem rebellium nomina infra alios quindecim dies Nobis, vel Vicario noſtro denuntient, ut contra eosdem ad ulteriora procedere valeamus.

De

De Raptoribus.

Caput XLV.

Spoliatores ſtratarum, ac raptores alios, qui tranſeuntes per vias & ſtratas publicas, viduas, pupillos, vel perſonas alias præſertim Eccleſiaſticas, eorum bonis ſpoliant, propter eorum violentias, quæ perturbationem deſiderandæ pacis inducunt, tali volumus noſtro ferienti correctionis gladio pœna mulctari, ut tam ipſi, quam receptantes eos, & ſcienter dantes eis auxilium vel favorem, ipſo facto ſint anathematis vinculo innodati. Hoc quidem ſtatutum volumus anno quolibet in ſingulis quatuor Feſtivitatibus principalibus, ſi ſermo eodem die fiet, alioquin die ſequenti proximo, dum ſermo fuerit, in quibuslibet Eccleſiis civitatis & Diœceſis noſtrarum in cancellis publicari.

De Uſuris.

Caput XLVI.

Uſurarios actus Divina & humana lege ſatis novimus exprobratos, & contra exercentes uſuras noviſſima Conſtitutio Concilii Lugdunenſ. pœnas ſtatuit exquiſitas. Sed quia, quæſito fœnerandi colore, nonnulli ſub titulo venditionis exercent uſuras, qui pecunias mutuant datis induciis, ut ſtatuto die recipiant fruges forte in duplo valore, quas deinde ampliori pecunia vendant; quidam etiam emendo rem pro certa quantitate venditori dimiſſam, ſtatuto termino pro adaucto numero uſurarum quantitate revendunt. His fraudibus obviando prohibemus, ne quis uſurarium abſolvat publicum, vel ad Eccleſiaſticam recipiat ſepulturam, niſi cautione præſtita de univerſis reſtituendis, juxta Conſtitutionem Apoſtolicam, in Concilio Lugdunenſ. factam, quæ habetur de uſuris libro ſexto, quæ incipit: *Quanquam* &c. quam in omnibus Parochialibus Eccleſiis præcipimus ſingulis annis per Regentem curam animarum, ſemel videlicet in Dominica Quadrageſimæ, qua canitur *Judica* &c. ſolenniter publicari. Ne autem Conſtitutio prædicta cuiquam ſit incognita, illam volumus hic de verbo ad verbum inſeri:

Quanquam uſurarii manifeſti de uſuris, quas receperant, ſatisfieri expreſſa quantitate vel indiſtincte in ultima voluntate mandaverint: nihilominus tamen Eccleſiaſtica denegetur ſepultura, niſi de uſuris ipſis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie ſatisfactum, vel illis, quibus eſt facienda reſtitutio, ſi præſto ſint ipſi, aut aliis, qui poſſint eis acquirere, vel eis abſentibus loci Ordinario, aut ejus vices gerenti, ſive Rectori Parochiæ, in qua teſtator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipſa Parochia (quibus quidem Ordinario, Vicario, aut Rectori prædicto modo cautionem hujusmodi, eorum nomine, liceat præſentis Conſtitutionis authoritate recipere, ita quod illis perinde actio acquiratur) aut ſervo publico de ipſius Ordinarii mandato idonee de reſtitutione facienda ſit cautum. Cæterum ſi receptarum uſurarum ſit quantitas manifeſta, illam ſemper in cautione prædicta exprimi volumus: alioquin aliam recipiens (*) cautionem hujusmodi arbitrio moderandam, ipſe tamen ſcienter non minorem, quam veriſimiliter creditur, moderetur, & ſi ſecus fecerit, ad ſatisfactionem reſidui teneatur. Omnes autem religioſos, & alios, qui manifeſtos uſurarios contra præſentis ſanctionis formam ad Eccleſiaſticam auſi fuerint admittere ſepulturam, pœnæ Lateranenſ. Concilii, contra uſurarios promulgatæ, ſtatuimus ſubjacere. Nullus manifeſtorum uſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat; niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent (ut præmittitur) idoneam cautionem. Teſtamenta quoque manifeſtorum uſurariorum aliter facta non valeant, ſed ſint irrita ipſo jure.

De Pœnis, & occaſione Interdicti.

Caput XLVII.

Sacri Provincialis Concilii ordinationi inhærendo, hac Conſtitutione perpetuo valitura (ordinatione Reverendiſſimi Domini Cardinalis Campegii Legati in ſua reformatione præinſerta poſita pro præſenti rerum ſtatu ſalva) ſancimus, ut ſi antea aliqua Eccleſiaſtica, vel ſæcularis perſona, cujuscunque Dignitatis, ſtatus,

(*) al. *recipientis.*

ſtatus, vel conditionis exiſtat, inſtigante diabolo infra civitatem & Diœceſim noſtras Clericum, aut pro Clerico ſe gerentem interfecerit, aut mutilaverit, aut ſine licentia Superioris ipſius Clerici captivaverit, aut detinuerit, eo ipſo in terris, Eccleſiis, Parochiis totius Archipresbyteratus, in quo hujusmodi delictum commiſſum, aut Clericus hujusmodi captus fuerit; non ſolum in illo Archipresbyteratu, ſed etiam in quibuscunque aliis Archipresbyteratibus, in quibus quempiam talium detineri conſtiterit, & in omnibus locis, in quibus interfector, ſeu mutilator, aut captor, ſeu ejus complices, & ipſi conſilium, auxilium & juvamen præſtantes domicilium aut dominium obtinentes, & ſive de facto, ſive de jure jurisdictionem obtinuerint, vel moram traxerint, & ad quod devenerint, & quamdiu in eisdem fuerint, & poſt cujuslibet ipſorum abinde receſſum, ad tres dies continuos ipſo facto ceſſetur a Divinis, & ſervetur ſtrictiſſime Eccleſiaſticum Interdictum tam diu, & quousque læſo, Nobis, & Eccleſiæ fuerit de tanto flagitio ſatisfactum, aut interdictum hujusmodi alias fuerit legitime relaxatum: tales etiam injuriatores tanquam excommunicati eo ipſo a ſingulis arctius evitentur, donec abſolutionis beneficium meruerint legitime obtinere. Ne autem hi, juxta præmiſſa, interdictum ſervare debentes, ſe valeant per ignorantiam quomodolibet excuſare, præcipimus, ut Rectores, ſeu Plebani Eccleſiarum Parochialium, in quorum Parochiis facinora prædicta commiſſa fuerint, ſtatim & infra unius diei ſpatium Archipresbytero, ſi præſens in Archipresbyteratu fuerit, alioquin Camerario, & ſi Camerarius etiam abeſſet, viciniori Presbytero Curato illius Archipresbyteratus præſenti rem geſtam referant, qui Archipresbyter, ſeu Camerarius, aut vicinior Confrater Curatus omnibus cæteris Confratribus Archipresbyteratus hujusmodi, & etiam Religioſis, in eo commorantibus, infra biduum proximum hoc idem facinus manifeſtet, ac interdictum per eos, & in toto Archipresbyteratu ſevandum fore notificet: quibus ſuper his fidem plenam, ſicut noſtris literis, volumus adhiberi. Si quis vero Rectorum ſeu Plebanorum Eccleſiarum Parochialium, aut Archipresbyterorum, vel Camerariorum hoc noſtrum præceptum adimplere contempſerit, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrat, a qua non poſſit, niſi congrua ſatisfactione prævia, liberari; per præmiſſa Conſtitutionibus legalibus, & Provincialibus, contra ſacrilegos prædictos editis, & aliis, quæ de ipſorum pœnis tractant, non intendimus derogare, ſed potius eas in ſuo robore volumus permanere.

Ex eadem Generali Synodo Baſileenſi.

Inſuper eadem Sacroſancta Synodus Baſileenſis ad vitandum ſcandala, & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, ſtatuit, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque, in judiciis vel extra, cujuscunque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, aut ſuſpenſionis, vel prohibitionis ab homine vel a jure generaliter promulgatæ, occaſione teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut Eccleſiaſticum interdictum obſervare, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura Eccleſiaſtica hujusmodi fuerit vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum, aut certam a Judice publicata vel denuntiata ſpecialiter & expresſe; aut ſi aliquem ita notorie excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo juris ſuffragio excuſari. Nam a communione illius abſtineri vult juxta Canonicas Sanctiones, per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos, ſeu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.

Ad idem ex eadem Generali Synodo.

Quoniam ex indiſcreta Interdictorum promulgatione, multa conſueverunt ſcandala evenire, ſtatuit hæc ſancta Synodus, quod nulla civitas, oppidum, caſtrum, villa aut locus Eccleſiaſtico poſſit ſupponi interdicto, niſi ex cauſa, ſeu culpa ipſorum locorum, aut Domini ſeu Rectoris, vel Officialium. Propter culpam

culpam vero, ſeu cauſam alterius cujuscunque privatæ perſonæ, hujusmodi loca interdici nequaquam poſſint authoritate quacunque ordinaria vel delegata, niſi talis perſona fuerit prius excommunicata, aut denuntiata, ſive in Eccleſia publicata; ac Domini, ſeu Rectores, vel Officiales ipſorum locorum, authoritate Judicis requiſiti, hujusmodi perſonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint: qua etiam poſt biduum ejecta, recedente, vel ſatisfaciente, mox Divina reſumi poſſint; quod etiam in pendentibus locum ipſa Synodus vult habere. Per hanc tamen Conſtitutionem non volumus eſſe ſublatam Conſtitutionem noſtram præmiſſam, quæ incipit: *Sacri Provincialis.* (*)

De Pœnitentiis, & Remiſſionibus.

Caput XLVIII.

Tametſi juxta Ordinationem, & Conſtitutionem Sanctæ Matris Eccleſiæ in Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio tertio celebrato, editam & factam, quæ habetur ſub titulo: De Pœnitentiis & remiſſionibus in antiquis, quilibet doli capax teneatur ſaltem ſemel in anno confiteri proprio Sacerdoti, vel de ejus licentia alteri, & Euchariſtiæ Sacramentum ad minus in Paſcha recipere; Certificati tamen ſumus, quod certe dolenter referimus, quod nonnulli civitatis & Diœceſis noſtrarum incolæ & inhabitatores, his turbatiſſimis pernicioſorum dogmatum, & novitatum temporibus, etiam pluribus annis non ſint confeſſi, nec ſacrum Euchariſtiæ receperint Sacramentum. Itaque pro Paſtoralis officii noſtri debito, ut tales, circa propriam ſalutem deſides, ad meliorem vitam omni ſtudio & ſolertia reducantur, diſtricte præcipimus, & mandamus, dictam Lateranenſis Concilii Conſtitutionem in omnibus Parochialibus Eccleſiis annis ſingulis per Eccleſiarum Parochialium Rectores, & curam animarum habentes, bis in Quadrageſima, ſemel in Dominica *Invocavit*, & iterum in Dominica, qua canitur *Lætare*, publice & ſolenniter publicari. Et ne Conſtitutio hujusmodi cuipiam ſit incognita, illam præſentibus de verbo ad verbum inſerendam curavimus:

Omnis utriusque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum; niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipſe ullum non poſſit abſolvere, & ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujusmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud absque ulla expreſſione perſonæ caute requirat. Quoniam qui peccatum, in pœnitentiali judicio ſibi detectum, præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.

Quia nonnulli Religioſi, terminis ſuis non contenti, in proditionem animarum in caſibus Sedi Apoſtolicæ, & Nobis reſervatis, in civitate & Diœceſi noſtris ſubditos noſtros abſolvere præſumunt, licet de hoc nullam receperint poteſtatem: præſenti Decreto inhibemus, ne deinceps nudo verbo ipſorum Religioſorum aſſerentium, ſe talem habere poteſtatem, niſi alias de poteſtate hujusmodi fecerint fidem legitimis documen-

(*) *In Exordio hujus Cap. XLVII.*

cumentis, credatur; declarantes absolutiones eorum, in casibus prædictis factas, nullas esse, nisi hoc specifice a Sede Apostolica, seu a Nobis eis sit concessum.

Ad idem.

Insuper omnibus Presbyteris curatis, & non curatis nostrarum Civitatis & Diœcesis inhibemus, ne de casibus Episcopalibus, Nobis reservatis, quos duximus inferius annectendos, nisi quatenus juxta tenorem præinsertæ reformationis Reverendissimi Domini Cardinalis Campegii, de latere Legati, hoc ipsis conceditur, seu permittitur, se intromittere audeant; sed ad Nos, seu Vicarium nostrum, omnes infra scripti remittantur: decernentes, absolutionem, per eos absque speciali concessione nostra, seu Vicarii nostri in casibus hujusmodi, præterquam in mortis articulo factam, viribus penitus carere.

De Sententia Excommunicationis.

Caput XLIX.

Quoniam Excommunicati absolutos se esse nonnunquam mentiuntur, ex quorum communione pericula eveniunt animarum; præsenti Constitutione inhibemus, ne de cætero quisque Sacerdos curatus, Nobis subjectus, quamcunque personam ejus Parochiæ, quam semel per nostras, vel Vicarii, seu Officialis nostri literas excommunicatorias sigillatas excommunicatam denuntiavit, aut contra quam tales literas vidit & recepit, ultra ad Divina scienter admittat, vel coram eo celebret, aut absolutam credat vel teneat, nisi absolutionem suam literatorie & sigillatam illius sigillo, qui eam excommunicavit, sibi prius ostendat. Transgressores autem, ultra pœnam juris, quam incurrunt, pœnam condignam non evadent.

Quamvis contra absentes, ad Synodum vocatos, ad pœnas juris procedere, id eorum contumacia exigente, possemus; ex causis tamen certis Nos moventibus mitius agentes, sub spe, quod in futurum, nostra benignitate attenta, reddantur obedientes, pœnarum hujusmodi effectum duximus suspendendum, & suspendimus per præsentes. Præterea ne Clerus noster censuris, & sententiis Ecclesiasticis, authoritate ordinaria propter statutorum transgressionem, & non observationem, a Nobis, & Prædecessoribus nostris latis, dummodo a jure latæ non sint, involvatur, illas tollimus in his scriptis, easdem in arbitrarias pœnas, per nostrum Vicarium in transgressores infligendas, (*) committentes, citra tamen pœnarum juris sublationem, quibus per hoc nolumus derogare.

Casus Episcopis specialiter reservati sunt infra scripti.

Caput L.

Rebaptizatus, reconfirmatus, vel reordinatus.

Item qui Matrimonium post Sponsalia jurata, cum alia, quam sponsa, contraxerit.

Item ille, qui virginem defloraverit, oppresserit, & rapuerit.

Item opprimens propriam prolem.

Item in se sterilitatem, vel abortum quomodolibet procurans.

Item homicidium facto, præcepto, consilio, consensu, authoritate propria, vel authoritativa exhortatione, vel quovis alio modo committens.

Item incestum in tertio, aut proximiori gradu consanguinitatis, aut affinitatis committens.

Item voti Transgressores.

Item Simoniacus.

Item Usurarius.

Item Raptor.

Item Sacrilegus.

Item incendiarius.

Item latro.

Item Ecclesiam consecratam sanguinis, vel seminis effusione polluens.

Item quilibet Ecclesiæ, vel cœmiterii, aut immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ violator.

Item quilibet excommunicatus a Canone vel Constitutione.

Item Sacerdos proditor confessionis.

Item celebrans in Ecclesia interdicta, vel altari non consecrato, aut mobili sine licen-

(*) *forte*: commutantes.

licentia, vel fine indumentis, aut non jejunus.

Item non ordinatus celebrans, vel miniftrans.

Item Sacerdos, cujus negligentia, vel culpa aliquid inhoneftum, vel aliquod fcandalum circa Sacramenta evenit.

Item quilibet dejerans, feu veniens contra fuum juramentum.

Item falfarius literarum, & monetæ.

Item quilibet manus violentas injiciens in patrem, & matrem fuam.

Item quilibet conjugatus, contrahens Matrimonium, vivente uxore, cum fecunda, vel intrans religionem, vel recipiens facrum Ordinem, conjuge invita, & econtra.

Item conjunx, qui vel quæ in mortem conjugis effectualiter machinatus, vel machinata fuerit.

Item fcienter coiens cum infideli.

Item promotus per alium, quam per proprium Epifcopum fine licentia.

Item furtive, feu per faltum, vel extra ftatuta tempora promotus.

Item excommunicatus, vel fufpenfus, aut interdictus, in ordine fuo miniftrans, vel qui taliter ligatus aliquem ordinem fufcepit.

Item fcienter fepeliens corpus excommunicati in Cœmeterio, vel etiam non excommunicati tempore Interdicti.

Item abutens quomodolibet Sacramentis Ecclefiæ, utpote Hoftia, Chrismate, vel alia re facra.

Item omnis adulter, & adultera, faltem publicus & publica.

Item quilibet fcienter extra cafum neceffitatis baptizans propriam prolem, vel illam tenens in Baptismo, aut confirmatione.

Item omnis hæreticus, aut fautor, participatorve hæreticæ pravitatis.

Item committens Sodomiticum crimen, aut cum brutis commiffum.

Item quilibet cum Sanctimonialibus coiens.

Item omnes clandeftine contrahentes Sponfalia, nifi infra tempus ftatuti fuprapofiti illa folennizaverint.

Poftremo ad finiftræ fufpicionis tollendum ambiguum, inhibemus, ne quis Sacerdos, vel Religiofus de cætero confeffiones mulierum audiat alibi, quam in loco publico, ubi videri poffit.

Lecta & publicata fuerunt hæc Statuta Synodalia Reverendiffimi Principis & Domini, Domini Valentini Epifcopi Hildesheimenf. in Synodo Epifcopali, per ipfum perfonaliter in Civitate & Ecclefia Hildesheimenf. celebrata, die Lunæ poft Dominicam Lætare, quæ fuit 17. *menfis Martii, Anno a Nativitate Domini* 1539.

Ex Tomo III. Conciliorum Editionis Quentelianæ Colon. A. 1551.

CONGREGATIO TOTIUS CLERI CIVITATIS COLONIENSIS,

Ejusdemque Proteftatio, & ad Summum Pontificem Paulum III. ac Imperatorem Carolum V. Provocatio folennis, adverfus Hermannum V. Archi-Epifcopum Colonienfem, quod contra ultimæ Provincialis Synodi fub ipfo celebratæ Decreta, fub reformationis prætextu, Lutherana dogmata per Bucerum, aliosque Sectarios, in Diœcefin inducere moliretur. (*)

Anno Chrifti MDXLIV. Pauli III. PP. X. Caroli V. Imp. XXIV.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

NOverint univerfi, præfentes literas infpecturi, quod anno a Nativitate ejusdem DEI & Domini noftri JESU CHRISTI Millefimo, quingentefimo,

[*] De Hermanni V. Apoftafia dixi fupra pag. 236.

ſimo, quadrageſimo quarto, Indictione tertia, ſecundum uſum, ſtilum, & conſuetudinem ſcribendi, in Civitate & Diœceſi Colonienſi, die quidem Jovis, nona menſis Octobris, hora ſecunda, vel circiter, poſt meridiem: Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini noſtri PAULI, Divina Providentia Papæ Tertii, anno ejus decimo: Imperii autem Sacratiſſimi & Invictiſſimi Principis & Domini, Domini CAROLI, hujus nominis Quinti Romanorum Imperatoris, ſemper Auguſti, ac Hiſpaniarum Regis Catholici, &c. Domini noſtri Clementiſſimi, anno XXIV. coram Reverendo in Chriſto Patre, & Illuſtriſſimo Principe ac Domino, Georgio, ex Ducibus Brunswicenſibus, & Luneburgenſibus, Metropolitanæ Eccleſiæ Præpoſito & Archi-Diacono, atque Almæ Univerſitatis Generalis Studii Colonienſis Summo Cancellario, tanquam perſona ſublimi, & Eccleſiaſtica dignitate inſignita: Inque Reverendorum & Illuſtrium, Venerabilium, Egregiorum, Honorabilium, & Religioſorum Dominorum, Subdecani, Chori-Epiſcopi, & Scholaſtici, Prælatorum, & Capituli ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ, Capitulariter, ut moris eſt, convocatorum & congregatorum, ſolo Decano ex Prælatis in præſentiarum abſente, & in longinquis agente: Ad hæc in Reverendorum Patrum Monaſterii Sancti Panthaleonis, & Sancti Martini, Abbatum, Decanorum quoque, & aliorum Deputatorum Eccleſiarum Collegiatarum, Monaſteriorum, & piorum locorum infra ſcriptorum, videlicet Sanctorum Gereonis, Severini, Cuniberti, Andreæ, Apoſtolorum, ad Gradus Mariæ, Georgii, undecim Millium Virginum, Divæ Virginis Mariæ in Capitolio, Ceciliæ, Sancti Johannis Cordulæ, Sancti Anthonii, Prædicatorum, Minorum, Auguſtinenſ. Carmelitarum, Carthuſienſium, Regularium ad Corpus Chriſti, Cruciferorum, Mauricii, Gertrudis, Claræ, Agathæ, ad Hortum Mariæ, ad Albas Dominas, Machabæorum, Maximini, Nazareth, Seyn, Wydenbach, Reynoldi, Bonifacii: Paſtorum quoque Eccleſiarum Parochialium, totum & univerſalem, Primarium & Secundarium Clerum inclytæ civitatis Colonienſis repræſentantium: Nec non etiam ſpectabilis & magnifici, ac Eximiorum, Doctiſſimorumque Virorum, Dominorum, Rectoris, & Deputatorum quatuor Facultatum memoratæ Almæ Univerſitatis Studii Colonienſis, meique Notarii publici, & Teſtium infra ſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia, in Domo Capitulari memoratæ Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis perſonaliter conſtitutus, providus vir Magiſter Henricus de Wilshuſen, jam dictæ Univerſitatis Studii Colonienſis Pedellus juratus, præfatorumque Dominorum Prælatorum & Capituli Metropolitanæ, omniumque & ſingularum aliarum Eccleſiarum, Collegiatarum, ac Monaſteriorum, & piorum locorum ſupra commemoratorum, totiusque & univerſalis Primarii & Secundarii Cleri: Nec non etiam prædictorum Dominorum Rectoris, & quatuor Facultatum, ſeu potius totius Univerſitatis generalis Studii civitatis Colonienſis, partium ſuarum principalium Syndicus, ſive Procurator, ad infra ſcripta gerendum, & agendum ab eisdem ſuis partibus, citra tamen revocationem quorumcunque aliorum Syndicorum, ſive Procuratorum ſuorum per eosdem hactenus quomodolibet conſtitutorum, ordinatorum & deputatorum, ſpecialiter & legitime conſtitutus: Eoque nomine Syndicatorio, ſive Procuratorio, inprimis proteſtans, quod copiam perſonæ Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Illuſtriſſimi Principis & Domini noſtri, Domini Hermanni, Sanctæ Eccleſiæ Colonienſis Archi-Epiſcopi, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarii, Principis Electoris, Weſtvaliæ, & Angariæ Ducis, Legatique nati, ac Adminiſtratoris Paderbornenſis, Domini noſtri gratioſiſſimi, ad finem infra ſcripta coram gratia ſua Reverendiſſima gerendi, commode in præſentiarum habere non poſſit: Habensque inſuper, ac ſuis in manibus tenens quemdam provocationis, & appellationis, Apoſtolorumque petitionis, infra ſcripti tenoris Libellum, quem eodem, quo ſupra, Syndicatorio ſive Procuratorio nomine (præfati tamen Reverendiſſimi Domini noſtri reverentia & honore ſemper ſalvis, ac alias citra injuriam cujuscunque, de quo etiam expreſſe & ſolenniter proteſtabatur) animo & intentione a qui-

a quibusdam indebitis & inconcessis præsumptionibus, novationibus, recusationibus, & denegationibus, cæterisque gravaminibus, & comminationibus, præteritis & futuris, subsequuturis, universis & singulis in eodem Appellationis libello contentis & descriptis, provocandi & & appellandi, Apostolosque petendi & recipiendi, alta & intelligibili voce legere incepit, & ad finem usque legit, atque juxta contenta & descripta in eodem, mox pro præfatis Dominis suis constituentibus, omnibusque aliis, successu temporis huic suæ Appellationi adhæsuris, & eorundem omnium nominibus, omni meliori modo, via, jure, causa & forma, quibus debuit & potuit, provocavit, & appellavit, Apostolosque desuper sibi & partibus suis a præfato Reverendo & Illustrissimo Principe & Domino Præposito & Archidiacono ac Cancellario, atque me Notario publico infra scripto, testimoniales saltem, primo, secundo, tertio, instanter, instantius, & instantissime dari, & concedi, ac de illis responderi petivit, & postulavit. Se quoque & prædictos Dominos, partes suas, eorundemque, & huic suæ appellationi adhærere volentium, personas, Ecclesias, Monasteria, & pia loca, res quoque & bona, jura, privilegia, libertates, statuta, consuetudines & observantias laudabiles, novas, & antiquas, singulari tuitioni, protectioni, & defensioni præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ, Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ, nec non Imperialis Majestatis, uti Ecclesiæ Dei supremi Advocati & Protectoris submisit ac subjecit, præsentis publici instrumenti tenore: Nec non de hujusmodi Appellatione sua loco & tempore congruis & opportunis insinuanda, intimanda, ac etiam legitime prosequenda: Nec non & quod hujusmodi Appellatione sua pendente, nihil prorsus ab aliquo attentetur, & innovetur, seu attentari & innovari debeat; Alioqui de nullitate omnium eorundem, ac damnis, injuriis, & interesse propterea passis & illatis, patiendisque, inferendis contra hujusmodi attentantes & innovantes, publice, solenniter, & expresse protestabatur. Cæteraque omnia & singula se se facere & peragere dixit, ac fecit & peregit, quæ in eodem subinserto provocationis & appellationis libello clarius & prolixius contineri dicebat & haberi, continenturque & habentur. Cui quidem Magistro Henrico Wilshusen Syndico sive Procuratori, quo supra nomine, sic ut præmittitur in præsentia præfati Capituli Metropolitanæ, nec non Deputatorum omnium aliarum Ecclesiarum, & piorum locorum, Rectoris quoque & delectorum almæ Universitatis, provocanti & appellanti, ac Apostolos cum debita diligentia petenti, præfatus Reverendus Dominus, & Illustrissimus Princeps, Dominus Georgius Dux, Præpositus & Archidiaconus, atque Cancellarius, pariformiter & ego publicus Notarius infra scriptus, conjunctim & divisim, Apostolos testimoniales, ac alias tales, quales de jure melius & efficacius dare debuimus & potuimus, dedimus & assignavimus, damusque & assignamus, præsentis publici instrumenti tenore. Super quibus omnibus & singulis præmissis, præfatus Magister Henricus de Wilshusen Pedellus, tam suo proprio, quam etiam, ut Syndicus sive Procurator primarii, & secundarii, & universalis Cleri, nec non almæ Universitatis studii Coloniensis, & eorundem nominibus, sibi a me Notario publico infra scripto, unum vel plura, publicum seu publica confici atque dari petiit instrumentum, & instrumenta, in meliori forma. Acta fuerunt & sunt hæc in loco, seu Camera Capitulari Ecclesiæ Colonienf. supradictæ, sub anno Domini, indictione, die, mense, hora, Pontificatu, & Imperio quibus supra. Præsentibus ibidem providis & discretis juris, Hermanno Top de Werlis, & Cornelio Crupht de Bonna, Clericis Colonienf. Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis. Tenor autem provocationis, & appellationis libelli, de quo supra fit mentio, sequitur ad verbum, & est talis. Quum appellationis remedium, & in oppressorum, & opprimi verisimiliter timentium relevamen, nedum lege positiva productum, sed & jure Divino & naturali stabilitum, comprobatum sit. Hinc est, quod Ego Henricus de Wilshusen almæ Universitatis Studii Coloniensis Pedellus juratus, ac Syndicus, sive Procurator, & eo nomine insignis Capituli Metropolitanæ Coloniensis Ecclesiæ, ac etiam omnium aliarum Collegiatarum Ecclesiarum, Monasteriorum, &

& piorum locorum, ſeu Venerabilis primarii, ac ſecundarii, & univerſalis Cleri, nec non Magnifici Domini Rectoris, & almæ Univerſitatis generalis ſtudii hujus inclytæ civitatis Colonien. ad infra ſcripta faciendum ſpecialiter deputatus, ſufficientique ad ea gerendum mandato communitus, coram Vobis Reverendo Patre & Illuſtriſſimo Principe Domino, Domino Georgio, ex Ducibus Brunsvicenſibus, & Lunenburgenſibus, memoratæ Eccleſiæ Metropolitanæ Colonien. Præpoſito, Univerſitatisque ſtudii Colonienſis Summo Cancellario, tanquam perſona ſublimi, & Eccleſiaſtica dignitate prædita, Vobisque Notario publico, & teſtibus hic præſentibus & adſtantibus conſtitutus, volens per ordinarium Appellationis præſidium, quibusdam longe maximis gravaminibus dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ, totique Clero & Univerſitati hactenus actu continuo, adhuc etiam, proh dolor! durante, & in dies augeſcente, illatis, & poſthac, ut metus eſt, inferendis, quantum per Dei gratiam fieri poteſt, mederi & occurrere, indemnitatique publicæ providere: Pro dictis Metropolitana, aliisque Eccleſiis, Monaſteriis, & piis locis univerſalis Cleri, nec non Univerſitate, & illius membris conjunctim & diviſim, omnibusque aliis, huic Appellationi adhæſuris, non ſine partium mearum communi & gravi animorum dolore, dico, conqueror, & allego, quod quanquam Divino pariter & humano jure certa forma tractandarum, & agendarum cauſarum Eccleſiaſticarum, tam quæ Sacroſanctæ Fidei & Religionis noſtræ doctrinam, quam Eccleſiarum ordinationem, adminiſtrationemque & diſciplinam concernunt, ſaluberrime conſtituta, & ſancita ſit, quam nulli, cujuscunque etiam dignitatis, gradus, ſeu præeminentiæ fuerit, quovis modo infringere, ſeu transgredi conceditur: Ea videlicet, ut imprimis nemini liceat, quæ contra unamquamque hæreſim coacta ſemel Synodus pro fidei communione & veritate Catholica & Apoſtolica promulgaſſet, novis retractationibus quomodolibet immutare: Deinde ut ſi recens ulla quæſtio de doctrina Fidei & Religionis noſtræ ſuboriatur, quæ hactenus dijudicata non ſit, ea ad univerſalis Concilii determinationem rejiciatur: Si vero de adminiſtratione, ordinationeque Eccleſiarum, & diſciplina, quæſtiones noviter inciderint, hæ, ſiquidem minores fuerint, ad Provincialem Synodum canonice & legitime convocandam; Sin majores & difficiliores extiterint, ad Sedem Apoſtolicam referantur, utque ea relatione pendente nemo aliquid audeat innovare. Et quidem quod ad authoritatem Epiſcopalem attinet, ſimili modo compertiſſimum ſit, eam in Eccleſia Dei non in deſtructionem, ſed in ædificationem (ut Apoſtolus ait) poſitam & collocatam eſſe, idque potiſſimum, ut vigilanti ejus inſpectione, hæreſum, & ſchismatum ſemina tollerentur: Proindeque liqueat, hæc, quæ ſequuntur, ad Epiſcopi officium quam maxime pertinere, veluti quibus neglectis neceſſe ſit, ſchismata cumulatim irrumpere./: Primum, ut ubi aperte Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eorum ſequaces Sancti Patres ſententialiter aliquid definiverunt, ibi Epiſcopus non novam legem ſtatuere præſumat; ſed potius, quod definitum & prædicatum eſt, ad animam & ſanguinem confirmare, & defendere nitatur, & contendat: utque Sacris Canonibus (quorum cuſtos vocatur) nedum ipſe debitam reverentiam exhibeat, ſed & a ſuis ſubditis exhiberi, procuret. Secundo, ut in adminiſtratione Sacroſanctorum Sacramentorum, nobis ab Apoſtolis, & illorum Succeſſoribus & inſtitutione Chriſti traditorum, eam regulam & normam diligenter obſervet, & a ſuis Clericis obſervari faciat, quam ipſe ab Apoſtolica Eccleſia veluti per manus traditam, accepiſſe dignoſcitur, a qua etiam ulla temeraria novitate recedere ſibi grave nefas eſſe ducat. Tertio, ut norit ſe vocatum in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis: Eaque de re eam obedientiam, quam ipſe ab his, quibus Prælatus eſt, exigit, ſe ſuis quoque majoribus dependere debere. Poſtremo, ut in adminiſtranda Eccleſia hoc ante omnia ſpectet, quo lupos ab ovili Chriſti, hoc eſt, hæreticos, & ſchismaticos, a ſua Eccleſia vigilanti cura abarceat: ut alienæ vel pollutæ communionis Clericos, ſeu a ſuis Epiſcopis ſegregatos, & præſertim perfidos Monaſteriorum deſertores, & apoſtatas Monachos, omnesque alios, qui ulla hæreſeos, ſeu ſchismatis labe, aut ſuſpicione

ſpicione, vel commaculati, vel gravati ſunt, a ſe, rerumque Eccleſiaſticarum adminiſtratione procul repellat, eosque modis omnibus prohibeat alienas inſili re Parochias, ordinariisque Rectoribus & Paſtoribus ullam moleſtiam inferre: Eccleſiam vero ſuam non privato, ſeu exterorum, ſed ſuorum Presbyterorum & Clericorum conſilio regat, ac gubernet, ſuosque Clericos, quaſi Clericos honoret, ut ipſi a Clericis, quaſi Epiſcopo, honos deferatur:

Et, ſi Metropolitanus ſit, ſine ſuorum comprovincialium Epiſcoporum conſilio in cauſis communibus, nihil agat. Quæ item eorum accedente conſilio ſemel bene ſtatuit, ea rurſus privatim ne abroget. Præcipuam vero ſui primarii Capituli, a quo electus & præpoſitus eſt, rationem habeat, ac intelligat, ſe, & Capitulum ſuum unum corpus conſtituere, in quo non debeat caput omiſſis membris alieno conſilio in communibus Eccleſiæ negotiis uti. Quod id (non dubium) fuerit & honeſtati, & Sanctorum Patrum inſtitutionibus contraire, veluti quibus expreſſim cavetur, ut Epiſcopus in Eccleſiæ ſuæ negotiis fratres ſuos requirat, & cum eorum, vel majoris partis conſilio eadem peragat, & pertractet, & quæ ſtatuenda ſunt, ſtatuat, & errata corrigat, & evellenda diſſipet & evellat.

Quum enim jura & dignitates Eccleſiæ per Epiſcopum & Capitulum pariter poſſideantur, & in re communi potior ſit prohibentis conditio, conſequi ſane eſt neceſſe, Epiſcopum non poſſe privata authoritate ſuæ Eccleſiæ, vel Capituli conditionem deteriorem facere, ſeu ſibi ſoli arrogare, quod communiter expediendum eſt. Jam vero, & id in facto manifeſtum ſit, qualiter jam dudum Apoſtolica Sedes Martinum Lutherum, omnesque illius complices, adhærentes, receptores, fautores, & ſectatores, ut inobedientiæ filios, ſchiſmaticos & hæreticos, ab omnibus evitandos declaravit. Qualiter item Sacratiſſima Cæſarea Majeſtas pro Imperialis Majeſt. officio ac debito, nec non zelo ac ſtudio defenſionis Catholicæ, & orthodoxæ fidei, accedente conſilio & aſſenſu Electorum, aliorumque Principum, Ordinum ac Statuum Imperii, ejusmodi Apoſtolicæ Sedis ſententiam exequendo, publico edicto authoritate Imperiali decrevit, commemoratum Martinum, ſuosque complices, adhærentes, fautores, & ſectatores, pro talibus, ut declarati ſunt, ab omnibus habendos, & vitandos eſſe, ſub criminis læſæ Majeſtatis, & amiſſionis feudorum & bonorum omnium, gratiarumque & privilegiorum, a ſe & Sacro Imperio dependentium, nec non proſcriptionis & Banni, interdictique Imperialis pœnis; quemadmodum in eodem edicto latius continetur & habetur. Quod poſtea in Comitiis Auguſtenſibus, anno Milleſimo quingenteſimo triceſimo, cum majori, & uberiore declaratione renovatum eſt, & rurſus in Ratisbonenſibus anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo (ubi de religione colloquium eſt habitum) hoc inter omnes Imperii Ordines conventum, ut omnes articuli de religione in Univerſale Concilium, ſeu, ſi id obtineri non poſſet, in Nationale, aut ſi utrumque ſucceſſu careret, in Generalem Imperii Conventum referrentur, prout relati ſunt.

Ubi & hoc quoque diſerte ſtatutum, quod Prælati Germaniæ, non quidem pro ſuo arbitratu, aut ex improbatorum & adventitiorum hominum conſultatione, ſed inter ſe, & cum ſuis, quibus præeſſent, Chriſtianam reformationem meditarentur.

Ita tamen, ut Pragmaticæ Auguſtanæ, nihil derogaretur; ſed ſi quid forte inde diſceptationis ſuboriretur, ſuper eo Cæſareæ Majeſtatis declarationem expectandam fore. Cumprimis autem, ne Proteſtantes interea quemquam ad ſe pellicerent, attraherentve. Quod quoque ſtatutum (quod ad relationem articulorum Religionis in Concilium, ſeu ſaltem futura Comitia, quod item ad prohibitionem coactæ, vel pellacis abſtractionis ſeu defectionis a priſca Religione attinet) in noviſſimis Comitiis Spirenſibus confirmatum conſtat: Denique & hoc manifeſtum ſit, qualiter Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Hermannus, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi Epiſcopus, Princeps Elector (qui & commemorato edicto, & Imperii decretis ſubſcripſit) anno Milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto, in hac Metropolitana Eccleſia, cum ſuis

ſuis Comprovincialibus Epiſcopis, ac commemorato ſuo Capitulo: Nec non Prælatis, totoque Clero ſuæ Diœceſis perſonaliter conſtitutus, Provinciale Concilium ad præſcriptum Sanctorum Canonum celebraverit, & in eodem communi & matura conſultatione præhabita, quandam Catholicam Reformationem in hac ſua Diœceſi, donec alia melior per Sedem Apoſtolicam, ſeu Concilium (quorum judicio etiam tum ſuam ſubjecit) ſuccederet, obſervandam promulgaverit, & publicaverit, quæ una cum inſtitutione doctrinæ Chriſtianæ, etiamnum impreſſa extat. Cui quoque neque præfatum ſuum Capitulum, neque Clerus, quo minus per Canonicam Viſitationem, aliasque legitimas vias ad debitam executionem deduceretur, unquam obſtiterunt, ſed potius ſe ſe ad hujusmodi, ac aliam quamcunque Chriſtianam & Catholicam Reformationem (modo Catholice & Canonice inſtituatur) paratos ſemper obtulerunt, prout offerunt. Quamobrem præmiſſis omnibus ſic ſe habentibus, & (ut merito erant attendenda) attentis, non licuerit præfato Reverendiſſimo Domino noſtro Archi Epiſcopo, adverſus iſta, ſolo ſuo privato, ſeu extero conſilio, prædictis partibus meis, & præſertim ſuo Capitulo inconſultis, in ſuæ Eccleſiæ, Cleri, & ipſorum Succeſſorum præjudicium, aliquid præſumere, ſeu attentare, & multo minus adverſus hæc a ſe præſumptis & attentatis, omnibus ipſorum piis & obſequioſis admonitionibus & deprecationibus ſpretis, inhærere, & duriora in dies ordiri & moliri.

Nihilominus tamen his omnibus male conſideratis, Celſitudo ſua Reverendiſſima quamplurima contraria præſumpſit, fecit & attentavit, quibus etiam in præſentem uſque diem inhæſit, & in dies plura ſimilia præſumere & attentare ſatagit. Principio enim Martinum Bucerum, hominem Monaſticæ profeſſionis deſertorem, & bis inceſtis nuptiis pollutum: quarum primas cum votifraga Moniali, alteras cum bis vidua (ut quæ initio Oecolampadio, & deinde Capitoni, alteri olim Monacho, & utrisque Presbyteris, impiæ Sacramentariorum ſectæ coryphæis nefarie nupta fuit) contra Legis Divinæ & humanæ interdictum contraxit: qui & non tantum ſe Lutheri, ſui Magiſtri diſcipulum, & memoratorum Oecolampadii & Capitonis (quibus etiam Sanctitatis titulum affingit) ſymmachum & ſocium, editis publice libellis, profeſſus eſt: ſed & Argentinæ, aliisque in locis Sacramentariæ, ſeu Berengarianæ, & Iconoclaſtarum hæreſeon præcipuus autor, illicque ſeditioſæ everſionis altarium, & imaginum, ac abolitionis Miſſæ, aliarumque piarum cæremoniarum, & Divini cultus (in Eccleſia Catholica hactenus uſitati) nec non diſſipationis Monaſteriorum, & ſuppreſſionis Eccleſiaſticæ libertatis incentor, & tantorum facinorum ſignifer fuit. Hunc inquam Bucerum ſua Celſitudo Reverend. una cum aliis cumpluribus, improbatis & ſchismaticis Concionatoribus, cum eodem conſpirantibus (qui itidem omnes fere perfidi deſertores Monaſtices & apoſtatæ ſunt) ad ſe, præfatis ſuis Capitulo & Clero inſciis, & ubi innotuiſſet, fortiter reclamantibus, accivit. Eosque ſua privata authoritate Andernaci, Bonnæ, Lynzii, Kempenæ, angularibus videlicet, & medianis oppidis, aliisque in locis hujus Diœceſeos prædicationi verbi, ſeu concionibus præfecit: præbita eis licentia, alienas Eccleſias, ſeu Parochias in injuriam verorum Paſtorum eo prætextu inſiliendi, & eorum ordinaria officia præoccupandi.

Secundo, tametſi ſæpe memoratum ſuum Capitulum una cum Clero & celeberrima Univerſitate generalis ſtudii hujus inclytæ civitatis Colon. Celſitudinem ſuam Reverend. diligenter & crebro commonefecerint, ipſi neque jure Divino, neque humano licuiſſe, Bucerum & ſui ſimiles ſchiſmaticos, verbi prædicationi præficere: tametſi item, doctrinam Buceri (quam ille ſe Bonnæ profiteri & diſſeminare libello Germanico in hoc peculiariter edito, teſtatus eſt) innumeris ſchiſmaticis & ſeditioſis articulis ſcatere manifeſte oſtenderint, prout judicium Cleri & Univerſitatis (quod hic repetitum volo) præter alia multa ſcripta, ad Reverendiſſimam Celſitudinem ſuam ea de cauſa miſſa, demonſtrat. Et proinde Celſitudinem ſuam in publico Conventu omnium ſuorum Ordinum hujus Diœceſeos, obſequioſe & ſuppliciter obteſtati ſunt, ut able-

ablegatis & amotis istis schismaticis & seditiosis declamatoribus, in antiqua Religione perseverare: & vel Reformatione, jam pridem in suo Provinciali Concilio edita in præsentia contentus esse; Sin minus, aliud Provinciale Concilium secundum Canonum præscripta (ubi de Reformatione legitime agatur) indicere: vel denique Generale Concilium, quod tunc indictum erat, aut saltem publicum Imperii Conventum, qui instabat (ad quæ causa ista Religionis, omnium Imperii Ordinum consensu accedente, ut superius commemoratum est, relata erat) expectare dignaretur. Adeo tamen his omnibus nihil profecerunt, ut Celsitudo sua Reverendissima suum institutum acrius urgendo, volumen quoddam satis magnum & longum, sub nomine Reformationis, per sectarios istos componi & conscribi, & commemoratis suæ Diœceseos Ordinibus, publico Conventu ad hoc indicto, exhiberi fecerit. Quanquam item tum præfatum insigne Capitulum, per suum Decanum, aliosque ex suo gremio Capitulares Canonicos, Nuncios, & Commissarios ad ejuscemodi Conventum deputatos, causæ hujus sublimitatem, & pondus cum omnibus circumstantiis, per suam Reverendissimam Celsitudinem merito pensandis, magna cum diligentia, prout res exigebat, rursus repeti & exaggerari fecerit, humiliter supplicando, ne sua Reverendissima Celsitudo in re tanta quid præcipitantius ageret; aliud tamen quam brevem admodum dilationem (intra quam, quæ ipsi Capitulo displicerent in eo libro, ex Scripturis refellere deberet) non potuit impetrare. Præterea quanquam idem Capitulum intra ejusmodi dilationem (etsi multo breviorem, quam prolixitas tanti voluminis, tam longe excurrentis, poscebat) jam dictum volumen diligenter inspexerit, & per Theologos, orthodoxos, pios, & Catholicos viros inspici, & examinari fecerit, illudque, quantum fieri intra tantillum temporis potuit, diligenter inspectum & examinatum, complurimis respersum articulis, partim hæresim ac schisma sapientibus, partim scandalosis, & piarum aurium offensivis, partim cum Ecclesiastica œconomia e diametro pugnantibus, & fere iis ipsis, quos jam pridem Sedes Apostolica, & Cæsarea Majestas, suo edicto in Luthero damnavit, deprehenderit. Et ad instruendum super his Celsitudinem suam Reverendissimam, quoddam orthodoxum & Catholicum scriptum refutatorium, quod latine versum, Antididagma visum est appellare (in quo sigillatim tales articuli annotati, & per Scripturas sacras, orthodoxamque & Catholicam Ecclesiæ doctrinam, & Sanctorum Patrum consensum & definitionem reprobati comperiuntur) confici curaverit, (quod etiam ego Syndicus nomine, quo supra, pro justificatione præsentis Appellationis hic repeto, & pro repetito haberi volo) illudque tum Celsitudini suæ Reverendissimæ cum magna submissione transmiserit, unice obsecrans, ut tale scriptum diligenter perlegere, & quæ illic ad propugnationem Fidei & Religionis nostræ Catholicæ, bona fide & sinceriter adducta non dubitant animadvertere: illisque attentis librum suum obtensæ Reformationis supprimere dignaretur: A Celsitudine sua Rev. nihil minus expectantes, quam quod scripto eo nostro spreto & contempto, & forsan nunquam lecto, neque Ordinibus suæ Diœceseos, seu illorum delectis (prout tamen in antedicto Conventu pollicita erat, se facturam) communicato, volumen suum imprimendum curare, edere, & in publicum emittere debuisset: Nihilo secius tamen, Reverend. Celsitudo sua, his omnibus posthabitis, prava & seductrice suggestione eorum, qui volumen illud pro sua libidine congesserunt, circumventa, idem volumen etsi ab Autographo scripto suo Capitulo prius misso & communicato, valde diversum, typis æneis incudi & imprimi; & primum quidem complura exemplaria huc, illuc, deinde vero in Comitiis Spirensibus proximis, inter complures Germaniæ Principes spargi fecit. Jam vero demum in Nundinis Francofordiensibus, ad Natale Virginis Matris proxime præteritum habitis, & nunc quidem in hac insigni Agrippina Colonia, ea etiam publice & passim venum exponi, & divendi curavit, & curat. In quorum sane procemio inter cætera & hoc contestatur, se jam secum plane deliberasse & constituisse, in ea doctrina, quæ hoc suo volumine continetur, velle persistere,

ſiſtere, eamque, quantacunque diligentia poterit, executioni committere, promovere, tuerique: nec ſuper ea diutius, ne ad horam quidem, quorumcunque hominum commune aut privatum judicium expectare: quemadmodum etiam quæcunque in volumine illo habentur, per modum præcepti digeſta ſunt, & ut ſtatim exequenda promulgantur, prout etiam nunc paſſim ſchismatici illi prædicantes, quos Celſitudo ſua Reverendiſſima in hanc Diœceſim invexit, ad illius ſuæ obtenſæ Reformationis præſcriptum, atque etiam ſæpe deterius & ſeditioſius ſua improbata & damnata dogmata ubivis ſpargere, ſummo conatu adnituntur: veris, & legitimis Paſtoribus, & animarum Curatoribus illis cedere juſſis & abactis. Quibus & nunc ſuæ Reverendiſſimæ Celſitudinis mandatis identidem injungitur, ut illis ſectariis, Sacramentorum adminiſtrationem in ipſorum Eccleſiis exercere permittant, non quidem ad Eccleſiaſticam & Catholicam formam, ſed novo plane more, lingua Germanica, & quemadmodum Prædicantibus iſtis videtur; hoc eſt, non ſine veterum ſolennium precum (quibus Beatus Auguſtinus tantum tribuit, ut de his diceret, quod legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi) abrogatione, piarumque & a temporibus Apoſtolorum in Eccleſia Dei ad Sacramentorum exhibitionem uſitatarum ceremoniarum, nec non a tot ſæculis uniformiter obſervatæ Miſſæ, & Sacri Canonis (in quo Corpus & Sanguis Domini conſecrantur) nefaria abolitione. Quin & nunc eo ventum eſt, ut commemoratis ordinariis Paſtoribus & animarum Curatoribus, aliisque Eccleſiarum Presbyteris ac Clericis, per Reverendiſſimam ſuam Celſitudinem ſubinde diſtricte mandetur, ne vel officium prædicationis exercendo, vel in Eccleſia Divina officia decantando, breviter, ne facto vel verbo Pſeudo-Eccleſiaſtis illis ullo impedimento ſint: cum prohibitione Eccleſiaſticæ jurisdictionis hactenus exerceri ſolitæ. Ut taceamus, quod a tempore, quo primum Bucerus accitus eſt, non ſine multorum infirmorum gravi ſcandalo & corruptione circumlati ſint, ac etiamnum paſſim in hac Diœceſi impune circumferantur libelli omnium pernicioſiſſimi. Qualis inter alios eſt libellus Lutheri hæreſiarchæ in Canonem Miſſæ, plane impius & blasphemus, & libellus Joannis Meynertzhagen apoſtatæ Monachi, moderni declamatoris Bonnenſis, in locum Buceri ſurrogati (qui & recens ſe inceſtis nuptiis conſpurgavit) ſub titulo: Des Christlichen Bürgers Hand-Büchlein ꝛc. blasphemiis & impietatibus plenus, ſuo tempore in deductione & proſequutione hujus Appellationis ſpeciatim deſignandis; ad quem finem etiam prætacti libelli, pro juſtificatione ejusdem Appellationis, hic repetuntur. Jam ut antedictum Capitulum, una cum Clero civitatis Colonienſis præfatum Reverendiſſimum Dominum noſtrum de his non ſemel admonuerit, & ut in Meynertzhagen alterius libelli authorem, & in impreſſores & divenditores utriusque, Bonnæ, & alibi commorantes, animadverteret, requiſiverit; ejus tamen nihil potuit obtinere. Quo fit, ut idem Meynertzhagen, & cæteri Prædicantes iſti, ſuis hæreticis & ſchismaticis ad populum declamationibus verbum Dei miris modis adulterare, Sacramenta, & illorum adminiſtrationem Eccleſiaſticam & Catholicam, palam irridere, blasphemare, & contemptim explodere, plebem in Ordinem Eccleſiaſticum concitare, & nihil aliud in hac Diœceſi, quam diſſenſiones, contentiones, æmulationes, rixas, ſectas, invidias, atque adeo cædes, & ſubinde violentas turbationes, publici Divini cultus (quales nuper Andernaci, Bonnæ, Kempenæ, & alibi, magno cum piorum gemitu, præter omnem ſubſecutam animadverſionem, quam leges graviſſimam requirunt, viſæ ſunt) excitare pergunt. Ex quibus omnibus nihil aliud tandem (niſi tamen optimis remediis tantis malis tempeſtive obviam eatur) ſequi eſt neceſſe, quam prædictæ Eccleſiæ Metropolitanæ, & totius Cleri, hujusque inſignis Diœceſeos indubitatam everſionem, almæque hujus Catholicæ Univerſitatis, atque adeo veteris & Catholicæ Religionis extirpationem, omnis obedientiæ diſſipationem; denique rerum omnium horribilem & deplorandam confuſionem, non ſine gravi metu ſenſim ſubſecuturæ finalis ruinæ totius inferioris Germaniæ; quod ea fere tota a conſtantia Fidei & Religionis incly-

inclytæ Agrippinæ (in præſentiarum ab hæreticis & ſchiſmaticis circumlatrantibus periculoſiſſime obſeſſæ) dependere videatur. Quum itaque omnia & ſingula præmiſſa ſic, ut præſcribitur, ſe habeant, eaque præfatus Reverendiſſimus Archi-Epiſcopus noſter, quamlibet monitus & interpellatus, emendare plane negligat: Imo ut ex veridica relatione intelligitur, Reverendiſſima Celſitudo ſua intendat, quæcunque in prædicto ſuo libro obtenſæ Reformationis continentur, per quandam præpoſteram viſitationem, opera ſuorum ſchiſmaticorum, effectui mancipare: Et interim Sacris Canonibus caveatur, quod ſicut laudabile diſcretumque eſt, reverentiam & honorem exhibere Prioribus, ita viciſſim rectitudinis & Dei timoris ſit, ſi quæ in eis ſunt, quæ indigent correctione, nulla diſſimulatione poſtponere, ne tum (quod abſit) corpus morbus invadat, ſi languor non fuerit curatus in capite: Et proinde Prælati antedicti & Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ, uti proxima membra, una cum toto Clero, teneantur hæc tam gravia, nedum omni ſolicitudine & vivacitate indagare, ſed & Superioribus ſuis, cujuslibet perſonæ gratia & favore (quæ veritati cedere debent) longe poſtpoſitis, viis legitimis intimare, ne ſi in his pigri & negligentes reperti fuerint, eorum omnium apud Deum ſe reos & participes faciant: Et rurſus caveatur, neminem Clericorum Apoſtolicæ offenſæ futurum immunem, qui, ſi quid in Eccleſia damni, vel quæ ſint prohibita, Pontificem viderit facientem, id diſſimulaverit, præſertim in cauſa fidei, pro cujus ſinceritate retinenda, quilibet Chriſtianus & imprimis Clerus ſe totum impendere, & pro Eccleſia Dei ſe ſe veluti murum contra omnem hominem opponere tenetur, ne facientis culpam contrahat, qui, quod poteſt corrigere, negligit emendare.

Quod & tanto magis ipſis incumbit, ne ſcilicet propter ſuam diſſimulationem & negligentiam (quam ſcrupulo occultæ ſocietatis non carere Canones definiunt) pœnas privationis omnium & ſingulorum ſuorum privilegiorum, jurium & bonorum, ex vi Imperialis edicti ſupra commemorati, quod nedum in facientes, ſed & conſentientes diſtringitur, amittant. Denique cum jure expreſſe cautum ſit, quod ſi ex facto Epiſcopi aliquod præjudicium, ſeu jactura Eccleſiæ quomodolibet generetur, ſeu generari veriſimiliter timeatur, tum poſſe & debere Capitulum tali facto obviare & contradicere, atque etiam ab eodem appellare, quodque Epiſcopus tali appellationi ſub graviſſimis pœnis, alioqui incurrendis, deferre teneatur.

Hinc ego Syndicus præfatorum Dominorum Prælatorum, & Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ, ac ſecundarii & univerſalis Cleri, nec non Rectoris, & totius almæ Univerſitatis ſtudii Colonienſis, & eo nomine reſpective ſentiens, eandem Eccleſiam Metropolitanam, omnesque alias Eccleſias, Monaſteria & pias Domos, totumque Clerum hujus inſignis Civitatis Colonienſis, imo totius Diœceſeos, & hanc inſignem Univerſitatem, & illius membra, per commemoratas indebitas & inconceſſas præſumptiones, novationes, recuſationes, & denegationes præfati Domini noſtri Archi-Epiſcopi, & alia præmiſſa per Reverendiſſimam Celſitudinem ſuam quomodolibet in & circa præmiſſa, aliena magis circumventione, quam dedita opera, facta & procurata, graviſſime læſos & gravatos, timeamque partes meas veriſimiliter temporum ſucceſſu plus lædi & gravari poſſe; idcirco & ne mora longior ingens periculum afferat, ab eisdem partibus meis hactenus inflictis, & adhuc perturbantibus, & in futurum forſan infligendis gravaminibus omnibus, melioribus modo, via, jure, cauſa, & forma, quibus melius & efficacius poſſim, & debeo, pro eisdem partibus meis, omnibusque aliis & ſingulis ſucceſſu temporis huic appellationi adhærentibus & adhæſuris, ad Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum noſtrum, Dominum Paulum, ejus nomine Tertium, Sanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Pontificem maximum, Sanctamque Sedem Apoſtolicam, Legatumve miſſum, vel mittendum: nec non etiam ad Invictiſſimum & Glorioſiſſimum Principem & Dominum noſtrum, Dominum Carolum Rom. Imper. ſemper Auguſtum, Regem Catholicum, &c. Dominum noſtrum Clementiſſimum, uti religionis noſtræ Sacroſanctæ, & Eccleſiæ Dei ſupremum Advocatum & Protectorem, & eorum (quæ in hujusmodi cauſa religionis hactenus defi-

definita sunt) legitimum executorem, &c. conjunctim & divisim, & prout cujuslibet harum summarum potestatum officium hæc res concernit (cum in executivis simus) in his scriptis provoco & appello, mihique a vobis Reverendo Domino & Illustrissimo Principe Domino Præposito, & Archidiacono Ecclesiæ Metropolitanæ, nec non almæ Universitatis Studii Coloniensis, Cancellario dignissimo, pariter & vobis Notario publico, seu alio quocunque dare, & concedere valente Apostolos, saltem testimoniales, primo, secundo, tertio, instanter, instantius, & instantissime dari peto & repeto. Subjiciens me, & præfatas Metropolitanam, aliasque Ecclesias, Monasteria & pia loca prædicta, totumque Clerum & Universitatem Studii Coloniens. nec non & singulares personas eorundem, & illorum omnium res & bona, privilegia, libertates, & jura singulari tuitioni, protectioni, & defensioni, prædictæ Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Cæsareæ Majestatis, solenniterque & expresse adversus omnes & singulos, cujuscunque status, gradus & conditionis fuerint (qui hujusmodi appellatione pendente adversum prædictum insigne Capitulum & Clerum, nec non & Universitatem ipsam, eorumque res & bona, quidquam quomodolibet attentare præsumpserint) protestans de nullitate & pœnis contra tales innovatores tam in Canonicis, quam Imperialibus constitutionibus fulminatis, eo ipso incurrendis, deque hujusmodi Appellatione intimanda, insinuanda, & prosequenda, loco & tempore congruis & opportunis. Salvo jure addendi, mutandi &c. Et protestor prout fuit, & est moris &c. Et ego Thielmannus Gravius, Clericus Coloniens. publicus Sacris Apostolica & Imperiali authoritatibus Notarius, & Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniens. Secretarius juratus: quia prædictæ appellationis coram præfato Reverendo & Illustrissimo Principe Domino Georgio Duce, Præposito & Cancellario, in præsentia Dominorum prædictorum interpositioni, ac provocationi & appellationi, Apostolorumque petitioni, & testimonialium dationi, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum testibus prænominatis interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi, & audivi, ac partim peregi: ideo hoc præsens publicum instrumentum in quatuor foliis præcedentibus manu alterius (me interim aliunde legitime præpedito) fideliter conscriptum, exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque, nomine & cognomine meis solitis & consuetis signavi: rogatus pariter, & in vim juramenti mei (Reverendis & Illustribus ac Eximiis Dominis meis de Capitulo Coloniens. Ecclesiæ prætactæ olim præstiti) serio admonitus & requisitus, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Lunig. Cont. III. Spicileg. Eccles. pag. 560. *Eandem Protestationem & Appellationem exhibet Meshovius in Historia Schismatis Hermanni V. Archi-Ep. Colon.*

Hac ad Pontificem, Cæsaremque Provocatione non magnopere territus Hermannus Archi-Episcopus, a promovenda Reformatione Lutherana non tantum non destitit, sed eandem ursit vehementius, nulla repetitarum a Capitulo Metropolitano precum, nulla Caroli V. Cæsaris mandatorum habita ratione. Immo, teste Strunckio, post interpositam hanc a Coloniensibus protestationem, Paderbornensem quoque in Diœcesin, cujus ipsi ab Anno 1532. commissa fuerat administratio, Lutheri dogmata invehere nitebatur, edito mandato, quo per omnes ejus ditionis urbes & oppida veteres Ecclesiæ Catholicæ ceremoniæ jubebantur aboleri, novique ritus adoptari, ad Augustanæ Confessionis normam compositi.

Qua perspecta viri pertinacia primum a Cæsare, dein & a Romano Pontifice in jus vocatus fuit. Cum neutri faceret satis, mitioraque omnia remedia, quæ in eo ad saniora consilia revocando adhibita fuerunt, eluderet; tandem Pontifex, postulantibus Clero & Academia Coloniensi, quibus cæteri Patriæ Ordines, finitimique vicini Episcopi Leodiensis & Ultrajectensis, cum Academia Lovaniensi se adjunxerant, in Hermannum sententiam tulit, eumque, quod *Salutis suæ immemor, contra Regulas & dogmata Ecclesiastica, ac Apostolicas Traditiones, nec non Catholicæ Religionis hactenus in Ecclesia consuetos ritus & cerimonias*, & *Leonis Papæ X.* censuram, adversus Lutherum & sequaces, eorumque fautores editam non uno modo

pecca-

peccarit, ab Ecclesiæ communione submovit, ac *Archi-Episcopatu Coloniensi*, & *administratione Episcopatus Paderbornensis*, *aliisque Prælaturis*, *Dignitatibus*, *Præbendis*, *Beneficiis Ecclesiasticis*, *nec non Pensionibus annuis*, *Juribusque & Privilegiis*, *ac omnibus & singulis bonis*, *etiam feudis*, *Ecclesiasticis* privavit, ac privatum declaravit &c.

Lecta, lata, & publicata fuit supra scripta sententia . . . . . sub anno a Nativitate Domini & Servatoris nostri Millesimo, quingentesimo, quadragesimo sexto . . . Die vero decima sexta Aprilis.

Eandem integram vide apud *Meshovium Lib. cit.* ubi alias etiam exhibet ejusdem Pauli III. Papæ literas, quibus Adolphum Schauuenburgicum, qui jam pridem Hermanno Coadjutor datus fuerat, in ejusdem locum Archi-Episcopum declarat: monitis Provinciæ Ordinibus, ut eundem pro suo Præsule recipiant, & agnoscant. Datæ hæ fuerunt eodem anno 1546. die 3. Julii.

SYNODUS SALISBURGENSIS

Anno Christi MDXLIV. Pauli III. PP. X. Caroli V. Imp. XXVI.

SUB ERNESTO (*) ARCHI-EPISCOPO.

De hac Synodo sequentia refert Hansizius:

" Post plura de Religione colloquia, quibus Ernestus vel ipse interfuit, vel per Legatos, celebratus est anni 1544. principio conventus Spiræ, ubi tamen more superiorum conventuum nihil confectum. Id constitutum erat, ut in proximo congressu, qui Wormatiæ habendus esset, de controversiis accuratius disceptaretur: In quo quid respondendum esset, quidve in medium consulendum, Ernestus in Synodo Salisburgi convocata anno eodem 1544. deliberavit. Eo, præter Salisburgenses, advenerunt etiam Episcopus Augustanus, & Aistettensis. Aderat etiam vocatus e primis Ordinis Jesuitici Decemviris Claudius Jajus, vir egregiis pro Religione laboribus in Germania perfunctus. Is privatim commentarium elucubraverat hoc ipso de argumento; in quo adstruebat, rem indignam, & periculi plenam esse, in conventu civili, laicoque de quæstionibus Fidei, dudum in Ecclesia definitis, judicium recoqui, nedum quidpiam decerni. Id facile persuasum Ernesto, qui lucubrationis exemplo in scriptum relato, probantibus assessoribus Episcopis ita decrevit, nec suo, nec suorum Episcoporum nomine quicquam, injussu Romani Pontificis de Religione in conventibus civilibus actum iri. Atque hæc totius Synodi clausula fuit, cui primus ipse Salisburgensis, deinde Augustanus & Aistettensis, cæterique deinceps Episcopi subscripserunt. Tum audita vox insignis Augustani Ottonis Truchsessii; qua dicebat: Amittere se denos Episcopatus, & patrimonium, & vitam ipsam malle, quam ulla in disceptatione cum Lutheri sectatoribus consentiret. Ipse quoque Metropolita, cujus & auctoritas erat permagna, & potestas, adeo obfirmabat animum, ut nihil ulla in re Protestantium cupidini concedendum statueret. Habita hæc fuit Synodus exeunte jam anno.

Hansizius Germ. Sacræ Tomo II. in Ernesto.

(*) Ernestus, Alberti Sapientis, Bavariæ Ducis, & Cunigundæ Austriacæ filius, postquam Episcopatum Pataviensem in annum tertium supra vicesimum magna laude administrasset; tum propter propria virtutum decora, tum ob Serenissimorum Fratrum in Ecclesiam Salisburgensem merita, ad hanc Metropolim regendam postulatus fuit anno 1540. Placidissimi animi Princeps erat, & in commoda subditorum semper intentus. Duas Salisburgi Synodos celebravit, alteram anno 1544., alte-

ram 1549. Quanquam omnibus egregii Præsulis virtutibus esset excultus, ob animi tamen modestiam, qua de se humillime sentiebat, adduci nunquam potuit, ut Sacerdotii dignitatem admitteret. Unde, cum in Comitiis Augustanis anni 1548. præter cætera capita Reformationis, sancita fuisset ea lex; ut nemo Episcopatum teneret, qui ejus ordinis gradu solenni inauguratione donatus non esset; maluit Metropolitana Cathedra cedere, quam augustum illud suscipere munus, quo se indignum reputabat. Igitur anno 1554. Salisburgensis Ecclesiæ administrationem, quam annis circiter quatuordecim summa fide & vigilantia, maximaque omnium ordinum approbatione gesserat, abdicavit, ac paulo post Glacensem in Comitatum, quem suo peculio, frugalitate parto, coemerat, se recepit, soli Deo deinceps, & sibi vacaturus. Exacto ibidem sexennio, inculpatæ vitæ diem extremum clausit anno 1560. Funus Monachium deportatum, & in avito Bavariæ Ducum Mausoleo, quod unicum ex Paterna hæreditate sibi reservaverat, tumulatum fuit.
Hansiz. L. cit.

SYNODUS COLONIENSIS

Anno Christi MDXLVIII. Pauli III. PP. XIV. Caroli V. Imp. XXX.

Sub Reverendissimo & Illustrissimo Domino, D. ADOLPHO, (*) Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopo, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellario, Principe Electore, &c. habita.

Vocatio Ordinum Ecclesiasticorum ad Synodum, secunda Octobris celebrandam.

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROM. IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ, ET ANGARIÆ DUX, LEGATUSQUE NATUS &c. UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, TAM COLLEGIALIBUS, QUAM RURALIBUS, ECCLESIARUMQUE PAROCHIALIUM RECTORIBUS, MONASTERIIS, ET CONVENTIBUS, ET ALIIS, QUI SYNODO NOSTRÆ EPISCOPALI DE JURE, VEL CONSUETUDINE INTERESSE CONSUEVERUNT, ET DEBENT, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

BEnedictus DEUS, & Pater Domini nostri JESU CHRISTI, Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Is superioribus diebus Ecclesiam suam, jam multos annos ab infa-

(*) Adolphus, tertius hoc nomine Archi-Episcopus Coloniensis, Patre Jodoco Comite de Schawenburg, Matre Maria Nassovica natus, ob insignem prudentiæ & eruditionis laudem jam pridem ab Hermanno V. prædecessore in sociam administrationis curam assumptus fuit, eidemque in Synodo Provinciali anno 1536. celebrata adjutor assedit. Hermanno ob hæresin deposito, communi acclamatione Cleri, populique in Archi-Episcopum receptus, continuo abrogavit omnia, quæ per Lutheranam Reformationem innovata in Diœcesi fuerant: eosque & loco movit, & dignitatibus nudavit, qui hæresin promoverant. Eodem hoc anno 1548. dum Augustanis interesset Comitiis, a Carolo V. Imp. Electoris accepit Insignia: ibidem Sacerdotii ad Ordinem solenni ritu promotus, coram Carolo & Ferdinando Augustis

insanis & sceleratis hæreticis nostri temporis, graviter & miserabiliter divexatam, & afflictam, ex infinita sua misericordia respiciens, per religiosam Christianissimi & Clementissimi Imperatoris nostri CAROLI Quinti solicitudinem, mirifice consolatus est. Unde nos plurimum gaudere, & exultare in Domino debemus, ipsi gratias agentes, quod naviculam suam, spiritualium ventorum & procellarum turbine dire conquassatam, ac in mediis fluctibus periculosissime, & pene ad desperationem usque laborantem, secundum veracissimam promissionem suam non deseruerit, reddita ei spe securitatis, maxima & certa fiducia, ex hac sæva & horrisona tempestate semel tandem emergendi, & ad portum Catholicæ tranquillitatis & pacis cœlesti favore feliciter pertingendi. Audistis enim haud dubium omnes, & quamplurimi ex vobis scripto etiam cognoverunt, quemadmodum Invictissimi, & Excellentissimi Principis pietas, Spiritu Dei incitata, in proximis Augustensibus Comitiis, Religionis reparandæ, restituendæque causa, a se clementissime indictis, omnem animi ac consilii sui vim eo intenderit, ut sua providentia omnem dissensionem, contra integritatem fidei, & religionis Catholicæ a schismaticis & pestilentissimis apostatis in hac inclyta Natione nostra perniciosissime excitatam, restingueret, ac sopiret, nihilque in Catholica Ecclesia impacatum relinqueret, quod ad suam gloriam quam maxime pertinere existimaret; ut, cujus tutelam a Deo suscepit, eam e captivitate vere Babylonica, in pristinam vindicet libertatem. Qua in re bonum profecto initium fecit, quando inter cætera in sua Imperiali declaratione, quomodo in negocio Religionis per Imperium, usque ad definitionem Concilii Generalis vivendum sit, a communibus Imperii statibus, qui Ecclesiæ Catholicæ institutiones & decreta hactenus observaverunt, clementer requisivit, ut eadem deinceps in suis ditionibus religiose observent, constanterque teneant, & a suis subditis observari & teneri faciant, nec se avelli ab eis ullo modo patiantur, aut omnino quicquam immutent, adempta eis facultate, novos ritus ubilibet sectandi, vel retinendi. Quod & status isti Catholici (e quorum numero Dei benignitate & Nos sumus, & eodem bene favente, perpetuo erimus) se facturos & perseveranter observaturos esse, jam ante obtulerunt, & requisitione facta, libenter receperunt. Porro cum sua Majestas sapientissime secum considerasset, omnium harum calamitatum & malorum, quibus Ecclesia Catholica tam diu jacuit oppressa, unicam causam esse iniquitates, scelera, & peccata nostra præterita, ob quæ (ut Propheta ait) (*) *Stillavit super nos maledictio & detestatio, quæ scripta est in libro Moysis* (**) *servi Dei;* ea de re ad Reformationem morum ac disciplinæ Cleri, animum inprimis appulit, veluti ad unicum remedium, quo mediante, excisa omnis mali causa, finem denique malorum omnium inde promanantium, Deo propicio, certissime sperare possimus. Formulam igitur quandam Reformationis, a viris Catholicis, Theologis, sacrarum literarum peritia, & singulari fide, & veræ religionis zelo præditis, conscriptam, statibus Ecclesiasticis, hoc est, Nobis Archi-Episcopis, Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, in memoratis suis Augustensibus Comitiis, ad deliberandum proposuit. Qui nobiscum perpendentes, quantum præsidii Dominus Ecclesiæ suæ in ejus clementia præpararit,

gustis primam DEO hostiam litavit. Inde redux, Clerum omnem ad Synodum Diœcesanam, atque altero mox anno ad Synodum Provincialem convocavit, in id unum totis viribus intentus, ut, quæ per Antecessorem suæ Ecclesiæ illata fuerant, fidei damna sarciret, Clerique simul ac populi mores secundum oblatam a Carolo, & ab Episcopis probatam Reformationis formulam emendaret. Eum in finem duas iterum anno 1550. Synodos, ac aliam rursus A. 1551. celebravit: quo anno Tridentinæ etiam Concilii Sessioni XIII. XIV. & XV. interfuit, itemque anno 1555. Augustanis Imperii Comitiis; ubi cum oblata illi fuisset Pacificatio Passaviensis, adduci nulla ratione potuit, ut eandem sua subscriptione probaret. Anno 1556. Brulæ ardenti febri correptus, eademque extinctus fuit XII. Cal. Octobris, postquam Diœcesi præfuisset annis IX. mens. VII. dieb. XXV. Vir de Ecclesia optime meritus, ac vita longiore dignus.

Mörckens in Conatu Chronologico ad Catalog. Archi-Episcopor. Colon.

(*) Dan. 9. (**) Deut. 27.

rit, Formulam iſtam diligenter viſam & perſpectam, quo paci publicæ conſuleremus, & per eam Eccleſiarum,& Clerorum noſtrorum utilitati commodius provideremus, uti Divinis literis, & ſacris Canonibus conſentaneam, probavimus, eamque ſinguli in noſtris Eccleſiis & Diœceſibus debitæ executioni per Synodos, cum Epiſcopales, tum Provinciales, ut ea res poſtulat, intra præſtitutum tempus demandare velle promiſimus.

De his igitur tam pie & religioſe geſtis, Vos omnes & ſingulos certiores reddentes, in virtute ſanctæ obedientiæ, authoritate noſtra Archiepiſcopali, in Domino requirimus, & monemus inprimis, ut ſecundum Cæſareæ Majeſtatis ſeriam declarationem & mandatum, Eccleſiæ Catholicæ inſtitutiones & decreta tam in doctrina, quam Sacramentorum adminiſtratione, & diſciplina in Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, & Oratoriis veſtris, ac alias ubilibet, poſthac religioſe obſervetis, conſtanterque teneatis, obſervarique & conſtanter teneri faciatis; neque ab eis ullo modo Vos avelli, vel immutari quicquam patiamini.

Deinde ſimili modo requirimus Vos, & monemus, ut ad alteram diem poſt Remigii Confeſſoris, quæ eſt ſecunda Menſis Octobris, quam celebrationi Synodi noſtræ Epiſcopalis, pro executione memoratæ Reformationis, ut hactenus quoque ſemper fuit, deſtinatam, præfixamque eſſe volumus, in civitate noſtra Colonienſi, omni excuſatione remota, obedienter compareatis, audituri à Nobis, & facturi Nobiſcum omnia, quæ ad extirpationem errorum, & conſentientem Divinorum Sacramentorum, & Eccleſiaſticorum Officiorum adminiſtrationem, morum correctionem, ſalutariſque diſciplinæ obſervationem, ſecundum ejuſmodi Eccleſiaſticæ Reformationis tenorem, ac Sacras Scripturas, & ſcita Sacrorum Canonum, neceſſaria videbuntur & opportuna.

Ne vero quiſquam tum, per obtenſam ignorantiam Reformationis hujus, quoquo modo ſe valeat excuſare, mittimus Vobis, & veſtrum cuivis, ſecundum ſuum munus & officium, unum vel plura ejuſdem Reformationis exemplaria, inter ſuos, ſuæque curæ commiſſos publicanda & diſtribuenda, præſertim per vos Decanos Rurales, in Eccleſiarum Parochialium Rectores, ſub veſtris Decaniis commorantes. Vos nihilominus omnes & ſingulos prædictos in Domino fideliter exhortantes, ut ſtatim exemplaribus iſtis acceptis, ad illorum præſcriptum vitam, mores, & officium veſtrum exigatis, & quæ ſecus habent, quæque adverſus ea, & Eccleſiæ Catholicæ, ſacrorumque Conciliorum inſtituta, in Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, & Oratoriis veſtris, recens poſt ortam in religione diſſenſionem, qualitercunque invecta, ſeu introducta fuerint, quantum in Vobis eſt, e medio tollatis. Quod ſi minus poteritis, ſaltem eos, qui in hac re vobis obſiſtent, aut ſecundum hanc formam ſe reformare detrectabunt, Nobis in futura Synodo, ut vel noſtra authoritate coerceantur, vel Cæſ. Majeſtati ſecundum juſſionem ejus, Nobis deſuper factam, indicentur, denuncietis: Omnino caventes, ne quiſquam veſtrum, gratia, aut formidine poteſtatum ſecularium ſe depravari ſinat, ut a veritate abſcedat. Certificantes etiam vos omnes & ſingulos prædictos, præſentium per tenorem, ut ſive ad præfixam Synodo diem compareatis, ſive minus, Nos nihilominus ad executionem Reformationis prædictæ, ex officio Nobis injuncto, per remedia opportuna proceſſuros eſſe, refractariorum contumacia non obſtante.

In fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes noſtras literas, ſigillo noſtro ſubimpreſſo fecimus communiri. Datum in Arce noſtra Brülenſi, prima menſis Septembris, Anno Domini 1548.

Mandatum de abjiciendis Concubinis.

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, LEGATUSQUE NATUS, &c. OMNIBUS ET SINGULIS PRÆPOSITIS, DECANIS, CANONICIS, PLEBANIS, ALIISQUE COLLEGIATARUM ET PAROCHIALIUM

LIUM ECCLESIARUM AC CAPELLARUM RECTORIBUS, VICARIIS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS UNIVERSIS NOSTRARUM CIVITATIS ET DIŒCESIS COLONIEN. ET VESTRUM CUILIBET SALUTEM IN DOMINO.

ETsi ex Reformatione Cleri per Cæſ. Majeſtatem Dominum noſtrum Clementiſſ. in proximis Auguſtenſ. Comitiis, Eccleſiaſticis ſtatibus propoſita, & ab eisdem expenſa, probata & recepta, quam vobis ſuæ Majeſt. juſſu duximus intimandam, cognoſcere abunde poſſitis, qualem Vos poſthac vitam inſtituere, quibus moribus ornatos & præditos eſſe, & quæ vitia, ne cuiquam offendiculo ſitis, cavere oporteat: Nihilominus tamen, cum inter omnia crimina nullum fere ſit, quod Clerum fœdius apud populum traducat, & majus in plebe ſcandalum pariat, quam ſcortatio manifeſta, viſum eſt Nobis operæ pretium, ut quod majorem præbet Eccleſiaſtici Ordinis contemnendi materiam, ſpecialiori, & accuratiori animadverſione coerceamus. Quamobrem non modo Concilio Generali, & ſacris Canonibus, noſtrorumque Prædeceſſorum Conſtitutionibus ſuper hac re editis inſiſtentes, ſed & Reformationem memoratam in hoc Articulo, ſub titulo: *DE DISCIPLINA CLERI*, cujus initium eſt: *Porro quis ferendum putet, ut ſcortationi indulgeant, & adhæreant concubinis* &c. (quem diligenter perlegere, & animis veſtris infigere debetis) exequi, ut tenemur, volentes: harum literarum noſtrarum tenore ſtatuimus, volumus, & mandamus, ut omnes & ſinguli ſacris Ordinibus initiati, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint, quibus concubinæ, vel fœminæ de incontinentia ſuſpectæ, ſeu quarum nomine ipſi antehac de fornicatione diffamati fuerunt, manifeſte cohabitant, ejusmodi mulieres a ſe e domibus, & Parochiis ſuis intra novem dierum ſpatium, poſt receptionem & publicationem præſentium, quorum tres pro prima, tres pro ſecunda, & tres pro tertia peremptoria & Canonica monitione ipſis præfigimus, omnino amoveant & expellant. Alioqui juxta dictæ Reformationis tenorem, ſententiam ſuſpenſionis ab Officio & Beneficio, quam propter hoc in eos ferimus in his ſcriptis, ſe noverint incurriſſe. Mulieres autem ejusmodi, ſi poſt iſtos novem dies in domibus, ſeu Parochiis horum Clericorum repertæ fuerint permanſiſſe, & permanere, per Collegiales & Chriſtianitatum ipſorum locorum Decanos, authoritate Noſtra excommunicentur, & excommunicatæ publice nuncientur. Volumus quoque, ut Eccleſiarum Prælati memoratas pœnas diligenter exequantur: Alioqui Nos eorum negligentiam ſuppleturi, inobedientes ſecundum Canonicas Sanctiones puniemus, ut pœna docente, bene agere, & a malo deſiſtere, & a peccatis abſtinere diſcant.

Injungimus etiam Prælatis ipſis, & Chriſtianitatum Decanis, ut ad proximam per Nos indictam Synodum Nobis indicent, quinam Clericorum prædictorum huic noſtro mandato intra tempus præſcriptum parere, & obtemperare neglexerint; ut contra tales ulterius ad beneficiorum privationem, aliasque duriores pœnas, ſecundum dictæ Reformationis præſcriptum, procedamus, in hoc facturi noſtram, immo Sacræ Cæſ. Majeſtatis mentem, & expreſſam voluntatem. In fidem præmiſſorum, præſentes noſtras literas, ſigilli noſtri Impreſſione fecimus communiri. Datum in Arce noſtra Brulenſi, prima menſis Septembris, Anno Domini M. D. XL-VIII.

SECUNDA OCTOBRIS die, præſentibus, & ordine compoſitis in Choro Cathedralis Eccleſiæ Patribus & Dominis, quos Reverendiſſimus Archi-Epiſcopus ad celebrandam Synodum acciverat, cum reliqua Cleri & populi omnium, qui intereſſe volebant, multitudine, mane ſub horam ſextam, Miſſa de S. Spiritu ſolenni ritu peracta eſt, quam Benedictio Archi-Epiſcopalis ſubſequebatur. Deinde expoſitis nomine Reverendiſſ. Archi-Epiſcopi cauſis hujus Conventus, & habita pro more oratione ad Synodum Reverendus D. Joannes Nœpel a Lippia, Epiſcopus Cyrenenſis, ipſiusque Reverendiſſimi Vicarius in Pontificalibus, juſſu ejus ad Synodum loquens, ita ſubjecit: Quod, cum Concilium Oecumenicum, Tridenti per Sedem Apoſtolicam indictum, feliciter cœptum, & Seſſionibus aliquot habitis cele-

celebre factum, e quo omnium animi pendere viderentur, ignotum qua diaboli invidia, suspensum jam hæreat; nec sortiatur progressum; & Cæs. Majestatem D. nostrum Clementissimum, ne graviores per hanc tam longam atque periculosam necessarii Concilii suspensionem, perturbationes in Imperio, variis hæresibus ac insidiis plus satis jactato, subnascerentur, Statibus Imperii Ecclesiasticis proposuisse Reformationem quandam expendendam, secundum quam, si sacris Canonibus consentanea videretur, suas quisque Ecclesias in Religione & officio continerent, ac gererent, donec Concilium Generale finiretur, & dissidia hæc tolleret. Quam (cum Ecclesiasticorum Ordinum judicio visa fuisset e Scripturis Divinis, Patrum traditionibus, & Sacris Canonibus congesta, atque ad Disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem, & emendationem vitiorum non parum allatura) ipse Reverendissimus Dominus noster, una cum aliis Archi-Episcopis, Episcopis, omnibusque aliis Ecclesiastici Ordinis Prælatis & Statibus receperit, atque acceptarit, ad definitionem usque Oecumenici Concilii, in tota Diœcesi & Provincia sua observandam, eaque de causa ipsam omnibus sibi subjectis Diœcesanis, quos ad præsentem Synodum convocasset, transmiserit.

Verum, ne cui videatur hoc pacto non satis legitime publicata, & ne quis ejus ignorantiam causari possit, vel ipsam subterfugere, juberet modo Reverendissimus Dominus eam & in præsenti Synodo legi palam, & publicari.

Quibus dictis, statim conscendit suggestum M. Petrus a Cosfeld, Capituli Metropolitani Secretarius, & alta inde voce totam Reformationem illam ad finem usque legit, & publicavit.

Facta publicatione, Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus jussit, ut ad Synodum vocati, & quibus Synodi actionibus interesse liceret, ingrederentur Domum Capitularem, ubi de negotiis Synodalibus tractaretur, & de causis, ad Synodi cognitionem, & vitiorum emendationem pertinentibus, inquireretur, & consilio communi decerneretur.

Processerunt itaque Abbates, Decani, & Patres, ad Synodum convocati, e Choro ad Domum Capitularem. Primoribusque cum Reverendissimo Archi-Episcopo sedentibus, cæteris vero ob loci angustiam stantibus, invitabat Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus per suum in Pontificalibus Vicarium omnes, ad conferendum de pertinentibus ad Cleri & populi Reformationem, vitiorumque emendationem. Ibi primum interrogati propius assidentes, professi sunt, se velle seipsos, suosque subditos ad modum præscriptæ, ac publicatæ Reformationis, quantum in ipsis esset, per gratiam Dei componere: ac omnem dare operam, ne quid in eis desideraretur. Cœptum quoque est inquiri de vitiis.

Postridie tertia Octobris, omnibus ad eundem locum reversis, Reverendus Dominus Cyrenensis Vicarius &c. jussus, quæ in mandatis habebat, exponere, retulit, Reverendissimum Dominum Archi-Episcopum ita secum firmiter constituisse, ut quoniam a capite ad membra inferiora dignum esset Reformationem ordiri, se diligenter curaturum, ut quæ Archi-Episcopalis sui officii sint, minime negligantur, nec temporalia spiritualibus præpositurum. Pertinere autem ad suum officium, celebrare Synodos, cui negotio intentus ipse jam esset: visitare Diœcesim, quod exequi proposuisset primum in ipsa Metropoli: & ubi commode intra urbem, vel extra, visitare ipse non posset propter negotiorum multitudinem, quæ in dies inciderint; decrevisse per idoneos Visitatores, quæ ad ipsum pertinerent, implere omnia, & exequi.

Et quia in hac Reformatione Episcopis daretur inter alia negotium, ut si quæ in sacræ Missæ officium vel Horas Canonicas inutilia, aut quæ parum ad pietatem & ædificationem conferrent, postrema hac ætate irrepsissent, ea repurgarent, atque ad veterum & probatissimorum codicum fidem restituerent: quo non nisi pura, emendata, & sacra existerent, quæ in officiis Divinis recitantur. Quod licet multum temporis ac laboris requireret, decrevisset tamen Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus, adhibitis ad id negotii viris piis ac doctis, sedulo curare, atque ad proximam Synodum Provincialem, si expediri interea temporis negotia tanta queant, publicare. Quod propterea Cæsarea Majestas Episcopis in Reformatione imposuisset, ut Ecclesiis neglectis, & debitis obsequiis fraudatis, per occupatores plurium Beneficiorum, aut Ecclesias incorporatas tenentes, juxta constitutionem Gregorii Decimi in Concilio Lugdunensi providerent de idoneis Vicariis, quibus competentiam & congruæ portionis fructus assignent: & ubi tenuia sunt Beneficia, quæ victum non suppeditent, ut per unionem talium curent secundum modum, quem præscribit Reformatio, quo habeant, qui Altari deserviunt, unde vivant, nec causa relinquatur,

cur

cur non debeat uno quisque Beneficio merito esse contentus, decrevit (quantum ejus modo fieri poterit) in sua Visitatione exequi: & sicubi obstabit difficultas, per quam impediatur, eam ad futuram Synodum Provincialem referre. Hortaretur proinde, ut singuli ad hunc modum & ejus exemplum, perlecta diligenter Reformatione, quæ sui muneris esse cognoscerent, ad se raperent, eisque satisfaciendis atque implendis sedulo incumberent: Decani, quod est Decanorum: Canonici, quod est Canonicorum: Pastoris, quod ad Pastoris, & Concionatoris officium pertinet: qui ea etiam, quæ de Disciplina populi scripta sunt, diligenter populo inculcarent: ita futurum, ut pietas vera aliquando restituatur.

Quæ præfatus, censuit progrediendum ad inquisitionem de rebellibus, criminosis, & Ecclesiarum gravaminibus faciendam: jussitque Reverendissimus D. Archi-Episcopus, quo sciret unusquisque, quæ sibi cognita deferre ac proponere Sanctæ Synodo deberet, prælegi Articulum, qui sub titulo: *DE SYNODIS* in *Reformatione* (*) habetur, in hæc verba: *Jubeat Episcopus singulos per juramentum, Notariis, qui omnia excipiant, assistentibus, proferre in medium, Ecclesiarum suarum, Prælatorum quoque & populi, sive præsentium, sive absentium vitia gravia, quæ a Synodo corrigantur, absque ullo personæ respectu: Si sit Pastor aliquis non legitimus, aut per vim intrusus: si negligens officii, & incorrigibilis: si in Clero quis Simoniacus: si hæreses suppullulent: si in Officia Divina irrepant abusus: si Prælatis aut Parocho bene præsidenti rebelles sint inferiores: si ulli male præsideant: si per tyrannidem potentiorum, aut judicia injusta opprimatur Ecclesia, populus, viduæ, vel orphani: si sacrilegia committantur: si violentur Ecclesiæ jura: si usurarii sint in Clero vel populo: si incestuosi: si enormia crimina admittantur, a quibus nolint desistere, aut agere pœnitentiam.*

Ita admonitis præsentibus & informatis, fecit Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus omnibus potestatem, sive scriptis, sive verbis, sua proponendi, & si qui forte haberent negotia, quæ metu potentiorum ad Synodum deferre non auderent, ut ea clam apud Commissarios deponerent, quos sua Reverendissima Gratia ad hoc dare & ordinare vellet.

Ordine itaque singuli vocati, ad Reverendissimi Archi-Episcopi conspectum processerunt, ubi sua deposuerunt, ut habebant parata: suntque omnes a Reverendissimo ita auditi, ut tamen a remotioribus exaudiri non potuerint: & quæ attulerunt, a Notariis excepta. Nec cessatum ab ista inquisitione fuit, donec ullus superesset non auditus.

Omnium deinde consensu & sententia placuit, e singulis Ordinibus deligere quosdam, qui denunciata ac proposita expenderent, ac deliberarent, conciperentque de eis suum judicium, quod ad totam Synodum vel probandum, vel emendandum, priusquam evulgaretur, referrent. Tempore per hæc negotia ultra meridiem fere lapso, dimissis ad sequentem diem cæteris, soli delecti a prandio reversi sunt, & negotia, quæ plurima erant, ut a multis delata, & pleraque ejusdem generis, retulerunt in ordinem, atque compendium: deliberationeque & collatione invicem habita, sententiam suam jusserunt ad Reverendiss. Dominum Archi-Episcopum referri.

Quarta Octobris, cum Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus cum delectis sententiam suam fuissent scripto complexi, accitis Ordinibus omnibus ad Domum Capitularem, Reverendissimo Domino Archi-Episcopo Præsidente, ac suffragia singulorum, quæ libere quisque dare poterat, requirente, Sententia illa, distinctis ac disertis verbis, universis Synodi Patribus prælegebatur: quorum suffragiis acceptis, omniumque sententia atque judicio ad illam accedentibus, statim processum est ad Sacrum solenne: quo peracto, publicatio facta est e papyro in verba, quæ sequuntur.

Reverendissimus Dominus noster Archi-Episcopus Coloniensis, Princeps Elector &c. Cupiens pro Pastorali suo officio, Clerum & plebem secundum Reformationem, a Cæsarea Majestate præscriptam, & ab universis Ecclesiasticis Imperii statibus receptam, dirigere atque instituere, primum omnium ipsam in Synodo præsenti publicavit. Deinde a præsentis Synodi Ordinibus inquirendum duxit de iis, qui parerent, ac vitam suam secundum ipsam componere statuerent, & qui secus facerent.

In qua inquisitione & examine suorum Prælatorum, Abbatum, Decanorum,

(*) *Formula Reformat. Capite XXI. §. 3.*

rum, Statuumque Ecclesiasticorum, hic præsentium, explorata ipsi facta est, & comperta præsentium omnium obedientia, qui se polliciti sunt huc omnes vires & studia sua convertere velle, quo & ipsi eam observent, & subditis suis observandam tradant, atque committant: quod clementer & cum gratia ab eis sua Reverendissima Gratia accepit.

Percepit quoque absentium eorum, qui repugnant, & reformationi parere detrectant, inobedientiam, atque rebellionem. Cui occurrere & mederi statuit, partim Canonicarum pœnarum severitate, partim in visitatione, aut aliis opportunis remediis, pro hujus Synodi judicio atque sententia.

Et inprimis, quod Ordines quidam indicarunt, quosdam esse Pastores, Sacerdotes, & Laicos, qui inordinate viverent, contra prædictæ Reformationis præscriptum, a quibus tamen admonitis de emendatione, nondum retulissent responsum: præcipit & mandat Reverendissimus Dominus noster, cum præsenti Synodo, ut hi diligenter de eorum proposito in proximis eorum Capitulis inquirant, eorumque responsionem Reverendissimæ suæ Gratiæ denuncient, quo possit de ipsis secundum Sacros Canones, & Reformationem præsentem judicare, atque statuere.

Quod vero simul accepit, quosdam esse Pastores, & Sacerdotes inobedientes, qui Reformationi prædictæ, & Ordinariæ suæ potestati subjacere, ac parere plane recusarent; decrevit sua Reverendissima Gratia una cum præsenti Synodo, ut contra ejusmodi rebelles & inobedientes, primum procederet Reverendissimæ suæ Gratiæ Fiscalis, eosque ad parendum via juris compelleret: quod si non obtineret, statuit idem Dominus Reverendissimus, se agere velle cum Principibus & Magistratibus, quorum præsidio niterentur, secundum clausulam *Reformationis*, quæ ita habet, sub titulo: *DE DISCIPLINA POPULI* (*): *Principes sæculares & Magistratus civiles non patrocinentur eis, qui in Clero & populo reformari detrectant, sed Episcopis & Prælatis Ecclesiæ sint auxilio, eorumque decreta fideliter exequantur, & ordinem præscriptum cogant observare. Jurisdictionem quoque & libertatem, ac immunitatem Ecclesiasticam, Imperatorum Legibus, & Sacris Canonibus Episcopis & Clero tributam ac firmatam, tueantur, ipsisque conservent.* &c.

Decrevitque omnino sua Reverendissima Gratia, non desistere, etiamsi ad Cæsaream Majestatem res sit deferenda, donec ejuscemodi rebelles ad obedientiam & emendationem perducantur.

De apostatis vero, profugis Monachis, & Monialibus, quos votorum & religionis suæ immemores accepit Reverendissima sua Gratia cum Synodo, extra Prælatorum & Superiorum suorum obedientiam passim in Diœcesi, & Provincia sua vagari, & se continere alicubi etiam sub Magistratuum secularium defensione: sancivit & ordinavit Reverendissima sua Gratia cum præsenti Synodo; secundum formam sequentem.

De Monachis & Monialibus suam Professionem, sub quocunque prætextu, deserentibus.

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, LEGATUSQUE NATUS &c. UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, CANONICIS, PLEBANIS, ALIARUMQUE ECCLESIARUM COLLEGIATARUM, ET PAROCHIALIUM, MONASTERIORUM, CONVENTUUM UTRIUSQUE SEXUS ECCLESIASTICI STATUS, CAPELLANIS, ALTARIUM RECTORIBUS, VICARIIS, PRESBYTERIS ET CLERICIS CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ COLONIENSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CUm nihil æque deceat, hanc Sacram Synodum procurare, quam ut suæ quisque vocationi ac professioni satisfaciat, id quod & Cæs. Majestatis Reformatio exigit, & Religionis, jam propemodum per insolentes ac professionis suæ desertores confusæ ac perturbatæ, restitutio postulat: Hinc decernimus, man-

(*) *Form. Reformat. Cap. 19. §. 6.*

mandamus, ac præcipimus, ne quis posthac Monachos, vel Monachas fugitivos, & extra Superiorum suorum obedientiam vagantes, recipere, fovere, aut ad Sacramenta, vel Ecclesiastica ministeria admittere ausit, sub excommunicationis pœna, qua & Sacri Canones feriunt eos, qui hujuscemodi fugitivis, apostatis, atque excommunicatis communicant. Eos vero, qui sub Dispensationum Apostolicarum prætextu, extra Monasteria sua degunt, volumus, ut Dispensationes suas, quas plerumque subreptitie, vel allegatorie causarum falsarum impetrant, Nobis exhibeant examinandas, & vocatis eorum Superioribus, ac quorum intererit, discutiendas. Datum in civitate nostra Colonien. Anno Domini Millesimo, quingentesimo, quadragesimo octavo, die secunda mensis Octobris.

Insuper decrevit, eos omnes nominatim persequendos committere suo Fiscali, donec resipiscant, & ad obedientiam reducantur.

De Monachis vero, & Sanctimonialibus, & Sacerdotibus, qui jam conjugia inierunt, & in connubio incestuoso perseverant, statuit & decrevit Reverendissima sua Gratia, una cum præsenti Synodo, secundum formam, quæ hic sequitur:

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ, ET ANGARIÆ DUX, LEGATUSQUE NATUS &c. UNIVERSIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, CANONICIS, PLEBANIS, ALIARUMQUE ECCLESIARUM COLLEGIATARUM ET PAROCHIALIUM, MONASTERIORUM, CONVENTUUM UTRIUSQUE SEXUS ECCLESIASTICI STATUS, CAPELLANIS, ALTARIUM RECTORIBUS, VICARIIS, PRESBYTERIS, ET CLERICIS CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ COLONIENSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

Volentes tranquillitati Sanctæ Ecclesiæ nostræ consulere, & errorem, unde gravissimæ perturbationes, non in Ecclesiasticis modo rebus, verum etiam in civilibus oriri possent, penitus tollere, juxta Sanctorum Patrum Decreta, Sacros Canones & Leges, una cum hac Sancta Synodo, matura deliberatione præhabita, decernimus & declaramus, prophanas, illicitas, & nusquam tolerandas esse nuptias, quas vel Monachi, vel Moniales, Religionem aliquam solenni voto professi, vel Sacerdotes post hunc gradum, contraxerunt, prolesque inde susceptas, illegitimas esse, nec aliter, quam spurios & nothos habendas, ac proinde hæreditario nomine Parentibus suis neque in mobilibus, neque in immobilibus succedere posse aut debere. Quæ non nova aut recens est sanctio, sed pervetusta, semper in Ecclesia recepta, Imperatorumque Legibus & Sacrorum Canonum authoritate firmata, ac usu longævo probata. Datum in Civitate nostra Coloniensi, Anno Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, die secunda mensis Octobris.

Quo vero tales ad resipiscentiam, & dignam satisfactionem reducantur, statuit Reverendissima sua Gratia committere suo Fiscali, ut eos, ubicunque locorum agant, intra Diœcesis suæ fines coram Inquisitoribus vel Judicibus Ordinariis persequatur.

Cum eis vero, qui resipiscentia ducti, sponte redeunt ad Ecclesiam, Reverendissima sua Gratia pollicetur, misericorditer & clementer se acturam.

Ad eundem omnino modum statuit Reverendissimus Dominus noster una cum præsenti Synodo, agere, & procedere velle per suum Fiscalem & Inquisitores, contra Sacerdotes, Clericos, & laicos, de hæresi & schismate suspectos, aut sortilegia, vel divinationes, & similia, Divina Lege graviter posthabita, exercentes; præcipitque, ac mandat Decanis & Pastoribus, in quorum Territorio vel Pastoratu se continent, ut eos præcipiant populo vitandos, ne plebs inde contagionem accipiat.

Sunt & alia pleraque vitia Reverendissimo Domino nostro, & præsenti Synodo exposita, de quibusdam non bene Præsidentibus Pastoribus, aut intrusis, concubinariis, ac Tyrannis, qui per vim & judicia injusta opprimunt Clerum, Immunitatesque Ecclesiasticas, populum, viduas, & orphanos. De sacrilegiis item, homicidiis, adulteriis, & vitiis similibus, quæ quoniam non ad omnes perti-

pertinent, ſtatuit Reverendiſſimus Dominus noſter una cum Synodo, in viſitatione per ſuos Viſitatores exactius ac diligenter inveſtigare, ac juxta Canones, & Reformationem præſentem, corrigere & emendare.

Porro quod Decani & Paſtores quidam petierunt declarationem mandati, per Reverendiſſimum Dominum noſtrum contra concubinarios Sacerdotes & concubinas editi, quas ſua Reverendiſſima Gratia, cupiens Reformationem Cæſareæ Majeſtatis exequi, mandaverat ejicere extra ipſam Parochiam: deliberatione cum Synodo habita, conſiderataque Parochiarum quarundam amplitudine, aliarum vero anguſtia, declarat Reverendiſſimus Dominus noſter cum Synodo, ejiciendas e vicinia concubinas, ita ut commerciis non detur occaſio, & ſuſpiciones omnes vitentur.

Quod item petiverunt Decani & Paſtores quidam, quomodo ſe habere debeant in Adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ, quod quidam peterent, tanquam in Reformatione a Cæſarea Majeſtate propoſita permiſſum, quibuslibet ſub utraque ſpecie ſibi exhiberi, declarat & exponit idem Reverendiſſimus Dominus noſter cum præſenti Synodo, ejusmodi Reformationem, Communionem duplicis ſpeciei laicis Catholicis minime permiſiſſe, ſed expreſſe & diſertis verbis a Catholicis ſtatibus & eorum ſubditis exigere, ne quid in Sacramentorum adminiſtratione, præter Eccleſiæ conſuetudinem, immutent, aut immutari in ſuis ditionibus ullo pacto permittant.

Cui ordinationi vult Reverendiſſimus Dominus noſter, tanquam Archi-Epiſcopus & Princeps per Dei gratiam Catholicus, fideliter & obedienter per omnia obtemperare, omnibusque ſibi ſubjectis præcipit, & mandat cum tota Synodo, ut uſque ad Generalis Concilii definitionem, eidem obtemperent.

Cæterum propter quosdam, qui metu potentiorum forte deterriti, non auſi fuerunt negotia & gravamina, ipſis cognita, ad Synodum palam referre, ordinat & ſtatuit Reverendiſſimus Dominus noſter ſuum Commiſſarium in hac parte, memoratum Dominum Joannem Epiſcopum Cyrenenſem, ſuum Vicarium in Pontificalibus, quem poſſint ſecreto ac libere adire, & ea omnia tuto exponere; quo Reverendiſſimus Dominus noſter de rebus, ſuppreſſis deferentium nominibus, informatus, poſſit ejusmodi negotiis & gravaminibus remedium ac medelam adhibere.

Præterea ubi Reverendiſſimæ ſuæ Gratiæ non erit commodum perſonaliter viſitare, deſignat & ordinat præcipuum Viſitatorem eundem D. Epiſcopum Cyrenenſem, cui pro temporum, locorum, & cauſarum ratione ac diſpoſitione, plures idoneos Viſitatores ac Cooperarios adjunget: eosdemque in patentibus ſuis literis, quas eisdem dabit, ſignificabit.

Cæterum, ſi quæ occurrant Viſitatoribus deputandis, aut etiam Reverendiſſimi Domini Fiſcali & Commiſſariis, quæ in præſens emendationem facilem non admittant, ejuscemodi omnia decretum eſt reſervare, ac rejicere in futuram Synodum ſuam Provincialem, quæ feria ſecunda poſt Dominicam *Invocavit*, favente & propitio Deo, celebrabitur.

Pœnitentiarios vero, ſeu Confeſſores vult Reverendiſſimus Dominus noſter ſuo opportuno tempore ordinare.

Actum, concluſum, & pronunciatum in publico Synodi Conventu, Coloniæ, Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo octavo; die 4. Octobris.

Sententia per Secretarium e ſuggeſtu recitata, ſtatim cantarunt: *Te Deum laudamus*, & Antiphonam: *Da pacem Domine.* Quibus Reverendiſſimus Dominus Archi-Epiſcopus ſubmiſit Collectam, & Synodum omnem cum Archi-Epiſcopali Benedictione dimiſit.

Statuta Synodalia Eccleſiæ Colonienſis, editionis Quentelianæ anno 1554.

SYNO-

SYNODUS PADERBORNENSIS
Eodem anno Christi MDXLVIII.

Synodum hanc 16. Octobris celebratam fuisse testatur, qui eidem interfuit *Henricus Abbas in Marien-Münster*, in suo *Diario* apud *P. Strunck Annal. Paderborn. Part. III. Lib. XXI. pag. 295.*

IN die S. Galli Abbatis, inquit, celebrata est Synodus Paderbornæ: & Reverendissimus ac Gratiosus Dominus Rembertus (*) Episcopus præsidebat, congregatis ibidem Canonicis Majoris Ecclesiæ cum Abbatibus, Prælatis, Pastoribus, ac toto Clero hujus Diœcesis. Inprimis Missa de Spiritu Sancto solenniter decantata; & post eam Concionator fecit devotam & integerrimam exhortationem. Qua finita, lectæ sunt Literæ Cæsareæ Majestatis, & Archi-Episcopi Moguntinensis, velut Metropolitani: In quorum literis Episcopo nostro facta est commissio de reformatione Clericalis disciplinæ; quæ & ibidem prælecta & promulgata est in medio majoris Ecclesiæ. Deinde facta deliberatione lectum est mandatum Synodale; & post finem horum omnium solenniter decantatum *Te Deum laudamus*. Duravit ista Synodus a medio octavæ usque ad medium primæ.

(*) Abdicata ab Hermanno V. Wedano & Cathedra Metropolitana Coloniensi, & Administratione Paderbornensi, ut supra narratum fuit pag. 348. conspirantibus eligentium votis, illius in locum Paderbornensi in Cathedra suffectus fuit Rembertus a Kerssenbroich, grandis jam ætate vir, tuendæque Catholicæ Religionis tam ante, quam post obtentum Episcopatum studiosissimus. Ex cujus etiam in extremo senio defendendæ zelo morbum, mortemque contraxit. Præfuit Diœcesi magno ejusdem emolumento, nec minore laude sua, annis viginti & uno. Obiit nonagenario major anno 1568. 12. Februarii.

In Historia Ecclesiastica Germaniæ, edita Bruxellis, Hermanno Wedano, Administratori Paderbornensi successisse scribitur Joannes ab Hoya, nulla facta Remberti mentione, sed perperam: nam Hoyanus non ante ad Paderbornensem Ecclesiam, cum Osnabrugensi & Monasteriensi regendam postulatus fuit, quam post mortem Remberti. *Vide P. Mich. Strunck Lib. cit.*

SYNODUS AUGUSTANA
Eodem anno Christi MDXLVIII.

AD REFORMATIONEM CLERI Auctoritate OTTONIS Cardinalis, & Episcopi Augustani celebrata.

Acta & Statuta Synodi Diœcesanæ Augustensis, Reverendissimo in Christo Patre, & Illustrissimo Principe & Domino, Domino OTTONE, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli Sanctæ Balbinæ Presbytero Cardinale, & Episcopo Augustano præsidente, ad diem duodecimum Novembris anni 1548. *convocatæ, & continuo triduo celebratæ.*

REverendissimus in Christo Pater & Illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus OTTO, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ titulo Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis, & Episcopus Augustanus, memor communis Ecclesiasticorum Sacri Romani Imperii Statuum consensus, Invictissimo & Potentissimo Principi & Domi-

Domino, Domino CAROLO V. Romanorum Imperatori maximo, in proximis Comitiis Auguſtanis de reformandis Cleri & populi moribus, deformitatibusque Eccleſiarum tollendis, præſtiti: etſi calamitatum ſuperiorum reliquiis ſanandis apprime diſtractus, ſummo tamen ſtudio atque labore adniſus eſt, ut & Cæſareæ Majeſtati, cui hanc Synodorum congregandarum Facultatem, Germanorum Eccleſiæ, veluti olim Conſtantino Imperatori totus fere orbis, acceptam ferunt, ſatisfaceret, & quod muneris ſui eſſet, pro viribus adimpleret.

Kalendis igitur Octobris, poſtquam Albigoviam Subalpinam Eccleſiæ ſuæ ditionem, proximo biennio miſere afflictam, præſentia ſua conſolari, conſilio, libertate, jureque dicundo juvare, atque paterna ſane cura & pietate luſtrare cœpiſſet, e Fueſſa oppido epiſtolas citatorias ad Abbates, Præpoſitos, Decanosque tam Collegiales, quam rurales Diœceſis ſuæ miſit.

Quibus, ut in pauca conferantur, Sanctorum Patrum Decretis & Baſileenſis Concilii auctoritate, in memoriam revocata, Sacrique Romani Imperii Electorum Principum, & Statuum Eccleſiaſticorum, de convocandis Synodis conſenſione memorata imperat, eosque in Domino hortatur, ut ad diem duodecimam Novembris in oppido Dilinga, Synodi initio, finique adeſſe velint: inprimis dent operam ſinguli, ut citationes hujusmodi in Capitulis ſuis, ad hoc convocatis, publicentur, ipſaque Capitula, ſeu Collegia Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, aut aliis horum loco comparituris, inſtrumento publico, cujus formulæ ſingulis citationibus additæ fuerunt, poteſtatem faciant, ut eorum etiam atque nomine Synodi hujus ſtatuta, quatenus ea ad quosque pertinerent, approbare, atque ipſos obſervaturos, profiteri legitime poſſint. Miſſa præterea fuerunt citatis omnibus exempla formulæ Cæſareanæ Reformationis, mandatumque omnibus, ut eam diligenter expenderent: atque ſi quid ex temporum, locorum, aut perſonarum occaſione, uſu vel neceſſitate addendum, moderandumve ipſi judicaſſent, ad Synodum referrent: & cum ſuas, tum Collegiorum, aut Capitulorum ſuorum ſententias inter conſultandum explicarent.

Ad tempus igitur præſcriptum advenere Abbates, Præpoſiti, Decani & Camerarii quamplurimi, quorum multi veluti ex captivitate reſpirantes, præclaram animi magnitudinem ad Domum Domini ædificandam afferre videbantur. Qui remanſerunt, partim privilegiis ab Ordinarii jurisdictione exemptos ſe eſſe aſſeruerunt: partim profani Magiſtratus Imperio retenti ſunt: nonnullos libertatis amor, conſcientiaque perturbatæ a ſe religionis, obedientiæ jugo ſubtraxit.

Acta primæ diei Synodi.

Hora autem ſeptima antemeridiana diei Novembris duodecimæ, Reverendiſſimus Dominus Cardinalis, Reverendi Domini, Marcus Avunculus, Epiſcopus Nazianzenus, & reliqui Abbates jus Pontificiorum ornamentorum habentes, cum baculis Paſtoralibus, mitris & reliquo habitu Pontificali; cæteri vero Præpoſiti, Canonici, Decani, Presbyteri & Clerici, ſuis quique veſtimentis Eccleſiaſticis inſignes, in Eccleſia Dilingenſi Parochiali frequentes convenerunt. Unde re ſacra de Sancto Spiritu a Reverendiſſimo Cardinale ſumma omnium devotione peracta, ordine cuncti binique ad arcem Dilingenſem proceſſerunt, idque ea de cauſa, quod Eccleſia Parochialis rei tantæ gerendæ minime idonea, tantæque multitudinis capax non eſſet.

In arce vero aula ſuperior ampliſſima eſt, in cujus capite altare intra cancellos decentiſſime ornatum extitit; pro cancellis Reverendiſſimi Cardinalis ſubſellium, Nazianzeni Epiſcopi, & aliquot Eccleſiæ ſuæ Cathedralis ad hoc deputatorum Canonicorum ſedibus utrimque clauſum.

Ad utrumque aulæ latus, qua in longitudinem patet, triplex ſcamnorum ordo: in ima vero aula, transverſa fuere ſcamna multa, omnia ſtragulis operta, atque inter ſe ita diſpoſita, ut ambitus, tranſitusque liber undiquaque eſſet.

Porro cum ex dignioribus ſuum quisque locum occupaſſet, cæteri in reliquis

liquis sedibus assedissent, aut in spatiis intermediis constitissent, Synodales orationes, sacræ laudes, atque preces omnes, ex libri Pontificalis præscripto ordine inceptæ, atque absolutæ fuerunt.

Deinde Reverendissimus Dominus Martinus de Olave, Theologus Hispanus, & Cæsareæ Majestatis Sacellanus, orationem habuit ad Synodum de horum temporum statu, de officio Pastorum & Cleri, moribusque omnium in melius reformandis, atque Disciplina Ecclesiastica restituenda, tanta eruditione & eloquentia excultam, ut universæ Synodo fuerit & ornamento & admirationi.

Ea finita, Reverendissimus Cardinalis causas Synodi hujus convocandæ paucis explicavit, summaque & dignitate & gravitate universos ad rem præsentem in recessus animi interiores revocandam, Synodique totius negotium, æquis animis, ab omnique deteriori affectu semotis, tractandum cohortatus est: atque postremo se ipsum quoque obtulit Synodi judicio emendandum, rogavitque ex animo, ut in vita, moribusque suis corrigendis monitores esse velint, iis se & libenti & grato animo obtemperaturum.

His dictis, Joannes Albertus Widmanstetter, Ordinis S. Jacobi Lusitani frater militaris, Juris consultus, & Dominationis suæ Reverendissimus Cancellarius, nonnulla, quæ ad præsentem actionem pertinere videbantur, præfatus, Cæsareæ Majestatis formulam in Comitiis Augustensibus, ut dictum supra fuit, propositam, clara voce, continuaque lectione recitavit. Absoluta ejus lectione, quoniam dies a meridie ad horam primam inclinabat, jussi sunt a Reverendissimo Cardinale omnes, dimissis ornamentis & habitibus, ad cænaculum, quod aulæ Synodali substructum est, eademque amplitudine patens, divertere, quo eos ad recreanda prandio corpora cum benedictione dimisit.

Hora pomeridiana tertia convenerunt in eadem aula omnes, ubi Reverendissimi Cardinalis jussu Cancellarius Synodum allocutus est in hanc fere sententiam: procul dubio intellexisse eos, memoriaque recenti adhuc retinere, in cujus nomine congregati sint, quid in Sacris solennibus a Deo Optimo Maximo communibus votis postularint: quid non modo Pastori & Episcopo suo, sed & gregi sibi commisso quisque debeat; quanta doctrinæ & vitæ ad Patrum regulas conformandæ necessitas, omnes fere Ordines Ecclesiasticos urgeat: quam habeant promptam Episcopi sui voluntatem ad prospiciendum sibi & gregi: & demum, quod præcipuum tamen in hoc toto negotio est, quanta pietate, diligentia & fervore Cæsarea Majestas, veluti navis Reipublicæ, discordiarum tempestatibus jactatæ, prudentissimus Gubernator, incolumitati omnium provisum cupiat: cujus rei singulare e multis exemplum sit, quod Reformationis Ecclesiasticæ formulam antiquorum Patrum rationi, disciplinæque maxime consentaneam proposuerit, quam Ecclesiastici Status in Synodis celebrandis, ceu normam Decretorum sequerentur. Eam igitur formulam tanquam summam totius consultationis, Dominationem suam Reverendissimam, quod factum hodie ante prandium sit, publicandam omnibus censuisse.

Quoniam vero Dominationi suæ Reverendissimæ dubium non sit, quin pro suo quisque officio, ut jussus fuerat, formulæ hujus Capita singula apud suos diligenter tractarit, atque de iis, quæ in hac consultatione offerri oporteat, deliberarit: supervacuum sane videri, ut singulorum sententiæ de singulis Capitibus Cæsareanæ formulæ prius exquirantur, quam Statutorum inde excerpendorum ratio ineatur. Ut igitur compendio majus negotium hoc expediretur, Dominationem suam Reverendissimam formulam totam Reformationis, paucis omissis, quorum deliberatio & cognitio pertinere, ad Superiores visa est, insertisque ex prioribus Statutis nonnullis aliis, in Decretorum, seu Statutorum Synodalium speciem contraxisse, eumque ordinem, qui cum in Pontificio jure, tum in aliis Augustanæ Ecclesiæ Synodalibus Statutis servari consuevit, secutum fuisse. Quibus dictis, Cancellarius Statuta tenore continuo ad finem usque, ut sequuntur, prælegit.

STATU-

STATUTA SYNODI DIOECESANÆ AUGUSTENSIS,

XII. XIII. & XIV. Novembris, Anno MDXLVIII. OTTONE Cardinale & Episcopo Augustano Præsidente, Dilingæ celebratæ.

I. CUm tota creationis universi ratio, atque redemptionis nostræ fundamentum, in Summæ Individuæque TRINITATIS recta indubitataque fide consistat, & a Redemptore nostro JESU CHRISTO per suos Apostolos, eorumque Successores una Fides Catholica in universum orbem, cujus Primatus Romanæ Sedi ex Divi Petri Apostoli prærogativa jure tribuitur, derivata sit: statuimus, atque omnibus Prælatis, universo Clero & populo nostræ Diœcesis mandamus, ut in Sancta Fide Catholica, quam Divina Clementia, & Sanctissimorum hominum prædicatione, secundum prædictæ Sanctæ Sedis puram & incorruptam traditionem majores nostri ab initio acceperunt, constantes firmique permaneant, eandem credant, observent & doceant: atque Pastores oves, agnosque suæ curæ commissos, in eadem fide orthodoxa, pro cujusque captu erudiant, summoque studio confirment.

II. Sacrorum Canonum & Conciliorum Decreta, & tam Provincialis Moguntinæ Sedis, quam a nostris Prædecessoribus, Nobisque editas Synodales Constitutiones in universum, præcipue vero eas, de quibus specialis mentio in sequentibus nostris statutis non habebitur, firmiter observari præcipimus, transgressores secundum Canones ipsos, prædictasque Constitutiones puniri decernentes.

Invictissimi etiam Christianissimique Imperatoris Caroli Quinti, cui Maximi cognomentum merito tribuimus, Constitutionem, de interreligione in Comitiis Augustanis hoc anno editam, in ea parte, qua ad status Catholicos pertinet, acceptamus, nostræque Diœcesis subditis innovari decernimus, scilicet, ut Ecclesiæ Catholicæ institutiones hactenus ab eis summa cum laude observatas, deinceps religiose observent, teneantque constanter: ne se ab eis ullo modo avelli patiantur, aut omnino quidquam immutent: cæteros vero, qui novationes induxerunt, una cum Clementissimo Imperatore, valde hoc ab eis ac serio requirente, in Domino hortamur, ut & ad Ecclesiam Catholicam accedentes, in observatione Constitutionum & Ceremoniarum Ecclesiæ Catholicæ per omnia nobiscum conveniant, & se hisce nostris saluberrimis & Catholicis statutis conforment.

Quin & formulam Reformationis, ab eadem Cæsarea Majestate Ecclesiasticis Statibus in iisdem Comitiis propositam, quam Nos in nostris Synodalibus Statutis sequi profitemur, omnibus nostræ Diœcesis Ecclesiasticis personis crebro legendam, versandamque proponimus. Constitutiones quoque & ordinationes a Reverendissimo Domino Laurentio Campegio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale, & Sedis Apostolicæ per Germaniam Legato, Ratisbonæ anno MDXXIII. editas & publicatas, tanquam salutares, & Capituli nostri consilio & assensu acceptamus: easque ab omnibus Prælatis, Presbyteris & Clericis, Nobis subjectis, volumus observari.

Statuimus præterea, ut præsens libellus Synodalium Constitutionum nostrarum in Ecclesia nostra Cathedrali, aliisque Collegiatis, & Monasteriis, quamprimum typis excusus fuerit, habeatur, & in Choro, ut cuilibet accessus ad eum pateat, servetur. Decani quoque rurales, Camerarii, Plebani, Capellani, cæterique Presbyteri nostræ Diœcesis privatim eum sibi comparent, frequenterque legant, ut quisque tam repentinis, quam indictis visitationibus de his, quæ ad se pertinent, rationem reddere possit. Volumus etiam, ut Abbates & Præpositi, convocatis omnibus Monachis, & Canonicis, & Regularibus, nec non Decani Collegiatarum Ecclesiarum Canonicis, Decani vero rurales in Capitulo suis confratribus accersitis, eadem statuta bis

in anno ad verbum prælegant, aut prælegi curent. Si quis vero huic noſtro mandato non obtemperaverit, a Nobis, ſeu Vicario noſtro canonice punietur.

III. Approbante Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Venerabili Capitulo, ſtatuimus & ordinamus, ut poſthac ad Epiſcopatum Eccleſiæ Auguſtenſis nullus, niſi Presbyteratus ordine inſignis; aut qui ſe gradus, quos nondum habet omnes, ſtatutis ordinationum temporibus, nulla interdicta mora, aut tergiverſatione adepturum promiſerit, eligatur, aut aſſumatur.

IV. Ad Eccleſiaſticas dignitates, animarum curas, aliaque beneficia, ad noſtram diſpoſitionem, ſeu approbationem pertinentia, nullus poſthac Coadjutor, vel Reſignatarius, niſi examinationis teſtimonio ſubnixus fuerit, a Nobis, aut Vicario noſtro in Spiritualibus admittetur. Siqui vero per ſurreptionem, ejusmodi dignitatum, curarum, aut beneficiorum Coadjutores, ſive Reſignatarii ſucceſſores in illis, ſine examinatione præſcripta extiterint, amovebuntur.

V. Ut Catholica doctrina atque diſciplina Eccleſiaſtica melius conſervetur, ſtatuimus atque ordinamus, ut ordinandi ſuper hæreſibus hoc tempore jactatis, quid de illis, & contra, quid de Rom. Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſentiant, diligenti examinatione explorentur. Deinde, ut nullus ordinetur, niſi qui publicum a primario Sacerdote, vel Magiſtratu patriæ ſuæ, aut ejus loci, ubi majorem vitæ ſuæ partem exegerit, de vita ejus & moribus probatis, teſtimonium litteris conſignatum attulerit; qua in re primarii Sacerdotis, ſeu Magiſtratus & teſtium conſcientiam oneramus.

Adhæc, ut ordinandi ſcientia, explendis ſaltem Eccleſiæ miniſteriis ſufficiens, non titulis, ſed diligenti conſtet examinatione.

Eandem quoque rationem in his, qui ad Prælaturas admittendi, & ad Eccleſias Parochiales provehendi ſunt, volumus haberi: atque ad Parochiales Eccleſias quemquam, niſi populum docere & velit & ſciat, nolumus admitti.

Poſtremo neminem ad Prælaturas, aut Eccleſias Parochiales, ſive per electionem, ſive per inferiores collatores, aut patronos deſignatus fuerit, prius inveſtiri, aut ad Eccleſiæ munera ſubeunda admitti debere, quam examini ſatisfecerit; & vocationi ſuæ ſatisfacturum ſe pro viribus pollicitus fuerit, ſtatuimus, atque mandamus.

Ætatem etiam ordinandorum, ſecundum laudabilem Eccleſiæ noſtræ morem, hactenus introductum & ſervatum, deinceps quoque obſervari præcipimus. Pro examinatione vero nullam ab his, qui a Nobis deputati adhoc fuerint, pecuniam exigi debere præcipimus: quod & hactenus in Eccleſia noſtra factum fuiſſe compertum habemus. Quod autem ad noſtrum Epiſcopale officium attinet, profitemur, Nos pro gratia, quam Altiſſimus nobis largiri dignatus fuerit, munus noſtrum rite recteque tam per Nos, quam per Vicarios & Cooperatores noſtros executuros. Volumusque poſthac ordinandorum examini, Paſchali, Pentecoſtesque tempore Auguſtæ, reliquis vero anni temporibus conſuetis in oppido noſtro Dilinga celebrando, ipſi coram adeſſe & præeſſe, ne in hac parte in Nobis quidquam deſideretur.

VI. Ignotos atque vagos Sacerdotes & Monachos, absque Prælatorum ſuorum teſtimoniis, ſeu formatis, multoque minus ſuſpectos de fide, aut flagitioſos Sacerdotes, vel Monachos, ſeu fratres fugitivos, ad concionandi, ſacraque peragendi officium nusquam in noſtra Diœceſi admitti, nec peregrinos & ignotos Presbyteros in conſortio aliorum Presbyterorum tolerari, vel ad Miſſarum Sacrificium, niſi ſui Ordinarii, e cujus Diœceſi proxime diſceſſit, litteras de eorum ordinibus & honeſtate docentes oſtenderint, & a Nobis, vel noſtro in Spiritualibus Vicario admiſſorias habuerint, admitti debere præcipimus.

VII. Quos Græci Chorepiſcopos, hoc eſt, certarum regiuncularum in qualibet Diœceſi ſpeculatores, alii Archi-Diaconos, alii Archi Presbyteros vocant, in noſtra Eccleſia Cathedrali, quoad certum diſtrictum mœniis Auguſtanæ civitatis adjacentem Archi Diaconi, in reliqua vero Diœceſi Decanorum ruralium nomine cenſentur.

His igitur hoc ſtatuto mandamus, ut

ut hæc noſtra placita, atque Synodalia Decreta curæ ſuæ Parochis publicent, & exequantur; ut Capitula ſua ruralia, ſicut hactenus conſuetum fuit, congregent, & ſervent; ad futuras Synodos citati veniant; diligenter quoque invigilent, ut Parochi ſubditos ſuos doceant, corrigant, & velut Paſtores fideles in via Catholicæ doctrinæ ducant: ne irregularitate contracta miniſtrent, neve in foro conſcientiæ in dubiis conſultent, niſi peritiores prius ſuper his adhibuerint in conſilium: adhæc, ab extorſionibus & exactionibus illicitis & inſolitis abſtineant, & libertatem Eccleſiaſticam, quantum in eis eſt, tueantur. Hos etiam ſenis quibusque menſibus diſtrictus, ſeu regiunculæ ſuæ Eccleſias ſuas viſitare, & de omnibus rebus tam ſpiritualibus, quam temporalibus ſibi concurrentibus curam habere præcipiant, & ſi quid emendare non poterunt, ad Synodum pro tempore, aut ſi mora periculum habuerit, ad Nos, ut opportune providere de omnibus poſſimus, referre jubemus: ſi quos intruſos ad Parochias, aut alia Beneficia Eccleſiaſtica in ſuis diſtrictibus eſſe Decani intellexerint, aut ſuſpectas de ſurreptione abſolutiones diſpenſationesve oſtentari, aut circumferri a quibuscunque cognoverint: eos moneant primum, ne ſibi Beneficia, Sacramentorumque adminiſtrationem uſurpent, neve gregem Chriſti hujusmodi diſpenſationum, vel abſolutionum prætextu decipiant. Si qui vero parere monitis noluerint, hi Nobis a Decanis, quos fidei juramento Nobis præſtitæ ſuper hoc admonemus, ſine mora indicentur. Decanis quoque ruralibus injungimus, ne in templis, ſacellis, aut oratoriis ſuarum regiuncularum, picturas, aut imagines quascunque depingi, ſculpi, aut fieri, Nobis, aut Vicario noſtro inconſultis, patiantur, ut in his veteris Eccleſiæ decorum, ſacrarum hiſtoriarum veritas, & imaginum honeſtas, maturiore deliberatione circa ea præcedente, conſervetur. Idem decernimus in cæteris Diœceſis noſtræ ædibus diligenter obſervandum.

Iisdem Decanis ruralibus præcipimus, ut in inquirendis hæreticorum libris, aut de hæreſi ſchismateve ſuſpectis, nullam diligentiam prætermittant. Contrahant etiam, undecunque in ſuis regiunculis poſſunt, ejusmodi libros omnes, & inprimis formulas adminiſtrationis Sacramentorum, quas adverſarii ordinationes Eccleſiaſticas vocant, eosque libros ad Nos quamprimum transmittant, & in concionibus ſuis, Sacramentorumque adminiſtratione, Catholicos Doctores, & Romanæ Eccleſiæ manualia ſequantur, cæterisque ejusdem rei, pro officii ſui cura, monitores, auctoresque exiſtant.

VIII. Parochi de fide & religione noſtra populum ſibi commiſſum doceant, atque inſtruant, Sacramenta adminiſtrent, eorum myſticam gratiam exponant, publicis peccatis irretitos canonice, occultis vero delictis occulte arguant, & ad pœnitentiam adducant. Incorrigibiles Nobis, aut noſtro in Spiritualibus Vicario indicent, ut vel publica ſatisfactione curentur, vel communione Catholica arceantur: parvulos quoque & rudes quosque Parochiæ ſuæ doceant certis temporibus Symbolum Fidei, Dominicam Precationem, Salutationem Angelicam, & Decalogi præcepta: aut ea diebus Dominicis e ſuggeſtu diſerte pronuntient, ut revera duplici honore digni habeantur.

Cum nihil magis officiat Eccleſiæ Dei, quam quod ad regimen animarum indigni aſſumuntur; ſtatuimus, & diſtricte præcipiendo mandamus, ut a Vicario noſtro in Spiritualibus generali, aliisque Prælatis viri graves, docti, & ad curam animarum habendam idonei deligantur, diligensque & anniverſaria de eorum vita & moribus inquiſitio habeatur.

Et quoniam non raro accidit, ut Presbyteri & Clerici Beneficia Eccleſiaſtica curata absque inſtitutione, ſeu commiſſione, vel noſtra, vel Vicarii noſtri de facto occupent, atque nulla ligandi, vel abſolvendi poteſtate præditi, populum Dei decipiant: volumus, & mandamus, ut quilibet Decanus, vel Camerarius in Capitulo proximo ſui Decanatus, litteras hujusmodi commiſſionum ſibi petat exhiberi, Nobisque, aut Vicario noſtro, ſi qui nullas habuerint, intra menſis ſpatium ſignificet. Idemque de Beneficiis non curatis, ad eaque intruſis, intelligi volumus atque mandamus.

Paro-

Parochi, ſeu Presbyteri curati omnes, libros apud Eccleſias ſuas habeant quatuor: Primum, in quo baptizatorum: Secundum, in quo, ſtatuto ab Eccleſia tempore confitentium & communicantium: Tertium, in quo eorum, qui matrimonia in facie Eccleſiæ contraxerunt: & Quartum, in quo mortuorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ traditorum nomina & cognomina cum annotatione diei & anni deſcribantur. Hæc enim diligentia cum ad multa utilis, tum vero ad hoc præcipue, ut Paſtoribus ovium ſuarum ratio melius conſtet. Capellani & Primiſſarii Rectoribus aut Plebanis ſuis debitam reverentiam exhibeant, ac omnia debita officia, ſive in fundationibus expreſſa ſint, ſive ex conſuetudine introducta, ſuis locis, temporibusque exequantur: in juribus Parochialibus, niſi fundationum ſuarum tenore ſpecialiter & expreſſe fuerint privilegiati; ipſis minime adverſentur, vel inobedientes exiſtant, ſed in executione curæ, & Divinis officiis cantando & legendo fideliter aſſiſtant. Quod ſi aliter fecerint, canonicam noſtram vindictam minime evadent.

Meminerint porro Presbyteri omnes, & inprimis hi, quibus animarum cura incumbit, ut eorum, quæ ad officii ſui eſſentiam pertinent, notitiam habeant certam & indubitatam, veluti ſunt abſolutionis, aliorumque Sacramentorum collationis formæ ſubſtantiales.

Quoniam autem intereſſe plurimum conſtat, qua ratione pueri & rudes catechizentur, Parochis noſtræ Diœceſis catechismum, ſive libros de inſtitutione Chriſtiani hominis Reverendi Patris Domini Petri de Soto, ex Prædicatorio ordine, Theologi Hiſpani, & Cæſareæ Majeſtatis Confeſſoris doctiſſimi, & religioſiſſimi viri, legendos, docendosque commendamus: alios vero de hæreſi, aut ſchismate ſuſpectos ex uſu eorum tolli præcipimus.

IX. Decanus Collegii ſui Clericos & familiam in officio quemque ſuo contineat, exemplo alios præcedat: vitæ, morumque honeſtatem in habitu & diſciplina, debitumque in Divinorum officiorum perſolutione & ceremoniis exigat: ebrios, aleatores, percuſſores, ſcortatores, & officii ſui immemores corripiat, Sacris abigat, & pro jure ſibi competenti mulctet. Scholaſtici Eccleſiæ noſtræ dignitate aut titulo eminens, juventutem Eccleſiæ miniſteriis deſtinatam, doctrina, pietate, & morum honeſtate imbuat: aut per idoneos & probos Pædagogos inſtitui curet, atque ordinandorum examini de more noſtræ Eccleſiæ, unaque nobiscum diligenter intendat.

Canonici Decano ſuo obediant, Divinis omnibus interſint, qua decet modeſtia, gravitate & pietate. Eleemoſynas pauperibus diſtribuant, populum bonis exemplis ædificent, Divinorum tempore deambulare, nec ipſis in templo liceat, neque alii cuiquam permittatur. Turpe enim eſt, in eo loco quacunque de cauſa motoriam agere, & ambulationes inſtituere, ubi & geſtu corporis & animo in ſacrorum myſteriorum tractationem defixos intentosque eſſe oporteat.

Studioſis quoque aliquibus, bonamque de ſe ſpem præbentibus, Decanus & Collegium provideant, ut juſto ſtudiorum ſuorum tempore, juſtisq; ſumptibus in Academiis & Catholicis Univerſitatibus ſuſtententur: qui poſt tempus eis conceſſum redeuntes, de diligentia, probitate, pietateque teſtimonium ejus Univerſitatis publicum ſecum afferre teneantur.

Cæterum Horas Canonicas, reſidentes Canonici tam Cathedralis noſtræ, quam Collegiatarum Eccleſiarum, decenti modulatione pro Eccleſiæ noſtræ Cathedralis & Collegiatarum more perſolvant, & hanc curam ad conductitios tantum ſuccentores minime rejiciant.

Canonici etiam juniores Theologum, qui in ſingulis Collegiis frequentioribus haberi debet, lectionem ſuæ profeſſioni & inſtitutioni congruentem, certis horis, quemadmodum & Vicarii, aliaque Collegiorum membra facere tenentur, prælegentem audiant, itaque & animos Divinis ſtudiis excolant, & ab otio removeantur.

X. Clerus noſtræ Diœceſis in habitu, coronæ tonſura, & inceſſu decorum ſervet, ſuperiore veſte talari indutus, atque pietate magis venerabilis, quam aut famulorum multitudine, aut vano armorum terrore contemptibilis incedat. Menſa quoque utatur frugali, & ab ebrietate, ludis a jure prohibitis, atque omni lu-

dicra levitate abſtineat, luxum omnem fugiat, mercaturæ aut cauponario exercitio, avaritiæ ſordibus, ſortilegiis, divinationibus, venationibus clamoſis, omnibusque profanis negotiis, & a quibus cura Sacerdotalis merito abhorret, prorſus alienus exiſtat.

Hoſpitia quoque publica, tabernas, aut œnopolia, compotandi cauſa, non ingrediatur. Qui ſecus fecerit, florenos quatuor dependet, quorum dimidiam partem fabricæ templi noſtræ Cathedralis, reliquum delatori impartiemur. Pœnam feſtus dies graviorem efficiet.

Inſtituta quoque Eccleſiaſtica de jejuniis & abſtinentia carnium, feriis, atque hujusmodi, ab univerſo noſtræ Diœceſis Clero religioſe ac pie obſervari, atque ſub debito obedientiæ Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ præſtandæ, populo indici debere, ſub cenſuris & pœnis graviſſimis mandamus.

Præterea cum æquum inprimis ſit, eos mundos eſſe, qui vaſa Domini portant, & in Sacrario operantur; volumus, atque juxta Sanctiones canonicas decernimus, ut Sacerdotes profeſſionis ſuæ memores, caſte continenterque vivant, atque a nefario concubinatu abſtineant. Sacerdos, Diaconus, & Sub-Diaconus fornicationis, adulterii, & familiaritatis ſuſpectæ convictus, remota protinus concubina, ab officio ſuſpendatur, & beneficii fructu ad certum tempus pro ſcandali gravitate privetur: item convictus, ſuſpenſione & privatione fructuum gravius plectatur. Incorrigibilis demum factus, beneficium amittat. Concubinæ autem Clericorum excommunicentur. Cæteris vero Clericis infra Subdiaconatum conſtitutis, & Eccleſiaſtico beneficio præditis, eadem privationis fructuum pœna infligatur, & a miniſterio, ſi quod in Eccleſia habuerint, repellantur. Et cum his omnibus nullas fœminas, niſi aut ſanguinis neceſſitudine junctas, aut annorum quadragenario numero majores, aut ſaltem ſuſpicione carentes in illa vicinia, easque verecundas, ſobrias, & publico teſtimonio caſtas liceat cohabitare.

Clerici noſtræ Diœceſis domos, fundosque dotales beneficiorum collapſos inſtaurent, quantum neceſſitas poſtulaverit, reparataque in debita ſtructura conſervent, & negligentes per Decanos rurales, ac alios, ad quos de jure & conſuetudine ſpectat, eorum proventuum domibus, fundisque applicandorum ſubtractione mulctentur.

XI. Quicunque vel cupiditate, vel quovis etiam honeſto colore impellente, plura Beneficia Eccleſiaſtica obtinent, hoc noſtro mandato jubentur, ſicuti diſtricte præcipiendo mandamus, ut retento, quod ex illis maluerint, unico Beneficio, cætera intra annum reſignent, aut Nobis, vel Deputatis ad hoc noſtris, diſpenſationum ſuarum privilegia hujusmodi oſtendant. Quod, niſi debita obedientia præſtiterint, ſciant ſe ex noſtra diligentia in recta & vera Eccleſiaſticorum Beneficiorum diſpenſatione adhibenda, inobedientiæ aut cupiditatis ſuæ pœnas legitimas ſuſcepturos.

Si qui vero poſthac Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione plura Beneficia obtinuerint, compertumque a Nobis fuerit, eidem Sedi (quæ in litteris, conceſſionibus, privilegiisque ſuis rationes, cauſasque honeſtas & neceſſarias, prout ſuggeſtum ei fuerit, ſequi conſuevit) illuſum ab impetrantibus fuiſſe, hi ſciant, Nos Sanctiſſimo Domino noſtro melius informato diſpenſationum hujusmodi revocationem procuraturos. Unde ſtatuimus & ordinamus, ut impoſterum nullus, cujuscunque gradus aut dignitatis fuerit, ad alterius aut plurium Beneficiorum poſſeſſionem admittatur, niſi Nobis tanquam Ordinario loci, diſpenſationis ejusmodi litteras, pro Sedis Apoſtolicæ dignitate conſervanda, inſpiciendas prius exhibeat, Bonifacii IX. & Leonis X. Maximorum Pontificum Conſtitutionibus ſemper ſalvis. Et ſi diſpenſatione dignus videbitur, nihilominus ſtatuimus, ut tales, aut alii quicunque Eccleſiarum Rectores & Beneficiati, Vicariis ſuis tantam ex fructibus portionem relinquant, quanta ad hoſpitalitatem ſervandam, ad jura Epiſcopalia & Archi-Diaconalia perſolvenda, aliaque onera ferenda ſufficiat, alioquin a ſuis Beneficiis, reſervato tamen unicuique Patrono aut Collatori jure ſuo, decernimus amovendos.

Hortamur etiam in Domino eos, qui plura Beneficia curata ex diſpenſatione Apoſtolica jam obtinent, ut uno, quod maluerint, retento, cætera intra annum

ſine

ſine ulla penſione idoneis Presbyteris reſignent, & Chriſtiano hoc officio, pietateque ſua ſeveritatem & coactionem Synodalium, Provincialium, aut Generalium Statutorum, aut Decretorum antevertant.

Monaſteria porro & Collegia, aut ſi qui alii incorporatas cum decimis & cenſibus Eccleſias, quas retinere velint, habuerint, idoneos Sacerdotes eis præficiant: quibus de victu, veſtitu honeſto, & competentia juſta proſpici decernimus: alioquin, aut per privationem incorporationis legitimam, aut honeſtam ex Eccleſiæ illius decimis & viribus (*) aſſignationem, aut ineptorum Sacerdotum remotionem, ejusmodi Eccleſiarum commoditati proviſuri.

Prælati Monaſteriorum, Collegia, aut alii, unitas Eccleſias habentes, Vicarios hujusmodi, aut Sacerdotes non conſtituant, niſi prius per Nos, aut noſtrum Vicarium, ut idonei, fuerint admiſſi.

Religioſos vero, Beneficiorum hujusmodi curæ a ſuis Prælatis præfectos, non obſtante eorum qualiumcunque exemptione, volumus Nobis tanquam Ordinario eſſe ſubjectos.

XII. Monaſteria cujuscunque Ordinis, ſecundum regulas, quas profeſſi ſunt, reformari, ipſosque Monachos in obedientia & religione ſui ordinis contineri, capitulum diſciplinæ frequenter ſervari, vitia illic quotidie ſubnaſcentia ſeveriter corrigi, cultum Divinum reverenter & debite ſervari, concubinarios, adulteros, ebrios, criminoſos, infames, ſuſpectos de hæreſi, aliisve criminibus, pœnis debitis caſtigari, habitum & tonſuram diligenter ſervari, ædificia & bibliothecas ſtudioſe curari, prædia, cenſus & jura conſervari præcipimus: repugnantes, aut reformationis impatientes ſevera coercitione, debitisque mediis caſtigaturi.

Intermiſſa ſacrarum litterarum, atque ea etiam, per quæ ad ſacras litteras pervenitur, ſtudia, apud opulenta Monaſteria intra ſex menſium ſpatium reſtaurentur. Ubi vero pauci ſunt Monachi, iidemque egentes, unus atque alter ad aliud ejusdem, aut ſi commodum videbitur, diverſi Ordinis Monaſterium, ubi ſcholæ reſtitutæ ſunt, mittantur, ubi & in ſacris litteris, & in religionis obſervantia inſtitui & proficere, atque ad prædicationem Divini verbi idonei reddi poſſint.

A rerum profanarum exercitio Monachi abſtineant, atque intra Monaſterii ſepta, niſi Concionum aut Sacrorum peragendorum gratia a ſuis Prælatis dimittantur, ſeu ad aliud Monaſterium deſtinentur, vel a Nobis, tanquam Ordinario, ad curam animarum, ſecundum Canonum permiſſionem evocentur, ſe contineant. Tempore vero eis a Divinis lectionibus vacuo, ſemper pii & honeſti quid agant.

Monachi a ſolitaria vita nomen adepti, familia ſuperflua, equorum faſtu & pompæ multitudine ne ſe ingerant, aut ſibi otioſis, vanisque ſumptibus frequentiam in ſolitudine procurent, ſed frugaliter in humilitate vivant: & quæ neceſſitati ſuperſunt, pauperibus, ſtudioſorumque educationi, Eccleſiæ ſementem uberrimam facturi, erogent atque diſpenſent.

Monaſteria exciſa aut deſerta, quantum fieri poterit, reſtaurentur.

Moniales ab egreſſu Monaſteriorum ſuorum, virorumque conſpectu contineant: earumque Monaſteria viri non ingrediantur, niſi id poſtulet inevitabilis neceſſitas. Oeconomum ad res ſuas foris procurandas deligant honeſtum, fidum, frugalem, qui eis & Viſitatori ternis menſibus rationem reddat negotiorum ſuorum; inutilem, gravem, infidum amoveant, aliumque ſurrogandum procurent.

Canoniſſæ continentiæ ſtudium nulla voti ſolennitate obſtrictum ſectantes, commune habeant dormitorium, habitu modeſto, mundo & caſtitatis indice utantur. Magna quoque inſtituti ſui commoda ex menſæ communione perciperent, ſi contra inveteratum apud eas morem adduci ad hoc poſſent: quod ut faciant, eas in Domino hortamur. Sicubi liberiore vita detrimentum famæ patiantur, reformari eadem curabimus.

XIII. Concionandi officium ſoli vocati, & ab ordinaria Eccleſiaſtica poteſtate admiſſi ſuſtineant.

Paſtores, quibus animarum cura incumbit, Vicarios Sacerdotes, ſi ipſi juſta ex cauſa munus hoc explere nequeant, admittere poſſunt: notos tamen, & Prælatorum ſuorum teſtimoniis ſubnixos.

Concionator, ſeu Doctor Divini Verbi, Evangelium, & Sacras Scripturas non

(*) *forte*: juribus.

non suo, sed orthodoxorum & Sanctorum Patrum sensu & interpretatione tractet, & doceat, Homilias Sanctorum Patrum & Martyrum passiones, a fide dignis tamen Scriptoribus proditas, post Evangelia statis diebus poterit recitare.

In Concione nihil profani, fabulosi, suspective proferatur, sed sint conciones sanorum verborum, & sanæ doctrinæ. Concionator se ad captum auditorum demittat; nunc Catechistam agat, nunc interpretem scripturarum, nunc vitiorum reprehensorem, nunc Doctorem mysteriorum, omniaque, ad lucrum Christo afferendum, omnibus fiat: & a quæstionibus perplexis & difficilibus, omni eruditionis ostentatione rejecta, abstineat, caveatque, ne se unquam ad convitia injuriasque, quibus Ecclesia cum populi offendiculo dehonestatur, delabi contingat.

Iidem Clerum & Magistratum, aut absentes quosvis, suo quosque Judici relinquendos, perverso & multis hactenus usitato judicii genere, apud populum non accusent, non deferant, non calumnientur: linguisque suis pro seditionum flagellis non utantur; sed sit oratio eorum modesta, sobria, gravis, & Verbi Divini nervis compacta, qua potentes sint exhortari in sana doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere.

Misericordiam, bonitatem & caritatem Dei opportuno tempore prædicent, & extollant, ita tamen, ut justitiæ ejus in benefactorum præmiis largiendis, malefactorumque pœnis infligendis non obliviscantur, ut dubitantes & anxii, spe & amore Divino inflammentur, vel a peccatis deterriti resipiscant.

Eleemosynas, satisfactiones, & opera pietatis inducant: ne populus ab eis seductus credat, opinione quadam sua tutum se esse, etiamsi hujusmodi opera, quibus Christianæ fidei paries liniendus est, non faciat, cum tamen Deus sicuti de Pseudo-Prophetis apud Ezechielem dicturus sit: Et complebo indignationem meam in pariete, & in his, qui liniunt eum absque temperamento. (*)

Adversus grassantium hæreseon tempestatem, populum præmoneant sæpe & confirment. Catechismum & Decalogi præcepta crebro relegant, & explicent, inprimisque dent operam, ut perniciosissimus error, qui multorum animos occupat hoc tempore, eradicetur, quo verbum Domini limitibus adeo angustis quidam includunt, ut ab eis nihil, nisi atramento in sacris Bibliis exaratum, pro verbo Domini habeatur: cum verbum Domini initio nullis libris, sed Apostolorum cordibus impressum inveniretur: quod postea non Scriptura tantum, sed magna ex parte Ecclesiæ & Fidelium animis sermone communicaverunt, & sacræ litteræ testentur, Legem Evangelicam, ipsissimum Domini verbum, in tabulis cordium carnalibus, Spiritu Dei vivi scribendum fuisse. Hortetur præterea populum, ut verbum Dei attente audiat, ab hæresibus abhorreat, Missæ officio libenter intersit, frequenti confessione se expurget, mundo corde & avido salutarem Christi corporis cibum excipiat, Sacramentis & eorum Mysteriis secundum Ecclesiæ traditionem religiose utatur, & diebus festis, sanctis tantum vacet operibus: memineritque Concionator, ut corpus suum in servitutem redigat, ne quos sermone ad pietatem adducere conatur, ipse in servitute ventris & peccati obsordescens, deterreat, aut illis opprobrio fiat.

XIV. Divinus cultus observetur, peragaturque his modis & ritibus, qui per manus Sanctorum Patrum nobis traditus, & per Majores nostros in Sacrificio Altaris, Officiis Defunctorum, Canonicis cæterisque Divinis laudibus atque ceremoniis observatus fuit.

XV. In administratione usuque Sacramentorum ut confusio & schismata in Ecclesia Dei vitentur, & Apostolicis traditionibus, sacrisque Canonibus & Legibus reverentia debita habeatur; ceremoniarum, orationum, rituumque receptam uniformitatem Parochos nostros in omnibus sequi volumus atque jubemus.

Volumus etiam, populum, quid in cujusque Sacramenti collatione agatur, in concionibus & Sacramentorum administratione frequenter doceri.

Lingua latina, cui veluti Divino instrumento in ipsa Crucis ara sacris usibus dedicato, Ecclesia occidentalis Religionem Christianam fert acceptam, in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis officiis per totam nostram Diœcesin retineatur, & exclusa revocetur.

Quæ

(*) Ezech. 13.

Quæ vero Germanica linguâ, secundum antiquas agendas pronuntiari consueverunt, mutare fas non sit, sed & ipsa quoque conserventur.

XVI. Solennes ceremoniæ & orationes circa Baptismum hactenus in Ecclesia Catholica usitatæ, & in agendis Ecclesiæ nostræ descriptæ, nisi necessitas illud cogat, non omittantur. Quarum significationes populo sæpius exponi mandamus, ut professionis suæ, qua Christo initiatus est, admoneatur.

Susceptores quoque, seu sponsores parvulorum, ætatis provectæ sint, atque in fide probe catechizati & instructi, quo non ore tantum, sed & mente & serio ad interrogata respondere, suum munus intelligere, & parvulos, ubi adoleverint, & res postulaverit, in fide orthodoxa instituere possint: ætate vero aut fide nondum provectos, ad tantum munus admitti non debere, & ipsa ratio suadet, & nos præcipiendo decernimus.

XVII. Parochi suo tempore de Confirmationis origine, mysterio & Chrismatis arcano subditos sibi doceant, eosque ad ejus desiderium accendant: ut Nobis, quod ex officio nostri debiti crebro facere instituimus, aut si qua justa causa impediti fuerimus, Suffraganeo nostro, Diœcesim nostram ad confirmandos baptizatos circumeuntibus, prompti paratique sint ad hujus Sacramenti susceptionem, faciliusque, quæ ipso administrationis tempore dicentur agenturve, percipiant.

XVIII. Canon Missæ submissa voce, excepta Dominica oratione, pacis exoptatione, Dei invocatione, & postrema populi salutatione, quemadmodum hactenus a Catholicis factum est, summaque religione, ut Mysteriis tremendis sua conferatur auctoritas, pronuncietur.

Reliquæ vero Missæ, quæ catechumenorum dicitur, partes debita religione & voce alta, intelligibilique legantur, adsitque semper legenti Minister, qui Ecclesiæ nomine respondeat Sacrificanti.

Evangelia, vel Epistolæ Dominicis & festis diebus in Parochialibus Ecclesiis populo, sive ante Sacrum, sive sub eo, sive etiam a prandio, quod tempus Epistolæ declarationi non incommodum videretur, lingua germanica exponantur: eoque tempore nulla Missa, ne populum ab auscultatione distrahi contingat, celebretur.

Ut nimia festinatio in Missæ lectione aut celebratione religiosas aures oculosque offendit, ita incondita prolixitas fastidium potius generat, quam devotionem. Quapropter Sacerdotibus nostræ Diœcesis devotam mediocritatem, & toto sacratissimæ actionis tempore decorum, quod ex corporis gestu, vestium sacrarum munda compositione, ipsoque vultu eluceat, commendamus.

Organa ad populi aures nullum alium sonitum, aut numerum deferant, quam qui religiosus ac pius ab omnibus habeatur. Melodiæ lascivæ, aut alio pertinentes, procul absint: profani etiam Rhytmi Ecclesiasticis sonis, aut verba sententiæve Ecclesiasticæ profanis numeris, aut rebus, ludibrii causa, non accommodentur. Nam cum aut melodiæ, aut orationes, sententiæve sacræ in profanam consuetudinem abeunt, fieri non potest, quin ad suum usum in Ecclesiis depromptæ, animis audientium memoria illius ludibrii aut scommatis pungant, atque avocent a devotione.

Sub Elevatione sacræ Hostiæ, Antiphonæ ad hoc Sacrificium tantum pertinentes cantentur: quanquam melius & veteri Ecclesiæ convenientius esset, præsentiam Dominici Corporis in altissimo silentio prostratos contemplari. Si quæ autem aliæ Antiphonæ ex consuetudine, aut fundatione cantari solitæ fuerint, eæ peracto Sacro cantentur.

Concordiæ & pacis symbolum, veluti imaguncula crucifixi, ab ore Sacerdotis pacem populo imprecantis, secundum cujusque Ecclesiæ ritum hactenus servatum, aut commodiorem institutionem, ad adstantes in Missis solennioribus deferatur.

Ignotos Sacerdotes, & qui publicis criminibus infames sunt, aut solum quæstum sectantur, a celebratione hujus Sacri repelli jubemus.

Hostia vitalis pro infirmorum viatico in loco mundo & honorato, accenso ad eum perpetuo lumine, servetur.

Eadem si in solennibus festivitatibus, aut magnis supplicationibus circumfertur (quod nisi ex Catholico instituto, aut gravi causa præsentibus devotis cul-

toribus, fieri non debet) quidquid veram devotionem non excitat, ludique omnes profani removeantur.

Sed & quando ad infirmos defertur, lumen præferri, & campanella fidelibus signum dari præcipimus. Caveat tamen Presbyter, ut ad infirmum pauciores duabus particulis non deferat, ne populus in redeuntis manibus inane vasculum adoret: sin autem contigerit forte, ut reverti ad templum sine Eucharistiæ Sacramento cogatur, lumen præferri, aut signum dari prohibeat.

XIX. Non sine magna animi nostri molestia intelleximus, nonnullos nostræ Diœcesis laicos salutis suæ adeo immemores esse, ut nec constituto ab Ecclesia Catholica tempore confiteantur, neque ad Sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem ulla ratione se præparent, aut ab ea penitus abstineant. Quocirca in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna alias super hoc constituta, universis & singulis Parochis, aut eorum Vicariis præcipimus, ut quadragenarii jejunii singulis Dominicis diebus, Capitulum, quod incipit: *Omnis utriusque sexus*, subditis suis publicent in Ecclesiis, & contra inobedientes ad pœnas, juxta tenorem Constitutionis jam dictæ procedant.

Tenor ac verba Capitis: Omnis utriusque.

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, &c. *Vide supra pag.* 337.

Sequuntur Casus aliquot, in quibus Sacramentum Eucharistiæ personis, ejusmodi criminibus gravatis, non ministrari, aut saltem ad tempus differri debet: qui & ipsi una cum Capitulo: Omnis utriusque sexus, *vulgari lingua suo tempore sunt publicandi.*

Cum ex laudabili Catholicæ Ecclesiæ consuetudine singulis annis vobis, Dilectissimi in Christo, denunciari soleat, cuinam Sacrosancti ac Venerabilis Corporis Dominici Sacramenti perceptione interdictum sit, Reverendissimus in Christo Pater, & Princeps Dominus, Dominus OTTO, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Episcopus Augustanus, in cunctis suæ Diœcesis Parochiis denunciationem sub hac, quæ subditur, forma & ratione fieri mandavit.

Primo, quando hoc præstantissimum Sacramentum hominum e Religione Christianorum unio est & conjunctio cum Deo, cuncti infideles, qui ab Ecclesiæ communione & societate disjuncti sunt, ut sunt Judæi, Ethnici, Hæretici, & quotquot hæreses manutenent, tuentur, eisque opem ferunt, ab ejus perceptione arcendi sunt.

Arcendi sunt etiam, qui vel Papalis, vel Episcopalis excommunicationis sententia constricti, publice denunciati sunt: siquidem illi ab Ecclesiæ communione excluduntur, donec absolutionis beneficium consequantur.

Item ubi cantione, & lectione Ecclesiastica communiter interdictum est, ut fit tempore interdicti, donec ejusmodi perdurat interdictum, non licet sanis percipere hoc Sacramentum: attamen ægrotis ad extrema tendentibus id ministrare permittitur.

Item cum unusquilibet in sua Parochia veneranda debeat accipere Sacramenta, illis, qui alterius sunt Parochiæ, non licet in alienis Ecclesiis hoc percipere Sacramentum, dum absque sui Pastoris permissu, atque ex illius contemptu aliis in locis id sumere volunt. Et Sacerdos, si ea de re certus fuerit, ejusmodi alienæ Parochiæ subditis Sacramentum non porrigat.

Item quando præcelsum hoc Sacramentum sana mente, & ex vera devotione sumendum est, ejus perceptione pueris infra annos discretionis interdictum est. Sicut & illis, qui mente capti sunt, & ratione destituti, ut sunt amentes & insani, sive id naturaliter, sive ex dæmónum obsessione patiantur: nisi forte quandoque mentis compotes reddantur. Tum enim quamdiu ratione sua probe utuntur, Sacramentum hoc eis ministrari potest.

Item ex iisdem jam dictis causis, etiam illis hoc venerabile Sacramentum præbendum non est, qui perpetua stomachi cruditate laborant. Siquidem dum is perseverat morbus, aut ægra affectio, Sacramenti hujus sumptione eis interdictum est: si quis etiam Venerandum hoc Sacramentum absque ulla ratione, vel devotione, aut secus, quam institutum est, expetat, aut indigne, puta

puta vel ad incantationem, aut ſuperſtitionem eo uti velit, ei Sacerdos, dum id reſciſcit, neutiquam ea ratione miniſtrare debet, ſed populum Chriſtianum ſibi ſubditum inſtituere, ac informare, uti pro Catholicæ Eccleſiæ conſtitutione ad id ſumendum præparare ſe debeat.

Item ne hoc præcellens Sacramentum aliqua afficiatur injuria & contemptu, ex Sanctorum Patrum decreto & inſtitutione etiam infames omnes ab ejus perceptione prohibendi ſunt, cujusmodi ſunt præſtigiatores, incantatores publice rei, & ſcurræ, & qui ludis vacant jure Pontificio prohibitis, itidemque ſcorta ac lenones, & qui Judæis ſerviunt, aut eorum alunt proles, vel alia illicita cum eis commercia habent, & ſi qui alii ejus generis ſunt: ii, inquam, omnes ab altaris Sacramento removendi ſunt, donec vita ſua improba penitus abdicanda, ir rogatam ſibi pœnitentiæ mulctam perſolverint.

Item fœminæ virilem habitum malo animo geſtantes, quo perverſam ſuam expleant voluntatem, a Venerando hoc Sacramento arcendæ ſunt, donec id mali penitus correxerint, & ſatisfecerint.

Item quotquot ſe ſegregant, ad hæreſes deficiunt, & peregrina quædam ſectantur inſtituta, ab Eccleſia minime approbata, ut ſunt, qui in latebris clandeſtino conveniunt, & ſingularem, aut etiam rejectam atque damnatam colunt fidem: illi etiam, qui ejuscemodi hæreſes palam præ ſe ferunt, & exercent, ut qui ad fores templorum conſiſtunt, ferreis ſua ſponte circulis devincti, aut ſine pœnitentiæ injunctione ſe ſe flagellis cædunt.

Item qui ſectam Pauperum de Lugduno colunt, in plateis panem propter Deum ſibi dari alta voce precantes, tanquam perfecti ſint. Hos omnes ſinguli Parochi tribus Dominicis publice e ſuggeſtu, ut ab his abſtineant, & cæteris Chriſtianis ſe ſe conforment, admonebunt. Quod ſi obtemperare nolint, ex ſua Eccleſia & Parochia eos expellant, nec Sacroſanctum eis miniſtrabunt Sacramentum. Ita enim habent Statuta Synodalia Provinciæ Moguntinæ.

Item quicunque ſuperſtitioni dediti ſunt, ut certis quibusdam ac ſingularibus nec approbatis utendis (*) benedictionibus, aut rejectis diebus, aut incantationibus dæmonum, aut futura prædicendo ex libris magicis, aut alias, vel quippiam ejusmodi ſectando, quod ſit Chriſtianæ fidei, aut præceptis, & conſtitutionibus Eccleſiæ adverſum: iis omnibus negandum eſt hoc Venerabile Sacramentum, niſi pro ſui Confeſſoris conſilio ejuscemodi ſuperſtitionibus prorſus renuntiarint, & pro admiſſis pœnitentiæ mulctam ſuſceperint.

Item cum unusquilibet Chriſtianus ad idem Sacratiſſimum Sacramentum percipiendum per veram contritionem, & peccatorum ſuorum puram confeſſionem ſe ſe præparare obſtrictus ſit, illis omnibus ejus ſumptione interdictum eſt, qui absque contritione & confeſſione in ſuis manent peccatis: & ſpeciatim illis, qui ſecundum Sanctæ Eccleſiæ præceptum ſingulis annis ſemel non confitentur. Tales enim ab Eccleſia ejiciendi ſunt, & in extremis, ſi ſic decedant, Chriſtiana ſepultura eis neganda eſt.

Item cum confeſſio integra & indiviſa eſſe debeat, & cum propoſito deinceps peccata non admittendi; eam ob rem quicunque in publicis ac notoriis degunt ſceleribus, ut ſunt manifeſti adulteri, & adulteræ, aut qui alias in lupanaribus ſimul victitant, & publici fœneratores, & qui alios ad eadem inducunt, & id genus alii, ad hujus Venerandi Sacramenti communionem admittendi non ſunt, donec re ipſa & factis teſtatum reddant, ſe ſuis omnino vale feciſſe criminibus, & pœnitentiæ ſatisfactionem recepiſſe.

Item quando legitimo juncti Matrimonio ſimul degere ſunt obligati, ſi qui ex illis absque Superioris Eccleſiaſtici, ſeu ſpiritualis Judicis ſui permiſſu, ipſi ſe disjunxerint, ſive divortium fecerint, quamdiu absque juridica ſeparatione, vel conceſſione ſejunctim vixerint, non miniſtrandum, ſed negandum eſt eis Dominicum Sacramentum.

Item iis annumerandi ſunt, qui alearum luſui perpetuo vacant: quibus non eſt porrigendum Venerabile Sacramentum, donec inde abſtineant.

Item qui ebrietati, & crapulæ, & commeſſationibus perpetuo dediti ſunt, &

(*) *forte*: utentes.

& inhærent, & maxime, qui feſtos dies aut noctes in tabernis exigunt, illis poſt factam confeſſionem Venerabilis hujus Sacramenti ſumptione per triginta dies eſt interdicendum, uti ab his vitiis ſe ſe emendent. Quod ſi facere nolint, juxta Canonum decreta etiam (*) morte mulctandi ſunt.

Item, qui aliena detinent bona invitis illis, quorum ea ſunt, poſſuntque reſtituere, iis negandum hoc digniſſimum Sacramentum eſt, donec reſtituerint.

Item, qui ſacras perfringunt ædes, & deſpoliant, & qui Sanctorum, ac Dei templis damna inferunt, ab hoc debent excludi Sacramento, donec relictis hiſce ſacrilegiis, Deo dicatis locis ſatisfecerint, atque reſtituerint.

Item quotquot proximis ſuis intra eorum terminos, ſive illi ſint agrorum, ſive pratorum, ſive hortorum, ſive arearum, injuriam inferunt, vel invadendo, vel inarando, vel ædificia exſtruendo, ſi feſtis id agant diebus, hujus eis Venerabilis Sacramenti perceptione interdictum eſt, donec ab his ceſſent injuriis, & læſis ſatisfecerint.

Item ſubditi, qui propriis Dominis ſuis, ob accepta verbera, aut caſtigationem, vel alias fidem & obedientiam præſtare nolunt, Sacramenti hujus ſumptione interdictum eſt, donec ſe morigeros præbeant, & agant pœnitentiam.

Item quicunque iniqua menſura vel pondere emunt, aut vendunt, triginta diebus jubentur abſtinere a ſacra Communione, poſteaquam ex Canonum præſcripto irrogatam ſibi pœnitentiæ mulctam ſuſceperint.

Item quotquot juſtas non ſolvunt decimas, Parochi ſui tribus vicibus admonere debent, ut eas jure perſolvant. Quod ſi admoniti facere recuſabunt, neganda eſt eis ſacra Communio, donec ſatisfaciant, & mulctam ſibi imponi patiantur.

Item quibus alicujus teſtamenti negotia bona fide exequenda commiſſa ſunt, ſi ultra annum rem differant, auctoritate Epiſcopi ad executionem compellentur; poteruntque ob ejuſcemodi negligentiam, ſi juſta & rationabilis cauſa deſit, ſacra Communione prohiberi.

(*) *Lege:* in morte

Item, quando ſingulus quiſque e Religione Chriſtiana ſanctis Eccleſiæ præceptis obtemperare tenetur, puta, ut jejunet, feſta celebret, confiteatur peccata ſua, ſacras inviſat ædes, & alias Sanctæ Eccleſiæ conſuetudines colat, & obſervet, quicunque animo obſtinato iis ſe ſe oppoſuerint, eaque contemptui habuerint, a digniſſimi Sacramenti perceptione excludentur, donec redeant ad obedientiam, & pro ſuis peccatis mulctam ſibi irrogari ferant: idque illi maxime, qui, ſpretis templis conſecratis, abſque Præſulis ſui permiſſu in aliis locis plebem orationis cauſa congregant. Qui enim id agunt, excommunicationis ſententia ligati ſunt, nec licet eis Dominicum percipere Sacramentum.

Item, qui Sacerdotem e ſuggeſtu concionantem impediunt, atque in ejus contemptum ex ſacris ædibus abſcedunt, a ſacra Communione arcendi ſunt, donec ſe ſe emendent, & agant pœnitentiam.

Item quotquot ex Eccleſiaſtici decreti, ſive præcepti contemptu, Dominicis, aut aliis feſtivis diebus Sacrum Miſſæ auſcultare nolunt, nec in ipſo Miſſæ officio perſeverant, donec Sacerdos ultimam benedictionem impertiatur, pro judicio Confeſſoris ſui a Communione prohibeantur, donec agant pœnitentiam.

Item quicunque Dominicis, aut aliis feſtivis diebus rebus venalibus, quæ ad neceſſarium corporis victum non requiruntur, mercimonia exercent, Synodalibus Statutis a Venerabilis Sacramenti ſumptione prohibentur, donec ab his penitus abſtineant.

Item, qui clanculum ſe ſe jungunt Matrimonio, iis ſacra Communio neganda eſt, donec ſecundum Eccleſiæ conſtitutionem publice ſe denuntiare faciant.

Item, qui Dominicam Orationem, & Symbolum Apoſtolorum ex deſidia aut contemptu diſcere nolunt, poterunt a ſuo Confeſſore ſacra Communione prohiberi, donec ea addiſcant.

Item quicunque Omnipotentem Deum, aut Sacratiſſimam Dei Genitricem, vel alios Sanctos palam blaſphemant, aut eis maledicunt, vel per eorum

rum nomina, vel membra indigne ac impie jurant, & imprecantur, seu maledicunt, ab Ecclesiæ ingressu, & sacra Communione excludendi sunt, donec publicam egerint pœnitentiam.

Item quotquot Sacerdotalem dignitatem, & Sacerdotes ipsos publice dehonestant, aut conviciantur, iis similiter Ecclesiæ aditu, & sacra Communione interdictum est, donec pœnitentiam egerint.

Item, qui animo deliberato homicidium perpetrant, & qui erga proximum inimicitias, aut invidentiam ulcisci meditantem animo gerunt, aut qui proximos inique opprimunt, aut eorum existimationi, aut honori falso derogant, ii omnes ad Venerabilis Sacramenti perceptionem non sunt admittendi, donec vel pacem conciliando, vel aliena damna restituendo satisfaciant, & irrogatam pœnitentiæ mulctam persolverint.

Item pater & mater, qui proles suas a mortis periculis non custodiunt, sive id scientes fecerint, sive ex incuria ac negligentia, aut forte in somnis, poterunt ad tempus a Confessore suo præstantissimi Sacramenti sumptione prohiberi, donec pœnitentiam expleverint.

Item cum Sacris Canonibus sub excommunicationis pœnis cautum sit, ne quisquam cujuscunque status sit, adversus Ecclesiasticarum personarum, Templorum, aut Monasteriorum Ecclesiasticam libertatem sancire quippiam vel statuere ausit, eam ob rem quicunque tale aliquid præcipiunt, aut statuunt contra Ecclesiasticam libertatem, aut ejuscemodi decreta manutenent ac tuentur, & secundum ea judicant, aut talibus mandatis utuntur, & personas, bonaque Ecclesiastica exactionibus, aut aliis modis gravant, iis omnibus sacra Communione est interdictum, donec hujuscemodi mandata & constitutiones abrogent, ab iniquo proposito cessent, & inde absolvantur.

Item quando Sacri Canones vetant, ne quis manifestam usuram non esse restituendam, aut quod per usuram quæsitum est, non esse reddendum, sententiam ferat: siquis autem id agat, excommunicationi subjaceat; quicunque talem ferunt sententiam, iis hujus est perceptione Sacramenti interdictum, donec inde absolvantur, & pœnitentiæ mulcta eis irrogetur. Potest denique unusquilibet Confessor, cui curæ sunt animæ sibi confitentium, præ peccatorum magnitudine & gravitate eisdem sibi confitentibus, ceu filiis confessionis suæ, ex causa, quæ sibi justa videbitur, ad tempus sacra Communione interdicere, eique tales confitentes morem gerere debent: nisi a Superiore Ecclesiastica potestate aliud impetraverint. Quod, si peccatum occultum sit, & talis quispiam ad Altare accedens Venerabile Sacramentum sibi porrigi publice petat, non id illi Sacerdos negare debet: quanquam hoc ipso, quod contra sui Confessoris prohibitionem accedit, peccatum admittit.

Catholicæ Ecclesiæ pientissimæ matris lenitas, de rigore pœnarum Canonicarum, de quibus omnes Canones pœnitentiales extant, tantum remisit, populusque sibi ex ea clementia permisit tantum, ut difficile sit eas leges hoc tempore in usum Ecclesiasticum revocare. Nam cum Christianorum licentia in peccando crevisset, sæpeque anni pœnitentiales ex iis Canonibus in numerum ingentem, pœnitentisque vitam etiam longissimam excedentem conficerent, aut senio morbisque gravati satisfacere nequirent: factum deinceps fuit, ut illæ pœnæ ex clementissimæ Matris Ecclesiæ indulgentia & thesauri meritorum Christi & Martyrum dispensatione, in eleemosynas, orationes, sacrorum locorum visitationes, aliave Christiani hominis exercitia commutarentur. Quoniam igitur & pœnarum usus exolevit, & indulgentiæ hujusmodi, Hæreticorum culpa, plerisque contemptui sunt: Parochis nostræ Diœcesis injungimus atque mandamus, ut confitentes harum pœnarum saltem admoneant, Judiciumque veteris Ecclesiæ circa eas explicent, & pestilentem illam opinionem, qua persuasum plerique habent, hominem peccati actualis pœnam Divinæ Justitiæ non debere, ex animis confitentium evellant, atque pœnitentialium Canonum severitatem, pro recepta posterioris ætatis consuetudine, orationibus, eleemosynis, jejuniis, aliisque id genus pietatis operibus, pro satisfactione pœnarum injunctis, mitigent,

gent, prudentique judicio pro lepræ qualitate, pœnitentisque viribus, facultate, & affectibus expensis, simul & medicinam animæ ulceribus adhibeant, & pœnas delinquentibus infligant. In peccatorum Sacramentali inquisitione caveant, ne inconsulta diligentia, pusillorum animæ scandalizentur.

Decernimus etiam, ut Confessores probatam aliquam confessionis summam legant, qualis est Beati Antonini, Caymi Mediolanensis, aut Thomæ Cardinalis Cajetani: ex eaque criminum differentias, magnitudines, causasque optime discant, ut salutarem medicinam facere suo tempore possint.

Præterea, ne Ecclesiarum Rectores videantur pecuniæ magis, quam animarum saluti studere, statuimus & ordinamus, ut deinceps quilibet Confessor idoneus laicos contritos & confessos, ab omnibus peccatis occultis, quantumcunque gravibus & enormibus, Nobis, tanquam Ordinario ante reservatis, absolvere possit: homicidis, hæreticis, & excommunicatis, quos ad Nos, vel Pœnitentiarium nostrum remitti volumus, duntaxat exceptis. Quod ad Clericos attinet, in hac parte nihil esse volumus innovatum.

Mandamus denique, ut a confitentibus pro confessionis auscultatione aut absolutione nihil exigatur.

Postremo Presbyteris nostræ Diœcesis omnibus præcipimus, ne posthac eos, qui se in Monasteriis, aliisque locis, in casibus Sedi Apostolicæ, aut Nobis, tanquam Ordinario specialiter reservatis, aut ad contentiosi fori indagationem pertinentibus, absolutos esse prætendunt, tanquam rite absolutos admittant, aut tolerent: sed eos ad Nos, seu Pœnitentiarium nostrum remittant, ut Nobis, aut Officialibus nostris de Canonicis eorum absolutionibus fidem faciant legitimam, superque præmissis expeditionem salubrem recipiant, & quod justitia suaserit, vel rationis ordo dictaverit, exequantur: donec hi, qui se absolvendi potestatem hujusmodi habere asseruerunt, privilegia sua Nobis congruo, tutoque loco exhibuerint, eaque a Nobis fuerint examinata. Qua tamen in re mendicantium Ordinum Fratribus, eorumque Facultatibus, ipsis a Summis Pontificibus concessis, nolumus præjudicari: quin ipsi, tam ut jure Pontificio cautum est, quam, ut a Nobis, Prædecessoribusque nostris eis concessum fuit, atque conceditur, Christi fidelium confessiones audire, & eos in casibus sibi, ut præfertur, concessis, in foro pœnitentiali absolvere, pœnitentiasque salutares injungere valeant, quemadmodum Ecclesiarum Rectoribus nostræ Diœcesis concedere consuevimus.

XX. Unctionis extremæ Sacramentum cum litaniis & orationibus a Majoribus acceptis, totaque Ecclesia servatis, fidelibus impartiendum jubemus.

Sacerdos infirmum consoletur, a curis & desideriis præsentis vitæ ad spem æternæ salutis erigat: diabolum & terricularnenta ejus alto animo contemnere, Christique misericordiam sperare jubeat, atque ita confirmatum cum benedictione Christo commendet.

A reditu quoque comitantem multitudinem infirmitatis humanæ admoneat, atque ad preces pro infirmo, in calce terreni agonis luctante, fundendas hortetur.

XXI. Sacerdotem nuptias alibi, quam in Ecclesia, quæ proprius est Sacramentorum locus, admittere, conjungere, aut benedicere prohibemus.

Vetamus etiam a Sacerdotibus eos conjungi, de quibus edictis, aut proclamationibus, ut minimum tribus, iisque tribus diebus festis sibi succedentibus, propositis, aut in concione publice factis, non constiterit, eorum conjunctionem nulla legitima Canonicave causa impediri, aut eos a parentibus, tutoribus, vel cognatis ad hanc copulam non cogi, sed liberum ad eam consensum afferre.

Jungendos Matrimonio admoneri quoque a Sacerdotibus volumus, ut parentum & amicorum consilia potius, quam privata desideria sequantur; exemploque Tobiæ, jejuniis, & orationibus se se præparent, atque commendent gratiæ Dei.

Doceri etiam eos præcipimus Matrimonia, etsi quoad personas contrahentium legitima rataque sint, tamen nisi reli-

religione & fide eorum ſanctificentur, Deo grata non eſſe, Sacramentalique gratia, donec vitium ſuum emendaverint, Eccleſiæque legibus ſubdantur, deſtitui.

XXII. Pro reconciliatione pœnitentium, aut alicujus Sacramenti, vel Sacramentalium quorumcunque adminiſtratione, Sacerdos de pecunia, aut re qualibet ſibi danda minime paciſcatur, ſed eadem pro temporis, loci, perſonarumve neceſſitate ſecundum ritum Eccleſiæ, ſine mora adminiſtret. Verum quia ratione, jureque dictante, ſocii paſſionum, ad conſolationum ſocietatem merito admittuntur: Permittimus tandem etiam Judicis officio implorato, exigi, quod in hujusmodi conſuetudine debetur: ad cujus obſervationem laicos hortamur, &, quantum de jure eſt, adſtringi volumus, atque compelli.

XXIII. Prælatis noſtræ Diœceſis, Virgines, Eccleſias, Altaria, Cœmiteria conſecrari, ſacra loca quocumque modo execrata reconciliari, vaſa, veſtesque ſacras, aquam, ſal, palmarum ramos, frutices, herbas, cereos, agnum paſchalem, fructus novos, & quæ ſunt talia, quæ de jure, vel conſuetudine ante hanc Catholicæ Religionis perturbationem conſecrari, aut benedici conſueverunt, ſuo quæque tempore & loco, ſuisque ritibus & orationibus per totam noſtram Diœceſin benedici jubemus. Si quid vero locorum, aut rerum non conſecratum, aut execratum fortaſſe fuerit, quod conſecrari aut reconciliari debuiſſet, Nobis intra proximum menſis ſpatium indicari ab his, quorum hæc cura eſſe debet, præcipimus, ut noſtro Epiſcopali muneri in hac etiam parte ſatisfacere poſſimus.

Parochi, & quibus in noſtra Diœceſi Verbi Dei prædicatio incumbit, populum doceant, loca, veſtes & vaſa uſibus profanis exempta, & Sacramentorum Chriſti miniſterio mancipata, ideo conſecrari & benedici, ut ſciamus nonniſi Sacris & Divinis rebus vacandum, gratia Dei illic, ſeu munimine Divino præſente. Præterea res alias, humanis uſibus neceſſarias, in nomine Chriſti per orationem Miniſtri, & verbum Dei benedici, ut Nobis, Divina beneficentia contra adverſarias poteſtates, incantationes, Magias, fraudes & machinationes inimici, pertinaciter nos oppugnantes, proſint, & virtutem concipiant.

Ceremonias vero Majoribus noſtris, hominibus religioſiſſimis uſitatas, quod ad varios pietatis uſus valeant, & exercitia quædam ſint, quibus mens externarum ſcilicet rerum ſenſu & ſignificatione, ad Divinum cultum ipſumque Deum attrahitur, in Eccleſiis noſtræ Diœceſis retinendas, & ubi abrogatæ fuerint, revocandas eſſe ſtatuimus, atque mandamus.

Et quemadmodum a Parochis, Concionatoribusque noſtris de ceremoniarum ſignificationibus populum doceri volumus, veluti cereos ad laudem & gloriam ejus, qui lucem inacceſſibilem inhabitat, & omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, accendi: thura incenſa ſignificare, orationes & deſideria noſtra cum odore bonorum operum ad Deum aſcendere oportere: Proceſſiones lætas, noſtram de Chriſti triumpho & gloria exultationem: lugubres, noſtrum in hac lachrymarum valle exilium indicare; & illis Deo gratias agi, his veniam peccatorum, & pro vindicta miſericordiam implorari: ita eundem populum ſedulo moneri jubemus, ne ceremonias religioſiſſime inſtitutas, in abuſum vertant aut ſuperſtitionem, ſed ipſis ad pietatem exercendam utantur: atque ut proceſſiones ſint graves, ordinariæ, honeſtæ, Chriſtiana religione dignæ, atque a vanis & ſecularibus ſtudiis prorſus alienæ.

Cum autem Deo Optimo Maximo Creatori & Redemptori ſuo honorem, timorem, & reverentiam homo, tanquam creatura, debeat, multosque videamus ea in re damnata ignavia deſides eſſe, omnibus Eccleſiaſticis perſonis noſtræ Diœceſis diſtricte præcipiendo mandamus: ut poſthac ſumma pietate Deum ubique & honorent, & timeant, præcipue vero in templis humiliter revereantur, & venerentur: & cum in nomine Domini noſtri JESU CHRISTI omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum flectendum ſit: volumus, ut omnes, quotiescunque in ſacris Concionibus, aut Miſſis, nominis Sanguinis & Corporis Chriſti,

Chrifti, aut Dei Genitricis Mariæ Virginis fiat mentio, aut quando canticum: Gloria in excelfis, aut Gloria tibi Domine, ante Evangelii initium, aut Nativitatis Chrifti ex Virgine, & Incarnatio in Symbolo, aut gratiarum actio in Præfatione, aut hujusmodi alia in Divinis officiis canuntur, vel commemorantur, detecto capite, genibusque flexis ante altare, velut locus tempusque poftulaverit, Deo reverentiam exhibeant debitam, & populum ad ejus rei imitationem verbis factisque commoneant, atque hortentur.

XXIV. De diebus Feftis feriandis nihil innovare volentes, præcipimus, ut Feftivitates Chrifti, ac Beatæ Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum, juxta conftitutionem & ordinationem per quondam felicis memoriæ Chriftophorum, Epifcopum Auguftenfem, Prædecefforem noftrum defuper factas, & divulgatas, quarum tenor fubinferitur, deinceps celebres habeantur.

CHRISTOPHORUS DEI GRATIA, EPISCOPUS AUGUSTENSIS, DILECTIS NOBIS IN CHRISTO DECANO, ET CAMERARIO CAPITULI IN N. SALUTEM IN DOMINO.

Licet fuperioribus annis conftitutiones in particulari Conventu Ratisbonæ habito, per Sedis Apoftolicæ Legatum factas, per totam Diœcefin noftram publicari fecerimus: ad aures tamen noftras pervenit, quod hæ conftitutiones, & præfertim quoad obfervantiam dierum Feftivitatum ab aliquibus veftris Capitularibus Plebanis inæqualiter obferventur: ex quo multi emergunt errores, in Divini cultus contemptum, & fcandalum plurimorum. Unde Nos, ficuti noftro incumbit officio, hujusmodi erroribus in futurum obviare cupientes, fefta in Diœcefi noftra celebranda hic inferi fecimus: videlicet ftatuimus, ordinamus & volumus, ut de cætero Dominica dies, quæ in gloriam Dominicæ Refurrectionis ad nos ufque a primitiva Ecclefia maxime celebris femper habita eft, dies quoque Nativitatis Chrifti, fancti Stephani, & Innocentium, Circumcifionis, Epiphaniæ, Pafchæ cum feria fecunda & tertia duntaxat, Afcenfionis, Georgii, Pentecoftes cum feria fecunda & tertia tantum, Corporis Chrifti, quatuor Fefta Beatæ Mariæ Virginis, nempe Purificationis, Denunciationis, Affumptionis, & Nativitatis, Natalia Apoftolorum, Joannis Baptiftæ, Magdalenæ, Laurentii, Dedicationis Michaelis, omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, Catharinæ, Hulderici atque Afræ, Patronorum noftrorum, ficuti hactenus obfervati fuere, celebres quoque & Fefti habeantur. Mandantes infuper vobis, ut Fefta jam fpecificata obfervetis, & a Parochianis veftris obfervari faciatis: in cæteris autem Feftivitatibus, quacunque ratione vel inftitutis, vel receptis, cuique liberum permittatis. Datum in caftro noftro Dilingenfi anno a Nativitate Domini 1539.

XXV. Cum poft innumeras novationes noftra tempeftate in fidei orthodoxæ articulis, moribus & ritibus a perverfis hominibus introductas, nihil intentatum relinqueretur, quo populi aures a novatoribus captæ detinerentur: eo tandem ventum eft, ut Oratio Dominica, Angelica Salutatio, Apoftolorum Symbolum, & Decalogi Præcepta, quæ majores noftri in Germanicam linguam religiofiffime converfa nobis tradiderunt, ab iftis inverterentur: Illaque Reverendiffima Religio, verborum majeftas, tenor atque numeri, in animos hominum una cum materno lacte inftillati, e media Ecclefia tollerentur: adeoque, utqui nova interpretatione ufi funt, intelligerent fe a vetere devotione effe dimotos. Nam ut unico exemplo oftendamus, fequens noftrum ftatutum ratione non carere, ab iftis novis interpretibus factum eft, ut quod antea in Oratione Dominica dictum fuit Pater nofter in cœlis: ab iftis dicatur, Nofter Pater in cœlis: jamque five data opera, five cafu aliquo hoftili id acciderit, effentiæ verbum fedem fuam in Divinæ Paternitatis invocatione amiferit. Ut igitur antiqua verborum religio, atque in ea devotio passim confervetur, Plebanis Ecclefiarum Parochialium in virtute fanctæ obedientiæ diftricte præcipiendo mandamus, ut fingulis diebus Dominicis finita concione, Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apoftolorum, &

Decalogi Præcepta, diſtinɛte ac tractatim ita prælegant, ut populus legentem repetitione ſubſequi, ea diſcere, & memoriæ mandare poſſit.

XXVI. Inprimis ſtatuimus & ordinamus, ut nullus noſtræ Auguſtenſis ditionis, aut Diœceſis, cujuſcunque ætatis, ſtatus, ordinis, aut gradus fuerit, ad Scholas & Gymnaſia, de ſchismate aut hæreſi ſuſpecta, nuperque natis de religione perverſis opinionibus contaminata, diſcendi docendive cauſa audeat proficiſci. Nam qui contra fecerit, is ſciat, ſe Nobis pœnas debitas daturum.

Quod vero ad Nos attinet, Academiis incorruptis, & in Catholica doctrina, vitaque perſeverantibus, poteſtatem facimus, Nobis viros literatos ad regendum Eccleſias idoneos ſignificandi: quorum in collatione Beneficiorum, Parochialiumque Eccleſiarum, apud quos reſidere voluerint noſtræ Diœceſis, honeſtiſſimam rationem Nos habituros, eosque, ſi digni ea re videbuntur, etiam apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum Paulum Tertium Pontificem Maximum, cujus optimam mentem ad hoc inclinare cognovimus, ſummo ſtudio atque diligentia promoturos pollicemur.

Concilii quoque Lateranenſis Decretum amplexi, præcipimus, ut quæcunque, aut qualiacunque Canonicorum Collegia, Scholas pro cujusque Collegii magnitudine, ſicubi aut deſierunt, aut novis opinionibus infectæ, erigant, & reſtituant.

His præficiantur Magiſtri & Pædagogi incorruptæ vitæ, a quibus tam pietatis Chriſtianæ prima principia, quam rudimenta literarum juventus hauriat, eæque in claſſes, ſi ætatis aut ingeniorum ratio id poſtulare videtur, dividantur.

Quibus etiam nihil, quod eorum innocentiam, vel in religione, vel in moribus lædere poſſit, prælegi mandamus.

In reliquis vero oppidis, ubi Collegia non ſunt, Scholas, quarum Magiſtri boni, honeſti, & docti ſint, inſtaurari, aut conſervari jubemus.

Apud ſingula frequentioraque Canonicorum Collegia ſinguli Theologi honeſtis ſtipendiis conducti habeantur: qui certis diebus & horis interpretentur Biblia, ac de re theologica juniores Canonicos, Vicarios, & alia Collegii membra doceant: ubi eorum quisque ad lectionem ſuæ profeſſioni & inſtituto congruentem comparere teneatur.

Doctori unius Præbendæ proventus, donec in docendo perſtiterit, aſſignetur: qui, ſi non ſuffecerit, ratio aliqua ineatur, ut ei, quantum ſit ſatis, ſuppeditetur.

XXVII. Hoſpitalia noſtræ Diœceſis conſervari, reditus ad ea deſtinatos in nullos alios uſus converti, atque ſicubi alienati, aut in privatos uſus converſi fuerint, revocari jubemus: ſi apud Collegia, Monaſteria, aut ſacras alioquin ædes, hoſpitalium reditus cum cæteris reditibus, aut bonis confuſi fuerint, & hodie ignorentur, curabimus nihilominus, ex Collegii, Monaſterii, aut ſacræ illius ædis ærario, aut proventibus, pauperum & infirmorum neceſſitati provideri. Viduæ, Orphani, & qui ad quærendum victum ſibi non ſufficiunt, ex eo loco, ubi hoſpitalia conſtituta ſunt, oriundi, in ea recipiantur: Peregrinis autem hoſpitalia pro refectione tantum, non autem in fraudem indigenarum pauperum pro inhabitatione patere concedimus.

Hoſpitalium, quorum fundatores ſibi proviſionem, ac diſpenſationem retinuerunt, adminiſtratores, ſaltem ſemel in anno Proviſoribus rationem reddant, quorum omnium curam & inſpectionem præcipuam nobis Divino aſpirante Numine, pro ordinaria noſtra auctoritate ſumemus.

XXVIII. Principes, Comites, Barones, Nobiles, civitatisque Auguſtenſis, atque aliorum oppidorum & municipiorum noſtræ Diœceſis Magiſtratus, & Præfectos hortamur in Domino, atque in virtute Eccleſiaſticæ obedientiæ requirimus, eisque munere, quod Deo authore gerimus, confiſi, mandamus, ut invocati Nobis, noſtrisque Vicariis in exequendis hujus Sanctæ Synodi Decretis auxilio ſint: Jurisdictionem, libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam Imperatorum legibus, & ſacris Canonibus, Epiſcopis & Clero tributam ac firma-

firmatam tueantur, Nobisque conservent: adhæc etiam, ne Ecclesiis, quas tuitionis, protectionis, aut advocationis jure tueri deberent, contra fidei datæ Sacramentum, gravia & iniqua onera imponant, ne ipsos tandem Cæsareæ Majestatis præcepto aut amoveri contingat, aut limitibus præscriptis, quid alteri alteris invicem debeant, includi. Cæsaris enim jussum in re tam justa prævenire honorificentius est, quam eum ad exequendum invitum compelli.

Cum populus præter obedientiam, quam Principibus & civili Magistratui debet, ad eam quoque, quam Nobis, & aliis Ecclesiasticis Ordinibus debet, redigendus sit: universos & singulos nostræ Diœcesis laicos in Domino hortamur, eisque præcipimus, ut Clerum nostrum, Parochos, aliosque Ordines Ecclesiasticos venerentur, eorum facta non temere judicent, adversus Presbyteros suos præfracte non contendant, sed morigeros se præbeant, atque obsequentes. Ad Christum enim, cujus legatione funguntur, eorum tam honor, quam contemptus pertinere credendus est.

Conveniat quoque diebus Dominicis & Festis ad Divina, quæ in Ecclesiis Catholicis celebrantur. Concionem sub silentio audiat, memoriæ commendet, & Concionatorem vel auscultantes strepitu, aut deambulatione, non perturbet. In Missa audienda ad finem usque donec Benedictionem Sacerdotalem acceperit, perseveret: & qui peccati vinculo retinentur ligati, absque absolutionis, & veræ emendationis proposito, ab Eucharistiæ Sacrosanctæ perceptione abstineant: palam vero criminosos, & qui peccati certissimam occasionem dimittere nolunt, sive Sacerdotes sint, sive laici, omnino a Communione volumus abarceri.

Patres & matres familias, liberos & familiam, secundum audita in concione domi instruant, timorem Dei, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi, & quidquid pertinet ad bonos mores & virtutem in eis educandam, doceant: præcipue vero eos a blasphemiis, juramentis, & execrationibus, cum domestica disciplina, tum iræ Divinæ prædicatione deterreant. Cætera, quæ hic brevitatis causa omittimus, ut a piis Concionatoribus acceperint, ita doctrina & usu domestico tractent, atque sicuti Christianos homines decet, exerceant.

Ceremonias quoque Christianæ pietatis, & instituta Ecclesiastica de jejuniis & abstinentia carnium, de feriis, de processionibus, & id genus ritibus, a populo Nobis commisso suo debito obedientiæ Sanctæ Ecclesiæ, religiose ac sancte observari mandamus.

Sanctionem Patrum Christianus populus de Confessione & Eucharistiæ Communione, Paschali tempore, sub pœnis in Canone contentis observet; libros contagiosos, de falsa religione suspectos, & impiis jocis refertos, imagines præterea & picturas obscænas, vel ad ludibrium religionis Catholicæ, aut ad certorum hominum infamiam expressas populum nostræ Diœcesis legere, aut habere, atque de Sacrosancta Fide, præcipue inter pocula atque convivia, temere disceptare non liceat. Legat autem libros sacros, sanctos Patres, vitas Sanctorum, præclarorum & fortium virorum historias, & imagines tales spectet, quibus ad pietatem, virtutem, religionis & reipublicæ amorem accendatur.

Ebrietatem atque infames compotationes fugiat, quibus & corporis & animi vires enervantur.

Tabernæ & œnopolia diebus festis ante Sacrum in Ecclesia peractum, infirmis & peregrinis exceptis, non pateant.

Novorum & ab Ecclesia non receptorum dogmatum auctores, prædicatores, aut jactatores, sacrilegos, perjuros, blasphemos, usurarios, adulteros, ebrios, aliisque publicis criminibus obnoxios, ferri in Ecclesia nostraque Diœcesi prohibemus: in quos etiam censuris & pœnis Ecclesiasticis summa severitate animadverti debere statuimus, & ordinamus.

XXIX. Ut porro sciant Abbates, Præpositi, Decani, & Clerus nostræ Diœcesis, Nos hæc Statuta Synodalia ex sacræ Cæsareæ Majestatis formula, sacrisque Canonibus, & Patrum Antecessorum nostrorum Decretis & Statutis, non ad ostentationem, sed ad indubitatam

tam Reformationem ipſorum, noſtrique gregis, pro ipſorum temporum uſu atque neceſſitate collegiſſe, poſthac tertio quoque anno, quot annis, aut quoties res poſtulaverit, Diœceſin noſtram totam, viſitationis gratia, vel ipſi circumibimus, aut per Suffraganeum noſtrum, qui baptizatos etiam Confirmationis Sacramento ſignet, mandabimus viſitari.

Viſitationis autem normam, ſi quid in Eccleſiæ noſtræ formulis deſiderabitur, Suffraganeo, aut Vicario noſtro, quorum alteri, vel utrique in occupationibus noſtris viſitandi munus delegabimus, præſcribemus: eamque Decanis quoque Diœceſis noſtræ ruralibus in ſuis viſitationibus ſequendam, quatenus pertinere ad eos videbitur, proponemus: operamque dabimus indefeſſam, ut in hac quoque parte eorum, quæ hoc quidem tempore effici poſſunt, nihil deſideretur.

XXX. Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti noſtri ſententias a nullo, cujuscunque ſtatus, gradus, & conditionis fuerit, negligi, contemni, aut quoad publicationem,& executionem earum impediri debere ſtatuimus, atque ſub pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis quibuscunque impedientibus irrogandis, diſtricte præcipimus.

Officiali quoque noſtro injungimus, ne Divinam cenſuram, qua nulla eſt major in Eccleſia, leviter & propter exiguas parvique momenti cauſas proferat: ſed ut ad ſanitatem magis, quam ad interitum contumacium ac rebellium animorum reſpiciat.

Excommunicatos & denuntiatos, ab omnibus vitari, & a nemine in conſortium recipi decernimus, eosque ante pœnitentiam, emendationisque ſponſionem, atque ſatisfactionem tam Eccleſiæ, quam injuriam paſſo faciendam, ad Sacramenta, Communionemque fidelium admitti, atque abſolvi prohibemus.

Niſi populari concurſu cædes Cleri facta ſit, perſona tantum, Clericalis homicidii rea, non autem locus delicti, interdicendus erit; idque ea de cauſa, ne per hanc occaſionem populus indies negligentior fiat, neve a ſceleratis hominibus otium a Divinis, patrato crimine, dataque opera procurari poſſit.

XXXI. Univerſis Sacerdotibus, & omnibus noſtris ſubditis, tam religioſis, quam ſæcularibus injungimus, & mandamus, ut pro Sanctiſſimo Domino noſtro PAULO Papa III. atque Invictiſſimo Imperatore noſtro CAROLO Quinto, cujus immortali beneficio hanc pacem quietemque publicam debemus: pro Sereniſſimo Principe Ferdinando, Romanorum Rege, & aliis Principibus Catholicis, in Miſſis, Orationibus & Concionibus ſuis devotiſſime precentur: populumque, ut idem faciat, hortentur, ut orthodoxam fidem, Sedisque Apoſtolicæ, a qua fidei Chriſtianæ incunabula traximus, auctoritatem, ut hactenus factum ab eis fuit, ad gloriam Omnipotentis Dei tueantur: & ſi qui alii forte callidis adverſarii noſtri artibus in errores prolapſi addictive ſint, pro his una cum populo atque in Sacris orent, ut in tempore reſipiſcant, atque ad priſtinam Eccleſiæ Catholicæ unitatem & obedientiam una cum populis ſibi ſubjectis revertantur.

XXXII. Cum porro ſine coercitione Jurisdictio nulla ſit, & absque pœnis non modo leges vileſcant, verum etiam quælibet civilis ſocietas in deterius facile abeat, atque diſſolvatur, ne fruſtra huic ſancto muneri operam impendiſſe videamur: ſtatuimus, atque ordinamus, ut pœnæ canonicæ tam in Corpore Juris clauſæ, quam Provincialibus, Synodalibusve Statutis alias editis annexæ, transgreſſoribus horum Statutorum, ſicubi ſpecialis pœna expreſſa non ſit, infligatur; Nobis, aut Vicario, ſeu Officiali noſtro, earum electionem, moderationem, aut aliam quamlibet arbitrariam pœnam, earum loco, pro perſonarum, locorum, aut transgreſſionis qualitate exigendam, reſervantes.

XXXIII. Cum Synodorum celebrandarum ratio in tanta rerum Eccleſiaſticarum perturbatione plerisque ignota ſit; volumus ſubditis noſtræ Diœceſis omnibus noſtram in hanc rem mentem, & quid quisque in ea facere, aut ex ea ſperare poſſit, vel debeat, explicare.

Synodos igitur noſtras Diœceſanas anniverſarias, & quoties neceſſitas Eccleſiæ noſtræ poſtulaverit, eſſe & habere volumus, atque decernimus.

Qui ex noſtra Diœceſi in Synodalem conſeſſum recipiuntur, ſinguli jurisjurandi, Nobis præſtiti, admoniti, aut ſi videbitur, jurati, Eccleſiarum ſuarum, Prælatorum, atque etiam Officialium noſtrorum, & populi detrimenta, defectus, vitia gravia, & ſæcularium quorumcunque, ſive præſentium, ſive abſentium, tyrannidem in Eccleſias, populum, viduas, vel orphanos ſævientem, proferant in medium, a Synodo ſine ullo reſpectu corrigenda.

Appellationes quoque eorum, qui ad noſtram Synodum provocarunt, abſentiumque gravamina, aut deſideria per epiſtolas, aut libellos ſupplices explicata audientur.

Laicis etiam ſuas querelas, modo res, aut cauſas Eccleſiaſticas concernant, aut ad judicium Synodi pertineant, in ſcriptis proponendi poteſtas fiet: quibus Procuratores & Advocatos Synodales ex noſtris Conſiliariis laicis deputabimus; aut ipſos, ſi digni, vel ad cauſas ſuas exponendas apti ſunt, intromitti mandabimus.

Et quicunque Divini amoris zelo ducti, crimina, diſciplinam, & quietem Eccleſiaſticam perturbantia, denunciare voluerint, vel publice, vel privatim audientur: ad quam denunciationem ceu Evangelicam, & ex caritatis viſceribus proficiſcentem, univerſos & ſingulos per amorem, quo Reipublicæ Chriſtianæ quisque infixus eſſe debet, exhortamur.

Inteſtina quoque odia, & capitales inimicitias, ex quibus noſtræ Diœceſis tranquillitas perturbari, aut ſcandala oriri poſſent, ſummo ſtudio, ſummoque moderamine æquitatis, extingui, deponi, atque ad amicitiam, aut ſaltem ad compoſitionem & pacem traduci admitemur.

Quoniam vero multi ſunt, qui aliorum vitia & defectus, aut potentiorum injurias, oppreſſiones, ſeu tyrannidem, coram tota Synodo proponere non audeant: deputabimus tres, aut plures ex Synodo Commiſſarios auditores, apud quos univerſi & ſinguli, tam Clerici, quam laici, quæ volunt, tuto deponere poſſunt. Sciantque omnia ſub ſilentio tegenda eſſe.

Et ne quis exiſtimet, Nosmet, aut noſtros Officiales ex eorum numero, quorum vita, mores, & actiones corrigi debeant, exemptos eſſe velle, a tota Synodo teſtes Synodales, qui noſtræ, noſtrorumque Officialium reformationi intendant, deputari mandabimus. Nam etſi multa nobis deeſſe cognoſcimus; multa tamen nos fugere non ignoramus.

Neque Synodum, aut ejus Deputatos dimittemus, donec de omnibus cauſis, omniumque gravaminibus ſufficienter fuerit informata.

Vitiis & querelis auditis, adhibito Theologorum Jurisperitorum conſilio, ea atque alia incommoda, admonitione, correctione, executione, epiſtolis, ſtatutisque Synodalibus, pro viribus noſtris, Omnipotentis Dei auxilio innixis, apud omnes emendari, & tolli curabimus: & alia omnia ad rem ſacram, Divina officia, & laudes pertinentia, ex libri Pontificalis præſcripto peragemus.

Quod autem ad apocrypha, inepta, parumque ſincera, quæ temporum vitio in Breviaria irrepſerunt, emendanda: earundemque Precum & Pſalmorum frequentes repetitiones, innumera Suffragia, & novas Collectas, Sequentias, Præfationes, & id genus faſtidium afferentes, & Officiis Divinis, Miſſæque Sacrificio parum congruentes, tollendas, mutandasque attinet: adhæc etiam, ut ſub Sacro ſolenni coram eodem populo Miſſæ ſpeciales non legantur: ut excommunicationis ſententiæ ob criminales tantum cauſas, easque valde graves & lethales ferantur: ut Apoſtolice vel coadjutores facti, vel alias proviſi examinentur; ut Beneficiorum pluralitas refrenetur: ut Beneficia tenuiora unione creſcant, atque ad pauciorum numerum redigantur: ut exempti, Ordinariorum reformationi, viſitationi, & correctioni ſubjaceant: ut Academiæ, ſeu Doctorum, & ſtudioſorum hominum Univerſitates, quarum in Diœceſi noſtra nullam habemus, reformentur, eisque privilegia ſua & immunitates conſerventur: & ſi quæ ſunt alia, quæ in Cæſareæ Majeſtatis formula delibata ſunt, & in hisce Statutis noſtris vel prætermiſimus, vel exhortando potius, quam ſtatuendo inſeruimus, ad Synodum Provincialem; & ſi in ea ſuper his

ſtatui

ſtatui nihil queat, ad Oecumenicum Concilium, Sanctiſſimique Domini noſtri deliberationem duximus rejicienda. Oſtenditur autem Nobis ex Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis & Domini Sebaſtiani, Electoris & Archi-Epiſcopi Moguntini, Metropolitani, Domini & amici noſtri cariſſimi, pietate, eruditione, induſtria, ingenio, animique magnitudine ſpes optima fore, ut in proxima Synodo Provinciali, de his, aliisque noſtræ Religionis negotiis, rebusque omnibus ratio ineatur certiſſima, qua ampliſſima illius Metropolis Provincia orthodoxæ fidei, ipſique Chriſto tota reſtituatur.

Finita ſub irruentem jam noctem Statutorum lectione, Reverendiſſimus Cardinalis Cancellario mandavit, ut Synodum his fere verbis alloqueretur: Quomodo Reformationis formulæ, hodie publicatæ, Statutorum ratio conveniat, ex lectione hac perſpectum plane omnibus eſſe: reſtareve illud ſolum, ut univerſa Synodus de his omnibus ſuffragia ferat. Ut igitur cogitandi, deliberandique de ſingulis ſpatium habeant ad Synodum vocati, ſequenti die primum, quæ decima tertia Novembris futura erat, poſt rem ſacram peractam, de his omnibus ineunda ſuffragia eſſe. Itaque Reverendiſſimus Cardinalis eos ad cœnam, in cœnaculo ad hoc inſtructo, ſumendam cum ſua benedictione dimiſit.

Acta ſecundæ diei Synodi.

ALtera die hujus ſacratiſſimæ Tractationis convenerunt omnes conſtituto tempore: & Miſſa per Reverendum Dominum Philippum a Rechberge de Hohenrechberg, Decanum Eccleſiæ Auguſtenſis, de Sancta Trinitate ſolenni Canticorum ritu celebrata, moxque reliquis ex libri Pontificalis præſcripto peractis, Reverendiſſimus Cardinalis, laicis antea per Dominationis ſuæ Reverendiſſimum Fiſcalem exire juſſis, Synodum obteſtatus eſt ferventi ſermone, ut meminiſſe velit, ſe non privato cujusquam mortalis, aut quenquam ſuo, ſed univerſos Chriſti, per quem creati & redempti eſſemus, nomine conveniſſe: Chriſti hanc cauſam eſſe, de qua nunc ſit deliberandum: afferrent igitur hodie animos, ab omni perturbatione, cupiditate, pertinacia, immunditia, & ſocordia expurgatos: conſulerentque in medium de his, quæ diſciplinam Eccleſiaſticam in Eccleſia DEI excitare, reſtituere, & conſervare queant. Quod ad ſe privatim attineret, daturum operam, ut Deo Duce, Epiſcopi munere, quantum in ſe eſſet, rite recteque fungeretur: & quanquam imbecillitatem defectusque ſuos plerosque in ſe ipſo agnoſceret, tamen non dubitare ſe, quin multa ſint, quæ latere ipſum poſſint. Quapropter poſtulare ſe ab univerſa Synodo, ut ex Prælatorum, Canonicorum & Decanorum ruralium triplici ordine, ſingulos, binos, ternos, aut plures, ſi ita videretur, eligerent, qui ceu teſtes Synodales, de his, quæ emendanda in ſe eſſent, inquirerent, ſeque Synodi nomine admonerent: paratum enim ſe eſſe, promptumque & ad audiendum tranquillo animo ſingula, & ad obtemperandum monitis ſalutaribus ſanctæ hujus Synodi, in Spiritu Sancto congregatæ. His in hanc fere ſententiam, majore tamen ſermonis affluentia, dictis, ſummum aliquamdiu ſilentium fuit. Quod cum a nemine rumperetur, Dominatio ſua Reverendiſſima advocatis a ſe Conſiliariis, conſtituit ſuffragiorum Scrutinium inchoandum eſſe. Quo conſilio per Cancellarium publicato, Fiſcalis e ſchedula nominatim, ordineque ſingulos ad mandata Procuratoria, aut Syndicatoria afferenda compellavit. Singuli itaque depoſitis apud Reverendum Dominum Jacobum Henrichmannum, Auguſtenſis Eccleſiæ Canonicum & Vicarium, atque Notarios ad hoc deputatos, mandatorum inſtrumentis, ſuper ſtatutis Synodalibus approbandis ſententias dixerunt. Quorum primus Reverendus Dominus Marcus Avunculus, Epiſcopus Nazianzenus, & Suffraganeus Auguſtenſis, brevi candidaque oratione ſtatuta Synodalia approbavit, ſeque obſervationi eorum, quatenus ad ſe pertinerent, adſtrinxit: hunc ſecuti ſunt reliqui Prælati, Abbates, Præpoſiti, & Decani tam Collegiorum, quam regiuncularum ruralium: nemoque in tanta multitudine extitit, qui voce ſua ſtatuta hæc ſaluberrima non collaudaret, atque ſe una cum his, quorum nomine huic Synodo intereſſet, illis pro viribus pariturum, aliisque, ut idem face-

facerent, auctorem futurum, non profiteretur.

Tanta igitur consensione omnium, votisque concordibus animadversis, Reverendissimus Cardinalis Deo optimo maximo, cujus spiritu afflante hæc gerebantur, gratias egit: & accito ad se Cancellario mandavit, ut Synodo, quæ a prandio agenda essent, indicaret, nempe Dominationem suam Reverendissimam negotium dedisse, Reverendissimis Dominis, Episcopo Nazianzeno, Philippo a Rechberg &c. Decano, Jacobo Henrichmanno Vicario & Cancellario suo, ut horis pomeridianis causas, gravamina & defectus tam Ecclesiasticorum, quam laicorum, ad Synodi cognitionem pertinentes, audiant, expediant, aut, si res ita postulet, ad Dominationem suam Reverendissimam, vel Synodum ipsam referant decidenda: cupere præterea Dominationem suam Reverendissimam, obnixeque petere a Synodo, ut tres pluresve deputet, qui de Officialium, aliorumque Ecclesiasticæ functionis, seu fori ministrorum suorum negligentia, aliisve gravaminibus, inde fortasse ad se manantibus, inquirant, atque ad Dominationem suam Reverendissimam, sine ulla reformidatione, deponant, ut diligentia ejusdem, curaque debita, si quid incommodi fuerit, emendetur.

His dictis, Reverendissimus Cardinalis Synodum, ad corpora in cænaculo inferiore, sicuti toto hoc Synodi tempore impensis ejusdem factum fuit, prandio curanda, de more dimisit.

A prandio Auditores causarum Synodalium negotio sibi dato satisfecerunt; causasque, scripto vel voce propositas, aut expediverunt, aut si quæ majore indagatione opus habere visæ sunt, in aliud tempus, dum veritas inquiri, aut pars altera audiri potuerit, rejecerunt.

Acta tertiæ diei Synodi.

POstrema die Synodi, quæ fuit Novembris decima quarta, hora sublucana, celebravit officium Missæ de Beata Maria Virgine solenne & habitu Pontificali Reverendus Dominus Caspar, Abbas Monasterii Othoburesis. Et Sacris tum Missæ, tum Synodalibus in libro Pontificali præscriptis, rite summaque totius Cleri & populi devotione peractis, Cancellarius, quæ a Reverendissimo Cardinale fuerat jussus, in eam, quæ sequitur, sententiam Synodo exposuit: Dominationem suam Reverendissimam videlicet, intellecta totius Synodi in approbandis statutis, ad Cæsareæ Majestatis formulam conditis, hesternaque die prælectis, summa concordia, reliquum esse censere, ut ea pro approbatis publicatisque habeantur: idcirco eandem paterno benignoque affectu omnes admonere, meminisse ut velint, se consensu hoc Synodali ad ea observanda, perpetuaque vitæ, morum, atque officii integritate custodienda, Deo omnium bonorum consiliorum auctori, & humanarum actionum inspectori, ipsiusque Ecclesiæ Christi, ejusque Antistibus obstrictos esse. Cavendum igitur omnibus, ne a legibus ipsis actorum suorum culpa coarguatur.

Posthæc Reverendissimus Cardinalis Synodum denuo admonuit, ab eaque urgendo petiit, ut monitores ex se deligerent, qui Dominationem suam Reverendissimam de his, quæ se fortasse circa officii sui, suorumque ministrorum negligentiam, aut improvidam curam, seu administrationem lateant, admonerent: daturum enim se operam, ut se ipsum, suaque ad rectam Episcopalis officii regulam pro viribus emendet.

His dictis, Synodus, communicatis inter se omnium ordinum consiliis, per Reverendum Dominum Episcopum Nazianzenum respondit, se amplius in Dominatione sua Reverendissima nihil desiderare, quam prout conscientiæ suæ modo, Statutis hisce Synodalibus una cum suis insistat, atque veluti Lex animata, in Ecclesiæ suæ cardine eminens, cætera membra in officio contineat.

Hoc responso, Reverendissimus Cardinalis tanquam restituendæ apud suos Catholicæ pietatis ingenti spe excitatus, Synodo gratias egit, Deumque omnipotentem supplex rogavit, ut sibi in explendis, exequendisque hujus Synodi constitutionibus Divino suo Numine assistere dignaretur.

Postremo præsentibus, atque comparentibus in hac Synodo tamquam obedien-

dientiæ filiis, gratiæ a Cancellario actæ sunt, benignitatis Dominationis Suæ Reverendissimæ, plenæ, addita etiam clementissima obtestatione, Dominationi Suæ Reverendissimæ gratius accidere nihil posse, quam si ad eum, veluti ad Patrem, & Pastorem, in rebus suis dubiis, adversisque confugiant: auxilio enim, consilio, studio, cura, benevolentiaque sua, se eis pro viribus semper adfuturum.

Cum igitur Synodus, peractis fere jam omnibus, dimittenda esset, prodiit in medium Fisci promotor, atque citatorum non comparentium contumaciam accusavit; petiitque eos contumaces, atque in Consistorio Episcopi ea de causa processum decerni atque committi: cujus petitioni Reverendissima Dominatio Sua annuit; præcepitque contra contumaces, juris ordine servato, procedi. Citati fuerunt etiam omnes ad Synodum proximam, quæ indicta fuit ad Kalend. Septemb. Anni 1549. in oppido Dilinga celebranda.

His omnibus magna omnium attentione absolutis, admissi sunt laici, hymnoque, *Te Deum laudamus*, cantato, Reverendissimus Cardinalis solenni benedictione recessuros est prosecutus.

Reverendi Domini Martini de Olave, Theologi Hispani, & Cæsareæ atque Catholicæ Majestatis Sacellani, Oratio habita in Synodo Augustana.

Attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. (a)

Dicturus hodie apud vos, præclari Ecclesiæ Dei Præsides ac Pastores, de insigni illo studio ac pietate, quam quisque vestrum pro suo officio ad hujus Sanctissimæ Synodi celebrationem afferre debet: vereor ego non parum, ne temere ac valde inconsulte fecisse videar, si rem ingenii mei viribus longe majorem suscipere, & in hac tam celebri corona, homo peregrinus, de re cumprimis ardua & minime populari, loqui audeam. Quanquam autem mandatum Illustrissimi Principis, & Excellentis Reipublicæ Christianæ Cardinalis, quo ad hoc munus suscipiendum impulsus sum, satis magnam vim apud vos habere non dubitem, ut me possit ab omni temeritatis suspicione vindicare; præsertim cum tantum apud me semper eximia ejus dignitas & sapientia valuerit, ut ego nec benevolentiam ipsius erga me ignorare, nec voluntatem negligere, nec auctoritatem non revereri absque nefario scelere possem: verum animo meo penitus non satisfacio, cum simul de earum rerum, quæ mihi ad dicendum proponuntur, Sanctitate & Majestate, simul de summa mea indignitate & vehementi spiritus mei remissione ac indevotione altius cogito. Doleo equidem plurimum me tam sanctæ functioni parem morum integritatem, paremque spiritus acrimoniam & ardorem minime afferre. Nam de facultate dicendi, quam sentio, quam in me sit exigua ac pene nulla, non ita sum sollicitus. Nec enim causam agendam suscepi, quæ persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis indigeat: quin ipso Spiritu Dei, ipso, inquam, Dei Spiritu, orationem nostram instructam & ornatam esse oporteret, ut commovere illa vestros animos posset, & ad hoc Synodale munus sancte & religiose gerendum, incendere & inflammare. In quo munere non arbitror ignorare vos, quantum momenti situm sit ad ea mala, magna ex parte sananda, quibus tam misere hodie affligamur.

Verum ne quicquam nobis ex eo brevissimo tempore, quod mihi ad dicendum concessum est, in præfatione, aut mei officii purgatione depereat, aggrediar ad rem: illud ante omnia vos omnes, viri Christiani, etiam atque etiam obsecrans & obtestans, ut quo me nunc pluribus difficultatibus circumseptum esse videtis, quoque melius agnoscitis, quantum mihi hodie Dei præsidio &

(a) Act. 20.

& gratia ſit opus, eo ardentioribus votis mecum juxta illi ſupplicetis, ut orationem mihi inſpiret, quæ ſit digna ea exſpectatione, quam fortaſſe Dominus Reverendiſſimus concepit, cum hanc mihi provinciam demandavit; digna ipſius veſtrisque auribus, digna hujus conſeſſus celebritate & amplitudine, digna denique gravitate & ſanctimonia earum rerum, de quibus dicturi ſumus. Concedat, ut Spiritus Sanctus animo meo nunc illababatur, quo poſſit cor meum in hujus Sanctæ Synodi conſpectu (*b*) verbum eructare bonum, verbum ignitum, verbum ſalutis & ædificationis. Ejusmodi enim verba ſunt, quæ Sanctum & Spiritualem Conventum decent: (*c*) *Quid enim paleis ad triticum, dicit Dominus? nonne verba mea quaſi ignis?* Hoc autem ita commodiſſime efficiemus, ſi omnes ſupplices & venerabundi Sacratisſimam Virginem Mariam deprecemur, ut nobis Filium ipſa ſuum, eundemque Servatorem noſtrum advocare, & conciliare dignetur, ſalutationem illi Angelicam offerentes. Ave Maria.

Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.
Act. 20.

Hæc ſunt verba, viri Chriſtiani, magni illius Apoſtoli, qui *vas electionis* (*d*) a Chriſto dictus eſt, quibus omnes ille Eccleſiæ Præſides & Rectores, quos hoc loco Epiſcopos, id eſt Præpoſitos appellat, ad gubernandum inſtituit: hæc Pauli doctrina, eſt divinitus inſpirata, qua ſi imbuti eſſent omnes Dominici gregis Paſtores, tuto & diu eum paſcere poſſent, gratum Deo obſequium præſtantes, ſibi vero ac ſuis omnibus æternam felicitatem & ſalutem conciliantes. Ac mihi quidem ejusmodi hæc verba eſſe videntur, quæ omnes magni Eccleſiæ Pontifices in ſuis aulæis & magnificis tapetis, reliqui etiam Paſtores in humilioribus ſtragulis inſerta & intexta habere deberent, ut ſemper eis aliquid ante oculos verſaretur, quod ſui officii ipſos admoneret. Perſarum Rex, ut literis proditum eſt, unum habebat cubicularium, cui hoc muneris mandatum erat, ut diluculo ingreſſus illi diceret: ſurge Rex, & ea cura negotia, quæ te curare voluit Meſoroſmados. (*) At multo magis conveniret, hunc Divinum Apoſtoli ſermonem omnibus Eccleſiæ Paſtoribus quotidie inculcari: non ſe, inquam, a Regibus, non a Magiſtratibus, non a Senatu, non a plebe gregi Dominico fuiſſe præfectos, ſed ab ipſo Spiritu Sancto: ut ſemper meminerint, ei, a quo acceperunt, muneris rationem eſſe reddendam. Ac gregem quidem non quemvis illis eſſe commiſſum, ſed eum, cujus ſalus tam cara ſit maximo univerſæ naturæ Principi ac optimo Creatori & Parenti Deo, ut Filium ipſe ſuum unigenitum tradere non dubitaverit, qui pro eo ſanguinem ſuum funderet, ac mortem cumprimis ignominioſam oppeteret. Operæ pretium eſt autem, ut cauſam etiam illam conſideremus, qua adductus Apoſtolus fuit, ut tam diligenter curam gregis Paſtoribus commendaret. Addit ergo ille: (*e*) *Ego ſcio, quoniam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe, propter quod vigilate.* Mihi igitur, viri Chriſtiani, ad eam admonitionem, quam a principio diligentius inſpicienti, & hanc ejus cauſam ac rationem altiori etiam animi cogitatione perpendenti, viſum eſt, nihil a me in hunc conventum afferri nunc potuiſſe, quod vel muneri meo, vel huic hodiernæ celebritati magis conveniret. Video etenim non absque ſumma quidem animi lætitia, veluti cœleſtem quendam exercitum fortiſſimorum fidei propugnatorum, & optimorum Eccleſiæ Chriſti Paſtorum in hunc locum hodie conveniſſe, ut de bello inſtruendo adverſus ſatanam & ejus fautores, ac de graviſſimo periculo depellendo, quod ſuis, oviumque omnium ſuarum cervicibus imminet, conſultent ac deliberent. In quo exercitu te Deus, optime Pontifex, velut Principem & Imperatorem eſſe voluit: reliquos clariſſimos & honeſtiſſimos viros, qui hic adſunt, tibi tanquam Aſſeſſores & Duces ac Tribunos exercitus attribuit, ut eorum

(*b*) Pſalm. 44.
(*c*) Hierem. 23.
(*d*) Act. 9.
(*) *forte:* Horosmades.
(*e*) Act. 20.

eorum tu consilio & viribus utaris. Terribilem certe quidem exercitum, & formidolosum adversariis: siquidem illis armis instructus accedat, quibus eum munitum esse debere D. Paulus his verbis explicat: (f) *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem in- intellectum in obsequium Christi.* Quorum armorum quanta sit vis, & efficacia, idem Apostolus Timotheo discipulo suo indicat: (g) *Omnis*, inquiens, *scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Igitur ut etiam ego aliqua saltem ex parte, pro exigua mea facultate, & pro officii mihi impositi ratione, vos contra communes hostes adjuvem, tractabo nunc paucis, quod ad admonitionem ex D. Paulo a principio allatam, & ad ipsius causam atque rationem inprimis pertinere existimo. Ac prius quidem dicam de præsenti Reipublicæ Christianæ statu, & conditione, deque magnitudine periculorum, in quibus omnes hodie versamur, id quod causæ jam dictæ respondet.

Deinde, quid nos hoc tempore potissimum facere oporteat, Dei gratia & ope adjutus juxta Pauli exhortationem explicabo. Quibus de rebus dum breviter differo, & brevius fortasse, quam varietas & magnitudo hujus causæ postulent, peto a vobis, viri Christiani, ut me pro vestra religione & pietate libenter & studiose audire velitis.

Nullum unquam tempus extitisse, cum non gravissimis Satanæ bellis Ecclesia infestaretur, cum veterum temporum monumentis, tum præsentium experientia didicimus: quin & illas Scripturæ voces: (h) *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea*, Ecclesiæ multi esse arbitrantur. Etenim ut omnia alia tempora silentio tacitus prætermittam, quæ Evangelii regulam antecesserunt, in quibus non puto ignorare vos, quod varie & crudeliter plerique justi, & fideles Dei servi, a satana, & ejus ministris exerciti, & vexati fuerint: in ipso certe Ecclesiæ Christianæ nascentis exordio animadvertere potestis, quot machinas capitalis ille generis humani hostis contra Christi Apostolos, & alios sanctos Dei homines, qui eorum vitam & mores secuti sunt, admoverit: quot artes nocendi excogitaverit, quot Principes & Tyrannos potentissimos impulerit, ut innocentes & inermes aperte & hostiliter insequerentur: quot item Hypocritas excitaverit, qui ovium vestibus induti, occulte & insidiose lupos rapaces agerent, & miseras multorum animas devorarent. Verum cum multa atque innumerabilia maximarum persecutionum genera extiterint, quibus ille Dei Ecclesiam lacessere, atque exagitare nunquam intermisit; tamen hoc affirmo, ex omnibus eam longe gravissimam & perniciosissimam quovis tempore habitam esse, qua fidem invaderet, & convellere niteretur. Atqui hanc etiam non arbitror nescire vos, tunc esse periculosissimam, cum res per eos ministros geritur, qui nos nostris armis, id est, testimoniis Scripturarum, & magnifica ac populari Dei & Christi commendatione aggrediuntur, & oppugnant. Sed ego propterea persecutionem illam, quæ contra fidem intenditur, reliquis omnibus anteponendam censeo, non quod alia peccata, infidelitate deteriora, inveniri posse non existimem; sed quoniam crimina illa, quæ contra solam charitatem admittuntur, & Divinum fidei lumen in mentibus nostris non extinguunt, etsi invisos illi admodum sæpe nos reddant; non ita tamen procul ab eo nos semovent, ut non vel unico gemitu reconciliari illi & conjungi possimus. At fidem si quis semel amittat, is nec facile eam recuperare potest: quoniam suo se ipse judicio condemnavit, ut D. Pauli ratione utar: & reliquis adminiculis sæpius ad pernitiem, quam ad salutem suam abuti solet. Nam qui absque fide est, eo longius a Deo abducitur, quo sibi justior & sanctior esse videtur. Itaque ut in Christiano ædificio erigendo a fide exordiri necessum est, quod nonnisi in ea fundamenta jaci & poni possint; ita in amoliendo hoc ædificio, quod extremo loco concutitur, fides est: quam donec convulsam videat, nihil

(f) 1. Cor. 10. (g) 2. Tim. 3. (h) Psalm. 128.

nihil propemodum perfeciſſe ſe diabolus exiſtimat. Intelligit nimirum, reliqua omnia, quæ deſtruxerit, per eam facile, & nullo negotio poſſe inſtaurari. Verum hac una everſa, velut parta omnino victoria, triumphat, & conquieſcit. Hanc ob rem perpetuo, hoc ille ſuis ſatellitibus inculcat: (*i*) *Exinanite, exinanite, uſque ad fundamentum in ea:* id eſt, convellite omnia religionis præſidia, nec ceſſate, quoad fidem, quæ altiſſimum & firmiſſimum ipſius fundamentum eſt, ab imis radicibus extirpetis. Non latuit ſane hoc veteres illos Sanctiſsimos Patres, qui quanquam aliis etiam in perſecutionibus gnaviter & ſtrenue adverſus Satanam decertarent; cum bellum tamen ille fidei inferebat, ita animis omnes commovebantur, ut non ſibi ſatisfacerent, niſi univerſas Eccleſiæ vires colligerent, ac tanquam communi claſsico evocati, omnes una ad reſiſtendum occurrerent. Alia vitia ut depellerent, nemo de ſua ſtatione diſcedebat; hæreſim ut propulſarent, domos & provincias ſuas deſerere, & ignotas & longiſsime ſepoſitas regiones cum maximo etiamnum vitæ diſcrimine adire nihil dubitabant. Permulta hujus rei exempla notiora ſunt omnibus, quam ut a me huc adduci conveniat. Quis enim non legit, quam frequentes olim & quam vehementi ſtudio & ardore incitati permulti ex Epiſcopis, & aliis Eccleſiæ Paſtoribus, ex omnibus totius orbis terrarum finibus, contra unum Arium, vel unum Macedonium, vel unum Photium, vel unum denique ex quamplurimis aliis hæreſiarchis, ſedibus ſuis relictis, convenerint? Quod ſi priſcis illis temporibus, cum non ita ubique Chriſti fides explicata, & confirmata erat, unus error totum Chriſtianiſmum uſque adeo commovebat, & concitabat: quo tandem animo nos nunc eſſe par eſt, Viri Chriſtiani, qui non uno errore, ſed ipſa, ut ita dicam, hæreſum colluvione appetimur, & exercemur; nec alienis armis, ut quondam, id eſt, Philoſophorum & Ethnicorum teſtimoniis, ſed noſtris ipſis, Chriſti nimirum, Prophetarum, & Apoſtolorum verbis, contortis illis quidem & adulteratis, at illorum tamen verbis invadimur, & oppugnamur? Non nobis, inquam, ut olim, de uno & altero fidei articulo contentio eſt; ſed de tota propemodum Religionis ſumma diffidemus. Nam eo Hæreticorum hujus temporis doctrina & labor ſpectant, ut nobis Sacramenta ſalutis eripiant, ut totum Ordinem Eccleſiæ conturbent, ut univerſas Sanctiſſimas ejus Cæremonias exterminent, ut veterum ſapientiſſimorum, & Sanctiſſimorum Doctorum diſciplinam, & doctrinam conculcent, ut omnem omnium temporum auctoritatem convellant, ut ad immoderatam quandam vivendi libertatem & licentiam homines inducant, Dei timore omnino ſublato. Annon merito cum Propheta nunc exclamabimus? (*k*) *Quantum malignatus eſt inimicus in Sancto, incenderunt Sanctuarium Dei, polluerunt tabernaculum ejus?* Niſi forte levius eſt, ædes ſacras in equorum & ferarum, religioſis viris ejectis, ſtabula convertiſſe, quam igni illas incendiſſe: aut quaſi non polluiſſe tabernaculum Dei illi videri debeant, qui clauſtra pudoris laxantes, & impuriſſimas & ſacrilegas nuptias inducentes, mortales omnes votorum ſanctimonia & nexu liberarunt. O miſeram, & in brevi tam celerem, & tam variam in Eccleſia Dei commutationem! O luctuoſam Religionis converſionem! O excellentem olim, & omni laude, ac commendatione celebratam Germaniam: quam negligenter caviſti, ne in te lupi rapaces, quos tantopere reformidandos eſſe Paulus admonuerat, ingrederentur! Quam multi viri, perverſa loquentes, ex te his temporibus prodierunt; & quam innumerabiles illi diſcipulos fefellerunt, ac poſt ſe abduxerunt! Equidem non poſſumus non ex animo dolere omnes, qui te, quam non ita pridem, ut tutiſſimam arcem fidei, ut eximium pietatis domicilium, ut unicum religionis firmamentum ſuſpiciebamus, nunc tanquam ſcapham ſine remige ſævisſima hæreſum tempeſtate jactari videmus. Utinam vero non extrema hæc tua ſit diſceſsio, utinam non in finem repulſa ſis, ac celerius opinione hominum, Domino infideli parere cogaris, quemadmodum & nunc illa olim inclyta Græcia paret! Non enim dubito, quin tuam infidelitatem ſeverius adhuc vindicaturus ſit Deus, niſi brevi reſipiſcas.

Sed

(*i*) Pſalm. 136. (*k*) Pſalm. 73.

Sed unde, quæso, tanta adversus Christianos Satanæ potestas? unde tanta in nos vis hostibus addita? unde? nisi ex sceleribus nostris, qui alia super alia adjicere nunquam cessamus? quibus utique ita in nos Dei iram inflammavimus, ut verendum sit, ne non solum Satanam, sed etiam ipsum Deum, ipsum, inquam, Deum Conservatorem nostrum, cujus solo præsidio uti possumus, hostem & inimicum habeamus, ac cum Hieremia lugere cogamur: (*l*) *Factus est Dominus velut inimicus, præcipitavit Israel, præcipitavit mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis, & occidit omne, quod pulchrum erat visu, in Tabernaculo Filiæ Sion.*

Verum quid nos agimus, O Christi Sacerdotes? Vos enim nunc omnes appello, ut de remedio eo, de quo extremo loco me acturum promisi, consultemus. Quid nos, inquam, nunc in tanto discrimine positi agimus? Quibus de rebus, tot tantisque periculis circumsepti, cogitamus? Imo vero, quid nos nunc agere, & quæ potissimum consilia capere oportet? Nam, quid agamus? nimio plusquam satis, proh dolor! perspicuum est omnibus. Otiamur & stertimus omnes; magni juxta & parvi ad rem nostram attentissimi sumus. Omnes Dei Patientia & longanimitate abutimur. Omnes toto animo, & studio omni in eam curam incumbimus, ut cupiditatibus & desideriis nostris satisfaciamus. Omnes in res inanes & fallaces, universas nostras cogitationes abjicimus. In medio gravissimi belli omnium, quæ ullo unquam tempore in Ecclesia Dei gesta sunt, constituti, nihil de periculo cogitamus: imo nec bellum quidem ullum esse existimamus; si de nostris opibus nihil discedat, & reliquas voluptates sectari liceat. Tot tantaque mala, & tam graves Reipublicæ Christianæ persecutiones pacem ducimus; nec satanæ incursiones, nec Dei flagella sentimus. Nam quotusquisque, obsecro, ex nobis his flagellis, atque hac tam severa Dei correctione commonitus, factus melior esse videtur? Nimium profecto & vere in nos illud Hieremiæ congruit: (*m*) *Domine percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, noluerunt reverti.*

Attendite igitur diligenter, O vos exercitus Dei Duces ac Principes; quantam ruinam hoc tempore Catholica Religio minetur, perspicitis. Quam innumerabiles miserorum hominum animæ perierint, & quot nunc quotidie tententur: ex quibus partim victæ succumbunt, partim nutant, ac vacillant, non ignoratis. Hoc utique tempus illud est, cum Deus a vobis exigit, ut sanguinem & vitam pro suis ovibus offeratis. Quod si mortem vestram nihil nunc profuturam existimatis, nec ego sane author vobis esse velim, ut eam temere & absque fructu suscipiatis: cupio tamen vehementer, ut omnes intelligatis, cujusmodi suspiriis & desideriis pectora vestra nunc plena esse debeant. Meminisse certe perpetuo vos convenit eorum Pauli verborum, quæ a principio attulimus, vos a Spiritu Sancto gregi Dominico fuisse præpositos: vestræ curæ eas oves esse commissas, quas suo sanguine Christus acquisivit. De illis igitur adeo nunc sollicitos vos esse oportet, ut parati sitis fortunas omnes vestras, & vitam, si intersit, pro earum salute ac libertate libenter impendere. Quæ cura, si pro eo ac debet, defixa in animis vestris insideret, admittere haud dubie nullam illi consolationem aut remissionem possent, donec ovium vestrarum saluti recte prospectum esse videretis. *Quis scandalizatur, & ego non uror? quis infirmatur, & ego non infirmor?* dicebat magnus ille animarum Zelator Paulus. (*n*)

Ad hunc modum si vos omnes nunc ad hanc Sanctam Synodum compositi accedatis, non equidem dubito, quin Deus optima & salutaria consilia sit inspiraturus.

Non est necesse, in discrimen vestram nunc offerre vitam; esto: at necessum est certe, vitam nos omnes emendare, ut Dei iram, vehementer in nos concitatam, leniamus: necessum est, diu & multum nos orare, ut ejus misericordiam conciliemus. Multa etiam alia præter tuum sanguinem necessaria sunt; quæ si tu

(*l*) Thren. 2. (*m*) Hierem. 5. (*n*) 2. Cor. 11.

ſi tu nunc præſtare recuſas, quemadmodum tandem vitam te, ſi interſit, tradıturum credemus?

In ea ſane tempora, Auditores, incidimus, ut veri fideles non diſtingui, & internoſci ab infidelibus non facile pos ſint. Nunc demum veriſsime Evangelicum illud impletur in nobis: (o) *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.* Tepidus exiſtere nemo nunc poteſt. Frigidum te aut calidum eſſe neceſſe eſt: aut enim pro Chriſto, pro Fide, pro Religione, pro animarum ſalute ſtare in acie debes; aut Chriſto renunciare, & illi cum Satana tanquam hoſtis & inimicus bellum inferre. Non licet mediam his temporibus tenere viam. Non fert hoc tam ingens & flagrans Hæreſeon incendium, fidelem quempiam diſsimulare, multo autem minus vos Eccleſiæ Dei Paſtores.

A nobis nunc magnus ille Gubernator & Paſtor animarum Chriſtus, vitæ reformationem, & orationis aſsiduitatem inprimis exigit. His vos potiſsimum armis, & hæreticis ad calumniandum aditum intercludere, & ſimplicem populum in officio continere, & diſperſas oves ad Dominicum ovile revocare poteſtis. *Nemini*, inquit Divus Paulus, (p) nos alloquens, *demus ullam offenſionem: ſed exhibeamus nosmetipſos, ſicut Dei Miniſtros.*

Non eſtis neſcii, quemadmodum nos hæretici apud populum perpetuo traducant: nos ſcortatores, nos ambitioſos, nos avaros, nos ignavos & rudes eſſe, nos otio ſemper, luxui & ventri ſervire, identidem vociferantur. Superbe quidem illi & inſolenter, negare non poſſum; cum ſe ipſi quotidie omnium flagitiorum dedecore & turpitudine polluant, & contaminent, ac aliis omnibus magnam vitiorum omnium impunitatem polliceri non ceſſent. Superbe itaque illi: ſed utinam non nimium ſæpe vere: nam ſi vera potius hoc loco, quam plauſibilia, dicenda ſint; negare certe non poſſumus, quin maximam ad nos accuſandos occaſionem ſæpe dederimus.

Nos ea tela ſuggeſſimus, quibus acrius & vehementius, quam ullis aliis exagitamur. Dicam etiam amplius: Nos, nos inquam, adverſus Chriſtum arma dedimus; nos eorum aciem inſtruximus; propter nos Catholicæ Religionis nomen inter ipſos blasphematur; propter nos utique, qui cum bonus odor Chriſti omnibus eſſe deberemus, ingens fœtor effecti ſumus; propter nos, qui magna ex parte extra Eccleſiam flagitioſiſſime vivimus, in Eccleſia autem tanta oris & cordis impuritate ſacra Myſteria attrectamus, tam irreverenter ad Sanctiſſima Chriſti Sacramenta accedimus: tam nulla adhibita devotione neque modeſtia, Evangelica verba, Hymnos & Pſalmos pronuntiamus, atque alia Eccleſiaſtica munera obimus, ut multorum infirmorum mentes & voluntates a Dei cultu & veneratione frequenter alienemus. Ita fit, ut quibus nos armis inprimis uti debeamus, ea omnia in Diaboli arma adverſus nos converterimus.

Etenim orationibus noſtris & Sacrificiis tantum abeſt, ut iram Dei in nos incenſam reſtinguamus, ut vehementius eam quotidie commoveamus, & inflammemus. Ut ego quidem non dubitem, hanc tantam calamitatem, quantam hodie univerſa Reſpublica Chriſtiana patitur, propter noſtra præcipue peccata eſſe illi illatam, ac quadrare in nos veriſſime, quod apud Hieremiam ſcriptum legimus: (q) *Propter peccata Prophetarum, & iniquitates Sacerdotum complevit Dominus furorem.*

Apud Ezechielem autem Deus, ubi Sacerdotum peccata his commemorat verbis: (r) *Sacerdotes ejus contempſerunt legem meam, & polluerunt Sanctuaria mea: inter Sacrum & profanum non habuerunt diſtantiam: inter pollutum & mundum non intellexerunt.* Sed poſt hanc criminationem, volens Dominus oſtendere, quod veluti invitus ad puniendos nos trahatur, & quod vehementer cupiat noſtris precibus, & vitæ noſtræ reformatione flecti, atque placari: contra vero, quanta noſtra omnium pertinacia & obſtinatione offendatur, & irritetur, ſubjicit: (s) *Quæſivi virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus coram me pro terra, & non inveni: & effudi ſuper eos indignationem meam,*

(o) Matt. 12. (p) 2. Cor. 6. (q) Thren. 4.
(r) Ezech. 22. (s) Ibid.

am, & in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi.

Timeamus igitur, Viri Christiani, ne graviorem adhuc indignationem Deus in nos effundat, nisi celeriter resipiscamus. At ne tandem iræ suæ nos igne consumat, ad ipsum toto animo, & studio omni convertamur. Fallacia bona, & brevi interitura libenter aliis relinquamus: nos certe religionem & pietatem colentes, solida illa & vera atque æterna bona consectemur, & veterem morum disciplinam, quoad ejus fieri poterit, in nobis ipsis instaurare conemur.

Hujus autem tam Divini Boni consequendi hæc una ratio inveniri potest, si omnem ambitionem & avaritiam cum iniquissima Beneficiorum pluralitate, omnem item impudicitiam, omnem luxum & ebrietatem exterminemus: si execrabilem, & abominandum concubinatum funditus convellamus: si sacris ministeriis puritatem & sanctitatem, reverentiam item ac devotionem restituamus: si orationi, jejunio, & eleemosynæ multum & ex animo nos dedamus: si studia pietatis & veræ sapientiæ excolamus, erigentes & aperientes scholas multas, atque in hunc usum, inprimis pium, & in his temporibus maxime necessarium, de nostris opibus libenter impertientes: ad extremum si non honestos & speciosos Canones condidisse contenti simus, sed eos re ipsa atque opere diligenter præstare, & implere studeamus.

At me, Viri Christiani, optima spes tenet, fore ut brevi in hac Provincia Religionem in integrum restitutam videamus. Nam præter voluntatem, quam in Christianissimo & Potentissimo Cæsare solidam ad hanc rem & expressam esse cognoscimus, maximis illam quidem & nunquam intermorituris laudibus & præconiis commemorandam; in multis certe Germaniæ Ecclesiasticis Præsidibus, ac in vobis præsertim, optimi Antistites, tam ardens hujus rei desiderium, & tam incredibilem voluntatem, studiorum & sententiarum consensionem esse perspicio, ut lenivisse magna ex parte Deus iram suam, & oculos clementiores ad nos adjecisse videatur. Nam de immortali & prope Divina tua diligentia, Clarissime Cardinalis! non patieris, te præsente & auscultante, me plura dicere: alioquin non commisissem, ut tam rarum, tam insolitum, tam excellens virtutis genus silentio tacitus præteriissem. Gratias age Deo, quod te unum ex paucissimis esse voluit, qui primi depellendi omnem hæresim ex Germania authores extitistis: primi contra Fidei & Religionis hostes arma cepistis: primi pro ipsius Ecclesia fortunas omnes vestras, vitamque in apertissimum discrimen & periculum obtulistis. Gratias age Deo, quod nunc etiam tam acres tibi admoveat stimulos, ad hanc Sanctæ Ecclesiasticæ disciplinæ, & vitæ reformationem, vere & ex ipsius sententia procurandam, & modis omnibus promovendam, ut oculi, sensus omnes, & cogitationes tuæ in hanc unam rem duntaxat, pro eo, ac debent, intentæ esse videantur: ut primus esse velis, qui reliquis omnibus, quibus honore gradus & dignitate præcellis, maximum etiam & illustrissimum in te ipso reformationis præbeas exemplar: ut Collegium literarum vel solis tuis impensis erigere constitueris, ne studia pietatis, & Christianæ doctrinæ, quibus solitudo & exilium hac in Provincia indictum his temporibus esse videtur, penitus dilabantur. Hæc nimirum vera tua gloria est, optime Pontifex: huic (ut magnus ille Orator ajebat) tu inservias, huic te ostentes oportet, quæ vigebit memoria sæculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa semper intuebitur æternitas.

Nec vero, Viri Christiani, quod tam angustæ & asperæ res nostrorum temporum sint, ut illis minime occurrere posse videamur, propterea debilitari aut frangi nos decet. Non enim nostris viribus hæc conficienda sunt, nec illis nos ulla ex parte niti debemus. Hoc utique opus solius Dei, & nullius præterea esse potest. Quare nos ad ipsius Sanctissimum Numen, tanquam ad tutissimam arcem, summa cum fiducia confugiamus: ab eo certissimam opem expectemus, qui nullius spem fallere potest: ipsiusque solo præsidio confidentes, & reliqua omnia adjumenta inania existimantes, audacter cum Propheta exclame-

clamemus: (t) *Dominus illuminatio nostra & salus nostra, quem timebimus? Dominus protector vitæ nostræ, a quo trepidabimus?* Nec dubitemus, quin exauditurus sit nos maximus ille Conservator & Parens salutis nostræ, cujus summum in sæcula sæculorum, & in omnem æternitatem durat imperium. Amen.

Dixi.

Harduin. Conciliorum Tom. IX.
Lunig Spicil. Eccles. Part. II.

(t) Psalm. 26.

De Ottone Cardinali & Episcopo Augustano vide dicenda ad Synodum Augustanam, anno MDLXVII. sub ipso celebratam.

SYNODUS LEODIENSIS

Anno Christi MDXLVIII. Pauli III. PP. XIV. Caroli V. Imp. XXX.

Tenor Litterarum Convocationis Patrum ad Synodum sequitur in hæc verba:

GEORGIUS DEI GRATIA EPISCOPUS LEODIENSIS, DUX BULLONENSIS ET COMES LOSSENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, TAM COLLEGIATIS, QUAM REGULARIBUS DIOECESIS NOSTRÆ SINCERAM IN DOMINO SALUTEM.

QUandoquidem Altissimo omnium bonorum largitori placuit, sponsam suam sanctam Ecclesiam, pretioso unici Filii sanguine redemptam, peccatis nostris exigentibus, plures jam annos ab hæreticis ac schismaticis graviter & periculose nimis jactatam, & afflictam, ac perturbatam, tandem clementiori oculo respicere, ac Christianissimo ac invictissimo Imperatori nostro Carolo, ejusdem Sanctæ Ecclesiæ & fidei Catholicæ ferventissimo, fortissimoque Propugnatori adversus pernitiosissimos Sathanæ satellites, quorum superbia ac vires jam nimis excreverant, præclaram victoriam, quasi præter omnium expectationem, cœlitus concedere;

Eaque parta, Majestatis suæ animum, studiumque omne, ad pessimorum dogmatum, ab ipsis hæreticis longe lateque disseminatorum extirpationem, veræque fidei restitutionem, nec non ad diu desideratam ab omnibus piis, & plusquam necessariam disciplinæ Ecclesiasticæ, superiorum temporum incuria nimium collapsæ, reformationem (sine qua spes non est, Deum populo suo unquam placatum iri) excitare & accendere dignatus est, eoque rem deduxit, ut formula reformationis ipsius in novissimis Comitiis, Augustæ habitis, jussu dictæ Cæsareæ Majestatis a viris aliquot, zelo, prudentia, & sacrarum literarum, & Canonum, Sanctorumque Patrum peritia præstantissimis concepta, atque a statibus Ecclesiasticis Sacri Romani Imperii, seu Ecclesiæ Germanicæ Antistitibus, mature expensa, & omnium consensu pro ipsis, Cleroque universo sibi subdito recepta, quæ etiam nunc est typis excusa & in publicum emissa, quam & plures vestrum vidisse atque legisse non ambigimus: nec aliud deinceps restet, quam ut Episcoporum opera, quibus hoc incumbit, in singulorum Diœcesibus quamprimum executioni mandetur. Tantam ergo Dei Benignitatem expertos, justum est, in rerum Ecclesiasticarum deinceps felicius gerendarum, Ecclesiæque in pristinam dignitatem restituendæ, optimam spem sese erigere, ipsique Deo, a quo omne bonum procedit, & qui solus facit mirabilia, ex toto gratias agere: atque nunc tandem curandum sedulo, ut quod ad iram Dei mitigandam, & beneficia ejus promerenda

renda imprimis necessarium est, dicta reformatio a cunctis benevole suscepta, in mores transmittatur, singulique pro sua vocatione & facultate ad ipsius reformationis promotionem pro viribus fideliter cooperentur.

Rei igitur, de qua agitur, pondus, atque Cæsareæ Majestatis jussio urget & postulat, ut pro eorum, quæ pro communi salute concepta, editaque sunt, & a quibus Ecclesiæ tranquillitas dependet, executione, Diœcesana Synodus (ut olim in similibus fieri consuevit) indicatur.

Quare Nos omnes & singulos authoritate nostra Episcopali in virtute sanctæ obedientiæ in Domino requirimus & monemus, juxta dictæ Cæsareæ Majestatis seriam declarationem & mandatum, ut ad septimam proximam mensis Novembris, quam celebrationi Synodi nostræ Diœcesanæ, pro executione memoratæ reformationis, præfigimus, præfixamque esse volumus, in civitate nostra Leodiensi, omni excusatione posthabita, compareatis, a Nobis audituri, quæ ad hanc rem pertinent, nobiscum consultaturi, atque tractaturi de modo, rationeque congrua, zizania errorum, pravorumque dogmatum, ab Hæreticis, Dei & veritatis inimicis, in medio tritici seminata eradicanda, & ea, quæ ad debitam & uniformem Sacramentorum administrationem, Verbi Dei prædicationem, nec non Ecclesiasticorum officiorum functionem, posthac in Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis & Oratoriis vestris observanda pertinere videbuntur, communicato consilio ordinandi, statuendi atque publicandi.

Itaque operæ pretium fuerit, ut dictæ reformationis exemplaria, quæ publice prostant, diligenter a vobis lecta, expensa, atque discussa iis, qui vobis subsunt, seu curæ vestræ commissi sunt, statim intimetis & prælegatis, ut interim defectibus, quos quisque vestrum apud suos in genere vel in specie publice vel privatim invenerit, collectis, annotatis ac memoriæ mandatis, de eisdem fidelem ac veracem (sicuti memini) in ipsa Synodo relationem facere, atque congruam eorundem emendationem, prout in conscientia tenemini, promovere valeatis, & quisque vestrum valeat.

Denuntiamus autem vobis omnibus & singulis prædictis præsentium per tenorem, ut sive ad dictam diem Synodo præfixam comparueritis, sive non, Nos nihilominus ad dictæ reformationis executionem, & alia, quæ ratio poscet, pro injuncto Nobis officio processuros, eorum, qui aberunt, contumacia non obstante.. In quorum fidem & testimonium præsentes nostras literas sigillo nostro infra impresso fecimus communiri. Datum in Civitate nostra Leodiensi decima quinta mensis Octobris Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo.

Mandatum pro Reformatione, & Statuta Synodalia.

GEORGIUS DEI GRATIA EPISCOPUS LEODIENSIS, DUX BULLONENSIS, COMES LOSSENSIS &c. UNIVERSIS ET SINGULIS TAM NOSTRÆ CATHEDRALIS, QUAM COLLEGIATARUM ECCLESIARUM DECANIS ET CAPITULIS, ARCHI-DIACONIS, PRÆPOSITIS, ABBATIBUS, ET ABBATISSIS, CONCILIORUM QUOQUE DECANIS, ET ARCHI-PRESBYTERIS, CUNCTIS UTRIUSQUE SEXUS PERSONIS, AD CLERICALEM ORDINEM, STATUMQUE ECCLESIASTICUM PERTINENTIBUS TAM SÆCULARIBUS, QUAM QUORUMVIS ORDINUM REGULARIBUS NOSTRARUM CIVITATIS, PATRIÆ, ET DIOECESIS LEODIENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

QUanquam ex libello, seu formula reformationis, in postremis Comitiis Imperialibus, Augustæ celebratis, per Imperialem Majestatem, illiusque authoritate editæ, atque ab omnibus Imperii Ordinibus acceptatæ, publicatæ, & servari jussæ, unicuique vestrum satis innotuisse potest, quemadmodum Clericis, atque personis Ecclesiasticis, deinceps vivendum sit, & in

in quibus se reformare, emendareque debeant; quia tamen non satis est, nosse quæ facienda sunt, nisi & opere impleantur, præceptaque salubria in mores transeant: idque ut fiat, Episcopi, & Imperii Principes, de quorum numero, disponente Domino, sumus, pro suo quisque virili apud sibi commissos & subditos curare debent; Non ab re putavimus, vobis & cunctis significare, Nos ad promovendum gloriam Dei & animarum nobis creditarum salutem firmiter statuisse ac resolutos esse, dictam reformationem per nostras Civitatem, Patriam & Diœcesim strenue & absque simulatione vel personarum acceptione exequi: idque eo facturos libentius, quod eadem reformatio (præterquam quod hoc infœlici sæculo, quo omnis caro corrupit viam suam, præsertimque ordo Clericorum & Ecclesiasticorum nimium degenerant, plus quam unquam est necessaria) etiam sacris literis, Sanctorumque Patrum Decretis, & rectæ rationi comperiatur consentanea; ut nemo, nisi malevolus ac deploratus, eam ullo colore, vel prætextu detrectare possit: Quocirca vos omnes & singulos in Domino hortamur, serioque & in virtute sanctæ obedientiæ requirimus, ut memores vocationis vestræ & dignitatis, ordinis Clericalis, ac Sacerdotalis, cui vos mancipastis, nec non etiam strictæ rationis a vobis exigendæ, reformationem ipsam benevole, & ex animo suscipientes, omni studio accingamini ad eam (quantum quemque vestrum respicit) opere exequendam, & quæ unusquisque vestrum in sua, vel regimini suo commissorum, vita ac moribus, habituque & aliis reformatione indigere cognoverit, sic reformare satagat, ut & Deus, nostris excessibus offensus, placari possit, & hi, qui de nobis scandalizati sunt, videntes emendationem nostram, rursus ædificentur, & Deum in nobis glorificent.

Ut autem dicta reformatio feliciorem expeditioremque sortiatur executionem, de consilio & unanimi consensu Venerabilium Patrum & Dominorum, in Sancta Synodo nostra Diœcesana in Domino congregatorum, nonnulla ad hanc rem conducentia statuenda & ordinanda duximus, quæ sequuntur.

Caput I.

De non promovendis indignis.

Et primo, ad obviandum promotionibus indignorum ad sacros Ordines, dignitates Ecclesiasticas & Curas Pastorales, earumque deservituras, statuimus & ordinamus, ut quisquis posthac ad sacrum Subdiaconatus ordinem promoveri voluerit, feria quarta Quatuor temporum ad horam septimam ante meridiem: qui vero ad Diaconatum, vel Sacerdotium, quinta feria, eadem hora, in Civitate nostra Leodiensi compareat, adferens secum testimonium legitimum sui Pastoris, aut Vice-Pastoris, seu Præceptorum, aut aliorum proborum virorum, qui ipsius ordinandi vitam & mores noverint, eumque suis literis, talem esse testentur, quales dictæ reformationis formula promovendos ad hujusmodi ordines esse requirit: & nisi talis compertus ac judicatus fuerit ab illis, quos in civitate nostra Leodiensi ad examen morum & literaturæ specialiter deputabimus, ad dictos ordines respective non admittantur.

Caput II.

De examine promovendorum.

Pari modo ad probandum idoneitatem, seu dignitatem, vel indignitatem eorum, qui ad dignitates Ecclesiasticas electi, vel assumpti, vel ad Ecclesias Parochiales, earumque Deservituras præsentati, seu nominati fuerint, volumus eos, atque unumquemque eorum, per viros doctos & probos, quos similiter in dicta civitate deputabimus, super vita, moribus, & literarum scientia, ad hujusmodi dignitates, Parochiales Ecclesias, earumque Deservituras respective requisitis, diligenter examinari: ita tamen, ut si Ecclesiæ hujusmodi in ea parte Brabantiæ, Hollandiæ vel Zelandiæ, quæ huic nostræ Diœcesi subest, sitæ sint, electi, ac præsentati, seu nominati ad easdem, vel earum deservituras, per Deputandos a Nobis in Brabantia, in loco, ubi Curiam nostram residere contigerit, debeant super iis, quæ dicta sunt, examinari: Et qui testimonio Deputandorum, ad quos pertinebit, pronuntiati erunt idonei, ab illis, quibus incumbit, Pastores instituere, ac Vice-

Pasto-

Pastores admittere, seu electos confirmare, institui & admitti, ac electiones poterunt confirmari, solito interim examine super reliquis qualitatibus, tam ad supradictos Ordines sacros, quam ad dignitates hujusmodi, vel curas Pastorales requisitis, puta, super electorum vel præsentatorum personis, electionumque validitate, vel invaliditate, Vicario nostro, & Officiali, aliisque ad quos pertinet, reservato. Quemadmodum etiam examen causarum, propter quas veri Pastores a personali apud Ecclesias suas residentia excusari petent, penes Nos, seu Vicarium nostrum, & Archi Diaconos, sicut hactenus, remanere volumus.

Caput III.

De qualitate instituendorum in Ecclesiis, vel Dignitatibus.

Quocirca de dictæ Synodi consilio mandamus, ut omnes & singuli, ad quos pertinet, de Ecclesiis Parochialibus, vel quibuscunque dignitatibus Ecclesiasticis hujus nostræ Diœcesis, sive per viam collationis, præsentationis, vel electionis, sive per aliam quamcunque, providere, seu Ecclesiarum deservitores, veris Pastoribus absentibus, admittere, tales designent, præsentent, eligant & admittant, quales jam dicta formula describit: alioquin ad Ecclesias Parochiales, earumque deservituras præsentatos ab Archi-Diaconis, & aliis, ad quos præsentatorum institutio, seu deservitorum admissio pertinet, de hujusmodi Ecclesiis investiri, vel ad earum deservituras nequaquam volumus admitti, neque electos ad dignitates per Vicarium nostrum, aut quemcunque alium confirmari.

Caput IV.

De modo celebrandi Divinum Officium.

Insuper ad emendandum magnos & notabiles defectus Canonicorum, Capellanorum, & aliorum Divinis officiis mancipatorum, qui circa frequentationem Horarum Canonicarum, cæterorumque Ecclesiasticorum officiorum illis incumbentium, hactenus in multis Ecclesiis, præsertim Collegiatis, non sine magno populi scandalo contigerunt, authoritate nostra, Sanctæque Synodi præcipimus & mandamus, ut deinceps in omnibus & singulis Ecclesiis nostræ Diœcesis, in quibus Horæ Canonicæ collegialiter decantantur, juxta uniuscujusque Ecclesiæ dignitatem & facultates (habita ratione eorum, quæ ad dictum usum relicta) instituantur distributiones, ubi tamen non sunt institutæ, præsertim pro unaquaque trium Horarum principalium, scilicet Matutinarum, summæ Missæ, & Vesperarum: quas soli illi, qui hujusmodi Horis, seu Officiis, a principio usque ad finem, idque in habitu uniformi, talique, qualem temporis conditio requirit, percipient.

Eadem quoque authoritate districte præcipimus omnibus & singulis Canonicis, Capellanis, & Ecclesiarum Ministris supradictis, ut a vagationibus & obambulationibus, quæ multis in locis tempore Divinorum officiorum in Ecclesiis, vel intra illarum immunitates, cum gravi laicorum scandalo, & ipsorum ambulantium animarum periculo fieri solent, deinceps abstineant: alioquin distributiones illius Horæ, seu illarum Horarum, sub qua, vel quibus hoc facere præsumpserunt, penitus amittant.

Caput V.

Qui gaudere possint Universitatum Privilegiis.

Volumus etiam, & mandamus, ut in Universitate oppidi Lovaniensis; aut alia quacunque, nulli, nisi ad studia literarum idonei, & illarum gratia principaliter se ad Universitatem conferentes, in supposita & ad usum privilegiorum hujusmodi Universitatis recipiantur, aut suorum beneficiorum fructibus eo prætextu gaudeant: nec recepti ipsis privilegiis pro beneficiorum fructibus uti finantur; nisi quamdiu causa studii permanserint, & spes sit, quod ex studio suo fructum uberiorem in Ecclesia Dei sint parituri. Qui vero desides & otiosi comperti fuerint, ab eorundem privilegiorum usu, & fructuum perceptione repellantur.

Et quia in multis particularibus, seu minoribus scholis, juventus hactenus parum recte, Christianeque instituta est; illos solos posthac in hujusmodi scholis prælegi volumus Authores Grammaticos, Dialecticos, Oratores, atque Poetas,

tas, quos patentibus noſtris literis brevi deſignaturi ſumus: quibus etiam titulos ac nomina librorum prava dogmata continentium, propterea que ab omnibus vitandorum, pariter exprimemus.

Caput VI.

De aſſumendo in qualibet opulentiori Eccleſia Theologo, qui ſacras profiteatur literas.

Eadem quoque authoritate ſtatuimus & ordinamus, ut in civitate noſtra Leodienſi, communibus majoris, & ſecundariarum Eccleſiarum expenſis aſſumatur Theologus, qui Canonicis, & aliis Beneficiatis earundem Eccleſiarum, cæterisque comparere volentibus ſacras literas (præcipue illas, quæ in Eccleſiaſticis officiis leguntur) publice prælegat, profiteatur, & exponat. Idemque in Trajectenſi, & Aquisgranenſi, ac aliis Canonicorum Collegiis opulentioribus fieri volumus.

Caput VII.

De modo diſpenſandi bona pauperibus relicta.

Præterea ut Hoſpitalia, & alia quælibet pia loca hujus noſtræ Diœceſis, in quibus bona aliqua in uſus pauperum relicta fundataque ſunt, deinceps fideliter regantur; ſtatuimus & ordinamus, ut bona hujusmodi per eorundem receptores & adminiſtratores in illos duntaxat uſus, in quos pia fidelium largitione relicta ſunt, ea fide & integritate erogentur & diſtribuantur; ut de fideli eorundem diſpenſatione per Viſitatores a Nobis deputandos (quantum ad ea, quorum cura, tutela, atque protectio Nobis incumbit) nobis legitime conſtare poſſit. Quantum vero ad illa Hoſpitalia & bona, quorum adminiſtratio, ſeu diſtributio Abbatibus, Abbatiſſis, Præpoſitis, Prioribus, Decanis & Capitulis, vel aliis quibuslibet credita eſt, volumus, ut per illos, ad quos eorundem viſitatio & ſuperintendentia ex fundatione, conſuetudine, vel privilegio pertinet, in præſentia alicujus ex tribus perſonis, per Nos in civitate noſtra Leodienſi, & totidem in Brabantia nominandi, quem ipſi Viſitatores eligendum duxerint, per inſpectionem antiquorum monumentorum, regiſtrorum, & quorumlibet aliorum documentorum, bona & fundationes hujusmodi concernentium, cum omni diligentia inquiratur, quid & quantum in pauperum ſuſtentationem relictum ſit, & quam fideliter diſtributum, & hoc pro iſta vice duntaxat, & ſine præjudicio tam articulorum dictæ reformationis, quam privilegiorum dictis Monaſteriis, ſeu Collegiis conceſſorum.

Caput VIII.

Qui ad docendum Verbum Dei ex Mendicantibus admitti debeant.

Item volumus & ordinamus, ut ex ordinibus Mendicantium nulli poſthac ad prædicationem Verbi Dei admittantur, niſi exactiore & diligentiore, quam hactenus, præcedente examine, per literas teſtimoniales ſuorum Provincialium, ac Guardianorum, ſeu Priorum, tanquam juxta reformationis tenorem, ac alias idonei, Nobis præſentati, ac per Nos admiſſi fuerint: & jam admiſſos dicti ipſorum Guardiani, ſeu Priores tenebuntur ſerio adhortari ac monere, ut juxta regulam, in ipſa reformationis formula præſcriptam, populum doceant, caveantque, ne contra eandem quidquam temere effutiant, unde auditores male ædificari, vel ad contemptum, ſeu minorem æſtimationem Verbi Dei provocari poſſint.

Caput IX.

De conceſſa abſolvendi authoritate in caſibus Ordinario reſervatis.

Inſuper ut conſcientiis timoratis, & animarum ſaluti promptius efficaciusque conſulatur; omnibus & ſingulis Paſtoribus, & Vice Paſtoribus, nec non quatuor ordinum Mendicantium Guardianis, ac Prioribus poteſtatem abſolvendi a caſibus, Nobis de jure, vel per Statuta Synodalia reſervatis, concedimus & elargimur: licebitque unicuique ipſorum Priorum, & Guardianorum, unum ex illis, quos ad prædicandum præſentabunt, Nobis deſignare, cui ſimilem a dictis caſibus abſolvendi facultatem impertiemur, quam aliis per Nos, vel Vicarium noſtrum antea conceſſam, adimimus & revocamus.

Quo

Caput X.

Quo tempore Sacra celebrari non debeant.

Item ordinamus, ut in Ecclesiis Parochialibus non Collegiatis, sub Missa majori diebus Dominicis, & festivis celebribus, & tam in his, quam Collegiatis Ecclesiis, tempore prædicationis Verbi Dei, ab aliarum Missarum celebratione abstineatur; ne occasio detur populo, huc illucque discurrendi, Missamque Parochialem, aut Verbum Dei negligentius audiendi.

Caput XI.

De numero Susceptorum & Susceptricum.

In Baptismo infantium non plures a parentibus eorundem adhibeantur, aut a Sacerdotibus baptizantibus admittantur Susceptores ac Susceptrices, quam quatuor, aut ad summum quinque, habita ratione sexus ipsius Baptizandi.

Caput XII.

De Solemnibus Matrimonii.

Ad hæc ut abusibus, magnæque confusioni, quæ in contractu Sponsalium ac Matrimonii committi solent, occurratur, authoritate nostra, & Synodi statuimus & ordinamus, ut qui deinceps matrimonialiter conjungi voluerint, coram alterutrius ipsorum Pastore, seu Vice-Pastore, & non coram aliis Sacerdotibus, sponsalia contrahant, nec ad contrahendum Matrimonium, nisi præviis tribus proclamationibus (quas tribus Dominicis, vel festis, saltem uno die intermedio ab invicem distantibus, in Ecclesia sub sermone, vel post Evangelium summæ Missæ, populo ad Divina audienda congregato, solenniter fieri volumus) procedere præsumant; salva tamen Archi-Diaconis, aliisque Prælatis, proclamationes remittendi facultatem habentibus, potestate, duas ex tribus remittendi: quo tamen casu non poterit Pastor illos ad contrahendum Matrimonium admittere, nisi tertiam (quæ remitti non poterit) proclamationem modo supradicto præmiserit, interque eandem & contractum, solemnizationemque hujusmodi, unus ut minimum dies intercesserit, deque spontaneo & libero contrahere volentium consensu, & quod nullum Canonicum obstet impedimentum, Pastori, seu Vice-Pastori eorum, seu alterius ex ipsis (si diversarum sint Parochiarum) per literas testimoniales consuetas legitime constiterit, licebit Pastori, seu Vice-Pastori alterutrius eorum, quem ad hoc requisiverint, eos in Ecclesia hora summæ Missæ, & aliter minime conjungere. Qui sic conjuncti Missam tenebuntur audire, nisi consuetudo, quod eam ante Matrimonii solemnisationem audire possint, permittat: nostra in præmissis authoritate salva. Hortamur nihilominus dictos Archi Diaconos, aliosque Prælatos, ut non passim aut promiscue, sed legitima duntaxat, & rationabili subsistente causa, super dictis duabus proclamationibus dispensent.

Prohibemus etiam districte sub pœna excommunicationis, ne Diœcesis nostræ Sacerdotes contra hujus nostræ Diœcesanæ Synodi formam & ordinationem præsumant aliquos matrimonialiter conjungere, neve nobiles, castra, vel capellas, quibus præsunt, habentes, sub cujusvis libertatis, vel consuetudinis prætextu in eisdem id fieri permittant.

Caput XIII.

De tollendo Concubinatu.

Cæterum, quia inter crimina atque flagitia nullum est, quod personas Ecclesiasticas, in sortem Dei peculiariter electas, magis dedecoret, atque dehonestet, ac ad Divina tractanda indigniores reddat, quam incontinentia & inhonesta cum mulieribus commercia: omnes & singulos Subdiaconos, Diaconos, & Sacerdotes, & alios quoscunque Clericos Beneficiatos, vel Ecclesiæ Ministros districte requirimus, ut concubinas, vel quascunque mulieres suspectas, cum quibus antehac de fornicatione diffamati fuerint, tenent ac fovent, seu quibus cum scandalo populi adhærent, easdem intra quindecim dierum spatium post publicationem præsentium (quos pro peremptoria & Canonica monitione ipsis præfigimus) a suis cohabitatione, consortioque amoveant, alioquin sententiam suspensionis ab officio & beneficio (quam ferimus in his scriptis) se nove-

rint incurrisse. Ipsas vero mulieres, quæ post dictos quindecim dies in domibus dictorum Clericorum repertæ fuerint permansisse, vel permanere, aut alias suspectam cum eisdem conversationem non dimisisse, per Officiales nostros & Decanos rurales authoritate nostra excommunicari volumus, & excommunicatas denuntiari. Idem quoque fieri volumus per illos, ad quos (de legitima præscripta consuetudine vel privilegio) pertinet hujusmodi excessus corrigere, ne Nos idipsum facere, & illorum negligentiam supplere cogamur.

Caput XIV.

De tollenda pluralitate Beneficiorum.

Item ad restringendam irrationabilem & scandalosam Beneficiorum (præsertim, quibus cura animarum annexa est) pluralitatem, authoritate nostra & Synodi hujus præcipimus omnibus & singulis Diœcesis nostræ personis, plura beneficia habentibus, ut Nobis, seu Visitatoribus nostris, visitationis tempore, literas dispensationum suarum super hujusmodi pluralitate (si quas habeant) ostendant; alioquin uno, quod maluerint, retento, reliqua dimittant, viris idoneis personaliter residere volentibus conferenda.

Caput XV.

De assignanda Parochis portione Canonica.

Eadem quoque authoritate mandamus omnibus & singulis Visitatoribus per Nos deputandis, ut ubicunque in visitationibus Ecclesiarum compererint Pastores aut Vicarios perpetuos, quibus vel propter Decimarum, ipsis Ecclesiis olim in toto, vel in parte ablatarum ademptionem, & Monasteriis, Collegiis, & Dignitatibus, vel aliis fundationibus factam incorporationem, vel Canonicæ portionis, eis olim reservatæ diminutionem a quadraginta annis citra, non suppetit, unde pro dignitate Ecclesiarum suarum, & onerum illis incumbentium, decenter & honeste vivant; eisdem juxta dictæ reformationis tenorem ex decimis incorporatis de competenti ac sufficienti portione provideant, seu provideri faciant. Similiter ubi invenerint Ecclesiarum deservitoribus seu temporalibus Vicariis stipendium nimis exiguum a veris Pastoribus, quibus inserviunt, & pondus, æstusque diei portant, illis interim nihil oneris ferentibus, suppeditari; eisdem Pastoribus præscribant, talem mercedem ac portionem ipsis deservientibus præbendam, quæ illis ad decenter honesteque vivendum sufficiat, eamque ex Ecclesiarum proventibus, durante eorum Vicariatu, quot annis persolvant, ne videlicet dicti Pastores, vel Vicarii temporales, aut perpetui, propter sufficientis stipendii, seu sustentationis defectum, occasionem sumant, populum indebitis exactionibus ultra gravandi, atque scandalizandi.

Caput XVI.

De claudendis œnopoliis.

Item omnes & singulos Magistratus & locorum sub Diœcesi nostra consistentium Rectores & Officiarios serio requirimus, & mandamus, ut œnopolia & tabernas diebus Dominicis & Festis prohibeant operiri, aut aliquos compotandi, seu commessandi gratia in eis recipi (peregrinis atque infirmis duntaxat exceptis) donec summa Missa fuerit absoluta: nec non & alia præstari curent, atque a populo observari faciant, quæ in dicta reformatione sub titulo: de disciplina populi, præcipiuntur. Quemadmodum Nobis subjectis, ut præmissa fideliter observent, & authoritate nostra observari faciant, serio præcipimus & mandamus.

Caput XVII.

De Visitatione & modo visitandi.

Et quia negotium reformationis potissimum dependet a strenua visitatione, sine qua defectus, correctione indigentes, sciri nequeunt, & minus corrigi; omnibus & singulis Abbatibus, Archi-Diaconis, Archi-Presbyteris, Collegiatarum Ecclesiarum Decanis, & aliis quibuscunque, quibus visitandi officium incumbit, singuli eorum, quam citissime fieri poterit, & si non prius, saltem ante proximum Sancti Joannis Baptistæ Festum, suos respective visitent Archidiaconatus, & jurisdictionis terminos seu loca, in quibus visitandi jus habent, idque

idque non perfunctorie, ſed fideliter, diligenter & ſerio, quemadmodum dicta reformatio præſcribit, quo ſupra ſperatus emendationis fructus ex ipſis viſitationibus provenire poſſit: deque peracto hujusmodi viſitationis officio, nec non de rebellione & inobedientia (ſi quam invenerint) Nos ante jam dictum feſtum per ſuas literas certiores reddant, quo adverſus rebelles & inobedientes de opportuno remedio providere poſſimus.

Eisdem etiam Viſitatoribus diſtricte præcipimus, ut ubicunque in locis jurisdictionis ſuæ deprehenderint Monachos, aut Moniales apoſtatas, ſeu fugitivos, eos corporaliter apprehendi, atque ad Monaſteria ſua reductos Prælatis ſuis tradi faciant, juxta eorundem arbitrium pœnitentiam acturos.

Super omnia vero ſoliciti ſint de hæreticis, ac de hæreſi ſuſpectis, vel diffamatis, deque hæreticorum fautoribus, receptatoribus, atque defenſoribus; de libris item, hæretica continentibus, ac prohibitis, omni ſtudio inveſtigare & inquirere, & quæ repererint, inquiſitoribus noſtris fideliter curent intimare.

Cæterum ut ea, quæ ſub titulo de excommunicatione in dicta formula habentur, debitam ſortiantur executionem, utque abuſus Judicum Apoſtolicorum atque impedimenta, quæ Eccleſiaſticæ ordinariæ jurisdictioni hactenus præſtita ſunt, tollantur; maturo cum Reverendo Domino Archi Epiſcopo Colonienſi, Metropolitano noſtro, habito conſilio providebimus & ſtatuemus. Tempus quoque, quo proxima Synodus noſtra Diœceſana ſervari debeat, poſt celebratam proximam Provincialem Synodum conſtituemus.

Caput XVIII.

De modo exequendi præſcriptas ordinationes.

Demum Prælatos & omnes, quibus incumbit, delinquentium exceſſus corrigere, ſerio monemus & requirimus, ut quæ ſunt præſcripta (quatenus unumquemque eorum contingit ac reſpicit) ſtrenue exequantur, ſuisque officiis, ut oportet, fungantur: alioquin contra eos, quos dictæ Majeſtatis Imperialis, Ordinumque Imperii, & hæc noſtra mandata, ſalubriaque monita compererimus non ſervaſſe, ſupradictas & alias in dicta reformatione contentas pœnas absque diſſimulatione exequemur, vel ad Cæſaream Majeſtatem, aliosque Superiores, prout res poſtulare videbitur, referemus. Per præmiſſa tamen antiquis Synodalibus Statutis non intendimus derogare, ſed in ſuo illa robore volumus permanere. Datum in Civitate noſtra Leodienſi anno a Nativitate Domini Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo, menſis Novembris die decima tertia.

Ad Mandatum Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini D. Epiſcopi Leodienſis &c. præfati Domini noſtri Gratioſiſſimi proprium.

V. Veert.

M. de Jaillon.

Decretum Epiſcopi Leodienſis.

GEORGIUS DEI GRATIA EPISCOPUS LEODIENSIS, DUX BULLONENSIS, COMES LOSSENSIS &c. UNIVERSIS ET SINGULIS ARCHI DIACONIS, ARCHI-PRESBYTERIS, SEU DECANIS RURALIBUS, CÆTERISQUE ECCLESIARUM AC MONASTERIORUM PRÆLATIS, PASTORIBUS QUOQUE AC PLEBANIS, EORUMQUE VICARIIS, NOSTRARUM CIVITATIS ET DIŒCESIS, SINCERAM IN DOMINO SALUTEM.

Etſi ad obviandum promotioni indignorum ad ſacros Ordines, in Synodo noſtra Diœceſana, nuper in hac noſtra civitate celebrata, ſalubriter provideque ordinatum eſt; quod deinceps nemo in Diœceſi noſtra Leodienſi ad aliquem ſacrum Ordinem admitti debeat, niſi qui prævio examine non qualicunque, ſed diligenti ac legitimo, ſuper ipſius ordinandi vita, moribusque, & literarum ſcientia per Nos ad hoc ſpecialiter deputandos, inventus fuerit idoneus. Tamen, ſicut ex fide dignorum inſinuatione interea didicimus, nonnulli Clerici ejusdem noſtræ Diœceſis, vel propter conſcientiam indignitatis, inſcitiæque ſuæ non audentes, vel propter proterviam dedignantes hujuscemodi examen ſubire, modum excogitarunt, quo ſe confidunt, ac etiam jactant, dictam

ctam ordinationem Synodalem, licet rationi ac sacris Canoribus omnino consentaneam, nec non hoc corrupto sæculo summe necessariam, propterea que ab omnibus bonis merito acceptandam, posse frustrare & eludere: spem videlicet collocantes in dispensationibus Apostolicis, facile, ut sibi pollicentur, impetrandis: quarum prætextu & adminiculo putant se ab extraneis, seu ab aliis Episcopis, ad quos confugerint, dictos sacros Ordines consecuturos, in eisdemque postea etiam in hac nostra Diœcesi libere ministraturos. Nos igitur hujusmodi viis obliquis, quibus tales dispensationes plerumque fraudulenter, subreptitieque, & contra mentem illas concedentium, obtineri solent, tacitis iis, quæ pro vera illorum informatione exprimi debuerant, obviare volentes, Vobis omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ & suspensionis a Divinis officiis pœnis districte mandamus, ne posthac aliquem sub prætextu cujuscunque dispensationis, seu licentiæ, a quocunque alio, quam a Nobis, in Ecclesiis, Monasteriis aut Capellis vestris, seu sub vestra jurisdictione sitis, publice vel occulte celebrare, aut in Ordinibus sic susceptis ministrare sinatis; nisi prius legitime docuerit, se nostram super hoc licentiam obtinuisse, quam nulli dare intendimus, nisi quem deputati nostri comperetint, atteſtatique fuerint, & probæ vitæ legitimum habere testimonium, & ultra competentem latinæ linguæ peritiam de iis, quæ ad fidem ac religionem nostram, Ecclesiæque Sacramenta pertinent, ea nosse, quæ omnes sacris Ordinibus insigniti merito scire debent. Datum in Civitate nostra Leodiensi Anno a Nativitate Domini MDXLVIII. Mensis Decembris die XXIII.

Ad Mandatum Reverendissimi ac Illustrissimi Domini D. Episcopi Leodiensis &c. præfati Domini nostri Gratiosissimi proprium,


V. VEERT.

M. DE JAILLON.

Ex editione Lovaniensi, facta anno 1549. *per Jacobum Bathenium.*
Eandem Synodum exhibet Lunig. Cont. III. Spicil. Ecclesiast. a pag. 1104.

Georgius Austriacus, Maximiliani I. Imp. filius, Archi-Episcopus Valentinus, & Episcopus Brixinensis, a Cornelio a Bergis Episcopo Leodiensi anno 1541. in Pastoralis curæ adjutorem adscitus, eidem in Cathedra successit anno 1544. 17. Augusti. Elapso post aditum Episcopatum quadriennio descriptam supra Synodum habuit, in eaque formulam Reformationis Ecclesiasticæ a Carolo V. Imp. propositam publicavit. Ecclesiam Leodiensem magna modestia, clementiaque rexit annis tredecim. Obiit anno 1557. 4ta Maji.

Chappeaville in Gestis Pontif. Leodiensium. Tom. III.



SYNODUS TREVIRENSIS
DIOECESANA
Eodem anno Christi MDXLVIII.

Acta & Decreta Synodi Diœcesanæ Trevirensis, Præsidente Reverendissimo in Christo Patre, & Amplissimo Principe, Domino, Domino JOANNE Archi-Episcopo Trevirensi, S. R. I. per Galliam, & Regnum Arelatense Archi-Cancellario ac Principe Electore &c. celebratæ vigesima quinta Novembris.

MAN-

MANDATUM CONVOCATIONIS.

JOANNES (*) DEI GRATIA, SANCTÆ TREVEREN. ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII, PER GALLIAM ET REGNUM ARELATENSE ARCHI-CANCELLARIUS, AC PRINCEPS ELECTOR. UNIVERSIS ET SINGULIS CATHEDRALIS NOSTRÆ, ET COLLEGIATARUM PAROCHIALIUMQUE ECCLESIARUM ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, TUM RURALIBUS DIVINORUM RECTORIBUS, CURATIS AC NON CURATIS, ALIISQUE ECCLESIASTICIS PERSONIS, CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ TREVEREN. QUIBUSCUNQUE CONJUNCTIM, AUT SINGULATIM, QUI NOSTRÆ SYNODO EPISCOPALI, DE JURE, AUT CONSUETUDINE INTERESSE CONSUEVERUNT ET TENENTUR, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

NEminem veſtrum latere volumus, quod Clementiſſimus & Inviƈtiſſimus Princeps & Dominus noſter CAROLUS V. Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, publicæ pacis & tranquillitatis vindex, Comitiis hiſce ſuperioribus Auguſtæ celebratis, omnem animi, conſiliique rationem in id contulerit, ut pro admirabili ſua prudentia ſimul, & ſuſcepto cœlitus Eccleſiam tuendi Catholicam officio, rebus jam in extremum periculum adduƈtis, ac Religioni prope univerſæ improborum licentia obliteratæ, opem ferret, eamque, quoquomodo poſſet, Divina aſpirante gratia, in tutum tranquillitatis portum, de mediis procellarum, turbinumque fluƈtibus reduceret. Itaque hac tam juſta ac neceſſaria ratione commotus, nimirum, quo celerioribus conſiliis rebus lapſis ſuccurreret, idoneaque magis via ſubvenire poſſet, tantamque ac tam peſtilentem hæreticarum contentionum inundationem reprimeret, revocata, redditaque inclytæ Germanicæ Nationi priſtina, avitaque luce & pace, a Catholicis Imperii membris, præter alia de Religionis forma, a ſua Majeſtate diſerte declarata, clementer monendo poſtulavit, ne quid ab obſervatis haƈtenus in univerſali Dei Eccleſia ritibus, ſanƈtisque obſervationibus quisquam digrederetur. Imo ut cum Nos inprimis inculpatos, circa religionis normam exhiberemus, tum etiam noſtræ fidei commiſſos, in Divina diſciplina ita moderaremur, ut omni diligentia cautum, accurateque proviſum videretur, ne aliunde inſolens quid aut alienum a vetuſtis Eccleſiæ Catholicæ ritibus irreperet, aut intromitti pateremur; ſed immobiles potius, tanquam ad ſcopulum tabula aliqua naufragio ejeƈti, ita ad reliƈtam a majoribus Religionem, uſque ad Generalis Concilii definitionem, adhæreremus.

Quod quidem fieri poſſe illius Majeſtas exiſtimavit, ſi Eccleſiarum mores, vitæque ratio ad meliorem, ſanƈtioremque formam revocarentur. Huic igitur tam pie monenti, perinde atque Divino Oraculo omnes Catholici, Imperiique Principes, ac Status, ut par erat, lubenter paruerunt, & pro ſe quisque, ſimul atque ad ſuos rediſſet, curaturum recepit. Et ne foret cuiquam neceſſarium, qualisnam eſſet reformandi proceſſus, modusque aſſumendus, longum cogitando tempus impendere, ſacra illius Majeſtas ſibi haud quaquam grave duxit, formam nobis proponere, ad amuſſim conſentaneam ſcripturis, & cælitus inſpiratis Canonibus, quam de ſacrorum voluminum penu, piorum literatiſſimorumque hominum induſtria, depromſerat: Qua quidem admoniti ſinguli, quid apud ſuos

(*) Joannes, Comes Iſenburgicus, ex Archi-Diacono Eccleſiæ Trevirenſis Archi-Epiſcopus eleƈtus fuit anno 1547. Mox a dignitate ſuſcepta egregiam Imperio & Eccleſiæ Germanicæ ad pacem reducendæ navavit operam: multis propterea, atque ob eximias virtutes alias elogiis, a coævis Scriptoribus ad poſteriorum memoriam commendatus. Præter hanc Synodum Diœceſanam anno 1548. coaƈtam, alteram, quam paulo poſt referemus, anno ſequente, Provincialem celebravit. Utraque anno 1549. Colonienſibus eſt typis excuſa per Jaſparem Gennepæum. *Cum Eccleſiam*, ut in ejus Epitaphio legitur, *remque publicam inter graviſſimos Imperii motus, inſigni pietate & animi conſtantia adminiſtraſſet, multis pro Chriſti gloria & Eccleſiæ ſuæ ſalute laboribus ſuſceptis, & itineribus confeƈtis, in Concilio Tridentino in adverſam valetudinem* incidit, *& paucis poſt annis patientiſſime tolerato morbo, ex hac vita in æternam requiem deceſſit.* *Browerus in Annal. Trev. Tom. II. L. XXI.*

ſuos facto opus eſſet, ad reſtaurandum Eccleſiæ integritatem, non difficulter, neque obſcure perſpicerent. Hanc igitur Nos protinus, ut a Comitiis vobis redditi ſumus, convocato Clero noſtro, ſuperioris noſtræ Diœceſis Treverenſ. in Cathedrali Eccleſia: inferioris vero in Confluentina arce, Reformationis formulam, juxta Cæſaris mandatum publicari & prælegi omnibus vobis curavimus: ac nunc de integro etiam a vobis exigimus, monentes & obſecrantes, aut etiam virtute ſanctæ obedientiæ, & auctoritate noſtra præcipientes, ne quisquam veſtrum a declarata Cæſareæ Majeſtatis formula, inſtitutionibusque, & a majoribus noſtris conſervatæ diſciplinæ, vel in Cathedrali, aut ſecundariis, Parochialibus Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, Oratoriis, aut ullis locis Religioni dicatis, diſcedat, aut alienum aliquid inſolitumve agat, vel obſtrepere præſumat; ſed ea omnia, qualia ſunt, ſummo ſtudio & animo complectatur, obſervet, & conſtanter reipſa & opere proſequatur.

Deinde quoque eadem auctoritate, ut ad Synodum noſtram Epiſcopalem, in qua executionis edictum concluderetur, die conſtituto, in Eccleſia noſtra Metropolitana, cæteris poſtpoſitis rebus omnibus, propenſis animis conveniatis, quo poſſimus in commune conſulere, ac diſpicere ea omnia, quæ extirpandis erroribus erunt neceſſaria, & ad rectam Divinorum officiorum adminiſtrationem conducibilia. Inquiſituri præterea, quod etiam communis ſalus maximopere poſtulat, quid ad morum ornamenta, ſplendoremque conferat: quid vitam emendet, ac Nos denique extra malevolorum reprehenſionem ponat. Quas quidem commoditates, ac officiorum certiſſima adjumenta ſuppeditabit cum recti cupidus in Synodum allatus animus, tum ipſa norma & obſervatio veterum Canonum, Divinorumque ſcriptorum, quæ ſacro Spiritus afflatu, quaſi indice viam oſtendent. Ac ne quis dicat: ſibi de hujus noſtræ Synodi, deque reformationis intimatione certi nihil conſtitiſſe, talique prætextu effugere ſperet: Ideo in omnem Eccleſiæ noſtræ regionem, & agrum tot Reformationis exempla ſpargi curavimus, ut omnibus vobis a maximo ad minimum ſufficere credamus. Quamobrem ad unum omnes ratione officii noſtri appellamus, & paterna charitate adhortamur, obſecramus, & monemus, ut cum hanc religionis diſciplinam divinitus Cæſari inſpiratam nacti ſitis, operam detis, nervosque omnes huc intendatis, ut illi per vos reſpondeatur, ejusque tanquam fideles miniſtri in omnibus & ſingulis articulis curam ſummam habuiſſe videamini: neque impunitum erit ea, quæ hic jubentur, non præſtare, aut ad illius præſcriptum non explodere in totum, quidquid jam diu ſævientibus diſſenſionum tempeſtatibus a Catholica Eccleſia alienum, ſanctoque gregi noxium, atque huic reformationi contrarium fuerit invectum. Si vero quisquam obtemperare noluerit, aut obſtiterit, quo minus hæc Reformatio in opus producatur, ejus in futura Synodo indicia faciatis: ut aut noſtra in talem auctoritas juxta Canonum cenſuram animadvertat, aut ad Cæſaream Majeſtatem, uti injunctum eſt omnibus, de hujusmodi pertinacia relatio fiat. Quamobrem unumquemque magno & ſecuro animo ad promulgandum Reformationis doctrinam procedere jubemus, quia certus modo luculentæ veritatis ſcopus a Cæſare erectus eſt: Ad cujus conſpectum, nulla vi aut poteſtate territi, una cum illis, quorum curam geritis, conniti debetis. Et hoc modo ad conſtitutum diem in Synodo idonei compareatis: in qua ſane Nos una cum vobis, juxta promulgationem harum litterarum, ad reformationis executionem erimus intenti, digna videlicet exceſſibus iſtis, quæ contra reformationem commiſſi ſunt, & contumacibus, remedia adhibituri. Porro in fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras literas, ſigillo noſtro ſubimpreſſo fecimus communiri. Datum ex oppido noſtro Witlich, die XXX. Octobris Anno Milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo octavo.

Cum itaque dies veniſſet, qui a Reverendiſſimo Patre ac Domino Joanne Archi-Epiſcopo Treverenſ. Principe Electore indictus erat, ad celebrandam Synodum, comparuerunt Nobiles & Reverendi Patres, ac Domini Archi-Diaconi, Abbates, Præpoſiti, Prælati, Archi-Presbyteri, Decani, cæterique voca-

vocati, qui omnes simul in Basilicam majorem Treverensem processerunt, & invocato ante omnia Spiritus Sancti auxilio, & officio Divino peracto, Vicarius Reverendissimi in Pontificalibus, Nicolaus, Episcopus Azotensis, toti Ordini Ecclesiastico præsenti, solenniter benedixit, & ad Deum preces direxit: quibus transactis, in medium chori progressus, præsentes in Synodo pia & erudita oratione hortatus est, ut omnem operam suam in Ecclesiæ Treverensis reformationem salutarem conferre dignentur.

Post hunc Doctor Pelargus prodiit, qui in eandem sententiam, Reverendos Patres in Synodo congregatos, copiosa Oratione cohortatus est.

ORATIO
D. Pelargi, Doctoris Theologi, in Synodo Treverensi habita.

Ægre quidem; sed tamen passus sum, in hoc celebri Patrum consessu dicendi Provinciam mihi mandari, quod publicam auctoritatem (quæ eam necessitatem imposuit) detrectare integrum non fuerit, etiamsi rerum hac oratione tractandarum, magnitudo & difficultas propemodum deterreat ab officio. Proinde cum hanc tam ancipitem Provinciam, & gratificandi studio, & recusandi pudore susceptam, ulterius deprecari non liceat, & tamen vestræ expectationi respondere nequeam, (non enim qualiscunque, sed gravis equidem pro gravitate exigitur oratio) pretium operæ me facturum existimo, si liberandæ fidei meæ, flexanimum illum spiritum cœlis devocavero, qui mentes nostras luminis sui radiis coruscet, orationi vim & energiam suppeditet: denique in amorem eorum, ad quæ vos in hoc Synodali consessu cohortaturus sum, corda vestra excitet, exstimulet, rapiat, accendat, inflammet, & incalescere faciat; quod ut facere dignetur, vos quoque flagrantibus votis ab ipso contendere convenit.

Porro non stat sententia, hac oratione operam sumere colligendis, celebrandisque virtutum vestrarum laudibus, quod & dignitatibus, & meritis vestris forte conveniet. Certæ causæ, in quam tota fere hæc nostra oratio incumbit, magis exhortatio congruit, tametsi permulta sunt, fateor, quæ gratulationem sane & laudem merentur: cur hoc unum commemorasse satis habeo, quod in hoc odiosissimo tumultu, ac formidanda renovatione, varie tentati & pulsati, nulla ratione aut persuasione passi estis, in deditionem hostium, proditorumque Ecclesiæ & Fidei vos redigi: sed in castris Christi, firmi, immoti, invicti & ipsi constitistis, & fidei vestræ concreditos, etiam eos, qui forte vacillantes, ac propemodum persuasi jam defecturi videbantur in apostasiam & hæresim, in fide & officio continuistis. Quod si laude dignum est, a desertoribus ac profugis in totum abstinuisse, nullamque unquam cum ipsis habuisse consuetudinem: si virtus est, & vitam illorum, & dogmata odisse ex animo; quibus vos laudibus ferendos esse sentiam, qui non modo, non ad hæreticorum castra defeceritis, verum etiam pro defendenda Ecclesiæ dignitate, & fortunarum, & capitis quoque periculum fortiter neglexeritis? Dum scilicet superioribus aliquot annis juratus hostis per Trevericos agros grassatus, & religionem labefactare, & fidem etiam vestram expugnare nefandis ausibus sibi sumpsit. Verum enimvero cum ego vestram hanc in fide constantiam, ob firmatam pertinaciam, ac singularem animi fortitudinem vobis congratulor; laudo quidem vos, sed in transcursu, & tanquam aliud agens, hoc nimirum, ut magis magisque vos incitem & cohorter ad istiusmodi virtutum studia: haud ignarus ejus sententiæ, quam externæ sapientiæ auctor quidam extulit, virtutem laudatam crescere, gloriamque immensum calcar habere. Macte igitur hac constantiæ virtute este Viri, Patres ac Domini, & ad quod Paulus quoque cohortatur: (*) Vigilate, ac state in fide, quam gratia Dei assecuti estis, per quam & salutem vos consecuturos esse speratis. Neque ab ea ulla hæreticorum persuasione divelli vos patiamini. Hoc enim pacto perpetuam, & nunquam morituram nominis vestri memoriam comparabitis. Imo vero partam jam comparatamque, tam insigni præclaroque facinore, etiam atque etiam confirmabitis.

Est vero aliud, Viri, Patres ac Domini, quod in vobis desiderem, quod unum

(*) 2. Cor. 16.

unum moneo, hortor, oro, obſecro, omni denique ſtudio a vobis contendo, ac flagito. Quamobrem peto, ut pro humanitate veſtra, & admonentem & obteſtantem me, æquis benignisque animis audiatis. Rem namque juſtam, honeſtam, & Reipublicæ quam maxime profuturam, oratum vos huc venio: niſi forte non ſit juſtum & utile, inſtaurare bonarum, ſacrarumque literarum ſtudia; aut non ex honeſto, publicam Eccleſiæ luſtrare diſciplinam; aut forte eſt aliud Chriſtianæ Reipublicæ magis neceſſarium & utile. Quod ſi æquum & bonum me poſtulare jam intelligitis, impetrem obſecro. Ideo enim ea de re, etiam & etiam admonendos atque obteſtandos vos eſſe duxi, quod hunc unum coactæ Synodi ſcopum ac finem eſſe videam, ni fallar, ut & obliterata diu res literaria reſtituatur, ac repurgetur diſciplina Status Eccleſiaſtici: quod ut fiat, luculenta neceſſitas vos monet, urgetque.

Ut enim neglectis agris, filix, noxiumque id genus germen innaſcitur, ita neglectis Scholis, ingenii, inquam, & animi cultura, immane dictu, quanta, quamque venenata errorum, hæreſum, ſcandalorum, offenſionumque zizania ſusque deque in agro Dominico ſuppullulent, non ſine incredibili Eccleſiæ malo & incommodo. Quantis, bone JESU! tenebris, quam horrenda caligine obruta videmus propemodum omnia? Quis non deploret Studiorum puritatem, a multis jam inde annis, nedum neglectam, ſed etiam contaminatam, labefactatam, condenſatisque tenebris obumbratam? Artes, Philoſophiam, Divinasque literas non ſatis pro dignitate tractatas: quæ rectius tractatæ, multum profecto attuliſſent luminis, plus religioſæ, minimeque fucatæ pietatis. Quid diſſimulamus? quin quod omnium veriſſimum fatemur, annon collapſis ac prope extinctis ſcholis, magnum vulnus Chriſtiana accepit Respublica? Quid ita inquis? Dicam in genere, ſiquidem libera eſt Synodus: In Scholis docentur bonæ literæ, & artes, quas Græci ἐλευθέρας vocant, nos liberales. Literarum ſtudia ad Philoſophiam, tum naturalem, tum moralem viam ſternunt. Porro ut rerum naturæ cognitio viam munit ad profeſſionem medicam, ita morum diſciplinæ non parum adminiculantur & Theologiæ, & Jurisprudentiæ: ex qua nimirum jus, ſive ſacrum, ſive prophanum ortum eſſe exiſtimant. Quis jam non videt, quantum fructus ex Scholarum Seminariis ad Rempublicam rediit, ſive ad bonam corporum habitudinem, conſtitutionemque inſtaurandam, alendam, & confirmandam; ſive Respublicas recte & ordine gerendas, & adminiſtrandas: ſive ad vitam pie, ac religioſe inſtituendam, & componendam.

Contra neglectis literarum & Philoſophiæ ſtudiis, qualis, amabo, poſſit eſſe doctrina in templis? Quid ſani judicii? quid opis apud Medicos? quid conſilii aut patrocinii apud eos, qui juris profitentur peritiam? Verum eſſe, quod dico, res ipſa clamat, & rerum eventus confirmat. Nusquam fere non deſiderantur Artium, honoratiorumque Facultatum Profeſſores. In Republica quidem experti Medici, prudentes Jureconſulti: in Cathedra & publico ſuggeſtu, eximii & candide docti Theologi: in templis Paſtores: in ſcholis probe inſtructi & eruditi Præceptores. Unde quæſo? Neglectæ ſunt ſcholæ, a quibus complures annos exularunt cum liberalia ſtudia, tum vero ſanctiſſima illa, ampliſſimaque Divinarum literarum diſciplina: recepta eſt in ſcholas, & aliquamdiu obtinuit ſpinoſa, ſenticoſa, frigida, jejuna, ac nimis quam infelix illa tum Philoſophiæ, tum Theologiæ tractatio. Eis nimirum in utramvis aurem dormientibus, altumque ſtertentibus, quorum advigilare, aut inſpicere intererat. Animadverſum eſt tandem Romanorum Imperatori Domino noſtro Clementiſſimo, neſcio quibus ſuggerentibus, eum ſtudiorum antiquæ Religionis neglectum principem cauſam eſſe. Quamobrem tot hodie malis premitur, angitur, & affligitur Eccleſia ab hæreticis. Nec ſurdo narrata eſt fabula: ſimul enim ut reſcivit, rem ita habere, ſimul nervos omnes intendit, ſtrenuamque navavit operam, ut poſtliminio ad nos redeant honeſta, & literarum, & pietatis ſtudia. Certe non poterat melioribus conſiliis ac rationibus ſuccurſum eſſe afflictis, ac pene deploratis rebus Eccleſiæ, quam inſtauratione publicorum ſtudiorum, & reformatione collapſi ſtatus Eccleſiaſtici. Atque utinam ego ſincerum, ardentem, rectique

que ac pietatis amantem illius animum, tam digne possim vobis oratione commendare, quam nunquam satis pro dignitate potest celebrari. Felicibus illius cœptis, agedum Viri, Patres ac Domini favete omnes: non utroque modo, quod ajunt pollice, sed toto quoque, apertoque pectore. Sed ad rem: hoc fateamur omnes oportet, nulla re æque opus esse Ecclesiæ, in has, quas videmus angustias contractæ, ac liberali eruditione, qua suffragante, suppetiasque ferente, facile & libertatem suam, & priorem dignitatis, ac gloriæ splendorem, amplitudinemque suam vindicaverit. Quæ causa, si non est & alia, vel sola hortari, & excitare nos debet, ut summa animorum contentione, liberalia expetamus & revocemus literarum studia: quod utinam ea res omnes ex æquo haberet solicitos. Vereor enim, ut ea cura tanto minus tangat aliquos, quanto magis student rebus & a literis, & a Religione alienis: Venationibus, inquam, aucupiis, aleæ, ventri denique ac Veneri, ut nihil aliud dicam. Hi hoc durius objurgandi sunt, quod cum plerique ipsi impendio indocti ac barbari sunt, culpandæ denique ignorantiæ tenebris infuscati, oppressa, extincta, ac deleta cupiunt etiam sacrarum literarum studia: sperantes hac ratione, suam quoque inscitiam facilius latere posse; satis esse rati, si nomen, ac dignitatem suam tueantur otiosis titulis. Habetis priorem orationis partem.

Venio nunc ad Religionis, ac disciplinæ Ecclesiasticæ repurgationem. Quam vero cupiam veræ, sinceræ, minimeque superstitiosæ Religionis formam & imaginem non jam literis in tabulis, aut membranis deformatam circumferri, verum cordibus vestris inscriptam, impressam, pietatisque operibus expressam exhiberi, spectandam cæteris, ex qua alii viva virtutum simulachra exprimant. Ad quam item vitam suam exigant, quamque imitentur. Quemadmodum permagni refert, recte secusve discipulos præceptor doceat; ita plurimum interest, bene an male vivat, qui vitæ aliorum fingendæ ac formandæ suscepit provinciam. Ita enim sive natura, sive moribus comparatum est, ut non tam facile verba ejus, cui se totum quis credidit, quam facta æmulari contendat. Quo fit, ut si ii, qui præsunt, perperam agant, fiant ipsi subditis quam simillimi; ut nihil hoc Gregoriano verbo verius sit, quo ait: Gregem consequenter ferri in præceps, si per prærupta vitiorum gradiatur Pastor. Quale autem est, obsecro, si ii, quorum refert, errantes & delinquentes corrigere, objurgare, coercere, atque omnino continere in officio; sint ipsi omnium corruptissimi moribus? Qua etiam fronte, qua libertate alios reprehendent, si iisdem, aut gravioribus forte vitiis sunt ipsi obnoxii? Quisquis secum ipse reputet, quanto pudore sui nominis delinquant subditi, dum ad ipsius exemplum alius ludit aleam; alius ebrietati ac crapulæ est deditus; alius fœdis voluptatibus dat operam; alii alia pro sua quisque libidine designant. Meminerit proinde quisque vocationis suæ, & hoc esse studeat, quod dicitur, quodque audit: Posuit vos Deus in Ecclesiam (*), alios Episcopos, alios Doctores, alios Evangelistas seu Prædicatores, alios Pastores, & Dispensatores Mysterii verbi, Dispensatores multiformis gratiæ Dei. Magnifici tituli, & quos blande compellati, facile agnoscitis. Atque utinam vere agnoscatis omnes. Hi enim non tam dignitatis, quam officii vestri vos admonent, si sapitis. An vero susque deque habetis, sedere ad Ecclesiæ (**) gubernacula, regere ac pascere gregem Christi, quem tanti ipse fecit, ut ei redimendo sanguinem & sudaverit & fuderit: si non etiam sanguine fleverit? Quod si magni hæc vobis sunt, quin (amabo) probe, ut convenit, respondere curetis vocationum vestrarum titulis. Hem Pelarge! dicet aliquis, extra chorum saltas. Minime gentium, cohortator sum, non objurgator, siquidem rogo, hortor, moneo, idque amanter, quisque ut suo fungatur munere, ut clavum rectum, quod dicitur, teneat. Quod si me inhortantem ægre forte auditis, Petrum quæso audite etiam obsecrantem, & amplissimis præmiis invitantem, ut commissum gregem, exemplo etiam, nedum verbo pascatis. Recito verba Pontificis: "Presbyteros vos ipse quoque Presbyter, obsecro: pascite, qui in vobis est, gregem Christi, curam illius habentes non coacti, sed volentes: non turpis lucri gratia, sed propenso animo: neque ceu dominium exercentes adversus Clerum,

(*) *forte:* Ecclesia. (**) *al.* Ecclesiarum.

rum, sed sic, ut sitis exemplaria gregis : & cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem æternæ gloriæ coronam." Certe vel hinc colliquescit, non satis esse commodo Pastori ad populum e suggestu agere, nisi & vita, seu conversatione studeat aliorum animis certam morum formam imprimere : idque non necessitate, aut religione officii, neque quæstus gratia, sed paterno sinceroque affectu.

Porro ut Petrus Ecclesiarum Præsides, typos seu formas factos esse dicit gregis Dominici, ita eosdem ipse Servator salem terræ esse dicit, lucemque mundi : opinor, ut uno tantum nomine, de officio suo illos commonefaciat. Verum cum hoc non solum Apostolis dictum sit, sed omnibus, quorum interest, justo clavo designatas gubernare Ecclesias : Vestræ quoque curæ ac laboris erit, sana doctrina, salsa ac mordaci reprehensione, honestæ etiam vitæ exemplis, luxos animos, velut sale perfricare, urere & restringere, ne in vitiorum putredinem diffluant, perpetuosque vermes spargant. Sic item ignorantiæ, errorumque tenebris offusas, infuscatasque hominum illustrare mentes, ut & ipsi eadem luce potiantur in Dei gloriam. Inde enim Salvator postquam dixit, non esse ex more hominum, ut accensam lucernam subtus modium ponant, sed super candelabrum, ut luceat omnibus in domo existentibus, continenter subjunxit : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum cœlestem.

Si his, qui in Christianismo vix tertias tenent, Apostolus præcipit, ut vita, conversatione ac moribus, ceu luminaria in edito posita luceant, in medio nationis pravæ ac perversæ, si quem forte e tenebris in lucem vindicent: quid non his, qui primas tenent in Ecclesiis, faciendum est, in veritatis lucem revocandis errantibus ? Hæc enim qui sedulo præstant & candide, magnum profecto merentur operæ pretium. Nam & Daniel vaticinatur, eos, qui & docti ipsi fuerint, & alios ad justitiam finxerint, ceu splendorem firmamenti, & quasi stellas perpetuo æternumque fulsuros.

Et ipse Servator, eum vero magnum vocatum iri ait in Regno Cœlorum, qui justitiæ præcepta, & ipse fecerit, & alios edocuerit. Contra, eum minimum fore in regno, qui vel unum ex minimis etiam mandatis solverit, aut solvendum esse docuerit. Nihil vero minus convenit, quam vel sal fatuum fieri, ac decipere, vel lucem tenebrosam esse. Quorum hoc quidem tum denique fit, cum ii, quorum est sapientiam in alios transfundere, & quasi de suo lumine lumen in aliorum mentibus accendere, perniciose & ipsi errant, & alios in errorem adducunt. Illud autem tunc fit, cum ii, quorum refert, sermone gratia salito, probatæque vitæ exemplo aliorum condire mores, luxosque solidare animos, aut non solide docent, sed stulti ipsi cum sint, fatua, ut Esaias ait, loquuntur, aut non ita, ut loquuntur, vivunt : quo fit, ut doctrina illorum desipiat, adeoque conculcetur, despiciatur, rejiciaturque ab omnibus ; ut hic quoque locum habeat Gregorianum illud : Cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur. Prius illud Doctorum ac Pastorum genus Jeremias subinde taxat in Prophetis mendacia loquentibus, quibus nihil vanius esse possit aut tenebrosius. Posterius vero ipse Servator in Pharisæis notat, aut mandata hominum docentibus, aut alios, ut ad præscriptum Mosaicæ legis viverent, urgentibus, cum diversum ipsi facerent. Qua quidem re, quid, amabo, cogitari possit stultius? Dicunt, inquit, & non faciunt. Imponunt humeris hominum onera gravia, & portatu difficilia, quæ tamen ipsi ne digitulo quidem vel movere volunt. His non melioris notæ sunt, qui nostra quoque ætate aliud foris docent, aliud ipsi domi agunt.

Prædicant Christum in deserto jejunantem : vivunt Epicurum splendide in hortis cœnantem : aliis jejunia commendant, ipsi Bacchanalia vivunt. Tales Apostolus graphice suis coloribus alibi exprimit, atque objurgat durius. Ut sciens interim, ac prudens prætersam objurgatricem illam expostulationem, qua in Psalmis cuidam dicitur : Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Sed his valere jussis, ad figuram orationis redeam, & quantum possum, vos omnes, Venerandi Patres ac Domini, hortor, moneo, rogo & obtestor : agedum

dum favete rectioribus studiis, eaque postliminio redeuntia obviis, quod ajunt, ulnis excipite, juvate, hisque instaurandis totum adjicite animum. Huc studium, curam, cogitationes, consilia, operam, conatum omnem denique & fortunas vestras, quantum res fert, conferte.

Quod si quid forte & in Religionis studio neglectum est, curet pro se quisque emendatioris vitæ usura sarcire, aut anteacti temporis negligentiam compensare. Facietis autem omnino, nisi forte, si quis est, qui nullam vel communis Reipublicæ Christianæ, vel dignitatis Ecclesiasticæ, vel propriæ salutis rationem habendam esse putet, quod mihi quidem de vobis dicere religio sit.

Attamen cogitet quisque, in eadem, quod dicitur, navi nos omnes esse, commune esse periculum: nondum enim, proh Dii immortales! ex tantis malis emersimus. Jactamur adhuc fluctibus, ventisque concutitur Petri navicula. Quare sedulo advigilandum. Cumprimis vero orandus est Christus, ut ventos ipse increpet, procellis imperet, hanc rerum tempestatem in tranquillitatem vertat, ac fluctuantem naviculam in portum vindicet: Ecclesiam honestis literarum, tum vero Religionis studiis, præcipuis utique vitæ ornamentis, exornet, foveat, alat, conservet ac tueatur ad laudem & gloriam Nominis sui sancti, & in secula benedicti. Amen.

Postquam igitur Doctor Pelargus orandi finem fecisset, celebri, atque decenti processione, ex majoris Ecclesiæ Choro ad vicinum adeoque contiguum Beatæ Virginis Templum itum est: in quo cum ordine Patres consedissent, Reverendissimus Treverens. Dominus sequenti verborum forma per eundem suum Vicarium omnes compellari jussit.

Summaria tractandarum rerum Propositio.

Tametsi Reverendi, Generosi, Nobiles, aliique Patres Venerabiles in Christo Charissimi, Reverendissimus Dominus noster, ob vestrum omnium conspectum, atque parendi alacritatem, qui ut membra capiti morigera, ad præsentem Synodum libenter quoque adestis, plurimum sibi gratuletur: Tamen, quia corporum repræsentatione tantum, atque personarum intuitu, animorum abdita haud quaquam patescunt, idcirco inprimis ad hujus negotii tractationem, quod modo in manibus est, plurimum referre existimavit sua Paternitas, si pia atque libera, claraque confessione fateamini: utrum vos non modo æquo animo laturi sitis, illius Reverendissimam Paternitatem, vestris moribus, si quos vestra parum dignos vocatione forte perspexerit, juxta Reformationis normam, ac pium ejus in vos omnes affectum consulere volentem: verum etiam eum animum, mentemque huc intuleritis, ut persuasum vobis sit, hanc causam, de qua in præsentiarum agitur, ex æquo omnibus esse communem. Si quidem omnes deliquimus, culpamque admisimus, cur paulo ante acta ætate, immensam malorum colluviem, in nostras omnium cervices vidimus constillasse, quam Dei benignitas alio derivabit, reddita nobis ampla tranquillius vivendi respiratione. Quamobrem si omnes affecti estis, ut quidem esse debetis, ut cum Reverendissima illius Paternitate, erecto in Religionem animo, sive collatis, ut ajunt, signis, seu privata quisque vi atque virtute, juxta officium sibi commissum, inprimis contra Hæreticos, atque pravas illorum doctrinas, vobis bellum suscipiendum esse putetis; Deinde, si de propriis moribus turpitudinem, si sunt infecti, tollendam, si ruptam Ecclesiæ unionem resarciendam, integramque tutandam vobis existimabitis: si denique omnium rerum agendarum ordinem instruendi subditos vestros rationem habendam, statuendamque, tum ex Reformationis forma, tum ex prædictis Synodi Decretis, firmiter, indubitanterque animum induxistis, idque alta voce prædicaveritis, jam opportunum Reverendissima illius Paternitas judicat, ad reliqua, quæ ex usu erunt, præsenti Synodo transire, eaque, quam poterit, maximo cum fructu absolvere.

His auditis, hilari & læto vultu Patres responderunt: sibi nihil esse prius aut magis in votis, quam ista omnia, quæ in Reformatione continentur, tum ea, quæ per Synodum omnium suffragiis forent decernenda, verbo & opere exequi, atque si vel vitæ periculum obstet, etiam præstare.

Poſtquam autem hanc Patrum, cæterorumque expectatam juxta & piam reſponſionem Reverendiſſimus gratioſe accepiſſet, collaudari primum per Vicarium ſuum, deinde gratias Patribus agi, & cæteris omnibus juſſit, eo quod & prompte denuntiationi paruiſſent, & res ſerias, ſanctas, ac ſalutares non ut bona mortalium pars per ignorantiam rejicerent, ſed obviis ulnis, ac toto pectore in univerſum reciperent, atque complecterentur.

Adjecit etiam Suffraganeus, non ſine Divina benignitate factum eſſe credi oportere, quod poſt tot præclariſſimarum regionum concuſſiones, poſt tantas templorum, ædiumque inſignium, atque Monaſteriorum ruinas, quibus civitatum, provinciarumque ornamenta & decus continentur, poſt tot Religionis miſerandas ſtrages, Treverenſis Eccleſia bonorum precibus & ſanctimonia, Patrum cura, Paſtorum excubiis, veterem & ab Apoſtolis pene traditam formam ad hæc uſque tempora inviolabiliter retinuiſſet. Quam rem acceptam ferre hortabatur Divinæ miſericordiæ, quæ in maxima Prophetarum inopia, cum unus tantum ſupereſſe videretur, ſibi ſeptem millia virorum cultorum reſervaverat, qui genua ad idolum Baal non flexerant. Itaque poſtquam Dei favorem, gratiam, atque clementiam jugiter implorandum admonuiſſet, atque jam omnia, quæ ad Decretorum rogationem, Patrumque ſuffragia colligenda pertinerent, contuliſſet, placuit Reverendiſſimo, ut iterum a prandio conveniretur, atque a Patribus Decreta de publicis criminibus relegerentur, lectaque ac diligenti cura examinata, poſtero die ad univerſum Synodi conſeſſum referrentur, ac Patrum atteſtatione recepta in Synodo, ab illius Paternitatis Suffraganeo, in Metropolitanæ Eccleſiæ Choro publicarentur, & poſtremum hujus Synodi actis insererentur. Quod quidem juxta Archi-Epiſcopi noſtri ſententiam factum eſt: Hic Reverendiſſimus Dominus attendens, quod a capite, ut eo facilius ad membra deveniatur, omnis emendatio vitæ ſit inchoanda, ſe humiliter ſubmittit Reformationi, oratione ut ſequitur.

Cum animo reputaret, non ſatis eſſe recte vivendi formam aliis præſcribere, niſi ille ipſe, qui leges dictaret, ſui ipſius parem, vel majorem etiam rationem habuiſſe videretur. Et quia omni vitio carere Angelicum magis, quam humanum arbitrabatur, & alios quoque in alienis peccatis vel oculatiores eſſe, vel ſeveriores Judices, tum nos etiam indulgentia, qua noſtra extenuamus, plerumque impediri; ita Reverendiſſima ejus Gratia haud quaquam committendum ſibi putat, ne, dum aliorum moribus opportuna conſuluiſſe, ipſe ſibi in propriis tollendis erroribus videretur defuiſſe. Quare unumquemque, qui huic celebri Synodo aliquid conſilio & prudentia attulerunt, per fraternam charitatem obſecrare ſtatuit, imo & nunc obteſtatur, ut libertate in ſe monendi utantur, & candide vitium, ſi quod fortaſſis humano errore ad Archi-Epiſcopatus faſtigium ab ipſius gratia ſit allatum, aut majorum conſuetudine traditum, in apertum proferrent, quo ſalutari ſubindicatione reſecetur, aut opportuna ratione retexatur. Nam eo prorſus affectu, ſuam Paternitatem ad publicam Synodum deſcendiſſe non dubitarent, ut nihilo ſegnius propriæ ſalutis, cujus cura maximopere ageretur, quam illorum, qui noxiis erroribus bonorum oculos perſtringerent, rationem, conſiliumque eſſet habiturus. Ita demum fieri poſſe ratus, ut capite repurgato, membra facilius ad ſanitatem reſtaurarentur. Deinde quoque univerſi, probi exemplo Præſidis excitati, ſeipſos excuterent, & quod a Cæſaris, imo ipſorum veterum, toties recurſis reformationibus diffidens, peregrinum atque abſonum in ſe quisque deprehendiſſet, non expectata ulterius executionis medela, ipſam turpitudinem abominatus, aut Divino denique judicio permotus, cupide repudiaret. Quamobrem ſi quid per incuriam, aut ſocordiam fuiſſet omiſſum: ſi quid publicæ utilitatis, privati commodi gratia occultum: ſi quid illicitis exactionibus a ſubditis, qui propria vita ſunt illius Gratiæ chariores, eſſet extortum: ſi pupilli, viduæ & innocentes, ab Officialibus utriusque conditionis, per vim oppreſſi: Poſtremum, ſi pro juſtitia Tyrannis dominaretur: id quidquid eſſet, quod ad ſuam Paternitatem ſpectare videretur, candide, ut precata eſt, a Patribus admonita ejus Gratia, quam poſſet maxime, & cito & diligen-

ligenter emendare velle promittit: potissimum cum non dubitet, se eo nomine apud Deum, cujus Vicarius est, gratiam inire, & Reipublicæ suæ commodis cum pace tranquillitateque consulere posse.

Responsio Patrum.

Huic tam piæ petitioni, a Synodi Statibus, & inprimis a Reverendis Abbatibus, deinde a Metropolitanæ Treverens. Ecclesiæ Dominis Canonicis responsum est, nihil se reperire posse, quod Reverendissimam Gratiam suam dedeceret, aut in administranda publica re, tanquam grave & damnosum offenderet. Sed hortari omnes, ut eum, quem ipse statim gubernationis cursum, a portu instituisset, ad ultimam usque metam indefessus teneret: spem maximam Patribus invectam esse, sub tanta Præsidis bonitate, omnibus beate vivendi summam occasionem firmamque propositam esse. Collegiatæ autem & secundariæ Ecclesiæ, quia gravari se contributionum inæqualitate, quæ ad subsidia impositæ dudum fuerunt, sentirent, humiliter supplicaverunt, ut utriusque status censu valde inæquali considerato, pro Collegiorum tenuitate, atque ubertate censerentur, & Reverendissima illius Paternitas eorundem Collegiorum, ac reliqui Cleri Ecclesiasticam libertatem, ut cœpisset, tueri dignaretur. Hoc equidem se, quoad fieri posset curaturam, per Dominum Suffraganeum illius Gratia benigne promisit.

Submissio Suffraganei.

Ubi autem Reverendissimus Dominus Patrum de se sententiam cognovisset, Reverendus Dominus Suffraganeus: Quæ, inquit, Pontificalis muneris sunt, ipsum Reverendissimum Dominum Treverens. propriis humeris subire quidem æquum esset, nec dignitate inferioribus sanctum Officium committere. Verum quia distrahunt non pauca, atque subinde recenter emergentia hinc inde Archi-Episcopatus negotia, justissima de causa ad me, tanquam fidelem Suffraganeum, ejusmodi Ecclesiæ ministeria, pro suæ voluntatis judicio traduxit. Et quoniam sancta munia, sub tribus insignibus virtute Præsulibus continuavi, a me nunc porro administranda, ideo non sine pudore aliter agere licet; quam officii mei ratio deposcit, ut videlicet sanctum & inculpatum in omnibus me præstem, virtutumque exemplar aliquod factus, cæteris Ecclasiasticis Viris pietatis facem accendam. Idcirco obnixe vos Patres Reverendos oro, ut vestro Reverendiss. Dominum nostrum indicio, benigne de omnibus, quæ officio nostro dedecori esse queant, admoneatis. Quo deinde me Paternitatis illius Reformatione correcto, provincia mea omnibus utilis ac salutaris esse queat.

Ad hæc tum Patres uno ore responderunt, Suffraganeum sub prioribus memoria dignis Præsulibus, officio liberaliter functum fuisse, nihilque aliud accusatione dignum reperiri, quam quod conferendis Ordinibus in jure statutas insinuationes, vel prorogando, vel antevertendo turbasset. Sed extemplo illius rei veraces, cur ita necessitate compulsus fecisset, causas cum adduxisset, Patres in omnibus purgatum habuere.

Ac deinde statim Reverendissimus Dominus per suum Suffraganeum, Reverendos Dominos Abbates, aliosque professione, dignitateque Eximios simili examinatione percurrendos innuit.

Sequuntur Edicta Synodi Diœcesanæ Treverensis, Præsidente Reverendissimo in Christo Patre, & Amplissimo Principe &c.

JOANNES DEI GRATIA, ARCHI EPISCOPUS TREVERENSIS, SACRI ROMANI IMPERII PER GALLIAM, ET REGNUM ARELATENSE ARCHI-CANCELLARIUS, AC PRINCEPS ELECTOR. UNIVERSIS ET SINGULIS QUORUMCUNQUE MONASTERIORUM CATHEDRALIS NOSTRÆ, ET COLLEGIATARUM, PAROCHIALIUMQUE ECCLESIARUM ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ETIAM RURALIBUS DIVINORUM RECTORIBUS, CURATIS ET NON CURATIS, ALIISQUE ECCLESIASTICIS PERSONIS, CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ TREVERENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

CUm olim Christum in carne ambulantem, & verbum Dei seminantem, se veritatem appellasse non ignoremus; certo persuadendum nobis omnibus

bus erit, per ipsissimam illam veritatem, nos falli minime posse; quum ejus præsentia nos, quotquot in hoc cœtu sacro ad evangelizandum bona & exterminandum mala compererit, Spiritus sui Chrismate illuminatura sit. Ait namque: Ubi duo vel tres in nomine meo congregati sunt, in medio eorum sum. Huic ideo veritati, tanquam sacræ ancoræ innixi, non modo seculo nostro, licet turbulentissimo, sed & posteritati consulere volentes, quædam pudenda atque fœda, neque ullo modo ferenda in Clero flagitia, ut est concubinatus, scortatio, & similia, de quibus ordine inquiretur, Synodico hoc Decreto insectari, castigare, denique exscindere, secundum invectas Canonicas olim Sanctiones, severe statuimus, mandamus, atque per præsentes decernimus. Deinde refractarios atque pertinaces, præsentes seu futuros, Canonum censuris, & reformationis pœna, Synodi auctoritate freti, juxta delictorum genera, magnitudinem, atque fœditatem, coercendos, atque puniendos demandamus. Ita enim Legum & Canonum severitatem veriti, admissorum pœnitentia peracta, Deum timere & amare, & iniquitate se se avertentes, honesta vivendi exempla esse consuescent. Cæterum quando ingluvies, vinique intemperantia, non paucos obnoxios habet, atque delectat, quo vitio cum omnes, tum Clericali ordine initiati, Deum graviter offendunt, ideo Nobis, & Sanctæ Synodo visum est, huic turpitudini ante omnia, utpote multorum malorum fonti, medelam adhibere.

I. *De Clericorum temulentia.*

Porro ebrietas, ut palam est, insignium flagitiorum incitatrix ac scaturigo, quæ in comessationibus & conventiculis dominatur, Ecclesiasticum gradum summa cum turpitudine passim infamavit. Quod perpendens Reverendissimus Dominus noster, quam tetrum & abominabile sit, cum in prophanis, tum in Sacerdotibus vitium, quamque periculosum, rixis nimirum, cædibus atque vulneribus scatens, quod confessionum arcana sæpe effutit, judicium mentemque pervertit, in quascunque denique libidines, pecudis instar ratione privatæ, impellit, atque exagitat. Ideo huic fœditati deditos Ecclesiarum ministros, Reverendissima illius Paternitas, una cum præsenti Synodo ab officiis, curis, & Ecclesiæ muneribus removendos decernit. Quid enim inhonestius, quam vino assidue madidos ejusmodi helluones, animarum curæ præesse? de quibus Propheta dicit: Væ Sacerdoti & Prophetæ præ ebrietate erranti, & nunquam judicium aspicienti! Formidabilem namque in eos statuit pœnam Evangelica tuba, nisi, Joele Propheta monente, fleverint, atque ululaverint, ex inopinato dividendi a sobriis, ut cum Hypocritis exitii, æternæque damnationis partem sortiantur. Quare ad sobrietatem cum omnes, tum præcipue Ecclesiæ servos, qui luminaria mundi, & sal terræ sunt, una cum Paulo, Reverendissima illius Paternitas inhortatur, utque temulentiam, in qua luxus est, devitent, obnixe precatur. Cæterum qui turpiter illi vitio indulgent immorigeri, ab officiis & beneficiis, ut dictum est, Ecclesiastica censura, & Synodi auctoritate primum suspendit. Deinde si etiam impudenter detestandæ consuetudini, & dictu pariter ac visu fœdissimæ, ulterius inhæserint, omnibus honorum gradibus exutos, ad quadrupedum sortem, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit, majoribus suppliciis affectos, statuit abjiciendos.

II. *De eorundem Concubinatu.*

Huic vero alia succedit, & pene gravior offensionis macula, illicitus Sacerdotum, & Diaconorum concubinatus: qui quantum jam inde ab initio apud omnes fidei Catholicæ cultores, consecratis hominibus pepererit invidiæ, atque conscriverit odii, vix dici potest. Audemus tamen ingenue fateri, nullam aliam labem, ebrietate & concubinatu, vulgi oculos acerbius offendisse, majoremque causam dedisse, sæviendi ac murmurandi contra Ecclesiæ status.

At etiam illud negari non potest, quod præter evidentia sacrarum literarum testimonia, præter Canonum ubique castimoniam initiatis inculcantium decreta, etiam ipsa ratio quodammodo loquitur, Ecclesiasticum hominem, qui Divinis legibus se se, & animarum saluti obstrinxit, castitatem sectari oportere. Quomodo enim alias, juxta Pauli admonitionem

nem, præstare possemus, ut adhæreamus Domino absque ulla distractione. Cum enim corpus nostrum templum sit, habitantis in nobis Spiritus Sancti, quem habemus a Deo, & nostri negamur esse juris; qua ratione fieri potest, ut sine Dei injuria in alterius redigamur potestatem? Si quidem etiam maritus proprii corporis jus non habet, sed uxor. Quid igitur juris nunc Spiritum Sanctum in Ecclesiæ servis habere dicemus, qui corpus suum scorti per illecebrosum concubitum fecerint membrum? Hæc nimirum sollicite pensiculantes, visum fuit Nobis, ac toti Synodo, non obstante priori contra concubinarios mandato a Nobis emisso, de integro admonere, ac illos per Christum rogare, ut qui hactenus castitatis vota non violaverunt, studeant ad ultimum usque terminum vitæ, incomparabile bonum ne amittant: memores quod agnum immaculatum, quocumque ierit, comitabuntur.

Cæterum quicumque carnis imperio, quo nihil potest hujusmodi accidere indignius, vinci se passi sunt, conspurcatisque per exosam Deo impudicitiam membris in contumeliam Sacrorum Mysteriorum abuti non verentur, illis nimirum abactis ejusmodi incontinentiæ latrinis, pie consulimus, (quoniam Deus benignus & misericors est) ut secundum hujus Sanctissimæ Synodi Decretum, se ad integritatem totos convertant, pœniteant, culpam deprecentur, erroris sui veniam apud Deum & homines consecuturi.

III. *Deploratorum pœna.*

Quando tamen hæc pestis, ut verisimile est, quosdam adeo pervasit, ac ita in totum labefecit, ut perquam exigua spes sit, a fornicationis maculis, vel diuturnitate temporis, vel Reverendissimi gratia, tanquam mitiori medicina elui posse: in illos igitur primum Divinæ vindictæ metu, deinde Synodi hujus censura, ejus Paternitas decernit, ut simul atque hujusmodi in libidinis cœno volutari deprehendentur, illico mandati contra concubinarios edicti vigore, omnibus Ecclesiæ bonis spolientur: scorta vero, aut de impura consuetudine, illorum nomine suspectæ, longissime ab irretitorum misereque captorum ædibus, Synodi virtute, firmissimaque Reverendissimi authoritate pellantur.

IV. *De Concubinis ad Parentes redire volentibus.*

Si qua vero abjectarum, si res ita fert, in eadem Parochia, in qua Ministro altaris adglutinata fuit, hæreditariam domum habeat, ea ne ob Decreti vigorem privata, animum despondeat, & ad desperationem adigatur; Reverendissimus noster una cum Synodi authoritate permittit, ut ad suos parentes commigret, & de priore conversatione pœniteat, omnemque anteactæ vitæ infamiam constanti pudicitia, inposterum servata, abstergat.

V. *De Relabentibus.*

Porro si qui aut ea, qua dictum est, causa remanentes, aut extra Parochiam relegatas, concubinarii evidentibus indiciis, & fide dignis testimoniis clam seu palam revisisse, adiisseque convicti fuerint; illos communi nostra & Synodi sententia, ipso facto ab officiis & beneficiis cecidisse, & iisdem privatos esse decernimus: Prævaricatrices vero, ut canes ad vomitum reversas, dignis censuris, extra hæreditarias ædes exterminandas, edicimus.

VI. *De sortilegis Sacerdotibus & Laicis.*

Qui vero auguria, & sortes tractant, sive sacri, sive prophani, aut divinationibus & incantamentis vacant, quibus sane studiis Dei cultus deseritur, & ad dæmonum fallaciumque spirituum præstigias confugitur; illos, quotquot Officiales attenta investigatione deprehenderint, canonico anathemate, nisi a damnatis divinitus erroribus ad legitimum Dei cultum illico admoniti, animum atque mentem revocaverint, non ferendos modo Reverendissimus una & Synodi senatus declarat; sed per Officiales in vincula quoque conjiciendos decernit, quousque dæmonum, magistrorum videlicet suorum, susurris ac illusionibus liberentur.

VII. *De Apostatis.*

Verum, ut nullum facinus turpe, sine Cacodæmonum instinctu admittitur, ita etiam religiosa professio illius inspiratione, in omnibus pene Provinciis, a quibus-

quibusdam votorum ſanctorum oblitis, nulla de cauſa eſt violata. Iſti quidem pro nihilo duxerunt, poſtquam ad Dominicum aratrum manum appoſuiſſent, non reſpicere tantum, ſed & turpiter damnare, inſectari, & quibus poſſent conviciis proſcindere omnem, quam profeſſi ſunt aliquamdiu, anteactæ vitæ rationem. Cum igitur tales, qui ſpretis votis, projectis cucullis, ac religioſa in totum deſerta vita, ad ſæculum ſe ſe retulerunt, paſſim etiam in Treverenſi Diœceſi, vagari, ac libidinum nexibus ad Eccleſiæ offendiculum involuti reperiantur; Reverendiſſimus Dominus cum congregatis Patribus nefas eſſe putavit, niſi præſentis Synodi Decreto, utriusque ſexus apoſtatæ, ad propria Monaſteria, habita ſingulorum juſta ratione, aggregentur.

VIII. *Contra Apoſtatarum Patronos.*

Verum enimvero nonnullam quibusdam ex illis præbuit fortaſſe ad deſertionem occaſionem, refugii quorundam patrocinium, quo quaſi tecti, Eccleſiaſticam ſe cenſuram evitare poſſe confiderent. Ideo Reverendiſſima Gratia ſua hujus Synodi ſuffragiis adjuta, ſub cenſuris huic negotio idoneis, ac ſuo tempore ſpecificandis, omnibus Treverenſi Diœceſi ſubjectis, cujuscunque ſtatus & præeminentiæ extiterint, mandat ac præcipit, ne poſthac tales Apoſtatas recipere, fovere, tueri, aut animarum curis præficere, ullamve in Eccleſia Provinciam illis committere præſumant. Quin etiam potius, ne ſe alienis prævaricantium ſordibus coinquinent, illos admonitos eſſe de paterno affectu deſiderat, ut hactenus contra Eccleſiæ Decreta defenſos, ita pro viribus ad profeſſionum repetitionem, reditumque adhortentur: ad quem Reverendiſſima ejus Gratia propenſis, & auxilium, & opem, & reſtitutionem benignam, prævia pœnitentia miſericorditer promittit.

IX. *De iis, qui contra votum ſolemne præſtitum connubio ſe ſe alligarunt.*

Poſtremo quia Pontificum & Occidentalis Eccleſiæ ordinatione, jam olim divinitus conſtitutum eſt; ut rite conſecrati utriusque ſexus homines, quo corpore & animo jugiter Deo inſervirent, non tantum in ſuis conventiculis caſtimoniam colerent; ſed etiam, ſi forte de ſuſcepta ſolemniter profeſſione, aut errore ſeducti, vel intemperantia incitati defeciſſent, neutiquam contrahendi matrimonii jus haberent: atque adeo communi id apud omnes conſuetudine receptum fuit, & Canonicis, & civilibus legibus, de vano & inceſtuoſo talium conjugio ſatis ſuperque eſt proditum. Nam proli quoque, ſi quam ſuſtulerunt tales, legibus ſucceſſione eſſe interdictum tenetis. Ad tollendum igitur ejusmodi vetitum Matrimonium, ſuo ac Patrum Decreto, Reverendiſſimus Dominus noſter decernit, ac ſtricte mandat, ut quocunque loco in Diœceſi ſua, aut ſub quacunque Eccleſiaſtica vel prophana ditione, Monachi, Moniales, aut aliis ſacris Ordinibus initiati, nuptiali fœdere copulati deliteſcant, ab Officialibus prehenſi, ſuis impenſis, ſibi velut Ordinario præſententur: ut ex his pro delicti qualitate alii caſtigati, alii monaſticis diſciplinis emendati, exemplo ſint poſteritati, ut ab enormi ſcelere caveant. Porro reſipiſcentes, & ad Eccleſiam matrem redire ultro volentes, quatenus ad Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem ſpectare cognoverit, placabili, & propenſo animo, ut oves perditas, & filios prodigos, Reverendiſſima illius Gratia recipiendos pollicetur.

X. *Ordinum explorationes.*

Fuerunt autem examinationum capita, quæ vere Evangelicos fructus producunt. Quæſitum enim eſt, num eſſent faſtu turgidi quidam? Num ſuperbia inflati? aut libidinum illecebris inescati (qua ſcabie, Monaſtici plerique ad bonorum virorum nauſeam uſque ſunt infecti) qui Diaboli imperio magis quam Chriſto parerent? Deinde an temperantiam, humilitatem, patientiam, cæteraque virtutum Monaſticorum arma, contra vitiorum impetum, ut milites Chriſti decet, parata haberent? Et an, ut alii idem conarentur, ſedulo prædicarent, & ſi quid forte turbulentum odioſumve inter confratres ſubortum, num etiam ut ſopiretur, tamquam pacis boni amatores, collaboraſſent? Ad hæc quip-

(quippe monaſtici Viri) an præcipuam navarent operam, ne cultu tantum foris, atque compoſito ad pietatem corpore, id quod major pars ſatis eſſe ad pietatem judicat, ſed intus in pectore virtutum theſaurum, & Religionis veram imaginem circumferrent? Deinde, an horis decantandis, orationibus fundendis, atque jejuniis, ſtatuto tempore ſtrenue vacarent? Num hoſpitales eſſent? num peregrinorum, pauperum, & pupillorum curam ſubirent, propriis, honeſtisque ad hoc comparatis ædificiis, tum competenti ſupellectile adjecta: Quod inter extrema quidem monaſticæ vitæ opera minime ponitur; quoniam in hoc tot, tamque ampli reditus ſunt piorum hominum liberaliter congeſti. An poſtremo ea omnia, quæ ſanctimoniam commendarent, gnaviter ſinguli ſuis fungendo, probe tamquam coram Deo, officiis perſequerentur? nam ea eſt Dei voluntas.

Ad hunc autem modum monaſtici Ordinis Patres compellati ſunt, quo quid Religionis diſciplina, verusque Dei cultus exigeret, in memoriam prolixius revocare, & manum, juxta Synodi præſentis Decretum, operi adhibere poſſent.

Tandem ne quid præteriretur, quod ad celebris Synodi abſolutam rationem pertineret, Gratia Reverendiſſimi, Metropolitanæ Treverenſis Eccleſiæ, cæterorumque Collegiorum, cum ſuperioris, tum inferioris Diœceſis, egregios, nobilesque Præpoſitos, Decanos, Archi-Diaconos, aliosque Prælatos, quorum omnium cura & exemplis publica ſalus continetur, benigniter atque gratioſe rogavit; ut & ipſi, qui lucernæ eſſent in domo Dei, ita ſeſe compararent, ut virtutum veros & æternos radios ſubditorum oculis inferre poſſent: nam dubium nulli eſſe, ſi quorum id maxime intereſſet, tum ob generis ſplendorem, tum propter Eccleſiaſticam dignitatis eminentiam, ſe ſe tales præſtarent, quales haberi & eſſe cuperent, fore, ut inferiores hominum Ordines, bonorum exemplis communiti, ad virtutis, pietatisque ſtudium ardentioribus animis raperentur. Quare ante omnia bonis operibus, beneficentia, ſobrietate, modeſtia in ſermone, converſatione, atque mutua charitate, divites atque locupletes fieri ſtudeant, bonaque ſtudia promoveant. Eæ nimirum divitiæ immortalitatis gloriam merentur, quando cæteræ quidem res omnes, occupationes atque ſtudia, nihil quicquam ſolidæ beatitudinis merentur. Sed hæc Reverendiſſima illius Gratia ad morum qualemcunque inſtitutionem ſatis eſſe putavit.

Quod vero ad graviora incommoda evellenda maximopere requiritur, illud ordine, quo ſequitur, propoſitum fuit.

Inprimis Reverendiſſimus Dominus noſter a ſingulis certiorem ſe fieri poſtulavit, de hæreticis uſpiam in tota ſua Diœceſi palam, aut abſtruſe verſantibus, vel in Monaſteriis, ſive Collegiis, aut agrorum vicis deliteſcentibus. Deinde audire quoque a ſingulis indicio facto poſtulat, ſi uſquam inveniantur, qui Catholicam Religionem, ejusque ſacros ritus oppugnant. Tum eadem obediendi Religione, Paternitati ſuæ Paſtores inſigniter illiteratos nominatim patefaciant, & illos, qui Eccleſiæ doctrinam adulterant, aut Sacramenta perperam adminiſtrant, aut vitam pecuinam bonis odioſam ducunt, manifeſtent: Suppreſſis minime Prælatorum cujuscunque ordinis nominibus, qui aliqua hujusmodi nota fuerint conſperſi.

In ſumma, quia Eccleſiam Dei gravem maculam, rugamque habere non oportet, quam Epiſcopi vigilantia tollere poſſet: ideo uſurarios, Simoniacos, aleatores, percuſſores, vinolentos, injuriatores, ac contumelioſos calumniatores; ad hæc Eccleſiis cenſus denegantes, aut ædituum pernicioſum agentes, calamitatem egentium flocci pendentes, quive peregrinos de Monaſteriorum, Xenodochiorumque limine arcent, aut quoquo modo Eccleſiaſticam libertatem corrodunt, & opprimunt, nec non alia, cujuscumq; ſint claſſis, dedecora admittunt: eos omnes Reverendiſſimus ſibi indicari, nominarique petit; quo cujusque defectui idoneo auxilio poſthac mederi poſſit.

Archi-Presbyteri vero, qui & Decani rurales appellantur, cum ad Synodi conſeſſum admiſſi ſint, etiam & Compaſtorum, & ſui ipſorum officii rationem redde-

reddere Reverendiſſimo Domino noſtro jubentur: quandoquidem ad eos pertinet, publica ſubditorum delicta corrigere, animarum curæ conſulere, omnes pura verbi Dei doctrina paſcere, miſeros atque calamitoſos conſolando ſuſtentare, Eccleſiæ in omnibus bene præeſſe, denique ipſos ſana vivendi exempla verbo & opere exhibere: quod qui faciunt, eos duplici honore dignos Apoſtolus judicat. Nam turpiſſimum Ethnicus eſſe cenſet, committere, quod doces alios non eſſe committendum. De iis igitur, tum etiam de aliis Sacerdote dignis curis, reſpondere ſuæ Reverendiſſimæ Gratiæ debent, quo cognoſcat illorum in adminiſtrandis officiis integritatem. Eo ſane nomine bonis ac lubenter parituris, gratiam, & laudem referri; malis vero & reprobis, cujuscunque conditionis fuerint, ignominia & pœna, poſthac Eccleſiaſticæ cenſuræ vigore, affici imperabit.

Porro autem univerſis Ordinibus eo, quo propoſitum eſt modo, ad rogata reſponſuris, Reverend. Dominus Treverenſ. ipſe præſedit, ac coram duobus Notariis, reſponſa accipientibus, omnium & ſingulorum quæſtiones, accuſationes, examinationes, & dubia, magna diligentia & labore multo auſcultavit, atque inquiſivit, nihilque prætereundum putavit, quod ad ſubditorum obedientiam, communem vitæ emendationem, & Dei honorem, ac Eccleſiarum uſus ſpectare cenſeret. Itaque triduo moleſtiſſima omnino inquiſitione jam abſumpto, atque Patribus, cæterisque Statibus, qui ex ordine fuerant, exploratis, cum omnes & ſinguli omnia ſancta, pia, honeſta, ac laudabilia promitterent, atque ad communem patriæ tranquillitatem, quæ Dei, & ejus Filii Jesu Christi puro cultu, & vivendi integritate facile paratur, concordibus votis conſpiraſſent, ſeque una jam voce Cæſareæ Majeſtatis Reformationi ſubmiſiſſent, tandem ad Reverend. Dominum, tanquam ad unicum publicæ felicitatis Patronum, omnes ora vultusque verterunt. Precabantur autem, ut opem ferret, damna temporum perturbationibus incuſſa, & Eccleſiaſtica privilegia, partim per vim potentiorum miſere vexata, partim defenſionis inopia etiam erepta, reſarciat, atque in integrum ſua amplitudine reſtituat. Etenim proditum eſſe ſacris literis, neque id Reverendiſſimam Gratiam ejus ignorare, neminem ſuis militare facultatibus; & præceptum eſſe: ut qui ſervirent altari, etiam de altari viverent: quod quidem perauguſtum factum foret, ſi Eccleſiæ libertas, ſi proventuum integritas conſervetur incolumis. Poſtremo & illud Patres orabant, ut illius Reverendiſſima Prudentia præcipuam curam expenderet, ut officiarios paſſim præficeret orthodoxæ fidei tenaces: nam illis vitatis, apoſtatarum pernicioſa dogmata, illorum diſſimulatione gliſcere. Poſtquam hæc Patres & pie & ſincero animo locuti eſſent, Reverendiſſima ejus Gratia, prout debuit, omnium in Religionem affectus unice comprobavit. Deinde petitiones, quantum per ætatem liceret, ac Divina gratia aſpiraret, ſibi inprimis & ſemper curæ futuras promiſit: neque dubitarent, quin Reipublicæ ſuæ felicitati, cujus ſalutem divinitus commendatam ſibi eſſe ſciret, ita proſpiceret, ut omnia illi adverſantia impedimenta, incommoda, atque offendicula, prout Notariorum ſumma cura & fide, accedente omnium conceſſione, excepta eſſent, ſeverioribus executionum telis, a Reverendiſſima ſua Gratia confoſſa, exciſa, penitusque ſublata aliquando cognoſcerent.

Mandatum contra Concubinarios.

JOANNES DEI GRATIA, SANCTÆ TREVEREN. ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER GALLIAM ET REGNUM ARELATENSE ARCHI-CANCELLARIUS, AC PRINCEPS ELECTOR, UNIVERSIS ET SINGULIS CATHEDRALIS NOSTRÆ, ET COLLEGIATARUM, PAROCHIALIUMQUE ECCLESIARUM ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS TUM RURALIBUS, TUM DIVINORUM RECTORIBUS, CURATIS ET NON CURATIS, ALIISQUE ECCLESIASTICIS PERSONIS, CIVITATIS ET DIŒCESIS NOSTRÆ TREVEREN. QUIBUSCUNQUE CONJUNCTIM, AUT SIGILLATIM, QUI SYNODO NOSTRÆ EPISCOPALI, DE JURE, AUT CONSUETUDINE INTERESSE CONSUEVERUNT, ET TENENTUR, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

PErſuaſum habemus, exactis jam aliquot diebus, omnium oculis reformandæ vitæ formam, Eccleſiaſticis Viris,

Viris a Cæſarea Majeſtate commendatam, atque a Nobis publicatam, penitus perſpectam eſſe. Neque quemquam e vobis exiſtere arbitramur, quem iſta tam ſalutaria non eluendis tantum Eccleſiæ nævis, ſed atrocibus etiam atque perniciofis in religione contagionum ulceribus repurgandis, pharmaca diutius latere poſſint. Et cum non pauca, neque eadem contemnenda, animorum vitia, atque morum peſtes, in Eccleſiaſtico corpore graſſari cernantur, quæ properam, atque citam ſanationem depoſcunt: Idcirco auxiliatricem manum diutius differre non licet; ſed quod lædit, Canonico enſe exſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur. Quare cum animum advertimus, & cauſam quærimus, cur plerique Eccleſiæ miniſtri, & verbi Dei diſpenſatores, cæterique de altari viventes, hac noſtra tempeſtate, non modo contemnantur a plebe, verum etiam in odio jam ante diu fuerint; nullam aliam evidentiorem rationem reperire potuimus, quam vitam eorundem, a connubiali indulgentia nihil diſtantem. Quæ ſane culpa, ut inprimis Divinarum rerum tractationi plurimum officit, ita etiam Eccleſiæ Dei, illiusque ſervis contemptum odiumque haud mediocre parit. Quod quidem vitium, ubi cognovimus in noſtra Diœceſi paſſim temporum licentia, Officialiumque incuria, ut zizania agrorum neglectu ſuccreviſſe, falcem ſacrorum Canonum, Conſtitutionemque veterum Patrum; tum ipſius quoque Cæſaris reformationem, ac Synodi, noſtræque authoritatis cenſuram, ne poſthac amplius creſcat, adhibendam eſſe cenſuimus: atque illud quidem hoc eodem mandato factum eſſe volumus, quanquam deinceps ſæpius facturi ſumus: præſertim cum intelligamus, nihil æque dedecere hominem, Divinis rebus militantem, quam ea, quæ carnis ſunt, ſectari. Quare etiam nunc vobis edicimus, quotquot hanc tum Eccleſiæ, tum vobis ipſis ignominioſam notam contraxiſtis, qui quidem ſacris initiati eſtis, mandamus atque præcipimus, nullo Eccleſiaſtici ordinis gradu aut ſtatu excepto; ut infra novem dies, vos ab omni concubinatu; imo concubitus atque incontinentiæ ſuſpicione omnino abdicetis; procul de domibus ac Parochiis veſtris ejusmodi offendiculi ſaxa, viſis his præſentibus literis, exterminantes: neque poſthac unquam deprehendamini, cum ſuſpectis, aut parum continentibus, aut ætate petulcis commercium habere. Erunt autem ii novem dies, in ſingulas triades peremptoria, atque Canonica admonitione vobis indulti: quo ſit movendi extrudendique ſpatium. Quod ſi quisquam veſtrum, vel quicunque illi ſint, interea loci a ſe non ſegregaverint probroſam conſecratis ejusmodi conſuetudinem, ſed pertinaciter tanquam ad ſacrum pergant adhæreſcere, illi ſe ſciant ab officio pariter & beneficio, ſecundum dictæ Reformationis tenorem, ſuſpenſionis ſententia, quam hiſce in literis in illos ſcribimus, ſubmovendos: fœminæ autem, hujusmodi concubinatus infamia conſpurcatæ, niſi domibus ceſſerint, & conſueta ſuſpectaque libidinum diverſoria fugerint, ſed deprehenſæ fuerint, iisdem in locis, ubi incontinentiæ ludum exercuerunt, a Collegiorum locorumque illorum Decanis authoritate noſtra excommunicentur, ac publice pronuntientur. Ad hæc iisdem Prælatis ac Decanis ſevere etiam mandamus, ut ad proxime a Nobis indictam Synodum, rebelles pervicacesque, ac noſtro huic mandato morem gerere ultra novem dies procraſtinantes, Nobis nominatim proferant: quo poſſimus, juxta Canonicas Sanctiones, aut beneficiorum privatione, aut alio genere pœnæ, aut juxta Reformationis Imperialis regulam, ad integriorem, Deo vulgoque minus odioſam vitam, obſtinatos adigere: ut nimirum offenſionum cauſæ a domo Dei, quam longiſſime faceſſant. In fidem præmiſſorum præſentes literas ſigilli noſtri impreſſione communiri juſſimus. Datum ex Oppido noſtro Witlich, die XXX. menſis Octobris, Anno MDXLVIII.

Executionis Commiſſio.

Verum quia conſultationum edictorumque finem, executione, qua tanquam falce flagitiorum, atque incommodorum noxia ſeges amputatur, metimur: Ideo Reverendiſſima ejus gratia, hac Synodo feliciter completa, quod ad Reipublicæ uſum, & religionis celerem reſtaurationem plurimum valet, maturare animum in-

induxit. Quo igitur illius successus ad opus statim accommodatus, boni eventus specimen, sanctiorisque imaginem vitæ præberet; postulavit idoneos juxta & graves, de illorum, qui convenerant, numero viros Commissarios sibi dari, qui religionis offendicula, pacisque impedimenta, & alias dissensionum acerbitates, juxta Decreta ac Synodi placita, vigili atque stricta cura omnium nomine persequantur. Hanc Reverendissimi postulationem, tum aliarum rerum corrigendarum commissionem, Reverendi Patres, ne plus operæ sumendum esset, & jam redeundi ad suos expectationem diutius fallerent, ad amplitudinis ejus arbitrium atque prudentiam, cum humili submissione transtulerunt.

De libertatis Ecclesiasticæ Violatoribus.

Et cum sint, qui potentia freti, Ecclesiæ jura invadunt, aut ipsius Cleri Privilegia perturbant; bonaque, conficta & falsa juris specie occupant, quorum nefaria studia, oppressorum impotentia, & formidine, una cum nominibus reticentur: ut hanc ergo tam sacrilegam violentiam, qua hoc genus luporum grassatur, Reverendissimi Principis gratiâ, acerba animadversione reprimat, singularem Commissarium ad istiusmodi hominum inquisitionem decernet: cui sine metu inter visitandum opprimentium nomina designabuntur: atque ita demum a sua amplitudine cogniti, Ecclesiæ censuris, Canonico & Cæsaris Decreto damnati atque puniti, a sacrilego aucupio repulsi conquiescant.

Præterea quando Cæsareæ Majestatis Reformatio, liberam in Ecclesiasticos excessus accusationem laicis, & vicissim in illorum crimina in Synodali consessu Clero permittit: Ideo illius Reverendissimæ Gratiæ visum est, quod ad eum articulum attinet, in sequenti Synodo Provinciali, una cum Patribus, pro rei exigentia tractare: ubi etiam tum de Sacramentorum constanti administratione, deque similibus Ecclesiæ utilitatibus, juxta Cæsareæ Reformationis præscriptum; si non majori, saltem pari diligentia, per Dei adjutorium habebitur ratio.

Rebus igitur ad hunc modum, Spiritu Dei duce, per decem dies gestis, & pertractatis, Synodi Patres, una cum Reverendissimo Domino Treverensi, observata gravibus viris digna modestia, a templo, Matri Virgini sacro, ad majoris Ecclesiæ chorum ordine processerunt: ibique actis per Suffraganeum omnibus gratiis, Synodum Provincialem, ad diem Lunæ, post Dominicam Misericordia Domini, proxime venturum, Reverendissimo jubente, Suffraganeus indixit. Recitatum quoque est eodem loco & clara voce, postquam a Patribus esset receptum, Synodi Decretum, in calce hic adjectum: quo audito, sacra Synodus est soluta.

Decretum.

Quandoquidem honorabiles Viri, Patres, & Fratres dilectissimi non ignoratis, quibus de causis per aliquot dies, hic ad vos continue descenderit Reverendissimus Treverensis Dominus; & quo studio, quantaque pietate in hac celeberrima Synodo, vobiscum Spiritu Sancto cooperante, de rebus ad animarum salutem, & communem pacem necessariis, sedulo tractarit: Itaque & vestro consilio, atque omnium, qui hactenus interfuerunt, favore, jam sua Reverendissima Gratia, eo deductam esse exhaustorum in hoc consessu laborum rationem putat, ut nihil dubitari possit, quin ad restauranda Religionis mœnia, ad sincerum Dei cultum erigendum, ad effuganda obscæna hæresum monstra, pulcherrima, firmaque fundamenta jacta sint. Quæ quidem multo felicius in proxime indicta Synodo perficientur, & ad emendationem Treverensis Diœcesis producentur: quod fiet, si pro se quisque hujus Sanctæ Synodi Decreta, & Cæsareæ Majestatis edicta, opere & vita præstiterit. Id enim Reverendissimus Treverensis Dominus Archi-Episcopus, hicq; Sanctus Patrum Senatus, communi authoritate omnibus faciendum, juxta præsentis Decreti vigorem, & pœnarum in edicto expressarum censuram, statuit. In nominæ Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Actum in publico Synodi Concilio Treveri, Anno Domini MDXLVIII. Mense & die ut supra.

De

De Comitiis Auguſtanis eodem hoc anno MDXLVIII. celebratis: de edita ibidem, & a Carolo V. Imp. propoſita Imperii Ordinibus *Declaratione, quomodo in negotio Religionis per Imperium uſque ad definitionem Concilii Generalis vivendum ſit*: quam declarationem alii *Interreligionem*, alii famoſo vocabulo *Interim* appellarunt: item de *forma Reformationis*, Eccleſiaſticis Statibus prælecta, cæteriſque in eodem Auguſtano Conventu circa Religionem geſtis, quæ tot Synodis, anno 1548. & ſequenti per Germaniam coactis, occaſionem dederunt, agetur in Digreſſione.

SYNODUS SALISBURGENSIS
PROVINCIALIS
Anno Chriſti MDXLIX. Pauli III. PP. XIV. Caroli V. Imp. XXXI. 18. Februar.

Synodi hujus mentionem facit Gewoldus in ſuis additionibus ad Hundii Metropolim Salisburgenſem.

Erant, inquit, hæc tempora ob innumeras undique ſuccreſcentes in Germania hæreſes periculoſiſſima: ERNESTUS igitur Archi Epiſcopus congenitæ ſibi & majoribus ſuis a tot ſæculis, & ab uberibus hauſtæ pietatis avitæ Catholicæ, minime oblitus, ne officii ſui partes defugeret, atque velut ſervus fidelis Domini ſui, ab ovili ſibi commiſſo lupos arceret, oves defenderet, paſceret, foveret: Anno 1549. Synodum Provincialem Salisburgum indixit. Qua in Synodo, die 18. menſis Februarii celebrata comparuere

Ipſemet Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Archi Epiſcopus.
Præpoſitus ac Archi-Diaconus Salisburgenſis.
Abbas ad S. Petrum. &c. &c.

Catalogum cæterarum perſonarum, quæ tum ex Metropolitana Salisburgenſi, tum ex ejusdem Suffraganeis Eccleſiis & Epiſcopatibus, Friſingenſi, Ratisponenſi, Patavienſi, Chiemenſi, Secovienſi, Lavantinenſi, Brixinenſi, & Gurcenſi, Provinciali huic Synodo interfuerunt, vide in Hundii Metropoli Salisburg. Tom. I. pag. 88. & apud Hanſiz. Germ. Sacræ Tom. II. pag. 615. qui pag. 618. ſequentia ejusdem hujus Concilii acta recenſet:

PRoſpectum, inquit, in hac Synodo præcipue contra gliſcentem in Provinciis Auſtriacis Lutheri Sectam. Relata in tabulas gravamina religionis, atque ad Regem Ferdinandum transmiſſa: de Parochis & Prædicatoribus per laicos intruſis: de Communione ſub utraque ſpecie: de fructibus beneficiorum averſis per Patronos non præſentantes tempore debito: de turbata per laicos libertate in eligendis Prælatis: de laicis arrogantibus ſibi viſitationem Clericorum & Monachorum: de bonis Eccleſiaſticis alienatis: de Violatis immunitatibus Cleri, aliisque ejusmodi. Contra quæ a Patribus in Synodo congregatis editæ ſanctiones præclaræ, ſignatæ 28. Februarii Anno 1549.

Sed, ut erant tempora, *ita narrationem proſequitur Hanſizius*, multis Procerum ad nova dogmata prurientibus, oppoſitæ ſunt Sanctionibus apologiæ: Præterea conqueſtiones adverſus Clerum. Serviebat obtentui Majeſtas Principis, cui per ejusmodi ſtatuta vim fieri cauſabantur. Miſſa Salisburgum Legatio, qua, denuntiata primum offenſione Regis, poſtulata ſatisfactio ſimul, & recantatio Decretorum. Res in deliberationem aſſumpta, per annos deinceps aliquot litibus ultro citroque motis occaſionem dedit: dum anno 1568. Joannes Jacobus Archi-Epiſcopus, mitigatis, ut res ferebat, iis, quæ juribus Auſtriacis adverſari videbantur, Synodo Salisburgi celebrata, novarum Conſtitutionum volumen edidit.

Hæc Hanſizius l. cit. Synodum anni 1568. ſuo loco ac tempore dabimus.

SYNODUS ARGENTINENSIS

Eodem anno Christi MDXLIX. 2. Aprilis.

INDICTIO SYNODI.

ERASMUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ELECTUS ET CONFIRMATUS ECCLESIÆ ARGENTINENSIS, ALSATIÆQUE LANDGRAVIUS, VENERABILIBUS ET HONORABILIBUS, NOBIS IN CHRISTO DILECTIS ET DEVOTIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, SCHOLASTICIS, CANTORIBUS, SUCCENTORIBUS, CUSTODIBUS, TUM CATHEDRALIS NOSTRÆ ECCLESIÆ, TUM ALIORUM COLLEGIORUM ET MONASTERIORUM PERSONIS, ARCHI-DIACONIS ET PRÆLATIS, NEC NON UNIVERSIS ET SINGULIS ARCHI-PRESBYTERIS, CAMERARIIS, ET DIFFINITORIBUS CAPITULORUM RURALIUM, PAROCHIALIUMQUE ECCLESIARUM RECTORIBUS, SEU LOCA TENENTIBUS, EORUNDEM PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, VICARIIS PERPETUIS, CAPELLANIS, ET ALIIS PRESBYTERIS, CURATIS ET NON CURATIS, CÆTERISQUE OMNIBUS ET SINGULIS PERSONIS ECCLESIASTICIS, PER CIVITATEM ET DIOECESIM NOSTRAS UBILIBET CONSTITUTIS, ÆTERNAM IN DOMINO SALUTEM.

NEmini dubium esse arbitramur, frequentem celebrationem, non solum Conciliorum Generalium, sed & Provincialium, ac Synodorum Episcopalium, agri Dominici culturam, omnisque boni plantationem esse. Quapropter antiqui Canones, & Sancta Patrum Concilia, tam sedulo & diligenter constituerunt, ac præceperunt, ut Episcopales Synodi, in qualibet Dioecesi, ad minus semel in anno, per Dioecesanum, & Ordinarium loci, celebrentur & peragantur: & quanquam temporum injuria, hæc sancta, laudabilis, omnibusque Ecclesiis necessaria constitutio & consuetudo, hactenus in nostra Dioecesi per aliquod tempus intermissa sit: tamen, cum post oblatam Reformationis formulam, quam Sacra Cæsarea Majestas, in præteritis Comitiis Augustanis, Ecclesiasticis Principibus & Statibus exhibuit, bona spes sit, Ecclesiasticam disciplinam, variis modis labefactatam, hac ratione commode rursus restitui posse: tum præsente occasione arrepta, majorum nostrorum vestigiis inhærendo, nostro officio longius deesse noluimus: statuentes, hujus saluberrimi, pii & necessarii operis inchoationem & instaurationem, juxta Conciliorum Generalium Decreta, & Patrum Sanctiones, a Synodo Dioecesana auspicandam & suscipiendam esse. Quapropter matura & diligenti præhabita deliberatione & consultatione, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, Ecclesiæ suæ incrementum, & ad Cleri, omniumque subditorum salutem, Dioecesanam hanc Synodum, authoritate nostra Ordinaria hisce indicimus: vosque omnes & singulos, conjunctim & divisim, præsentibus his nostris literis, sub virtute obedientiæ, peremptorie evocamus & citamus, volentes, ut secunda die mensis Aprilis, de anno Domini præsenti, videlicet, Millesimo, quingentesimo, quadragesimo nono, in oppido nostro Zabern, consueto Residentiæ loco, in Choro Collegiatæ Ecclesiæ, Beatæ Mariæ Virginis, Patronæ nostræ, tempestive, cum convenienti, & decenti habitu compareatis; ubi Divino implorato auxilio, Missaque de Sancto Spiritu, de more solemniter celebrata, ea quæ ad Ecclesiarum incrementum, tranquillitatem & pacem constituendam, ad Clerum reformandum, & ad disciplinam Ecclesiasticam pene collapsam, denuo erigendam (in quantum de jure & consuetudine Nobis permissum est) pertinere

tinere

tinere & ſpectare videbuntur, Divina favente Clementia, veſtro utentes conſilio & opera, tractabimus. Quod ſi ad hanc noſtram evocationem, ſine legitima & rationabili cauſa, aliqui non compareant: in hos tanquam contumaces, juxta inobedientiæ qualitatem, debitis cenſuris & pœnis animadvertemus. Ut autem prædictæ Synodo inſtructiores intereſſe poſſitis, vos omnes & ſingulos pie ac fideliter admonemus, & in Domino adhortamur, ut ſuper his, quæ in Synodo tractare convenit, ſedulo & diligenter cogitetis, an videlicet in Eccleſiis & Parochiis Diœceſis noſtræ, verbum Dei, ſincere & fideliter, ac juxta ſanctorum Patrum, & Eccleſiæ Catholicæ interpretationem, proponatur & annuncietur: an & quomodo Sacramenta porrigantur & adminiſtrentur: an debita reverentia & ordine reſerventur & cuſtodiantur: cujusmodi miniſtri præſint populo: num omnes Eccleſiæ, ſuos, eosque idoneos & utiles habeant miniſtros: cujusmodi eorum vita, cujusmodi mores, qualia ſtudia & converſationes: qualis Collegiorum, Eccleſiarumve hinc inde in civitatibus, oppidis & vicis ſtatus & conditio: cujus fidei & religionis, cujus doctrinæ & conditionis ſint, qui ejusmodi Collegiis interſint: num a Catholica fide deſciverint: num in Apoſtaſiam prolapſi ſint: num puri laici: num in ſacris Ordinibus conſtituti: num publicis & manifeſtis criminibus obnoxii: num clandeſtinis vel manifeſtis conventiculis errores diſſeminent: num falſa & erronea doceant, perverſaque doctrina populum ſeducant: num Eccleſiarum jura conſerventur: num cultus Dei, Divinaque officia, Horæ Canonicæ, aliæque Eccleſiarum ceremoniæ in locis, in quibus Schisma nondum invaluit, debito modo peragantur. Cogitandum inſuper erit, quibus rationibus & modis, publicis & manifeſtis criminibus, erroribus, perverſis doctrinis, hæreſibus, aliisque impietatibus, ſortilegiis, divinationibus, incantationibus, ſuperſtitionibus, variisque dæmonum præſtigiis & illuſionibus, occurrendum ſit: quomodo refrenanda ſint adulteria, ſcortationes, fornicationes, vagæ cum Cleri, tum populi libidines: item uſurarii contractus, Symoniacæ, illicitæ, & de jure prohibitæ conventiones & pacta: qualis Monaſteriorum, tam virorum, quam monialium ſtatus: an, & quomodo in iis Divinus celebretur cultus: num, & qualem defectum patiantur. Erit & deliberandum juxta oblatæ Reformationis tenorem, quomodo Collegiis & Monaſteriis providendum ſit de Doctoribus, qui ſacram Theologiam deinceps Clericis & Monachis profiteantur: quomodo Beneficiorum, & præſertim Curatorum cenſus augendi & locupletandi ſint, ita, ut ſuos poſſeſſores & alere, & retinere queant. Quare vos admonitos eſſe volumus, ut ſuper iis omnibus; & quæ vel ad generalem vel ſpecialem Eccleſiarum, Cleri, ac morum reformationem & utilitatem, quovismodo ſpectare videbuntur, diligenter præcogitetis: ut communicatis & collatis ſententiis, in præſenti noſtra Synodo, ſingula commode & ordinentur & definiantur. In cujus rei fidem & teſtimonium, Secretum Vicariatus noſtri, præſentibus eſt impreſſum. Datum in Oppido noſtro Zabern, die quarta menſis Februarii., anno a Nativitate Domini Milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo nono.

Mandatum de acceptanda Reformationis Formula, quam Carolus Cæſar hujus nominis Quintus, Auguſtæ in Comitiis, Eccleſiaſticis Ordinibus propoſuit, deque Synodalibus Statutis obſervandis.

ERASMUS, DEI GRATIA EPISCOPUS ARGENTINENSIS, ALSATIÆQUE LANDGRAVIUS, UNIVERSIS ET SINGULIS DOMINIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, SCHOLASTICIS, CANTORIBUS, SUCCENTORIBUS, CUSTODIBUS, TUM CATHEDRALIS NOSTRÆ ECCLESIÆ, TUM ALIORUM COLLEGIORUM ET MONASTERIORUM PERSONIS, ARCHI-DIACONIS ET PRÆLATIS, NEC NON UNIVERSIS ET SINGULIS ARCHIPRESBYTERIS, CAMERARIIS, ET DIFFINITORIBUS CAPITULORUM RURALIUM ET PAROCHIALIUM ECCLESIARUM RECTORIBUS, SEU LOCA TENENTIBUS, EORUNDEM PLEBANIS, VICE-PLEBANIS,

VICARIIS PERPETUIS, CAPELLANIS, ET ALIIS PRESBYTERIS, CURATIS ET NON CURATIS, CÆTERISQUE OMNIBUS ET SINGULIS PERSONIS ECCLESIASTICIS, PER CIVITATEM ET DIŒCESIM NOSTRAS UBILIBET CONSTITUTIS: SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM, ET NOSTRIS HUJUSMODI ORDINARIIS MONITIONIBUS, AC REQUISITIONIBUS, INHIBITIONIBUSQUE FIRMITER OBEDIRE MANDATIS.

CUm cura pastoralis & officii ratio nobis injungat, (*a*) ut diligentem & sedulam curam animarum & gregis totius Diœcesis, & quæ ad Ecclesiæ reformationem, & Cleri, cæterorumque subditorum nostrorum piam, sanam, & necessariam admonitionem & correctionem spectant, ac pertinent, habeamus: ut videlicet, Ecclesiæ tranquillitati, & subditorum saluti, prospiciatur: ne sanguis eorum, juxta Propheticam comminationem, de manibus nostris, qui tanto gregi, authoritate ordinaria ceu Pastor præsumus, requiratur & exigatur: Cumque etiam ejus rei promovendæ causa, Invictissimus Princeps Carolus, Divina favente Clementia Romanorum Imperator, Dominus noster clementissimus, in Imperiali Conventu, nuper Augustæ celebrato, de consilio Theologorum, Electoribus, Principibus, cæterisque Ecclesiasticis Statibus & Ordinibus, certam & præscriptam Reformationis Formulam exhibuerit: quam matura desuper habita deliberatione & consultatione, prædicti Status, & nos, tanquam Ecclesiæ, totique Clero, præsertim his temporibus, salubrem, necessariam, & convenientem (in quantum tamen de jure nobis permittitur) observandam recepimus: bonaque fide Cæsareæ Majestati polliciti sumus, nos diligentem & fidelem adhibituros operam, ut prædicta Reformatio in Diœcesi nostra, Clero proponatur & publicetur, omnique studio, & conatu observetur, ac executioni demandetur. Et cum pia solicitudine perpendamus, ad collapsam pene religionem Catholicam firmiter erigendam: ad schismata, quæ misere Germaniæ Ecclesias lacerarunt, ac devastarunt, tollenda: ad vulgi odia & sinistros, & amarulentos animorum in Clerum affectus, sedandos & mitigandos: ad pacem & tranquillitatem constituendam: ad disciplinam & honestatem Ecclesiasticam revocandam: denique ad Catholicæ Ecclesiæ dignitatem & nitorem restituendum, ejus observationem omnino utilem & necessariam fore: considerando insuper, quod piissimo Imperatori, in re tam sancta, pia, honesta, & laudabili, ad cujus observationem alias, & sacrarum Scripturarum authoritate, & jure veterum Canonum astringimur, debitum officium recusare nequivimus: tum hanc Synodalem convocationem indicere voluimus: vos universos & singulos, ac præcipue Curatos, in Domino pie & fideliter exhortantes, & a vobis ordinaria authoritate, in virtute sanctæ obedientiæ, requirentes & exigentes, ut ad honorem & gloriam Dei omnipotentis, Ecclesiæ suæ incrementum, & animarum vestrarum, & subditorum salutem, præsentem hanc Reformationis Formulam, post ejus publicationem, ac prælectione Synodali finita, omni studio recipere, ac doctrina, vita, & moribus observare velitis: quo innocens, & sancta vestra conversatio, vestraque opera bona coram hominibus, ad glorificandum Patrem vestrum, qui in cœlis est, (*b*) cui alias gravem totius administrationis & officii rationem reddere tenemini, tanquam lux fulgeant, aliique, juxta Apostoli verba, in vobis (gregi Dominico præsidentibus) & pie vivendi, & recte ambulandi exempla habeant, & perspiciant: ita, ut non solum nomine & professione, sed & opere & vita, Sacerdotes Dei agnoscamini: cum verissimum sit illud Chrysostomi: (*c*) Malum Sacerdotem in suo proprio sedere judicio, & de suo Sacerdotio, non dignitatem, sed crimen acquirere, siquidem bene vivendo, & bene docendo populum, quomodo vivere debeat instruere posse, bene autem docendo, & male vivendo Deum instruere, quomodo ipse puniendus & condemnandus sit. Ut autem prædicta Reformatio vobis omnibus innotescat, ne quis ignorantiæ excusationem prætendere possit, volumus: ut ea ex ordine, adjunctis Statutis Synodalibus, prælegatur, vobisque hac ratione publicetur ac innotescat.

Statuta

(*a*) C. Suggestum. & C. Sciscitaris. 7. quæst. 1.
(*c*) C. Multi. XL. Dist. ex Chrysost. sumptum.
(*b*) Matth. 5.

STATUTA ET DECRETA
SYNODI DIOECESANÆ ARGENTINENSIS,
Præsidente Reverendissimo in Christo Patre ac Principe, Domino ERASMO, ejusdem Ecclesiæ Episcopo, &c.

DE SUMMA TRINITATE *& Fide Catholica.*

CAPUT PRIMUM.

CUm a Divino Numine Synodales congregationes, exordium ac initium sumere debeant, quapropter in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, præsentem nostram Synodum auspicabimur, & Symbolum Nicenum, Catholicæ Ecclesiæ fidei fundamentum, quo Romana Ecclesia, Chorusque Ecclesiasticus singulis diebus, in peragendo Sacro utitur unanimi voce, ore & corde, confitebimur. CREDIMUS igitur in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium, invisibiliumque factorem. Et in unum Dominum JESUM CHRISTUM, filium Dei natum ex Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero: genitum, non factum: consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt, & quæ in cœlo, & quæ in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit e cœlis: & incarnatus est de Spiritu Sancto: ex Maria virgine: & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato: passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas: ascendit in cœlos: & sedet a dextris Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et (credimus) in Spiritum Sanctum, Dominum vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre Filioque simul adoratur & glorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et in unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum, & expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri sæculi, Amen.

Præcipientes omnibus & singulis, ut in prædicta professione, ac vera Christianæ Religionis confessione firmiter permanere, ac Sanctam & Individuam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum, mundi Creatorem, quique universa de nihilo produxerit, vera cordis pietate adorare velint: neque in aliquo dubitare, aut deflectere, quod orthodoxa, & sancta Catholica Ecclesia, ductore Spiritu Sancto, de summo Triadis mysterio docuerit, statuerit & decreverit: cum hæc Fidei regula, Tertulliano teste, (*d*) una omnino sit, & sola, immobilis, & irreformabilis: cujus quoque cognitionem sufficere asserit, cum ad omnem pietatem, tum ad cujusvis hæreticæ pravitatis abdicationem: hanc quoque Fidei suæ confessionem subjiciendo: videlicet, credendo unum omnino DEUM esse: nec alium præter mundi Creatorem: qui universa de nihilo produxerit, per Verbum suum, primo omnium emissum: id verbum filium ejus appellatum in nomine Dei, varie visum Patriarchis: in Prophetis semper auditum: postremo delatum ex Spiritu Patris Dei, & virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus: & ex ea natum hominem egisse JESUM CHRISTUM: exinde prædicasse novam legem, & novam promissionem regni cœlorum: virtutes fecisse: fixum cruci: tertia die resurrexisse: in cœlos ereptum: sedere ad dextram Patris: misisse Vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate ad sumendos sanctos, in vitæ æternæ, & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos judicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione, cum carnis restitutione. Quam quoque fidei regulam a Christo institutam, nullas habere apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferant, & quæ etiam hæreticos constituant, affirmat: quibus

(*d*) Tertull. in lib. de Præscript. Hæreticorum & de virginibus velandis.

quibus exurgentibus, orthodoxi Patres confessionem hanc, ceu firmam & immotam Catholicæ religionis regulam, statim opposuerunt, hæreticorumque errores & conatus sopierunt & oppresserunt. Munienda igitur sunt piorum corda, ne in aliquo ambigant aut dubitent, sed firmiter Apostolicæ Regulæ inhæreant: quam normam prædicationis Apostoli ab invicem discessuri, juxta Cyprianum in expositione Symboli Apostolorum, in commune constituerunt: ne forte alius ab alio abducti, diversum aliquid, his, qui ad fidem convertendi erant, exponerent. Nam, ut in eodem loco inquit Cyprianus: Omnes in uno positi & Spiritu Sancto repleti, breve istud futuræ sibi Prædicationis inditium, conferendo in unum, quod sentiebat unusquisque, composuerunt: atque hanc credentibus dandam esse regulam, statuerunt. Ut autem in ea fidei confessione firmiter consolidemur, operæ pretium visum est, œcumenicorum Conciliorum, ac nonnullorum insignium Patrum Catholicæ Religionis Symbola in medium proferre: cum dulce, suave, consolationeque plenum sit, hæresibus grassantibus, unanimem diversorum temporum ac Ecclesiarum, videre & cognoscere Catholicæ religionis & fidei consensum.

Symbolum Constantinopolitanum, Primum.

CREDIMUS in unum Deum: Patrem omnipotentem, factorem Cœli & terræ: visibilium omnium & invisibilium conditorem: Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum: ex Patre natum ante sæcula: Deum ex Deo: lumen ex lumine: Deum verum ex Deo vero: natum non factum: Homousion Patri, hoc est, similis seu ejusdem, cum Patre, substantiæ: per quem omnia facta sunt, & quæ in cœlo, & quæ in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria virgine, & homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: & resurrexit tertia die, secundum scripturas: & ascendit in cœlos: & sedet ad dexteram Dei Patris. Inde venturus est cum gloria, judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis: Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificatorem: ex Patre procedentem: cum Patre & Filio adorandum atque conglorificandum: qui locutus est per Prophetas, & unam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: confitemur unum Baptisma, in remissionem peccatorum: Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi.

Fides vel Confessio Fidei Ephesinæ Synodi primæ.

SUbdimus autem his nostris, quæ te sentire oporteat & docere: & ea, a quibus abstinere conveniat. Hæc est enim Fides Catholicæ Ecclesiæ, cui cuncti consentiunt orthodoxi, per Orientem, Occidentemque Pontifices. CREDIMUS in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium, & invisibilium conditorem: Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei: natum de Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris: Deum ex Deo, lumen de lumine: Deum verum, ex Deo vero: natum non factum: homousion Patri, (*) hoc est, unius cum Patre substantiæ: per quem omnia facta sunt, in cœlo & in terra: qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis: & incarnatus est, & homo factus, passus est: & resurrexit tertia die: Ascendit in cœlos, inde venturus, judicare vivos & mortuos: Et in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt, erat tempus, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat: quia ex nullis existentibus factus est, aut, ex alia substantia vel essentia esse, dicunt, aut convertibilem vel commutabilem Dei Filium, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia. Sequentes itaque omnium Sanctorum Patrum confessiones, quas loquente in eis Sancto Spiritu, protulerunt, & intentioni, quæ est in eorum intellectu, æquis vestigiis inhærentes, atque iter ambulantes Regium, profitemur, quod ipsum unigenitum Dei verbum, natum ex ipsa Patris essentia, de Deo vero, Deus verus: lumen de lumine, per quem om-

nia

(*) *al.* homousium Patris.

nia facta sunt, sive in cœlis, sive in terra: Salutis nostræ causa descendens, ad exinanitionem sese dignatus est inclinare: Natus autem & homo factus, id est, carnem de virgine sancta suscipiens, eamque propriam faciens, nativitatem nostram ex vulva sustinuit, homo de muliere procedens, nec quod erat abjiciens. Nam licet factus sit in assumptione carnis & sanguinis: tamen etiam sic quod erat Deus, natura scilicet & veritate persistit. Nec carnem itaque dicimus in naturam Deitatis esse conversam, nec in substantiam carnis Dei verbi essentiam commutatam: inconvertibilis est enim, & incommutabilis, idemque ipse, juxta scripturas, jugiter permanens. Visus est autem & parvulus, positusque in cunabulis, & sinibus genitricis Virginis constitutus, universam creaturam replebat, ut Deus genitori suo indivisus existeret. Quod Divinum est enim, sine quantitate, & sine mole cognoscitur, nec ullis terminis continetur verbum Dei. Secundum subsistentiam confitentes, unum adoramus Filium, & Dominum Jesum Christum: non seorsum ponentes & determinantes hominem & Deum, velut invicem sibi dignitatis & authoritatis unitate conjunctos. Hoc enim novitas vocis est, & nihil aliud: nec item Christum specialiter nominantes, Dei verbum, quod ex Deo est: nec alterum similiter Christum specialiter, qui de muliere natus est: sed unum solummodo Christum, Dei Patris verbum, cum propria carne cognoscimus.

Alia Fidei Ephesinæ Confessio, excerpta ex Epistola Sanctissimi Episcopi Alexandriæ Cyrilli: quæ continetur Actione prima Concilii Chalcedonensis, ad Joannem Antiochiæ Episcopum.

COnfitemur etenim Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, Deum perfectum, & hominem perfectum: ex anima rationali & corpore: ante sæcula quidem ex Patre natum secundum Deitatem: in fine vero dierum eundem propter nos, & propter nostram salutem, de Maria Virgine, secundum humanitatem: consubstantialem Patri secundum Deitatem: & consubstantialem nobis, secundum humanitatem. Duarum enim naturarum unio facta est: propter quod unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur. Secundum hunc inconfusæ unionis intellectum, confitemur Virginem Dei Genitricem: propter quod Deus verbum incarnatus est, & homo factus est, & ex ipsa conceptione, sibimet unierit templum, quod ex ipsa suscepit. Evangelicas vero & Apostolicas de Domino voces scimus Deiloquos viros quosdam quidem unificantes, tanquam in una persona: quosdam vero dividentes, tanquam in duabus naturis: & divinitatem quidem docentes, secundum Deitatem Christi: humiles autem, secundum humanitatem ejus tradentes.

Confessio Fidei Chalcedonensis Concilii in Actione V.

COnsentientes ergo sanctis Patribus, unum eundemque Filium confiteri Dominum nostrum Jesum Christum, consona voce edocemus, pariter perfectum, eundem in Deitate Deum, & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore, secundum Divinitatem, unius cum Patre naturæ: secundum humanitatem, eundem unius naturæ nobiscum, per omnia similem nobis, absque peccato: Ante sæcula quidem ex Patre natum, secundum Divinitatem: in novissimis vero diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem hominem factum: hunc unum eundemque Christum Filium, Dominum unigenitum in duas naturas inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter cognoscendum: in nullo naturarum differentias, propter unitatem, perimendas: magis autem salva utriusque naturæ proprietate, & in una coeunte persona, unoque statu concurrente, non in duabus personis partiendum, vel dividendum, sed unum eundemque Filium unigenitum, Deum, verbum, Dominum JESUM Christum, sicut ab exordio Prophetæ de eo, & ipse nos erudivit, & nobis tradidit Symbolum. His itaque cum omni undiquaque subtilitate & diligentia a nobis ordinatis, statuit Sancta & universalis Synodus, aliam fidem nulli

licere profiteri, aut ſcribere, aut docere, aut dicere aliter. Qui autem audent exponere aliam fidem, aut proferre, aut docere aliud Symbolum, volentibus converti ad ſcientiam veritatis, ex gentilibus, ex Judæis vel Hæreticis quibuscunque: ſiquidem Epiſcopi aut Clerici fuerint, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos a Clero: Si vero Monachi, vel laici fuerint, anathema fieri.

Symbolum Toletani Concilii primi.

CREDIMUS in unum verum Deum, Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum Sanctum: viſibilium & inviſibilium Factorem, per quem omnia facta ſunt, in cœlo & in terra. Unum Deum, & unam eſſe divinæ ſubſtantiæ Trinitatem. Patrem autem non eſſe filium ipſum, ſed habere filium, qui pater non ſit: Filium non eſſe Patrem, ſed filium Dei, de Patris eſſe natura: Spiritum quoque eſſe Paracletum, qui nec pater ſit ipſe, nec filius: ſed a patre filioque procedens. Eſt ergo ingenitus Pater: genitus Filius, non genitus Paracletus, ſed a Patre filioque procedens. Pater eſt, cujus vox hæc audita eſt de cœlis: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Filius eſt, qui ait: Ego a Patre exivi, & a Deo veni in hunc mundum. Paracletus eſt Spiritus, de quo Filius ait: Niſi ego abiero ad Patrem, Paracletus non veniet. Hanc Trinitatem perſonis diſtinctam: ſubſtantia unitam, virtute & poteſtate, & majeſtate, indiviſibilem, indifferentem: Præter hanc nullam credimus Divinam eſſe naturam, vel Angeli, vel Spiritus, vel virtutis alicujus, quæ Deus credatur. Hunc ergo Filium Dei, Deum natum a Patre, ante omne omnino principium, ſanctificaſſe uterum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem, ſine virili generatum ſemine, ſuſcepiſſe, duabus duntaxat naturis, id eſt, Deitatis & carnis in unam convenientibus omnino perſonam, id eſt, Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM: nec imaginarium corpus, aut phantaſmatis alicujus in eo fuiſſe, ſed ſolidum & verum. Hunc & eſuriiſſe & ſitiiſſe, & doluiſſe, & fleviſſe, & omnis corporis injurias pertuliſſe: poſtremo a Judæis crucifixum & ſepultum, & tertia die reſurrexiſſe: converſatum poſtmodum cum diſcipulis ſuis, & quadrageſima poſt reſurrectionem die, ad cœlum aſcendiſſe: hunc filium hominis, etiam filium Dei: & filium Dei, etiam hominis, Filium appellamus. Reſurrectionem vero futuram humanæ credimus carnis: Animam autem hominis, non Divinæ eſſe ſubſtantiæ, aut Dei Patris: ſed creaturam dicimus, Dei voluntate creatam.

Symbolum Toletani Concilii quarti.

QUemadmodum a ſanctis Patribus accepimus, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unius Deitatis atque ſubſtantiæ, confitemur, in perſonarum diverſitate, Trinitatem credentes, in Dinitate unitatem prædicantes: nec perſonas confundimus: nec ſubſtantiam ſeparamus. Patrem a nullo factum vel genitum dicimus. Filium a Patre non factum, ſed genitum aſſerimus. Spiritum vero Sanctum, nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio, profitemur. Ipſum autem Dominum Jeſum Chriſtum, Dei filium & creatorem omnium, ex ſubſtantia Patris, ante ſæcula genitum, deſcendiſſe ultimo tempore, pro redemptione mundi, a Patre, qui nunquam deſinit eſſe cum Patre, incarnatus enim eſt, ex Spiritu Sancto, & glorioſa ſancta Dei genitrice Virgine Maria, & natus ex ipſa. Solus idem Dominus JEſus Chriſtus, unus in Sancta Trinitate: anima & carne perfectus, ſine peccato ſuſcipiens hominem, manens quod erat, aſſumens quod non erat, æqualis Patri ſecundum Divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem: habens in una perſona duarum naturarum proprietatem: naturæ enim in illo duæ, Deus & Homo: non autem duo Filii, & Dii duo, ſed idem, una perſona in utraque natura, perferens paſſionem & mortem pro noſtra ſalute (non in virtute Divinitatis, ſed in infirmitate humanitatis) Deſcendit ad inferos, ut Sanctos, qui ibi tenebantur, erueret: & devicto mortis imperio, reſurrexit: aſſumptus deinde in cœlos, venturus eſt in futurum ad judicium vivorum & mortuorum, cujus morte & ſanguine mundati, remiſſionem peccatorum conſecuti

ſumus,

ſumus, reſuſcitandi ab eo in die noviſſima, in ea, qua nunc vivimus, carne: & in ea, qua reſurrexit idem Dominus forma: percepturi ab ipſo, alii pro juſtitiæ meritis vitam æternam: alii, pro peccatis, ſupplicii æterni ſententiam. Hæc eſt Eccleſiæ Catholicæ Fides, hanc confeſſionem ſervamus, atque tenemus: quam quisquis firmiſſime cuſtodierit, perpetuam ſalutem habebit.

Expoſitio Prædicationis veritatis,

quam ab Apoſtolis Eccleſia percipiens cuſtodit: Ex libro Irenæi adverſus Valentinum & ſimiles primo, Capite ſecundo.

ECcleſia enim per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & a diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Et in unum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute: Et in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit diſpoſitiones Dei & adventum: & eam, quæ eſt ex Virgine generationem, & paſſionem, & reſurrectionem a mortuis, & in carne in cœlos aſcenſionem dilecti Jeſu Chriſti Domini noſtri: & de cœlis in gloria Patris adventum ejus, ad recapitulanda univerſa: & reſuſcitandam omnem carnem humani generis, ut Chriſto Jeſu Domino noſtro, & Deo, & Salvatori, & Regi, ſecundum placitum Patris inviſibilis, omne genu curvetur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur ei, & judicium juſtum in omnibus faciat: Spiritalia quidem nequitiæ, & angelos transgreſſos, atque apoſtatas factos, & impios, & injuſtos, & iniquos & blaſphemos homines in æternum ignem mittat: Juſtis autem & æquis, & præcepta ejus ſervantibus, & in dilectione ejus perſeverantibus (quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donans) incorruptelam, loco muneris conferat, & claritatem æternam circundet. (e) Hanc prædicationem cum acceperit: & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Eccleſia, & quidem in univerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans, & ſimiliter credit his videlicet, quaſi unam animam habens, & unum cor: & conſonanter hæc prædicat & docet, & tradit, quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt: & neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hyberis ſunt: neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt: ſic & lumen, prædicatio veritatis, ubi lucet, illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire: & neque qui valde prævalet in ſermone, ex his qui præſunt Eccleſiis, alia quam hæc ſunt dicet (Nemo enim ſupra magiſtrum eſt:) neque infirmus in dicendo, deminoravit traditionem: cum enim una & eadem fides ſit, neque is, qui multum de ea poteſt dicere, amplius, neque is, qui minus, deminorat.

Symbolum Apoſtolicum Baſilii Magni.

CREDIMUS igitur & confitemur, (f) unum, ſolum, verum & bonum Deum, & Patrem omnipotentem, ex quo ſunt omnia: Deum & Patrem, Domini ac Dei noſtri Jeſu Chriſti: & unum illius Filium unigenitum, Dominum ac Deum noſtrum Jeſum Chriſtum: ſolum verum, per quem omnia facta ſunt, tam viſibilia, quam inviſibilia: & in quo omnia conſiſtunt: qui in principio erat apud Deum, & Deus erat, & poſtea ſecundum ſcripturas in terra viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt: qui cum in forma Dei eſſet, non eſt rapinam arbitratus parem eſſe Deo, ſed ſeipſum exinanivit, & per nativitatem ex Virgine, formam ſervi accepit, & habitu inventus eſt ut homo: & omnia quæ in ſe & de ſe ſcripta ſunt, juxta mandatum Patris, adimplevit: factus obediens uſque ad mortem: mortem autem Crucis. Tertia die excitatus a mortuis, ſecundum ſcripturas: viſus eſt ſanctis ſuis diſcipulis; ac reli-

(e) Ex eod. Cap. 3.

(f) Ex Aſceticis in ſermone de Fide.

reliquis, ficut fcriptum eft: Afcenditque ad cœlos, ac fedet ad dextram Patris: unde venturus eft, in confummatione fæculi hujus, ad excitandum omnes, & reddendum unicuique fecundum facta ipfius: quando jufti quidem affumentur ad vitam æternam & regnum cœlorum: peccatores vero condemnabuntur ad fupplicium æternum: ubi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Et unum tantum Spiritum Sanctum, Paraclitum: in quo obfignati fumus ad diem redemptionis, Spiritum veritatis, Spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba, Pater; qui dividit & operatur charismata a Deo data, unicuique ad utilitatem, prout vult: qui docet & fuggerit omnia, quæcunque audit a Filio, qui bonus eft, qui inducit in omnem veritatem: & confirmat omnes credentes, ad cognitionem veram & exactam, & pium Dei cultum, & ad orationem fpiritalem, & veram confeffionem Dei: Patris, & unigeniti Filii ejus, Domini ac Dei noftri Jefu Chrifti, & fui ipfius.

Symbolum Beati Damafi Romani Epifcopi.

CREDIMUS in unum Deum Patrem omnipotentem: (*g*) & in unum Dominum noftrum Jefum Chriftum, Filium Dei: Et in Spiritum Sanctum Deum, non tres Deos, fed Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, unum Deum colimus & confitemur. Non fic unum Deum, quafi folitarium: nec eundem, qui ipfe fibi Pater fit, ipfe & Filius: fed Patrem effe, qui genuit: & Filium effe, qui genitus fit: Spiritum vero Sanctum, non genitum, neque unigenitum: non creatum neque factum, fed de Patre Filioque procedentem: Patri & Filio coæternum, & coæqualem, & cooperatorem: quia fcriptum eft, Verbo Domini cœli confirmati funt: id eft, a Filio Dei, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum. Et alibi: Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Ideoque in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, unum confitemur Deum: quod nomen eft poteftatis, non proprietatis: proprium nomen eft Patri, Pater: & proprium nomen eft Filio, Filius: & proprium nomen Spiritui Sancto, Spiritus Sanctus. In hac Trinitate unum Deum colimus: quia ex uno Patre, quod eft, unius cum Patre naturæ eft, unius fubftantiæ, & unius poteftatis. Pater Filium genuit, non voluntate, nec neceffitate, fed natura. Filius ultimo tempore ad nos falvandos, & ad implendas fcripturas defcendit a Patre, qui nunquam defiit effe cum Patre: & conceptus eft de Spiritu Sancto, & natus ex Virgine: carnem & animam, & fenfum, hoc eft, perfectum fufcepit hominem: nec amifit quod erat, fed cœpit effe, quod non erat: ita tamen, ut perfectus in fuis fit, & verus in noftris. Nam qui Deus erat, homo natus eft, & qui homo natus eft, operatur ut Deus: & qui operatur ut Deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur, ut Deus refurgit: qui devicto mortis Imperio, cum ea carne, qua natus & paffus, & mortuus fuerat, & refurrexit, afcendit ad Patrem, fedetque ad dexteram ejus in gloria, quam femper habuit & habet: in hujus morte & fanguine credimus emundatos nos, & ab eo refufcitandos die noviffimo, in hac carne, qua nunc vivimus: & habemus fpem, nos confecuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni fupplicii. Hæc lege, hæc crede, huic fidei animam tuam fubjuga, & vitam confequeris, & præmium a Chrifto. Magni vero Athanafii, vel etiam aliorum Patrum Symbola his annectere noluimus, cum Athanafiana fidei confeffio nemini ignota fit, propter quotidianum pfallendi & precandi ufum: alia vero ex voluminibus Conciliorum, fi qui eorundem lectione ac cognitione delectantur, facile defumi poterunt: & extat Cyrilli Epifcopi Nicæni Symboli copiofa & folida expofitio, Patribus Ephefinæ Synodi oblata. Quibus fane omnibus fubjicere quoque voluimus, infignem Divi Auguftini fermonem: piam & finceram Symboli Apoftolici explicationem continentem, ne in aliquo pius lector vel hæreat, vel vacillet, aut dubitet, ac offendatur. Adjuncta etiam ipfius Auguftini Symbolica precatione, quæ in Soliloquiorum libello continetur.

In

(*g*) Ex 4. Tomo D. Hier. ubi Ruffini & aliorum Symbola recitantur.

In Vigilia Pentecostes, de expositione Symboli, Sermo I.

NOTUM est, Dilectissimi, charitati vestræ, quod milites sæculi, beneficia temporalia, a temporalibus Dominis accepturi, prius Sacramentis militaribus obligantur, & Dominis suis fidem se servaturos profitentur: quanto magis ergo æterno Regi militaturi & æterna præmia percepturi, debent Sacramentis cœlestibus obligari: & fidem, per quam ei placituri sunt, publice profiteri? dicit enim Apostolus: Sine fide impossibile est placere Deo: hanc in cordibus nostris agnoscit, qui scrutatur renes & corda. Sed propter conservandam Ecclesiæ unitatem, dispensationi hujus temporis, cum fide cordis necessaria est oris confessio: quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, non tantum prædicatorum, sed etiam eruditorum. Non enim aliter frater de fratre sentiret, nec pax Ecclesiæ servaretur: nec alium docere, aut ab alio discere saluti necessaria posset, nisi quod in corde habet, signis vocum tanquam suis vehiculis ad corda aliorum transmitteret. Est ergo fides & corde servanda, & ore promenda. Fides namque omnium bonorum est fundamentum, & humanæ salutis initium: Sine hac nemo ad numerum Filiorum Dei poterit pervenire: & sine ipsa in hoc sæculo nec justificationis consequitur gratiam, nec in futuro possidebit vitam æternam: & si quis non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Hoc attendentes S. Apostoli, certam regulam fidei tradiderunt: quam secundum numerum Apostolicum, XII. sententiis comprehensam, Symbolum vocaverunt: per quam credentes Catholicam tenerent unitatem, & per quam hæreticam convincerent pravitatem. Symbolum ergo tali ratione institutum majores nostri dixerunt: tradunt enim, quod post Ascensionem Domini & Salvatoris nostri ad Patrem, cum per adventum Spiritus Sancti, discipuli ejus inflammati, linguis omnium loquerentur ad singulas quasque nationes: ut Dei verbum prædicarent, ituri ac discessuri ab invicem, normam prius sibi futuræ prædicationis in commune statuerunt: ne, localiter ab invicem discedentes, diversum vel dissonum prædicarent his, qui ad fidem Christi invitabantur. Omnes igitur in uno positi, & Spiritu Sancto repleti, breve suæ prædicationis indicium, conferendo in unum, quod sentiebat unusquisque, computabant: atque hanc ita credentibus dandam esse regulam instituerunt. Symbolum breve est verbis, sed magnum est Sacramentis: quicquid enim præfiguratum est in Patriarchis, quicquid denunciatum in Scripturis, quicquid prædictum est in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel de Spiritu Sancto, vel de suscipiendo omni Sacramento, vel de morte Domini, resurrectionisque ejus mysterio, totum breviter hoc Symbolum continet, & continendo habet, & confitendo. Discat ergo quisque Fidem Apostolicam professus per ora gestantium in Baptismo, cum ad annos intelligibiles venerit.

Jam ad istius Symboli professionis Sacramentum, textumque, quod in hunc modum incipit: CREDO IN DEUM, PATREM OMNIPOTENTEM, &c. Inprimis, Dilectissimi, qualis sermo sit in Symboli capite, diligenter attendite: Ergo in primo habet Credo: Vide quod Dominus noster non nos jubet discutere Divina judicia, sed credere: nec rationem requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter exhibere. Non dicit, Credo Deum, vel credo Deo, quamvis & hæc saluti necessaria sint: aliud enim est, credere illi: aliud, credere illum: aliud, credere in illum. Credere illi, est, credere vera esse, quæ loquitur: credere illum, credere, quia ipse est Deus: credere in illum, diligere illum. Credere vera esse, quæ loquitur, multi & mali possunt: credunt enim esse vera, & nolunt ea facere sua: quia ad hoc pedum pigri sunt: credere autem ipsum esse Deum, & dæmones possunt: credere vero in DEUM, soli noverunt, qui diligunt illum: qui non solum nomine Christiani sunt, sed & factis & vita: quia sine dilectione fides inanis est. Cum dilectione fides, Christiani: sine dilectione fides, dæmonis. Qui ergo non volunt credere Christum, adhuc nec dæmones imitantur: Jam credit Christum, sed odit Christum: habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ. Nam & illi puniri timebant.

mebant. Denique Beatus Petrus, cum, Domine, confitens diceret: Tu es Filius DEI vivi, eadem pene verba, quæ & dæmones, proferre videtur ex ore: sed illorum confessio, quia cum odio prolata est Christi, merito damnata est: illius, quia ex interna dilectione processit, æterna beatitudine remunerata est. Nos ergo, qui per adoptionem gratiæ filii Dei sumus, dicendo: Credo in Deum, Patrem omnipotentem: hoc est, sic ei credamus, ut ei per dilectionem adhæreamus. In Deum Patrem omnipotentem. Advertite, quod cum Dei Patris nomen in confessione conjungit: ostendit, quod non ante Deus esse cœpit, & postea Pater: sed sine ullo initio & Deus semper & Pater est. Patrem autem cum audis: agnosce, quod habet filium veraciter genitum: quomodo possessor dicitur, qui aliquid possidet, & Dominus, qui alicui dominatur. Deus ergo Pater: secreti Sacramenti vocabulum est: cujus vere filius est verbum. Nec quæratur, quomodo genuit Filium: quod & Angeli nesciunt: Prophetis est incognitum. Unde illud dictum est: (b) Generationem ejus quis enarrabit? Nec a nobis discutiendus est Deus, sed credendus. Sed ut breviter dicamus: sufficit nos scire, quia genuit lux splendorem. Omnipotentem vero ideo dicit: Quia omnipotens est, cui nihil impossibile est: qui cœlum & terram, homines atque omnia animalia & reptilia, non aliquo operis actu, sed solo verbi imperio creavit. Et ideo non veniat nobis in cogitationem, quomodo hoc aut illud potuit fieri, qui omnipotentem precemur confiteri.

ET IN JESUM CHRISTUM FILIUM EJUS UNICUM, DOMINUM NOSTRUM. Advertite, quomodo in Patrem, sic & in Filium credendum est. Et quia cum Patre æqualis est Majestate, tantum ipsi, quantum & Patri honoris nos debere novimus, & servitutis obsequium. Jesus autem, Salvator interpretatur: Jesus autem dicitur, quod salvet populum. Christus a Chrismate dicitur, quia sicut antiqui Reges oleo sacro perfundebantur: ita Dominus noster Jesus Christus, Spiritus Sancti infusione repletus est. Unicus ideo, quia nec comparationem recepit cum creaturis, nec similitudinem: quia omnium rerum summus ipse creator est. Homines autem filii Dei vocantur per gratiam: ille solus filius genitus per naturam. Ostendunt ista in eum jure credendum esse, qui propter hoc, quod æqualis Patri est, Salvator noster est, redimens nos: & Christus est Rex, regens nos: & unicus Dominus noster, spoliato antiquo hoste, singulari dominio suo asciscens nos:

QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU SANCTO: id est, cujus conceptionis solus author fuit Spiritus Sanctus. Sicut enim vermis calefaciente sole, de puro limo formatur: sic Spiritu Sancto illustrante & sanctificante cor Virginis, caro Christi de sola carne Virginis, nulla sementina carnis origine operante, concepta est. Unde se vermi comparans, per Psalmistam dicit: Ego sum vermis, & non homo: id est, non conceptus more humano.

NATUS EX MARIA VIRGINE: qui veniebat, inveteratam peccatis hominum renovare naturam, novam legem voluit habere nascendi. Unigenitus igitur Dei, factus est hominis filius: ut qui Creator mundi erat, fieret & Redemptor. Quod vero Majestatis Deus de Maria incarnatus est, non est sordidatus nascendo de Virgine, qui non fuit pollutus, hominem condens ex pulvere. Denique sol aut ignis, si lutum tangat, quod tetigerit, purgat, & se tamen non inquinat. Nec fuit Deo injuria causa misericordiæ: neque sit incredibile, quod ipse natus de Virgine, qui Adam de virgineo pulvere, & primam mulierem potuit de costa formare. Deus filium suum, quem solum de corde suo, æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ipsum dedit Mariæ, ut naturaliter esset unus idemque communis filius Dei & Mariæ. Omnis natura a Deo creata est, & Deus est ex Maria natus. Deus omnia creavit, & Maria Deum generavit. Deus qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit: & sic omnia, quæ fecerat, refecit, qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere.

PASSUS SUB PONTIO PILATO, CRUCIFIXUS, MORTUUS ET SEPULTUS. Iste Pilatus Judex erat

(b) Isaiæ 55.

erat in illo tempore, ab Imperatore positus in Judæa, sub quo Dominus passus est, cujus mentio ad temporis significationem, non ad personæ illius pertinet dignitatem. Crucifixus. Hinc multa Prophetæ prædixerunt, qualiter, crucifixus in cruce, in conspectu populi maligni, manibus extensis pependerit: Tamen ut breviter dicatur: in cruce suspensus est, ut nos a damnatione ligni vetiti dissolveret, & a morte liberaret. Sed quæritur, quid sit crucis significatio, & quare Dominus in patibulo se pati elegerit? ad quod tripartita ratio redditur. Prima, ut Christus pro reatu mundi redemptio daretur, & antiquus hostis velut hamo crucis pateretur: scilicet, ut quos absorbuerat, evomeret; non potentia victus, sed justicia. Secunda causa est, ut secutoribus hominibus vitæ magisterium præberet: ad hoc enim ascendit in crucem, ut nobis passionis & resurrectionis præberet exemplum. Tertia causa est susceptæ crucis, ut superbia sæculi & inflata sapientia, per crucis stultam, ut putatur, prædicationem humiliata, corrueret: & sciret, id quod stultum est Dei, sapientius esse hominibus. Sed adhuc videndum est, quare Dominus tale genus mortis elegerit: legimus enim in Evangelio, quod Pharisæi voluerunt eum præcipitare de monte: at ille transiens, per medium illorum ibat. Alibi quoque legimus, quod Judæi tulerunt lapides, ut jacerent in eum: ipse vero abscondit se, & exivit de templo. Quare noluit Dominus præcipitari, vel lapidari, aut etiam gladio truncar? Utique causa nostræ salutis hoc fecit: Mors enim Christi, signum est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari, aut etiam gladio percuti: quia videlicet nos semper nobiscum lapides, aut ferrum, ferre non possumus: quibus defendamur: elegit vero crucem, quæ levi motu manus exprimitur: qua & contra inimici versutias munimur. Hoc enim signo crucis, consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam Presbyteri & cæteri gradus Ecclesiastici: & omnia quæcunque sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis, cum invocatione Christi nominis consecrantur: nam & ipsa crux magnum in se mysterium continet: cujus positio talis est, ut superior pars, cœlos petat: inferior, terræ inhæreat: fixa, in infernorum ima contingat: latitudo autem ejus partes mundi appetat: qua & Christus per passionem crucis Angelis profuit in cœlo, quorum numerus, quia per apostatam angelum imminutus fuerat, ex animabus fidelium, quotidie adimpletur: & nobis, qui sumus in terra, & illis, qui propter originale peccatum detinebantur apud inferos: sed & ipsis, qui in diversis mundi partibus habitabant: Jacens vero crux, quatuor mundi partes appetit: Orientem videlicet, & Occidentem, Aquilonem & Meridiem: quod & Christus per passionem suam omnes gentes ad se trahit: & omnia sibi subjugavit: juxta quod ipse surgens a mortuis, dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Continetur etiam in hac crucis figura altius Sacramentum: quod quanto est altius, tanto attendendum diligentius. Intelligitur namque in latitudine crucis, dilectio proximi: quæ non tantum usque ad amicos, sed etiam extendenda est usque ad diligendos inimicos: intelligitur quoque in ejusdem longitudine, longa & perseverans laborum & persecutionum sustinentia: quam patienter ferre debet ad patriam suspirans nostra peregrinatio, tam pro dilectione proximorum, quam pro exhibitione omnium bonorum operum. Figuratur simili ratione in altitudine ejus, eminentia spei, penetrans usque ad interiora velaminis: ubi visione pacis perfruentur, qui hic a civibus Babyloniæ multipliciter exercentur, donec in libertatem gloriæ filiorum Dei a servitute corruptionis hujus liberentur. Attendenda est etiam crucis profunditas: quia profundum est mysterium crucis: in quo, multorum, qui sapientes dicuntur, ingenia defecerunt: quod ausi sunt reprehendere, quod non potuerunt humana ratione comprehendere: videlicet, cur verbum, Deo Patri coæternum, omnia continens, omnia implens, in assumpto homine totum se conclusit: & tamen totum mundum regere, complere & continere non desierit. Nulla ergo sit nobis de cruce Christi confusio: quia habemus de ejus passione victoriam. Sicut enim sempiternus Dei filius non sibi, sed nobis natus: ita immaculatus Dei agnus, non sibi, sed nobis passus est. Quis autem non mirificum advertat esse mysterium: ubi ipse

homo prædicatur, qui Deus eſt: & ubi idem Dominus annunciatur, qui aſcribitur crucifixus? nec incogitata ei, quod peremptus eſt, aut improviſa res accidit, qui Divinitatis ſuæ conſilio idcirco ſuſcepit hominem, ut pro homine poſſet occidi. Supplicium autem crucis elegit, ut ſublimiorem victoriam pararet pœna deterior: & qui univerſitatis bono potiebatur, quaſi in conſpectu mundi in altum ſublatus occumberet: ſimul ut qui crucifixum videbant, mirabilia cernerent crucifixi. Nam ſatis abundeque gloriam patientis oſtendit repentina ſolis obſcuritas, tremor terrarum, ſaxorum diviſio, reſurrectio mortuorum. Illud autem quanti eſt teſtimonii, quod etiam pariter crucifixus Latro, memoriam ſui in cœleſti regno fieri a conſorte ſupplicii precabatur. Hinc eſt, Chariſſimi, quod illuſiones & probra, quæ pertulit Chriſtus, crucem mortemque ejus non ſuſpiriis ingemiſcimus, ſed continuis celebramus laudibus: Mors Domini noſtri Jeſu Chriſti non fuit in anima, ſed in ſola carne: Mors vero noſtra, non ſolum in carne, ſed etiam in anima: in anima, propter peccatum, in carne, propter pœnam peccati. Ille vero, qui peccatum non fecit, nec habuit in anima, non eſt mortuus, niſi in carne tantum, & hoc per ſimilitudinem carnis peccati, quam de Adam traxit. Igitur ſimpla ejus mors profuit duplæ vitæ noſtræ: & ſimpla ejus reſurrectio reſurrectioni animæ & corporis. Reſurrectio quippe ejus duas mortes noſtras ſolvit: & duas noſtras reſurrectiones formavit: nec immerito uno die & duabus noctibus jacuit in ſepulchro: quia, videlicet, lucem ſuæ ſimplæ mortis tenebris noſtræ duplæ mortis adjunxit. Venit enim ad nos, qui in morte carnis & ſpiritus detinebamur: & ſuam unam mortem carnis detulit, duaſque noſtras ſolvit. Si enim ipſe utramque ſuſciperet: a nulla nos liberaret. Sepultus eſt, ut ad conſolationem ſepultorum benedictionem corporis ejus terra ſuſciperet. Infirma incarnati Verbi commemorantur, de quibus Apoſtolus dicit: (*i*) Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Natus eſt ex Virgine: ut nos naſceremur ex Eccleſiæ Virginis utero: tentatus eſt, ut a tentatione liberaret: tentus, ut dimitteremur: ligatus, ut nos a nodo maledictionis abſolveremur: illuſus eſt, ut nos ab illuſionibus dæmonum liberaret: venundatus eſt, ut nos redimeret: humiliatus eſt, ut nos exaltaret: captus eſt, ut nos a captivitate dæmonum auferret: ſpoliatus eſt, ut nuditas primi hominis, per quam mors ingreſſa eſt, tegeretur: ſpinis coronatus eſt, ut nos liberaret a ſpinis peccatorum, vel potius, ut monſtraret ſe cum eis coronandum, illoſque caput & coronam Eccleſiæ futuros, qui ſpinoſi erant amando vitia: aceto eſt potatus, ut nos inebriaret dulcedine cœleſtis deſiderii & æterni gaudii: poſtremo, in altari crucis ſacrificatus eſt, ut totius mundi peccata deleret: mortuus eſt, ut mortis captivaret imperium: ſepultus eſt, ut ſepulturæ Sanctorum benediceret: & ut nos ſibi vitiis & concupiſcentiis ſepeliret. Hæc ergo infirmitas Chriſti ſuperavit omnem firmitatem mundi.

DESCENDIT AD INFERNA, ut Adam Protoplaſtum, & Patriarchas & Prophetas, omneſque juſtos, qui pro originali peccato ibidem detinebantur, liberaret: & ut de vinculis peccati abſolutos, de eadem captivitate & inferni loco, ſuo ſanguine redemptos, ad ſupernam patriam, & ad perpetuæ vitæ gaudia revocaret: reliqui, qui ſupra originale peccatum, principalem culpam commiſerunt, ut aſſerit ſcriptura, in pœnali Tartaro remanſerunt: ſicut in perſona Chriſti dictum eſt, per Prophetam; (*k*) Ero mors tua, O mors: id eſt, morte ſua Chriſtus, humani generis inimicam mortem interfecit, & vitam dedit. Ero morſus tuus, inferne. Partim momordit infernum pro parte eorum, quos liberavit: partem reliquit pro parte eorum, qui principalibus criminibus in tormentis remanſerunt.

TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS: Si credidiſti de Chriſto, quod dedecoris eſt, crede quod gloriæ eſt: Si credidiſti quod mortis eſt, crede quod vitæ eſt. Sicut enim in paſſione, myſterium pietatis eſt, ita in reſurrectione operatio poteſtatis, ut ipſe ait, Poteſtatem habeo ponendi animam meam: (*l*) & iterum ſumendi eam.

ASCEN-

(*i*) 1. Cor. 1. (*k*) Oſeæ 13. (*l*) Joan. 10.

ASCENDIT AD COELOS: id est, conditionem naturæ nostræ, quam ex homine matre natus assumpsit, super cœlos in dextera Dei Patris collocavit. Ascendamus & nos cum Christo interim corde: ut cum dies ejus promissus advenerit, sequamur & corpore. Scire tamen debemus, fratres, quia cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria: nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro: ideo si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia vel peccata deponere. Omnes enim quasi quibusdam compedibus nos premunt, & peccatorum retibus nos ligare contendunt: & ideo cum Dei adjutorio, secundum quod ait Psalmista, dirumpamus vincula eorum: (*m*) ut securi possimus dicere Domino: Dirupisti vincula mea: (*n*) tibi sacrificabo hostiam laudis.

SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS. Sedere judicantis est: & quia Redemptor noster assumptus in cœlum, & nunc omnia judicat, & ad extremum Judex omnium veniet, sedere describitur.

INDE VENTURUS JUDICARE VIVOS ET MORTUOS. In ipso corpore venturus est ad judicium, in quo ascendit ad cœlum: Christianos judicaturus & paganos: justos & peccatores: fideles & impios. Omnes enim, ut ait Apostolus, (*o*) astabimus ante tribunal Christi: ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum: quam rem etiam Dominus in Evangelio denunciat, dicens: Filius hominis venturus est in gloria sua, cum Angelis suis: (*p*) & tunc reddet unicuique secundum opera sua. Diligenter, quæso, attendite, fratres: & mecum pariter expavescite: quia non dixit, ut reddat unicuique secundum misericordiam, sed secundum opera: hic enim est misericors, ibi justus. Nam quod non statim in peccatores vindicat, patientia est: non negligentia: non ille potentiam perdidit, sed nos ad potentiam reservavit. Unde valde timendum est, ne quanto diutius spectat, ut corrigamur: tanto gravius vindicet, si emendari noluerimus. Scire & intelligere debemus, fratres charissimi, nihil esse nobis salubrius, quam ut damnatis omnium præsentium rerum voluptatibus, id potius cogitemus, quando erimus de hoc sæculo transituri: vel quando tabernaculum corporis, ultimo die superveniente, deposituri, & iterum illud resurrectionis tempore recepturi: ut cum eodem recipiamus, prout gessimus, sive bonum sive malum: & ideo rogo, fratres, ut quotidie cogitemus, quales erimus in die judicii, purissimis angelorum conspectibus offerendi, & æterno Judici rationem de libris conscientiæ reddituri, remotis omnibus probationibus. Certum est, in die illa, ipsum ante se hominem constituendum: & ipsam sibi vitam in cordis speculo demonstrandam: & testes, contra eam non deforis aliquando, sed intus de ipsa anima, proferendos. Adjicienda erunt non aliqua peregrina, sed nimium nota testimonia: id est, opera sua. Ordinabuntur ante infœlicem animam, peccata vel crimina sua: ut eam & convincat probatio, & confundat agnitio, secundum illud, quod scriptum est: Arguam te: & statuam contra faciem tuam. Quicunque se modo, dum licet, emendare neglexerit: ante illum cœlestem populum, primum excepturus erit, de confusione supplicium: & anima, quæ modo per pœnitentiam compendiosam, transactas peccatorum suorum putredines, curare dissimulat, ante illud tribunal metuendum, sine ullo remedio, in perpetuo Tartaro manebit. Quæ cum ita sit: bene nobiscum ageretur, si jam nunc sic pœniteremus super malis nostris, quomodo tunc sine ullo remedio pœnitebimus, si fœditates & confusiones nostras, quemadmodum tunc visuri sumus, sic jam eas nunc videre & horrere possemus. O si jam faciem nunc peccatricis animæ liceret oculis corporeis intueri, & conscientiæ nostræ vultum, in oculorum præsentiam permitteremur adducere! quod si liceret, nec dici potest, quanto studio, quanto metu urgeremur, fœdata componere, maculata tergere, vulnerata curare: ideoque, quia non possumus oculis corporis: inspiciamus nos, in quantum possumus, oculis cordis: & unusquisque conscientiam suam ante conspectum interioris hominis

(*m*) Psalm. 2. (*n*) Psalm. 115. (*o*) 2. Cor. 5.
(*p*) Matth. 16.

minis constituat : ipsi nosmetipsos castigemus, ipsi nobiscum rationem de quotidiana conversatione faciamus, ipsi nos accusemus quotidie judici nostro , & , dum in carne sumus, contra ipsam carnem , auxiliante Domino, quotidie dimicemus, quod qui fecerit , ab auditu malo liberabitur: qui autem contemnit , quid faciet in illo metuendo judicii die : cum, tremente mundo, Dominus, præcinentibus Angelorum buccinis , in illo Majestatis suæ throno circumdatus cœlestis militiæ luce consederit: ibique de terræ gremio, & antiquo pulvere suscitato humano genere , astante testimonio conscientiæ singulorum , positis in conspectum peccatorum pœnis , justorumque præmiis , rationem vitæ cœperit postulare : & plus jam justus , quam misericors severitate judicis, contemptæ misericordiæ reos cœperit accusare & dicere : Ego te, homo, de limo manibus meis feci : ego terrenis artubus infudi spiritum: ego tibi imaginem nostram , similitudinemque conferre dignatus sum: ego te inter Paradysi delitias collocavi: tu vitalia mandata contemnens , deceptorem sequi , quam Deum maluisti : cum expulsus de Paradyso jure peccati mortis vinculis tenereris, virginalem uterum sine dispendio virginitatis pariendus introivi: in præsepio expositus, & pannis obvolutus jacui: infantiæ contumelias, humanosque dolores, quibus tibi similis fierem , ad hoc , scilicet, ut te mihi similem facerem, pertuli: irridentium palmas & sputa suscepi: acetum cum felle bibi : flagellis cæsus , vepribus coronatus, Cruci affixus , vulnere perfossus : ut tu eripereris morti , animam in tormentis dimisi: en clavorum vestigia, quibus affixus pependi: en perfossum vulneribus latus: suscepi dolores tuos , ut tibi gloriam darem : suscepi mortem tuam, ut in æternum viveres : conditus jacui in sepulchro: ut tu regnares in cœlo. Cur, quod pro te pertuli, perdidisti ? Cur, ingratæ redemptionis tuæ munera renunciasti? non te ego de morte tua quæro : redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi : redde mihi vitam tuam , quam vulneribus peccatorum indesinenter occidis : Cur habitaculum, quod mihi in te sacraveram, luxuriæ sordibus polluisti ? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculasti ? Cur me graviore criminum tuorum Cruce , quam illa in qua quondam pependeram, afflixisti ? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est , in qua invitus pendeo , quam illa, in quam, tui misertus, mortem tuam occisurus, ascendi: cum essem impassibilis, pro te pati dignatus sum : sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem: & quia post omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari. Qui tunc erit stridor dentium, cum Sanctorum multitudine, ad dexteram Regis & ad gloriam segregata : peccati populus, in profundo Tartari, sine ulla miserationis ac veniæ spe demersus, excludi se, tenebris suis a beata Sanctorum luce viderit : & in profundi sinum sine fine descendens, urgente os suum puteo , æterna supplicia, & perpetuam mortem non moriturus aspexerit ? Frustra autem a paupere, quem in hac vita despexit, misericordiam postulabit : frustra extremum Lazari digitum, quo ardens refrigeretur, ardentibus labiis rogabit apponi : quam vellet miser, cum pauperum gloriam viderit, duris quondam paupertatis subjacuisse laboribus, & illa, quæ cum vita morerentur, mala portasse, ne ad illa æterna mereretur supplicia pervenire. Ut ergo tam dura & tam terribilia, ante illud tribunal æterni Judicis non mereamur audire: dum adhuc licet, &, cum Dei adjutorio, in potestate nostra est , consideremus conscientias nostras : & si aliqua crimina vel peccata capitalia, nec dum eleemosynis & orationibus purgata, nobis adhuc dominari cognoscimus, portum pœnitentiæ, devictis peccatorum fluctibus, Christo juvante, festinemus intrare. Et si quid in navicula animæ nostræ, multis tempestatibus, peccatorum fluctibus, aut per superbiam fractum, aut per avaritiam ruptum, aut per luxuriam resolutum esse cognoscimus, componere vel reparare bonis operibus festinemus : studeamus jugiter vitiorum exhaurire sentinam: non enim nocent peccata præterita, si non placent præsentia. Sicut enim nulli justorum sufficit justicia sua, si non perseveraverit usque in finem: ita nulli peccatorum nocere poterit iniquitas sua : si antea quam de corpore isto discedat, ad eleemosynarum remedia, vel ad pœnitentiæ

tentiæ

tentiæ medicamenta confugerit. Sed quia, quando, vel qua hora, de hoc ſæculo rapiamur, ſcire non poſſumus: ſine ulla dilatione vel mora de ſiniſtra fugere feſtinemus ad dexteram. Non ſanitati, non ætati credendum eſt. Non in remedium ſalutis ſuæ, ſemper finis tardandus eſt, qui vitæ ſuæ ſemper incertus eſt: quia qui nos ſecuros facit, dicendo: Peccator, in qua die converſus fuerit: (q) omnes iniquitates illius oblivioni traduntur: ipſe nos etiam cautos voluit, dicens: [r] Nolite tardare converti ad Dominum: ne differatis de die in diem. Convertamur ergo ad meliora, dum in noſtra ſint poteſtate remedia: hic extinguamus mortem, moriendo peccatis: hic vitam, vitæ meritis acquiramus. Hæc ergo, Fratres dilectiſſimi, ſapienter ac fideliter cogitantes, ad pœnitentiæ remedia confugere feſtinemus: & per caſtitatem, vel humilitatem, per opera juſticiæ ac miſericordiæ, æterna nobis apud DEUM comparemus. Sed, ut ad id redeamus, unde digreſſi ſumus: ſequitur in hoc ſancto Symbolo

CREDO IN SPIRITUM SANCTUM: Advertite, quod ſicut in Patrem: ita & in Filium, & in Spiritum Sanctum ſit credendum: nam qui vel in unam de Trinitate perſonam non crediderit: in duabus illi credidiſſe non proderit. Fides namque Catholica, hæc eſt: ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, credamus, & colamus, & confiteamur. Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius: quia ſicut nunquam Pater ſine Filio, nec Filius ſine Patre: ſic & nunquam fuit Pater & Filius ſine Spiritu Sancto. Coæterna ergo eſt Sancta Trinitas, & inſeparabilis unitas: ſine initio & ſine fine. Nihil majus aut minus. Æqualitatem perſonarum dicit: quia Sancta Trinitas æqualis eſt, & una eſt Deitas: Apoſtolo dicente atque docente, Roman 1. Per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: & per creaturam, creator intelligitur: ſecundum has comparationes & alias quam plures. Sol, candor & calor: & tria ſunt vocabula: & trina unum: quod candet, hoc calet, & quod calet, hoc candet. Tria hæc vocabula: res una cognoſcitur: ita Pater & Filius & Spiritus Sanctus, tres Perſonæ in Deitate unum ſunt, & individua unitas recte creditur. Item de terrenis, vena, fons, fluvius: tria hæc vocabula: & tria unum in ſua natura: ita trium perſonarum Patris & Filii, & Spiritus Sancti, ſubſtantia & Deitas unum eſt: neque Patris perſona, neque Spiritus Sancti, ſed ſola Filii ſuſcepit carnem. Et, ut hoc intelligas, comparationibus utar. Certe, ut intelligas ex creatura creatorem, in anima eſt ratio, & cum ſint unum, aliud agit anima, aliud ratio: anima vivimus, ratione ſapimus: ita Pater & Filius & Spiritus ſanctus, cum ſint una ſubſtantia: tota Trinitas operata eſt hominem: quem aſſumpſit non tota Trinitas, ſed ſola perſona Filii. Et licet ipſe Dei Filius, Deus & homo eſſet: homo tantum paſſioni ſubjacuit, ſicut, verbi gratia, videmus arborem, ſplendorem ſolis in ſe habentem: & cum inciditur, videmus, quia ictus ferientis ferri, ſplendorem ſolis excipit, priusquam pertingatur lignum: ſed ſplendor, cum ibi ſit, non poteſt nec incidi, nec a dolente [*] ſeparari. Sic etiam Divinitas nec ſeparari poteſt, nec incidi. Illud autem paſſioni ſubjacuit, quod ſicut lignum & ligari poſſit & teneri: igitur ſicut in Patrem & Filium, ita & Spiritum ſanctum credere debemus. Hæc eſt, chariſſimi, inoffenſa regula veritatis: ut quorum unum eſt, & unum ſunt, a nobis non ſeparentur in terris. Nam ſicut Divinitati nihil de creaturis æquari poteſt: ita omnem diviſionem & inæqualitatem natura Divinitatis excludit. Secundum enim Evangelicam veritatem, ſicut Filius a Patre exivit: ita & Spiritus ſanctus a Patre procedit: & ſicut unigenitus Filius Dei eſt, ita & Spiritus ſanctus Dei eſt: & ſicut Pater, cui vult, miſeretur, & Filius, cui vult, Patrem revelat? ita etiam Spiritus ſanctus & inſpirare legitur, prout vult, & dona cœleſtium gratiarum dividere, prout vult. Unde bene ejusdem Spiritus gratia ſeptiformis a Propheta deſcribitur: quia nimirum & per ejus inſpirationem ad requiem pervenitur, & in ejus plena perceptione ac viſione requies vera poſſidetur: de quo recte promittitur: ipſe vos docebit omnia, quia niſi idem Spiritus cordi aſſit audientis,

(q) Ezech. 3. (r) Eccleſ. 5.

(*) *forte*: dolante.

dientis, ociosus est sermo Doctoris. Nemo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Unde, quia sine eo nihil boni agere possumus, ipso opitulante tales nos reddamus, ad quos Spiritus sanctus advenire, & in quibus habitare dignetur.

SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM. Sciendum est, quod Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debemus, quia Ecclesia non Deus, sed domus Dei est. Catholicam, dicit toto orbe diffusam, quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ, ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque provincias continentur, hæc vero a Solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. Nullæ sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus mundi major substantia, quam est Catholica fides: quæ peccatores homines salvat, cœcos illuminat, infirmos curat, cathechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, Martyres coronat, Clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat: & in æterna hæreditate cum Angelis sanctis communicat. Quisquis ille est, & qualiscunque ille est: Christianus non est: qui in Christi Ecclesia non est. Sola quippe est, per quam sacrificium Dominus libenter accipiat: sola, quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Unde etiam de agni hostia Dominus præcipit, dicens: In una domo comedetis: (s) nec efferetis de carnibus ejus foras. In una namque domo agnus comeditur: quia in una Catholica Ecclesia, vera hostia Redemptoris immolatur. De cujus carnibus Divina jussio efferri foras prohibet: quia dari Sanctum canibus vetat: Sola est, in qua opus bonum fructuose peragitur: unde mercedem denarii, non nisi qui intra vineam laboraverant, acceperunt: Sola est, quæ intra se positos, valida charitatis compage custodit: unde & aqua diluvii arcam quidem ad sublimiora sustulit: omnes autem, quos extra arcam invenit, extinxit: Sola est, in qua mysteria superna veraciter contemplemur: unde ad Moysen Dominus dicit, Exod. 33. cap. Est locus apud me, & stabis supra Petram, & paulo post: Tollam manum meam, & videbis posteriora mea, quia enim ex sola Catholica Ecclesia, veritas conspicitur: apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In Petra Moyses ponitur, ut Dei speciem contempletur: quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, Divinam præsentiam non agnoscit. Avelle, inquit, radium solis a corpore: divisionem lucis unitas non capit: frange ramum ab arbore, fractus germinare non poterit: a fonte præcide rivum, præcisus arescit. In his Cypriani verbis intelligimus, lucem non capere divisionem: nisi in Sanctis regno Dei prædestinatis, qui dividi ab Ecclesia nullo modo possunt: & non germinare ramum fractum salutis æternæ germine accipimus, ariditatem vero rivi, a fonte præcisi, in eo quod Spiritu Sancto evacuantur, qui ab unitate separantur, agnoscimus.

SANCTORUM COMMUNIONEM, id est, cum illis Sanctis qui in hac, quam suscipimus, fide defuncti sunt, societate & spei communione teneamur. Si igitur cum Sanctis in æterna vita communionem habere volumus, de imitatione eorum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid recognoscere de suis virtutibus, ut pro nobis dignentur Domino supplicare. Si enim tormenta, quæ Sancti pertulerunt, ferre non possumus: vel contra malas concupiscentias, ipsis intercedentibus, repugnemus. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob occisi sunt: & tamen fidei & justitiæ meritis honorati, inter Patriarchas primi esse meruerunt: ad quorum convivium congregatur, quisquis fidelis, & justus, & laudabilis invenitur. Unde & nos, fratres charissimi, etiamsi nil tale perpetiamur, si non vincula, non verbera, non carceres, non supplicia corporis alia, nullam hominum persecutionem propter justitiam toleramus: societatem tamen Sanctorum obtinere valebimus, si castigare corpus nostrum, & servituti subjicere curamus: si in spiritu humilitatis & in anima contrita, Domino supplicare assuescimus: si illatas a proximo contumelias, placida mente suscipere satagimus: si & eos, qui nos odio habent, qui

(s) Exod. 12.

qui injurias nobis inferunt, diligere, his benefacere, & pro horum vita & sospitate gaudeamus exorare: si cum virtute patientiæ, bonorum quoque operum fructibus adornari contendimus. Taliter etenim conversantibus nobis, & corpora nostra, juxta Apostoli vocem, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibentibus, cœlesti dignatione donabimur: ut communi cum eis, qui membra sua in mortem pro Domino dederunt, gloria remuneremur: quia sicut mors illorum, sic & vita nostra preciosa sit in conspectu Domini: diruptisque vinculis carnis & ipsi atria supernæ Civitatis intrare, atque inter choros beatorum Martyrum, vota gratiarum, Redemptori nostro reddere merebimur. Hæc sunt vestigia, quæ nobis sancti quique revertentes in Patriam reliquerunt: ut illorum semitis inhærentes, sequeremur ad gaudia, cur non properamus & currimus, ut patriam nostram videre possimus? Magnus illic charorum numerus expectat: parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute solicita: ad eorum complexum & conspectum venire, quanta illis & nobis in commune lætitia est? Illic Apostolorum gloriosus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus insignis: ibi Martyrum populus innumerabilis ob certaminum victoriam coronatur: illic clarissima Virginum turba lætatur: illic etiam Confessorum fortitudo laudatur: sed etiam illorum remuneratio censetur, qui præcepta Dominica servantes, ad cœlestes Thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse: cum Beatissimis Spiritibus, gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Ad hos electos Dei avida cupiditate properemus: ut cum his cito esse, & cito nos ad Christum convenire contingat: ad eum, quem hujus itineris ducem habemus, salutis autorem, lucis Principem, lætitiæ largitorem.

REMISSIONEM PECCATORUM. Credenda est præcipue, fratres, peccatorum remissio: quia hoc unum remedium est, quod hominum genus, a sententia perpetuæ mortis absolvat. Idcirco unigenitus Altissimi dignatus est, carnem assumere: contentus est Cruce, ut te, qui crimina tua evadere non poteras, indulgentia faceret innocentem: ideo immaculatus occisus est agnus, ut ejus cruore, humani generis macula tergeretur. Miror autem quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam: aut pœnitentibus existiment veniam denegandam: cum scriptum sit, Memento unde excideris, & age pœnitentiam: (t) & fac priora opera. Utique ei dicit, quem constet excidisse, & quem Dominus hortatur per opera rursus exurgere: quia scriptum est: Eleemosyna a morte liberat: (u) & non utique ab illa morte, quam semel Christi Sanguis extinxit, & a qua nos salutaris Baptismi & Redemptoris nostri gratia liberavit, sed ab ea, quæ per delicta postmodum surrepsit. Nam cum scriptum sit, Dominus mortem non fecit: (x) nec lætatur in perditione vivorum, utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo & per Johel Prophetam clamat & dicit: (y) Et nunc dicit Dominus Deus vester: Revertimini ad me ex toto corde vestro, simulque in jejunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: & revertimini ad Dominum Deum vestrum: quia misericors & pius est, & patiens, & multæ miserationis: & qui sententiam flectat adversus malitiam irrogatam. Dominus quoque in Evangelio pietatem Dei Patris ostendens, ait: (z) Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem postulaverit, nunquid serpentem illi porrigit? Si ergo vos, cum sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum, petentibus eum? Com-

(t) Apoc. 2. (u) Tob. 4. (x) Sap. 1.
(y) Joel. 2. (z) Matth. 7.

Comparat hic Dominus carnalem Patrem, & Dei Patris æternam largamque pietatem. Quod si iste in terris nequam Pater offensus graviter a filio peccatore & malo: si tamen eum postmodum viderit reformatum, & depositis prioris vitæ delictis, ad sobrios & bonos mores, ad innocentiæ disciplinam, pœnitentiæ dolore correctum, gaudet & gratulatur: & susceptum, quem ante perdiderat, cum voto paternæ exultationis amplectitur: quanto magis unus ille & verus Pater bonus, misericors, pius, imo ipsa bonitas, & misericordia, & pietas, lætatur in pœnitentia filiorum suorum: nec iram pœnitentibus aut plangentibus & lamentantibus, nec pœnam comminatur: sed veniam magis & indulgentiam pollicetur. Si enim tantum potuit Diabolus, ut de excelsis virtutum fastigiis in profundum te duceret malorum: quanto magis poterit Deus te ad summum bonorum verticem revocare: & non solum in id revocare, quod fuisti, sed & beatiorem multo, quam prius videbaris, efficere? Tantum ne concidas animo: neque spem tibi abscidas bonorum: ne quæso, accidat tibi, quod impiis solet. Non enim peccatorum multitudo adducit in desperationem, sed impietas: & propterea Salomon non dixit: quia omnis, qui venerit in profundum malorum, contemnit: sed impius, inquit, si venerit in profundum malorum, contemnit. Impiorum ergo est desperare salutem, & contemnere, cum in profundum venerint malorum: non peccatorum. Impietas enim non finit eos ad Deum respicere, & illuc redire, unde dilapsi sunt. Ista ergo cogitatio, quæ spem conversionis abscidit, ab impietate descendit: & sicut lapis gravissimus, cervicibus animæ incumbens, semper eam deorsum in terram cogit aspicere: ad Deum vero suum oculos non finit levare. Sed virilis animi est, & præclaræ mentis, dejicere a cervicibus animæ suæ inimicum pondus: imo deprimentem se diabolum abjicere, & imperare animæ suæ: ut canens verba Prophetica dicat ad Dominum: sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum: & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi nostri, ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri Domine: miserere nostri: quia multum repleti sumus, inquit, despectione: Præclara vere in his verbis & cœlestis Philosophiæ doctrina est: Repleti sumus, inquit, despectione: hoc est, quod docere nos voluit: quia, etsi peccatorum nostrorum multitudine repleti sumus despectione, atque opprobriis cooperti: oculi tamen nostri ad Dominum Deum nostrum sint, donec misereatur nostri: nec prius ab obsecratione cessemus, quam impetrare peccatorum veniam mereamur: hoc enim vere constantis animæ est, & pertinacis, ut nequaquam repellatur de perseverantia poscendi desperatione impetrandi: sed perseveret ac persistat in obsecrationibus, donec misereatur ei. Et ne forte arbitreris te offensam magis contrahere apud Deum, si, cum non merearis audiri, importunus persistas in precibus: recordare Evangelii parabolam, & ibi invenies, quod perseverantes & importunos peccatores, Dominus non sibi ostendit ingratos: ait enim, Et si non dabit ei, propter quod amicus ejus est, (a) propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit, quantum opus habet. Intellige, charissime, ergo: quia propterea diabolus desperationem subjicit impetrandi, ut spem bonitatis Dei nobis abscindat, quæ est dux itineris, quo itur ad cœlum. Sicut autem pro morte communi Philosophicum est, a lachrymis temperare: ita in animæ morte consolationem recipere & insipiens, & irreligiosum duco: quinimo & ignaviæ nos arguendos puto, si, cum lamentatores corporum, mortisque communis, tam dure & tam vehementer hoc faciant, cum sciant & certi sint, nihil prodesse fletus suos, ad vitam defuncti: nos nihil tale pro animæ lamentatione faciamus, quam restitui in statum suum per pœnitentiam noverimus. Scimus enim plures prolapsos ab itinere recto, & præcipitatos ab ingressu viæ angustæ: & ita rursus reparatos esse: ut posterioribus priora transierint, atque ad palmam pervenerint & coronam, numeroque rursus & choro ascripti credantur esse Sanctorum. Et nolo putes, quia de his sermo mihi sit tantum, qui in paucis & levibus

(a) Luc. 11.

levibus peccaverunt, de illo loquor, qui omnibus ſuccubuit malis, qui immanitate ſcelerum viam ſibi excluſerit regni cœlorum, & non de infidelibus, ſed de fidelibus fuerit, & ex his, qui prius placuerunt Deo: poſthæc autem ceciderunt, vel in adulteria, vel in omnes impudicitias: quæ, ut Apoſtolus ait, Turpe eſt dicere. Nunquam enim ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſyncere & ſimpliciter offeratur, ſuſcipit, libenter accipit, amplectitur, facit omnia, quatenus eum ad priorem ſtatum revocet: quod, quia eſt adhuc præſtantius & eminentius, etiamſi quis non potuerit explere omnem ſatisfaciendi ordinem: quantulamcunque tamen & quamlibet brevi geſtam non reſpuit pœnitentiam: ſuſcipit etiam ipſam, nec patitur quamvis exiguæ converſionis, perire mercedem. Hoc enim mihi videtur indicare Eſaias, ubi de populo Judæorum quædam talia ait, capite 54. Propter peccatum modice contriſtavi te, & percuſſi te: & averti faciem meam a te: & contriſtatus es, & ambulaſti triſtis, & conſolatus ſum te. Hæc igitur habentes exempla pœnitentiæ, non perſeveremus in malis: nec deſperemus reconciliationem: ſed dicamus, Etiam nos redeamus ad Patrem, & approximemus Deo: nunquam, crede mihi, averſabitur ad ſe converſum, ipſe enim dicit, per Prophetam Eſaiam cap. 59. Deus adpropians ego ſum: & non Deus de longe. Et iterum per eundem Prophetam, Peccata, inquit, ſeparant inter me & vos. Si ergo peccata ſunt, quæ nos ſeparant a Deo: auferamus medium iſtud obſtaculum, & nihil eſt, quod nos prohibeat conjungi Deo. Propterea enim creavit nos Deus, & eſſe nos fecit, qui non eramus, ut æterna in nos conferat bona, & præſtet regna cœlorum. Non enim nos ad hoc fecit, ut gehennæ nos tradat, ignique perpetuo. Regnum cœlorum propter nos: gehenna propter diabolum facta eſt. Et hæc ita eſſe, ex Evangeliis doceam. Ipſe enim Dominus dicit his, qui a dexteris ejus erunt, Matthæi cap. 25. Venite benedicti Patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt, ab origine mundi: illis autem, qui a ſiniſtris ejus erunt, dicet: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Si ergo gehenna ignis propter diabolum: propter hominem autem regnum cœlorum, a conſtitutione mundi præparatum eſt: tantum eſt, ne nosmetipſos ab ingreſſu bonorum perſiſtendo in malis pertinaciter excludamus. Donec enim ſumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata, poſſibile eſt omnia ablui per pœnitentiam: cum autem abducti fuerimus ab hoc ſæculo: ibi jam, etiamſi pœnitebit nos: valde enim nos pœnitebit, ſed nulla erit utilitas pœnitentiæ: & licet ſit ſtridor dentium, licet ululatus & fletus, licet fundamus preces, & innumeris obſecrationibus proclamemus, nemo audiet: nemo ſubveniet: nec extremo quidem digito aquam quis infundet, linguæ noſtræ, poſitæ in flammis: ſed audiemus illud, quod dives ille audivit ab Abraham: quia Chaos magnum firmatum eſt inter nos & vos: & neque hinc illuc tranſire quis poteſt, neque inde huc. Reſipiſcamus ergo tandem: & recordemur, quid profuerit illis, qui luxuria corporis, & præſentis vitæ voluptatibus, uſque ad diem ultimum permanſerunt. Intuere nunc ſepulchra eorum: & vide, ſi eſt in eis aliquod jactantiæ ſuæ veſtigium: ſi aliqua divitiarum vel luxuriæ ſigna cognoveris. Require nunc ubi veſtes & odoramenta peregrina: ubi ſpectaculorum voluptas: ubi aſſeclarum turbæ. Et conviviorum ceſſit opulentia: riſus, jocus & immoderata & ineffrœnata lætitia, quo abiit, quo abceſſit? Ubi illa nunc, & ubi ipſi? quis finis utrorumque? Intuere diligentius, & accede propius ad ſingulorum ſepulchra. Vide cineres ſolos, & vermium fœtidas reliquias: & recordare hunc corporum eſſe finem, etiamſi in delitiis & lætitia, ſi in labore & continentia, tranſegerint vitam. Nam ſi res omnis, omniſque cauſa uſque ad cineres veniret & vermes, parva penderentur hæc damna, & quæ facile poſſit excuſare naturæ conditio: nunc autem converte tuos oculos ab iſtis cineribus & ſepulchris, & revoca cogitationem tuam ad illud Divini judicii tribunal horrendum, quod ardens fluvius flammeis ambit fluentis, ubi fletus & ſtridor dentium: ubi tenebræ exteriores: ubi ille vermis conſcientiæ, qui nunquam moritur: & ignis, qui nunquam extinguetur.

Recordare parabolam Lazari, & divitis illius, qui opum tantorum Dominus: qui purpura indutus & bysso, unam nunc aquæ guttam invenire non potuit: cum esset in ardoris necessitate constitutus.

Dic, quæso te, quid plus habet vita ista, quam somnium? Sicut enim hi, qui in metallis constituti, vel condemnati, vel in alia qualibet pœna positi: cum forte post multum duræ vitæ, paululum relaxati fuerint in somnum: & vident se inter plures dapes positos, epulis copiosissimis perfrui: ubi vero surrexerint, nihil sibi gratiæ, delectatione somnii invenerint resedisse: ita & dives ille quasi somnium habuit hujus vitæ: ubi discessit, nihil cum illo, nisi præteritorum pœnitudo, & præsentium pœna permansit. Hæc recordare: & ignem illum gehennæ, his, qui se nunc exagitant flammis libidinis & cupiditatis, oppone. Ignis hic, qui in præsenti est vita, absumit cuncta, quæ recipit: ille vero, quos susceperit, semper cruciat, & pœnæ suæ semper integros servat. Propterea enim & inextinguibilis dicitur, non solum, quia ipse non extinguitur: sed quia nec eos, quos susceperit, extinguet, aut perimet. Scriptura enim dicit: quia & peccatores induant incorruptionem: scilicet, non ad honorem vitæ, sed ad diuturnitatem supplicii profuturam: hujus autem pœnæ & ignis illius potentiam, nulla vox exponere: nullus poterit sermo explanare. Nihil enim est, rebus corruptibilibus, quod conferri possit incorruptibilibus, sive bonis, sive malis. Ibi quid agemus? quid respondebimus? Nihil erit, nisi stridor dentium, nisi ululatus & fletus, & sera pœnitentia, cessantibus undique auxiliis, & undique invalescentibus pœnis: sed solatium quidem nullum: nullus ibi occurret oculis nostris, nisi soli pœnarum ministri, & facies dira tortorum. Verum has pœnas, hos cruciatus non solum evadere, sed etiam æternam beatitudinem, si modo de malis nostris pœnitentiam agimus, possumus acquirere. Vides, quanta est virtus pœnitentiæ? vides, quantum meriti conversio reparavit? (b) Corrumpitur autem pœnitentia, si eisdem quis, pro quibus confitetur, rursus involvatur malis. Unus enim, inquit, ædificans, & alius destruens, quid consequentur, nisi laborem? & qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit in lavacro suo? ita & homo, qui jejunat pro peccatis suis, & iterum vadit, & eadem agit, orationem ejus quis exaudiet? Et iterum dicit: Qui redit a justicia ad peccatum, Dominus præcipitat eum in gladium: (c) & sicut canis cum revertitur ad vomitum, odibilis fit: ita & stultus cum revertitur ad peccatum suum. Sed nunc, quid dicamus, ausculta: Sæpe accidit, ut per pœnitentiam quis multa & magna correxit, inter hæc tamen bona, quæ per pœnitentiam correxit, & peccata commisit, & hoc est, quod maxime desperationem inducit animo, quia videtur hic destruxisse, quod ædificaverat, & omnes illos labores inaniter effudisse: & hæc est cogitatio, quæ præcipue animæ, pondus desperationis imponit. Sed illud rursus oportet cogitari, per quod pessima & inimica vitæ nostræ cogitatio ista repellatur: quia illa bona, quæ egimus, & emendatio illa, quæ per pœnitentiam quæsita est, nisi fuisset: & velut contrarium pondus, ponderi huic, quod ex peccato nobis introductum est, obstitisset: nihil fuerat, quod in profundum malorum nos decidere prohiberet: nunc autem sicut fortis quædam lorica, jaculum grave & amarum non permisit usque ad vitalia viscerum penetrare: sed vim lethalis teli maximam fregit. Certum est enim, quia qui fert secum illuc, plura opera bona, & plura opera mala, in ipsis pœnis habebit aliquid refrigerii: qui autem bonorum operum nihil habet, malorum autem secum multam copiam defert: quid eum maneat, non opus est dicere: erit enim ibi, sine dubio compensatio bonorum, malorumque: & velut in statera posita utraque pars: quæ demerserit, illa sibi eorum, quo momentum vergitur, operarium vendicabit: si ergo malorum multitudo superaverit, operarium suum pertrahit ad gehennam: si vero majora fuerint opera bonorum, summa vi obsistent & repugnabunt malis: atque operatorem suum ad regionem vivorum, ex ipso etiam gehennæ confinio revocabunt. Hæc ergo, Fratres charissimi, si attentius volue-

(b) Eccl. 34.

(c) Prov. 26.

voluerimus cogitare, remedia nobis in die neceſſitatis acquiramus: ut, cum dies judicii venerit, non cum impiis & peccatoribus puniamur: ſed cum juſtis & Deum timentibus, ad æterna præmia, feliciter veniamus, Amen.

Confeſſio veræ Fidei ex Auguſtini libro Soliloquiorum animæ, ad Deum, Capite XXXII.

GRatias tibi ago lux mea: quæ illuminaſti me, & cognovi te. Qualiter cognovi te? Cognovi te ſolum Deum vivum, & creatorem meum: cognovi te creatorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium, Deum verum omnipotentem, immortalem & inviſibilem: incircumſcriptibilem, interminabilem, æternum, inacceſſibilem, incomprehenſibilem, imperſcrutabilem, incommutabilem, immenſum, infinitum: Principium omnium viſibilium & inviſibilium creaturarum: per quem omnia facta ſunt: per quem cuncta ſubſiſtunt elementa: cujus Majeſtas, ſicut principium nunquam habuit, ſic nec deſinet in æternum. Cognovi te unum ſolum verum Deum: æternum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: tres quidem perſonas, ſed unam eſſentiam, omnino ſimplicem, indiviſamque naturam: & Patrem a nullo: Filium a Patre ſolo: & Spiritum ſanctum pariter ab utroque, absque initio, ſemper & ſine fine Deum trinum & unum, ſolum & verum Deum omnipotentem: unum univerſorum principium: creatorem omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritalium & temporalium: qui tua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſti creaturam, ſpiritalem & corporalem: angelicam, videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem ex corpore & ſpiritu conſtitutam: Cognovi te, & confiteor te Deum Patrem, ingenitum: te filium, a Patre genitum: te Spiritum ſanctum, Paracletum: neque genitum, neque ingenitum: ſanctam & individuam Trinitatem, in tribus coæqualibus perſonis conſubſtantialibus & coæternis: Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, (*d*) corde credens ad juſtitiam, & ore confitens ad ſalutem. Cognovi te verum Deum & Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum: Filium DEI unigenitum: Creatorem, Salvatorem & Redemptorem meum, & totius humani generis: quem confiteor ex Patre genitum ante ſæcula: Deum, de Deo: lumen de lumine: Deum verum, de Deo vero: non factum, ſed genitum, conſubſtantialem & coæternum Patri & Spiritui ſancto, per quem omnia facta ſunt a principio: firmiter credens & veraciter confitens te Deum unigenitum, Jeſum Chriſtum, propter ſalutem hominum a tota Trinitate communiter incarnatum: & ex Maria, perpetua Virgine, Spiritus ſancti cooperatione conceptum: verum hominem factum: ex anima rationali & humana carne ſubſiſtentem: qui, cum ſecundum Divinitatem unigenitus DEI impaſſibilis ſis, pariter & immortalis: propter nimiam dilectionem tuam, qua dilexiſti nos, idem ipſe Dei Filius ſecundum humanitatem factus es paſſibilis & mortalis: qui propter ſalutem humani generis, unice Fili Dei, in ligno Crucis pati dignatus es paſſionem & mortem: ut nos a morte perpetua liberares, atque ad inferos, ubi ſedebant in tenebris Patres noſtri, autor luminis deſcendiſti: & die tertia glorioſus victor ab inferis ad ſuperos reſurrexiſti, reſumens ſacrum Corpus, quod pro peccatis noſtris mortuum jacuerat in ſepulchro: & vivificans, ſecundum ſcripturas, die tertia: ut ipſum in Patris dextera collocares. Aſſumpta namque tecum ex inferis captivitate, quam captivaverat antiquus hoſtis, humani generis inimicus: Verus Dei Filius, cum noſtræ carnis ſubſtantia: id eſt, cum anima & carne humana, ex Virgine glorioſa aſſumpta, ſuper omnes cœlos aſcendiſti, tranſcendens omnes ordines Angelorum. Ubi ſedes ad dexteram Dei Patris: ubi eſt fons vitæ & lumen inacceſſibile, & pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum: ibi te, verum Deum & hominem, Jeſum Chriſtum adoramus & credimus, confitentes te Patrem habere Deum: indeque venturum Judicem in fine ſæculi expectamus, ut judices vivos & mortuos, & reddas omnibus, bonis & malis, ſecundum opera ſua, quæ operati ſunt in hac vita: vel præ-

(*d*) Rom. 10.

præmium, vel ſupplicium, prout unusquisque dignus fuerit requie vel ærumna. Reſurgent enim in illa die a voce virtutis tuæ, omnes homines, quotquot humanam animam acceperunt in carne ſua, quam hic habuerunt: ut totus homo pro meritis, vel gloriam ſuſcipiat, vel gehennam. Tu es ipſa vita & reſurrectio noſtra: quem (e) Salvatorem expectamus, Dominum Jeſum Chriſtum: qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Cognovi te Deum & unum, Spiritum ſanctum, Patris & Filii, ab utroque pariter procedentem: conſubſtantialem & coæternum Patri & Filio: Paracletum & Advocatum noſtrum, qui ſuper eundem Deum & Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum (f) in columbæ ſpecie deſcendiſti: & ſuper Apoſtolos (g) in linguis igneis apparuiſti: qui & omnes Sanctos & electos Dei a principio, tuæ gratiæ munere docuiſti: & ora Prophetarum, ut enarrent mirabilia Regni Dei, aperuiſti: qui ab omnibus Sanctis Dei cum Patre & Filio ſimul adoraris & conglorificaris: inter quos & ego, filius ancillæ tuæ, toto corde meo glorifico nomen tuum, quoniam illuminaſti me. Tu enim es vera lux: lumen veridicum: ignis Dei & Magiſter Spirituum: qui unctione tua, doces nos omnem veritatem: Spiritus veritatis, ſine quo impoſſibile eſt placere Deo, quoniam tu ipſe Deus es ex Deo: & lux, de luce: procedens a Patre luminum ineffabiliter, & a ſuo Filio Domino noſtro Jeſu Chriſto, quibus conſubſtantialis, & coæqualis, & coæternus exiſtens, in unius Trinitatis eſſentia, ſuper eſſentialiter congloriaris & conregnas. Cognovi te unum Deum: vivum & verum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: trinum quidem in perſonis, ſed unum in eſſentia: quem confiteor, adoro & glorifico toto corde meo verum Deum, ſolum ſanctum, immortalem, inviſibilem, immutabilem, inacceſſibilem, inperſcrutabilem: unum lumen, unum ſolem, unum panem, unam vitam, unum bonum, unum principium, unum finem, unum creatorem cœli & terræ: per quem omnia vivunt: per quem omnia ſubſiſtunt, per quem omnia gubernantur, reguntur & vivificantur, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris, & quæ ſub terra: præter quem non eſt Deus in cœlo & in terra. Sic cognovi te, Domine Deus: cognitor meus, ſic cognovi te. Cognovi te per fidem tuam, quam inſpiraſti mihi, lux mea, lumen oculorum meorum Domine Deus meus: ſpes omnium finium terræ: gaudium, lætificans juventutem meam: & bonum, ſuſtentans ſenectutem meam: In te enim, Domine, jubilant omnia oſſa mea: dicentia Domine, quis ſimilis tibi? (h) quis ſimilis tibi in Diis, Domine? non quem fecit manus hominum: ſed qui feciſti manus hominum. (i) Simulachra gentium, argentum & aurum: opera manuum hominum: non ſic operator hominum. Omnes Dii gentium, Dæmonia: Dominus autem cœlos fecit: Dominus ipſe eſt Deus. (k) Dii, qui non fecerunt Cœlum & Terram, pereant de cœlo & de terra: Deum, qui creavit cœlum & terram, cœlum & terra benedicant.

De Doctrina, & quomodo Verbum Dei, populo annunciandum ſit.

CAPUT II.

STatuimus inſuper in hac Synodo, ut juxta Reformationis tenorem, verbum Dei ſingulis Dominicis & Feſtis diebus, pure, ſyncere & fideliter, juxtaque Catholicæ Eccleſiæ & Sanctorum Patrum interpretationes & declarationes populo proponatur, & annuncietur: Utque in principio, vel fine concionis, vel etiam lecto Evangelio (prout unicuique Parocho, ratione loci, plebis, aliarumque circumſtantiarum, commodius videbitur) ex ordine recitentur, Precatio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum Apoſtolicum, & Decalogus: (l) ut hac prælegendi conſuetudine obſervata, Chriſtianæ Religionis principia ac elementa facilius addiſcantur, & memoriæ commendentur: præſertim, cum hactenus adulti, & ſtatæ ætatis homines reperti

(e) Philip. 3. (f) Matth. 3. (g) Actor. 2.
(h) Pſal. 85. Pſal. 118. (i) Pſal. 95. (k) Hier. 10.
(l) Ex Concilio Remenſi capit. 8. & ex Concilio Cabil. cap. 4.

perti sint, quibus hæc ignota fuerint. Adhæc volumus, ut per anni circulum, certisque temporibus prædictorum omnium, Christiana, brevis, & succincta subsequatur expositio, quo in Ecclesiis nostræ Diœcesis, compendiosa Christianæ Religionis, Catechesis, & Epitome, pro informatione juniorum perpetuo habeatur. Atque hæc facile ex Ss. Patrum scriptis & homiliis, vel etiam ex institutione Christianæ doctrinæ, quæ Coloniæ in Concilio Provinciali superioribus annis promulgata est, colligi poterit: id quod Concionatorum studio & industriæ committimus. (m) Hortamur autem omnes in Domino, ut in Concionibus, lectione Evangelica & Epistolari recitata, bono ac convenienti docendi, dividendi, & distinguendi utantur ordine: & ne nimium occupati sint, intempestivis, prolixis, peregrinis, & longe petitis præfationibus, ac exordiis, sed simplicitati studeant, & cuncta juxta Pauli doctrinam, magis ad auditorum ædificationem, quam ad proprii ingenii ostentationem, accommodent. Atque ea simplicitas & ratio observetur etiam in quæstionibus ipsis, & materia si quæ occurrerit explicanda: neque enim proderit in publicis templis, & populari theatro tales proponere & excutere quæstiones, ex quibus plus dissensionis, & scandali, quam pietatis vel pacis, tranquillitatis & concordiæ exoritur. In quanta enim pericula hæc concionandi libertas, ac intempestivæ, parumq; sobriæ Concionatorum & Theologorum disputationes Ecclesiam Dei conjecerint, præsentis temporis status declarat. Quare D. Gregorius, (n) Rectorem discretum esse vult in silentio, & utilem & cautum in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Et cum in Sacerdotibus & Rectoribus tria potissimum requirantur: primo, [o] ut pro Ecclesiæ salute indesinenter orent: secundo, ut legendo & meditando sacras Scripturas verum & rectum earum intellectum a Deo consequantur: tertio, ut ea, quæ a Deo didicerint, populo fideliter & syncere tradant & communicent; Quapropter omnis adhibenda est cura, ne quid ex proprio cerebro, vel humano sensu proponant, aut adjectionibus, aut detractionibus, ad dispositionem proprii instituti, id quod Tertullianus (p) Hæreticorum esse asserit, intervertant, aut diversis expositionibus contaminent: Sed ea, quæ Spiritus sanctus revelaverit, & docuerit, docendo & concionando proferant, ac sermones Dei, juxta Petri Apostoli doctrinam loquantur: (q) gregem pascendo, secundum Domini Præceptum: non coacte, sed spontanee, neque turpis lucri causa, sed voluntarie, neque ut dominantes, sed forma facti gregis ex animo: ut cum appareat Princeps, percipiant immarcessibilem gloriæ coronam. Item, quemadmodum idem Apostolus in alio loco ait: (r) Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia scripturæ, propria interpretatione non fit, cum ex humana voluntate aliquando allata non sit, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sint sancti Dei homines, &c. Modesti item sint in redarguendis viciis publicis: nihil privatis affectibus, nihil odio, nihil livori tribuentes: sed reprehendendo ita temperent, ita mitigent, & moderentur cuncta, ut populus Concionatoris candorem, verumque pietatis affectum, ac officii rationem agnoscat, deprehendat, &, ut Augustinus monet, (s) ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur: & ut idem in alio loco: non ergo aspere, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: sed magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando: Sic enim ait vir magnus, esse cum multitudine peccantium agendum: Severitatem autem exerceri vult in peccata paucorum. Ut si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futuram. Quæ omnia integre recitamus, ut Parochorum, præsertim imperitiorum, judicia, in corrigendis

(m) Legantur quoque recentiorum lucubrationes, Institutio Moguntina: Confessio Polonica, ac Catechismus Episcopi Mersburg. & aliorum libri. *Notatio editoris hujus Synodi.*

(n) Cap. Sit Rector. 43. dist.

(o) Hieron. super Levit. & refertur Canon. Siquis. dist. 36.

(p) Tertul. in lib. de Præscript. hæreticorum.

(q) 2. Pet. 5.

(r) 2. Pet. 1.

(s) August. ad Aurium Epi. c. Si quis. dist. 36. c. Licet. Sunt namque. c. Recedite. dist. 45.

gendis viciis publicis, ejusmodi ſanctorum Patrum dictis ac teſtimoniis (t) formentur. Diligenter autem animadvertant, cujusmodi peccatis, cujusmodi flagitiis & delictis infectus ſit, & contaminatus populus: num hæreſes regnent: num addictus ſit ſuperſtitionibus, & cujusmodi: num utantur ſortilegiis, divinationibus, incantationibus, aliisque præſtigiis, & dæmonum illuſionibus: num dominentur adulteria, fornicationes, ſcortationes, ſtupra, illiciti coitus, furta, avaritia, uſuræ, ebrietas, crapula, blasphemiæ: quæ ita abominentur, & deteſtentur, ut populus vere peccati magnitudinem, ac iræ Divinæ ultionem & vindictam, commemorando aliarum gentium exempla, tanquam ob oculos perſpiciat & cognoſcat.

Et quanquam Prælatorum, aliorumve Magiſtratuum exceſſus, in genere reprehendendi ſint: tamen ei ita moderari convenit, ne immoderata, & invidioſa exceſſuum, vitæ & morum reprehenſio ac examinatio, Eccleſiaſticarum rerum, officiorumque & perſonarum, quæ publicis functionibus præſunt, contemptum, & apud ſubditos inobedientiam pariat: quin potius a verbi miniſtris, prudenter, & circumſpecte, officiorum & ſtatuum ratio conſideranda & perpendenda eſt. Et quemadmodum Nicolaus Papa, Michaeli Imperatori reſpondet, (u) non quales Sacerdotes Domini, Vicariique Apoſtoli Petri ſint, curioſe inquirendum: ſed quid de Domino loquantur, magnopere providendum: attendendumque: quid pro correctione Eccleſiarum, pro ſalute & utilitate noſtra, in medium proferant, ac producant. Quare ſubinde adhortandus eſt populus, ut continuis, & ardentiſſimis precibus Deum imploret & deprecetur: ut præſidentium conatus, conſilia, gubernandique rationem, in Eccleſiæ ſuæ, Imperiorum, rerum publicarum, ſubditorum, & totius Chriſtianiſmi ſalutem, utilitatem, pacem & tranquillitatem dirigat & convertat: utque non tam Gubernatorum & Præſidentium vitia, quam propria ipſorum peccata, conſideret, incuſet, & intueatur: quorum intuitu juxta ſcripturam, (x) Mali aliquando dantur Principes, & Magiſtratus: Nam, ut inquit Hieronymus, non Princeps populo, & Judex Eccleſiæ, per Dei arbitrium datur: ſed prout merita noſtra depoſcunt. Si mali ſunt actus noſtri, & operamur maligna in conſpectu Dei, tunc dantur nobis Principes, ſecundum cor, & peccata noſtra: quare, ut ſupra dictum, in concionibus publicis, crebro admonendus eſt populus, ut pro Principibus, & Magiſtratibus, proque communi neceſſitate, juxta Divi Pauli exhortationem, Deum ſedulo implorent. Volo, inquit, Apoſtolus, (y) ut fiant primum obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Et videmus hoc precandi ſtudium in congregationibus Chriſtianorum, a ſanctis Patribus diligentiſſime ſemper obſervatum eſſe. Chryſoſtomus alibi inquit. Orandum pro terrarum orbe, pro Eccleſia, quæ ad terrarum terminos extendatur, & pro gubernantibus ipſam, & Præſidentibus. Et Tertullianus affirmat, (z) Chriſtianos pro omni neceſſitate preces fudiſſe, cum precarentur pro Imperatoribus, ut vitam prolixam, Imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum: & quæcunque hominis, & Cæſaris vota eſſent, haberent, & a Deo conſequerentur. Habenda eſt & ratio (a) miſerabilium perſonarum, pauperum, leproſorum, viduarum, orphanorum, quorum egeſtas, penuria & neceſſitas, in Concionibus diligenter populo proponenda & commendanda eſt: ne charitatis opera, aliaque pietatis exercitia & ſtudia, frigeſcant. In fine autem Concionis, loco Epilogi, breviter & ſuccincte, ſumma capita concionis recolligantur, inque faſciculum redigantur, quo auditorum memoriæ & utilitati conſulatur & proſpiciatur.

Debent

(t) Ex Concil. Cabilon. c. 4.
(u) c. Non quales Sacerdotes. 1. q. 1.
(x) Prov. 28. Eſaiæ 3. Job. 14.
(y) 1. Timot. 2. Et eſt Decretum Concil. Aurel. c. 3.
(z) Tertull. in Apologetico contra gentes. c. 30.
(a) Ex Concil. Aurel. c. 4.

Debent insuper Parochi, ac Concionatores verbi, ardentissimis votis & precibus a Deo subinde petere & precari, ut aperiat ipsis ostium sermonis ad loquendum (ut inquit Paulus) (b) mysterium Christi syncere: utque manifestetur illud, ita ut oportet: cum fiducia, sine timore, non propter invidiam, non propter contentionum studia: non lucri, non quæstus, non inanis gloriæ causa, sed ex bona voluntate, synceroque charitatis affectu, ad solidam Ecclesiæ Christi ædificationem & extructionem: in hoc inprimis soliciti, ut conservetur unitas Spiritus in vinculo pacis: cum omnes (c) unum corpus in Christo, & unus spiritus simus, vocati in una spe vocationis: & ne in hoc corpore sint, aut propter mutuas æmulationes reperiantur, vel nutriantur schismata, Christianæque charitatis vincula vel lædantur, vel penitus dissolvantur. Excitandus quoque est populus, ut & ipse communis propriæque salutis causa Deum sedulo interpellet, ut dignos operarios in messem suam extrudat, talesque, qui se probatos Deo exhibeant, operarios non erubescendos, recte secantes sermonem veritatis, ne inani & fucatæ pietatis, religionisque persuasione decepti, falsa pro veris, adulterina pro syncceris amplectantur.

Cæterum, modum concionandi, & quomodo in omnibus sese gerere debeat Ecclesiastes bonus & pius, ostendent multorum eruditorum, & doctorum virorum, tam veterum, quam recentiorum monumenta & scripta, ad quorum lectionem, nos verbi Ministros remittimus. Inprimis autem omnes Parochos fideliter in Domino adhortamur, ut doctrinæ, (d) Christianam vitæ conversationem, adjungant: Nam optimum est, teste Hylario, exemplo potius docere, (e) quam dictis. Et Paulus Timotheum adhortatur, ut semetipsum exemplum bonorum operum præbeat in doctrina, in integritate, in gravitate. Quare nulla alia re Parochi perinde populo consulent, quam si, ipsius Magistri, Christi Salvatoris nostri, exemplum, sedulo imitentur: qui cœpit primum facere & docere, ut inquit Scriptura: [f] Potens erat opere & sermone. Turpe enim est (id quod Christus Pharisæis objicit) multa dicere, & non eadem opere præstare. Et Hieronymus (g) nos admonet: cum in Apostolorum loco simus, ut non solum sermonem Apostolorum imitemur, sed & conversationem & abstinentiam.

Adhæc volumus etiam ad imitationem Christi, Præceptoris nostri (qui cum in Synagogam Judæorum venisset, accepto, explicatoque volumine, (h) Isaiæ locum Judæis ex ordine prælegebat) ut Parochi deinceps ordinariam Epistolæ ac Evangelii lectionem, quam de tempore vocant, populo ex libro recitent. Nam hac ratione auditores, sacri Evangelii historiam, miraculorumque seriem facilius percipient, & memoriæ commendabunt, quam si absque codice a Parochis memoriter singula, multis nonnunquam omissis, turbatoque ordine recitarentur: & (ut nonnulli facere consueverunt) recitando summaria, elementari & plane puerili adhibita interpretatione, declararentur.

Statuimus insuper: ut omnes Parochi, quibus concionandi munus competit, aut qui ad id rite vocati sunt, finita concione, populo sequentem Catechismi formulam, ex ordine, sine ulla verborum vel ordinis mutatione & transpositione, publice prælegant: ut ex frequenti & continua prælectione, hæc Religionis Catholicæ principia, ab omnibus memoriæ commendentur. Idque fiat, non celeri aut præcipitanti lingua, sed clara & diserta voce, ac pronunciatione: adjuncta generali peccatorum confessione, ejusdemque absolutione, prout in sequenti tabula patebit. Adhæc, admonemus Parochos quoque, ubi id (ratione temporis) commode fieri potest, ut sequentem precationem, præsertim

(b) Ad Colos. 4. Ad Ephes. 6.
(c) Ad Ephes. 4.
(d) C. Quales. 8. quæstione 1.
(e) Vide Chrys. in Hom. 72. de Jejunio.
(f) Lucæ 24. Joan. in Epist. 1. cap. 2.
(g) Hieron. ad Helio. in Epist. 1. Qui dicit se in Christum credere: debet, quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare.
(h) Luc. 4. & vide Erasm. in Paraphrasi super eundem.

ſertim Dominicis diebus, populo (finita parochiali concione) prælegant: ut pro communi neceſſitate Eccleſiæ, ac Reipublicæ Chriſtianæ, certæ precationi quoque aſſueſcat populus.

APOSTOLICÆ FIDEI SYMBOLUM.

Apoſtolus		
	Petrus I.	Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ.
	Andreas II.	Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum.
	Jacobus major III.	Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto: Natus ex Maria Virgine.
	Joannes IV.	Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.
	Thomas V.	Deſcendit ad inferos: Tertia die reſurrexit a mortuis.
	Jacobus minor VI.	Aſcendit ad Cœlos: Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
	Philippus VII.	Inde venturus eſt, judicare vivos & mortuos.
	Bartholomæus VIII.	Credo in Spiritum Sanctum.
	Matthæus IX.	Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum communionem.
	Simon Cananeus X.	Remiſſionem peccatorum.
	Judas Thadeus XI.	Carnis reſurrectionem.
	Mathias XII.	Et vitam æternam.

ORATIO DOMINICA,

Matthæi VI.

PAter noſter qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, ſic & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo, Amen.

Dominicæ autem Precationi, Sanctorum Patrum Ambroſii & Chryſoſtomi ſententias adjecimus, ut ex his, Dominicæ Precationis virtus & efficatia, eo luculentius cognoſcatur & perſpiciatur: ſic autem inquit Ambroſius (i): Vide quam brevis eſt oratio, & omnium plena virtutum. Primus ſermo, quantæ eſt gratiæ? O homo faciem tuam non audebas ad cœlum attollere: oculos tuos in terram dirigebas, & ſubito accepiſti gratiam Chriſti: omnia peccata dimiſſa ſunt: ex malo ſervo, factus eſt bonus filius: ideo præſume, non de operatione tua, ſed de gratia Dei. Gratia enim ſalvati eſtis, ut dicit Apoſtolus. Non enim hæc arrogantia eſt, ſed fides: Prædicare, quod acceperis, non eſt ſuperbia, ſed devotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui per lavacrum te genuit: ad Patrem, qui per Filium te redemit: & dic, Pater noſter: Bona præſumptio, ſed moderate Patrem dices, quaſi filius: ſed noli ſpecialiter tibi aliquid vendicare, ſolius Chriſti eſt Pater ſpecialis, nobis omnibus in communi eſt Pater, quia illum ſolum genuit, qui nos creavit. Et Chryſoſt. (k) Dicendo Pater noſter, & veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & juſtificationem & ſanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem, & hæreditatem Dei, & fraternitatem cum unigenito copulatam, & Sancti Spiritus dona largiſſima, uno ſermone ſignificavit.

ANGE-

(i) Ambr. ſuper illud Matth. 6. Pater noſter.

(k) Chryſ. in Matth. 6.

ANGELICA SALUTATIO.

AVe Maria, (*l*) gratia plena: Dominus tecum, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui Jesus Christus Amen.

DECEM PRÆCEPTA DEI, duabus Tabulis per Moysen data.

Præcepta primæ Tabulæ.

I.

EGo sum (*m*) Dominus Deus tuus, &c. Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, ut adores illud.

II.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

III.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

Præcepta secundæ Tabulæ.

IV.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.

V.

Non occides.

VI.

Non mœchaberis.

VII.

Non furtum facies.

VIII.

Non loqueris adversus proximum tuum, falsum Testimonium.

IX.

Non concupisces uxorem proximi tui.

X.

Non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, neque omnia quæ illius sunt.

CONFESSIO GENERALIS populo, finita Concione, recitanda.

MIserrimus ego peccator, reum me statuo, ac confiteor Deo omnipotenti, ab ineunte ætate & infantia; usque in hanc præsentem, me graviter peccasse, cogitationibus, verbis, & opere, omittendo ac negligendo ea, quæ me peragere conveniebat: quorum omnium me reum, ac miserum peccatorem esse, agnoscit Deus: horum autem me ex intimo corde, veræque contritionis affectu, pœnitet: A benignissimo Deo, remissionem & condonationem peccatorum, ac clementiam, per Christum mediatorem, & reconciliatorem Dei & hominis, Dominum nostrum subnixe petens.

Humilientur corda vestra coram Deo, & vera contritione cordis assumpta, precemini a sua benignitate & clementia, omnium peccatorum vestrorum remissionem, & condonationem.

SEQUITUR ABSOLUTIO PECCATORUM.

MIsereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos, in vitam æternam, Amen.

Absolutionem cunctorumque peccatorum vestrorum remissionem, tribuat vobis omnipotens & misericors Deus: unus & trinus, Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus, Amen.

DEmnach ordnen und wöllen wir, daß ein jeglicher Pfarrer, dem gebürt auff die Sontag in seiner Pfarrkirchen zu predigen, oder sonst ordenlicher weiß dahin erfordert oder beruffen ist, dem einfaltigen Layen diese Tafel, ohn verenderung der wort und ordnung fürleß: damit ein jedtweder auß stettiger fürlesung den anfang und grundt, unsers Christlichen glaubens, einbilden und behalten möge. Und solches soll beschehen, mit klarer, heller, und verstendtlicher außredt und worten, sampt der offnen Beicht, und gewönlicher darauff volgender absolution.

Das Vatter unser, Matth. 6.

VAtter unser, der du bist in den Himeln. Geheiliget werde dein Nam: Zukomme uns dein Reich. Dein will geschehe wie im Himel, Also auch auff erden. Unser täglich Brott gib uns heut.

(*l*) Luc. 1. (*m*) Exod. 20. Levit. 19. Deut. 5.

heut. Und vergib uns unser schuldt, als auch wir vergeben unsern schuldigern. Und nicht führe uns in versuchung, sonder erlöß uns vom ubel, Amen.

Das Ave Maria, oder der Engelisch Gruß, Luc. 1.

GEgrüsset seyest du Maria, voll gnaden, der Herr ist mit dir: Du bist gebenedeyet under den Frawen, und gebenedeyet ist die frucht deines leibs, Jesus Christus. Amen.

Der Christliche Glaub.

JCh glaub in Gott Vatter Allmechtigen, Schöpffer des Himmels und der Erden. Und in Jesum Christum seinen einigen Son, unseren HErrn. Der entpfangen ist vom heiligen Geist, geborn auß Maria der Jungkfrauwen. Gelitten under Pontio Pilato, gekreutziget, gestorben, und begraben. Nidergestigen zu der Hellen, am dritten tag wieder aufferstanden von den todten. Auffgestiegen in den Himel, sitzet zu der gerechten Gottes des Allmechtigen Vatters. Von dannen er kunfftig ist, zu richten die lebendigen und die todten. Jch glaub in den Heiligen Geist. Ein heilige Christliche Kirch, gemeinschafft der Heiligen. Vergebung der sünden. Aufferstehung des fleisches. Und ein ewiges leben, Amen.

Die zehen Gebott Gottes, Exod. 20. Deut. 5.

Das Erst Gebott.
Du solt glauben an einen Gott.

Das Ander.
Du solt nicht unnützlich schweren bey seinem namen.

Das Dritt.
Du solt die Feyertag heyligen.

Das Vierdt.
Du solt Vatter und Mutter ehren.

Das Fünfft.
Du solt nicht tödten.

Das Sechst.
Du solt nicht Ehebrechen.

Das Siebendt.
Du solt nicht stelen.

Das Acht.
Du solt kein falsche gezeugknuß geben.

Das Neundt.
Du solt keins andern Eheweib begern.

Das Zehendt.
Du solt kein frembdt gut begern.

Die gemeine oder offentliche Beicht, gegründet in der Schrifft, Numeri am 5. Josue 7. Prov. 28. Eccles. 4. und 17. 1. Johan. am 1.

JCh armer sündiger Mensch, gib mich schuldig und bekenne GOtt dem Allmechtigen, das ich leider viel gesündiget habe, von meinen kindtlichen tagen an, biß auff diese gegenwertige stundt mit vil bösen gedancken, worten und wercken: Auch mit versaumnuß viel gutes, wie dann das GOtt mein HErr an mir armen sünder erkent, So ist es mir alles leydt, und rewet mich von gantzem meinem hertzen, und begere genad von dem Allmechtigen, barmhertzigen, ewigen GOtt, durch Christum unsern HErrn. Neyget ewere hertzen mit rewen zu GOtt, und begeret gnad.

Qua quidem confessionis formula utantur Parochi, vel subsequente: aut alia etiam, prout ipsis commodius videbitur: dummodo ab ipsius confessionis substantia non recedatur.

Alia.

AUffdaß der Allmechtig GOTT uns gnedig, und barmhertzig sein wölle, auch unser Gebett vätterlich erhören: So wöllen wir uns demütigen vor dem angesicht der Göttlichen Majestätt, unsere sünde bekennen, und gnad von GOtt dem Allmechtigen begern. Darumb so bezeichnen euch mit dem zeichen des Heiligen Creutzes, und sprechenn mir also nach in eweren hertzen.

JCh armer sündiger Mensch, bekenn mich gegen GOtt dem Allmechtigen, gegen der Hochgelobten Jungfrawen Maria, gegen allen GOttes Heyligen und Außerwöhlten, und euch Priester, daß ich leyder viel gesündiget habe, von meinen kindtlichen tagen an, biß auff diese stundt, mit meinem leben, wider

die gebott GOttes, mit bösen gedancken, worten, willen und wercken, es seye heimlich oder offentlich, tödtlich oder täglich, wissendt oder unwissend, wie das GOtt der HErr an mir erkent, und ich armer sünder leyder nicht erkennen kan, das rewet mich, und ist mir leydt, und begehr der gnaden GOttes. Ich verzeihe auch allen denen, so mich beleidiget haben, auff daß GOtt der HErr, mir auch gnedig sein wölle. Auff solches klopffet an ewere brust und hertzen, und sprechen mit dem offnen sünder: O HErr, biß gnedig mir armen Sünder.

ABSOLUTIO.

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos in vitam æternam.

Absolutionem, remissionemque omnium peccatorum vestrorum, tribuat vobis omnipotens & misericors Deus unus & trinus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

Form eines Gebetts für gemeine anliegen.

WIr arme (*n*) sündige Menschen, bekennen, daß wir die zeit unsers lebens, vielfaltig und schwerlicher weiß, wider dich unsern HErrn und GOtt gesündigt haben, und noch tägliches alle stundt und augenblick wider dich sündigen, mit worten, wercken, gedancken, lust, willen und bösen neigungen: Wie wir dann leider solche sündliche und gebrechliche arth und natur an uns erkennen und befinden, welches auch uns zuwider, und von grundt unsers hertzen leidt ist. Und wiewol wir uns bißanher dermassen gegen dir unserm GOtt und HErrn gehalten und erzeigt haben, daß wir billich mit allem ernst, und mancherley straffen von dir angegriffen, und gedemütigt und gezichtigt werden solten, Jedoch so kommen wir, krafft deines Göttlichen bevelchs, mit gantz demütigem und rewigem hertzen zu dir, wie dann unser hoffnung, trost und zuversicht, in deine grundtlose Barmhertzigkeit, umm des thewren bluts Christi JEsu unsers HErrn, Heilands und Seligmachers willen, zu dir stehet, welchs zu erlangung unser erlösung vergossen worden ist, und ruffen derhalben zu dir O HErr und Vatter, bittende, du wöllest dich über uns miltiglich erbarmen, und hierin nit ansehen, was wir verdient, noch verwürckt, sonder das unschuldig Lamb, JEsu Christi, welcher umb unser sünd willen, sich gegen dir, dem Himlischen Vatter, an dem stammen des H. Creutzes uffgeopffert, und die versönung zwischen dir und uns erworben hat, und uns in ansehung solches deines sons gehorsame, und beschehen versönopffer, das wir umm der unaußsprechlichen liebe willen, täglich mit dancksagung in deiner Kirchen betrachten, alle unsere sünde und missethaten verzeihen und nachlassen: Auffdaß solcher thewrer verdienst, darin unser erlösung ruhet und stehet, an uns in ewigkeit nicht verlohren werde. Wöllest auch deinen Geist in uns erhalten, und täglich zunemmen lassen, damit wir allen bösen sündlichen anfechtungen und begierden, hinfürter widerstehen mögen, und in Erfüllung deines Göttlichen willens, deiner gebott und bevelchs erfunden werden, und also in deiner gehorsame bleiben, und die zeit unsers lebens darinn beharren und bestohn, Auff daß wir nach ernewerung unsers lebens, durch deinen Heiligen Geist dir zubereitet, krafft deiner Göttlichen verheissung nach diesem vergenglichen, das ewig leben bekommen. Darzu du uns durch Christum gnediglich erhalten, und bewaren wöllest: in welchs schutz und schirm, wir unsern geist, und was wir haben, leib und gut ubergeben und bevehlen. Darzu wöllest O HERR dir alle gemein, ob= und anliegen deiner Christlichen Kirchen, und der gantzen Christenheit lassen bevohlen sein, wie die täglich fürfallen und genandt werden mögen.

[*n*] Paulus ad Rom. 7. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gregor. lib. Mor. 2. cap. 27. Ille veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum, quia pulvis sit, humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona, quæ agit, esse de misericordia conditoris, agnoscit. *Notatio editoris primi, quem & in Germanica scribendi forma ad apicem secuti fuimus.*

mögen. Dergleichen alle krancken, betrübten, gefangne und beschwerdte personen, und die durch den bösen geist verstrickt, und in seinen banden blindt ligen und verstopfft, mit gefahr leibs und der seelen, hartiglichen verhafft werden.

Zudem wöllest auch unseren gemeinen und ordenlichen Häuptern deines Christenthumbs, geistliches, weltlichs Standts und Regiments, Auch unsern zeitlichen Oberkeiten, für die wir zu bitten schuldig und pflichtig seindt, deinen geist der einigkeit, weißheit, verstandts unnd vernunfft, gnediglichen mittheilen, damit sie ihrem beruff, stenden, und ämptern, durch deine gnad genug thun, und deiner Kirchen, auch gemeiner Christenheit, Christlich, Gottselig, ordenlichen und wol fürstehen, auffdaß dein Kirch, das Christlich Volck, und jre underthanen in Gottseliger, stiller, züchtiger, erbarer, und friedtlicher regierung erhalten, unnd bewardt werden. Daß sie auch nichts thun noch fürnemen, das wider dich, deinem Göttlichen Wort und erkantnuß zuwider und entgegen, und den underthanen zu verderben, nachtheil und schaden, auch zu zerrüttung deiner Christlichen Kirchen, reiche: sonder wöllest den geist des friedens und einigkeit in ihnen erhalten, damit man erkenn, daß sie unnd wir dein volck seyen. Auffdaß dein Christliche Kirch und alle Christliche versammlungen, hinfürter für uneinigkeit, spaltungen und zertrennungen: auch vor allen Ketzereyen und Jrrthumben, durch dich bewart, behüt, und underhalten werden. Und ob Spaltungen, Jrrthumben, mißbräuch, ergernuß, und allerhandt beschwerden, umb grösse der sünde deines Volcks, auch von wegen der fahrläßigkeit der fürsteher (welchen in krafft ihres Ampts, auff deine Herdt, ein fleißigs auffsehens zu haben, gebüret) eingerissen weren (wie wir dann leyder bekennen müssen, daß es in deinem Christenthumb, nicht wol sorglicher noch ubler stehen köndte.) Derohalben dann schwere spaltungen erwachsen, vieler abfall geschehen, und sorgkliche irrthumben entstanden, welche dein volck, daß du mit dem blut Christi, deines eingebornen sons, dir schwerlich und theuer erworben hast, in grosse uneinigkeit, in sorgliche verfürung, auch mißtrawen und erbitterung der gemüter gegen einander, unnd in ein unchristlich, frey, verrucht, unzüchtig, wildt und ruchloß leben gebracht haben, wie du auch umb unserer grossen sünd willen den Türcken, und andere unglaubige, uns zur straff, uber uns verhengest, und wir wol verdienen, jedoch wöllest O GOtt und HErr, in erwegung deiner grossen güte, gnad und barmhertzigkeit, solchen last von deiner Kirchen, und deinem Christenthumb gnediglich abwenden, unnd mit unsern Häuptern, Regenten, geistlichen und weltlichen Oberkeiten, sampt deinem volck, die gnedigste versehung thun, damit wir zu Christlicher vergleichung, friedt und einigkeit der Lehr, und alles Gottseligen wandels, leben und wesens kommen mögen. Auffdaß nach außreuttung alles irrthumbs, abwendung der eusserlichen unnd inwendigen kriegen, auch abstellung alles unsers sündtlichen, schandtlichen und ergerlichen lebens, durch welchs wir deinen zorn erweckt, und uber uns gefüret haben, Wir dein Gespouß rein und unbefleckt, vor dir unserem HErrn erscheinen, und also dein Weinbergk des Christenthumbs, und deine Kirch durch würckung Gott des heilgen Geistes, rechtschaffen ernewert, gepflantzt, und nach deinem Göttlichen willen und bevelch erbawen, unnd vor dir unserm HErrn unsträfflich befunden, und in deinem Wort und Erkanntnuß gnediglich erhalten werden. Amen.

Tempore Concionis, Sacra non esse celebranda.

CAPUT III.

PRohibemus insuper, ne sub Concione Divini verbi, Sacra, ac Missæ peculiares celebrentur: ne videlicet per eas, populus, ab intentione verbi Dei avocetur, & abstrahatur, ac negligentius verbum Dei, (quod absque omni animarum distractione, solicite & attente audiendum est) percipiat. Et cum hodie, neglecto publico Sacro, Dominicis diebus, aliisque feriis ac festivitatibus, multi privatas Missas ob id audiant, quo commessationibus, aliisque studiis, eo citius

citius incumbant & deserviant (quem abusum Augustinus & suo tempore redarguit) volumus, ut Parochi deinceps populum diligenter admoneant, ne ante publicum Sacrum, peractumque officium Divinum, cibum sumant, sed ut omnes, ad publicam sanctam Matrem Ecclesiam, Missarum solemnia, & concionem verbi Divini audituri, conveniant, illicque, donec omnia peracta sint, & (juxta Decretum Concilii Tyburtiensis) ultima laus, (o) id est, Benedicamus Domino, pronuncietur, vel a Diacono proclametur, devote permaneant. Id autem intelligi volumus de universa populi congregatione: secus de iis, qui ministeriis domesticis præsunt: quorum tamen quoque diligens & fidelis cura & ratio habenda est, ut commode, convenientique tempore Ecclesiæ & Sacris interesse queant.

De Clericis peregrinis, præficiendorumque qualitate.

CAPUT IV.

Ad hæc statuimus & ordinamus, ne deinceps (p) peregrini, ignoti & vagabundi Presbyteri absque sufficienti Episcoporum suorum testimonio, & nisi a Vicario nostro in Spiritualibus generali, quantum ad doctrinam, eruditionem, & ad mores ac vitam attinet, idonei & habiles reperti sint, & approbati fuerint, ad ministerium verbi, publicumque concionandi munus recipiantur & admittantur. Quod si qui hujus necessariæ constitutionis transgressores reperiantur, in hos, secundum delicti & temeritatis qualitatem, digna animadversione, per nostros animadvertemus. Eos autem, sive Presbyteri, sive Monasticæ professionis homines sint, quos vel vitæ sanctimonia, vel excellens eruditio & doctrina, morum integritas, rerumque usus commendat, ab hoc prædicandi officio, hac nostra Synodali constitutione excludere nolumus: præsertim cum Monasteria hactenus Ecclesiis Parochialibus, prædicando verbum Dei, strenuam, laudabilem, & fidelem operam præstiterint, & adhuc non mediocri, & contemnendo studio præstent: dummodo tamen nostra, vel Vicarii nostri autoritate interveniente, id fiat. Prædictam autem constitutionem & locum habere volumus, circa eos Presbyteros, qui non (q) solum prædicandi munus propria temeritate suscipiunt, sed & alia Divina officia in Ecclesiis nostræ Diœcesis, non exhibitis literis testimonialibus, Vicariique nostri approbatione neglecta, propria temeritate peragere conantur.

De retinendis antiquis Ecclesiæ ceremoniis & ritibus: & quod Sacra Scriptura, secundum unanimem, Orthodoxorum Patrum consensum & expositiones, interpretanda & declaranda sit.

CAPUT V.

Ne autem (r) pro vera & Catholica religione errores disseminentur, ac falsa ac erronea populo proponantur: statuimus, & Visitatoribus nostris, quos ad hoc officium exequendum deputabimus, mandamus, cæterisque etiam Archi-Presbyteris & Decanis ruralibus injungimus, ut inquirendo & explorando singula, diligentem & sedulam adhibeant curam, ut syncere, & juxta Sanctorum, & ab Ecclesia receptorum Patrum interpretationem & expositionem, sacra scriptura populo proponatur & explicetur: utque summa pietate & reverentia; Sacramenta administrentur & porrigantur, & secundum antiquam Ecclesiæ nostræ Agendam, adserventur, custodiantur, & populo exhibeantur: utque cultus Dei, Divina officia, Ceremoniæ, approbatique ritus, cæteraque omnia, quæ ordinaria successione, per manus sanctorum Patrum, vel tradita, vel per majores nostros, ad nos devenerunt, & pie observata sunt, in Ecclesiis rite, decenter & convenienti modo peragantur. Neque (s) enim temere, neglecta Ecclesiæ authoritate, ab antiquis ritibus, & longa consuetudine (utcunque eorum ratio non habeatur, aut facile deprehendi, & investi-

(o) Canon Apost. 9. c. Omnes fideles. De cons. dist. 1. & ex Conc. Carth. 4. c.
(p) C. Ignorantia. 38. dist. in fine.
(q) C. Extraneo hortamur. & c. Nullum. dist. 71.
(r) C. Relatum nobis. dist. 37.
(s) Orig. in Proem. lib. 1. Periarchon.

investigari possit) recedendum est: (t) cum multa observet Ecclesia, quæ etsi ab Apostolis expresse non sunt tradita, tamen cum sint longa consuetudine approbata, non minoris authoritatis esse censentur. Et Epiphanius (u) ait: Oportet & traditione uti: non enim omnia a Divina Scriptura accipi possunt; quapropter aliquid in scripturis, aliquid in traditione, S. Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Apostolus: sicut & tradidi vobis. Et Augst. (x) In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi Dei, vel instituta majorum, pro lege tenenda sunt. Et Basilius Magnus: (y) Apostolorum arbitror esse, inquit, etiam in non scriptis traditionibus, perseverare. Laudo enim, ait Paulus, vos, quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones continetis, quas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam. Item Origenes: (z) In Ecclesiasticis observationibus, sunt nonnulla ejusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio earum omnibus patet. Nam quod (verbi gratia) genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cœli plagis ad solam Orientis partem conversi, orationem fundimus, non facile cuiquam puto ratione compertum: sed & Eucharistiæ percipiendæ, sive eo ritu, quo geritur, explicandæ, vel eorum, quæ geruntur in Baptismo, verborum, gestorumque & ordinum, atque interrogationum ac responsionum, quis facile explicet rationem. Quæ testimonia Patrum, ideo ex ordine referimus, ut eorum opinio refellatur, qui stulta & ridicula præsumptione, abolitis & temere sublatis Ecclesiæ ritibus & ceremoniis, nihil in templis retinere conantur, nisi quod expressam, Judaicam & literalem seu elementalem, ut vocant, scripturæ authoritatem habeat. Quapropter eos, qui in expositione sacrarum Scripturarum, Sacramentorum administratione, vel ceremoniarum peractione, contra Catholicæ Ecclesiæ authoritatem & consuetudinem, contraque orthodoxorum Patrum traditiones & consensum, aliter agunt & docent: Nobis, vel Vicario nostro in Spiritualibus, significare teneantur Archi-Presbyteri: quo debitis & convenientibus remediis, imminenti morbo & malo, eo maturius & tempestivius, occurratur: cum, Augustino teste: (a) Hæresibus pullulantibus, celerius obviandum sit.

De Lectione Sacerdotum, & maxime Curatorum.

CAPUT VI.

PRæterea volumus, ut a Visitatoribus nostris Presbyterorum, (b) & præsertim Parochorum Bibliothecæ & libri diligenter inspiciantur, eorumque lectio & studium cognoscatur: ne pro synceris, adulterinos: pro Orthodoxis, hæresi, variisque erroribus refertos libros & authores legant, populumque seducant. Poeta quidam (c) alibi, sæcli incommoda, malos Poetas vocat: quanto justius id de novitiis quorundam Theologorum nostri temporis scriptis dici poterit, qui in pernitiem Religionis Catholicæ, totiusque Ecclesiasticæ disciplinæ, non uno calamitatis genere, Ecclesiæ, rebusque humanis incommodarunt. Quare Sacerdotes, & præsertim, quorum judicia nondum maturuerint, admonitos esse volumus, ut semotis intempestivis, parumque synceris schismaticorum lucubrationibus, sese ad sacræ Scripturæ, & orthodoxorum Patrum lectionem conferant: in qua cum reverentia & timore versentur: & juxta admonitionem Clementis, (d) non sensum alienum adferant, & extraneum quærant, quem scripturarum authoritate palliare & confirmare, conentur: sed ex ipsis scripturis sensum capiant veritatis, quem ab eo discant, qui ipsum a majoribus sibi traditum servat. Quæ autem post sacrarum Scripturarum studia, Presbyterorum, & maxime Curatorum, assidua lectio

(t) Iren. lib. 4. c. 33. 11. Dist. c. Ecclesiast. 12. Dist. c. Illa. 16. Dist. 1. c. Prædicator. c. Cum March. ex. De offic. Missæ.
(u) Epiphan. contr. Apo. hæret. Pap. 243.
(x) August. ad Casul. Episc. 86. Epist.
(y) Basil. Magn. in lib. de Spiritu Sancto. c. 27. & 29.
(z) Orig. in lib. Num. hom. 5.
(a) August. inno. Epist. 91.
(b) C. Si quis. Dist. 36. c. Relatum nobis est. 37. Dist.
(c) Catul. ad Calvum poëtam.
(d) Clemens lib. 10. Recog. ad Jacobum fratrem Domini.

lectio esse debeat, ostendit Canon, incipiens: Quæ ipsis: ex Augustino (quem Gratianus 28. dist. allegat) desumptus: quem pro informatione eorundem subjiciendum duximus. (e) Quæ ipsis Sacerdotibus necessaria ad discendum sunt: Sacramentorum liber, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, Computus, Canones pœnitentiales, Psalterium, Homiliæ per circulum anni, in Dominicis diebus, & singulis Festivitatibus aptæ, ex quibus, si unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit. Hactenus Canonis verba. Et extant præsenti tempore multorum piorum,& summorum Theologorum syncera scripta ac lucubrationes: ex quibus solida earum cognitio, facile desumi potest, quamvis in his delectus habendus sit, quem Visitatores nostri tempore susceptæ visitationis, Presbyteris, & præsertim imperitioribus, significare & demonstrare teneantur.

Quomodo in Sacra Scriptura versandum sit.

CATUT VII.

Legentem sacram Scripturam oportet esse cautum, ne propriæ innitatur prudentiæ & eruditioni, viribusque ingenii sui nimium tribuat, ac fidat: sed cum timore & tremore, abjecta omni privata præsumptione, versetur in eloquiis Domini, & eum scripturæ sensum, implorato Divino auxilio, sequatur & amplectatur, quem Spiritus sanctus, a quo scriptura tradita est, efflagitat & commonstrat. Neque literæ ita inhæreat, ut ab ea (sic exigentibus aliis scripturæ locis & circumstantiis) non sit recedendum: sed cuncta (ut tradunt Canones) (f) ex causa, ex persona, ex loco, ex qualitate, statu, & conditione temporum, consideret & perpendat. Nisi enim hæc diligenter animadvertantur & observentur, fieri nequit, quin lector (maxime spreta & contempta authoritate Ecclesiæ & Patrum) subinde, in alios atque alios errores impingat & incidat: id quod hoc nostro sæculo, in quotidianis Ecclesiæ controversiis, multis exemplis commonstrari & declarari potest: Adhæc non nimis abhorreat ab allegoriis, & syncera ac genuina earum interpretatione: sed consideret omnes historias, omnia Patriarcharum testimonia, omnes Prophetias, sacrificia omnia veteris testamenti, ad futurum Messiam, Christum, unicum mundi Salvatorem respexisse, & Typum ac umbram fuisse futuri corporis, & novi Testamenti. Præterea scripturæ non importet sensum (ut supra ex Clemente dictum est) proprium, quem sua ipsius authoritate violenter, adductis & detortis locis communire & corroborare conetur lector: sed ex ipso contextu, & serie orationis colligat & eliciat intellectum veritatis: quemadmodum Clemens gravissime monet, inquiens: Diligenter observandum est, ut lex Dei, cum legitur, non secundum propriam ingenii virtutem vel intelligentiam legatur vel doceatur: sunt enim multa verba in scripturis Divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumpserit: sed non oportet: Non enim sensum extrinsecum, alienum & extraneum debetis quærere, ut quoquo modo ipsum, ex scripturarum authoritate confirmetis: sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet: neque contemnat, ac impudenter elevet authoritatem Ecclesiæ, & sanctorum Patrum, qui vitæ innocentia, Martyrio, doctrina, illustrandoque scripturas, Ecclesiæ insigniter profuerunt & inservierunt: Sed potius hanc reverenter, debita exhibita obedientia, veneretur, & eorum authoritatem, studium, doctrinam & operam sequatur & amplectatur: maxime, in quibus eos errare, aut aliquid contra scripturam, & Catholicæ Ecclesiæ sententiam, tradidisse, sensisse, ac scripsisse certo non constiterit. Sic enim & suos libros, & sanctorum Patrum lucubrationes legendas esse, Augustinus (g) censuit, lib. 2. cap. 21. Quare cum quæstiones oriuntur, cum de scripturæ sensu & intellectu contenditur, cum de dogmatibus litigatur & controvertitur: tum scripturarum collatione facta, ad Ecclesiam recurrendum erit: Certum enim est, ab hac sola, (cui Christus per Spiritum Sanctum perpetuo adest, quam regit & gubernat, ac in quam universam Spiritus

(e) C. Quæ ipsis. Dist. 38. (f) Dist. 29. c. Sciendum, cum sequent.
(g) August. lib. 2. cap. 21. de bono persev.

tus Sancti operationem posuit) ad hæc a sanctis Patribus, Catholicæ Ecclesiæ adhærentibus, praxin & intellectum scripturæ, in quæstionibus difficilioribus & obscurioribus petendum esse: nam sic inquit Augustinus: (*b*) Hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas. Et quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis fallere metuit, hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate, sancta Scriptura demonstrat. Et Origenes Periarch. lib. 1. Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat. Item Irenæus: (*i*) Quid enim & si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod rectum & rei liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis? nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his, quibus committebant Ecclesias?

De Sacramentis, eorundemque administratione, in genere.

CAPUT VIII.

CUm potissima Christianæ Religionis pars in vero Sacramentorum usu consistat: volumus, & in hac Synodo statuimus, ut non solum reverenter exhibeantur & administrentur, sed ut singulorum usus, frequenter, & summa diligentia populo explicetur & inculcetur. Cognita enim & perspecta Sacramentorum virtute & efficatia, major subsequetur devotio, eorumque reverentia, ac Religionis & veræ pietatis fervor & studium. Proderit igitur sub administratione & porrectione cujuslibet Sacramenti, usum & virtutem compendiosa oratione, idque disertis verbis, explicare: quo populus admoneatur, quam arcana Divinæ gratiæ hic tractentur mysteria, ubi aliud videtur, aliud agitur: sensu aliud percipitur, & aliud corde creditur, juxta Divi Augustini definitionem: (*k*) Sacramentum invisibilis gratiæ, visibilem esse formam. Et cum Catholica Ecclesia hactenus, septem Sacramenta esse asseruerit, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium: tum adversariorum opinio explodenda, & rejicienda est, qui citra Ecclesiæ authoritatem, duo duntaxat, rejectis aliis, esse contendunt. Quomodo autem eorum usus populo explicandus, qua ratione singula porrigenda, tractanda, administranda & conservanda sint, brevitatis causa, ad veterum (*l*) & recentiorum monumenta, ac lucubrationes, qui ea de re posteritati, ad Ecclesiæ utilitatem, integra commentaria reliquerunt, & præsentem Reformationis formulam, & Prædecessorum nostrorum Agendam (*), ac inprimis sancti Thomæ libellum, de articulis Fidei & Sacramentis editum, nos, Sacerdotes, maximeque Parochos remittimus: quæ exactam & pleniorem informationem singulorum omnium suppeditabunt.

De Baptismo.

CAPUT IX.

SEd ut Parochi, & præsertim imperitiores, intelligant, quomodo ex ordine Sacramentorum usus populo explicandus sit, volumus hoc in loco, informationis causa, compendiosam Baptismi declarationem, præsentibus nostris statutis Synodalibus, subjicere. Proderit igitur in declaratione eorum scholastico modo, methodice & convenienti ordine breviter explicare, cur introducta, & quid sint Sacramenta, quæ ad ea requirantur, quæ eorum virtus, effectus & efficatia: quotduplicia sint: quid operentur: & quis finis. Ut in præsenti Baptismatis Sacramento, primo exponendum est, (*m*) hoc introductum esse ad originale peccatum, cum quo in utero matris concipimur, cum quo nascimur, ac in lucem hanc

(*b*) August. lib. 1. cap. 33. contra Cresconium. (*i*) Iren. lib. 3. c. 4.
(*k*) August. in lib. de doctr. Christi. August. in Joan. tract. 80.
(*l*) C. Sane, cum aliis de celebr. Miss. de custod. Euchar. Chry. & aliorum.
(*) Si quid in Agenda Argentoratensi deerit, desumant Parochi ex Moguntina, quæ a Sebastiano Archi-Episcopo repurgata & edita est.
(*m*) Basil. Magn. in exhortat. Baptismi.

hanc procreamur, imo morti, æternæque damnationi adjudicamur, & subjicimur, collendum: eandemque ab omnibus peccati sordibus, evacuandam & repurgandam: juxta illud Pauli: Eramus enim natura filii iræ, a qua nullus hominum liberari poterat, nisi per fidem Mediatoris inter Deum & hominem Jesu Christi, & per Baptismi Sacramentum, quod datur & porrigitur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et quanquam ad prædictam originalis peccati contagionem & reatum tollendum, Sacramentum Baptismatis introductum sit, per quod etiam plane tollitur: tamen docendum est, secundum Augustini (*n*), unanimemque Catholicæ Ecclesiæ sententiam, hanc evacuationem non ita fieri, ut concupiscentia naturæ amplius non inhæreat, sed, ut idem Augustinus gravissime in libro de Baptismo parvulorum inquit, ne obsit: manet enim, donec anima a corpore resolvitur, in carne nostra, perpetua lucta & congressus, adversus Spiritum: ita, ut postquam ad adultam ætatem perventum fuerit, semper adversus carnem pugnandum & decertandum sit: sequitur igitur, Baptismum, lavacrum esse aquæ in verbo: sic enim describit Baptismum Paulus ad Ephesios 5. ubi per fidem regeneramur, & abjecto vetere, novum hominem per Spiritum Sanctum, in lavacro regenerationis affluimus, (*o*) & Christum, cum in eo baptizati sumus, induimus: quæ (*p*) quidem regeneratio nisi fieret, nullus hominum æternam salutem ullo modo consequeretur. Constat autem aqua & verbo: quæ quidem aqua in sua natura manet, donec verbum adjicitur, quo accedente, efficatiam suam consequitur, secundum Augustini descriptionem: (*q*) Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Et quemadmodum Piscina illa, de qua in Evangelio, ut eleganter inquit Chrysostomus, (*r*) per se non sanabat, sed duntaxat, quando ab Angelo movebatur: Ita & in hoc Sacramento non simplex aqua operatur, sed tum omnia peccata abluit, cum gratiam Spiritus accipit, ipseque Angelorum Dominus totum negotium perficit, ac præsentia Trinitatis adest. Vere enim, inquit D. Ambrosius, in libro de Sacramentis: Non omnis aqua sanat, sed illa quæ habet gratiam Christi. Item: Aqua non sanat, nisi Spiritus Sanctus descendat, & aquam illam consecret. Sunt autem verba: (*s*) Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis: [*t*] quæ quidem verba Christi regenerationem in cordibus operantur, non quia proferuntur, sed quia a nobis creduntur. Vis igitur & virtus Baptismi est, abolere & tollere originalis peccati contagionem & reatum, abluere peccata, indulgere & concedere omnium peccatorum remissionem & condonationem, sanctificare, justificare, mundare, & reconciliare nos Deo Patri, & restituere in gratiam: a qua per transgressionem decideramus, æternæque damnationi adjudicati eramus. Subsequitur ergo effectus & finis, qui consistit in digna & vera pœnitentia, & renovatione vitæ prioris, de qua Paulus hinc inde in suis Epistolis, ut ad Romanos: (*u*) Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo, per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, & reliqua. Item ad Ephesios: [*x*] Renovemini Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis. Et ad Colos. (*y*) Exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Et Aug. de pœnitentia inquit, (*z*) eum non posse novam inchoare, qui jam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum ad Sacramentum fidelium accedit, nisi eum, vitæ prio-

(*n*) Auguft. de peccatorum meritis, & remiff. lib. 1. cap. 39.
(*o*) Gal. 3. (*p*) Aug. Homil. 80. (*q*) Idem Tract. 80. in Joan.
(*r*) Chryf. 35. Hom. fuper 5. cap. Joan. (*s*) Matth. 26.
(*t*) Auguft. Homil. 80. Bafil. Magn. in Afcetic. de fide.
(*u*) Rom. 6. (*x*) Ephef. 4. (*y*) Coloff. 4.
(*z*) Auguft. in lib. de Baptism.

prioris pœniteat. Eſt igitur effectus & finis Baptismi, vitæ renovatio, & tum demum valere incipit ad ſalutem, ſecundum Auguſtini verba, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ, corde in malitia vel ſacrilegio perſeverante, peccatorum abſolutionem non ſinebat fieri. Quapropter ſedulo commonefaciendus eſt populus, ut pœnitentia prioris vitæ ſuſcepta, novam aggrediatur, Dominique voluntatem & præcepta, juxta mandatum (docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis) obſervent & impleant. Quotiescunque igitur Eccleſiæ infans baptizandus offertur; utile erit, populum ejusmodi obſervato ordine alloqui, & brevi oratione, ipſius Sacramenti virtutem explicare: quo intelligat, non ſolum quid ibi agatur, & quam inviſibilis gratia ſub externis ſignis communicetur & impartiatur, ſed ut majori devotione ad Divinum myſterium, & intelligendum & venerandum accendatur & excitetur: id quod quoque obſervandum eſt circa explicationem ceremoniarum & rituum, qui in peractione tanti myſterii ab Eccleſia adhibentur, & pie obſervantur: cujusmodi ſunt, mos ungendi parvulos, inſufflatio in faciem Pueri, adhibitio Chriſmatis, Salis, Olei, impreſſio Crucis Chriſti in fronte & in pectore. Item induitio Albi amictus & candidæ veſtis, &c. Danda inſuper eſt opera, ut omni pompa mundi, prophanoque & exquiſito ornatu abjecto, ſumma reverentia & devotione, infans ad baptizandum, Eccleſiæ offeratur, piisque precibus Deo commendetur, ut in lucem procreatus puer, recepto baptismate, ad honorem, laudem & gloriam Dei, animæque ſuæ ſalutem, in omni pietate, & vera fide ſuccreſcat, vegetetur, & incrementum ſumat. Quam piam (a) ſolicitudinem, & ſuſceptores, ſeu Patrini (ut vocant) qui ipſos pueros, nomine & in fide Eccleſiæ, Chriſto baptizandum offerunt, ac pro eis ſpondent, & quodammodo ſe fidejuſſores conſtituunt, in ſe recipere debent. Revocanda autem eſt, per totum vitæ curſum, ſecundum Chryſoſtomi admonitionem, ad memoriam, ſponſio & abrenunciatio in Baptismate facta: ne rurſus in ejus incidamus laqueos, cui una, cum omnibus ſuis operibus, ſtudiis & pompis abrenunciavimus. Quotuplex autem ſit Sacramentum Baptismatis, videlicet: fluminis, flaminis & ſanguinis, ſecundum veterum diviſionem: Item quale Joannis Baptisma: quale Chriſti & Apoſtolorum, nimis longum foret explicare: ſed hæc Parochi faciant: ubi, aut quoties neceſſe fuerit, ea concionando, populo proponere & declarare. Ut autem ceremoniarum & rituum ſignificationes in Baptismate cognoſcantur, & plene intelligantur, operæ precium duximus, has hic propter informationem imperitiorum, ex teſtimoniis Patrum, prout Diſt. 4. de conſecratione recitantur, ſubjiciendas eſſe.

Baptizandi quare exorciſentur & exufflentur: ex Rabano, de inſtitutione Clericorum.

Poſtquam ſe baptizandus per confeſſionem veræ fidei, in alterius commendaverit Dominium, & per abrenunciationem prioris poſſeſſoris, ſe alienaverit ſervitio: exufflatur ab eo poteſtas ſæva, ut per pium Sacerdotis miniſterium, Spiritui Sancto cedat, fugiens malignus ſpiritus.

Auguſtinus de Symbolo Lib. I.

Sicut noſtis, fratres chariſſimi, parvuli exufflantur & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, quæ decepit hominem, ut poſſideret homines. Non ergo creatura in infantibus exorcizatur aut efflatur, ſed ille, ſub quo ſunt, qui ſub peccato naſcuntur.

Cæleſtinus Papa.

Sive parvuli, ſive juvenes, ad regenerationis veniunt Sacramentum, non fontem vitæ prius adeant, quam exorcismis & efflationibus Clericorum ſpiritus immundus ab eis abigatur.

Quare ſignetur Baptizandus in corde & fronte, Rabanus de inſtitut. Clericorum.

Poſtea ſignetur Baptizandus, ſignaculo ſanctæ Crucis, tam in corde, quam in fronte: ut ab eo tempore apoſtata diabolus in vaſe ſuo priſtino, ſuæ interemptionis cognoſcens ſignaculum, jam deinceps illic ſciat ſe eſſe alienum.

Quare

(a) Auguſt. in ſerm. poſt Paſcha Domini, qui incipit: Hodiernus dies.

Quare super Baptizandum Orationes dicantur, Rabanus in eodem lib.

Exhinc jam dicuntur super eum orationes, ut fiat Catechumenus.

Ambrosius de Sacramentis, Tract. II.

Emersisti: venisti ad Sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit tibi, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, concessitque peccatorum tuorum veniam, ipse te inungat in vitam æternam. Vide ubi inunctus es in vitam æternam.

Quare sale initientur, Bæda super lib. Reg.

Sal cœlestis sapientiæ, quo initiantur Catechumeni, in cunctis operum nostrorum Sacrificiis jubemur offerre.

Rabanus in prædicto loco.

Tunc datur Baptizando Sal benedictum in os: ut per Sal typicum, Sapientiæ sale conditus, fœtore careat iniquitatis, ne a vermibus peccatorum ultra putrefiat, sed magis illæsus servetur, ad majorem gratiam percipiendam.

Quare de Saliva nares & aures tangantur, Rabanus de institutione Clericorum.

Postea tanguntur ei nares & aures de Saliva, & dicitur ei verbum Evangelicum, quod JEsus dixit, quando surdum & mutum sanavit, tangens cum sputo linguam ejus, & mittens digitos in auriculam ejus, dixit, Ephatha, quod est, aperire. Hoc enim Sacramentum hic agitur, ut per Salivam typicam, & Sacerdotis tactum, sapientia & virtus Divina; salutem ejusdem Catechumeni operetur: ut aperiantur ei nares, ad accipiendum odorem notitiæ Dei: ut aperiantur ei aures, ad audiendum mandata Dei: ut aperiantur ei sensus in intimo corde, ad respondendum.

Ambrosius de Sacramentis.

Propter gloriam muneris & operis, non os tangit Episcopus, sed nares: ut bonum odorem accipiat pietatis æternæ.

Quare a Sacerdote inungantur, idem Raban.

Deinde a Sacerdote inungitur, ut sacrum Baptisma cum fide accepta custodiatur: inungitur tunc illius pectus oleo sanctificato, cum invocatione sanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo resideant, sed in fide sanctæ Trinitatis mens ejus confortetur. Inungitur & inter scapulas, & de eodem oleo, ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur.

Idem Rabanus in Epistolam ad Ephesios.

Postquam ascendit Baptizatus de fonte, statim signatur a Presbytero in cerebro, cum sacro Chrismate, sequente similiter oratione, ut Christi regni particeps fiat, & a Christo Christianus possit vocari.

Ambrosius de Sacramentis, Tract. II.

Accepisti mysterium, hoc est, unguentum super caput: quare super caput? Quia sapientis sensus in capite est. Sequitur spirituale signaculum, quod audisti, legi hodie, quod post fontes superest, quo perfectio fiat, quoniam ad invocationem Sacerdotis, Spiritus Sanctus infunditur.

Quare candida vestis tradatur Christianis. Ex Raban. de institut. Cleric.

Post Baptismum, traditur Christianis vestis candida, quæ significat innocentiam & puritatem Christianam: quam post ablatas veteres maculas, studio sanctæ conversationis, immaculatam servare debet, ad repræsentandum ante tribunal Christi. Cuncti vero renati, albis induuntur vestibus ad ministerium resurgentis Ecclesiæ. Item utuntur Baptizati albis vestibus: ut quorum primæ nativitatis faciem, vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus sanctæ regenerationis, gloriæ præferat indumentum. Tegitur enim post sacram unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligat se diademate regni, & Sacerdotali dignitate potiri.

Ambrosius de Mysteriis.

Accepisti post Baptismum vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris voluptatem peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina.

Quid circa Missæ Sacrificium agendum.

CAPUT X.

CUm Missæ officium, in quo summum redemptionis humanæ mysterium tractatur, & beneficium Passionis Dominicæ recolitur, propter impias adversariorum disputationes, in magno contemptu habeatur: in hac Synodo sancimus & statuimus, ut a Concionatoribus ejus mysterii usus quoque diligenter & fideliter populo exponatur (*b*) & declaretur: quo eorum animi, abjectis depravatis opinionibus, & persuasionibus, rursus ad tanti mysterii venerationem, amorem, cultum, & frequentationem inducantur. Id quod commodissime fiet, si singulæ Sacri vel Divini officii partes ex lectione sanctorum Patrum explicentur, populusque probe informetur, quid agere, quasve preces & laudes una cum Sacerdote (qui tantum mysterium nomine & authoritate Ecclesiæ exequitur) effundere debeat: ut videlicet ita assuescat plebs piis precationibus, pro salute humani generis, Deo Patri agere gratias: & si non ore, ac Sacramentaliter, tamen spiritualiter, fide, & vero ac intimo cordis affectu, quotidie sumere corpus & sanguinem Domini. Neque enim credendum est, eum carere fructu, qui tanto mysterio interest, utcunque ore non sumat corpus & sanguinem Domini, dummodo pia & syncera animi devotione, salutis & redemptionis humanæ mysterium meditetur, & interventu meriti Christi, totiusque Ecclesiæ, suæque salutis necessitatem, piis precibus Deo commendet. Quamvis nihilominus crebro adhortandus sit populus, ut una cum Sacerdote Sacramentum Eucharistiæ, exemplo veterum Christianorum, per anni cursum sæpius sumat & manducet: Nam cum quotidie peccemus, semper, inquit Ambrosius, (*c*) animæ medicina quærenda est.

Et quia præsens Schisma, multorum & etiam cordatorum animos, propter unius speciei usum & porrectionem, a Communione, & frequenti Sacramenti participatione revocat & absterret: in hac quoque parte crebro & diligenter informandus est, ut abjecto conscientiæ scrupulo, Ecclesiæ authoritati innitatur, eumque ordinem & modum sumendi cœlestem cibum observet, quem ipsa, ductore Spiritu Sancto, non absque rationabili causa præscripsit & monstravit: maxime, cum secundum unanimem & conformem totius Ecclesiæ consensum & adprobationem Conciliorum, & præsertim duorum postremorum Constantiensis & Basiliensis, (*d*) integrum corpus Christi, sub unaqualibet specie, vere & integre per fidem sumatur, & participetur. Sic enim inquit Hieronymus: Singuli autem totum accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, neque per singulas minuitur, sed integrum se in singulis præbet. Et Hylar.: Ubi pars est corporis, est & totum: eadem ratio est in corpore Domini, quæ in Manna, quod in ejus figura præcessit: de quo dicitur, qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat, habuit minus. Non enim quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus Sacramenti Spiritualis. Quæ omnia ideo recitamus, ut ex iis, aliisque Sanctorum testimoniis, Parochi & Ministri verbi, materiam sumant, qua, abjectis scrupulosis & contentiosis opinionibus, aliter persuasos, in viam veritatis, eo facilius revocent, & ad debitam Eccle-

siæ

(*b*) Expositio & meditatio verborum: Sursum corda, habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum & justum est. Pax Domini vobiscum, & spiritui tuo: Peti poterit ex sermone Cyprian. de Oratione Dominica, & ex Chrysost. Hom. 33. in 10. cap. Matt. Item ex Home. de Ence. & 18. Home. in 8. cap. secundæ Corinthi. Et ex August. super illud Evangel. Confiteor tibi Pater Domine cœli, & ex libro: de sancta viduitate. Aug. advers. legem & Prophetas, lib. 1. cap. 18. & contra Faust. cap. 18. lib. 20. Item de fide ad Petrum Diacon. cap. 19. c. Quotiescunque si non sunt, & can. Etsi. dist. 2. de Conf.

(*c*) Ambr. lib. 4. cap. 6. de Sacrament.

(*d*) 30. Sess. Conc. Basil. Refer. dist. 2. de Consec. c. Sing. & c. Ubi pars.

ſiæ Catholicæ obedientiam præſtandam admoneant & exhortentur.

Admonendus inſuper eſt populus, (e) ut juxta Decretum Concilii Aurelianenſis, cum ad celebrationem Miſſarum convenitur, ne ante ejusdem Sacri peractionem & completionem [id quod & ſupra dictum eſt] diſcedat. Inconveniens enim eſt Chriſtianis, ſacro non penitus abſoluto, aut Evangelio vix prælecto, ac concione verbi Divini nondum finita, e templo, absque omni pietatis fruge, abire & diſcedere.

Docendus item eſt, ut non ſolum interne, pie & reverenter, de tanti ſacrificii myſterio ſentiat & loquatur; ſed etiam ut externo corporis geſtu hoc veneretur & amplectatur: ita, ut animos attentos ad hæc, quæ ibi ob memoriam paſſionis Dominicæ (f) & redemptionis noſtræ aguntur, habere videatur populus. Et cum tota Miſſa nihil aliud, quam perpetuam Pſalmodiam & precationes, hinc inde ex ſacra Scriptura deſumptas, ad hæc; religioſam mortis Dominicæ commemorationem in ſe contineat: digna profecto eſt, quæ a Chriſtianis non contemnatur & execretur, ſed pie colatur, ametur, & frequentetur. Quis enim implorando & invocando miſericordiam Dei, ad devotionem precandique ſtudium non excitetur? quis ad nomen Salvatoris Jeſu Chriſti genu non flectat? quis ad benedictionem ſanctæ & individuæ Trinitatis, in cujus tutelam, cuſtodiam & protectionem recipimur, caput non aperiat? quis ad Evangelii proclamationem non exurgat? quis, quæſo, decantandis Pſalmodiis & Angelicis hymnis, Gloria in excelſis, Symbolo Apoſtolico, Sanctus, aliisque Cantionibus, quibus in peragendo tanto Sacro Eccleſia utitur, non toto corporis motu ſe ita componat, ut creatori ſuo & laudes & gratias, una cum tota Eccleſia agat & referat? quis communibus precibus, quæ plurimum efficaces ſunt, ſuas non adjungat? quorum corda non feriant tot tamque ſalutares, ac vere Evangelicæ, & de ore Chriſti prolatæ ſalutationes & precationes: Dominus vobiscum: Pax Domini ſit ſemper vobiscum: Cuſtodiat vos Imp. Maj. una Deitas, & cum ad Canonem deventum fuerit (quem non nuper natum, & in Eccleſiam introductum eſſe, vel ex ſolo Ambroſ. (g) & Auguſt. colligimus, qui pene eadem Canonis verba recitant & interpretantur. Sic enim inquit Auguſtinus: Hanc igitur oblationem benedictam, per quam omnes in cœlo adſcribimur: ratam, per quam in viſceribus eſſe Chriſti cenſemur: rationabilem, per quam a beſtiali ſenſu exuamur: acceptabilem, ut qui nobis ipſis diſplicemus, per hanc acceptabiles ejus unico filio ſimus, &c.) quis non demiſſo capite, humique proſtrato corpore gratias agat Chriſto Salvatori noſtro: qui factus eſt victima pro peccatis noſtris, offerens ſe in altari Crucis, Deo Patri, ad humani generis ſalutem, quæ jam in Adam amiſſa erat, promerendam & recuperandam? quis tanti, tamque magni beneficii non recordetur? quis ejus obliviſcatur ſacrificii: in quo Chriſti paſſio recolitur, ac Corpus & Sanguis Domini ſumitur & bibitur? &, ut Hieronymus inquit, (h) ubi Dominus Jeſus ipſe conviva & convivium, Sacerdos & ſacrificium eſt.

De Sacerdotibus, qui polluta mente ad Altare Domini accedunt.

CAPUT XI.

ET quanquam in hujus myſterii celebratione, aliorumve Sacramentorum adminiſtratione, non perſonarum merita, ſed Sacerdotum officia, Sacramentorumque virtus conſideranda ſit (nam in Baptiſmo, inquit Ambroſius, (i) Petrus non mun-

(e) Propter quæſtiones non ita neceſſarias, unitas Eccleſiæ, Chriſtianæque charitatis vincula non ſcindenda, neque etiam hæ temere in medium proferendæ ſunt. Sicut graviter, pie, & prudenter monet Conſtant. Imper. Vide Niceph. lib. 8. cap. 13. & Gregor. Naz. lib. 1. de The. Diſt. 1. de Conſ. c. Cum ad.

(f) Dom. nona poſt Trinit. precatur Eccleſia: Concede nobis quæſumus Domine, hæc digne frequentare myſteria: quia quoties hujus Hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur.

(g) Ambr. lib. 4. cap. 5. de Sacram. Refert. diſt. 2. de Conſ. c. Utrum figura.

(h) Hieron. ad Eldibiam, & recitatur diſt. 2. de Conſ. idem in lib. de mem. Dom.

(i) Ambroſ. in Prologo lib. 1. de Spiritu Sancto.

mundat, non mundat Gregorius, non noſtra ſervitia, ſed tua O Domine ſunt Sacramenta. Neque enim humani operis eſt Divina conferre, tuum Domine munus eſt, & Patris, qui locutus eſt per Prophetas, dicens: Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Et Chryſoſtomus (*k*) alibi, contingit laicos bene vivere, Sacerdotes vero impie. Neque aut debuiſſet Baptiſma eſſe, aut Corpus Chriſti, aut oblatio, quæ per eos adminiſtrarentur, ſi ubique gratia meritum exquireret, nunc autem per indignos Deus conſuevit operari, & nihil propter Sacerdotis vitam, Baptiſmi gratia læditur. Item Auguſtinus: (*l*) Non ideo veriora & ſanctiora ſunt Sacramenta, quæ per meliorem adminiſtrantur: Illa namque per ſe ipſa vera & ſancta ſunt, propter Deum verum & ſanctum, cujus ſunt) tamen decernimus, ut Sacerdotes debita & ſumma veneratione, dignaque & convenienti præparatione, ad tanti ſacrificii myſterium pertractandum accedant: ne ob eorum ſcandala, vitæque & morum improbitatem, inhoneſtatem & turpitudinem, a tanto myſterio, & ſalutari cæremonia populus avocetur & abſterreatur. Neque enim inficiari quis poteſt indignam tanti ſacrificii tractationem, crebramque cœnæ Dominicæ prophanationem, tantorum malorum, eamque diuturnæ calamitatis in Eccleſia, non minimam cauſam eſſe. Quare in deteſtationem criminum, Sacerdotes ebrietate & crapula refertos, ac impuritate & vitæ turpitudine contaminatos, & infectos, aliiſque manifeſtis & notoriis criminibus obnoxios, a tanto myſterio pertractando, omnino arcemus: volentes, ut ejuſmodi, ſecundum delictorum gravitatem, juxta Canonum (*m*) diſpoſitionem, ſeveriſſime puniantur & plectantur. Ut autem inſtructiores ſint, ad tanti ſacrificii myſterium exequendum: & ne illotis quodammodo manibus ad Altare Domini accedatur (cum alias lex Divina a Sacerdotibus requirat, ut ſanctificentur priusquam accedant ad Dominum Deum, ne forte derelinquat illos: Item, ut non adducant in ſe delictum, & ne accedant offerre dona Deo, in quibus fuerit macula) volumus, ut confeſſione præcedente, conſuetis hymnis, pſalmis & precationibus, de quibus in libro precationum, quem Breviarium vocant, forma præſcribitur, aliisque Sanctorum Patrum meditationibus & orationibus, cujusmodi Ambroſii, ſequensque hic Auguſtini & Baſilii Magni eſt, utantur: quo Sacerdotes ad majorem devotionem, reverentiam & pietatem tanti Sacrificii provocentur & excitentur. Sequitur Auguſtini.

Auguſtini Oratio deſumpta ex Manuali de Reparatione, vel de Præparatione noſtræ Redemptionis. Cap. XI.

PUlcherrime Domine Jeſu Chriſte, rogo te per illam ſacratiſſimam effuſionem precioſi ſanguinis tui, quo redempti ſumus, da mihi cordis contritionem & lachrimarum fontem: præcipue dum preces & orationes tibi offero: dum tuæ laudis tibi Pſalmodiam decanto: dum myſterium noſtræ redemptionis, manifeſtum miſericordiæ tuæ indicium, recolo vel profero: dum ſacris altaribus, licet indignus, aſſiſto: cupiens tibi offerre illud mirabile & cœleſte ſacrificium, omni reverentia & devotione dignum, quod tu Domine Deus meus, Sacerdos immaculate, inſtituiſti, & offerre præcepiſti, in commemorationem tuæ charitatis, mortis ſcilicet & paſſionis pro ſalute noſtra, pro quotidiana fragilitatis noſtræ reparatione: Confirmetur mens mea, inter tanta myſteria, dulcedine præſentiæ tuæ, ſentiat te ſibi adeſſe, & lætetur coram te. Ignis, qui ſemper luces: amor, qui ſemper ardes: dulcis Chriſte, bone Jeſu, lumen æternum & indeficiens, panis vitæ, qui nos

(*k*) Chryſoſt. hom. 9. ſuper 1. ad Corinth. c. 2.

(*l*) Auguſt. contra Creſ. Gram. lib. 4. cap. 20. & legatur integer Canon, qui habetur 32. Diſt.

(*m*) Can. Ut Clericorum mores, a crapula & ebrietate. De vit. & honeſt. Cler. Bern. in ſerm. 14. ſuper can. Quid tibi cum fœminis, qui ad Altare cum Dom. familiaris. Qualiter eisdem labiis oſcularis in Altari Filium Virginis, quibus oſcularis in lupanari filium meretricis? & D. Hieronym. Væ tibi Sacerdos, qui eodem ore oſcularis filium Veneris, quo paulo ante ſumpſiſti filium Virginis.

nos reficis, & in te non deficis: quotidie comederis, & semper integer manes, resplende mihi, accende me, illumina & sanctifica vas tuum: de malitia evacua, imple de gratia, & plenum conserva, ut ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, quatenus manducando te, vivam de te, vivam per te, perveniam ad te, & repausem in te.

Oratio devota ex Missa & Liturgia Basilii Magni, Episcopi.

OMnipotens æterne DEUS, te suppliciter exoramus, ut nos omnes, de uno pane & calice participantes, coadunati invicem in unius Spiritus Sancti communione, & nullum nostrum ad judicium aut condemnationem facias accipere sanctum corpus & sanguinem Christi tui, sed ut inveniamus misericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis, qui a sæculo tibi placuerunt, etiam Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, & omnis Spiritus justorum, finem in fide habentium, præcipue sanctæ & intemeratæ benedictæ Dominatricis & semper Virginis MARIÆ, Sancti Joannis Præcursoris & Baptistæ, Sancti N. cujus memoriam facimus, & omnium Sanctorum tuorum, quorum postulationibus visita nos Deus, & memento omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, & refrigera eos, ubi visitur lux vultus tui. Adhuc te obsecramus, memento sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ est a finibus, usque ad fines orbis terrarum: & pacifica eam, quam fecisti honorifico sanguine Christi tui: & sanctam domum istam confirma, usque ad consummationem sæculi. Memento Domine eorum, qui munera ista tibi obtulerunt, & per quos, & pro quibus ea obtulerunt. Memento, Domine, frugiferorum & bene operantium in sanctis Ecclesiis, & memorantium pauperum: retribue illis, divitibus & cœlestibus donis tuis: da illis pro terrenis, cœlestia: pro temporalibus, æterna: pro corruptibilibus, incorruptibilia. Memento, Domine, eorum, qui sunt in desertis, & montibus, & speluncis & cavernis terræ. Memento, Domine, eorum, qui sunt in virginitate, & viduitate, & reverentia, & monachali habitu, & venerabili civilitate degentes. Memento, Domine, piissimi & fidelissimi nostri Imperatoris, quem decrevisti regnare super terram: da ei arma veritatis, arma bonæ voluntatis: corona eum, obumbra super caput ejus in die belli, conforta brachium ejus, exalta dexteram ejus: corrobora imperium ejus: subditas fac illi omnes Barbaras nationes, quæ bella volunt: tribue illi profundam & inablatam pacem: loquere in cor ejus bona pro Ecclesia tua, & omni populo tuo, ut in tranquillitate ejus, tranquillam & pacificam vitam peragamus, in omni pietate & venerabilitate. Memento, Domine, omnis Principatus & potestatis, & qui sunt in Palatio fratrum nostrorum, & omnis exercitus: bonos in bonitate conserva: malos bonos fac in benignitate tua. Memento, Domine, circumstantis populi tui, & pro certa causa remanentium, & miserere eis & nobis, secundum multitudinem misericordiæ tuæ: Promptuaria eorum adimple omni bono: conjuges eorum in pace & concordia conserva: parvulos enutri: juventutem bajula, senectutem contine: pusillanimes consolare: dispersos congrega: errantes revoca, & coaduna sanctæ tuæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. Energumenos a spiritibus immundis libera: navigantibus connaviga: iter agentibus coitera, viduis patrocinare: orphanos protege: captivos libera: infirmos sana: qui in ergastulis & in metallis, atque exiliis, seu amara servitute, vel in quacunque tribulatione & angustia, sive anxietate sunt, releva. Memento, Domine, & omnium petentium magnam misericordiam tuam, & omnium amantium nos, & odientium, & postulantium, nos indignos orare pro illis: & omnis populi tui. Memento, Domine Deus noster, omnium: & super omnes effunde divitem misericordiam tuam, omnibus tribuens, quæ ad salutem sunt, postulationes. Et quorum nos memoriam non fecimus, aut per ignorantiam, aut per oblivionem, vel propter multitudinem nominum, ipse memento Deus, qui scis uniuscujusque ætatem & appellationem, qui scis unumquemque de ventre matris suæ. Tu es enim, Domine, auxilium inauxiliatorum, spes despera-

torum, laborantium falus, navigantium portus, languentium medicus. Ipse omnibus omnia fis, qui fcis unumquemque & poftulationem ejus, domum & neceffitatem ejus. Et erue, Domine, civitatem hanc, & omnem civitatem & regionem, a fame, peftilentia, terræ motu, dimerfione, igne, gladio, incurfu alienigenarum, & civili bello. Inprimis memento Domine, Archi Epifcopi N. quem, da fanctis tuis Ecclefiis ad pacem, integrum, honorificum, fanum, longævum, recte tractantem verbum veritatis tuæ. Memento, Domine, omnium Epifcoporum orthodoxorum, recte tractantium verbum veritatis tuæ. Memento, Domine, fecundum multitudinem miferationum tuarum & meæ indignitatis: indulge mihi omne delictum voluntarium, etiam non voluntarium: & non pro peccatis meis prohibeas gratiam Sancti tui Spiritus, a propofitis muneribus. Memento, Domine, honorifici Presbyteratus, qui eft in Chrifti minifterio, & omnis Sacerdotalis ordinis: & neminem confundas circumftantium fancto altari tuo, vifita nos in bonitate tua, Domine appare nobis in divitibus miferationibus tuis. Bene temperatas & utiles nobis auras tribue: pluviam pacificam ad fructificationem terræ largire, benedic coronam anni benignitatis tuæ: comprime fchismata Ecclefiarum: extingue incurfiones gentium: hærefum infurrectiones cito deftrue, virtute Sancti tui Spiritus: omnes nos fufcipe in regno tuo, filios lucis, & filios diei, oftendens tuam pacem, & tuam charitatem. Da nobis, Domine Deus nofter (omnia enim dedifti nobis) da nobis uno ore & uno corde glorificare & laudare honorificentiffimum & magnificentiffimum Nomen tuum, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & femper, & in fæcula fæculorum, Amen.

Sacrum non effe peragendum, fi plane nemo Actioni Miffæ interfit.

CAPUT XII.

ET cum tota peragenda publici Sacri actio præfentiam hominum, qui Miffæ interfint, requirat & exigat: inconveniens fane & ineptum eft, nemine præfente, imo fæpe Miniftro abfente, hoc peragere: quafi Divinæ precationes, obteftationes, compellationes, ac benedictiones, Divorum Statuis & imaginibus, aut parietibus templi, pronunciari ac fieri debeant. Præcipimus igitur, juxta difpofitionem Canon.: (n) hoc quoque ut femper Presbytero vel Sacerdoti, Miffarum folennia celebranti, duo, vel ad minus unus idoneus, ceu teftes, adfint, qui fuo Ecclefiæque nomine, Sacrificanti decenter & apte refpondeant: id quod intelligi volumus, de Miffis ac Sacris privatis: de Sacro vero publico, obfervetur ordinatio & conftitutio Canon.: jubemus, eadem Dift. de Confecrat.: Danda autem a Collegiis vel Parochiis inprimis eft opera, ut non quosvis, omnis plane rei Ecclefiafticæ imperitos, ad hoc muneris fufcipiant: fed tales, qui idonei fint, quique norint Sacerdotum precationibus, commode & convenienter refpondere: & fi neceffitas quoque requirat, (o) una pfallere, Epiftolam vel lectionem Evangelii prælegere: Item juventuti in eisdem locis præeffe, & exhortari populum, ut filios fuos ad Ecclefiam mittant, ad fidem pietatemque Chriftianam. (Cujus fane conftitutionis umbram, videmus in nonnullis Collegiis, & Parochiis ruralibus, ut vocant) difcendam & percipiendam. Quæ enim abfurditas, quæfo, circumftanti turbæ præfentiam Domini, æternamque pacem & benedictionem precari? Ad hæc, admonere fratres & forores, ut una cum Sacerdote Deum interpellent ac precentur: corda ad Deum elevent, cum nemo adfit, qui vel ore, vel mente refpondeat, eaque approbet, ac fua vota, Sacerdotis precibus & poftulatis, (p) quæ circumftantium, totiusque Ecclefiæ nomine a Sacerdote peraguntur, adjungat. Id quod tamen fic intelligi volumus, ne ob id, ipfius Sacrificii peractio penitus intermittatur: cum Ecclefia, non tam perfonarum, vel circumftantium numerum, quam Sacramenti unitatem potiffimum attendat & confideret: cumque etiam, utcunque corpore abfente, tamen mente,

(n) C. Hoc quoque. de Conf. dift. 1.
(o) C. Ut quisque. De vit. & honeft. Cleric.
(p) Petrus Damianus in lib. fuo, qui infcribitur: Dominus vobifcum. cap. 13.

mente, votis, desiderio, & spiritu, Sacro interesse possimus, &c. Sed ut decenter, & rite, convenientique ordine & modo, in hoc mysterio conficiendo, omnia tractentur & peragantur.

De Pœnitentia & Confessione.

CAPUT XIII.

CUm Confessio res utilis, salutaris & necessaria sit: volumus & ordinamus, ut ea non solum in Ecclesiis solicite custodiatur & retineatur, sed etiam ut ejus Sacramenti virtus populo frequenter, ac summo adhibito studio fideliter exponatur & tradatur. Nam etsi in Baptismo plene recipiamus, omnium peccatorum nostrorum, remissionem & condonationem: tamen cum in hac imbecillitate & fragilitate humanæ carnis, subinde relabamur & peccemus (quæ quidem pœnitentiam agentibus, per magnam Dei misericordiam & clementiam, qui non vult perire quenquam, sed omnes homines salvos fieri, ut convertantur & vivant, denuo remittuntur & condonantur) fit, ut necessarium omnino in Ecclesia pœnitentiæ Sacramentum sit, quod (ut eleganter Hieronymus (q) inquit, quasi secunda post naufragium miseris tabula est. Nam cum delinquimus, cum peccamus, cum indignationem Dei incurrimus, & vicissim delicti perpetrati & commissi vere pœnitet, misericordiamque Dei cum plena cordis fiducia imploramus, tum gratiam remissionemque delictorum denuo consequimur. Crebro igitur ad pœnitentiam agendam, adhortandus est populus & informandus, hanc non in nuda professione ac simulatione, sed in vera cordium contritione, & syncera delictorum confessione ac satisfactione consistere: Idque tandem vere pœnitere esse, priorem abjicere, & novam Christo complacentem assumere & inchoare vitam: ac secundum ipsius Salvatoris nostri doctrinam, amplius nolle peccare. Et ut Ambrosius ait: (r) non solum diluere lachrymis peccatum suum, sed & emendationibus factis operire & tegere delicta superiora, ut non imputetur peccatum. Cum autem a confessione & enumeratione peccatorum, quæ Sacerdotibus & Ministris Ecclesiæ fit, homines, hoc præsertim tempore, maximopere abhorreant: danda erit opera, ut eam rursus (id quod sacræ Scripturæ & Ecclesiæ authoritate, sanctorumque Patrum testimoniis commode fiet) tanquam rem salutarem, utilem, & ad salutem animarum promovendam necessariam, amplectantur. Nam, cum juxta Christi institutionem, Spiritum Sanctum ad remittenda & retinenda peccata acceperunt Sacerdotes, Ecclesiæque ministri (Accipite, inquit, Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt. Item quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo) tum non absurdum & inconveniens est, peccata remittere posse (ut ait Cyrillus (s)) qui Spiritum Sanctum in se ipsis habent. Nam cum ipsi remittunt aut detinent, Spiritus, qui habitat in eis, per eos remittit aut detinet: Et Ambros. (t) Munus Spiritus Sancti, est officium Sacerdotis: Jus autem Spiritus Sancti in solvendis ligandisque criminibus est. Cum igitur Christus potestatem & facultatem ligandi & solvendi, remittendi & retinendi peccata, in Vicaros suos transtulerit: necessario sequetur, peccata enumeranda esse; quo cognoscant, quæ peccata retinenda vel remittenda, quæ adhibenda remedia, quæ cura agenda, quod consilium præstandum, quæ pœna imponenda, quæ mulcta indicenda, quæve satisfactio injungenda sit. Ignorans enim, neque absolvere, neque ligare poterit: & ipse sibi denegat curam, qui suam medico non publicat causam: ait Augustin. Epist. 188. Quare Clemens S. Petri discipulus nos ad enumerationem peccatorum admonet & adhortatur, inquiens (u): Quod si forte alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc ei,

(q) Hieron. ad Demetriadem.
(r) Ambr. lib. 2. de Pœnitent. cap. 5.
(s) Cyrill. lib. 12. in Joannem. cap. 56.
(t) Ambr. lib. 1. de Pœnitent. cap. 2.
(u) Clement. in Epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini.

ei, qui præest, ut ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur: quo possit fide integra, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire. Et Basil. Magnus (x) Necessarium, inquit, videri iis, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda peccata esse. Et Ambros. (y) alibi: Verecundam confessionem solvere criminum nexus, asserit. Et Augustin. expresse affirmat: (z) non soli Deo, sed & Sacerdoti confitendum esse. Hæc enim sunt ipsius verba: Nec dico ut soli Deo, sed & Sacerdoti, Vicario Dei, confitearis: aperi ei penetralium tuorum, abditissima latibula: conscientiarum verecundarum penitiora, revela repagula: Item in alio loco: sunt qui sibi sufficere ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina: Nolunt enim aut erubescunt, sive dedignantur se ostendere Sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere, per legis latorem constituit Dominus: Sed nolo, ut ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabescens præ rubore, vel cervicosus præ indignatione. Nam ipsius similiter subeundum est judicium, quem Dominus sibi non dedignatur Vicarium. Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem, &c. Quæ ideo ex Patribus prolixius referimus, ut ex cordibus hominum per diligentem Parochorum informationem, tollatur & eximatur eorum error, qui more Novatianorum, facultatem solvendi & ligandi, contra expressum verbum Dei, Sacerdotibus adimunt, & soli Deo confitendum esse asserunt: nihil aliud agentes, quam ut mandata Dei rescindant, & secundum Ambrosii verba (a) commissum munus confundant, omnesque Ecclesiæ pias & utiles constitutiones, in dubium revocent, ac contentiosis disputationibus conturbent. Ut autem in sui agnitionem deducatur populus, & perspiciat quomodo vitam transigat: quomodo se erga Deum gerat & exhibeat: quibus studiis, quibusque actionibus deditus sit, proderit diligenter commonefacere & admonere, ut ad Decalogi præcepta: ad peccata (ut vocant) mortalia seu capitalia, vel in cœlum clamantia: ad quinque sensus hominis: ad opera misericordiæ: aliaque universam vitam suam, referat, singulaque ex ordine diligenter exploret & examinet: in quibus homo immunem & liberum, in quibus vero reum se agnoscat. Neque enim a Theologis temere hæc constituta, sed in eum finem ordinata & disposita sunt, ut in sui agnitionem, tanquam per gradus penitus deveniant homines: & cognita & perspecta delictorum & transgressionum mole, majori ardore & affectu, ad pœnitentiæ studia & exercitia, atque prioris vitæ emendationem, excitentur, provocentur, ac convertantur: hac enim occasione privatæ vitæ explorandæ & inquirendæ, oblata, facilius singula in memoriam revocabunt, quam si hac ablata, generali agnitione vel confessione, simpliciter agnoscendo se esse peccatores, contenti sint homines. Obedientiæ Sacrificium non mediocre est (utcunque Deus (b) humani cordis inspector & perscrutator sit) semetipsum accusare, & coram eo, ejus denique ministro agnoscere imbecillitatem suam, agnoscere crebros continuosque humanæ fragilitatis & carnis lapsus: confiteri se denuo deliquisse contra mandata Dei, excidisse ab ejusdem gratia, idque tali delicti genere, se in observatione hujus vel alterius præcepti inprimis esse negligentem: torpere ad omnia pietatis, charitatisque Christianæ studia, juxta exemplum Achæ, quem Josua fideliter & diligenter admonebat, & exhortabatur ad confitendum id, quod contra mandatum & præceptum Dei, commiserat, utcunque Deo cognitum esset perpetratum Achæ delictum, inquiens: Fili mi, (c) da gloriam Domino Deo Israel, & confitere atque indica mihi, quid feceris: ne abscondas. Responditque Achas Josuæ, & dixit ei: vere ego peccavi Domino Deo Israel: & sic, & sic feci. Perplexam autem curiositatem, & conscientia-

(x) Basil. in reg. Monach. c. 21.
(y) Ambr. de Pœnit. lib. 2. cap. 6.
(z) August. de salutaribus documentis, & de visit. infirm. De visit. infirm. lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 4.
(a) Ambr. de Pœnit. lib. 1. cap. 2.
(b) Hierem. 17. cap.
(c) Josuæ 7.

entiarum carnificinam, hac constitutione non exigimus: sed in tanta securitate hominum, a quibus timor Dei sublatus (qui Tertulliano teste, (*d*) Instrumentum pœnitentiæ est: & ut eleganter inquit Basilius Magnus, (*e*) ad pietatem Pædagogus, & Isagogicus) pietasque Christiana elanguit: præsentem confessionis formulam requirimus: ut in transgressionis sui agnitionem, homines eo facilius & commodius perveniant: cum compendiosa ad veniam via sit, peccatorum suorum fœditatem & magnitudinem diligenter intueri ac inspicere. Absoluta igitur confessione, satisfactione opus est: quæ consistit in emendatione vitæ, in mortificatione carnis, in larga & liberali eleemosyna, in abstinentia, in jejunio, in oratione, in vigiliis. Non enim sufficit: ait Augustinus (*f*), mores in melius commutare, & a factis malis recedere: nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Et in alio loco: (*g*) in melius est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis, est propitiandus Deus: non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere: nemini (*h*) enim dedit laxamentum peccandi: quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Siquidem id est curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiose & sedulo agere, ut sanes peccatum. Quæ satisfactio non ita intelligenda est, ut culpam & æternam pœnam diluat & aboleat (id enim non hominum operibus, sed unico Christi merito tribuitur & conceditur) sed ut novo inchoato vitæ genere, veram cordis pœnitentiam, declaremus, ac reliquias peccati, aliis bonis & piis operationibus, quæ ex merito passionis Christi virtutem, & promerendi efficatiam assumunt, extinguamus. Quæ quidem, si ex fide proficiscuntur, ad salutem recipiendam & consequendam, utiles & necessariæ sunt: non quidem ratione operantis, sed miserentis & promittentis Dei. Nam æternam salutem tribuendo, Deus non nostra merita, sed sua coronat dona. Et gravissime Augustinus [*i*]: Tantam esse erga hominem, Dei bonitatem ait, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus: præsertim, cum nihil boni operari queamus, nisi ope & patrocinio Christi. In omni enim opere bono, ut idem inquit, non nos incipimus, & postea per misericordiam Dei, adjuvamur, sed ipse nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui, nobis inspirat. Quare de iis omnibus, probe & diligenter populus instituendus & informandus est. Observandum insuper, ut in imponenda satisfactione Ministri sint prudentes: ne minus necessaria, & ad emendationem vitæ parum utilia, & quod alioqui juxta Augustini sententiam, [*k*] vel impossibilitas abdicat, aut tempus evanescens adimplere prohibet, vel alioqui citra valetudinis incommodum, & rei domesticæ jacturam & detrimentum exequi difficulter possit, confitentibus loco satisfactionis imponatur. Et cum [*l*] non omnium sit, secretas audire populi confessiones: statuimus, ut id muneris & officii, peritis, doctis, & prudentibus Presbyteris & Sacerdotibus, quique maturæ ætatis, honestæ vitæ, ac bonæ conversationis, & tenaces secreti sint, committatur: quique perturbatis, perplexis & sauciis conscientiis, consulendo & medendo, opem & auxilium adferre & subministrare possint, & qui sciant, ut ait Origenes, (*m*) infirmari cum infirmante, flere cum flente, ac qui & condolendi & compatiendi disciplinam habeant. Grave enim est detecto morbo, nudato ulcere, & aperto vulnere, nullam, nisi absolutione facta & pronunciata, turbatis, vacillantibus, & mœrore consternatis conscientiis, opem, auxilium vel consolationem præstare posse: Volentes nihilominus ex sacra Scriptura, bene informatis conscientiis, & juxta Decretum

(*d*) Tertullianus de Pœnit.
(*e*) Basilius super Psal. 31.
(*f*) Augusti. in præallegato loco cap. 5.
(*g*) Augustin. in Enchir. 10.
(*h*) Augustin. in Psal. 17.
(*i*) August. Tract. 3. in Joan.: idem de Eccles. dog. cap. 32. Cyrill. in Evang. Johan. lib. 9. cap. 30.
(*k*) August. de visitat. Infirm. lib. 2. cap. ult.
(*l*) In hist. Eccl. lib. 9. cap. 35.
(*m*) Orig. in Psalm. 38. Hom. 2.

Concilii Remensis, (n) exploratis personis, num ex ordine Decalogum, Symbolum Apostolicum, & Orationem Dominicam recensere sciant, ut absolutionem non intricate, multisque circumductionibus perplexam, sed clare & perspicue, secundum communem Ecclesiæ formam, proferant ac pronuncient: ac confitentem, imposita pœnitentia, in pace dimittant. Cæterum quantum ad casus Episcopali authoritati reservatos attinet: præcipimus, ut ii ex causis ad hoc nos moventibus, citra specialem nostram commissionem, præterquam in mortis articulo, a nullo remittantur, sed Episcopali potestati reserventur: pollicentes nihilominus, in ea parte erga subditos, prout pium Patrem, & fidelem Pastorem decet, nos gesturos.

De antiquis Ecclesiæ Ritibus, *Consuetudinibus*, *Traditionibus*, & *Ceremoniis*.

CAPUT XIV.

Sinister intellectus & ignorantia, Traditionis Apostolicæ, Constitutionum Ecclesiasticarum, Consuetudinum, Rituum & Ceremoniarum in Ecclesia, sæpe magnas contentiones excitavit, & non mediocrem contemptum apud imperitos peperit. Quare id, quod supra de Sacramentorum usu explicando diximus, idem & hic repetendum censemus. Neque enim Ecclesiastici ritus & ceremoniæ, tanquam res meræ prophanæ & impiæ a populo contemnerentur, si de earum usu, & cur ab Ecclesia observarentur, & introductæ sint, constaret. Nunc autem cum major pars hominum non intelligat, quid significent, quid repræsentent, & cur ejusmodi constitutionibus, consuetudinibus, & ritibus Ecclesia utatur: quis eorum finis, & quæ authoritas earum sit, & in quantum valere debeant & possint: fit, ut non solum sine ratione & judicio contemnantur, sed etiam propter adversariorum parum æquas interpretationes, tanquam impii cultus improbentur, & abominentur. Danda igitur est opera, ut per anni circulum, congruo, & commodo tempore, eorum usus, ratio, & significatio (in quantum tamen expedit, & necessarium videbitur) quoque fideliter exponatur: ut intelligat & cognoscat populus, quare Ecclesiasticæ traditiones & constitutiones observandæ sint: quid, & in quantum consuetudini tribuendum: qui ritus in Ecclesiis retinendi, qui vero abolendi, & rejiciendi sint. Et cum Augustinus post Tertullianum & Basilium Magnum, hinc inde in suis voluminibus, pie, prudenter, & erudite, hanc rem discusserit & tractaverit, visum est pro utilitate Ecclesiæ, nostræ Diœcesis (in qua propter intempestivas, absurdas & contentiosas adversariorum disputationes, omnis ferme traditionum, consuetudinum, & rituum authoritas interiit) pauca quædam subjicere.

Sciendum igitur est, Consuetudinis (o) non esse vulgarem, nec mediocrem in Ecclesiis & Ecclesiasticis constitutionibus, ac ritibus conservandis, authoritatem: quare non temere tollenda, immutanda, aut infringenda est: sed tanquam vim legis, & authoritatem habens, pie colenda & observanda. Sic enim inquit Augustin. (p) In his rebus, de quibus Divina Scriptura nihil certi statuit, mos populi Dei, & instituta majorum, pro lege tenenda sunt, & sicut prævaricatores Divinarum Legum, ita & contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum, coercendi sunt. Quæ tamen doctrina (secundum eundem Augustin.) semper intelligenda est, dummodo contra fidem Catholicam nihil statuat, aut usurpare dignoscatur. Ratio enim & veritas, consuetudinem semper excludit, & præponenda est. Nam utcunque consuetudo vetusta sit, utcunque vulgata, tamen veritati omnino cedere debet, & usus veritati contrarius abolendus est. Quare Tertull. (q) & veterem consuetudinem Hæresim vocat, si adversus veritatem sapiat. Augustin. (r) igitur hoc genus, quibus Catholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa, utitur, in quatuor formas redigit: Aut enim, inquit, ex ipsa authoritate sacræ Scripturæ: aut ex traditio-

(n) Ex Concil. Remensi cap. 8.

(o) C. Consuetudinis. dist. 11.

(p) August. ad Casulanum Epist. 86. & refertur dist. 11. cap. In his rebus. c. Consued. dist. 11. c. Veritate. & c. Si consuetud. dist. 8.

(q) Tertull. de veland. Virg.

(r) August. ad Januar. Epist. 118.

ditione Apoſtolica & univerſali conſuetudine: aut ab informatione propria, & particulari inſtructione regionum, locorum, & Eccleſiarum: aut ex longa & depravata conſuetudine ac uſu proficiſcitur: De primo autem genere, cum propria authoritate nitatur, nihil dicendum eſt: ſed de ſecundo ſentiendum, non minorem Apoſtolicæ traditionis, quæ non ſcripto conſiſtit, nec in ſcripturis comprehenditur, authoritatem eſſe: Siquidem non omnia ab Apoſtolis in ſcripta redacta ſunt: ſed juxta Pauli ſententiam, multa in Eccleſiis tradiderunt & conſtituerunt Apoſtoli, quæ deinceps de Eccleſia ad Eccleſiam, de Epiſcopo ad Epiſcopum, ordinaria ſucceſſione, tanquam per manus devenerunt promulgata, ac longa & univerſali accedente conſuetudine, confirmata & corroborata ſunt. Quare Auguſtin. ad Janu. (*s*) illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel ex plenariis Conciliis (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas) commendata atque ſtatuta retineri: ſicuti quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio ad cœlum, Adventus Spiritus Sancti, anniverſaria ſolennitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervatur ab univerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia. Et Baſil. Magn. (*t*) graviter contendit, hoc genus Traditionum non minorem authoritatem, ſed cum priore parem vim & virtutem ad pietatem habere. Nam ſi conſuetudines, inquit, & traditiones, tanquam non multum habentes momenti conemur rejicere, quod ſcripto proditæ non ſunt: neceſſe erit multa damnare, multa rejicere, improbare multa, multa abolere, plura tollere, quæ in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur & continentur, imo ipſam fidei prædicationem, totamque Religionis Chriſtianæ formam, ad exiguas & tenues rerum anguſtias, & ad nudum nomen (iis enim verbis utitur) redigere & contrahere. Nam quod ſigno crucis utimur: quod ad Orientem verius precamur, noſtraſque preces effundimus: quod conſecramus aquam Baptiſmatis, & oleum unctionis: quod homines immergimus: quod in Baptiſmate, Sathanæ renunciamus, & Angelis ejus: quod, cum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & ad poculum benedictionis, invocationis verba proferimus, neque contenti quæ commemorat Apoſtolus & Evangelium, verum alia quoque antea & poſt dicimus, tanquam multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus, &c. nullo ſcripto tradita ſunt, & nusquam in ſcripturis reperiuntur, neque earum traditionum, & conſuetudinis in ſcripturis fit aliqua mentio: tamen nihilominus ex arcana, ſecreta & tacita traditione, pie obſervantur & retinentur, ac in Eccleſiis tanquam ad ſalutem promovendam, cuſtodiuntur. Et cum eadem Tertullianus quoque tractet, libet & hujus antiquiſſimi ſcriptoris locum ſubjicere, qui habetur in libro de Corona Militis: ut clare perſpiciatur, quantus ſit ea in re, Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum conſenſus: Sunt autem hæc ejus verba: Ergo quæramus, an & Traditio non ſcripta non debeat recipi? plane negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quas ſine ullius ſcripturæ inſtrumento, ſolius Traditionis titulo, exinde Conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut a Baptiſmate ingrediar, aquam adituri ibidem, ſed & aliquando prius in Eccleſia, ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam, prægustamus: exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus. Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus & omnibus mandatum a Domino etiam ante lucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis annua die facimus: Die Dominico jejunium nephas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus. Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lava-

(*s*) Epiſt. 118. c. 1. & 5.

(*t*) Baſil. in lib. de Spiritu San. c. 27. & 29.

lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem, Crucis signaculo terimus. Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces: interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium. Quare de hoc genere, reverenter & pie sentiendum & docendum est, ut supra dictum, harum non esse minorem authoritatem, ac si expresse in Scripturis sacris continerentur.

Tertium genus, cujus Augustinus in eadem Epistola ad Januarium (*u*) mentionem facit, est, videlicet specialis vel particularis instructio uniuscujusque Ecclesiæ, vel provinciæ, vel regionis, quæ per loca terrarum, regionesque diversimode variantur: sicuti est, quod aliqui jejunant Sabbato, alii vero non, alii quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, alibi tantum Dominico: his enim exemplis utitur Augustinus. Est igitur in hoc genere Traditionum, observanda Augustini doctrina, qui de his rebus prudentissime differens, inquit: Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum. Quare id judicio & prudenti Christianorum discretioni, committit, ut eo modo agant, quo agere vident Ecclesiam, ad quam forte deveniunt, si modo aliis nolunt esse scandalo, neque quenquam ipsis, quod sane & Augustinus ex consilio beati Ambrosii, matri suæ Monicæ consuluit, cui & ipse una cum matre, tanquam saluberrimæ doctrinæ & regulæ acquievit.

Restat adhuc quartum (*x*) genus Traditionum, quod neque sacræ Scripturæ testimonio, neque Conciliorum authoritate, neque universalis Ecclesiæ consuetudine corroboratur & approbatur, sed diversorum locorum, diversis moribus, innumerabiliter variatur: & in cujus observatione, non solum nulla utilitas subest, sed etiam nullæ causæ demonstrari & inveniri possunt, quas in eis constituendis, homines secuti sint: de quibus, secundum Augustini sententiam, ita sentiendum est, ut ubicunque facultas tribuitur, sine ulla dubitatione, resecentur & aboleantur: quod tamen non a vulgo & promiscua plebe, sed ab ordinaria potestate, & ea moderatione fieri debet, ut in earum abolitione, publicæ tranquillitatis, aliarumve circumstantiarum, ratio & prudens rerum circumspectio, & consideratio habeatur: Ne videlicet tollendo inveteratam, parumque utilem consuetudinem, graviora exinde (id quod nostris temporibus vidimus) & Ecclesiarum, & rerum publicarum, subsequantur incommoda & pericula. Nam quemadmodum Ecclesia Dei, in hoc corrupto mundi, & depravato hominum statu, multa tollerat & dissimulat, ut prudentissime ait D. Augustinus, & tamen ea, quæ contra fidem, vel bonam vitam sunt, non adprobat, nec tacet, nec facit: ita in abrogandis & tollendis depravatis consuetudinibus, moribus & ritibus, multa ferenda & toleranda sunt, ne lædatur tranquillitas & pax publica, donec mutandi & tollendi oportunitas & commoda occasio sese offerat. Verissimum enim est, quod idem inquit (*y*): Mutationem consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbare.

Cæterum danda quoque est opera, ne multitudine Traditionum, & præsertim non necessariarum, populus nimis gravetur & oneretur: neve in observatione earundem plus curentur hæc, quæ propria authoritate imponuntur, quam quæ in sacris Scripturis, ad utilitatem nostram præcipiuntur, id quod & Augustinus suis temporibus conquestus est. Quare in observatione vel remissione earum, singularis quædam prudentia, judicium, & discretio, adhibenda est.

Et quanquam necessarium sit, præsertim hoc tempore, populo usum Traditionum, constitutionum, rituum, & cere-

(*u*) Cap. 2.
(*y*) In eadem Epist. cap. 5.
(*x*) August. ad Januar. Epist. 119. cap. 19.

ceremoniarum explicare: tamen diligenter obſervandum eſt, ne id aliter fiat, niſi in quantum expediat, & informationis cauſa, ad pietatem excitandam & alendam conveniat. Neque præſentem conſtitutionem ita intelligi volumus, ut omnia & ſecretiora Eccleſiæ myſteria, & arcana revelari, & ex ordine exponi debeant (id enim nec utile, nec neceſſarium: & veriſſimum eſt, Apoſtolos & ſanctos Patres, ut graviſſime inquit Baſilius (z): qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt, in occulto, ſilentioque myſteriis ſuis ſervaſſe dignitatem, & noluiſſe ea omnia ad populares & vulgi aures efferri, & producere, ne dogmatum cognitio, propter aſſuetudinem vulgi veniret in contemptum: (a) ſcientes nimirum, res uſu tritas, & undecunque parabiles, contemptui expoſitas eſſe: ſepoſitis vero & ſemotis conjunctam eſſe ſummam admirationem, ſtudium, & venerationem: his enim utitur verbis, de præſenti materia traditionum, acute, graviter, & prudentiſſime diſputans: adfirmans Moyſi exemplo, hanc eſſe cauſam & rationem, cur quædam citra ſcriptum prodita ſint) Sed volumus, ubi commode fieri poterit, & præſertim in concionibus publicis, ut omnium earum rerum uſus, compendiaria oratione, & ſecundum populi captum & utilitatem, in quantum neceſſe eſt, exponatur & explicetur, ut ſinguli intelligant, & cognoſcant, quid in peractione uniuscujusque rei meditari & contemplari debeant. Certum enim eſt, nudam & ſimplicem earum ignorantiam, aut ſuperſtitionem aut contemptum parere.

De Horis Canonicis & Precibus indies legendis & abſolvendis, deque ſtudio & meditatione ſacrarum Scripturarum.

CAPUT XV.

Cum ratione (b) ordinis & profeſſionis, Clerici, & præſertim, qui juxta Reformationis formulam majores Ordines receperunt, ſeu de beneficiis Eccleſiæ aluntur & ſuſtentantur, ad quotidianas, continuas, & publicas preces & laudes, pro Eccleſia Deo peragendas, adſtricti & obligati ſint: & cum a ſanctis Patribus, (c) hoc precationis ſtudium, animique exercitium, in ſeptem partes diſtributum & ordinatum ſit: ſtatuimus, ut hæc, ſepties laudandi Deum, periodus, quam diligentiſſime a noſtris Presbyteris, quotidie & obſervetur & abſolvatur: ita tamen, ut ad corporale & externum precandi exercitium, verum animi deſiderium, totaque mentis & cordis intentio, accedat. Quippe cum vera poſtulatio & precatio non in oris tantum vocibus, ſed in cogitationibus cordis conſiſtat, & Deus non vocis, ſed cordis auditor ſit: &, ut Auguſtinus ait, (d) id tandem multum precari eſſe, cum ad Deum, quem precamur, Divina & pia cordis excitatione, pulſemus. Adhæc volumus etiam, ut reliqua temporis vel diei pars, lectioni & meditationi ſacrarum Scripturarum detur, quæ & pietatem alat, & quotidianarum precationum, Pſalmorum & laudum Dei pleniorem intellectum ſuppeditet, nosque noſtri officii admoneat: cum, Baſilio Magno teſte, (e) ſacrarum Scripturarum meditatio, maxima via ſit, ad officii obſervationem, in qua hypothecæ & præcepta vivendi traduntur, & beatorum Virorum vitæ ac exempla conſcripta reperiuntur: quæ tanquam imagines quædam

(z) Baſil. in lib. de Spir. Sanct. cap. 27.
(a) Gregor. Nazianz. lib. 1. de Theol. Ut ſecreta quæ ſunt, & a vulgi conſpectu ſemota, ſecreto quoque tractemus: & quæ ſancta, ſancte, nec in prophanas aures, quæ ſilentio ſunt adoranda, projiciamus.
(b) C. Presbyter. 91. Diſt.
(c) Hieron. ad Euſtoch. de vera Virg. Gregor. in Moralibus lib. 22. c. 18. Cyprian. in ſerm. de Oratione Dominica.
(d) Auguſt. in lib. de orando Deum. Ad Probam Epiſt. 121. cap. 10. c. Cum itaque. diſt. 38. c. Ignor. cum ſequentibus.
(e) Baſil. in Epiſt. 1. ad Gregorium Theologum.

dam vivæ, ad imitationem bonorum operum nobis proponuntur. Et Cyprian. adhortatur, ut in manibus Cleri, semper sit Divina lectio: in sensibus, Dominica cogitatio: & ut oratio legis omnino non cesset, salutaris operatio perseveret, spiritualibus actibus occupentur, ut quotiescunque inimicus accesserit, quoties adire tentaverit, & clausum adversus se pectus inveniat, & armatum. Et Augustin. alibi Presbyteros alloquens, ait: oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi, cum vita viri justi lectione instruatur, oratione ornetur, & assiduitate lectionis muniatur homo a peccato, juxta illum, qui dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Hæc sunt enim arma, videlicet Lectio & Oratio, quibus diabolus expugnatur: hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur: his armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. Et si quando a lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, cum ociositas inimica sit animæ, & antiquus hostis, quem a lectione, sive ab oratione vacantem invenerit, facile ad vitia rapiat. Cum per usum lectionis discatur, qualiter, & ipsi vivere, & alios docere debeant: Per usum vero Orationis, qua ratione & sibi, & his, quibus in charitate conjuncti sunt, prodesse valeant, inquiens: Per manuum operationem, & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & vestris necessitatibus subvenietis & habebitis, unde necessitatem patientibus, porrigatis.

Statuimus insuper, ut in templis Divinæ laudes, & consueta psallendi ratio, devote, reverenter & distincte decantetur & persolvatur: ita ut in psallendo, aliisque Divinis officiis peragendis, a Sacerdotibus & Canonicis, verus pietatis, animorumque affectus, fervor & studium, agnoscatur. (Basil. in Psal. 29.) Cum non hi Domino psallant, qui Psalmi verba ore proferunt, sed hi, qui corde psalmodiam enunciant: Et quicunque Sancti erga Deum sunt, justitiam servantes: hi enim Domino psallere rythmis spiritualibus concinne poterunt, non qui fornicatores sunt, non qui furtum, qui dolum, & mendacium in corde suo retinent, nam utcunque psallere putantur, re autem vere non psallunt: inquit alibi D. Basilius (f): & quem non offendat, ineptus decantandorum Psalmorum usus, seu murmuratio quædam, qua in templis aliquando utuntur Sacerdotes? ubi præter confusaneam & indistinctam vocis modulationem & sonum, summum mentium torporem, negligentiam & lassitudinem significantem, nihil præterea ab auditoribus & circumstantibus auditur & percipitur. Quomodo autem circa officium Divinum celebrandum, ac Horas Canonicas rite decantandas sese gerere debeant Clerici & Sacerdotes, Concilium Basiliense copiosius & exactius ordinavit & constituit. Quare ad pleniorem informationem Cleri, ejusdem Decretum, nostræ Synodali constitutioni annectere voluimus.

Sequitur Decretum Sessionis vigesimæ primæ.

SI quis principem sæculi rogaturus habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincta, attenta quoque mente seipsum ac verba studet componere: quanto diligentius in sacro loco omnipotentem oraturus Deum, hæc omnia facere curabit? Statuit igitur Sancta Synodus, ut in cunctis Cathedralibus ac Collegiatis Ecclesiis, horæ debitis signis, congrua pulsatione præmissis, laudes Divinæ, per singulas horas, non cursim ac festinanter, sed asiatim (*) ac tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi Psalmorum, debitam faciendo inter solenne & feriale officium, differentiam: reverenter ab omnibus persolvantur. Horas Canonicas dicturi, cum tunica talari, ac superpelliceis mundis, ultra medias tibias longis, vel cappis, juxta temporum ac regionum diversitatem, Ecclesias ingrediantur, non caputia, sed almutia, vel pyreta tenentes in capite: qui cum in choro

(f) C. Cum autem. dist. 92. & vide Hieron. in Epist. ad Ephes.

(*) In Concilio Basileensi Sess. 21. dicitur: *Non cursim ac festinanter, sed asiatim ac tractim.* Legendum videtur: *Asciatim*, id est, *divisim.* Joan. de Janua: *Asciatim*, adverbium, id est, *dolatim, cæsim, carptim, divisim*, & dicitur ab *asciare*, vel *ascia.* Hæc Carolus Du Frene in Glossario ad Scriptores mediæ, & infimæ Latinitatis.

choro fuerint, gravitatem servent, quam & locus & officium exigunt, non insimul, aut cum aliis confabulantes, seu colloquentes, aut literas seu scripturas alias legentes. Et, cum psallendi gratia ibidem conveniant, juncta & clausa labia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui majore funguntur honore, in Psalmis, Hymnis & Canticis, Deo alacriter modulentur. Cum dicitur: Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, omnes consurgant. Cum nominatur gloriosum illud Nomen JESUS, (g) in quo omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium ac infernorum, omnes caput inclinent; nemo ibidem, dum horæ in communi publice cantantur, legat vel dicat privatum officium. Nam non solum obsequium, quo obnoxius est choro, subtrahit, sed alios psallentes, perturbat. Super his debite observandis, aliisque ad Divini officii prosecutionem, & chori disciplinam spectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet, hinc inde, ne quid inordinate fiat, circumspiciens. Horum autem transgressores illius horæ, in qua circa prædicta, excesserint, vel alia majori, prout transgressionis gravitas exigit, plectantur pœna.

De Jejuniis, eorumque observatione.

CAPUT XVI.

Jejunia ab Ecclesia (h) instituta, sub debita obedientia sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, indici & observari debent: ita tamen, ut corporali exercitio, spiritualis jejunii ratio, adjungatur, verusque abstinentiæ usus, diligenter populo inculcetur. Parum enim prodesset a certo cibi genere abstinere, nisi & vitiorum ac peccatorum abstinentia, sequeretur. Quare recte nos admonet Origenes, (i) si vere jejunare velimus, a peccatis abstinendum esse, nullas capiendas epulas voluptatis: nullum cibum malitiæ sumendum: nullo vino luxuriæ concalescendum, sed jejunandum a malis actibus: abstinendum a malis sermonibus, continendumque a malis cogitationibus. Et Augustin. super Joannem (k) hoc jejunium magnum & generale vocat, abstinere ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus sæculi. Et Ambrosius: (l) quid prodest, inquit, jejunare visceribus, & luxuriari venationibus: abstinere a cibis, & errare peccatis? Quæ tamen ea moderatione proponi debent populo, ne (ut idem Origenes monet) Christianæ abstinentiæ frena laxentur. Et cum Chrysostomus (m) egregie populum de utraque jejunii ratione instituat: volumus hunc locum exempli causa subjicere. Omnis nostra sit cura circa animæ salutem, & ut refrenatis carnalibus lasciviis, verum possimus exhibere jejunium: a malis abstinentiam dico, hoc enim est jejunium. Propterea namque ciborum jejunium susceptum est, ut carnis impetum coerceat, & equum nobis facilem reddat. Jejunantem autem omnium maxime decet iram reprimere, mansuetudinemque docere, & humanitatem: Corque contritum habere, absurdarum quoque cupiditatum eliminare cogitationes: Ante oculos, insopitum illum habere oculum, & inevitabile tribunal: pecuniis esse superiorem: multam in eleemosynis largitatem ostendere: omnem ex corde nequitiam (in proximum) expellere: hoc verum est jejunium: sicut & Esaias ait, ex Dei loquens persona: Numquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere animam suam? Numquid contorquere, quasi circulum, caput suum, & saccum & cinerem sternere? nunquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis: solve fasciculos deprimentes: dimitte eos, qui confracti sunt, liberos: & omne onus dirumpe: frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet, quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Vidisti, charissime, quale sit verum jejunium: hoc exerceamus, neque secundum multos temere censeamus in hoc con-

(g) Phil. 2. (h) C. Sint tibi. can. Nihil prodest. dist. 5. de Consecrat.
(i) Orig. in Levit. c. 16. (k) August. super Joan. & allegatur dist. 5. de Consecr.
(l) Ambros. in Hom. de Quadragesima. (m) Chrysost. de Jejunio, Hom. 72.

contineri jejunium, ſi ſine cibis ad veſperam uſque permaneamus: non hoc eſt, quod quæritur: ſed ut ciborum abſtinentia a noxis quoque continentiam exhibeamus: & circa ſpiritualium exercitationem multum impendamus ſtudium: Jejunantem decet eſſe correptum, mitem, humilem, præſentis vitæ deſpicientem gloriam. Hactenus Chryſoſt. Idem nec multum diſſimilibus verbis agit, Homilia octava, in Geneſim. Et ex Leone Magno, unam atque alteram Homiliam adſcripſimus, ut veram jejunii rationem ex SS. Patrum lectione cognoſcant Parochi, quibus addantur Baſilii Magni ſermones duo, de celebritate & utilitate jejunii, quorum initia: Canite, inquit, tuba, & adhortamini Sacerdotes populum. Sequuntur

HOMILIÆ DOMINI LEONIS PAPÆ III.

De utilitate Jejunii & Eleemoſynarum: Serm. III. de Jejunio Pentecoſtes.

SAnctarum ſolennitatum, Dilectiſſimi, ordine celebrato, & ſpiritalis lætitiæ devotione completa, oportet nos ad ſalubritatem recurrere parcitatis, remediumque jejunii & exercendis mentibus & caſtigandis adhibere corporibus, ut quia nos ſatis de hoc, & Divina monita, & propria experimenta docuerunt, primum per ſacratorum dierum recurſum, Divinæ pietati gratias referamus, quum ſanctas continentiæ delicias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia ſubtrahamus, ita proficiat Eleemoſynis, quod non impenditur menſis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina jejunii: cum abſtinentia jejunantis, eſuriem reficit indigentis. Quia ergo ſcimus apud miſericordem Deum, jejuniis præcellere eleemoſynæ largitatem, dicente ipſo Domino: (*n*) Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis: ſi animas noſtras a peccatorum ſordibus cupimus emundari, eleemoſynam pauperibus non negemus, ut in die retributionis, ad promerendam Dei miſericordiam, miſericordiæ operibus adjuvemur, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Sermo Quartus de Jejunio Pentecoſtes.

De laude abſtinentiæ & carnis caſtigatione.

INter omnia, Dilectiſſimi, Apoſtolicæ inſtituta doctrinæ, quæ ex Divinæ inſtitutionis fonte manarunt, dubium non eſt, influente in Eccleſiæ Principes Spiritu Sancto, hanc primam ab eis obſervantiam fuiſſe conceptam, ut ſancti obſervatione jejunii, omnium virtutum regulas inchoarent: quia multum ad præcepta Dei exequenda prodeſſet, ſi Chriſtiana militia contra incentiva omnia vitiorum, continentiæ ſe ſanctificatione muniret: cum enim per illecebram cibi irrepſerit prima cauſa peccati, quo ſalubriore Dei munere utitur redempta libertas, quam ut noverit abſtinere a conceſſis, quæ frænare ſe neſcivit a vetitis? Omnis quidem (*o*) Creatura Dei bona eſt: & nihil eſt abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sed non ad hoc creati ſumus, ut fœda & impudenti aviditate omnes mundi copias expetamus: tanquam, quod licet ſumi, non liceat prætermittere. Laudetur Deus, qui hominum uſui tam multa donavit: Sed agnoſcat rationalis animus, majores delicias menti datas eſſe, quam carni. Et cum audit ſibi per Spiritum Sanctum dici, (*p*) poſt concupiſcentias tuas non eas: & a voluntate tua avertere: intelligat, ſibi contra omnia, quæ ſenſibus corporeis blandiuntur, temperantiæ ſectandam eſſe virtutem: per quam, dum exterioris hominis voluntas minuitur, ſapientia interioris augetur. Non enim idem vigor cordis eſt ſub onere cibi, qui ſub lenitate jejunii: nec eundem ſenſum poteſt ſatietas generare, quem parcitas. Quia [*q*] cum caro concupiſcens adverſus Spiritum, ſpiritali cupiditate ſuperatur, libera obtinetur ſatietas, & ſana libertas, ut & caro mentis judicio, & mens Dei regatur auxilio. Ad hanc ergo utilitatem nos, Dilectiſſimi, præſens tempus invitat, ut a Reſurrectione Domini uſque ad adventum Spiritus

(*n*) Lucæ 11.
(*q*) Galat. 5.
(*o*) 1. Tim. 4.
(*p*) Eccl. 18.

ritus Sancti, quinquaginta diebus emensis, quos in lætitia præcipuæ festivitatis exegimus, ad jejuniorum remedia recurramus: ne forte per occasionem licentiæ blandioris, & aliquas negligentiæ culpas, delectabilium usus inciderit. Terra enim carnis nostræ, nisi assiduis fuerit subacta culturis, cito de segni otio, spinas, tribulosque producit: & partu degeneri dabit fructum, non horreis inferendum, sed ignibus concremandum: dicente Domino, Matth. 15. Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Custodienda igitur nobis omnium germinum, seminumque, generositas, quam ex summi agricolæ plantatione concepimus: & vigili solicitudine providendum, ne Dei munera, aliqua invidentis inimici fraude violentur, & in Paradyso virtutum, non crescat sylva vitiorum. Ad declinandum autem hoc malum, nihil est potentius eleemosynis atque jejuniis, dum & carnales cupiditates continentia necat, & desideriorum spiritalium fructus, misericordiæ cura multiplicat. Unde charitatem vestram solenniter admonemus, ut per castigationem corporis, & per opera pietatis mundari, ab omnium peccatorum sorde curemus. Quarta igitur & sexta Feria jejunemus. Sabbato autem apud Beatissimum Petrum Apostolum Vigilias celebremus: cujus meritis & orationibus ita nos per omnia credimus adjuvandos, ut misericordia, Dei & jejuniis nostris adsit, & votis, per Christum Dominum nostrum, Amen.

De Jejunio quatuor Temporum, ac Spiritali mentis. Hom. D. Leonis Papæ.

SCio quidem, Dilectissimi, plurimos vestrum ita in iis, quæ ad observantiam Christianæ fidei pertinent, esse devotos, ut nostris cohortationibus, non indigeant admoneri. Quod enim dudum & traditio decrevit, & consuetudo firmavit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit: Sed quia Sacerdotalis officii est, erga omnes Ecclesiæ filios curam habere communem, in id, quod & rudibus prosit & doctis, quos simul diligimus, pariter incitamus, ut jejunium, quod nobis septimi mensis recursus indicit, fide alacri, per castigationem animi & corporis celebremus. Quamvis enim diminutio cibi, carnem proprie videatur afficere: nihil tamen corporeis sensibus vel conceditur, vel negatur, quod non sicut ad servientem, ita pertineat ad jubentem. Quum itaque unusquisque homo duplicem in se legem habeat continentiæ, nihilque actionum nostrarum ad solum corpus, multa autem ad solum referenda sint animum, prudenter debemus advertere, quam indecens, quamque injustum sit, si, quod a superiore indicitur, ab inferiore negligatur. Ut autem mens rationalis, salubriter exteriora castiget, debet etiam propria exercere jejunia: quia non solum carnis desideriis, sed etiam animi cupiditatibus convenit repugnare, dicente Scriptura: (r) Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua mala avertere. Jejunans ergo ab iis, quæ caro appetit, jejunet & ab iis, quæ male interior substantia concupiscit. Pessimus enim animæ est cibus, velle quod non licet: & noxia cordis delectatio est, quæ aut turpi lucro pascitur, aut superbia extollitur, aut adulatione lætatur. Quamvis enim his affectibus motus quoque corporis serviant, ad originem tamen suam cuncta respiciunt, & ibi censetur qualitas actionis, ubi invenitur initium voluntatis, quam revocare a pravis desideriis, optimum maximumque jejunium est: quia tunc est edendi abstinentia fructuosa, quando exterior parcitas, a temperantia interiore procedit. Celebraturi igitur, Dilectissimi, verum & spiritale jejunium, quod & corpus & animum sui puritate sanctificet, cordis nostri secreta rimemur, & quibus rebus aut contristentur, aut gaudeant, justo discutiamus examine. Ac si quis amor vanæ gloriæ, si qua radix avaritiæ, si quod inest virus invidiæ, nihil talium anima sumat escarum: sed virtutum intenta deliciis, cœlestes epulas terrenæ præferat voluptati. Agnoscat homo sui generis dignitatem: factumque se ad imaginem & similitudinem sui Creatoris intelligat, nec ita de miseriis, quas per peccatum illud maximum & commune incidit, expavescat, ut non se ad misericordiam sui Authoris attollat. Ipse enim dicit: (s) Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum, hoc est, me diligite, & ab iis, quæ mihi displi-

(r) Ecclef. 18. (s) Levit. 9.

displicent, abstinete: facite, quod amo: amate, quod facio: & cum videtur difficile esse, quod jubeo, ad jubentem recurrite, ut unde datur præceptum, præstetur auxilium. Non negabo opem, qui tribui voluntatem: Jejunate ab adversis: Abstinete a contrariis: Ego sum cibus vester & potus: nemo ea, quæ mea sunt, inefficaciter concupiscat. Qui enim ad me tendit, ex mei participatione me quærit. His dilectissimi, cohortationibus, quibus nos ad bona incommutabilia, & ad gaudia invitat æterna, plenæ sunt omnes Divinarum paginæ literarum: & ad hoc nobiscum agit testamenti utriusque doctrina, ut inhæreamus veris, & contineamus a vanis. Non enim comprehendi potest, quod promittitur, nisi custoditum fuerit, quod jubetur. Quid justius, quam ut homo, cujus fert imaginem, faciat voluntatem, & per abstinentiam cibi, jejunet a lege peccati? Ideo enim ipsa continentiæ observantia, quatuor est assignata temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus, nos indesinenter purificationibus indigere: semperque esse nitendum, dum hujus vitæ varietate jactamur, ut peccatum, quod fragilitate carnis, & cupiditatum pollutione contrahitur, jejuniis atque eleemosynis deleatur. Esuriamus paululum dilectissimi, & aliquantulum, quod juvandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus. Delectetur conscientia benignorum, fructibus largitatis: & gaudia tribuens, quo es lætificandus, accipies. Dilectio proximi, dilectio Dei est: qui (t) plenitudinem legis & Prophetarum, in hac geminæ charitatis unitate constituit, ut nemo ambigeret, Deo se offerre, quod homini contulisset, dicente Domino Salvatore, cum de alendis juvandisque pauperibus loqueretur (u): quod uni eorum fecistis, mihi fecistis. Quarta igitur & sexta feria jejunemus. Sabbato vero apud Beatum Petrum Apostolum Vigilias celebremus, cujus nos meritis & orationibus credimus adjuvandos, ut misericordi Deo, jejunio nostro & devotione placeamus, per Dominum nostrum JEsum Christum, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

(t) Matth. 21. (u) Matth. 26.

Leo Papa in Sermone II. de Jejunio Pentecostes.

DUbitandum non est, Dilectissimi, omnem observantiam Christianam, eruditionis esse Divinæ: & quicquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina: qui nunc quoque cordibus fidelium, suis præsidet institutis, ut ea omnes & obedienter custodiant, & sapienter intelligant.

Jejunia autem ordinata cum abstinentia lacticiniorum, quæ in Diœcesi nostra observantur, sunt:

Vigiliæ {
Nativitatis Christi.
Paschæ.
Pentecostes.
S. Johannis Baptistæ.
S. Laurentii Martyris.
Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.
Omnium Sanctorum.
}

In Vigiliis vero omnium Apostolorum, *exceptis Philippi & Jacobi*, ac *Joannis Evangelistæ*, jejunatur, abstineturque ab esu carnium: sed *lacticiniorum usu concesso.*

Idem observatur in jejuniis Quatuor temporum, ad quartum, sextum, & sabbati diem, & Marci Evangelistæ. At Quadragesimæ tempus in observatione jejunii trium dierum, secunda, quarta, & sexta peragitur.

Et si vigilia Festi alicujus, in diem Dominicum venerit: jejunium Sabbato præcedente, indicitur & observatur.

De Eleemosyna.

CAPUT XVII.

CUm sacra Scriptura, ad opera misericordiæ nos frequenter admoneat & adhortetur, sic enim inquit Esaias (x): Frange esurienti panem tuum, & egenos sine tecto induc in domum tuam: si videris nudum, vesti eum, & domesticos seminis tui non despicies; tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua cito orientur: & præibit ante te justitia, & claritas Dei circundabit te: tunc excla-

(x) Esaiæ 58.

exclamabis, & Deus exaudiet te: dum adhuc loqueris, dicet tibi, Ecce adsum. Et Eccles. (y) Conclude Eleemosynam in sinum pauperis, & hic pro te exorabit ab omni malo. Item (z) qui obturat aures, ne audiat imbecillum, & ipse invocabit Dominum, & non erit, qui exaudiat eum. Idem Salomon (a): Qui dat pauperibus, nunquam egebit, qui autem avertit oculos suos, in magna penuria erit. Et David (b): Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus, &c. Quare a Parochis & verbi ministris, in publicis concionibus (id quod & supra admonuimus) vel alias, ubicunque se occasio offert, subinde admonendus est populus, ut continua & larga eleemosyna pauperum egestati subveniat, aliorumque inopiæ succurrat. Nisi enim & nos misericordes simus, quomodo misericordiam Dei consequemur & promerebimur? aut, quid a Divina clementia & bonitate in oratione, in quotidianis nostris supplicationibus & precibus obtinebimus & impetrabimus, cum apud nos nulla habeatur pauperum ratio, durique & inhumani simus in eorum precibus exaudiendis? Estote, inquit Christus, misericordes, sicut & Pater vester, qui in cœlis est. Quapropter hoc Sacrificii genere, ac iis potissimum victimis demerendus, & conciliandus nobis Deus est: sic attrahendus, sic ad misericordiam, sic ad clementiam, sic ad benignitatem & favorem excitandus & flectendus: hac ratione jejunia nostra, nostra temperantia, abstinentia, castitas, vigiliæ, tribulationes, & orationes Deo placebunt: dempta vero hac & sublata, omnia immunda, sterilia & infrugifera sunt. Qui enim fratrem suum non diligit, Deum non novit: Neque dubitandum, inhumanitatem & duritiem populi sæpe causam esse publicæ calamitatis & famis. Sic enim, inquit Hieronym. super Malachiam Prophetam (c): Si quando fames & penuria, & rerum omnium egestas opprimit mundum, sciamus hoc ex ira Dei descendere, qui se in pauperibus, si non accipiant eleemosynam, fraudari loquitur. Et cum Christus (d) in se collatum esse dicat, quicquid pauperibus erogaverimus: necesse erit, ob intermissa charitatis fraternæ opera, ob Divinarum promissionum & comminationum contemptum, ob neglectam Christi Salvatoris nostri latam sententiam, nos horrendis non solum temporalibus, sed æternis supplicii pœnis subjacere. Sunt igitur hæc omnia diligenter & fideliter inculcanda populo. Danda autem est opera, ut secundum Tobiæ (e) præceptum, informetur quoque: ut ex substantia propria, deque justis laboribus & bonis propriis eleemosynam porrigat & largiatur. Neque enim hæc eleemosyna laudanda & commendanda est, quæ vel cum alterius injuria fit: vel quæ ex rapina, aut aliis illicitis & inhonestis modis proficiscitur: Sic enim inquit Gregorius (f): Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur: quia, qui hac intentione mala accipit, ut bene dispenset, gravatur potius, quam juvatur: Et Chrysostomus (g): Si propterea rapis, ut miserearis, nihil hac pejus eleemosyna: cum enim ex rapina nascatur hæc, eleemosyna non est, sævitia quædam est, & crudelitas, hoc est, in Deum contumelia. Et Scriptura dicit (h): Qui offert Sacrificium de substantia pauperis, idem est, ac si victimet Filium in conspectu Patris. Item (i): Victimæ impiorum abominabiles sunt Domino. Et Zachæus in Evangelio inquit (k): Ecce dimidium ex substantia mea, do egenis: & si quem defraudavi, quadruplum reddo. Quare recte Gregorius, (l) Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non ex illicitis & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & bene acquisitis impenditur. Et Augustinus: Deus cor interrogat, & non manum: (m) ac dona iniquorum non probat Dominus, & longe est Dominus ab impiis, & orationes eorum non exaudiet,

(y) Eccles. 29. (z) Prov. 21. (a) Prov. 28. (b) Psal. 40.
(c) Hieron. super Malachiam Prophet. & refertur 16. q. 1. cap. Revertimini.
(d) Matth. 26. (e) Tobiæ 4.
(f) 4. Q. 5. per totum Gregor. 1. q. e. Non est deputanda.
(g) Chrysost. Hom. 36. de Eleemosyna & Misericordia.
(h) Eccles. 34. (i) Proverb. 15. (k) Lucæ 19.
(l) Gregor. 14. q. 5. c. Eleemosyna. (m) Eccles. 34.

diet, &c. Si igitur eleemosynam syncceram & gratam præstare ac Deo exhibere voluerimus, necesse erit, ut innocens, nullisque criminibus, scelere, fraude, imposturis, & falso ac inani charitatis prætextu, contaminata & infecta sit: sed ut ex puro corde, & bona conscientia, & liberali voluntate (siquidem hilarem datorem diligit Deus) proficiscatur. Deus enim, juxta Evangelicæ viduæ historiam, non nostram eleemosynam, non bonorum nostrorum quantitatem aut liberalitatem perpendit & considerat, sed voluntatem animi intuetur, & secundum hanc, dona, hostias, victimas, & eleemosynas nostras, vel approbat vel improbat. Sic enim inquit Augustinus, in libro de pœnitentia: (*n*) in judicio cordis consideranda est eleemosyna tribuentis: Nec jam considerandum est, quantum, sed qua mente, qua affectione datur, quod potest; & mentionem faciens viduæ, ait: Vidua enim duobus, quæ habuerat minutis, plus omnibus posuit, præque omnibus etiam a Christo laudatur & commendatur. Ad hæc porrigenda, & distribuenda est secundum facultatem & substantiæ modum. Sic enim filium suum erudit Tobias: Prout habueris, Fili fac eleemosynam: si fuerit tibi copiosa substantia, plus ex illa fac: & si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communica: & ne timueris, cum facis eleemosynam, præmium bonum reponis tibi, in diem necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur ire animam in gehennam. Qui tamen locus ita intelligendus est, (*o*) ut non loquatur de peccatis aut delictis, antea perpetratis (nam illa Christi Sanguine, & sanctificatione purgata & sublata sunt) sed de peccatis, quæ regenerati & reconciliati subinde committunt. Et quanquam considerandum, secundum Hieronymum, ne Christi substantiam imprudenter effundamus, & immoderato judicio, rem pauperum tribuamus non pauperibus: & ita liberalitas liberalitate pereat: sed (*p*) ut diligenter perpendantur in largiendo & distribuendo eleemosynam, circumstantiæ & causæ necessitatis, personarumque qualitates, ut ætas, verecundia, ac debilitas & paupertas: tamen id ita moderate agendum est, (*q*) ne intempestiva & superflua curiositas, ac personarum discussio, quenquam a debita eleemosyna defraudet.

De Feriis.

CAPUT XVIII.

PAri ratione volumus, &, approbante nostra Synodo, decernimus: ut populus diligenter edoceatur, (*r*) cur feriæ & præsertim dies Dominicus, ab Ecclesia institutæ sint; videlicet, ut Divinis officiis, (posthabitis & semotis aliis operationibus & studiis) vacemus: ut audiatur Missæ sacrum, (*s*) purgentur corda nostra a pravis cupiditatibus, peccata lachrymis deplorentur & diluantur, ac agatur præteritorum delictorum pœnitentia, frequentiusque sumatur Eucharistiæ Sacramentnm, & fiat devota recordatio ac meditatio Dominicæ passionis & redemptionis nostræ: diesque ille totus, nullis aliis, quam pietatis studiis & actionibus, orando, psallendo, meditando Divina, aliis misericordiæ operibus transigatur. Et Chrysost. alibi de observatione diei Dominicæ differens, inquit (*t*): Deus erudit nos in circulo hebdomadis, diem unum integrum segregandum & reponendum esse, in spiritualem operationem. Quare hisce diebus omnes prophanos actus, mercatus & nundinas publicas, inhonestas comessationes, choreas inconvenientes, & maxime quæ sub Divinis, in contemptum, scandalum & ignominiam Christianæ Religionis fiunt & peraguntur, aliosve impudicos ludos, spectacula & cantus turpes, lasciviam & petulantiam provocantes, inhibemus: volentes, ne populus posthac ejusmodi actionibus & exercitiis sit

(*n*) 3. quæst. 7. c. In gravibus. dist. 5. de Pœnit. 5. In omnibus dolens.
(*o*) Cyprian. in Serm. de Eleemosyna.
(*p*) Ambros. in lib. de Offic. & refertur dist. 86. c. Non satis. & c. Consideranda.
(*q*) Chrysost. in Serm. Ne scrutemur pauperes curiose.
(*r*) c. Jejunia. dist. 3. de Conses. in fine.
(*s*) August. de rectitudine Catholicæ conversationis.
(*t*) Chrysost. in Genes. Hom. 10. De observatione diei Dominicæ differens. Basil. Mag. in ebrietatem & luxum, quibus die Paschæ populum affectum vidit.

sit deditus: Ut autem Parochi, Ferias per anni cursum populo denunciare queant, & ut certi sint, quas in nostra Diœcesi observare conveniat (ne dissimilitudo ac diversitas confusionem pariat) operæ pretium duximus, Catalogum earum subjiciendum esse. Sunt autem, omnes dies Dominicæ, Pascha, Pentecostes & Natalis Domini, cum duobus sequentibus, Circumcisio Domini, Epiphania, Ascensio Domini, Festum Corporis Christi: item dies Festi Beatæ Mariæ Virginis, videlicet, Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, & Nativitatis: Item dies Sancti Joannis Baptistæ, & omnium Apostolorum Festa, Sancti Laurentii, Mariæ Magdalenæ, Michaelis, Omnium Sanctorum, & Sancti Martini: item Festum Dedicationis Ecclesiarum, & eorum Sanctorum, qui unius cujusque Ecclesiæ peculiares & singulares Patroni sunt. Reliqua autem Festa, scilicet, Sanctorum Georgii, Udalrici, Arbogasti, Margaretæ, Nicolai, Catharinæ, & aliorum, consuetudini relinquemus, quæ secundum cujusque Ecclesiæ morem & consuetudinem observari & celebrari poterunt: Volentes, ut in Sanctorum festivitatibus, populus fideliter quoque informetur, quomodo Deum in Sanctis suis venerari, & pietatem, fidem, variasque Sanctorum virtutes imitari debeat: cum, teste Basilio Magno, (*u*) hæc vera & summa Martyrum laus sit, alios ad eorum virtutem æmulandam invitare. Et Augustinus (*x*) vult Sanctos propter imitationem honorari. Et quanquam Sancti Dei, nostro honore, aut nostris laudibus & præconiis non egeant: tamen cum exempli & imitationis gratia, eorum facta, virtutes & historiæ, in Ecclesiis proponuntur & commemorantur, tum Sanctorum veneratio, si debito modo, citraque superstitionem & impietatem fiat, non omittenda, sed in Ecclesiis, ob variam & multiplicem populi utilitatem, pie retinenda est: nostri enim (*y*) causa profectus, memoriæ eorum celebrantur, historiarumque series commemoratur & populo proponitur. Nam horum omnium attendentes conversationem, æmulamur fidem, bonitatem, spem, zelum, vitam, tolerantiam passionum, & sustinentiam, usque ad sanguinem, ut & coronam gloriæ, cum ipsis Sanctis participemus. Quæ ideo ex Damasceno (*z*) recitamus, ut Parochi cognoscant, quomodo Sanctorum virtutes, facta ac historias recensere, & ad populi usum & Ecclesiarum utilitatem applicare & accommodare debeant. Cæterum quomodo Deus in Sanctis suis laudandus, & quod ipse solus adorandus, Sancti vero colendi, honorandique sint: item quomodo ob imitationem, & quod exuta mortalitate, immortalitatem induerint & assumpserint, ac amici Christi, Filii & hæredes Dei, promptuaria, pura habitacula, animata templa & tabernacula, ac luminaria mundi (his enim elogiis & præconiis a sanctis Patribus ornantur) facti sint, a nobis venerari debeant: & qui honor Deo tanquam creatori proprie competat: qui vero sanctis tanquam creaturis tribuendus: & quomodo quave ratione invocandi & compellandi sint, scripta sanctorum Patrum suppeditabunt: ad quorum crebram & sedulam lectionem, ad unanimem & concordem Catholicæ Ecclesiæ, de veneratione Sanctorum consensum perspiciendum ac cognoscendum, nos verbi ministros & Parochos remittimus. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor, ad talem pro Evangelica veritate passionem, paratum esse sentimus: sed illos tanto devotius, quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus jam in vita fœliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. (*a*) At illo cultu, quæ Græce LATRIA dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quædam proprie divinitati servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Danda

(*u*) Basil. in 40. Martyres.
(*x*) August. de vera Relig.
(*y*) Basil. in Gordium Martyrum Cæsari.
(*z*) Damasc. lib. 4. cap. 16.
(*a*) Maximus Episc. Taurinensis in Homil. SS. Tauricor. Martyr. Octavii, Adventitii, & Solutoris. Cuncti igitur Martyres percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi sunt, a nobis, quorum reliquias possidemus. Dama. lib. 4. cap. 16. de Sanctorum & Reliquiarum honore. August. contra Faust. lib. 20. cap. 21.

Danda autem eſt opera, ut hiſtoriæ Sanctorum, maxime ex authenticis & probatis ſcriptoribus colligantur, eaque ex hiſtoriis populo referantur & proponantur, quæ Catholicæ Religioni conveniant, & quæ ad pietatem alendam, excitandam & corroborandam fidem in nobis, voluntatemque Dei in Sanctis ſuis cognoſcendam, & ad totius vitæ noſtræ curſum in omnibus actionibus, ſtudiis, tentationibus, tribulationibus & periculis rectius dirigendum & gubernandum, utilia & neceſſaria eſſe, videbuntur. Neque tamen iis longius immorandum, ſed major & potior temporis pars Evangelio explicando, tribuenda eſt. Nec foret inutile, ſi ſecundum morem Eccleſiarum quondam in Aphryca, (b) Acta Apoſtolorum, per anni circulum quoque populo in Eccleſiis, ſtatis temporibus, recitarentur. At, veram rationem hiſtoriarum de Sanctis, deque eorum feſtivitatibus rite & pie celebrandis, deque locis communibus dextre tractandis, Homiliæ ſanctorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, commonſtrabunt. Quare ex iis, & dicendi & concionandi materiam & rationem, Sacerdotes, qui cathedræ præſunt, deſumere poterunt: Quarum etiam Homiliarum exempla aliqua ſubjecimus: quibus adjungere poterunt Parochi, & alias præclaras & inſignes homilias, ut ſermones duos Baſilii Magni in divites avaros. Et alium, in divites ſuper illa verba ſcripturæ: in fame & ſqualore.

S. Baſilii Sermo in Quadraginta Martyres.

QUis modus, aut quæ ſatietas, Martyrum memoriam proſequendi erit, illi præſertim, qui eorum amore ac charitate magnopere tenetur? Nam honor erga bonos conſervos collatus, benevolentiæ ſignificationem apud communem Dominum habet: palam eſt enim, quemadmodum is, qui generoſos homines ac fortes cum honore exceperit, in ſimili, ſi forte contingat, occaſione, imitari non dedignabitur. Venerare igitur legitime Martyres, ut egregiæ tuæ voluntatis te teſtem adducas; ac demum ſeu perſecutione, ſive igne, ſeu verberibus ac plagis, eodem cum illis præmio dignus habearis. Nobis hodierna die non unum propoſitum eſt admirari, neque duos, neque decem, ſed viros quadraginta: qui unam in diverſis corporibus animam retinentes, in una conſpiratione, & concordia fidei, eandem erga res arduas conſtantiam, & pro veritate, ſtabile propoſitum oſtenderunt. Omnes inter ſe ſimiles: pares ſententia: pares certamine. Quamobrem parem coronæ gloriam ſunt promeriti. Quæ digna laus? quæ ſermonis copia his poterit adhiberi? Non enim linguæ quadraginta, ad proſequendam talium virorum virtutem ſat fuerint. Nec ſolum multitudo tanta, phalanx militaris, cuneus inſuperabilis æque, & in bellis inexpugnabilis, ac in laudibus inenarrabilis: ſed horum unus tantum, ſi legitime fuerit oratione commendandus, noſtram facile vim ingenii ſermoniſque facundiam ſuperabit. Igitur in medium eos adducentes, ad communem omnium hic aſtantium utilitatem conſtituere, palamque omnibus, quemadmodum in pictura, fortia illorum facta reddere conabimur. Nam magnifica in bellis geſta, & oratores ſæpe numero, & pictores pulcherrime demonſtrant: Hi tabulis deſcribentes atque ornantes: illi oratione: Amboque plures ad fortitudinem imitandam induxere. Quæ enim ſermo hiſtoriæ, per inductionem præbet: eadem & pictura tacens per imitationem oſtendit. Sic & nos Martyrum virtutem commemorantes vos aſtantes excitabimus: ac vobis ſub aſpectum, ipſorum facta reducentes, eos, qui ſunt animo aliquantulum generoſo, ac ipſis voluntate propinquiores, facile ad imitandum accendemus. Hæc eſt enim Martyrum vera laus, (*) alios ad eorum virtutem æmulandam invitare. Non enim encomiorum legibus, aut eorum, quæ in genere demonſtrativo reperiuntur, ſermones de Sanctis ullo modo ſerviunt: quoniam qui laudant cæteros, ex mundi hujus rebus materiam uſurpare ſolent: quibus autem mundus crucifixus eſt, quomodo ex eo quicquam, quod ad laudem faciat, mutuari poterit: Non erat his Sanctis una patria, alius aliunde venit. Quid igitur? ſine patria dicemus eos? aut orbis cives? ſicut enim in ſymbolorum collationibus, quæ oblata ſunt, communia exiſtunt omnium conferen-

(b) Auguſt. Tract. 6. ſuper Joann.

(*) Martyrum laus vera.

ferentium : ſic & in his Beàtis, cujuslibet patria, communis omnium erat : & omnes e diverſis terrarum locis, tanquam ex uno duxerant omnia communia. Sed quid opus terreſtres memorare patrias, cùm non liceat, quæ ſit vera, facile noſſe? Patria igitur horum Martyrum Dei civitas eſt, cujus author atque conditor ipſe Deus. Hæc eſt ſuperna Hieruſalem, quæ libera eſt, quæ eſt mater Pauli, & omnium ei ſimilium. Genus autem humanum aliud alii : Genus vero ſpirituale unum omnibus omnino : Communis namque eis Pater Deus, & fratres omnes, non ab uno & una deſcendentes, ſed ex adoptione Spiritus in unam concordiam, inter ſe per charitatem convenientes. Chorus paratus, conventus maximus eorum, qui ab initio Deum laudant : non ſigillatim congregati, ſed cumulatim diſpoſiti : quis autem diſpoſitionis modus? hi magnitudine corporis, & ætatis flore, ac virtute, cæteris omnibus præcellentes, ad militares ordines regendos promoti ſunt : in tantam quoque Imperatoris dignationem venerunt, ut ob bellorum experientiam & animi fortitudinem, primas apud eum obtinerent. Ubi vero per iniquum præconem nunciatum, edictumque omnibus emanavit, ne quis Chriſtum profiteretur : propoſitaque omnia pœnarum genera confitentibus : multa quoque a Judicibus injuſtis ira & feritas prodiit : multæque item inſidiæ, doli, delationes : ignis inſuper paratus, enſis in promptu, crux affixa, bothrus, rota, flagella. In tanta igitur fidelium turbatione, nonnulli fugiebant : alii ſupplicium libenter ſubibant : alii comprenſi ac cruciati : alii certamen ineuntes, deinde uſque ad finem laborum durare nequeuntes, pugnam ac periculum detrectabant : & velut in pelago naufragantes, quæ virtute patientiæ parta multorum annorum ſecum in navi vehebant, in eam horam amiſerunt. Tunc igitur hi quadraginta invicti & generoſi Chriſti Milites, cum Præfectus Imperatoris literas oſtendiſſet, & obedientiam requireret, libera voce, audacter & fortiter, nihil ex iis, quæ viderant, exemplis expaveſcendo, minas omnes contemnendo, in medium procedentes, ſeſe Chriſtianos eſſe faſſi ſunt. O beatas linguas, quæ ſacram illam vocem emiſerunt, quam aer quidem excipiens ſacer eſt factus, Angeli audientes plauſerunt, diabolus vero cum dæmonibus magnam accepit plagam, Dominus poſtremo in cœlo deſcripſit. Igitur horum quilibet in medium procedens : En, ait, Chriſtianus ſum. Et velut in ſtadiis, qui ſimul eunt, dicunt ſua nomina, & in locum pugnæ deſcribuntur ; ſic & hi tunc nobilitatis, generiſque ac dignitatis propriæ obliti, tantum ſervatoris ſui profeſſi ſunt nomen : quod omnes ordine fecerunt : ex quo facta eſt omnium una appellatio. Non enim talem ac talem, ſed Chriſtianos omnes ſe clamantes. Hoc itaque cernens Præfectus, anxius ac dubius erat, an blandis verbis, vel potius minis eos ad obtemperandum deduceret. Primum quidem ipſos, ſi quo modo a pietate obſtinata poſſet avertere, dulci aggreditur ſermone : Nolite (inquit) juvenes, ætatem perdere veſtram, neque intempeſtivam mortem, cum dulci hac & amœna vita commutare. Abſurdum namque in bellis, eos, qui ſunt aſſueti fortia gerere facta, morte ignavorum ac pravorum hominum perire. Poſt hæc pecuniam pollicebatur, honores ex Imperatore, dignitateſque ac ordines militiæ primos offerebat. Cumque his rebus nihil proficeret, aliud genus, aliumque modum tentavit, plagas, mortes, pœnas intolerabiles oſtendit. Et hic quidem talia. Martyres vero qualia? Quid (inquiunt) nos demulcere ſtudes, Dei hoſtis? Diſcedere a Deo vivente, & dæmonibus ſervire peſſimis cogis? Tua nobis bona offers? Putasne tantum te daturum, quantum eripere contendis? Tua reſpuo dona, ut æternæ pœnæ materiam, non honorem : recipio ignominiæ partem. Pecuniam da, quæ permaneat, ac continue duret, gloriam, quæ ſemper floreat. Me Imperatori vis facere familiarem : ſed me a vero Rege alienare quæris? Quid enim hæc minima, quæ tu vocas magna, ex mundo polliceris : cum mundus univerſus a nobis deſpiciatur? Non ſunt omnia, quæ videri poſſunt, ſpei paria, quam continuo retinemus. Vides hoc cœlum ut aſpectu pulchrum, ut magnum, & terram quanta eſt, quotve in ipſa mirabilia? Nihil & hæc profecto juſtorum fœlicitati & beatitudini æquiparare valent. Illa namque velociter tranſeunt, hæc continuo durant. Unam tantum juſtitiæ pal-

mam exſpecto: circa unam gloriam, quæ in regno eſt cœlorum, ſollicitor. Honoris ſuperni cupidus ſum, pœnas varias gehennæ metuo. Illius ignis mihi formidoloſus. Nam ignem eum, quem vos nobis intentatis, conſervus eſt. Novit & ipſe vereri eos, qui idola contemnunt. Sagittas infantium; veſtras plagas exiſtimamus. Corpus enim cædis, quod eo clariorem aſſequetur coronam, quo magis tibi reſiſtet. Quod ſi corporum imperium habetis, ſperatis etiam animarum habere? Nam & ſi Deum noſtrum non reſpicitis, & extrema probra, horrendasque pœnas nobis infertis, nihil profecto aliud contenditis, quam vobis æternum ſupplicium, nobis vero uberem pietatis materiam, ac perpetuam gloriam parare. Non enim carnis amatoribus, non attonitis hæc facitis. Pro charitate, proque fide in Deum, & in rota poni, & Cruci affigi, ac flammis uri, ac omnibus demum modis torqueri parati ſumus. Ubi vero hæc audivit barbarus ille ac ſuperbia tumidus, audaciam ac loquendi libertatem minime ferens, modum conſiderare cœpit, quo mortem eis acerbiſſimam prolixamque pararet: invenit tandem. Audite itaque, rem quam duram ſit commentus. Excogitans ille, regionis naturam ſalebroſam, & collibus præruptam eſſe, ac brumæ tempus inſtare, obſervavit in qua maxime parte frigus vehemens, ac boreæ flatus horridior eſſet, juſſit omneis nudos ſub dio poſitos mori. Noſtis enim fratres dilectiſſimi, omneis, qui hyemis horrores eſtis experti, quod genus hoc pœnæ. Non enim noſſe licet, niſi iis, qui exemplis ſimilibus periculum fecerunt. (*) Corpus inprimis in horrore proſtratum, totum in horrorem concreto ſanguine vertitur, deinde turbatur, & fremit, dentes frendunt, venæ diſrumpuntur, virium proſperitas per vim dejicitur. Dolor inſuper quidam acutus, & labor inenarrabilis, per medullas penetrans, intolerabilem facit ſic frigore concretis dolorem. Deinde in acutum tendit, ut ab igne, cum ſumma cremantur: Ab extremis namque corporis partibus conſequens vapor, & ad interiora, ac penitiora confugiens, quædam, unde abſiſtit, mortua relinquit: nonnulla vero, ad quæ tendit, doloribus afficit, qui paulatim cruciando perierunt. Igitur Sancti Dei, ſub dio pernoctare in ſtagno quodam juſſi ſunt, quod pro mœnibus civitatis erat: ac per brumam ita glaciale concretum apparebat, ut equis pervium, & accolarum pedibus tritum eſſet: aquæ vero ſolitum non retinerent curſum, earumque natura mollior in lapidis duritiem concreſceret. Boreæ namque mordentis ſpiritus animantia omnia juxta verſantia interimebat. Hic itaque audito damnationis juſſu, Martyres conſiderate quanta fuere conſtantia: qui loco cum ſumma lætitia conſpecto, ultimum nuditatis amictum alacriter rejicientes, eodem ſponte irruerunt, non tanquam ad ſupplicium, ſed ad glorioſiſſima ſpolia rapienda, ſe invicem hortando deſcenderunt: Non enim (inquiunt) amictum exuimus, ſed veterem hominem, concupiſcentiæ deceptione corruptum deponimus. (**) Gratias agimus tibi Domine, per hunc amictum peccata repellentes, quoniam ob ſerpentem eum induimus, ob Chriſtum vero exuimus: quas Domino, qui pro nobis eſt ſpoliatus, dignas gratias reddemus? Quid magnum ſervo, ſi ea, quæ paſſus eſt Dominus, ſubeat? Nos cauſa ſumus, ut illi veſtis detraheretur, longe magis quam Militum audacia, qui eam diripuere ac ſortiti ſunt. Durum profecto frigus, ſed dulcis paradyſus: Affligens glacies, ſed delectabilis requies. Brevi tempore durantes, ſinus Abraham nos perpetuo fovebit. Unam noctem cum ævo ſempiterno commutabimus. Incendatur frigore pes, ut cum Angelis continuo ſaltet. Torpeſcat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi. Quot enim noſtri commilitones ceciderunt, fidem mortali Regi ſervantes? Nos pro fide in verum Deum ſervanda hanc vitam non projiciemus? Quot item malefici homines mortem tulerunt in ſcelere deprenſi? Nos vero pro juſticia, mortem non ſubeamus? Ne obſecro, commilitones, emolliamur: ne terga diabolo demus. Quando ſemel mori oportet, moriamur, ut vivamus. Fiat ſacrificium noſtrum coram te, Domine, & velut hoſtiæ viventes tibi placentes, noſmet hoc ſævo gelu immolantes, abs te recipiamur. Pulchrum quidem ſacrificium, pulchra oblatio, pulchrum holocauſtum, non

(*) Frigore enecti.

(**) Martyrum gratiarum actiones.

non quidem per ignem, ſed per frigus abſumptum. Hæc igitur & his ſimilia credibile inter ſe dicerent, ac communem laborem in Domino ſolarentur: Veluti quandam in bello cuſtodiam inſtruentes, eam noctem, ſævos cruciatus ſuſtinendo atque algendo, prætererunt, tantum ſpe certa gaudentes, & hoſtem continuo deridentes. Unum erat omnium votum: quadraginta in ſtadium intravimus, totidem Domine coronas tribue. Non deſit numero, nec unus quidem. (*) Precioſum eſt tempus, quod quadraginta dierum jejunio ornaſti, per quod Divina lex in orbem tranſivit. Quadraginta item dierum jejunio, Helias Dominum exquirens videre meruit. Et oratio quidem eorum talis. Unus ex eorum, numero, inde per animi inconſtantiam ſubterfugiens, mœrorem ſociis maximum relinquit, nec propterea Dominus eorum vota inania permiſit eſſe. Nam prope aderat quidam, cui eorum cuſtodia credita eſt, exitum rei expectans, paratusque, Martyres, ſi qui fugerent, ut eis clare pollicitus, in lavacro quodam aquæ calidæ, quod juxta ſitum erat, excipere ac ſervare. Res a Præfecto aſtute fuerat excogitata, talem videlicet invenire certaminis locum, in quo paratum damnati haberent refugium, ut omnem cœpti propoſiti conſtantiam amitterent. Sed hoc Martyrum patientiam clariorem reddidit. Non enim, qui cogitur, eſt conſtans, ſed qui liber & in oblectationis copia dura pati poteſt, is demum conſtans & patiens eſt. (**) Cuſtos itaque dum hos obſervaret, quosdam e cœlo deſcendentes Angelos, ac coronas ſingulis Martyribus. uno excepto, diſtribuentes aſpexit. Is autem, quem indonatum illi reliquerunt, ac honoribus cœleſtibus indignum judicaverunt, ea repertus eſt animi mollitie atque inconſtantia, ut ſtatim laboris tolerantiam deſperans, ad hoſtes transfugeret: miſerabile prorſus ſpectaculum, miles transfuga, vir fortiſſimus captus: Chriſti ovis a lupo direpta: & quod miſerabilius, a vita perpetua, cœleſtique excidens: neque hac poſtremo diu gaudens: nam ubi calidam attigit aquam, corpore, quod glacie torpebat diſſoluto, ſtatim interiit. Cuſtos vero, qui prodigium hoc viderat, ubi illum fugientem conſpexit, relictis omnibus, ſeſe in ejus demiſit locum, ac unam cum Sanctis illis vocem emiſit: Chriſtianus & ego ſum. Itaque cum ejus ſubita mutatione ſtuporem illis incuteret, & numerum implevit, & mœſtos ob ſocium amiſſum Sanctos procul dubio conſolatus eſt: eos imitando, qui in acie prima ubi forte aliquis ceciderit, ſtatim ordini alium reſtituunt ac ſurrogant, ne proximi incommodum patiantur. Talem igitur ipſe ſe geſſit: vidit miracula cœleſtia, novit veritatem, ad Dominum confugit, cum Martyribus annumerari voluit. Exemplum eſt Apoſtolorum imitatus. Abiit Judas, Matthias eſt ſurrogatus. Imitatus & Paulum, qui heri perſecutor, hodie factus eſt Evangelizator, ſuperne & ipſe vocatus, non ab hominibus, neque per homines. Credidit in nomine Domini JEſu Chriſti. Baptiſmum ſuſcepit non ab ullo, ſed a propria fide: non in aqua, ſed in proprio ſanguine. Cum vero primum illuxit, & extracti fere omnes eſſent exanimes, igni traditi ſunt, ac cineres in fluvium projecti, ut per omnem creaturam eorum tranſiret certamen. In terra primum exerciti, deinde in aere ſub dio duravere, poſtremo igne crematos, aqua excepit: horum eſt ergo vera vox illa: Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Hi ſunt, (***) qui noſtram ſuo templo regionem ornant, noſtram quoque adverſus inimicos tutelam, ut turres quædam munitæ ſuſcipiunt. Nec uno in loco ſeſe clauſerunt, ſed in multis locis hoſpitio recepti, multorum patrias ornaverunt, nec tamen ſeparati, ſed inter ſe commixti: ſi in ſingulos ipſos diviſeris, proprium numerum non excedunt: ſi vero in unum congregaveris, quadraginta nihilominus erunt, ac ita, ut ignis natura, permanent. Nam ille, & ad progredientem tranſit, & totus eſt apud habentem: (****) Si hi quadraginta ſunt unum, & omnes apud ſingulos. Bene-

(*) Quadragenarii celebritas.
(**) Cuſtos Martyrum, Martyr fit.
(***) Templum Cæſareæ his 40. Martyribus dicatum.
(****) Hic, & ſequentes duo ſenſus ita quidem leguntur in Concilii hujus Editione tam Lunigiana, quam multo antiquiore Moguntina: at quoniam mendoſe exſcripti, aut certa

Beneficium igitur hoc, Fratres dilectiſſimi, gratiam hanc minime deficientem, ac ſine invidia, ex Deo obtinemus, ut paratum ſit nobis & Eccleſiæ, per hos Martyres auxilium: Exercitum triumphantium, Chorus laudantium Deum. Sæpe operam dediſtis, ſæpe laboraſtis, ut unum pro vobis orantem inveniretis: quadraginta ſunt hi, unam orationis emittentes vocem. Ubi enim ſunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus eſt: ubi vero quadraginta fuerint, quis dubitet Deum eſſe præſentem? Qui aliqua premitur anguſtia, ad hos confugiat: qui rurſus lætatur, hos oret, hic ut a malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis. Hos mulier orans pro filiis auditur, peregrinanti viro, reditum incolumem: ægrotanti vero ſalutem implorat. Cum his ergo Martyribus noſtras effundamus preces. Adoleſcentes ſuos coævos imitentur: Patres talium eſſe filiorum parentes exoptent: matres exemplum matris optimæ ſpectent: Nam unius illorum (*) mater, alios jam pene frigore conſumptos aſpiciens: ſuum vero filium ob vires aliquantulum validiores, & adverſus dura conſtantiam, adhuc vivum: & permittente populo, vitæ conſulere valentem: ipſum propriis accepit manibus, ac currui, in quo reliqui jacentes ad pyram ferebantur, appoſuit, Martyris vera mater: non enim lachrymam indecoram effundere, aut aliquid humile loqui, vel indignum agere viſa eſt. Sed, o nate, inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne a chorea deſeraris, neve inferior aliis Domino appareas. O matrem fœlicem! O bonæ radicis bonum germen! Oſtendit generoſa parens, quemadmodum pietatis inſtitutis eum magis, quam lacte educaverat. Et hic quidem ſic nutritus, ſic elatus eſt a pia genitrice. Diabolus vero his viſis præ verecundia diſceſſit. Omnia namque ſupplicia ab eis victa procul dubio victis. Nox horrida & ventoſa, tempus anni frigidiſſimum, corporea nuditas, patria borealis. O ſanctum Chorum! O ſacrum Ordinem! O cuneum inexpugnabilem! O communes generis humani cuſtodes! optimi curarum Socii: precum ac votorum invicem Suffragatores: caſtra mundi: flores Eccleſiarum: vos non terra contexit, ſed cœlum excepit: Apertæ ſunt vobis Paradiſi portæ, dignum profecto exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis, & juſtis omnibus, ſpectaculum. Viri ætate florentes ac pares, vitam alacriter deſpicientes, ſupra parentes & filios Deum amantes, mundo ſimul & Angelis, & hominibus ſpectaculum facti: excidentes erexerunt, dubios in fide confirmaverunt, piis deſiderium auxere, unum omnino pro pietate omnes trophæum erigentes, una juſtitiæ corona ornati fuere, in Chriſto JEſu Domino noſtro: Cui gloria & imperium nunc, & in æterna ſæcula, Amen.

In Gordium Martyrem, militem Cæſarienſem.

NAturæ lex apibus innata, fratres dilectiſſimi, ut niſi Rex prius agmen præcedat, ab alvearibus nuſquam diſcedant. Vos autem Dei populum, cum nunc primum ad Martyres tanquam ad flores cœleſtes exeuntes, & huc frequentes convenire viderim, quo id duce feceritis, exquiro. Quis hyemalem hanc triſtitiam in vernam ſerenitatem commutavit, ut populus, ex civitatis ædificiis, tanquam ex apum alvearibus hilaris egreſſus, ad ſuburbanum decus, præclarumque Martyris ſtadium conflueret? Sed quoniam (ut mihi quidem videtur) priſtina deſidia rejecta, ducem ſecuti eſtis, præſtantem Martyris virtutem, & nos quoque quantum voce contendere licet, veluti bombantes apes, vernantibus floribus circumfuſæ, præclara ipſius geſta perſonemus: rem quidem piam agentes, ſimul ac vobis ore intentis gratam. In laude namque juſti, populus lætabitur. Salomonis lectio nuper recitata, quidnam per latentem hujuſcemodi proverbii

certe obſcuri videntur; eos ex Sermonibus S. Baſilii, Coloniæ editis, ſic emendamus: *Sic hi quadraginta Martyres ſunt unum apud ſingulos. Beneficium hoc, Fratres dilectiſſimi, gratiam hanc minime deficientem, ex Deo obtinemus: Paratum eſt hic Chriſtianis auxilium, Eccleſia videlicet Martyrum, Exercitus triumphantium, Chorus laudantium Deum.*

(*) Matris virile facinus.

verbii ſenſum ſibi velit, mecum ipſe cogitabam: an forte dicat, quod populus oratione magnifica, ac plane culta, quæ auditorum aures demulceat, oblectetur: præterea ſermonis ornatum, rerumque inventionem, ac diſpoſitionem elegantem exoptet? Quod profecto mihi veriſimile non videtur, cum ipſe nusquam hujuscemodi dicendi genere uſus fuiſſe inveniatur. Nam & Sanctorum memorias, orationis & eloquentiæ fuco proſequi, non fas erat admonere, illi præſertim, cujus ſcripta, ſermone ſimplici, nulloque ſtyli apparatu conſpiciuntur. Quis ergo illorum verborum ſenſus? is videlicet, quod populus ſola, in dicendo, veritate, ac ſimplici teſtimonio ſpiritualiter lætatur: tum ad bonorum exemplorum, quæ audit, cupiditatem & imitationem vehementer incenditur. Illorum enim, qui in fide claruerunt, hiſtoria ſimplex, velut lucem quandam, Dei cultoribus, virtutis iter oſtendit. Quamobrem cum in ſacris voluminibus Moyſis vitam, morum lenitatem noſtræ naturæ magnopere optatam audimus, ſtatim æmulamur. Quod ſi reliquorum facta virorum, eloquentiæ floribus ornantur, Sanctis tamen ad ea, quæ maxima geſſere demonſtranda, ſat fuerit oratio ſimplex. Cujus dum nitimur ac inſiſtimus veritati, Sanctos ipſos, ex eorum tamen teſtimonio, quæ de eis referimus, laudare videmur, & populum omni eloquentiæ ſuſpicione remota, ad ipſius, rerum ſyncerae narrationis fidem facile deducimus, ac maxime exhilaramus. Joſeph dum audimus & legimus vitam, illius aſſequi caſtitatem magnopere cupimus. Si vero Samſonis narratur hiſtoria, ad illius imitandam fortitudinem accendimur. Sacra igitur ſchola, præcepta rhetorum aut inſtituta non ſequitur: nudam rerum expoſitionem ſanctis, ac nobis, ſatis eſſe exiſtimat. Illis quidem ad virtutis eorum præconium: nobis vero ad imitationis gloriam atque formam. Rhetorum namque inſtituta ſunt, patriæ dignitatem oſtendere, generis originem ex alto repetere, educationis incunabula diligentius referre. Noſtrum vero dogma, hæc tanquam ſupervacua dimittit, & quæ ſunt propria ac vernacula, ſectatur. Quidnam ego ſum melior, ſi mea civitas olim magna bella geſſit, aut de hoſtibus triumphavit? Si eadem optimo ſit in loco ſita, æſtate ac hyeme, cœli temperie fruatur? Si frequens eſt ædificiis? ſi ager paſcendo pecori ſufficiat: ſi meliores nutriat equorum greges, quam uſque reperiantur? Quid, inquam, iſta, quo ad virtutem commendatiores reddere poſſunt? Nos, ipſi profecto decipimus, ſi in montis cacumine conſtituti, nubes nos tranſcendere, ac ſublime cœlum nobis cedere videntes, hac de cauſa nobis magis aliquid accedi (†) exiſtimamus. Ineptum inſuper, ſi Sanctis, qui res orbis univerſas contempſerunt, his eſſe opus commendationibus putamus. Igitur noſtri (*) tantum cauſa profectus, ſat illorum celebrare memoriam fuerit. Non enim noſtris indigent laudibus ornari: ſed nos ipſorum vitæ hiſtoria & commemoratione, imitationis gratia indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat ſplendor: ex unguento quoque præſtanti diffunditur odor: ſic e Sanctorum commemoratione geſtorum, ad omnes pervenit utilitas. Hujus itaque Martyris venerandi, facta ſingula explicare hodierno die, nullo modo pollicemur, quod eorum fama tenuis, nec omnia ſane complectens, ad nos uſque delata ſit. Quamobrem pictoribus recte comparabimur: Illi enim, cum ex antigrapho, ſive, archetypo imagines expreſſerunt, uti par eſt, a prima forma plurimum recedunt. Nos item cum rerum geſtarum aſpectu caruerimus, valde metuendum, ne dicendo, rerum veritatem atteramus. Verum quando ejus hodie feſtum celebramus, qui in hujuscemodi die, certamen pro Chriſti nomine ſubiit, quantum ex ejus hiſtoriæ notitia deprendere licebit, enarrabimus. (**) Fuit hic Martyr beatiſſimus civis noſter Cæſarienſis: ex quo non mirum, ſi noſtræ mentis affectus ad eum potiſſimum dirigitur, quod profecto ad verum, ac domeſticum hujus facit ornamentum. Nam ſicut arbores, quæ bona ferunt poma, propriæ bonitatis laudem nutrienti tribuunt humo: ſic iſte ex noſtræ urbis prodiens utero, ad ſummumque gloriæ culmen

(†) accedi, pro: *accedere.*
[*] Sanctorum memoriam, non illorum, ſed noſtri cauſa celebrandam.
[**] Gordii Martyris hiſtoriæ initium.

culmen evectus, patriæ, quæ eum produxit atque aluit, honorem gloriosissimi martyrii tribuit. Jucunda nempe sunt nobis externa poma, modo sapore delectent: sed longe nostro gratiora gustui, propria, quam peregrina: præterquam quod & gloriam quandam nobis conferre videntur. Militiam exercuit, in quo locum admodum insignem tenuit, ita ut centum milites ejus imperio parerent, quodque animi virtute, & corporis viribus præcelleret, cunctis inter ordines militibus præstantior habebatur. Ea sane tempestate, cum (*) tyrannus impius, qui tunc imperitabat, in Christianum nomen virus suæ feritatis effunderet, manumque Deo inimicam, adversus Ecclesiam exerceret: tota urbe præconis tuba sonabat, toto foro, & per compita, tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis Jesum coleret: Qui vero contra jussa faceret, gravi supplicio plecteretur. Idola proponebantur adoranda, lapideaque ac lignea, hominum simulachra, pro vero numine colenda. O misera tempora! Dei civitas rei novitate attonita, tota tumultuabatur. Christianorum domus singulæ petebantur: Innocentiumque facultates diripiebantur: fidelium & ingenuorum corpora, carnificum manibus discerpebantur: matresfamilias pudicissimæ per vicos trahebantur: nulla juvenum pietas, nulla senum reverentia erat: insontes, noxiis ac maleficis digna patiebantur: Turba plurima, in carcerem, arctissimumque locum conjecta, torquebatur: domus insignes & opulentæ, evertebantur. Pleni saltus, plena perfugis loca deserta, ob unum tantum crimen, quod Christum colerent: prodebat Patrem filius: Pater filium accusabat. Frater adversus fratrem insurgebat. Servus Domino insultabat. Adeo diabolicis artibus hominum animi affecti tenebantur, ut velut in tenebris agentes, sese minime cognoscerent. Præter hæc autem, sacra templa, Basilicæ, aræ sanctissimæ evertebantur. Thus ante sacrificia in odorem suavitatis non amplius fumabat: nulla erat oblatio: Divinæ rei nullus jam locus amplius relictus. Cuncta mœror ingens, veluti diffusa caligo occupabat. Sacerdotum collegia fugabantur: sacer omnis conventus cladem insolitam expavescebat, gentilium vero conciliabula gaudebant: Nidore ac sanguine victimarum infecta cuncta dabant. Hæc igitur exempla crudelia, cum Centurio generosus conspiceret, tantorum malorum exitum præveniens, abjecto militiæ baltheo sponte sibi exilium delegit: Itaque relictis honoribus, relictis omnis generis facultatibus, servis, propinquis, amicis, voluptatibus, & rebus aliis, quas cæteri maxime appetere, ac magno studio parare solent, ad vasta, deserta nemorum loca contendit: longe secum melius agi putans, si in ferarum recessibus, quam inter idola vana cum hominibus habitaret: Heliæ Prophetæ secutus exemplum: qui cum Sidoniorum conspiceret impietatem quotidie invalescentem, in montis Oreb speluncam secessit, ac sese ab omni humana conversatione, ut Deum quæreret ac videret, abdicavit: Vidit tandem, quantum fas est homini mortali. Eodem modo noster Gordius, spretis omnibus, urbanos fugiens tumultus, fori clamorem, magistratuum ambitionem, tribunalium fastum, obtrectatores, ementes, vendentes, pejerantes, mentientes, mimos, scurras, cæterosque hujuscemodi generis homines, quibus magnæ urbes refertæ sunt, multosque secum tanquam magnæ naves, alligatas puppibus cymbas, per æquora trahunt. Insuper visu audituque, ac animo a vitiis purgato & libero, Deum ipsum contemplando videre meruit: tum magna discere mysteria, quæ non ab hominibus, nec per homines fuit edoctus, sed magno usus præceptore Spiritu Sancto. Quamobrem secum meditans, quam sit fallax & inanis vita humana, ac somnii phantasmatis æquiparanda, in supernæ illius ac melioris vitæ amorem exarsit: ac veluti fortis athleta sese jejuniis, vigiliis, orationibus, studiis demum Divinæ eruditionis probe exercitatum animadvertens, hunc maxime diem observavit, in quo frequens civitas visendo equestri spectaculo erat intenta, quod hoc in loco ea tempestate, in Martis, seu potius furentis bellorum dæmonis, honorem celebrabatur: Populus omnis ex edito spectabat, nec ullus deerat, nec Judæus, non genti-

(*) De Maximiano, loqui consentaneum est.

gentilis, non item Christianorum multitudo, quæ cum vanitatis Concilio commixta sedebat, & iniquorum imitans consuetudinem, equorum cursum & aurigarum agilitatem spectabat: servi eo die ab opere liberi: pueri e scholis spectatum currebant: fœminæ prostitutæ ac ignobiles aderant: plenum jam studium, & omnis jam turba consederat, equestre certamen videre intenta. Tunc magnanimus heros per montis clivum, in theatrum properans, non populum horruit, non quantis se pugnacibus manibus traderet, pensitavit: sed animo intrepido, severoque vultu super hominum terga, qui circum theatrum sedebant, tanquam per aliquam lapidum congeriem aut lignorum struem ingrediens, in medio campo constitit: illud secum sæpe repetens dictum: Justus ex fide vivit. Quid plura? adeo intrepido, excelsoque animo fuit, ut cum in eminentiore theatri parte staret, ingenti voce, quam qui audierunt, extant adhuc aliqui, exclamaverit, & clare, illud Apostoli ad Romanos dixerit: Ecce inventus sum ab iis, qui me non quærunt, his, qui me non interrogabant, palam apparui. Quibus sane verbis se in eum venisse locum significavit, minime coactum; sed ultro se mancipium præbuisse, servatoris exemplum secutum, qui cum per atram noctem minime videretur, se Judæis manifestavit. Omnium igitur oculos statim in se convertit: erat enim aspectu horridus, &, quod montana diu incoluerat, sqalenti capillo, barba promissa, veste obsita, corpore incurvus, pera præcinctus, baculo innixus: quæ sane omnia horrorem quendam populo aspicienti incutiebant, simul, & eum illustrem magnopere reddebant. Ubi autem quis esset, cognitus fuit: gentilium simul & Christianorum murmur est ortum: his quidem ob gaudium sui commilitonis exultantibus, illis vero factum damnantibus, ac judicis animum ad ejus cædem accendentibus. Hominum igitur clamor, atque tumultus omnia complebat: equos, currus, aurigas jam despiciebat: frustra rotarum stridor aerem verberabat, nullus aliud quam Gordium videre malebat, nullus quam Gordium verba sonantem audire studebat: totum denique theatrum murmure, more venti, per aera sonantis, perstrepebat. Ubi vero per præconem silentium imperatum, conticuere buccinæ, sopitæ fistulæ; varia musicorum instrumenta siluerunt: solus aspiciebatur Gordius, solus audiebatur: hinc ad præsidis tribunal in eodem loco confestim adductus, ab eo quisnam, aut cujas esset, interrogatus: & patriam & generis, & dignitatis locum, quem tenuerat, præterea fugæ causam ac reditus pariter enarravit. Reversus sum, inquit, palam ostendens, quod tua edicta nihil omnino curo, sed Jesum Christum spem meam, meumque præsidium confiteor: cumque acceperim, te reliquos homines crudelitate superare, hoc sane tempus explendo meo voto maxime idoneum sumpsi. His sane verbis, velut ignis, ira præsidis accensa, quicquid in eo furoris erat, in eum subito convertit. Præsto sint (inquit) lictores, flagella, plumbatæ, corpus rotis scindatur, in eculeo suspendatur, omne tormentorum genus excogitetur: Feroces adsint feræ, mucronibus transfigatur, igni tradatur; in altum dejiciatur barathrum. Verum parva hæc omnia viro execrando, modo una morte intereat. Quin (inquit Gordius) damnum profecto me facere videor, si sæpe variisque modis extingui, variaque pro Christo pati supplicia nequeo. At ille his magis irritatus verbis, magisque se lædi ac sperni, ob talem loquendi licentiam, existimans, naturali ejus feritati vehementior accessit impetus: ac eo truculentior fiebat, quo ille constantior in contemnenda pœna videbatur, cum nulla tormentorum ratione, nullis armis, a cœpto proposito averti posset: quin in cœlum oculos attollens, sacra psalmorum carmina decantabat: Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo. Et rursus: Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et alia istis germana, quæ de sacris promebat voluminibus, ad animum confirmandum, & in proposito perseverandum maxime facientia. Tantumque abfuit, ut intentatas horreret pœnas, ut eas ultro in se provocaret, suppliciique moras vehementer increparet. Quid (inquit) agitis? Quid cunctamini? Quid hanc mihi gloriam invidetis? Corripite corpus, membra frustatim cædantur: Denique quodcunque de me supplici-

plicium ocyus ſumite. Quanto enim mihi plus tormentorum acceſſerit, tanto plus referam præmiorum. Res enim in hac vita, adverſæ, nobis apud Deum, perpetuam pariunt voluptatem. Si vulnera mille ac cicatrices patimur, in reſurrectione, ſplendido induemur amictu. Pro contumelia atque ignominia, palmas coronasque aſſequemur: Pro vinculis & carcere, per ampla Paradyſi ſpacia læti vagabimur: Pro accuſatione demum atque iniqua condemnatione, gloriam ex Deo & Angelis referemus: minæ veſtræ ſemina mihi ſunt Divina, inde immortalitatem, perpetuaque gaudia metam. Cum tandem vir beatus, hac ſeveritate a fide obſtinata averti non poſſet, alia tunc via Præſes eſt aggreſſus: Illecebris & omni lenitate contaminare conatus eſt, cum præſertim Diabolus hac uti ſoleat arte, ut timidos metu perterreat, fortes leniat atque palpet. Quod imitatus Præſes, ubi illum rebus terribilibus non flexit, dolis ac placabilitate circumvenire quærebat, quamobrem magna ſe daturum ſpondebat, quorum alia tunc haberet, alia Imperatorem daturum ei affirmabat, locum inter milites illuſtrem, facultates, opes, quicquid denique animus cuperet. At ille nec ſic quidem victus, Præſidis inſaniam ridebat, qui compenſare dignum aliquid ſupernis ſedibus exiſtimaret. Impius ille, tum laxatis iræ habenis furore percitus, enſem vagina diripit, lictorem coram adſtare juſſit, & manu & lingua nefanda, ad viri damnationem ſe accinxit. Ad tribunal omnis theatri multitudo convenit, reliquus vero populus, qui ante urbis mœnia diffuſus erat, ad hoc novum properavit ſpectaculum, quod & Angeli & homines verebantur, dæmones vero perhorrebant. Quid plura? Concurrentibus eo cunctis, urbs pene vacua facta eſt. Matresfamilias, nobiles, ignobiles properabant, domus ſine cuſtodibus relictæ, tabernæ operariis deſertæ, in foro venalia disjecta jacebant. Ex hoc tamen urbs tuta, quod omnibus extra mœnia egreſſis, nemo intus remanſerat, qui nefas aliquod perpetrare poſſet. Servi Domino ſimul & opere neglectis, avidi ſpectandi erant. Virgines tunc primo extra domos prodeuntes, marium vultus conſpexere: Valetudinarii, ac ſenes ipſi quoque extra muros contendebant. In tanto itaque civitatis concurſu, beatum Gordium, alteram vitam, jam jam per mortem corporis ſpectantem atque tenentem, neceſſariorum amicorumque turba circumſiſtebat, amplectebantur, oſcula dabant, demum flentes adhortabantur, ne ſeſe in ardentes flammas conjiceret, ne florem perderet juventutis, aut æthereas auras, ſolisque dulce jubar relinqueret. Nonnulli quando a fide omnino avertere non poterant, aut fas putarent, quibusdam eum veriſimilibus aggrediebantur rationibus, & Chriſtum tamen corde, ſi cuperet, retinere, ore autem negare ſuadebant: non enim Deum verba, ſed loquentis animum inſpicere: Hoc ferme modo exaſperatum Judicis animum demulceri, & Deum nihilominus propitium poſſe reddi aſſeverabant. At ille tanquam cautes immotæ maris exagitantibus fluctibus, nulla vi, nulloque verborum impulſu, quaſſatus, in obſtinato cœptoque propoſito, inexorabilis permanſit. Ut enim ſapientis domum ſupra petram ædificatam, vis nulla ventorum, aut imber e cœlo vehemens, nec torrentis impetus quaſſare poteſt; ita demum nec preces ullæ aut minæ, conſtantiam ejus evertere potuerunt. Cumque mentis acie huc illuc vagantem Diabolum, ac ejus impulſu ac arte hinc lachymas oriri, indeque vim eloquentiæ, ſuadendique copiam adminiſtrari animadverteret, illud Domini verbum flentibus ait: Nolite flere ſuper me, ſed flete ſuper Dei inimicos, qui in Chriſtianos continuo graſſantur, ipſos inquam flete, qui ignem nobis parant, ſibimet gehennæ incendia, iramque in die iræ theſaurizant: Meum ſollicitare aut emollire animum deſinite. Ego enim pro nomine Domini Jeſu Chriſti mille pericula, milleque mortes, ſi opus foret, adire ſum paratus. Aliis vero, qui Chriſtum ore negare adhortabantur, reſpondit: Lingua quidem, quam Chriſti beneficio retineo, adduci non poteſt, ut ſuum neget authorem: Corde namque credimus ad juſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem. An primus nunc ego, qui Chriſtum profitear? Nonne alii mei ordinis audiiſtis factos Chriſtianos? Primi Centurionis exemplum ſuccurrat, qui cruci ſervato-

ris assistens, ejus Divinitatem per prodigia facta cognoscens, non est veritus, adhuc judæis furentibus, in cæde, nomen ejus palam fateri: quod enim animo sensit, id ore subito manifestavit: vere Dei Filius erat iste. Alius item Centurio, antequam morti traderetur Christus, tanta fide egregia inventus est, ut sese indignum ejus adventu, qui curare verbo poterat absentem, judicaret: Ex quo, Domini voce palam laudatus est, non invenisse tantam in Israel fidem testantis: Cornelius item Centurio, Angelum Domini videre, & per Petrum salvus fieri meruit, cujus Dominus preces simul & eleemosynas respexit. Horum igitur Centurionum libenter discipulus & imitator esse cupio. Negem ego Deum meum, in cujus cultu sum educatus? Nonne cœlum, sol, & astra omnia, lumen mihi clauderent suum? Credam profecto humum, quam pedibus tero, mihi ruituram: Revocate tam nefandam ex animo sententiam, aliam induite mentem. Deus nequaquam irrideri potest: ex ore nostro nos judicat: ex nostris, inquam, verbis nos servat & damnat. Nonne tremendam Domini sententiam audivistis? Qui me negabit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est? Mihi consulitis, ut Deum nosse dissimulem? Quamobrem? ut vitam prorogem, mortem differam? dies adjiciam? at supernæ vitæ longævos perdam annos. An ut corporis cruciatus effugiam, at æternæ patriæ dulcedine privabor. Nam ire perditum dedita opera, & fraude ac dolo, sævas tartari pœnas mercari, manifesta quidem insania. Vobis igitur consulo, si male sapitis, sapientiam ac veritatem discite. Si vero dissimulatis, temporique obsequimini, vos hortor rogoque, relicto mendacio, vera loquamini. Dicite, quoniam Dominus noster JESUS Christus est gloria Dei Patris, in ejus nomine omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: omnes profecto morti sumus obnoxii, sed non omnes inclitum Martyrii nomen sortiuntur. Non (*) igitur naturalem vitæ cursum præstolemur, mundana funera, supremas nostrorum lachrymas despiciamus, cœlestem gloriam violenta, immaturaque morte præveniamus. Velociter ex hac vita, quæ potius est interitus longus dicenda, brevi quidem labore ad veram vitam commigremus. Quid miseri, supremum ætatis finem inutilem, sterilem, infructuosum, stultum, vanum, hominibus pariter & brutis communem, expectatis? Quicunque enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resolvuntur, aut violento improvisoque casu aliquo concidunt. Quando igitur omnino semel e vita migrandum est, maryrium pro Christi nomine, ut semper vivatis, alacriter assumite: ac vitæ, quam omnino relinquere oportet, ne parcite: sit pro necessitate voluntas. Si enim res mundi perpetuæ forent, danda venia fortasse, si superna, pro terrenis relinqueremus: Verum quoniam fluxæ fragilesque sunt, & illorum comparatione magnopere indignæ, quis furor in his invigilare? hæc tanto studio complecti? Hæc ubi dixit Christi Miles, crucis se signo communit, & animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad ignis supplicium hilaris contendit: ubi tantam cordis præ se ferebat alacritatem, ut non lictorum, sed Angelorum manibus se committere videretur, qui subito post interitum, sublimem eum, in cœlum deferrent, Ad hæc, tantus illius populi clamor, ac tumultus est factus, ut vel tonanti cœlo nunquam similis sit auditus. Hoc igitur hujus præclari Martyrii certamen fuit: hoc hodierna dies spectaculum vidit: quod procul dubio tale est, ut nec temporis diuturnitas unquam abolere, nec longæ consuetudinis fastidium tollere, nec aliud quippiam, quamvis magnum, exuperare valeat. Nam quemadmodum solem, quanto magis aspicimus, tanto magis eum admiramur, nec ullo modo, assiduitate vilescit: sic & hujus Viri sanctissimi memoria, quo majori eam temporis spatio retinemus, eo recentior in nostris animis floret: in memoria enim æterna erit justus: in terris quidem, dum terra durabit: in cœlis vero, apud æquum & altissimum Judicem Dominum nostrum Jesum Christum:

(*) Pulchra exhortatio ad Martyrium.

ſtum: cui honor & Imperium in æterna ſæcula: Amen.

In ebrietatem & luxum, quibus die Paſchæ populum affectum vidit, Baſilii Magni Sermo.

MOvent me quidem, fratres, ad hunc ſermonem veſpertina ſpectacula: illud quoque meum retardat animum, meamque in dicendo alacritatem hebetat atque abrumpit, quod ex iis, quæ apud vos tentavi, nullum provenientem conſpiciam fructum. Nam Agricola ſeminum primo jactorum, germinibus nullis exurgentibus, deſperatione quadam pigritiaque ad alias rurſus ſementes faciendas, capitur. Si enim in tot admonitionibus, quas & ſuperiore tempore vos adhortando non præterivimus, & deinceps ſeptem hebdomadarum jejunia nocte atque die vobis Evangelium teſtem adducendo memorare non deſtitimus, nihil penitus profecimus: qua vos ſpe hodierna die alloquemur amplius, aut adhortabimur? O miſeri! quot noctibus quiete vigilaſtis, quot diebus quiete conveniſtis, ſi tamen quiete. Nam qui in bonarum actionum profectu ſemel fuerit, deinde ad antiquam vivendi redeat conſuetudinem, non ſolum eorum, quos eſt paſſus, laborum præmium non ſumet, ſed longe gravioribus dignus eſt pœnis, quod cum ſemel Dei verbum deguſtaverit, & myſteriorum notitia dignatus fuerit, brevi admodum delinitus voluptate, cuncta prodiderit. Nam parvus quidem & infirmus venia dignus eſt: potentes vero (ut dicitur) vi majore, ac multo longe graviore premuntur. Veſper unus, impetus inimici unus, omnem præteritum laborem prodidit atque diruit. Quæ igitur alacritas, quæ induſtria dicendi reliqua mihi? Itaque ſcitote, me omnino taciturum fuiſſe, niſi Hieremiæ metuerem exemplum, qui ad populum contumacem atque incredulum loqui minime volens, illa paſſus eſt, quæ ipſe narravit. Quemadmodum in viſceribus ei factus eſt ignis, & undique circumivit nec ſuſtinere valuit. Fœminæ laſcivæ, Dei timoris oblitæ, ignis æterni minas nihili pendentes in die tali, quando eas ob noſtri Servatoris JESU Chriſti memoriam, domi honeſte conſiderare oportebat, ac illius diei fœlicis memoriam habere, per quam cœli ſunt aperti (Apparebit namque nobis judex e cœlo, Dei tuba, ac mortuorum reſurrectio, juſtum judicium, ac pro meritis cuique laborum merces) At vos hæc & ſimilia cogitare decebat: Corda item veſtra a pravis cupiditatibus purgare, peccata lachrymis diluere, voſmet in hac ſacra Paſchali ſolennitate præparatos obviam Jeſu Chriſto procedere. At pro his omnibus, mulieres Chriſti jugum a ſuis cervicibus excutientes, capita honeſtis operta velaminibus impudice retegentes, Deum & ejus Angelos deſpicientes, ad marium aſpectus impudentes, luxui tantum vacaverunt: veſtium ſumptus, ante oculos noſtros traxerunt: pedibus geſtientes, ac oculo pæto, riſu laſcivo, ad ſaltationem inſanientes, omnem juventutis intemperantiam in ſe provocaverunt: in locis ſacris pro mœnibus civitatis, choros conſtituentes, ea prophanaverunt, ac omnium probrorum officinas reddidere: Aerem inſuper meretriciis cantibus, terram vero pedibus laſcive ſaltando contaminavere: Theatrum pulſantes, adoleſcentes circumſiſtere provocavere: denique inverecundæ omnino ac inſanæ mulierculæ, nullam inſaniam, nullum probrum prætermiſere. Hæc itaque quomodo tacebo? quomodo digne conquerar? Vinum profecto, harum ſtragem (*) animarum nobis fecit: Vinum Dei donum, ad robur, infirmitatibus ac ſuſtentationem ſapientibus conceſſum, nunc vero arma incontinentiæ intemperantibus eſt factum: Ebrietas ipſa dæmon eſt quidam nobis ſponte provocatus, qui per voluptatem animas evertit noſtras. Ebrietas vitii mater, virtutis inimica fortem quidem manifeſte offendit, ſapientem ac juſtum minime novit, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni eſt adverſa, ſic vinum immodicum rationem ſupprimit. Quamobrem vereor contra ipſum aliquid dicere: non ut de parvo quidem, aut contemnendo malo: ſed ut nihil per meum ſermonem profecturus, nec aliquid utilitatis allaturus. Si enim ebrius inſanit, ac tenebris obvolvitur, vanus

[*] Ebrietatis mala.

vanus labor, apud non audientem verba facere. Quos igitur alloquemur, si & is, qui admonitione indiget, minime dictis auscultat? Sobrius vero & qui sapit, omni animi affectu purgatus, nullum ex verbis expectat adjumentum? Quid igitur faciam? si & oratio mea sit inutilis futura? silentium vero infructuosum, præteribimus ne diligentiam? at negligentia periculosa: quamobrem loquar. Omnino loquar adversus ebrios, & apud sepultas aures clamabimus. Quanquam ut in pestilentia solet evenire, ii, qui corpora curant, sanos quidem & eo morbo liberos, adjumentis quibusdam ad sanitatem servandam facientibus, securos reddunt, illos vero, qui jam affecti sunt, minime attingunt: sic sermo noster ex parte tantum aliqua proficere poterit, custodiam atque observationem, contra pravos affectus animi monstrando: hos vero, qui jam illis tenentur, prætereundo. Qua in re dic homo miser, quid a brutis differas? nonne rationis munere, quam a Deo omnium conditore acceperis, reliquæ creaturæ omnis factus es Dominus & Imperator? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter bestias, & ipsa ratione carentes, annumerari poteris, similisque illis videri. Ego enim & bestiis longe pejores eos existimaverim, qui ab ebrietate superantur, quum illæ, coeundi statutas habeant leges & horas: at ii, quod plus æquo, se vino ingurgitaverint, corpusque supervacuo calore concitaverint, in commiscendo nullum fas, jusque habentes, nequissimis complexibus & amoribus inter se utuntur. Nec solum eo pejores brutis, quod mente insaniant ebrii: sed etiam quod sensibus, longe infra illa deficere videantur. Quod (*), quæso, animal ita visu audituve, atque ebrius homo debilitatur? nonne familiarissimos interdum ignorant? sæpe alienis ut domesticis congrediuntur, cum umbris quoque luctantur, easque veluti fossas ac valles, saltu pertranseunt: Aures terrifico sonitu more fluctuantis maris refertas habent: Terra interdum insurgere, ac in tectum tendere, montes vero circummoveri videntur: quandoque ab re & præter modum rident: nunc vero sine consolationis remedio plorant, nunc item audaces & temerarii, mox timidissimi & molles. His etiam somni graves & deprimentes, mortique vicini: Vigiliæ somnis ipsis pigriores ac torpentiores contingunt: Exercitibus imperant, gentibus dominantur, civitates regunt, pecuniam distribuunt. Talibus vinum phantasmatis, talique deceptione fervens, ipsorum corda possidet: In aliis vero alios, sæpeque contrarios exercet actus: Nonnullos videas tristes atque dolentes, speque omni decidentes, semper querulos, ac lachrymis refertos. Merum, in differentibus corporum habitibus, differentes animæ perturbationes exercet: Eos enim, quibus sanguis copiosius ad ora usque perfunditur, lætos & hilares animo reddit: In iis vero, qui gravi habitudine, frigidoque circum præcordia, sanguine corripiuntur, contrarios producit effectus. Sed quid opus reliquam perturbationum catervam numerare, morum perversitatem, ad omnia vitia promptitudinem, celerem ac repentinam animi, ad omnia mutationem, strepitum multum ac tumultum, facilem ad dolos deductionem, ad omnes ineptias effrenem lætitiam? Voluptatis namque incontinentia omnis, ex vini fonte originem vimque habens, præceps ad omnem impuritatem atque intemperantiam ruit: animalium omnium libidinem fœditatemque superat, quum bruta, naturæ leges, in hoc genere noscant atque observent. Ebrii tantum in mare fœminam: in fœmina marem quærunt, atque optant. Non enim cuncta, quæ ex ebrietate gravi procedunt, facile prosequi oratione fuerit. Nam incommoda damnaque pestilentiæ, temporis intervallo hominibus proveniunt, cœli gravitate paulatim hominum corpora interficiente: Quæ vero ex homine proveniunt ebrio, statim irruunt: Sic animam perdentes, ut eam cicatricosam stigmateque plurimo corrosam relinquant. Sed & ipsum corporis habitum gravem, membrorumque fœditatem, brutorum more, præ se ferunt. Nam eos videre licet oculis liventibus, ore indecenti, rubore perfuso, spiritu gravi, lingua balbutiente ac demissa, voce confusa, pedibus, puerorum more, infirmis ac titubantibus,

[*] Vini effectus.

bus, excreationes frequentes, velut immania ſponte facientes. Miſeri profecto, ac longe miſeriores quam fluctibus agitati, quos fluctus aliis alii ſuccedentes, a tempeſtate obrui non ſtatim ſinunt: Sic horum animæ undis, hoc eſt, vino madentes, ilico deprimuntur. Quamobrem veluti navigia, quando fluctibus procellæ acceptis gravantur, neceſſario commeatus vacuatione ac projectione, levanda ſunt: ſic ebriis rerum ſtomachum gravantium vacuatio neceſſaria, ex quo & vomitione & dejectione frequenti, vix levari poſſunt: tanto naufragis deteriores, quanto illi res cauſantur extrinſecus & mare: hi vero ſponte periculum adeunt, & ex ebrietate, ſibi, volentes tempeſtatem pariunt. Lymphatus & malo dæmone captus, miſericordia quidem dignus: ebrius vero, eadem fere & ipſe patiens, minime miſericordia dignus, qui optato ſervit dæmoni. Quin & tales remedium quærunt ebrietati, non aliquid ob eam, grave non admittendo, ſed minime deſiſtendo, in eaque continuando. Dies enim admodum parva, brevis etiam nox vel hyberna, potando videtur: denique hujus mali finis nullus: Ipſum namque merum, inexplebilem continuo ſitim addit: nec neceſſarium quærit uſum, ſed ad alium ſine excuſatione, potum invitat, quum ardentes ebrios, ac ſemper bibendi cupidiores reddat: ex quo inſatiabiles omnino facti, contraria his penitus, quæ optaverunt, patiuntur: ac voluptatem, quam omni ſtudio quærunt, omnino amittunt. Luxus enim hujuſcemodi aſſiduitate, ſenſus tabeſcunt: Nam ſicuti ſplendens aliquid viſum perficit, ſumme autem ſplendens hebetat atque vaſtat: & magni ſonitus atque ſtrepitus ob exceſſum, auditum tollunt: ſic & iſti ob aſſiduam atque immodicam voluptatem, ſeſe vaſtant atque corrumpunt, & a delectationis via omnino avertunt. Nam ſive meratius ſeu dilutius, modo ſatis atque frequenter bibant, ipſam vini flammam intus ardentem, ex potus immodicitate extinguere non valent. Quibus nam Propheta minatur, niſi huic hominum generi, dum ait: Væh vobis, qui contrito eſtis corde? Væh lamentabilis vox. Lamentatione quidem digni ſunt ebrii, quod ex Apoſtoli ſententia, Regnum Dei non conſequantur: Tumultus in eis oritur & turbatio ob vini potentiam, rationi & rerum cogitationibus adverſantem: præterea, triſtitia, ob amaros potandi voluptatis exitus. Horum namque pedes ut vincti debilitantur. Manus ex fluxionibus, vini cauſa eo deſcendentibus, continuo moventur: quanquam ante omnia mala hæc, in ipſo potationis tempore, ſimilia phreneticorum eis eveniunt. Quum (*) enim cerebrum æſtu, ex vini vapore redundante vacillat, dolorem intolerabilem capiti parit. Ex quo caput recte ſupra humeros conſiſtere non valens, huc illuc vertebris diſſolutum jactatur. Sodalitia Propheta, luxum compotationum, & inhoneſtos conventus vocat. Contritiones etiam nominat, corporis ægritudines ſignificans: in quas ebrii quoque ob varios morborum caſus incidere ſolent. Sed quis horum admonebit vino ſepultos, qui ex crapula continuo dormitant, capite gravantur, oſcitant, caliginem ob oculos habent, ob nauſeam faſtidiunt. Quamobrem ſapientiæ Magiſtros inclamantes minime audiunt: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Et rurſus: Res eſt immoderata, vinum, & probroſa ebrietas: quibus ſane verbis ipſi minime auſcultantes, ebrietatis fructum nimirum referunt: Tumeſcit enim corpus, oculi humoribus prægravantur, ora ſiti ardentia, fauces continuo ſiccæ. Nam ſicuti valles & botri, donec torrentibus inundantur, pleni eſſe videntur: unda vero deſinente, ſtatim ſiccæ vacuæque remanent: ſic & vinolentorum ora, vino ac potatione durantibus, exaturantur ac madeſcunt: paulo poſt continua ſiccitate laborant: ex quo ad frequenter bibendum invitantur, unde humor minime naturalis emittitur: Ubi tandem remedium? Ubi medicina, quæ tantis ebrietatis malis occurrat, reperitur? Quis unquam madidum ſemper & innatans vino corpus faciat, ut non exile, diſſolutum & omnibus obnoxium morbis exiſtat? Hinc tremores, hinc debilitates, confracto ac debilitato vitali ſpiritu & excidentibus robore membris, ac diſſolutis excitantur. Valetudo enim omni corporis inflationi, tumorique ineſt. Naturali namque firmitate deficiente, neceſſe eſt corpus continuo vacillet atque moveatur. Quouſque tandem

(*) Ebriorum valetudo.

dem vinum? quousque ebrietas? Periculum, miser, est, ne pro homine cœnum lutumque fias. Sic penitus vino deditus, marcescis, ac quotidianam crapulam meri, & hoc tabidi, haud aliter quam vasa putrida redoles. Hos Esaias luget (*): væ surgentibus mane, & siceram amantibus, non vesperam expectantibus: vinum enim illos cremabit. Post citharam & saltationes vinum bibunt: opera namque Domini respiciunt, & opera manuum ejus non considerant. Sicera enim, omne quod ebrietatem inducit, apud Hebræos vocari solet. Quos igitur nunc Propheta reprendit, ii sunt, qui luce incipiente vinum quæritant: œnopolia, cauponasque circumagunt (†), sodales conveniunt, ac invicem ad potandum invitant: Omnem denique curam, cæteraque posthabentes in hoc collocant, ne temporis partem aliquam in rerum cœlestium, atque operum Dei consideratione ponant: eorum oculi nunquam suspiciunt, aut ad sydera tolluntur, ut pulchritudinem, & omnem in rebus creatis providentiam simul & justitiam meditantes, ad summi ac sapientissimi Dei creatoris omnium, cognitionem perfectam charitatemque perveniant: sed statim prima luce symposia meditantur & curant, tapetibus variis & aulæis ornant: famulos ad hoc exercent: in hoc omnem curam & diligentiam ostendunt: crateras, phyalas, psycteras, sicut in pompa quadam & festa die, ponentes: ut vasorum varietas pulchritudoque, veluti chorus quidam suspiciatur, admirationique sit; utque poculorum commoditate ac mutatione dulcius potent: Sed & officia his obeundis adhibent: symposiarchos, archiœnochos, architriclinos: & denum ordo ac dispositio in re inordinata confusaque constituitur: ut quemadmodum exercitus militibus, diversa obeuntibus officia, sic convivium Magistratibus honestetur. Ex quo ebrietati, veluti reginæ cuidam, ministros disponentes, luxum, horum studio munerum ornare contendunt. Insuper coronæ adhibentur, & flores & unguenta, & odorum mille genera, quæ omnia rebus perituris, ac minime laudandis, supervacaneum pariunt negotium. Cum & potatione procedente eo veniunt, ut de augenda hac insania certent: & de ebrietate per ambitionem contendant: cujus authorem legis Diabolum habent: victoriæ vero præmium, peccatum. Nam qui plus hauserit meri, is præ cæteris laudatur, is victoriam refert. Ex quo palam est, quod in re turpissima cum sua verecundia, gloriam quærunt. Inter se namque contendunt, & ut in judicio aliquo, defensitant: Quæ nam ratio, qui ordo, quæ virtus, ubi sunt omnia confusione inconsiderantiaque referta, esse poterit? ubi & qui vincunt, & qui vincuntur, pariter sunt temulenti? ubi ministri rident: manus labant: ora madent, venter ciborum gravitate dirumpitur: unde postremo incommodum, ut miserum corpus naturali vigore dissolutum ac defluens, vim ponderis immodici ferre non valeat. Miserum profecto Christianorum oculis spectaculum. Vir ætate florens, corpore terribilis, obeundis in exercitu laboribus aptus, & demum sarcinis oneratus, domum redire idoneus, ita postea a gula vinoque vincitur, ut sibi omnino imperare non possit: & qui terrori hostibus fuerat, ridiculus in foro pueris videtur: occasionemque, ut ab omnibus contemnatur, præbet: & sine ferro vulneratur: nec minus interficitur vir militaris & juvenis. Crapulæ mancipium fit, ab inimicis, quæcunque jusserint, pati paratus. Ebrietas itaque rationis interitus, fortitudinis pernicies: senectus non intellecta: mors brevis temporis. Quid, quæso sunt ebrii, quam gentium idola? Oculos habent & non audiunt: manus paralysi affectas habent, pedes infirmos ac facile offendentes. Quis hæc machinatur? quis horum causa malorum? quis insaniæ hujus pharmacum nobis propinavit homo? Tu quidem prælium committis: in aciem juventutem educis: facile vulneratur, ætatis florem vino absumis: vocas ad cœnam ut amicum, ejus petis cadaver, animam extinguis: cum vini adsunt ministri, tunc bibere incipiunt, potantque volucrum more, ut ex fonte perenni ac sponte fluente, accumbentibus calices præbent: procedente autem potatione, prodit in medium adolescens nondum ebrius, phyalam vini refrigerati humeris ferens, quod pincernam ipsum provocare facile posset: is in medio astans per obliquas fistulas æquam

[*] Esaias de vinolentis.

[†] *forte:* circumeunt.

quam convivis distribuit ebrietatem. Novum profecto genus hoc mensuræ, ubi nullus mensuræ modus, ut per (*) poculorum æqualitatem inter eos nulla sit invidia, aut in bibendo concertatio. Arripit quisque ante se positum psycterem: ut ex quadam cisterna, more boum, sine respiratione uno haustu tantum bibere contendat, quantum vas illud per argenteam fistulam suppeditat: respice parumper in miserum ventrem, vasis magnitudinem, vini mensuram, quanta sit considera: hanc tu nequaquam in vas iterum vinarium reponere, sed in ventrem totum, ut dudum cibis oneratum, demittere curabis. Quamobrem jure clamat Propheta: Væh surgentibus mane, & siceram potantibus, non expectantibus vesperam, & diem in ebrietate consumentibus: ac nullum tempus ad considerandam Dei sapientiam, & opera manuum ejus dignoscenda, interponentibus. Vinum vos profecto comburet, quod sane dicit, quoniam igneis inimici telis, fervor ex vino, corpori diffusus incenditur: Rationem igitur ac mentem vinum deprimit, voluptates & animi cæteros affectus malos excitat. Quis, dic mihi, currus equorum indomitorum ita præceps fertur, ut Dominum excutiat suum? quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum & concussum, si contingat, ut non sit ebrio longe securius? Ex talibus itaque malis, viri ac fœminæ, communes constituentes choros, maloque dæmoni miseras tradentes animas, sese invicem libidinum telis confodiunt atque lacerant: risus inter se histrionicos, cantus probrosos, meretricos gestus ad libidinem invitantes exercent. Rides, dic mihi, & gaudes inepta stolidaque lætitia, quum lachrymas fundere, ac dolere ob ea, quæ admisisti, fas erat? Cantus prophanos exerces, oblitus psalmorum & hymnorum, quos didicisti: moves pedes, & insanus saltas: choreas ducis imprudens, quum genua ad Dei Domini nostri Jesu Christi cultum flectere oportuit: quas ego fleam, puellasne conjugii expertes, an viris conjunctas? hæ quidem legem prætererunt, virginitatem amittentes: Illæ vero pudicitiam viris minime servaverunt. Nam si quæ forsan peccatum corpore vitavere, animo tamen admisere: quæ quidem & viris mihi simul dicta monitaque sint. Vidit ille male, visa est illa male. Sed qui mulierem ad concupiscendum viderit, jam mœchatus est in corde suo. Si ergo casus (†) diversitas congrediens, aut se invicem solum aspiciens, tantum periculum adibit, quanto majus fuerit, quum de industria congrediuntur, quum dedita opera mulieres in ebrietate & convivio, omni impudico gestu, saltatione, cantu, ad libidinem effrenes juvenes invitantes spectant ac quærunt? Quid dicunt, aut quid causantur ex his spectaculis, ubi tot mala congregantur? Nonne ob voluptatem ac excitandam concupiscentiam spectare? Itaque excusabilis lasciviæ pœnas, apud justum Dei judicium quandoque dabunt. Quomodo vos, o miseri! Pentecoste suscipiet, qui a Deo Pascha contempsistis? Enimvero Pentecoste Sancti Spiritus adventum efficacem, omnibusque notum habet. Tu vero teipsum contrarii spiritus habitaculum reddidisti: ex quo non templum Dei, ob inhabitantem Spiritum Sanctum, sed idolorum factus es. Quamobrem, veram facis Prophetæ execrationem, ex Dei persona dicentis: Convertam festa eorum in luctum. Sed quomodo, dicite mihi, servis imperare potestis, quum & ipsi cupiditatibus vestris tanquam mancipia serviatis? Quomodo filios monetis vestros, animas proprias incastigatas retinentes, ac procul, ab omni disciplina viventes? Quid igitur? Vos in his relinquam? Sed vereor, ne si remedium his malis prætercam, alius pervicacior fiat: alius vero ob tristitiam illatam desperet. Quamobrem, magnis hujuscemodi peccatis medicina prompta est: jejunium ebrietatem curet: (**) psalmus turpes cantus, lachryma risum: pro saltatione, genu Deo flectatur: pro tripudio & cithara, pectus pulsetur: pro vestium sumptu atque ornatu, humilitas: in omnibus vero eleemosyna peccata diluat: redemtio animæ, viri divitiæ: in communionem societatemque orandi Dei plures admittite hujuscemodi delinquentes, si quo modo ad pœnitentiam revocari possint. Quando enim sedit populus manducare & bibere, tanquam idololatra, tunc Levitæ contra fratres sese armantes, ex eis viginti tria millia

(*) Æquales calices. (†) *forte*: sexus. (**) Ebrietatis remedium.

millia cæciderunt: ſic enim manus ſuas, inquit hiſtoria, conſecrarunt. Et vobis nunc Deum timentibus dico, qui plura probra hæc, ſceleraque minime probatis: illud monemus, ut ſi quos pœnitentes horum, quæ admiſerunt, videatis, eorum vos miſeratio, ut propriorum membrorum affectorum capiat: ſi vero a vitiis minime diſcedentes, & veſtra, ſuper his, monita, veſtrumque dolorem, aſpernantes animadvertitis, ex eorum medio cedite, nihil cum eis communicantes, ut ne & ipſi, vos reddant contaminatos: ſic enim melius, proprii ſceleris ſe ſpretos ac relictos videndo, admonebuntur: Vos vero pro juſtitia, officioque præmium, zelo Phinees debitum, procul dubio conſequemini apud juſtum Judicem Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti: cui gloria & imperium in æterna ſæcula, Amen.

Sermo in Nativitate Apoſtolorum Petri & Pauli, Divi Leonis Papæ primus.

OMnium quidem ſanctarum ſolennitatum, dilectiſſimi, totus mundus eſt particeps: & unius fidei pietas exigit, ut quicquid pro ſalute univerſorum geſtum recolitur, communibus ubique gaudiis celebretur. Veruntamen hodierna feſtivitas, præter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, ſpeciali, & propria noſtræ urbis exultatione, veneranda eſt, ut ubi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus, ibi in die martyrii eorum, ſit lætitiæ principatus. Iſti enim ſunt viri, per quos tibi Evangelium Chriſti, Roma reſplenduit: & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis.

Iſti ſunt Patres tui verique Paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam multo melius, multoque fœlicius condiderunt, quam illi, quorum ſtudio, prima, mœnium tuorum, fundamenta locata ſunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdavit. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut (*a*) ſis gens ſancta, populus electus, civitas Sacerdotalis & regia per ſacram beati Petri ſedem, caput orbis effecta, latius præſidens religione Divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus imperii tui, terra, marique protuleris: minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana ſubjecit.

Deus namque bonus & juſtus, & omnipotens, qui miſericordiam ſuam, humano generi nunquam negavit, omnesque in commune mortales, ad cognitionem ſui, abundantiſſimis ſemper beneficiis erudivit, voluntariam errantium cæcitatem, & proclivem in deteriora nequitiam, ſecretiore conſilio, & altiori pietate miſertus eſt, mittendo verbum ſuum æquale ſibi atque coæternum. Verbum igitur caro factum, ita Divinam naturam naturæ univit humanæ, ut illius ad infima, inclinatio, noſtra fieret ad ſumma, provectio. Ut autem (*) hujus inenarrabilis gratiæ per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum Divina providentia præparavit: cujus ad eos limites incrementa perducta ſunt, quibus cunctarum undique gentium vicina & contigua eſſet univerſitas.

Diſpoſito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confœderarentur imperio, & cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. Hæc autem civitas, ignorans ſuæ provectionis authorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Unde quantum erat per Diabolum tenatius illigata, tantum per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta. Nam cum duodecim Apoſtoli, accepta per Spiritum Sanctum, (*b*) omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent: beatiſſimus Petrus, Princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficatius ſe ab ipſo capite, per totum mundi corpus effunderet.

Cujus

(*a*) Exod. 19. 1. Petr. 2.
(*b*) Actor. 2.

(*) Romanum Imperium cur ad ſumma provectum ſit.

Cujus autem nationis homines, in hac tunc urbe non essent, aut quæ usquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset? Hic conculcandæ Philosophiæ opiniones: (*) hic dissolvendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates: hic confutandi Dæmonum cultus: hic omnium sacrilegorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum, quicquid usquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo urbem, tu beatissime Apostole Petre, venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo, aliarumque adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, sylvam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior, quam cum supra mare gradereris, ingrederis. Nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphæ (c) domo expaveras Sacerdotis ancillam.

Nunquid autem judicio Pilati, aut sævitia Judæorum minor erat; vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis, vis amoris: nec æstimabas terrori cedendum, dum horum saluti consulis, quos susceperas diligendos. Hunc ergo intrepidæ charitatis affectum, jam tunc profecto conceperas, quando (d) professio tui amoris in Dominum trinæ interrogationis est solidata mysterio, nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæsitum est, quam ut pascendis ejus, quem diligeres, ovibus, cibum, quo ipse eras opimatus, impenderes. Augebant quoque fiduciam tuam tot signa miraculorum, tot dona charismatum, atque experimenta virtutum.

Jam populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras: jam (e) Antiochænam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras: jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam, legibus Evangelicæ prædicationis impleveras: nec ut dubius de profectu operis, aut de spacio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te Divinis præordinationibus anteibant, & honor potestatis, & gloria passionis: ad quam beatus Coapostolus tuus, vas (f) electionis, & specialis Magister gentium Paulus occurrens, eodem tibi consociatus est tempore, quo jam omnis innocentia, omnis pudor, omnisque libertas, sub Neronis (**) laborabat imperio: cujus furor, per omnium viciorum inflammatus excessum, in hunc eum usque torrentem suæ præcipitavit insaniæ, ut primus, nomini Christiano, atrocitatem generalis persecutionis inferret: quasi per Sanctorum neces gratia Dei posset extingui, cujus hoc ipsum erat maximum lucrum, ut contemptus vitæ hujus occiduæ, perceptio fieret fœlicitatis æternæ. Preciosa (g) ergo est in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus. Nec ullo crudelitatis genere destrui potest, Sacramento Crucis CHRISTI fundata religio.

Non minuitur persequutionibus Ecclesia, sed augetur: & semper Dominicus ager, segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Unde duo ista præclara Divini germina seminis, in quantam sobolem germinarint, beatorum millia Martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli triumphorum, Urbem nostram purpuratis, & longe lateque rutilantibus populis ambierunt, & quasi, ex multarum honore gemmarum, conserto uno diademate coronarunt, de quorum præsidio, dilectissimi, divinitus nobis ad exemplum patientiæ, & confirmationem fidei, præparato, universaliter quidem in omnium Sanctorum commemoratione lætandum est: sed in horum excellentia Patrum, merito est excellentius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem, inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui (h) caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum: de quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum: quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales. Sicut autem & nos experti sumus, & nostri

(*) Romanorum superstitio.
(d) Johan. 21. (e) Actor. 11.
(**) Neronis furor & persecutio.

(c) Matth. 14. Matth. 26.
(f) Actor. 9. 1. Tim. 2.
(g) Psalm. 115. (h) Ephes. 1.

nostri probavere majores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam DEI, semper nos specialium Patronorum orationibus adjuvandos: ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum (*) Apostolicis meritis erigamur, per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM: cui est cum Patre & Sancto Spiritu eadem potestas, una Divinitas in sæcula sæculorum, Amen.

De Petri Fide ac Confessione, super quam ædificata est Ecclesia, Sermo, &c.

EXultemus in Domino, Dilectissimi, & spiritali jucunditate lætemur, quia unigenitus DEI Patris Filius, Dominus noster JESUS CHRISTUS ad insinuanda nobis suæ dispensationis & Divinitatis mysteria, Apostolici ordinis primum Beatum Petrum huic civitati dignatus est, prærogare: cujus hodierna solennitas, recurrente triumpho Martyrii, specimen & decus contulit, orbi terrarum. Hoc enim obtinuit, Dilectissimi, illa confessio, quæ a Deo Patre inspirata Apostolico cordi, omnium humanarum opinionum incerta transcendit, & firmitatem petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit. Evangelica siquidem referente historia, omnes Apostolos Dominus, quid de se homines opinentur, interrogat. Et tamdiu sermo respondentium communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At ubi, quid habeat discipulorum sensus, exigitur, ille primus est, in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate: qui cum dixisset: Tu es CHRISTUS, DEI Filius vivi, (**) Respondit ei JESUS: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Ideo beatus es, quia Pater meus te docuit, nec opinio te terrena fefellit, sed inspiratio cœlestis instruxit: & non caro & sanguis, sed ille, me tibi, cujus sum unigenitus, indicavit. Et ego, inquit, dico tibi, hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit Divinitatem meam, ita ego notam tibi facio, excellentiam tuam: (i) Quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego (k) lapis angularis, qui facio utraque unum, tamen tu quoque petra es: quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia: super hanc (***) petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem, æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ, cœlo inferenda, sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem, portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim ista, vox vitæ est: & sicut confessores suos in cœlestia provehit, ita negatores ad inferna demergit: Propter quod dicitur Beato Petro Apostolo: Tibi dabo claves regni cœlorum, & quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis: Et quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Transivit quidem in Apostolos alios, vis istius potestatis, sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus, Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium, nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil erat ligatum, nihil solutum, nisi quod Petrus aut ligaverit, aut solverit. Instante autem passione sua, Dominus, quæ discipulorum suorum erat turbatura constantiam, Simoni inquit (l): Simon ecce Satanas expostulavit, ut vos cribaret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, ne intrent in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum, de tentatione formidinis: & Divinæ protectionis auxilio pariter indigebant: quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen specialis a Domino, Petri cura suscipitur, & pro Petri fide proprie supplicatur, tanquam aliorum status

(*) Intercessio Sanctorum. (**) Petri confessio. (i) Matth. 16.
(k) Ephes. 2. (***) Petrus, Petra super quam ædificata est Ecclesia.
(l) Lucæ 22.

ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Nam & poſt reſurrectionem ſuam, Dominus Beato Petro Apoſtolo, poſt regni claves, ad trinam æterni amoris profeſſionem, myſtica inſinuatione ter dixit (m): Paſce oves meas, quod & nunc procul dubio facit, & mandatum Domini, pius Paſtor exequitur, confirmans nos exhortationibus ſuis, & pro nobis orare non ceſſans, ut nulla tentatione ſuperemur. Si autem hanc pietatis ſuæ curam, omni populo Dei, ſicut credendum eſt, ubique protendit: quanto magis alumnis ſuis opem ſuam dignatur impendere, apud quos in ſacro dormitionis thoro, eadem, qua præſedit, carne, requieſcit? Cum itaque dilectiſſimi, tantum nobis videamus præſidium divinitus inſtitutum, rationabiliter & juſte in Ducis noſtri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes ſempiterno Regi & Redemptori noſtro, JESU CHRISTO, quod tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit, ad gloriam & laudem nominis ſui, qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum: Amen.

Sermo ejusdem Leonis de laude atque exemplo Martyrum, & de Laurentii Paſſione ac Triumpho.

CUm omnium, Dilectiſſimi, ſumma virtutum & totius plenitudo juſtitiæ, de illo amore naſcatur, quo Deus, proximusque diligitur, in nullis profecto hic amor ſublimius excellere, clariusque fulgere, quam in beatiſſimis Martyribus, invenitur, qui Domino noſtro JESU CHRISTO, pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui ſunt imitatione charitatis, quam ſimilitudine paſſionis. Quamvis enim illi dilectioni, (n) qua Dominus nos redemit, nulla cujusquam benignitas poſſit æquari, quia aliud eſt, pro juſto mori hominem ſua neceſſitate moriturum, aliud pro impiis occumbere, a debito mortis alienum: multum tamen univerſis hominibus, etiam Martyres contulerunt, quorum fortitudine ita ejus largitor uſus eſt Dominus, ut pœnam mortis, & atrocitatem crucis, nulli ſuorum vellet eſſe terribilem, ſed multis faceret imitabilem.

Si ergo nullus bonus, ſibi ſoli eſt bonus, nec cujusquam ſapientis, ſibi tantum ſapientia eſt amica: & hæc verarum natura virtutum eſt, ut multos a tenebroſo abducat errore, qui earum clarus eſt lumine, ad erudiendum DEI populum, nullorum eſt utilior forma, quam Martyrum eloquentia. Facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum: validiora tamen ſunt exempla, quam verba: & plenius eſt opere docere, quam voce. In quo excellentiſſimo genere doctrinæ, Beatus Martyr Laurentius, cujus paſſione dies hodiernus illuſtris eſt, quam glorioſa polleat dignitate, etiam perſequutores ejus, ſentire potuerunt: quum illa mirabilis animi fortitudo, de Chriſti principaliter amore concepta, non ſolum ipſa non cederet, ſed etiam alios, exemplo ſuæ tolerantiæ roboraret.

Quum enim furor gentilium poteſtatum, in electiſſima quæque Chriſti membra ſæviret, ac præcipue eos, qui ordinis erant Sacerdotalis, impeteret: in Levitam Laurentium, qui non ſolum miniſterio Sacramentorum, ſed etiam diſpenſatione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præeminebat, impius perſecutor efferbuit, duplicem ſibi prædam de unius viri comprehenſione promittens: quém ſi feciſſet ſacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face, homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus: avaritia, ut rapiat aurum: impietate, ut auferat Chriſtum. Poſtulat ſibi ab immaculato Sacrarii Præſule, opes Eccleſiaſticas, quibus avidiſſimus inhiabat, inferri: cui Levita caſtiſſimus, ubi eas repoſitas haberet, oſtendens, numeroſiſſimos ſanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atque veſtitu, inamiſſibiles condiderat facultates, quæ tanto integrius erant ſalvæ, quanto ſanctius probabantur expenſæ.

Fremit

(m) Johan. 21. (n) Rom. 5.

Fremit ergo prædo fruſtratus, & in odium religionis, quæ talem divitiarum uſum inſtituiſſet, ardeſcens, direptionem theſauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorum ſubſtantiam reperiſſet, ut illud depoſitum, quo ſacratius erat dives, auferret. Renunciare Chriſto Laurentium jubet, & ſolidiſſimam illam levitici animi fortitudinem diris parat urgere ſuppliciis: quorum, ubi prima nil obtinent, vehementiora ſuccedunt: Laceros artus, & multa verberum ſectione conſciſſos, ſubjecto præcipit igne torreri, ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo, vim in ſe haberet urendi, converſorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. Nihil obtines, nihil proficis ſæva crudelitas: Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis, flammis tuis: ſuperari charitatis CHRISTI flamma non potuit, & ſegnior fuit ignis, qui foris uſſit, quam qui intus accendit. Sævisti perſecutor in Martyrem, ſævisti, & auxiſti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem tranſierunt triumphi, etiam inſtrumenta ſupplicii? Gaudeamus igitur, Dilectiſſimi, gaudio ſpirituali, & de fœliciſſimo inclyti viri fine gloriemur in Domino, (o) qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, in quibus nobis & præſidium conſtituit & exemplum, atque ita per univerſum mundum clarificavit gloriam ſuam, ut a Solis ortu, uſque ad occaſum, Leviticorum luminum coruſcante fulgore, quam clarificata eſt Hieroſolyma Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurentio: cujus oratione & patrocinio, adjuvari nos, ſine ceſſatione confidimus: ut quia omnes, ſicut Apoſtolus ait (p): quicunque volunt in Chriſto pie vivere, perſecutionem patiuntur, corroboremur ſpiritu charitatis, & ad ſuperandas omnes tentationes, conſtantis fidei perſeverantia muniamur, per Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, viventem & regnantem cum Patre & Spiritu Sancto, in ſæcula ſæculorum: Amen.

(o) Pſalm. 67. (p) 2. Tim. 5.

Sermo, qui inſcribitur Sancto MAXIMO, Epiſcopo.

Recte atque ex debito Eccleſiæ, Beatorum Martyrum celebrant inſignia, qui illuminantes virtute fidei ſuæ innumerabiles populos, ſoli quidem illatam ſibi ſenſerunt mortem: Sed non ſoli ſuæ mortis beneficia poſſederunt. Immenſa enim Dei noſtri pietas, multiplex ad bonitatem, & artifex ad ſalutem, proponens arduam virtutum palmam, raros appetitores invenit: ſed in paucorum triumphis, plurimorum commodis proſpicit: Illorum ſiquidem merita, noſtra vult eſſe ſuffragia: ſimulque dum nobis veram fidem duro Martyrii agone commendat: afflictionem præcedentium, inſtructionem efficit poſterorum. Quanta eſt circa nos Dei noſtri ſollicitudo? illos exanimat, ut nos erudiat: illos conterit, ut nos acquirat: illorum cruciatus, noſtros contulit eſſe profectus: Merito ergo eos colimus, qui periculis ſuis pugnant, & noſtris utilitatibus militant: qui per hujus lucis vitæque contemptum, edocent nos, quantum debeamus Deo noſtro affectum. Noverimus itaque, quia non ſine magno diſcrimine, de religionis veritate diſputamus, quam tantorum ſanguine confirmatam videmus. Magni periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem, quaſi novellam, diſcutere præſumas, & poſt tam magnos & manifeſtos Duces, in errore permaneas, & poſt morientium ſudores, ocioſa diſputatione contendas. Veneremur ergo in Sanctorum Martyrum gloria, fidem noſtram. Congratulemur, dilectiſſimi fratres, magnæ fidei noſtræ, per quam, dum exules profiua charitate ſuſcipimus, ipſos etiam interceſſores habere mereamur. Hæc enim eſt ſanctorum Martyrum gloria, quorum & ſi per univerſum mundum ſeminetur in cineribus portio: manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Veneremur ergo inter tantos Chriſti Milites, fidem noſtram. Mater namque Martyrii fides Catholica eſt, in qua iſti illuſtres athletæ, ſubſcripſerunt ſanguine, & morte juraverunt. Mater inquam martyrii fides eſt: veneremur ergo in Sanctorum

 gloria,

gloria, fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab eis enim, dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis nobis evidenter asseritur. Nunquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem, certa diffinitione sentirent. In Sanctis itaque præconibus veritatis, & passionis magnanimitas, & resurrectionis authoritas est. Prompti enim pereunt, in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum, aperitur aditus ad plenitudinem gaudiorum. Cruentas impio ex ore sententias, respuunt manu, repudiant auditu, refugiunt officio. Itaque impetum passionis, magnanimitate provocant, humilitate declinant. Incumbente persecutionis furore, adhuc catechumini animum cœlo præparant, regenerantur morte, damnatione solvuntur, gladio consecrantur. Hinc intelligamus, quantum valuerit ad auferendum mundi peccatum, passio redemptoris. Ecce innocentiam & vitam probatur conferre mors hominis. Hinc intelligamus, quantum in commune profuerit sacra mors filii Dei. Ecce proprium & originale delictum, lavat sanguis humanus, & quod plus est, nemo jam tollit, quod baptismo suo cruor ipse contulit. Nos vero post nitorem baptismi, post collatum nobis piæ regenerationis candorem, post acquisitam indumenti nuptialis Angelicam dignitatem, in peccatorum relapsi cœno, & in antiqua criminum volutabra revoluti, niveum vestimentum, tetris iniquitatum ac libidinum contagiis sordidamus, & holosericam, in quam Sigillum Divinæ imaginis acceperamus impressum, maculis mortiferæ corruptionis inficimus, & post singularem Domini indulgentiam, innovata fœdamus, integra rescindimus, expiata violamus, repetentes opera, non jam undis purganda, sed flammis. Fœlix ergo ille Baptismus, quo omne delictum ita a Catechumeno exit, ut jam redire non possit: & quo sic debita solvit sua, ne ultra creditorem timeret: quo in se ostium peccati, fide clausit, fide damnavit: per Baptismum, innocentiam devotione quæsivit, perseverantia invenit, morte servavit. Quæ cum ita sint, fratres charissimi, isti Christi testes, quorum hodie solennia colimus, licet fide testes pretiosi, sanguine preciosiores: licet virtute candidi, & pulchri: vulnerum tamen crudelium perpessione, speciosiores & candidiores extiterunt. Qui licet putentur quacunque urbe peculiares: privilegio sepulchri, Basilicarum, aut Altarium erectione, nostri tantum sunt, & omnium communionis suffragio. Absit, ut cujuscunque urbis charitas proflua, & fides avara, tantum Martyribus derogaverit, dum sibi arrogat: ut solum intra mœnia sua, illorum beneficia inclusa esse crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis: Invocasti Martyres ubicunque, ubique te exaudit ille, qui honoratur in Martyribus. Moderante enim eo, qui pensat vota tua, in tantum præsentia præbebitur advocatorum, quanta fuerit fides supplicantium. Et incumbente persecutionis furore, sancti Martyres cœlo animum præparant, regenerantur morte, gladio consecrantur: Invocasti ubicunque Martyrem, ubique te exaudit ille, qui oratur in Martyre: Oratio enim, quæ castitate, justitiæ & eleemosynarum operibus adjuvatur, excedit mundum: paradisum evolat, & usque ad ipsum summæ Majestatis conspectum Angelo teste, præsentatur: O beata anima! fratres charissimi: cujus votum, cujus compunctionis incensum, cujus supplicationis holocaustum, nulla infidelitate tumidum, nullo illecebræ carnalis fœtore pollutum concupiscentiæ, nulla sævitia cruentum, nulla odii simultate maculatum: sed & fide igneum, puritate conscientiæ nitidum, sinceritate cordis odoriferum, concordi charitate perfectum: Quod usque ad Dei vultum, per cœlestium nunciorum defertur obsequium: quod & Sanctis cedit ad gloriam, & Ecclesiæ filiis ad salutem proficit. Honoremus itaque: veneremurque beatos Martyres, Principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Nam si honoremus servos Dei, quanto igitur magis amicos Dei honorare nos convenit: de quibus Propheta dicit: Dominus custodit omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur. Honoro igitur in carne Martyris, exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro pro confessione Domini sacratos cineres: honoro in cineribus, semina æternitatis: Honoro corpus, quod mihi Deum meum ostendit

dit diligere, quod me propter Deum, mortem docuit non timere. Cur autem corpus illud non honorent fideles, quod reverentur & dæmones? quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honora itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo.

Ejusdem Sermo de uno Martyre.

AD exhibendum charitati vestræ sermonem, & festivitati sancti Martyris. N. inquantum Dominus permiserit, ipso auxiliante, aliquid enarrare cupimus: & quod nostris viribus non valemus, ejus suffragiis adimplere possumus. Charitas autem hominis non est a se ipso: sed salubriter donatur a Christo. Christus illam donavit Martyribus suis, qui eam donavit fidelibus suis. Charitas ergo Christi, sicut in Martyribus suis vicit; sic ad solennia Martyrum fideles adducit: eandem charitatem in Sancto isto Martyre N. vos diligere demonstratis: ad cujus festivitatem delectabiliter festinatis.

Beatus enim hic Martyr N. virtute charitatis indutus: certavit bonum certamen: cursum consummavit, fidem servavit, occisus triumphavit. Est autem quædam sæcularium hominum sententia, qua dicere assolent: Apud belligeros viros, victus dicitur occisus. Hoc dicit suis dilectoribus, mundus: sed fidelibus suis, aliud loquitur Christus. In sancta enim Ecclesia invenitur, unde illa sententia evacuetur: ut non dicatur victus, qui fuerit victor occisus: Aliud est enim occidi pro mundo, aliud occidi pro Christo. Qui occiditur pro mundo: vincitur cum occiditur. Iste itaque non victor: sed victus invenitur occisus: quia nisi vinceretur, non occideretur. Qui autem occiditur pro Christo, victus non dicitur, quia non vincitur, quamvis occidatur. Sed revera victor occiditur: quia cum occiditur, victor efficitur: Corona enim victoribus datur: quomodo igitur occisus ille victor negatur, qui pro eo, quod occiditur, a justo judice coronatur. Ecce beatus hic Martyr N. occisus est quidem: non tamen est victus, sed permansit victor occisus: quia pro invicto invenitur occisus. Invictus enim Christus Dominus, pro quo maluit occidi Martyr: quia si occidi pro invicto metueret, ad victoriam non veniret: imo si non occideretur, miserabiliter vinceretur. Vicit ergo pro fide moriendo, qui vinceretur sine fide vivendo. Scriptum est autem (q): quia justus ex fide vivit. Proinde si iste Martyr amissa fide, vivere delectaretur: frustra viveret corporaliter, quando spiritualiter in anima moreretur. Corpus enim ex anima vivit, anima ex fide vivit. Christus autem in cordibus fidelium suorum, per fidem habitare dignatur. Dicit enim Apostolus (r): interiorem hominem habitare Christum per fidem in cordibus nostris. Permanente itaque fide, permanet in homine Christus. Discedente autem fide, discedit ab homine Christus. Apostolus enim docet: Quia Christus est vita nostra, dicens: Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Inaniter ita corpus ab anima vivificatur, si discedente Christo, anima moriatur. Nam & ipse Dominus, ut fidem, esse animæ vitam, demonstraret, infideles mortuos appellavit, dicens: (s) Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Quid ergo proderit, quia videtur in corpore vivus, qui fuerit in anima, morte infidelitatis occisus? Ista beatus Martyr N. plenus Spiritu Sancto cogitavit, & ut semper in anima viveret, mortem corporis nullatenus formidavit. Meminerat enim Dominum dixisse: (t) Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem eum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Noverat ergo beatus Martyr. N. animo non moriente, corpus quidem cum ea æterna requie ac fœlicitate victurum. Hinc est, quod ad subeundam corporis mortem, indubitanter & fortiter venit: quia in ipsa temporali morte, æternam vitam animæ simul & corporis invenit. Non est ergo victus iste victor occisus, cui mors corporis in tantum est facta triumphalis, ut per illam fieret immortalis. Traditur itaque judici martyr: deputatur cruciatibus occidendus: deinde quia fervet amore chari-

(q) Rom. 1. (r) Ephes. 3. (s) Matth. 10.
(t) Luc. 12.

charitatis, dolorem non metuit supplicii : exhibuit corpus suum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Impletum est in illo etiam corporaliter, quod spiritualiter de justis in libro Sapientiæ continetur, de quibus dictum est : Quoniam Deus tentavit illos, & invenit illos dignos se : tanquam aurum in fornace, probavit illos: & quasi holocausti hostiam, accepit illos. Holocaustum, fratres, græcus est sermo, non latinus : Quod græce dicitur holocaustum, latine dicitur Sacrificium : illud autem sacrificium vocabatur holocaustum, quod totum in altari cremabatur. Beatum itaque Martyrem Christi N. charitas holocaustum exhibuit: quem crudelitas persecutoris laceravit : Et martyrem quidem judex maceravit, sed holocausti, hostiam semetipsum Deo, Martyr sanctissimus immolavit. Impietas ergo judicis martyrem interfecit ; quem passio gloriosa holocausti hostiam perfecit : atque (ut ita dicatur) martyrem suum Dominus hostiam vivam libenter accepit. Noverat autem iste Martyr N. dixisse Christum : qui mihi ministrat, me sequatur : & ubi ego sum, illic & minister meus erit : Ministravit ergo Christo : & secutus est Christum. Omnes igitur in hac festivitate lætemur : & virtutem Sanctorum, inquantum Dominus adjuvat, imitemur. Hujus festivitatis gaudium, cunctis proficiat, ad virtutis exemplum. Discamus omnes avaritiam contemnere : discamus pauperes pascere, pecunias non in terra, sed in cœlo servare : discamus usque ad mortem, pro Christi nomine dimicare, discamus intima charitate fervere : & per justitiam, tribulationes, tanquam carbones, longanimiter sustinere. Est enim quædam combustio, temporalis afflictio, de qua dicitur : (u) vasa figuli probat fornax, & homines justos, tentatio tribulationis. Nos itaque, dilectissimi, Christum Dominum præ omnibus diligamus : ejusque virtute muniti, ut carnalium cupiditatum incendia vincamus, sanctæ charitatis igne ferveamus : ita fiet, ut ignibus tribulationum non fatigemur : sed Divinæ virtutis insuperabili refrigerio sublevemur : sic ad illam requiem perducemur, ubi cum sanctis Martyribus sine fine lætemur : ipso adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

In festo Sanctorum Martyrum CHRYSANTI & DARIÆ *Historia.*

POllemius Illustrissimus vir Alexandriæ urbis honoratus, & primus, ad urbem Romam cum filio suo Chrysanto veniens, a Romano Senatu susceptus est, & magnis honoribus a Numeriano Imperatore illustratus, Cathedram in Curia Romana suscepit. Hic autem filium suum unicum nomine Chrysantum, omnibus liberalibus studiis tradidit : erat enim ardentis ingenii : ita, ut omnia quæcunque ei ab Oratoribus aut Philosophis fuissent tradita, captu animi fortiter retineret. Cujus revera prudentiæ, cujusque fuerit intelligentiæ, rerum exitus docet. Nam cum universa librorum volumina, animo curiosius discuteret, ad Evangelicos apices pervenit: & figens curiositatis suæ cursum, ad semetipsum ait : Tamdiu te edoce Chrysante, per librorum tenebras, curarum tuarum frena laxare, quamdiu ad lumen pertingere valeas veritatis. Hæc secum animo quotidie revolventi, & quotidie Christi famulos requirenti, occurrit, qui diceret, se nosse quendam Carpophorum nomine, virum per omnia eruditum, Christianum & sanctum, sed persecutionis atrocitate sæviente, in quadam montis spelunca collocatum: vix posse a paucissimis, ac fidelissimis viris visitari. Audiens hæc Chrysantus, cœpit esse ferventior, & genubus referentis, fusis precibus, advolutus, etiam cum lachrymis postulare, ut ad ejus notitiam mereretur pervenire. Fit providente Deo, quod ejus fidei desiderium flagitabat : & veniens ad sanctum Carpophorum quintæ regionis Presbyterum, inter paucos menses, omnibus Divinis literis imbuitur, & ita cœpit esse diligenter instructus, ut statim post septem dies Baptismi sui, JEsum Christum filium Dei voce publica prædicaret. Tunc affines ejus, viri nobiles & potentes, comprehendentes patrem ejus Pollemium, cœperunt arguere eum, dicentes : Periculo patrimonii & capi-

(u) Eccl. 27.

capitis tui, iste juvenis contra Deos Deasque nostras vociferatur clamoribus vanis, dicitque, nescimus quem Christum, verum Deum esse, quem si audierit Imperator ista prosequentem, nec tibi proderit, nec nobis esset consultum. Quis enim audeat ista præsumere, nisi qui se aut sine Rege, vel sine lege Romana, agere credat impune? Tunc iratus pater ejus Pollemius, fecit eum in tenebroso, & squalido loco claudi, & vespertinis horis parvissimo cibo refici. Hoc autem vir Dei Chrysantus, magis ad exercitationem sibi, quam ad supplicium dicebat inferri. Cumque hoc factum publica confabulatio detexisset, dicit patri ejus unus ex audientibus: Si filium tuum ab hac usurpatione conaris eripere, magis eum deliciis & voluptatibus occupa, & cujuscunque elegantissimæ, atque prudentissimæ puellæ conjugio trade: ut, cum didicerit esse maritus, obliviscatur esse Christianus. Nam istas tenebras & afflictiones, quas ad supplicium illi te credis inferre: ad laudem Christi, & perpetuam gloriam sibi existimat evenire. Audiens hæc Pollemius, jubet triclinia, vestibus sericis strata, parari, ipsum quoque auferens de squalida illa & tetra habitatione, induit eum vestibus preciosis, & ponens eum in triclinio, elegit quinque pulcherrimas virgines ex ancillis suis, & accuratissimis vestibus & ornamentis composuit, & simul eas cum Chrysanto constituens, jussit quotidiana convivia, affluentissimis dapibus exhiberi: Puellis autem interminatus est dicens, nisi eum jocis vestris & amplexibus ab intentione Christianitatis separaveritis, diversis vos faciam interire suppliciis. Igitur inter hæc ludibria, vir Dei immobilis, animo deiicias quasi stercora contemnebat, Puellas autem virgines, quasi viperas perhorrebat: jacebat autem in oratione immobilis, & amplexus earum & oscula, quasi sagittarum ictus, scuto suæ fidei excipiens, clamabat ad Dominum, dicens: Exurge Domine in adjutorium mihi, dic animæ meæ, salus tua ego sum. Quis enim istam pugnam a Diabolo excitatam, vincere prævalet, nisi tua pro eo fuerit dextera dimicata? Errat, qui se putat castitatem perfectam suis nisibus obtinere: nisi enim tuo imbre fuerit extincta flamma libidinis, non potest animus pervenire, quo pergit. Post hæc virgo vestalis, nomine Daria, gemmis & auro radians, repente ad Chrysantum ingreditur, & tanta eum sermonis elegantia alloquitur, ut si esset ferro durior, plumbo molliorem redderet. At ille inter se & illam, medium Spiritum Sanctum postulans, sic eam affatur: Si mihi mortali, aliis amoribus occupato, tantam pulchritudinem & sermonis dulcedinem, spe connubii temporalis, ostendis, quare non magis te amantem & desiderantem, immortalem Deum, Regem sæculorum, habere & obtinere satagis? quem & obtinere & habere poteris, si animam tuam, eum corporis integritate custodieris, ut sicut corpore pulchra, ita mente pulchrior fias: erunt tibi hujus connubii laudatores, Angeli: Paranymphi, Apostoli: Martyres, amici: Christus, Virginis filius, sponsus, qui thalamum tibi in cœlo custodiens, paradysi possessiones tribuet, dote sempiterna. At hæc, verborum ejus virtute compuncta, respondit: Nulla mecum o juvenis, cum iis vestibus, signa petulantis animi ad te adduxi, sed patris tui, lachrymas miserata, te patri reddere volui: cui dum Chrysantus, cultus Deorum falsitatem, & vitæ perpetuæ veritatem ostendisset, Daria credidit. Igitur simulata voluntate conjugii, inter Chrysantum & Dariam, ambo in Dei timore, & castitatis gloria perdurarunt. Baptizata itaque Daria, quia non corporeo calore, sed Spiritus Sancti fervore, sancto Chrysanto sociata est, multos utriusque sexus juvenes, ad cælibatum, castimoniæ portum, Domino genuerunt. Igitur post hæc Celerinus Præfectus, cum cogeret Sanctum Chrysantum ad sacrificandum, simul cum Beata Daria virgine, quam prius, ut dictum est, vir Dei, ut sibi conjugio copularetur, adductam, jam ad fidem Christi converterat, & diversa diceret, & audiret, jussit Sanctum Chrysantum, Eculeo ingenti suspendi: cumque imponeretur Eculeo Chrysantus, ligna omnia comminuta sunt, vincula vero universa dirupta: lampades quoque, quæ erant ad latera ejus, extinctæ sunt. Quicunque etiam mittebant manum ad sanctam virginem Dariam, stupebant nervi eorum, & præ doloribus,

gemitum cordis reddebant. Videns itaque hæc Celerinus Præfectus, vehementer expavit: & cursu rapidissimo, ad Imperatorem properans, cuncta, quæ gesta fuerant, enarravit. Tunc Numerianus non virtutibus Divinis, sed maleficiis imputans, jussit eos duci in viam Salariam, atque in arenario deponi, simul Chrysantum & Dariam, & vivos, terra, & lapidibus obrui: tunc Beatissimus Chrysantus, cum Beata virgine Daria, deponuntur in foveam, Psalmis, Hymnis, & orationibus insistentes: Facta est autem in passione societas sanguinis: sicut fuerant etiam mente conjuges: ut quasi in uno lectulo, ita in una fovea, atque in una voluntate perdurantes, simul pertingerent ad coronam.

Catalogus Festorum, ac Feriarum.

Omnes dies Dominici.
Pascha. } cum duobus sequentibus
Pentecostes. } diebus.
Natalis Domini, cum festo, videlicet, S. Stephani, & Johannis Evangelistæ. Sanctorum vero Innocentium commemorationem, peractioni Sacerdotum in choro committimus.
Circumcisio Domini.
Epiphania.
Ascensio Domini.
Festum Sanctæ & Individuæ Trinitatis.
Festum Corporis Christi.
Purificationis.
Annunciationis.
Visitationis.
Assumptionis. } Festa Beatæ MARIÆ Virginis.
Nativitatis.
Præsentationis.
Conceptionis.

Sanctorum Festa.

Omnium Apostolorum.
Johannis Baptistæ.
Mariæ Magdalenæ.
Sancti Laurentii.
Michaelis.
Omnium Sanctorum.
Sancti Martini.
Dedicatio Templi.

Festa vero consuetudini reservata sunt.

S. Georgii Martyris.
Udalrici Episcopi.
Arbogasti.
Margaretæ.
Nicolai.
Catharinæ.
Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis: Item Patronorum festa, quæ si non a plebe, tamen in templis & collegiis a Sacerdotibus pie celebrentur: ne feriarum multitudine populus nimium gravetur.

De Spectaculis & Ludis in Ecclesiis, nostræ Diœcesis non celebrandis.

CAPUT XIX.

CUm in multis locis nostræ Diœcesis, abusus inoleverit, ut in templis spectacula, & ludicra peragantur, & populo exhibeantur: ea etsi sacras historias contineant, tamen cum ob histrionum & personarum ineptias, ludique levitatem magis risum & cachinnum nonnunquam provocent, quam ut pietatem alant: Et cum in templis ac Christianorum congregationibus, (x) omnia decenter, ordine, & summa animorum gravitate, & devotione peragi debeant: tum ejusmodi morem & consuetudinem, aliaque spectacula & ludicra, etiam extra templa paganismum redolentia, ut cantiones & lusus, qui in die Sancti Urbani, circumferendo ipsius imaginem, frondibus comatam & ornatam, decantari, & celebrari consueverunt, abolenda censemus, & decernimus, mandantes, ut circa ea, Concilii Basiliensis (y) Decretum, deinceps in nostra Diœcesi diligenter, & a Clero & subditis, observetur.

De Litaniis & Processionibus publicis.

CAPUT XX.

STatuimus insuper, ut dies (z) Rogationum, cum consuetis Processionibus

(x) Paul. 1. Cor. c. 14.
(y) Decretum Basilien. in 21. Sessione promulgatum.
(z) C. Rogationes. dist. 3. de Consecrat.

bus in Diœcesi nostra diligenter observentur, & pia devotione & modestia peragantur, admoneaturque populus, cur hæ, ab Ecclesia, præsertim hoc anni tempore, institutæ & ordinatæ sint: videlicet, (a) ut misericordiam Dei, aperto pœnitentiæ signo, ac publica Ceremonia imploremus, & invocemus. Et quamquam Deus semper invocandus, ejusque clementia ac benignitas imploranda sit (*): tamen cum sub id anni tempus subinde pericula ac calamitates, sive aeris temperiem, sive terræ fructus, sive etiam bella, aliasque clades & incommoda consideremus, populo metuendæ sint: tum ab Ecclesia hæc supplicandi ratio, & forma instituta, & ordinata est, quo populus ad pœnitentiam agendam, ad prioris vitæ emendationem, & ad verum precandi studium, ut pro sua clementia & benignitate Deus omnia mala a nobis avertere velit, excitetur & admoneatur: id quod precationes, quibus, Ecclesia in peragendis processionibus utitur, expresse & diserte admonent. Quas quidem retulerit pro informatione populi, concionando breviter & summarie recensere ac explicare: (b) Cur, quando, ob quam causam, & in quem finem Rogationum dies, ac supplicatoriæ processiones, institutæ sint: quid in iis peragendis agere, quid perpendere, quid meditari, & quomodo (c) non solum pro communi necessitate, angustia, pace & tranquillitate temporis, aliisque corporis, & externis fortunis & bonis, sed & animæ ac totius Ecclesiæ salute orare, & DEO supplicare debeat populus. Item cur agmini præferatur signum Crucis, quid vexilla, aliæque ceremoniæ & ritus, quibus pro informanda plebe Ecclesia utitur, significent. Et cum a nonnullis propter invocationem Sanctorum, contempta Ecclesiæ, Conciliorumque authoritate, ac consuetudine longissimi temporis, Litania, propria temeritate, & audacia, aut plane omittatur, aut abjecta Sanctorum invocatione compellationeque recitetur: mandamus & præcipimus, ut Parochi & Sacerdotes, secundum Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem, ea integre in Ecclesiis ac templis utantur. Cæterum comessandi, & compotandi studia, tabernarum frequentiam, deambulandi, discurrendique hinc inde confusionem, aliaque inconvenientia, interdicimus & prohibemus: volentes, ut Sacris, ac Divini verbi Concionibus, quæ semper adhibendæ sint, unanimiter populus intersit, hasque summa animorum pietate, devotione, honestate, & ordine decenti, citra piarum mentium scandalum & offensionem, abscissa, & (ad malitiam hominum coercendam) decurtata itineris longitudine, conficiant & absolvant.

De Signo vel pulsu Angelicæ Salutationis.

CAPUT XXI.

Laudabilis hactenus in Ecclesia Catholica consuetudo observata est, ut ad ortum diei, Solisque occasum, Angelicæ Salutationis signum, publice datum sit, quo excitarentur homines ad piam & devotam Dominicæ incarnationis, redemptionisque humani generis commemorationem: Videlicet, ut tam inenarrabile & magnum incarnationis, recuperatæque salutis nostræ, mysterium, quod tanto desiderio, tantis suspiriis & gemitibus, Patriarchæ expectarunt & expetiverunt, & de quo, Prophetæ, tot vaticinia, tantaque Spiritus S. oracula prophetarunt & vaticinati sunt, in continua, recenti, & perpetua recordatione, ac meditatione Christianorum retineretur, ac Deo laudes agerentur pro immensa misericordia & clementia, qua humanum genus,

(a) Ex Concil. Aurel. cap. 6.
(*) Lege exemplum Theodosii Imperatoris lib. 11. Ecclesiasticæ Hist.
(b) Eusebius Emissenus Episc. in Homilia de Litaniis.
(c) D. Euseb. Emiss. in Homilia de sanctis Martyribus Ephipodio & Alexandro. Dulcius, inquam, eis præbetur obsequium, si ibi eos laudum concelebret benedictio, ubi super eos tribulationum desævit magnitudo, si inde invocentur ad suffragium, unde primo resurrectionis signo evocabuntur ad præmium. & in Hom. de Lytaniis. Videamus, a. quid nobis in ipsa hostilitate, quid nobis contulerint, oblata communium precum, & præsidia invocata Sanctorum.

nus, quod a Divina gratia, exciderat & perierat, hoc reconciliationis medio, tam clementer & benigne denuo respexeris. Crebro igitur commonefaciendus est populus, ut audito vel dato Angelicæ salutationis signo, Deo Optimo Maximo gratias agat, & assuescat una cum Ecclesia precari, dicendo: Hæc est dies, quam fecit Dominus: hodie Dominus afflictionem populi sui respexit, & redemptionem misit: Hodie mortem, quam fœmina intulit, fœmina fugavit: &, ut in Symbolo Toletani Concilii XL. recitatur, hodie Deus homo factus: id quod erat, permansit, & quod non erat, adsumpsit. Ergo exordium redemptionis nostræ devote recolamus & exultemus, dicentes: Gloria tibi Domine: Ave Maria gratia, &c. adjungendo communem precationem, qua, in hujus commemoratione, Ecclesia utitur: Deus qui de beatæ Mariæ Virginis utero, &c. Si enim in veteri testamento, Judæis præcipiebatur, ut præcepta Domini filiis denunciarent, ligarentque ea, quasi signum in manibus, quo ad continuam eorundem meditationem & recordationem excitarentur: Nam sic inquit: Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea, quasi signum, in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ: Item. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia & cæremonias, quas præcepit tibi, & fac, quod placitum est, & bonum in conspectu Dei, ut bene sit tibi. Cumque (d) interrogaverit te filius tuus, cras dicens, quid sibi volunt testimonia hæc, & ceremoniæ atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis? Dices ei: servi eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto, in manu forti, fecitque signa ac prodigia magna, & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius, in conspectu nostro, & eduxit nos inde: ut introductis daret terram, super qua juravit Patribus nostris: præcepitque nobis Dominus, ut faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis, cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie: eritque nostri misericors, si custodierimus, & fecerimus omnia præcepta ejus, coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis, &c. Si inquam in veteri testamento, tam sollicite & diligenter præceptum fuit Judæis, ut Divina beneficia Dei, in recenti & perpetua recordatione conservarent: cur ergo in novo testamento; non id quoque a Christianis fieret? Cur immensa, & imperscrutabilia Dei beneficia, humano generi præstita, externis signis, Symbolis & Cæremoniis, non æque custodiremus? in quos non solum corporalia, sed spiritualia, non externa, sed æterna dona collata sunt? Imo non privatæ vitæ, sed æternæ mortis, proprio Christi Sanguine, & victima interveniente, liberatio facta est? Ob quam quidem causam, Cæremoniæ in Ecclesiis, subinde populo exhibentur & peraguntur.

De Imaginibus.

CAPUT XXII.

IMagines Sanctorum in Ecclesiis retinendas esse præcipimus. Neque (e) enim eorum barbaries, & temeritas laudanda & approbanda est, qui rem minime malam, sed Ecclesiis non mediocriter utilem, ac (si crimen idololatriæ & simulachrorum cultus desit) multitudini necessariam, e templis majori insania, & furore, quam judicio aut pio zelo auferunt. Nam (f) cum non adorandæ, neque eis, cultu Divino inserviendum sit, nullumque alium imaginum usum in Ecclesiis esse conveniat, quam ut memoriam & recordationem earum rerum in nobis exsuscitent, conservent, retineant, & ob oculos subinde proponant, quarum causa exhibentur & depinguntur: tum non confringendæ, neque tollendæ, sed in templis (juxta Constitutionem Niceni Concilii, unanimemque Catholicæ Ecclesiæ consensum) pie retinendæ sunt. Verissimum enim est illud Gregorii (g), idem picturam cernentibus, quod scripturam legentibus, præstare. Quod si autem circa

(d) Deut. 6. (e) Damascen. lib. 4. cap. 15.
(f) C. Perlatum. c. Venerabiles. dist. 3. De consecrat.
(g) Gregor. Servio Episcopo Marsil.

circa verum earum usum vitio temporum, aliquid mali & incommodi irrepsisset, quod vel impietati, vel superstitioni causam præberet, ut falso quidam calumniantur hoc tempore: statuimus, ut id non seditiose, indecore, aut per tumultum & furorem populi, tollatur: sed verbi ministri, vera & Christiana imaginum informatione adhibita, corrigant, aut (si id necessitas postulat) ad Episcopum rem corrigendam deferant. Cæterum ne res minime mala in contemptum veniat, (b) danda est opera, ut in templis imaginibus, & picturis, certus aliquis statuatur modus. Non enim plus ad pietatem faciet, si omnium Ecclesiarum & parietum anguli imaginibus & picturis referti sint, quam si in eminentioribus templi locis convenientes aliquæ imagines aut tabulæ, quæ historias decenter & pie depictas, easque maxime ex sacra Scriptura, aliisque probatis ab Ecclesia scriptoribus desumptas, semoto omni prophano, lascivo, vel petulanti ornatu, in se contineant, conspiciantur, & populo exhibeantur.

De Vita & moribus Clericorum.

CAPUT XXIII.

PRæterea cum Sacerdotibus, & aliis Ecclesiasticis personis nihil æque conveniat, quam castam, & continentem ducere vitam, præsertim cum officii ratione, eos quotidie in templis versari, & Sacrosancta Dei mysteria tractare deceat: in hac Synodo decernimus, & sancimus, ut deinceps Clerus nostræ Diœcesis, ablegatis & (i) dimissis concubinis, personisque suspectis, continenter, & caste vivat, eaque fideliter & diligenter observet, & quæ præsens reformationis formula disponit, & a Concilio Basiliensi jam dudum de concubinariis, promulgata, disposita, & ordinata sunt. Legatur Decretum.

Decretum Concilii Basil. Sess. 20.

Quicunque Clericus &c. *vide supra pag.* 321. *ubi Decretum hoc integrum refertur.*

Et quanquam hæc constitutio, præsertim hoc tempore, & in hac ultima, ut apparet, mundi senecta (in qua omnis pene pietatis fervor & ardor extinctus, & sopitus est) videatur esse dura & gravis (non enim humanarum virium, sed Dei donum est, continere) tamen cum id, quod per vires nostras nequimus, per gratiam consequimur, & cum (k) prope sit Dominus invocantibus, invocantibus eum in veritate, neque justa petentibus, quicquam neget, & gratiam suam subtrahat: tum vos omnes in Christo JESU Salvatore nostro admonemus, & adhortamur, ut continuis, & ardentissimis precibus, ad continentiæ donum consequendum, Dei gratiam & auxilium invocetis, & imploretis: Is enim, ut Augustinus ait (l), qui jubet continentiam, dabit continentiam, qui jubet per legem, dabit per gratiam, qui jubet per literam, dabit per spiritum. Et ut idem in alio loco: (m) Putabam me miserum fore nimis, inquit, si fœminæ privarer amplexibus, & medicinam misericordiæ tuæ, ad eandem infirmitatem sanandam, non cogitabam, qui expertus non eram, & propriarum virium credebam, esse continentiam, quarum mihi non eram conscius: cum tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est, neminem posse esse continentem, nisi tu dederis: utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida, in te jactarem curam meam. Quem locum ideo integre recitamus, ut tanti, tamque magni & sancti Viri testimonio, cujus authoritas in Ecclesia semper plurimum valuit, ad continentiam amplexandam admoneamini. Cæterum quæ ad vitam Cleri moresque reformandos pertinent: quæve singularum Ecclesiasticarum personarum peculiaria & propria officia ac qualitates sint: quomodo ambitio fugienda: avaritia vitanda: luxus, immoderatique sumptus detestandi: quomodo a blasphemiis, & execrationibus, a rixis,

(b) Vide Joan. Damasc. adversus eos, qui sanctas Imagines traducunt. Et Joan. Aurelian. Episcop. de cultu Imaginum, ad Carolum Magnum.
(i) Lege C. Eccles. ostensum. 28. dist. c. Sacerdos. 31. dist. c. Hospitalium. 32. dist. item c. A quib. cum omnib. sequentib. tota dist. 35.
(k) Psal. 145.
(l) August. in Epist. 89. ad Host.
(m) Idem August. confess. lib. 6. cap. 12.

xis, a crapula, ebrietate, a diurnis nocturnisque comessationibus, a fornicatione, scortatione, lenocinio, ac choreis, a spectaculis, a ludis, de jure prohibitis, abstinendum sit, diligenter & ex ordine recitat ac enumerat sæpe dicta reformationis formula. Quare mandamus, & præcipimus, ut ea omnia summo studio, sub pœnis ordinariis, ac in ea contentis, a Clero nostro ita observentur, ut in sermone, vestitu, gestu, moribus, ac tota vitæ conversatione & maxime in incessu summam modestiam, ac vitæ & morum integritatem & honestatem, plane Sacerdotali ordine dignam, id quod Canones a Clero inprimis exigunt & requirunt, præ se ferant. Sic enim inquit Canon CLEMENS: qui habetur distinctione quadragesima prima. Sit Sacerdos in incessu ornatus, ut gravitate itineris, mentis maturitatem ostendat: Cum incompositio corporis, ut Augustinus ait, inæqualitatem mentis indicet: Et Gregorius Nazianzenus alibi (n), ex indecenti corporis motu, quem Julianus Apostata, gestu, & moribus subinde exprimebat, & exercebat, ingenii inconstantiam, & vanitatem mentis internæ facile conjectabat, & animadvertebat, cum inquit: Mihi, antequam ad rempublicam accederet, visus est talis, qualem postea res gestæ, ostenderunt. Sint igitur Clerici, & Sacerdotes juxta Pauli (o) descriptionem vigilantes, sobrii, modesti, hospitales, idonei ad docendum, non vinolenti, non percussores, non turpis lucri cupidi, sed alieni ab avaritia &c. Et quanquam beatus Apostolus, ea in Episcopo requirat, tamen ea nihilominus secundum Canonum, (p) & sanctorum Patrum sententiam, ad omnes recipientes ordines Clericos & Sacerdotes extenduntur. Ut autem sui officii Clerus plene admoneatur, & quid se deceat veluti in speculo perspiciat, cognoscatque, quomodo in omnibus sese gerere debeat: operæ precium duximus Canonem, His igitur: qui distinctione vicesima tertia habetur, brevitatis causa subjiciendum esse. Legatur Canon.

His igitur lege Patrum cavetur, ut a vulgari vita sæculi, a mundi voluptatibus se abstineant: non spectaculis, non pompis intersint: convivia publica fugiant: privata non tantum pudica, sed sobria colant: usuris nequaquam incumbant: neque turpium occupationibus lucrorum, neque fraudibus cujuscunque studium appetant: amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant, & sæcularia negotia officiaque abjiciant, honoris gradum per ambitionem non suscipiant, pro beneficiis medicinæ DEI, munera non accipiant: dolos & conjurationes caveant: odium, æmulationes & obtrectationes atque invidiam fugiant: non vagi oculis, non effreni lingua, aut petulanti fluidoque gestu incedant: sed pudorem, & verecundiam mentis, simplici habitu, incessuque ostendant: obscœnitatem etiam membrorum, & verborum, sicut, & operum, penitus execrentur: viduarum & virginum frequentationes penitus fugiant: contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant: castimoniam quoque non violati corporis perpetuo observare studeant, &c.

Porro, cum in peragendis exequiis & Fraternitatibus, seu Capitulis, ut vocant ruralibus celebrandis, (q) sumptuosa Presbyterorum, vel Capitulorum convivia in publicis tabernis hactenus adornata sint, & celebrata, ex quibus tandem ob frequens comessandi, & compotandi studium, varia subsecuta sunt scandala: & hunc morem reformandum esse duximus, volentes, ut deinceps prædictæ Exequiæ, Funeralia & Fraternitates, absque publicis conviviis & luxu peragantur. Si autem locorum distantia, vel necessitas convivia exigat vel requirat: tum ea sobrie & honeste fiant; ita, ut non ad luxum, sed ad necessitatem præparata, & instructa esse videantur: eaque fiant non in loco publico, sed honesto, ac Sacerdotali dignitati conveniente: ut in Monasteriis, vel ædibus Parochorum,

(n) Gregor. Nazianz. lib. 2. cont. Paganos, & continetur idem locus in hist. Eccles. lib. 7.
(o) Paulus 1. ad Timoth. c. 3.
(p) Dist. 81. Cum hic de ordinando, c. Apost. ex August. S. Joan. desumptus & c. Cog. dist. 34. Host. de Temp. & qualitat. Ordinand.
(q) C. Cum autem. & c. Comessationes. c. Cum nullus Presbyterorum, junctis sequentibus & præcedentibus 44. dist. Item c. Comessationes. De Consecrat. dist. 5.

rum, modo facultas faciendi, locique commoditas id suppeditet.

Dent autem Clerici, & Sacerdotes juxta dispositionem Conciliorum (r), Nametensis, & Toletani, operam, ut quotiescunque ad cibum sumendum, una conveniunt, ut aliquis eorum ad tabulam stans, cibum cum reliqua turba benedicat: & loco ociosarum fabularum, sacræ Scripturæ lectionem, prandio vel cœnæ immisceant: ita ut non solum corpus naturali cibo alatur & sustentetur, sed & anima spirituali alimonia ad omne bonum foveatur, & nutriatur: Post refectionem vero, ad exemplum cœnæ Dominicæ, similiter Hymnum dicant, ac gratias Deo agant. Cæterum ebrietatem & compotandi studium, ut supra dictum est: Item (s) plausus inconditos, ridiculas fabulas & inanes, turpes jocos, lasciva dicteria, aliorum risum provocantia, & histrionicæ affectationem, tanquam Sacerdotali dignitati, & ordini inconvenientem, abominentur, execrentur, & detestentur: ac ita se & domi & foris gerant, ut ministerium eorum non vituperetur, sed jure merito, ab omnibus laudetur, commendetur, & observetur.

Adhæc volumus & præcipimus, ne Clerus de Sacrosancta fide, deque religionis nostræ negocio inter pocula, & publica laicorum convivia, temere, cum offensione assidentium disputent, disceptent, aut contendant: (t) sed in omnibus actionibus, summa modestia, & morum gravitate utantur: & omnino operam dent, ut potius exemplo & vita (quod efficacissimum docendi genus est) quam dictis & contentiosis disputationibus, populum & auditores doceant & erudiant: præsertim cum (u) non in verbis, sed in operibus, res nostræ religionis versentur & consistant, & non videri, sed Christianum esse, grande sit.

Prohibentes etiam, ne deinceps novitii, quos vocamus, Sacerdotes, tempore primitiarum celebrandarum, (x) in contemptum tanti mysterii, choreas, aliasque sæculares pompas exerceant: sed contenti sint inter paucos amicos, eosque sanguine junctos, sobria, & convivia, tali professione digna, celebrare.

Coercenda quoque & refrenanda est, quorundam Clericorum & Sacerdotum levitas, (y) qui immemores, & obliti Sacerdotalis officii & dignitatis, ad demerendam & conservandam Patronorum & Dominorum benevolentiam, eorum studiis, conviviis diurnis, nocturnisque compotationibus, ludis, venationibus, aliisque inhonestis, & Clericis non convenientibus exercitiis & studiis sese immiscent, ac eisdem suas operas locant. Statuimus igitur & mandamus, ut deinceps a talibus abstineant, suaque sorte contenti, Ecclesiæ, ad cujus ministerium vocati sunt, summa animorum modestia & gravitate inserviant. Quod si qui hujus nostræ Synodalis constitutionis transgressores reperientur, in hos, in terrorem & exemplum aliorum, severissime animadvertemus.

Cum autem juxta Apostolum, (z) nemo Deo militans, negotiis sæcularibus se implicare aut immiscere debeat: ac multi in Diœcesi nostra reperiantur, qui turpi lucro inhiantes, contra authoritatem Scripturæ & Canonum, varia negotiationum genera, vel per se, vel per alios, carius distrahendo ea, quæ minoris comparaverint, exerceant: hos admonemus & adhortamur, ut ab illicito quæstu, & prophanis negociationibus, quæ Sacerdotali ordini & statui non conveniunt, abstineant: Mandantes, ut transgressores, ordinariis, & a jure constitutis pœnis, per Vicarium nostrum plectantur, & puniantur.

Et quanquam ex prædicta commemoratione, Clerus sui officii satis admoneatur, tamen cum Divus Hieronymus ad Nepotianum, quæ ad vitam Cleri pertinent, graviter, luculenter, exacte, & accuratissime describat: & cum non omnium sit, integra habere Patrum volumina: ope-

(r) Ex Concilio Aphrycano cap. 6.
(s) C. Nullus. c. Quando. & c. Pro reverentia. 44. dist.
(t) Justinus in Apolog. 2. pro Christian. ad Anton. Pium Imperator.
(u) Hieron. ad Paul. Mo. (x) C. Non oportet Ministros. dist. 5. de Consec.
(y) Ex Concilio Meldensi cap. 5. & 6.
(z) 2. Tim. 2. c. Decrevit. dist. 88. ex Concilio Chalcedon. cap. 3.

operæ pretium visum est, his nostris statutis Synodalibus, sanctissimi, & eloquentissimi Viri Epistolam subjicere, ut tanti viri authoritate & facundia, Clerus eo facilius in ordinem redigatur, suique officii admoneatur.

Hieronymus ad Nepotianum, de vita Clericorum & Sacerdotum.

PEtis a me, Nepotiane charissime, literis transmarinis: & crebro petis, ut tibi brevi volumine digeram præcepta vivendi: Et qua ratione, qui sæculi militia derelicta, vel Monachus cœperit esse, vel Clericus, rectum Christi tramitem teneat: ne ad diversa viciorum diverticula rapiatur. Dum essem adolescens, imo pene puer, & primos impetus lascivientis ætatis, eremi duritia refrenarem, scripsi ad avunculum tuum, Sanctum Heliodorum, exhortatoriam Epistolam, plenam lachrymis, querimoniisque, & quæ deserti sodalis monstraret affectum: sed in illo opere, pro ætate tunc lusimus, & calentibus adhuc Rhetorum studiis atque doctrinis, quædam scholastico more depinximus: nunc jam cano capite, & arata rugis fronte, & instar boum pendentibus a mento palearibus, frigidus obsistit circum præcordia sanguis. Unde & in alio loco idem Poeta canit: omnia fert ætas: animum quoque. Et post modicum: Nunc oblita mihi tot carmina. Vox quoque Mœrim, jam fugit ipsa. Quod ne de gentili tantum literatura proferre videamur, Divinorum voluminum Sacramenta cognosce: David, annos natus septuaginta, bellicosus quondam vir, senectute frigescente, non poterat calefieri: Quæritur itaque puella de universis filiabus Israel, Abisac Sunamitis, quæ cum Rege dormiret, & senile corpus calefaceret: Non ne tibi videtur, si occidentem sequaris literam, vel figmentum esse de Mimo, vel Atellanarum ludicro? Frigidus senex obvolvitur vestimentis, & nisi complexu adolescentulæ, non tepescit. Vivebat adhuc Bersabea, supererat Abygail, & reliquæ uxores ejus, & concubinæ, quas scriptura commemorat, omnes quasi frigidæ repudiantur, & in unius tantum adolescentulæ grandævus calescit amplexibus. Abraham multo David senior fuit, & tamen vivente Sara, aliam non quæsivit uxorem. Isaac duplices David annos habuit: & cum Rebecca jam vetula nunquam friguit. Taceo de prioribus ante diluvium, viris, qui post annos nongentos, non dico senilibus, sed pene jam cariosis artubus, nequaquam puellares quæsiere amplexus. Certe Moyses Dux Israelitici populi, centum & viginti annos habebat, & Sephoram non mutavit. Quæ est igitur ista, Sunamitis uxor & virgo, tam fervens, ut frigidum calefaceret? tam sancta, ut calentem ad libidinem non provocaret? Exponat sapientissimus Salomon, patris sui delicias, & pacificos bellatoris viri narret amplexus: posside sapientiam, posside intelligentiam: Ne obliviscaris, & ne declinaveris a verbis oris mei: neque derelinquas illam, & apprehendet te: ama illam, & servabit te; Principium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua, posside intelligentiam: circunda illam, & exaltabit te: honora illam, & amplexabitur te: ut det capiti tuo coronam gratiarum: corona quoque deliciarum protegat te. Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia, decrescunt cæteræ virtutes, jejunia, vigiliæ & eleemosynæ, chameuniæ, huc illucque discursus, peregrinorum susceptio, defensio pauperum, instantia orationum, perseverantia, visitatio languentium, labor manuum, unde præbeantur eleemosynæ: & ne sermonem longius protraham, cuncta, quæ per corpus exercentur, fracto corpore, minora fiunt. Nec hoc dico, quod in juvenibus, & adhuc solidioris ætatis, his duntaxat, qui labore, & ardentissimo studio, vitæ quoque sanctimonia, & orationis ad Dominum Jesum frequentia, scientiam consecuti sunt, frigeat sapientia, quæ in plerisque senibus ætate marcessit: sed quod adolescentia multa corporis bella sustineat, & inter incentiva vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus suffocetur, & suum non possit explicare fulgorem. Senectus vero rursus eorum, qui adolescentiam suam, honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, & vete-

rum studiorum dulcissimos fructus metit. Unde & sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum expletis centum & septem annis se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod tunc egrederetur e vita, quando sapere cœpisset. Plato octogesimo primo anno scribens, mortuus est. Et Isocrates, nonaginta & novem annos in docendi scribendique labore complevit. Taceo cœteros Philosophos, Pythagoram, Democritum, Xenocratem, Zenonem, Cleanthem, qui jam ætate longæva in sapientiæ studiis, floruerunt. Ad Poetas venio: Homerum, Hesiodum, Simonidem, Stesichorum, qui grandes natu, cygnæum nescio quid, & solito dulcius, vicina morte, cecinerunt. Sophocles, cum propter nimiam senectutem, & rei familiaris negligentiam, a filiis accusaretur amentiæ, Oedipi fabulam, quam nuper scripserat, recitavit judicibus, & tantum sapientiæ, in ætate jam fracta, specimen dedit, ut severitatem tribunalium in theatri favorem verteret: Nec mirum, cum etiam Cato Censorius, Romani generis disertissimus, jam & senex Græcas literas discere nec erubuit, nec desperavit. Certe Homerus refert, quod de lingua Nestoris jam vetuli, & pene decrepiti, dulcior melle oratio fluxerit. Sed & ipsius nominis Abisac Sacramentum, sapientiam senum indicat ampliorem: interpretatur enim Pater meus superfluus, vel Patris mei rugitus. Verbum superflui ambiguum est, sed in præsenti loco virtutem sonat: quod amplior sit in senibus, & redundans ac larga sapientia. In alio autem loco superfluus, quasi non necessarius ponitur. Abisac autem, id est rugitus proprie nuncupatur, cum maris fluctus resonat: &, ut ita dicam, de pelago veniens, fremitus auditur. Ex quo ostenditur abundantissimum, & ultra humanam vocem Divini sermonis in senibus tonitruum commorari. Porro Sunamitis in lingua nostra, Coccinea dicitur, ut significet calere sapientiam, & Divina lectione fervere: Quod licet Dominici sanguinis indicet Sacramentum: tamen & fervorem ostendit sapientiæ. Unde & obstetrix illa in Genesi Coccinum ligat in manu Phares, qui ab eo, quod parietem diviserat (duos ante populos separantem) divisoris, id est, Phares, sortitus est nomen. Et Rahab meretrix in typo Ecclesiæ, resticulam, mysterium sanguinis continentem, ut Hiericho pereunte domus ejus salvaretur, appendit. Unde & in alio loco de viris sanctis scriptura commemorat: Hi sunt, qui venerunt de calore domus patris Rechab. Et Dominus noster in Evangelio: ignem, inquit, veni mittere in terram, & quam volo, ut ardeat? Qui in discipulorum corde succensus, cogebat eos dicere: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Quorsum hæc, tam longo repetita principio? Ne a me quæras pueriles declamationes, sententiarum flosculos, verborum lenocinia, & per fines Capitulorum singulorum, acuta quædam breviterque conclusa, quæ & plausus, & clamores excitent audientium. Amplexetur me modo sapientia, & Abisac nostra, quæ nunquam senescit, in meo requiescat sinu. Impolluta est, virginitatisque perpetuæ, & quæ in similitudine Mariæ, cum quotidie generet, semperque parturiat, incorrupta est. Hinc reor dixisse & Apostolum: Spiritu ferventes: Et in Evangelio Dominum prædicasse, quod in fine mundi, quando, juxta Prophetam Zachariam, stultus pastor esse cœperit, sapientia decrescente, refrigescet charitas multorum. Audi igitur, ut Beatus Cyprianus ait, non diserta, sed fortia: audi fratrem collegio, patrem senio, qui te ab incunabilis fidei, usque ad perfectam ducat ætatem, & per singulos gradus, vivendi præcepta constituens, in te cæteros erudiat. Scio quidem ab avunculo tuo Beato Heliodoro, qui nunc Pontifex Christi est, te & didicisse, quæ sancta sunt, & quotidie discere, normamque vitæ ejus exemplum habere virtutum. Sed & nostra, qualiacunque sunt, suscipe, & libellum hunc libello illius copulato, ut cum ille te Monachum erudierit, hic Clericum doceat esse perfectum. Igitur Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim Cleros græce, sors latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clerico-

ricorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil (*) extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: Verbi gratia: Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem: cum istis partibus, Dominus, pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Levita & Sacerdos, vivo de decimis, & altari serviens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero: & nudam crucem, nudus sequar. Obsecro itaque te, & repetens, iterumque iterumque monebo, ne officium Clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra sæculi, in Christi quæras militia: ne plus habeas, quam quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quam fuerant sæculares: & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace Diabolo non habuerant: ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos. Mensulam tuam (**) pauperes, & peregrini, & cum illis Christus conviva noverit. Negociatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge: Corrumpunt bonos mores, confabulationes pessimæ. Tu aurum contemnis, alius diligit: tu calcas opes, ille sectatur: tibi cordi est silentium, mansuetudo, secretum: illi verbositas, attrita frons: cui nundinæ, fora placent, & plateæ, ac medicorum tabernæ. In tanta morum discordia, quæ potest esse concordia? Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam (***) mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior David, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod Paradysi colonum, de possessione tua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana, vel mater aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod si hujuscemodi non fuerint consanguinitatis, castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, ut infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam convaluisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. Si propter officium Clericatus, aut vidua a te visitatur aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si lector, si acolytus, si psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus: nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus (****) cum sola, secreto & absque arbitro vel teste, non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem majorem domus, virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana, ut nullum præter te habeat, cui se audeat credere: Caveto omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. Crebra munuscula (*****) & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandasque & dulces literulas, sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias, & lepores, & risu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comœdiis erubescimus, in sæculi hominibus detestamur: quanto magis in Monachis, & in Clericis, quorum & Sacerdotium proposito, & propositum ornatur Sacerdotio? Nec hoc dico, quod aut in te, aut in sanctis viris, ista formidem: sed quod in omni proposito, in omni gradu, & sexu, & boni & mali reperiantur: malorumque condemnatio, laus bonorum fit. Sacerdotes idolorum dicere pudet, mimi & aurigæ & scorta hæreditates capiunt: solis Clericis (******) & Monachis hoc lege prohibetur: & prohibetur non a persecutoribus, sed a Principibus Christianis. Nec de lege con-

(*) Clerici paupperes.
(**) Hospitalitas.
(***) Fuga mulierum.
(****) Colloquia solitaria.
(*****) Manuscula suspecta.
(******) Clerici exhæredantur.

conqueror, ſed doleo, cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum eſt, ſed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio? Provida ſeveraque legis cautio, & tamen nec ſic refrenatur avaritia. Per fideicommiſſa legibus illudimus: & quaſi majora ſint Imperatorum ſcita, quam Chriſti, leges timemus, Evangelia contemnimus. Sit hæres, ſed mater filiorum, id eſt, gregis ſui, Eccleſia, quæ illos genuit, nutrivit, & pavit. Quid nos inſerimus inter matrem & liberos? Gloria Epiſcopi eſt, pauperum opibus providere. Ignominia omnium Sacerdotum eſt, propriis ſtudere divitiis. Natus in paupere domo, & tugurio ruſticano, qui vix milio & cibario pane, rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam & mella faſtidio. Novi (*) & genera & nomina piſcium: in quo littore concha lecta ſit, calleo. Saporibus avium diſcerno provincias, & ciborum me raritas, ac noviſſime damna ipſa delectant. Audio (**) prætereа in ſenes, & anus absque liberis, quorundam turpe ſervitium. Ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi & phlegmata pulmonis manu propria ſuſcipiunt. Pavent ad introitum medici, trementibusque labiis, an commodius habeant, ſciſcitantur, & ſi paululum ſenex vegetior fuerit, periclitantur: ſimulataque lætitia, mens intrinſecus avara torquetur: timent enim, ne perdant miniſterium, & vivacem ſenem Mathuſalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, ſi in præſenti precium non ſperarent: quantis ſudoribus hæreditas caſſa expetitur? Minore labore Margaritum Chriſti emi poterat. Divinas (***) Scripturas ſæpius lege: imo, de manibus tuis nunquam ſacra lectio deponatur. Diſce, quod doceas: obtine eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut poſſis exhortari in doctrina ſana, & contradicentes revincere. Permane in his, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens, a quo didiceris: paratus ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti te rationem, de ea, quæ in te eſt, ſpe & fide. Non confundant opera tua, ſermonem tuum: ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat, cur ergo hæc, quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat. Accuſare avaritiam & latro poteſt. Sacerdotis Chriſti os, mens manusque concordent. Eſto ſubjectus Pontifici tuo, & quaſi animæ (****) parentem ſuſcipe. Amare filiorum: timere ſervorum eſt. Si pater ſum, inquit, ubi eſt honor meus? ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? plura tibi in eodem viro obſervanda ſunt nomina, Monachus, Pontifex, avunculus tuus, qui te jam in omnibus, quæ ſancta ſunt, docuit. Illud etiam dico, quod Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe noverint, non Dominos, honorent Clericos quaſi Clericos, ut & ipſis a Clericis, quaſi Epiſcopis honor deferatur. Scitum illud eſt Oratoris Domicii: Cur ego te, inquit, habeam ut principem, cum tu me non habeas ut ſenatorem? Quod Aaron & filios ejus, hoc Epiſcopum & Presbyteros eſſe noverimus, unus Dominus, unum templum, unum etiam ſit miniſterium, recordemur ſemper, quid Apoſtolus Petrus præcipiat Sacerdotibus: Paſcite eum, qui in vobis eſt, gregem Domini: providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque ut turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in Clerum, ſed forma facti gregi ex animo: ut cum apparuerit Princeps paſtorum, percipiatis immarceſſibilem gloriæ coronam. Peſſimæ conſuetudinis eſt in quibusdam Eccleſiis, tacere Presbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui: quaſi aut invideant, aut non dignentur audire. Et, ſi alii, inquit Apoſtolus Paulus, fuerit revelatum ſedenti, prior taceat: poteſtis enim per ſingulos prophetare, ut omnes diſcant, & omnes conſolentur: & ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjectus eſt: Non enim diſſenſionis Deus, ſed pacis. Gloria Patris, eſt filius ſapiens. Gaudeat Epiſcopus judicio ſuo, cum tales Chriſto elegerit Sacerdotes. Docente te (*****) in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lachry-

(*) Deliciæ Clericorum.
(**) Captatores teſtamentorum.
(***) Studia & doctrina.
(****) Epiſcopus Pater, non Dominus.
(*****) Conciones Epiſcopi.

Lachrymæ auditorum, laudes tuæ ſint. Sermo Presbyteri ſcripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe & rabulam, garrulumque ſine ratione, ſed myſteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui erudititiſſimum. Verba volvere, & celeritate dicendi, apud imperitum vulgus, admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt. Attrita frons interpretatur ſæpe, quod neſcit: & cum aliis perſuaſerit, ſibi quoque uſurpat ſcientiam. Præceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus, rogatus a me, ut exponeret, quid ſibi vellet in Luca Sabbatum δευτερόπρωτον, eleganter luſit: docebo te, inquiens, ſuper hac re in Eccleſia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris invitus ſcire, quod neſcis: aut certe ſi ſolus tacueris, ſolus ab omnibus ſtultitiæ condemnaberis. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam & indoctam concionem, linguæ volubilitate decipere: quæ quicquid non intelligit, plus miratur. Marcus Tullius (in quem pulcherrimum illud eulogium eſt: Demoſthenes tibi præripuit, ne eſſes primus Orator: tu illi, ne ſolus) in oratione pro Q. Gallo, quid de favore vulgi, & de imperitis concionatoribus loquatur, attende: Ne his fraudibus ludaris. Loquor enim, quæ ſum ipſe nuper expertus: unus quidam Poeta nominatus, homo perliteratus, cujus ſunt illa colloquia Poetarum ac Philoſophorum: cum facit Euripidem & Menandrum inter ſe, & in alio loco Socratem atque Epicurum differentes, quorum ætates non annis, ſed ſeculis ſcimus eſſe disjunctas: quantos is plauſus & clamores movet? Multos enim condiſcipulos habet in theatro, qui ſimul literas non didicerant. Veſtes pullas (*) æque devita ut candidas: Ornatus ut ſordes, pari modo fugiendæ ſunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non absque amictu lineo incedere, ſed precium veſtium linearum non habere, laudabile eſt. Alioquin ridiculum & plenum dedecoris eſt, referto marſupio, quod ſudarium orariumque (†) non habes, gloriari. Sunt qui pauperibus paulum (**) tribuunt, ut amplius accipiant: & ſub prætextu eleemoſynæ, quærunt divitias: quæ magis venatio appellanda eſt, quam eleemoſynæ genus. Sic beſtiæ, ſic aves, ſic capiuntur & piſces: Modica in hanc eſca ponitur, ut matronarum in eo ſacculi protrahantur. Sciat Epiſcopus, cui commiſſa eſt Eccleſia, quem, diſpenſationi pauperum curæque præficiat. Melius eſt non habere, quod tribuam, quam impudenter petere, quod recondam. Sed & genus arrogantiæ eſt, clementiorem te velle videri, quam Pontifex Chriſti eſt: Non omnia poſſumus omnes. Alius in Eccleſia oculus eſt, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, venter, & cætera: Lege Pauli epiſtolam ad Corinthios, quomodo diverſa membra unum corpus efficiunt. Nec ruſticus tamen & ſimplex frater ideo ſe ſanctum putet, ſi nihil noverit: nec peritus, & eloquens lingua æſtimet ſanctitatem: multoque melius eſt, e duobus imperfectis ruſticitatem ſanctam habere, quam eloquentiam peccatricem. Multi ædificant parietes, & columnas Eccleſiæ ſubſtruunt: marmora nitent, auro (***) ſplendent laquearia, gemmis altare diſtinguitur: & Miniſtrorum Chriſti nulla electio eſt. Neque vero mihi aliquis opponet, dives in Judæa templum, menſam, lucernas, thuribula, patellas, ſcyphos, mortariola, & cætera ex auro fabricata. Tunc hæc probabantur a Domino, quando Sacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat redemptio peccatorum. Quanquam hæc omnia præceſſerint in figura: ſcripta ſunt autem propter nos, in quos fines ſæculorum devenerunt: nunc vero cum paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicarit: cogitemus crucem ejus, & divitias lutum putabimus. Quid miramur, quod Chriſtus vocat iniquum mammona? Quid ſuſpicimus, & amamus, quod Petrus ſe non habere glorioſe teſtatur? Alioquin ſi tantum literam ſequimur, & in auro atque divitiis, ſimplex nos delectat hiſtoria, cum auro obſervemus & cætera. Ducant Pontifices Chriſti uxores, virgines. Quamvis bonæ mentis ſit, qui cicatricem habuerit, & deformis eſt, privetur Sacerdotio: lepra corporis, animæ viciis præferatur: Creſcamus, & multiplicemur, & repleamus terram, nec immolemus agnum, nec myſticum Paſcha celebremus: quia hæc

(*) Cultus qualis. (**) Captatores. (***) Aurum in Templo.
(†) *Orarium*, ſudarium eſt, quo os abſtergitur. *Du Frene in Gloſſar.*

hæc absque templo fieri, lege prohibentur: figamus feptimo menfe tabernaculum, & folenne jejunium buccina concrepemus. Quod fi hæc omnia fpiritualibus fpiritualia comparantes, fcientesque cum Paulo, quod lex fpiritualis eft: & David verba cantatis: Revela oculos meos, & confiderabo mirabilia de lege tua: fic intelligimus, ut Dominus quoque nofter intellexit, & interpretatus eft Sabbatum. Aut aurum repudiemus, cum cæteris fuperftitionibus Judæorum: aut fi aurum placet, placeant & Judæi, quos cum auro aut probare nobis neceffe eft, aut damnare. Convivia tibi vitanda funt fæcularium, & maxime eorum, (*) qui tument honoribus. Turpe eft ante fores Sacerdotis Chrifti, crucifixi & pauperis, qui cibo quoque vefcebatur alieno, lictores confulum, & milites excubare, judicemque Provinciæ melius apud te prandere, quam in palatio. Quod fi obtenderis, te facere hæc, ut roges pro miferis atque fubjectis: Judex fæculi plus deferet Clerico continenti quam diviti, & magis fanctitatem tuam venerabitur quam opes. Aut fi talis eft, qui non audiat Clericos, pro quibuslibet tribulatis, nifi inter phyalas: libenter carebo hujuscemodi beneficio, & Chriftum rogabo pro judice, qui magis & citius fubvenire poteft, quam Judex. Melius enim eft confidere in Domino, quam confidere in homine: melius eft fperare in Domino, quam fperare in Principibus. Nunquam (**) vinum redoleas, ne audias illud Philofophi: Hoc non eft ofculum porrigere, fed vinum propinare. Vinolentos Sacerdotes, & Apoftolus damnat, & vetus lex prohibet. Qui altari deferviunt, vinum & fyceram non bibant. Sycera, Hebræo fermone, omnis potio nuncupatur, quæ inebriare poteft, five illa, quæ frumento conficitur: five pomorum fucco: aut cum favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem: aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem: coctisque frugibus aqua pinguior coloratur. Quicquid inebriat & ftatum mentis avertit, fuge fimiliter ut vinum. Nec hoc dico, quod Dei a nobis creatura damnetur (fiquidem & Dominus vini potator eft appellatus: Et Timotheo dolenti ftomachum modica vini forbitio relaxata eft) fed modum pro ætatis & valetudinis, & corporum qualitate, exigimus in potando. Quod fi absque vino ardeo adolefcentia, & inflammor calore fanguinis, & fucculento validoque fum corpore, libenter carebo poculo, in quo fufpicio veneni eft. Pulchre dicitur apud Græcos, & nefcio, an apud nos æque refonet. Pinguis venter, non gignit mente tenuem. Tantum (***) tibi modum jejuniorum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, cafta, fimplicia, moderata & non fuperftitiofa jejunia. Quid prodeft oleo non vefci, fed moleftias quasdam difficultatesque ciborum quærere? caricas, piper, nuces, palmorum fructus, fimilam, mel, piftacia: tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non vefcamur pane, & dum delicias fectamur, a regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam, contra rerum, hominumque naturam, aquam non bibere nec vefci pane, fed forbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarumque fuccum, non calice forbere, fed concha. Proh pudor! non erubefcimus iftiusmodi ineptiis: nec tædet fuperftitionis? Infuper etiam famam abftinentiæ in deliciis quærimus. Fortiffimum jejunium eft aqua & panis. Sed quia gloriam (****) non habet, & omnes pane & aqua vivimus: quafi publicum & commune jejunium non putatur. Cave, ne hominum rumufculos aucuperis: ne offenfam Dei, populorum laude commutes. Si adhuc inquit Apoftolus, hominibus placerem, Chrifti fervus non effem. Defiit placere hominibus, & fervus factus eft Chrifti. Per bonam famam & malam, a dextris & a finiftris, Chrifti miles graditur: nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate: & læta contemnit, & triftia: per diem fol non urit eum, neque luna per noctem. Nolo (*****) te orare in angulis platearum, nec rectum iter precum tuarum, frangat aura popularis: nolo te dilatare fimbrias, & oftentui habere phylacteria, & (confcientia repugnante) pharifaica ambitio-

[*] Fuga Magnatum. [**] Abftinentia vini & potus. [***] Inedia.
[****] Gloria. [*****] Cultus fuperftitiofus.

bitione circundari. Quanto melius erat hæc non in corpore, sed in corde gestare, & Deum habere fautorem: non aspectus hominum? inde pendet Evangelium, inde lex & prophetæ, sive sacra & Apostolica doctrina. Melius est enim hæc omnia in mente portare, quam in corpore. Fidelis mecum lector, intelligis, quid taceam, & quid magis tacendo loquar. Tot te Regulæ, quot species gloriarum percurrant. Vis scire, quales Dominus quærat ornatus? habeto prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudinem: his cœli plagis includere: hæc te quadriga, velut aurigam Christi, ad metam concita ferat: nihil hoc monili preciosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius: ex omni parte decoraris, cingeris atque protegeris, & ornamento tibi sunt & tutamini: gemmæ vertuntur in scuta. Cave (*) quoque, ne aut linguam aut aures habeas prurientes: id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. Sedens, inquit, adversus fratrem tuum loquebaris: & adversus filium matris tuæ, ponebas scandalum: hæc fecisti & tacui, existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam. Parce a detractione linguæ: custodi sermones tuos: & scito, quia per cuncta, quæ de aliis loqueris, tua conscientia judicaris, & in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas. Neque vero illa justa est excusatio, referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invito auditori libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur: interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, ne misceariş: quoniam repente veniet perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit? tam videlicet ejus, qui detrahit, quam illius, qui aurem accommodat detrahenti. Officii tui est, visitare languentes, nosse domos matronarum ac liberos earum, & nobilium virorum custodire secreta. Officii tui est, non solum oculos castos servare, sed & (**) linguam. Nunquam de forma mulierum disputes: ne quid agatur in alia, domus alia per te noverit. Hyppocrates adjurat discipulos suos, antequam doceat, & in verba sua jurare compellit: extorquet Sacramento silentium: sermonem, incessum, habitum, moresque præscribit: quanto magis nos, quibus animarum cura commissa est, omnium Christianorum domos debemus amare, quasi proprias? Consolatores potius nos in mœroribus suis, quam convivas in prosperis noverint. Facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat. Nunquam petentes, raro (***) accipiamus rogati: beatius enim dare, quam accipere. Nescio enim quomodo, etiam ipse, qui deprecatur, ut tribuat: Cumque acceperis, viliorem te judicat: & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur. Prædicator continentiæ nuptias ne conciliet. Qui Apostolum legit (superest, ut qui habent uxores, sic sint, quasi non habeant) cur virginem cogit, ut nubat? Qui de monogamia Sacerdos est, quare viduam hortatur, ut bigama sit? Procuratores & Dispensatores domorum alienarum, atque villarum, quomodo possunt esse Clerici: (****) qui proprias jubentur contemnere facultates? Amico quippiam rapere furtum est: Ecclesiam fraudare sacrilegium est: accepisse, quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus, plurimis vel cautum esse velle: vel timidum: aut (quod apertissimi sceleris est) aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Ego fame torqueor, & tu judicas, quantum ventri meo satis sit? aut divide statim, quod acceperis: aut si timidus dispensator es, dimitte largitorem, ut sua ipse distribuat. Nolo sub occasione mea, sacculus tuus plenus sit. Nemo me melius mea servare potest. Optimus dispensator est, qui sibi nihil reservat. Coegisti me Nepotiane charissime, lapidato jam virginitatis libello, quem sanctæ Eustochio Romæ scripseram, post annos decem rursus Bethleem ora reserare, & confodiendum me linguis omnium prodere. Aut enim nihil scribendum fuit, ne hominum judicium subiremus, quod tu facere prohibuisti: aut scribentes nosse, cunctorum adversum nos maledicorum tela torquenda:

[*] Obtrectatio. [**] Silentium. [***] Abstinentia a muneribus.
[****] De negotiis prophanis.

da: quos obſecro, ut quieſcant, & deſinant maledicere. Non enim ut adverſariis, ſed ut amicis ſcripſimus: nec invecti ſumus in eos, qui peccant, ſed ne peccent, monuimus: neque in illos tantum, ſed & in nos ipſos ſeveri fuimus judices: volentesque feſtucam de oculo alterius tollere, noſtram primum trabem ejecimus. Nullum læſi, nullius nomen, mea ſcriptura deſignatum eſt: neminem ſpecialiter meus ſermo pulſavit. Generalis de vitiis diſputatio eſt: qui mihi iraſci voluerit, ipſe de ſe, quod talis ſit, confitebitur.

De Studiis & Scholis Monaſteriorum reſtaurandis, deque Monachorum vivendi ratione.

CAPUT XXIV.

ID quod infra de Scholis reſtaurandis dicimus, idem quoque de Clericorum Regularium ſtudiis reparandis, diſponemus & ordinabimus. Et quanquam ea reſtauratio in Monaſteriis noſtræ Diœceſis, ob perſonarum defectum (cum ferme omnia Monaſteria, tam virorum, quam fœminarum deſolata ſint) vix vel difficulter fieri poſſit: tamen volumus, ut opulentiora, ſcholas rurſus erigant & inſtaurent: aut aliquos optimæ ſpei, ac bonæ indolis juvenes, vel ad publica & probata ſtudia, ſtudiorum, & maxime ſacræ Theologiæ perdiſcendæ cauſa mittant: eosque de Monaſteriorum bonis & redditibus, in quantum neceſſitas requirit, alant, & ſuſtentent: vel operam dent, ut a Monaſteriis ejusdem Provinciæ & ordinis, in quibus ſcholæ adhuc vigent, & conſervantur: ingenii cauſa ſuſcipiantur, & informentur. Quod ſi qui negligentes extiterint, hos tanquam inobedientes, ordinariæque noſtræ juriſdictionis contemptores, debitis cenſuris & pœnis, per Vicarium, vel Officialem noſtrum, ad hujus Sanctionis Synodalis obſervationem, compellendos decernimus, & mandamus. De minus vero opulentis Monaſteriis, aliisque Eccleſiaſticis proventibus, rationem inibimus, quomodo ad Eccleſiarum & Monaſteriorum utilitatem, certa ſtipendia commode conſtituantur, ex quibus certus numerus adoleſcentulorum, in publicis Academiis & alatur & ſuſtentetur. Et quia deſolatorum quoque Monaſteriorum cura non ſolum ad nos, tanquam loci Ordinarium, ſpectat, ſed etiam ex ſpeciali Cæſareæ Majeſtatis commiſſione nobis injunctum ſit, ut eorum reparationem & reſtaurationem ſuſcipiamus, ipſorumque jura, & annuos proventus conſervemus: curabimus, ut juxta proventuum, & reddituum qualitatem & modum, rurſus in quantum fieri poteſt, in ordinem redigantur, & reparentur: deliberabimusque, quibus rationibus, temporis progreſſu, Monaſteria, & Eccleſiæ, ab invaſorum violentia & oppresſione, qui inani defenſionis prætextu & advocatiæ titulo, ſubinde eorum bona & jura invadunt, contraque juris diſpoſitionem violenter, & de facto occupant ac retinent, tandem defendantur ac liberentur.

Cæterum, de vivendi forma & ratione, inter Latinos nemo præclarius, nemo ſanctius, nemoque melius Divo Hieronymo (*a*) ſcripſit: quare ad tanti viri lectionem, nos, Monachos cujuscunque ordinis ſeu profeſſionis ſint, remittimus: ubi copioſe, & diſerte invenient, ſive animam, ſive corpus ſpectent, quid in hoc vitæ genere ſe deceat, verisque Monachis conveniat. Solus eſſe vis: a mundo, mundique conſortio ſeparatus, & ſegregatus eſſe cupis? delectare ſolitudine, delectare habitaculo tuo: cellula tua tibi ſit locus amœniſſimi palatii, in hac, ceu in pædagogio, adorna, quæ ad animæ ornatum (hujus enim potiſſimum, non corporis, reique familiaris cura habenda) pertinent: ſat comptus fueris, ſi animum innocentem, juſtitia, fide, pietate, prudentia, temperantia, continentia, caſtitate, abſtinentia, aliisque virtutibus ornatum Chriſto exhibueris. Animæ enim credentium Chriſti templa ſunt: has exornare, has veſtire, in his offerre donaria, inque has recipere Chriſtum, decet & convenit. Ad quem ſane veſtitum & habitum conſequendum, crebra, frequensque ſacrarum literarum lectio, quæ de manibus Monachi nunquam excidat, proderit: Ama Scripturas ſanctas, & amabit te ſapientia: dilige eam, & ſervabit te:

(*a*) Hieron. in 1. Epiſt. ad Heliod. Item ad Ruſt. ad Paulin. Monachum.

te: honora illam, & amplexabitur te: Hæc monilia in pectore & in auribus tuis hæreant, nihil aliud noverit lingua quam Christum, ait Hieronymus (b): Neque enim ideo Monasteria ingredienda sunt, certumque hoc vitæ genus eligendum, ut otio fruamur, & securi, in utramque dormiamus aurem: sed maxime, ut lectioni vacetur, arcanaque sacræ Scripturæ mysteria inquirantur: ut tale solitudinis ocium, tandem in communem Ecclesiarum, totiusque Reipublicæ Christianæ salutem & utilitatem redundet: id quod videmus veterum & antiquorum, tum Græcorum, tum Latinorum Monasteria, quæ scholæ similitudinem subinde retinuerunt, præclare, fideliter, & magna cum laude præstitisse. Dent igitur operam Monachi, si modo Religioni Catholicæ, ipsis Monasteriis, in tanta temporum iniquitate consultum voluerint, ut in hoc studium, omni conatu, omnibusque viribus incumbant. Nam ex sacræ Scripturæ cognitione, privatas vitæ rationes sancte instituent: & habebunt, quo se, ceu clypeo, adversus omnes adversarii tentationes & insultus, fortiter defendant & tueantur. Cui sane opitulabitur frequens oratio, quæ sine intermissione, vigili sensu, rejectis vanis cogitationibus, aliisque animi distractionibus, ad Deum, flexo corpore & mente, effundatur. Semper enim est precandum, semper in corde psallendum, semper DEO laudes dicendæ, semper Divinum implorandum auxilium, (c) ne intremus in tentationem: (d) ne circumveniamur: (e) ne incauti, cum de securitate nostra nihil pollicere nobismet ipsis audeamus, præcipitemur: Circuit (f) enim subinde cacodæmon, tanquam leo rugiens, quærens quem deprehendat & devoret. Vigilandum igitur erit: excubiæ agendæ: in statione standum, taliaque arma sumenda, & recipienda sunt, quibus, tales hostes, qui dies noctesque saluti animæ nostræ insidiantur, arceantur, & a mentibus nostris repellantur. Ad quod quidem certaminis genus multum proderit, crebra, sed tamen moderata adhibere jejunia: non quod Deus universitatis Creator & Dominus, intestinorum nostrorum rugitu, ut inquit Hieronymus (g): & inanitate ventris pulmonisque delectetur ardore: sed quod aliter pudicitia tuta esse non possit. Abstineant igitur ab immodico & indigesto cibo, qui & crudos humores generare, & inflammare corpora, ac ad libidinem accendere, aliasque inhonestas voluptates excitare solet: sed contenti sint, tantum sumere cibi, quantum ad naturæ sustentationem, valetudinemque conservandam opus est: Modicus (h) enim & temperatus cibus, corpori & animæ utilis est. Exerceant igitur se in omni opere bono, vigiliis, ut inquit Greg. Nazianz. (i) jejuniis, orationibus, lachrymis, genarum callibus, pectoris percussione, suspiriis ex profundo cordis emissis, stationibus nocturnis, mentis ad Deum elevatione continua, glorificando ejus opera, meditandoque legem Domini die ac nocte, ne ociosi a Sathana deprehendantur, inque varios tentationis laqueos conjiciantur. Deinde si a cultu Divino exsolvendo, & piis ac spiritualibus meditationibus vacatur, sumant aliquid operis, in quo conficiendo occupati sint, reliquum temporis non absque labore, corporisque exercitio terendo & consumendo. Cum (k) enim dies ordine quodam, ita in suas partitus est operas, ut opus succedat operi, labor labori, negotium negotio: tum facile vagæ cogitationes sinistrique affectus, & rerum noxiarum appetitiones, exanimo pellentur & extinguentur: ac omne tempus breve videbitur, quod tantis operum varietatibus occupatur. Absit omnis simultas, detrectandi maledicendique studium: sed mutua & fraterna dilectione se invicem exosculentur & amplectantur: nullus se præponat alteri: sed unusquisque suo dono &, a Domino, accepto talento contentus, hoc adornet, alteri inserviat, debitumque honorem & officia, sive domestici, sive peregrini, sive noti, sive ignoti sint, exhibeant: habitu & vestitu

(b) Hieron. ad Paul. de institutione Monachi.
(c) Lucæ 18.
(d) 1. Tim. 2.
(e) 1. Tim. 5.
(f) 1. Pet. 5.
(g) Hieron. ad Eustoch. de custodienda virginitate.
(h) Simplices cibi in scriptura probantur, inquit Hieron. ad Eust.
(i) Gregor. Naz. de religiosis Monachorum operibus.
(k) Hieron. in Epist. ad Letam, de institutione filiæ.

ſtitu utantur decenti, qui unicuique ſecundum profeſſionem, quam profitetur, conveniat: nihil ſuperſtitionis, nihil arrogantiæ, nihil faſtus præ ſe ferat, nullaque varietate notabilis ſit, ex quo indicia mentis facile colligantur, & deprehendantur. Debent enim in hoc genere hominum, qui Chriſtum profitentur, habitus, os, mens, manus, interna & externa, harmoniaco quodam concentu concordare. Nam ſi veſtis ſordida ſit, animus vero tumeat, ſermoque ab habitu plane diſſentiat, nihil hac hominis forma monſtroſius, teſte Hieronymo. (*l*) Adhæc debitam reverentiam & obedientiam exhibeant Monaſterii Præpoſito: diligant hunc ut parentem, timeant ut Dominum: hujus authoritatem pluris faciant: hujus juſſis, hujus mandatis diligenter & fideliter obtemperent: credantque omne utile & ſalutare congregationi & Monaſterio futurum (dummodo tamen honeſte præſit) quicquid ille præceperit & conſtituerit. Et cum hæc Monaſteria (de opulentioribus nunc loquor) ad non mediocres facultates annuoſque proventus excreverint: curandum inprimis erit, ut in elargienda eleemoſyna publica, ſuccurrendo inopiæ pauperum, communi neceſſitati & egeſtati, præſertim famis & belli temporibus ſubveniendo, largi, & liberales ſint. Ad quid enim prodeſt, non ſolum granaria, ſed & Chriſtianorum Oratoria & Templa frumentis eſſe referta, ſaccos auro argentoque onuſtos habere: cum Chriſtus interim in paupere aut periclitetur, aut plane pereat, & fame tabeſcat? monaſteriiſque id ſubtrahatur, quod ad eorum amplitudinem, honorem, augmentationem & conſervationem pertinere, & ſpectare dignoſcitur? Annon ſi liberaliter doctis conductiſque præceptoribus, juventus inſtitueretur, Scholæ veterum more reſtaurarentur: inque tanto perſonarum defectu, novi conventus, qui ſeſe huic generi vitæ mancipare conantur, plantarentur: ac communi egeſtati uberius ſuccurreretur, ac ſubveniretur, melius conſultum foret? annon minori odio gravaretur monaſtica hæc ſocietas? annon mitioribus periculis expoſita eſſent monaſteria? Cum autem hæc propria monaſteriorum officia, aut egregie negligantur, aut leviter & ſomnolenter attingantur: fit, ut juſto Dei judicio, ſubinde alio atque alio calamitatis genere affligantur & afficiantur. Neque meliora ſperanda ſunt, niſi in ordinem redactis monaſteriis, veterum rurſus imitentur & ſequantur veſtigia: quæ non ideo dicuntur, ut abjecta œconomia, ſemel omnia ſine ratione profundantur, inque pauperum uſus diſtribuenda ſint: ſed ut potiſſimum earum rerum ſemper habeatur ratio, quarum cauſa, monaſteria ipſa ordinata & conſtituta ſunt. Sic enim & nobis dormientibus, nihilque tale ſperantibus, non ſolum conſervabuntur, ſed cœleſti & tacita benedictione Dei, ac incremento in ipſis receptaculis augebuntur & creſcent annui monaſteriorum proventus. Date, inquit Chriſtus, & dabitur vobis: Quærite inprimis Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis: &, ut Baſilius ait (*m*), datum cum auctario ſemper redit: & beneficiorum gratiæ, in dantes revertuntur.

De Vita & Moribus Monialium.

CAPUT XXV.

SInt autem Moniales, quamcunque tandem Regulam, ut vocant, profiteantur, unanimes, ita, ut plures, cor unum & animam unam in Domino habeant. Unanimitas enim & concordia monaſticæ ſocietatis conſervatio & vinculum eſt. Quare omnes ſimultates, lites, contentiones, diſſenſiones domeſticæ, quamprimum ortæ fuerint, a Gubernatrice ſeu Magiſtra Domus, modeſta & Chriſtiana adhibita admonitione, ac reprehenſione, tollendæ: animique reconciliandi ſunt: ne ex hac conniventia, inveterata naſcantur odia, letaleſque animorum morbi, videlicet, invidia, ſuperbia, faſtus, & contemptus ſororum, aliaque, perturbandæ & reſcindendæ ſocietatis incommoda ſubſequantur. Studeant igitur inprimis in hoc vitæ genere, cui ſe mancipârunt ſorores, Deum in omnibus actionibus, exercitiis, & ſtudiis totius vitæ, omniumque conſiliorum gubernatorem præ

(*l*) Hieron. ad Ruſtic. Monachum.
(*m*) Baſil. Magn. in divites avaros ſuper illud Lucæ Evang. Hominis cujusdam divitis ager.

præ oculis habere: hunc timeant: hunc intueantur: hunc reverenter ampleƈtantur: hujus opem & auxilium in tentationibus, tribulationibus, quotidianisque vitæ moleſtiis, invocent & implorent: Hic enim vacillantibus, laborantibus, periclitantibusque, juxta præclaras, & magnificas Divini verbi promiſſiones, tempore oportuno ſuccurret. Anima (n) noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adjutor & protector noſter eſt. Et alibi: (o) Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me: Item, (p) Et ſperent in te, qui noverunt nomen tuum: quia non derelinquis quærentes te, Domine. (q) Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. (r) Iſte pauper clamavit ad Dominum, & Dominus exaudivit eum. (s) Prope eſt Dominus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate. Juxta eſt Dominus iis, qui tribulatio ſunt corde. Et Matthæi XI. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. His igitur ſacræ Scripturæ locis, tanquam magnificis (t) verbi Divini promiſſionibus, in omni tentationum genere, ſive a Diabolo, ſalutis noſtræ adverſario, ſive a carne, ſive a peccato, ſive mundo, ſive a morte proficiſcantur, animi Sororum muniendi, confirmandi, & corroborandi ſunt, ne deficiant, ac in ipſis tentationibus facile ſuccumbant. Ad quam quidem luctam feliciter conficiendam, maxime proderunt, juxta Chriſti Salvatoris noſtri præceptum, quotidianæ & continuæ precationes, & invocationes, ne ocioſæ, & ſecuræ, ab adverſario in tentationem, aliaque peccati pericula deducantur, & præcipitentur. Et cum Apoſtolus nos indeſinenter, & ſemper orare jubeat: aſſuefaciendæ ſunt, ut ſive egrediantur cellulas, ſive a laboribus, operibusque, ac domeſticis officiis regrediantur, ſemper obverſetur animo oratio: ſemper occurrat ad Deum, ſi non prolixa, attamen brevis, & ex imo cordis gemitu proficiſcens precatio, qua armetur, qua muniatur, qua paſcatur anima, cujus ſubinde major, quam caduci, & fragilis corpuſculi ratio habenda eſt, juxta piam & gravem Apoſtoli exhortationem: Induite vos armaturam fidei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & Poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in Cœleſtibus: propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus, perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induite loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, per omnem orationem, & obſecrationem, orantes omni tempore, in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia. Et cum conſtitutis horis, in templo vel oratorio communi, publicæ & communes preces expediendæ, cultusque Divinus abſolvendus eſt, detur opera, ut rite, decenter, & convenienti ordine (nam & Paulus id in ejusmodi collegiis & congregationibus requirit) ſingula peragantur: & præſertim, ut in legendis vel decantandis pſalmis, aliisque Eccleſiæ cantionibus & hymnis, id in corde verſetur, (u) quod vel vocis & gutturis modulatione profertur & canitur: Non enim vocis ſed cordis auditor eſt Deus: & pſallendum eſt ſpiritu & ſenſu. Et quanquam hoc tempore in decantandis pſalmis, officiisque Divinis peragendis ignota utantur lingua: tamen ea diligentia adhibenda eſt, ut ſi non omnium, certe præcipuarum rerum (videlicet Pſalmorum, Epiſtolarum, Evangeliorum, communiumque precum ac Hymnorum, qui in ſacro celebrando proferuntur, aliisque officiis abſolvendis adhibentur) intellectum habeant, quem ex privata & domeſtica lectione, facile conſequentur Sorores. Neque enim a quotidiano legendi & diſcendi ſtudio, immunes & liberæ eſſe debent. Nihil igitur in templo vel oratorio agant, quod illic expe-

(n) Pſalm. 32. (o) Pſalm. 49. (p) Pſalm. 9.
(q) Pſalm. 45. (r) Pſalm. 33. (s) Pſalm. 144.
(t) Paulus ad Epheſ. cap. 6.
(u) Hieron. de viduis petulantibus & jejunia contemnentibus.

expedire non conveniat, vel indecorum aut turpe sit: sed cogitent, ideo sese Templa Dei esse effectas, ut unanimiter & concorditer vivendo, Deum, in hoc statu & vitæ genere, indesinenter honorent, laudent, seque ad ejus nutum componant, cui se vivendo denuo desponsarunt, & arctiore vitæ vinculo adstrinxerunt. Quare cum juxta Ecclesiæ cantionem, regnum mundi, omnèmque sæculi ornatum, propter amorem Domini nostri Jesu Christi, contemnant: cum hunc saltem videre cupiant: cum hunc ament: cumque omnem fiduciam in hunc conferant, hunc diligant: conveniens erit, ut spreto mundo abjectisque terrenis, ea, quæ cœlestia sunt, cogitent & quærant. Corpus quidem ad obsequia Dei, pietatisque exercitia humi repat, sed cor, sursum, in spiritualium rerum contemplatione habitet, obambulet, & versetur. Adhæc in tam sancta societate, communia sint omnia: communi utantur tabula, communi fruantur cibo, communis sit refectionis, communis somni, communis & quietis locus: nihil sibi vendicet proprietas: sed ita dividantur, ita distribuantur omnia, ne alicui personæ, quantum ad necessitatem, & commodam vitæ sustentationem, quicquam desit: absit lauta, sed adsit frugalis mensa: apponanturque tales cibi, qui ad conservandam Sororum valetudinem idonei, & utiles sunt. Est enim in hac parte, maxime valetudinis & sexus habenda ratio: (y) si sumendus est cibus, sive a tabula discedendum, semper referatur Creatori gratia, dicanturque consuetæ preces: sed a juniore, ad intelligentiam aliarum, repetantur hæ, nativa & vernacula lingua, idque brevi, & compendioso orationis genere: adhæc legatur aliquid, vel ex veteri, vel ex novo testamento, aliisque sanctorum Patrum scriptis, ad tabulam: & præsertim ii libri, qui ad pietatem, disciplinamque alendam, & mores formandos (cujusmodi sunt, Proverbia Salomonis, Ecclesiasticus, Epistolæ Pauli ad Thessalonicenses, Philippenses, Timotheum, Titum, Jacobi, Petri & Joannis: Item Ambrosii tractatus de virginitate, aliæque sanctorum PatrumHomiliæ, virtutum vitiorumque descriptionem, in se continentes) utiles sunt. Nam non solum naturali cibo pascenda sunt corpora, sed & animæ Divini verbi pabulo alendæ, & nutriendæ sunt: audiaturque hæc lectio patienter, sine tumultu, & inconvenienti vel susurro vel strepitu. Deinde recreationis digestionisque tempore concesso, Sorores rursum se ad lectionem, discendique studia conferant: quæ, qualia esse debeant, Divus Hieronymus (z) (Princeps & Monasticæ vitæ prudentissimus institutor) non uno in loco egregie ostendit inquiens: Discendum esse probe & diligenter Psalterium: Proverbia Salomonis, ad vitam erudiendam proponenda: Ecclesiastem legendum, ut quæ mundi sunt, calcare consuescant: Librum Job pervestigandum, ut sectentur virtutis & patientiæ exempla: deinde, ad Evangelia transeundum, quæ nunquam de manibus dimittere debent Sorores: deinde plena cordis voluntate, imbibenda Apostolorum acta & Epistolæ, quibus ita instructæ, tandem ad lectionem Prophetarum, cæterosque veteris Testamenti libros commode pervenire possunt: quibus tandem adjungant, & sanctorum Patrum opuscula, & præsertim ea, in quibus pietas fidei, ut inquit Hieronymus, non vacillat, & quæ eruditus Magister, facile secundum ingeniorum qualitatem deliget, & proponet: summa, ita imbibant sanctas Scripturas, ita toto pectore hauriant, ac in his delectentur, ut præter has nil æque admirentur, nihil desiderent, nihil cupiant, nihil amore prosequantur. Bonum, inquit Psalmista, mihi lex oris tui, super millia auri & argenti: Item: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo? &: dilexi mandata tua super aurum & topazion. Quare in hujus perscrutationem omnem solicitudinem, operam omnem, totumque animi studium conferre debent: nihilque nosse, quam quod animi innocentiam, pietatem, imo quod Christum ipsum redoleat, & spiret: Præterea castitatem, & pudicitiam, diligenter custodiant, præcipuumque hujus sanctæ Congrega-

(y) Hieron. ad Demetriadem virginem, de servanda virginitate.
(z) Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Hieron. ad Rustic. Mon. Hieron. ad Letam de institutione filiæ.

gregationis florem (Deo consecratum, & dicatum) illibatum conservent : ad quem quidem custodiendum, & conservandum, multum proderit, piis & moderatis exercitiis refrenare (a) & domare carnis insolentiam & petulantiam: quæ quidem semper, ut ait Apostolus, spiritui reluctatur : id autem fiet crebris jejuniis & abstinentia escæ : Quæ tamen semper ita adhibenda & moderanda sunt, ne nimium lædatur & debilitetur corporum valetudo , adjuncta quoque oratione, continuisque precibus. Nam cum continentia Dei donum sit, facile in hac pugna, reluctationeque carnis, conservabitur ea , si Divinam opem, auxiliumque Dei, humili corde , veraque precatione imploraverint & postulaverint. (b) Fidelis est enim Deus, qui non sinet nos tentari supra id, quod possumus ferre : sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Ac sequenda est in hac tentationis pugna, optima & Christiana Divi Hieronymi (c) admonitio, quæ vult, non statim fascias pectorales solvendas esse , sed quamprimum libido titillaverit sensum , aut blandum voluptatis incendium, dulci nos calore perfuderit, erumpendum in vocem. Ah Domine auxiliator, non timebo, quid mihi faciat caro : quare conturbas me? Sperabo in te Domine, & confitebor tibi salutare vultus mei , o Deus meus! Nec permittendum cogitationes crescere: (d) aut quicquam Babilonii ac confusionis adolescens, sed dum parvus est, hostem interficiendum, & nequitiam (ne in zizaniam crescat) in semine elidendam esse : cum ægre reprehendatur id, cui assuescere permittitur. Quibus sane remediis, facile occurretur huic tentationum generi , qua maxime circumveniri alioquin solet hæc sancta societas, si non tempestive & crebro, diurnis nocturnisque adhibitis vigiliis, & laboribus, remedia adhibeantur. Præ se ferant item in quotidiana vitæ conversatione , in incessu, in habitu , omnibusque corporis motibus , summam honestatem, morumque gravitatem ac modestiam, nihilque faciant , quod vel aures, vel visum aliarum sororum offendat, vel alios ad libidinem provocet & alliciat : Sed si nonnunquam (id quod solum necessitatis causa , monasteriis concessum & permissum sit) alterius sexus homines alloquendi inspiciendique sunt, jaciantur, ut elegantissime inquit Augustinus, oculi in aliquem : figantur in neminem. Neque enim viros videre , sed appetere , aut ab ipsis appeti velle , criminosum est: Nec solo tactu, sed affectu quoque & aspectu appetitur, & appetit fœmina. Neque dicendum , nos animos habere pudicos , si habeamus oculos impudicos : cum impudicus oculus, impudici cordis sit nuncius : & cum se invicem sibi , etiam tacente lingua, conspectu mutuo , corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis , alterutro delectantur ardore , etiam intactis ab immunda violatione corporibus , fugit castitas ipsa de moribus. Quem insignem locum ideo integre subjunximus , ut in ejusmodi colloquiis eo cautiores & prudentiores sint. Habitu & vestitu utantur decenti , & forma secundum consuetudinem introducta , neque tam studeant vestibus, & exquisito corporis ornatu, ac mundicie placere hominibus, quam innocentia vitæ, & syncera ac casta morum integritate & simplicitate: si prodeundem est in publicum , si alloquendi cognati, si salutandi amici , si honoris causa aliquid exequendum , mundæ & bene vestitæ appareant , & ingrediantur : imponantur capiti tegmina, vel linteola, munda quidem & tenera, sed ita tamen adornata , ut omni fuco & affectatione exquisiti ornatus careant : ac ita obvelent faciem , ut coma nulla, capillique nudi facile appareant : decet enim hujus Collegii socias , ab omni plane mundi , & fucato ornatu, & splendore alienas esse. Si quid agendum in monasterio, si aliquando eundum est , adjungantur a Præposita seu domus Magistra, sociæ : ut unaquæque suarum actionum & negotiorum arbitras & testes habeat. Et si contingat in tanta imbecillitate & fragilitate humanæ naturæ aliquam labi, vel delinquere : (e) admoneatur

(a) Difficile inter Epulas servare pudicitiam. Hieron. ad Eustoch.
(b) 1. Cor. 10. (c) Hieron. ad Eustoch. de custodienda virginit.
(d) Hieron. ad Letam, de institut. Filiæ.
(e) Aliorum vulnera, nostra sit cautio. Hier. ad Sal. de servanda viduitate.

neatur hæc a reliquis dolenter: amice & Christiane condoleant lapsum sororis: adhibeant consolationis pœnitentiæque agendæ remedia, & vulneratam ac sauciam curent & consolentur. Quod si vero corrigi, & a delinquendi proposito abstinere noluerit, indicetur hoc Præpositæ, & Gubernatrici domus: quæ deinde probe discussa & explorata delicti qualitate, pœnam, (secundum quod ratione circumstantiarum conveniens & utile videbitur) imponat & injungat: in qua tamen infligenda, ita se gerat Præposita, ut & delinquens, & reliquæ sorores, justam & necessariam puniendi severitatem cognoscant & perspiciant: absint lites, absint jurgia & rixæ, sed amplectantur se mutua charitate & dilectione: nec dominetur in hac sancta societate, pestilentissima labes invidentiæ, sed contentæ sint singulæ iis, quæ secundum Magistræ arbitrium, de communibus bonis, & facultatibus, unicuique distribuuntur & impartiuntur. Nam cum hæ facultates in communem usum collatæ sint, jamque in aliam quodammodo naturam devenerint: inconveniens est, velle invidere alteri, quod ad ipsam, ratione communitatis, authoritate Superioris interveniente, cum nullius injuria & incommodo spectat & pertinet. Neque enim in hujusmodi congregationibus, & monasteriis Monialium, hæ querelæ & exprobrationes locum habere debent, quasi hæc plus vel minus in hanc sanctam societatem contulerit: sed cum per monasticum hoc vitæ genus, secundum Apostoli sententiam, unius corporis membra effectæ sint, tum non illius vel alterius membri major vel minor, sed totius ac universi corporis cura & ratio habenda est. Et hac consideratione diligenter habita, facile sopientur contentiones & æmulationes, tolleturque pauperum, minusque potentium contemptus, qui una cum ditioribus se huic vitæ generi manciparunt: præsertim, cum unicuique, quod ad sustentationem vitæ opus est, porrigatur & tradatur. Habeant & communem locum, in quo custodiantur singularum vestes: quæ ita a constitutis, & ad id negotii deputatis personis adserventur, ne a tinea lædantur, vel alias damni aliquid patiantur. Utantur etiam balneis, sed non frequentibus: sufficit enim pro corporum necessitate, menstruo uti lavacro, in quod tamen ingrediantur communiter: vel si ex permissione Præpositæ, lavantur aliquæ, fiat id aliis sororibus præsentibus, quas ad hoc, ipsa Magistra destinabit. Præcipua vero habeatur ratio ægrotantium, & debilium Sororum, quibus monasticæ vitæ præscripta & Canones relaxentur, & indulgeantur, condonenturque ea, sic necessitate exigente, quæ ad eorum valetudinem recuperandam pertinere videbuntur: Atque id fiat nonnunquam de Medici consilio, ne in ægrotantibus morbus incrudescat, & radices, in languentium corpusculis, agat. Ordinentur & ad earum curam agendam, personæ idoneæ, quæ non sint morosæ nec difficiles, sed in omni mansuetudine & lenitate inserviant, ac necessaria ministrent, & ægrotantibus porrigant. Ocium tanquam pestem, & præsertim huic generi hominum nocivam & periculosam fugiant, & abominentur: Sed muliebribus & honestis exercitiis (exceptis horis, quæ cultui Divino, studio & lectioni dantur) occupentur. Colendi igitur sunt horti, plantandæ herbæ, projicienda variorum fructuum semina, coquendæ distillandæque aquæ, inquirendæ herbarum & fructuum vires, pervestigandæque earum virtutes, colus versandus, lana texenda, nendum, præparanda indumenta, quibus & sorores totaque Monasterii familia utatur, adornanda linteola &c. Succurrant item pauperum inopiæ, & porrigant de his, quibus abundant, auxiliatrices manus, egenis, & maxime domesticis fidei: nudum vestiant: esurientem cibo, sitientem potu refocillent: afflictos consolentur: ægros visitent: proque communi omnium hominum necessitate quotidianas preces ad Deum fundant. Porro abstineant, ab omni turpi & petulanti sermone, ab obscœnis jocis, & inhonestis ludis: Sed Præpositæ, (f) cum omni reverentia, & timore obediant: hanc venerentur: hanc, ceu matrem, amplectantur: hujus se custodiæ & fidei com-

(f) Ament ut Parentem, subjiciantur ut Dominæ, timeant ut Magistram; Hieron. ad Gauden. de Pacatulæ infantulæ institutione.

committant. Viciſſim vero Præpoſita curam gerat omnium: & de ſingularum honore & ſalute ſolicita ſit: diligenterque perſpiciat, quid quotidie emendare & corrigere, inque melius mutare oporteat: neque exiſtimet ſecundum Auguſtini admonitionem, ſe ideo fœlicem, quod præſit aut dominetur cæteris: ſed magis, quod inſerviendo proſit, ac omnium ſalutem, quantum in ſe eſt, promoveat. Præbeat (g) igitur ſe bonorum operum exemplum: ut habeant Sorores, cujus veſtigia ſequantur: quam in quotidianæ vitæ converſatione imitentur, & moribus exprimant, cogitando, qualitercunque ſe gerat, de ea adminiſtratione, univerſoque grege, cui præeſt, Deo rationem dandam fore.

De Decimis aliisque juribus, Eccleſiæ exſolvendis.

CAPUT XXVI.

GRaviter indignatur Deus, cum Eccleſiis, & Eccleſiarum Miniſtris, Decimæ, aliave Eccleſiæ jura non porriguntur, & exſolvuntur: Viciſſim vero benedictionem frumentorum, omniumque rerum abundantiam promittit & pollicetur, ſi Eccleſiæ detur, & tribuatur id, quod ad ipſam, ſic diſponente jure Divino, ſpectat & pertinet: Sic enim loquitur per Malachiam Prophetam (h): Quia mihi non reddidiſtis decimas & primitias, idcirco in penuria, & fame maledicti eſtis. Inferantur igitur in horrea mea, Decimæ, ut habeant Sacerdotes, & Levitæ, qui mihi miniſtrant, cibos: & probate me, ſi non tantas pluvias effudero, ut cataractæ cœli apertæ eſſe credantur, & effundam benedictionem meam pro vobis, uſque ad abundantiam. Quare etſi hæc admonitio propriam ipſorum Sacerdotum utilitatem reſpiciat: tamen nihilominus commonefaciendus eſt populus, præſertim hoc tempore, ut Decimam, aliaque Parochiarum jura, quæ ad ſuſtentationem eorum introducta & inſtituta ſunt, qui quotidianis laboribus & continuis oneribus Eccleſiæ inſervire coguntur, exolvant: ne ſuis juribus privetur & defraudetur Eccleſia. (i) Neque dubium eſt, quin Deus hanc mundi impietatem & ingratitudinem, cum debita jura Eccleſiis fraudulenter ſubtrahuntur, & juſta merces, contra ſacræ Scripturæ (k) authoritatem, miniſtris non porrigitur, ſubinde alio atque alio calamitatis genere puniat ac ulciſcatur: ac diſponat & ordinet, ut reliqua in omni maledictione pereant & conſumantur: Veriſſimum enim eſt illud Auguſtini, hanc Dei juſtiſſimam eſſe conſuetudinem, ut ſi tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris: dabis, inquit, impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Benefacere Deus ſemper paratus eſt, ſed hominum malitia prohibetur. Decimæ enim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas invadunt.

De Cura & Adminiſtratione Hoſpitalium: Religioſarum domorum ac pauperum.

CAPUT XXVII.

ADhæc ſtatuimus, & ordinamus, ut juxta conſtitutionem (l) Concilii Viennenſis, xenodochiorum, leproſoriorum, eleemoſynariorum, ſeu Hoſpitalium, quæ domus ad ſuſtentationem pauperum extructæ & deſtinatæ ſunt, diligens & fidelis quoque habeatur cura & ratio: ne ob negligentiam ipſorum Rectorum aut Procuratorum, harum ædium bona, res, jura & ſtructuræ pereant & collabantur, ac proventus in alios quam in pauperum uſus convertantur. Injungimus igitur viſitatoribus, præſentibus his literis Synodalibus, ut in locis noſtræ jurisdictioni ſubjectis, curioſam & fidelem ſuſcipiant inquiſitionem, ac operam dent, ut, juxta prædictam conſtitutionem, gubernatio & adminiſtratio, providis, idoneis, & boni teſtimonii viris (hæc enim ſunt ipſius conſtitutionis verba) committantur: qui ſciant, velint & valeant, bona eorum ac jura,

(g) Ad Phil. cap. 2. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.
(h) Malach. 3. Et vide Hieron. ſuper Malach. Proph.
(i) Deut. 25. Matth. 10. (k) 1. Cor. 9. Refertur 16. q. 1. c. Decimæ.
(l) In Clement. de Religioſis domibus, * Quia contingit.

jura, utiliter regere: & eorum proventus & reditus, in personarum usum miserabilium, fideliter, omni sinistra affectione remota, dispensare & erogare, & in quibus verisimilis præsumptio non existat, quod prædicta bona in alios, quam in pauperum usus convertant: & qui adinstar tutorum & curatorum, juramentum præstent, ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficiant, & ordinariis, seu aliis quibus subsunt, loca hujusmodi (vel deputandis ab eis) singulis annis, de administratione sua, rationem reddant. Volentes nihilominus, ut populus pro faciliore sustentatione pauperum, & conservatione religiosarum domorum, a Parochis, pro concione ad crebram contributionem admoneatur, excitetur & adhortetur.

De Dedicationibus Templorum.

CAPUT XXVIII.

ID quod de Feriis rite observandis jam diximus, idem & nunc de Templorum Dedicationibus, præsertim in tanta hominum perversitate, dicendum & constituendum est. Nam cum hæ solennitates (*m*) Dedicationum Ecclesiarum, singulis annis, maxime in eum finem celebrentur, partim, ut nos internæ Dedicationis, qua dediti & astricti sumus Deo, & spiritualia templa Dei effecti (templum (*n*) enim Dei sanctum est, quod estis vos, inquit Apostolus: (*o*) &, nescitis quia membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti?) admoneant: partim etiam, ut eorum Sanctorum, & Martyrum memoriam renovent, & exuscitent: in quorum laudem & honorem, & ad quorum memoriam conservandam, ac perpetuo in Ecclesiis retinendam Altaria vel Templa consecrata sunt, &c. Tum hoc tempore id potissimum a populo agendum, & in publica concione exigendum est, ut bonis & piis actionibus & operationibus, ita adornet thalamum & templum cordis sui, quo in hoc, quod in Baptismate & regenerationis lavacro Christo deditum, consecratum, & sanctificatum est, ipse una cum Patre & Spiritu Sancto ingrediatur, istic commoretur, quiescat, & in nobis permaneat: & ne (ut Augustinus pie admonet) in nobis ipsis inveniat, quod oculos suæ Majestatis offendat: sed ut habitaculum cordis nostri, evacuetur vitiis, & virtutibus repleatur: claudatur Diabolo, & aperiatur Christo. Ad hæc, ut Sanctorum exempla, quorum memoria colitur, quorumque facta & virtutes in Ecclesiis proponuntur, imitetur populus, vitaque ac moribus exprimat. Tunc enim sine dubio, secundum Augustini (*p*) sententiam, & ipsi intercedent pro nobis, quando in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscunt & perspiciunt. Quare comessationis, compotandique studium & frequentiam, aliaque prophana & Christianis indigna, & inconvenientia, ut mercatus publicos, tripudia, saltus impudicos, ludosque usurarios, & id genus alia, quibus Deus graviter, & offenditur, & irridetur, interdicimus: volentes, ut in transgressores, ob constitutionum Divinarum contemptum, idque juxta delicti qualitatem, severissime animadvertatur.

Quomodo super admissione Ordinandorum agendum.

CAPUT XXIX.

CUm facilis, [*q*] & perfunctoria Ordinandorum admissio & receptio, hactenus Ecclesias, non mediocri damno affecerit: videlicet, cum docti & indocti, boni & mali, probi & improbi, æque admissi, & ad ministeria Ecclesiastica pervenerint: volumus, & in hac nostra Synodo decernimus, ut curiosa, diligens, & fidelis, non solum eruditionis & doctrinæ, sed & morum ac vitæ examinatio & inquisitio fiat: ita, ut posthac ad suscipiendos sacros Ordines, & præsertim, quos vocant Majores, nemo admittatur (utcunque de fide, religione, & doctrina ordinandi, Vicario vel Examinatoribus probe constet) nisi ab ejus loci quoque Parocho & Magistratu, in quo vitam, majore ex parte transegerit, sufficiens, idque authenticum, & fide dignum testimonium, de vitæ ac mo-

(*m*) C. Solennitates. dist. 1. De consec.
(*n*) Paul. 1. Cor. 3.
(*o*) Paul. 1. Cor. 6.
(*p*) August. in Serm. 244. De temp.
(*q*) Illiteratos, c. Qui Ecclesiasticis disciplinis, per totum dist. 36.

morum honestate & integritate, secum adferat & exhibeat. Grave enim & periculosum est, eos absque publico testimonio, ad sacros recipere Ordines, qui improbitate vitæ ac morum, tandem in perniciem, scandalum, & detrimentum Ecclesiæ totiusque Ecclesiastici Ordinis, nihil non agunt & moliuntur. Præsentem autem constitutionem Synodalem, in nostra Diœcesi solum locum habere volumus: alios vero, qui extra Diœceses suas ordinantur, Canonicis Sanctionibus subjicimus: statuentes, ut secundum Canonum dispositionem, accurate & diligenter, exploratis omnibus personæ circumstantiis, explorentur & examinentur. Dabimus autem operam, ut a doctis & eruditis Theologis, optima examinis ratio & formula, juxta Diœcesis & Ecclesiæ nostræ formam, conscribatur, & conficiatur. Cæterum, quomodo cum his, qui ad sacros Ordines, & præsertim majores, promoveri cupiunt, absoluto jam examine, agendum, qua ratione in confessione explorandi & instruendi, ac quomodo de statu vitæ, conditione & qualitate inquirendi, demonstrabunt Canones. Brevitatis igitur causa Examinatores nostros, ad hos remittimus.

De pluralitate Beneficiorum, & præsertim Curatorum, deque eorundem collatione.

CAPUT XXX.

DE pluralitate Beneficiorum, juris Canonici dispositionem, Conciliique Tridentini Decreta, & sæpe dictæ reformationis piam & necessariam exhortationem observandas esse censemus. Cum enim hæc beneficiorum coacervatio, vetus & intolerabilis querela sit, & quæ ordinem Ecclesiasticum, non mediocri odio & invidia gravet: necesse est, ut oportuno remedio, tali occurratur & subveniatur malo: quo, causa, & studia plura coacervandi beneficia, a Clero tollantur. Id autem potissimum hac ratione fiet: ut tenuiores beneficiorum redditus & proventus, ita augeantur & locupletentur, ut possessores exinde commodam, & pro dignitate ac officii, aliisque circumstantiis exigentibus, sufficientem, liberalem & honestam sustentationem habere queant. Id autem secundum Collegiorum, Ecclesiarum, beneficiorumque qualitatem, annuorum proventuum rationem, ab Episcopis, Collegiis, ac Monasteriis commode fiet. Neque enim singulorum eadem ratio aut præscribi, aut esse poterit: sed ita provideatur unicuique, ne justa emolumenta desint, ipsique, plura ambiendi beneficia, causam non habeant. Statuentes insuper, cum non solum collegia, sed & curata beneficia, ob non mediocrem personarum defectum, quæ Ecclesiis, necessariis obsequiis inservire, Divinaque officia peragere coguntur, (r) ut Collatores & Patroni, in conferendis beneficiis, nihil nisi Ecclesiarum utilitatem considerent & perpendant: videlicet, ut ea talibus personis conferantur, quæ idoneæ sunt, & Ecclesiæ, actu inservire velint, cupiant & possint: vel temporis progressu, uberiore sacrarum literarum cognitione consecuta, debitas operas præstare conentur. In ejusmodi enim collationibus non sanguinis vinculum, non affinitatis cognatio, amicitiæ, familiaritatisque conjunctio, nec munerum oblatio locum habere debet: sed qualitas (s) personarum diligenter excutienda est, & perpendendum, an tales sint, quæ Ecclesiis præesse, inservire, Ecclesiasticaque officia, vel actu, vel indubitata spe, peragere valeant: Nam Ambrosio teste, inexpiabilis culpa venditi ministerii est: & vindicta gratiæ cœlestis, transibit in posteros. Adhæc, sacrilegium grave, & illi quoque committunt, qui etsi de bonis propriis, se sustentare commode & liberaliter possent, ac præter id, quod Ecclesiis inservire nec volunt, nec cupiunt, nec etiamsi velint, idonei & habiles sunt: tamen nihilominus Ecclesiastica beneficia ambiunt, ac illicitis modis, & inhonestis, ac de jure prohibitis pactis & conventionibus, in Ecclesiarum & Collegiorum detrimentum & perniciem, debita obsequia Collegiis subtrahendo, occupant ac retinent: & tanquam (t) ignavi fuci, & stupidi

(r) Greg. IX. ad Episc. Argent. c. Super inordinata. De Præb. & Dignit.
(s) C. Moyses. 8. q. 1. De Præb. & Dignit. c. Grave nimis.
(t) Dum tu ignavus negociator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare pote-

ſtupidi negociatores, denarium tenendo, aliis occaſionem & locum præripiunt, qui pecuniam & talentum a Domino traditum, duplici fœnore & uſura, ad Eccleſiæ honorem, & utilitatem locupletare & augmentare poterant. Nos igitur huic malo obviare cupientes, ne deinceps talia, & his etiam graviora a quovis committantur, decernimus & mandamus, ut tales ad veram beneficiorum poſſeſſionem, fructuumque perceptionem, non obſtante collatione facta, nullo modo admittantur: niſi diſcuſſa & plene examinata perſonæ qualitate, Vicarii in Spiritualibus, Examinatorumque noſtrorum authoritas, cenſura & approbatio accedat: volentes nihilominus, ut diſpoſitio Capituli: (Extirpandæ conſuetudinis vitium, extra de præbendis, & dignitatibus,) ratione Collatorum, & Patronorum, qui Parochialium Eccleſiarum proventus ſibi penitus vendicant, vix Presbyteris, pro eorum ſervitiis exiguam portionem relinquendo, ſtrictiſſime quoque obſervetur. Præſentem autem conſtitutionem Synodalem, præcipue locum habere volumus, in collationibus (u) beneficiorum curatorum, quorum ob varia Eccleſiarum pericula & damna in conferendo, major ſubinde, & exactior ratio habenda eſt: videlicet, ut curata, ſemotis indignis, non niſi idoneis, & qui jam actu, Eccleſiæ vel Parochiis deſervire & miniſtrare valeant, conferantur.

De Competentia Parochorum, deque perſonali eorundem reſidentia.

CAPUT XXXI.

Cum de (x) altari vivere debeat, juxta Pauli ſententiam, qui altari inſervit, omnisque (y) mercenarius dignus ſit ſua mercede, & in lege prohibitum, (z) ne os bovis triturantis ligetur: ſtatuimus, & ordinamus, ut nullis (a) obſtantibus locorum conſuetudinibus, pactis, & transactionibus, Parochis (ſive perpetui, ſive Vicarii ſint) competens, honeſta, juſta & ſufficiens vivendi portio de redditibus & cenſibus Parochiæ, adſignetur & tribuatur: ne ob penuriæ & victus neceſſitatem, Parochiales Eccleſiæ deſerantur, populusque Divinis officiis, concionibusque Divini verbi privetur, ac in locum bonorum, & doctorum Parochorum & Sacerdotum, circumforanei quidam, neque doctrina, neque moribus præclari, in Eccleſiarum ruinam, pietatisque ſubverſionem, & ſubditorum ſcandalum ac offenſionem recipiantur. Turpe enim eſt & abominabile, ob manifeſtam ambitionis ac avaritiæ cupiditatem, & ob paululum liberaliorem ſuſtentationem Parochorum, dimittere idoneos: & recipere, & conducere alios, quibus committatur grex Chriſti paſcendus, qui neque doctrina, neque vitæ exemplo, paſtorali functioni, & animarum curæ præeſſe poſſunt. Si qui igitur noſtræ Conſtitutioni Synodali obtemperare recuſaverint, hos ad ſufficientem & condignam competentiam Parochis contribuendam, per Officialem noſtrum, jure mediante, ſummarie tantum, & de plano inſtituto proceſſu adigendos & compellendos cenſemus & decernimus: Statuentes inſuper, ut & hi, qui vigore fundationis ac beneficiorum, ad perſonalem eorundem reſidentiam requiruntur, ad eandem quoque authoritate ordinaria compellantur, niſi legitimas, & rationabiles cauſas habeant & allegent: quas coram eodem Judice noſtro proponere, & ejusdem ſententiam deſuper expectare teneantur. Cæterum Paſtoribus quoque ac iis, qui curata beneficia habent vel impetrant ac conſequuntur, quive Eccleſiis curatis ipſi præeſſe nequeunt, vigore præſentis noſtræ conſtitutionis injungimus, ut fidelem gubernationem earundem, idoneis Vicariis ita committant, ut niſi juſtis & rationabilibus exiſtentibus cauſis, coram Vicario noſtro propo-

poterit, occupaſti. Quamobrem qui bene miniſtrat, bonum gradum ſibi acquirit, ita qui indigne ad calicem Domini accedit, reus erit Dominici corporis & ſanguinis.
(u) C. Quia nonnulli de Clericis non reſidentibus ext. c. 3. Decret. Synodi Tridentinæ.
(x) 1. Cor. 9. (y) Lucæ 10. (z) Deut. 25.
(a) C. Extirpandæ conſuetudinis. De Præb. & Dign. & c. 5. incip. Ordinarii locorum. Trident. Concilii.

proponendis, eos amovere non liceat: hac enim ratione, Parochiarum jura rectius & conservabuntur, & Ecclesiis subditorumque saluti, melius consuletur ac prospicietur.

De Electionibus & Collationibus Prælaturarum.

CAPUT XXXII.

EAdem quoque ratio observetur, (*b*) in electionibus, & dignitatum ac Prælaturarum collationibus: quæ non ex favore, non gratia, neque ex sinistro & cæco sanguinis affectu, aut oblatione munerum, vel ex innominatis, illicitis, ac symoniacis conventionibus & pactis fiant: sed ex judicio vero, syncero & recto proficiscantur: scilicet, ut is maxime eligatur, inque eum Ecclesiasticæ dignitates & Prælaturæ conferantur, qui cæteris doctior, & sanctior, inque omni virtutum genere præstantior sit: quique Ecclesiæ, doctrina, vitæ ac morum innocentia, integritate, & gravitate, rerumque experientia, plus cæteris inservire, & valeat, & possit. Nam si, (*c*) juxta leges, ad regimina & dignitates, non precium vel ambitio, sed probata vita provehere debet: cur igitur in administratione rerum spiritualium, idonearum personarum non æque ratio haberetur? Neque dubitandum est, sinistram hanc & corruptam eligendi rationem, conferendique Prælaturas in quosvis, qua in eligendis Ecclesiæ Gubernatoribus & Prælatis, Capitula utuntur, non minimam causam esse, tantorum in Ecclesia malorum & motuum. Danda igitur est opera, ut in electionibus, Deus & salus publica præ oculis habeatur, isque in Ecclesiæ Gubernatorem eligatur, ac iis Ecclesiarum Prælaturæ & dignitates committantur, qui doctrina, studio, authoritate, sapientia rerum, innocentia & consilio, Ecclesiæ, subditorumque saluti, rectius consulere & prospicere queant. Neque ignavis & stupidis, tanta Ecclesiarum munera & onera committenda sunt, qui nihil, nisi vel lucrum & turpem quæstum, vel otium, ac privatas vitæ commoditates, aut honorem sibi inde quærunt, ambiunt & appetunt. Statuentes, ne deinceps quisquam Prælaturam & dignitatem Ecclesiasticam assumat & recipiat, nisi a Nobis, vel a Vicario nostro in Spiritualibus, ratione ætatis, morum, doctrinæ, tituli, omniumque earum rerum & qualitatum, quæ ad administrationem & gubernationem prædictæ Prælaturæ necessario de jure vel alias requiruntur, rite exploratus, & examinatus fuerit. Cæterum, in electionibus eum modum & processum observandum decernimus, quem Concilium Basiliense salubriter ordinavit & constituit.

Clericis Sæcularibus, studiorum causa, de Beneficiorum fructibus & proventibus sufficientem sustentationem suppeditandam esse.

CAPUT XXXIII.

CUm Ecclesia, præsertim in tanto defectu, & exiguo Sacerdotum numero, opus habeat multis ministris: ordinamus & statuimus, ut Collegia, secundum Collegiorum facultates, aliquot adolescentes bonæ spei ac indolis, studiorum, & præsertim sacræ Theologiæ, quæ inprimis Ecclesiæ necessaria est, perdiscendæ causa, in publicis & probatis Academiis & Scholis, alant & foveant: quibus juxta Constitutionem Honorii tertii (*d*), integri beneficiorum proventus, exceptis quotidianis distributionibus, donec inchoatum studiorum cursum absolvant, dentur & porrigantur: hac tamen moderatione & limitatione adhibita, ut singulis finitis annis, Clerici, qui studiorum causa absunt, ab ipso Rectore, Academiæque Patribus, fide dignum testimonium, ipsius universitatis Sigillo communitum & corroboratum, Collegiis transmittant: quo, de eorum studio & profectu, ac vitæ conversatione & moribus Collegiis constet. Negligentibus enim, quive posthabito & semoto studio, ocio, aliisque inhonestis & illicitis rebus incumbunt, de Ecclesiæ bonis, & beneficiorum proventibus, nihil contribuendum cense-

(*b*) 8. q. 1. c. Quæ vos. c. Licet. & c. Sunt Ecclesiæ.
(*c*) L. fin. c. ad l. Jul. Repetundarum. Ad regimina & dignitates non precium vel ambitio, sed probata vita provehere debet.
(*d*) C. Licet vobis. De Præb. & Dignitatibus.

censemus: volentes nihilominus studiosis, de quorum profectu & eruditione Ecclesiæ bene sperandum sit, si necessitas ita requirat & postulet, uberiores sumptus, vel de quotidianis etiam distributionibus, vel aliis Collegiorum proventibus, secundum quod Collegiis opportunum, & necessarium videbitur, suppeditandos esse.

Idem quoque de adolescentibus, qui Sacris nondum initiati sunt, statuendum est: quibus pari ratione, de annuis Ecclesiarum & Collegiorum proventibus & redditibus, certa stipendia constituenda, & studiorum causa, porrigenda & administranda sunt. Nam cum hoc tempore, magna pars hominum, ab Ecclesiastico ordine abhorreat, ac rari sint, qui Ecclesiæ inservire velint & cupiant: danda erit opera, ut hac ratione periclitanti Ecclesiæ potissimum succurratur, liberalibusque stipendiis optimorum adolescentum ingenia ad studia provocentur, alliciantur, & excitentur: quo temporis progressu, studio, doctrina & eruditione, Ecclesiis vicissim inservire, & debita obsequia præstare possint: Nam his modis, contra futura pericula, & imminentes calamitates & persecutiones, maxime Ecclesiis consuletur & prospicietur: sicque conservabitur Collegiorum, & Ecclesiastici status dignitas, honor & æstimatio: populique reverentia, amor, studium, & benevolentia erga Clerum demerebitur. Decernentes insuper, si contingat quenquam, cui Ecclesiastica beneficia & stipendia, ad Ecclesiæ inserviendum collata, & studiorum causa suppeditata sunt, ex legitimis & rationabilibus causis, susceptum Ecclesiastici Ordinis munus, & inchoatum vitæ genus deserere, ut Collegio & Ecclesiæ, loco recepti beneficii, certam Ecclesiæ summam, ad quam fidejussoria cautione præstita, se adstringat, & obliget (nisi id ex liberali Collegii voluntate remittatur) restituere teneatur: ne Ecclesiæ penitus expositorum sumptuum damnum patiantur, ac sua liberalitate & benignitate defraudentur. Cum enim beneficium detur propter officium, grave & durum nimis foret, Ecclesiam, & sumptuum, & personarum, officiorumque jacturam facere.

De Simoniacis & usurariis.

CAPUT XXXIV.

Simoniacam (e) labem & usuras omni studio execramur & detestamur: quapropter cupimus ea vitia ab ordine Clericali alienissima esse: Statuentes, ut circa ea, & reformationis prælectæ dispositio, & sanctorum Patrum & Canonum Decreta & Sanctiones diligenter observentur. Quod si reperiantur ejusmodi vitiis & criminibus obnoxii & contaminati, in hos secundum juris scripti tenorem, ad pœnas per Fiscalem nostrum severissime procedetur.

De gratuita Sacramentorum administratione.

CAPUT XXXV.

Sacramenta & dona Dei gratis hominibus conferenda esse Christus præcipit: (f) Gratis, inquit, accepistis, gratis date. Et videmus abominabilem hanc avaritiam, & in veteri & novo (g) testamento horrendis pœnis graviter subinde vindicatam & punitam esse. Nota est historia (h) Helisæi Prophetæ, ubi propter accepta munera Giezi, lepra a Propheta percutiebatur. Naaman autem sanitatis gratiam consequebatur: & Simon Magus acerbissime a Petro objurgatur, (i) quod pecunias obtulerit pro consequenda potestate, ut per ejus manus impositionem homines Spiritum Sanctum consequerentur, inquiens: pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam Dei donum existimasti pecuniis parari: non est tibi pars, neque sors in ratione hac: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Et ex Evangelio (k) cognoscimus, quanto Zelo ex Templo ementes & vendentes

(e) C. Episc. Quoniam omnes hujus sæculi. 47. dist. & Sicut. Et c. Non licet. 46. dist, c. 1. q. 1. & cap. Clerici ab indignis. & c. Si quis oblitus. 14. q. 4.

(f) Matth. 10. (g) Actor. 8. (h) 2. Reg. 5.

(i) Basil. Magn. ad Episc. curæ suæ commissos, ne pecuniæ gratia manus cuiquam imponant. Ep. 76.

(k) Matth. 11. Johan. 2.

dentes Christus ejecerit & expulerit: Significans in domo Dei, in qua Spiritus Sancti gratia diffunditur, & hominibus gratis distribuitur, negotiationibus & mercimoniis non esse locum. Curandum igitur est, ut talibus exemplis & comminationibus sacræ Scripturæ admoniti Sacerdotes, lepram Simoniacæ contagionis evitent: & maculam hanc, Sacerdotali ordini nocentem & periculosam abstergant: nihilque pro Sacramentorum administratione ac Dei donis, mercedis loco postulent, exigant & recipiant: nisi quod ultro & voluntarie ab hominibus, sustentationis ergo, offertur & datur: considerantes, secundum Ambrosii (*l*) verba, & Prophetæ exemplum: Turpem mercedem, cito secuturam lepram, & pecuniam male quæsitam, & corpus & animam maculare: & facto authoris, successionem hæredis damnari: & vindictam gratiæ cœlestis, ob culpam venditi ministerii transituram in posteros. Mandamus igitur, ut Parochi & Sacerdotes, a tanta impietate abstineant: alioqui secundum Canonum dispositionem, in delinquentes graviter animadversuri.

De Hæreticis & Schismaticis.

CAPUT XXXVI.

DE Hæreticis vero, Schismaticis, & Apostatis, præterquam quod dispositioni juris communis, eos relinquimus, in hac nostra Diœcesana Synodo nihil decernere & constituere possumus: maxime, cum præsens Schisma, ferme totam nostram Diœcesim invaserit, & Ecclesias hinc inde misere contaminaverit & infecerit. Quare ejus rei tractationem & excussionem, ad Concilium Provinciale rejiciemus ac remittemus: ipsius Metropolitani, aliorumque Comprovincialium expectando judicium: interim tamen omnes, qui a Catholicæ Ecclesiæ unitate defecerunt, in Domino Jesu Christo, Redemptore nostro, fideliter adhortamur, ut abjecta hæresi & schismate, ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ, quod redeuntibus nunquam clausum est, redeant: & cum sancto Augustino (*m*) sentiant & judicent, omnem, qui ab Ecclesia Catholica separatus fuerit, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere (quod a Christi unitate disjunctus & divulsus sit) non habere vitam, sed iram Dei manere super eum: adhæc, juxta ejusdem, aliorumque Patrum sententiam, eorum sacrificia, eleemosynas eorum, & vota abominabilia esse in conspectu Dei: sic enim idem inquit Augustinus: (*n*) Extra Catholicam Ecclesiam non esse locum veri sacrificii: non quod non sint, aut Sacramenta tractentur, & porrigantur (præsertim, si ea forma & intentione faciendi utantur, qua Ecclesia) sed quod deficientibus ab unitate Ecclesiæ, quæ Christus est, nihil prosint. Et Hieronymus in Amos Prophetam: odio prosequi, (*o*) & a se projicere Deum, imo tanquam fœtorem detestari hæreticorum sacrificia, ait: Omne quod fecerint, inquit in Haggeum Prophetam, quod mihi obtulerint, vel vota, pro salute, vel pacifica, pro peccato, vel holocausta vel eleemosynas: sive jejunia, vel corporis castitatem, contaminata erunt in conspectu meo. Quamvis enim sancta videantur specie sui, quæ offeruntur: tamen quia tractata sunt ab illo, qui pollutus est in anima, polluuntur omnia. Et alibi Augustinus: (*p*) Homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque Baptismum, neque Eleemosynam, quantumlibet copiosam, neque mortem pro nomine Christi susceptam, etiamsi æterno supplicio puniretur, aut vivus concremaretur, proficere posse ad salutem. Et Cyprianus Martyr (*q*), extra Ecclesiam non esse salutem manifeste asserit: Et in Tractatu, De simplicitate Prælatorum ait: illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur: adulterari non potest Sponsa Christi: incorrupta est & pudica: unam domum novit: unius cubiculi sanctitatem, casto pudore custodit: hæc nos Deo servat: hæc filios, regno, quos generavit, assignat: quisquis ab Ecclesia segregatus, adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur: nec pertinet ad Christi præmia

(*l*) Ambros. de Myst. & refertur c. Cito turpem. 1. q. 1. a.
(*m*) August. Epist. 152. & habetur c. Si quis. 23. q. 4.
(*n*) 1. q. 1. c. Sicut. c. Dedit.
(*o*) C. Sicut & odit Deus. 1. q. 1. & c. Maled.
(*p*) August. De Fide Cathol. Epist. cciv. ad Do.
(*q*) Cyprian. de Hæret. Bapt.

mia, qui relinquit Ecclesiam Christi: alienus est, prophanus est, hostis est: habere jam Deum Patrem non potest, qui Ecclesiam non habet matrem: si potuit evadere, qui extra Arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet: Monet Dominus & dicit: (r) qui non est mecum, adversus me est, & qui non mecum colligit, spargit. Qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversus Christum facit: qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit: Dicit Dominus: Ego & Pater unum sumus: & iterum de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto scriptum est: (s) Et hi tres unum sunt: Et quisquam credit hanc unitatem de Divina firmitate venientem, Sacramentis cœlestibus cohærentem, scindi in Ecclesia posse, & voluntatum colludentium divortio separari? Hanc unitatem, qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filii fidem: vitam non tenet, & salutem: & reliqua. Quæ præclara & insignia testimonia ideo prolixius recitamus, ut tantorum virorum & martyris authoritatibus & comminationibus, quæ apud pios non leves esse debent, admoneantur hæretici & schismatici: ut tandem ad veram Catholicæ Ecclesiæ unitatem redeant, & convertantur. Ad quod quidem facilius consequendum proderit, si non inhumaniter, non acerbe, neque aspere, ac severe & crudeliter tractentur: sed tanquam soliciti de eorum salute, pie & fideliter exhortentur, ut ad cor redeant, & in viam veritatis Catholicæ revertantur: his enim charitatis dilectionisque Christianæ officiis, continuis ad Deum precibus, flagrantibus cordis gemitibus, ac syncera, Ecclesiæ, Ecclesiasticique Ordinis emendatione & correctione suscepta, sæpe plus efficietur, ac deficientium animi mitigabuntur, persecutionesque & calamitates, a domo Dei auferentur, quam contentiosis & infrugiferis disputationibus & conflictationibus, scribendique amarulentia: Cum non sine arcano Dei consilio, hæc præsentium temporum mala eveniant & infligantur: sed ideo permittantur hæreticorum persecutiones, Cypriano teste, ut in vinea Domini vigilantiores reddantur Pastores, nosque nostri officii subinde admoneamur.

De Sortilegiis.

CAPUT XXXVII.

SOrtilegia, Divinationes, incantationes, superstitiones, præstigias, variasque dæmonum illusiones, alioqui de jure (t) prohibitas, nemini exercere permittimus. Quare ut ejusmodi impiæ & diabolicæ operationes in nostra Diœcesi vitentur & omittantur: statuimus & mandamus, ut ab Archi-Presbyteris super ea re diligens & crebra fiat inquisitio. Quod si qui deprehendantur, ii per Fiscalem nostrum, ad debitam & competentem purgationem, juxta juris dispositionem, compellantur: & convicti, aut infamia notentur, aut si admoniti in impietate perseveraverint, beneficiis & honoribus priventur: vel pro pœnitentia agenda, ad tempus, in Monasterium arctum detrudantur, prout, secundum delicti perpetrati qualitatem Vicario nostro in Spiritualibus videbitur convenire. Laicos vero pœnis a jure (u) civili promulgatis subjicimus.

Ne Laici concionandi munus suscipiant & exequantur.

CAPUT XXXVIII.

ET cum Laici hactenus propria temeritate, & inani vocationis (x) prætextu, prædicandi officium usurpaverint, & adhuc in multis locis nostræ Diœcesis usurpent, ac sub specie verbi Dei, varios errores disseminent, populumque misere seducant: volumus, & hac nostra Synodali constitutione præcipimus & mandamus, ne deinceps laici, cujuscunque conditionis, status & doctrinæ sint, contra juris dispositionem & authoritatem, verbum Dei, vel publice, vel in privatis conventiculis, deprædicare quovis modo præsumant. Quod si qui ab hac prædicandi & concionandi temeritate non abstinuerint, horum temeritatem, juris, aliisque remediis, prout circumstantiarum ratione, quovis tempore necesse, & oportunum videbitur, coercendam decerni-

(r) Matth. 12. (s) Johan. 10. (t) C. Non oportet junctis aliis 26. q. 5.
(u) L. Nullius. L. Nemo. C. De male. & Matth.
(x) C. Cum ex injuncto. c. Sicut de hæreticis.

cernimus: inhibentes nihilominus, ne sub religionis, ac docendi verbi Dei prætextu, in locis nostræ jurisdictioni subjectis, vel publica, vel privata, & occulta, quæ alias de jure prohibita sunt, celebrentur & peragantur, conventicula.

Ne Laici, Canonicorum Capitulis & Collegiis, eorumve negotiis & tractatibus intersint.

CAPUT XXXIX.

ET cum Laici in numero Canonicorum & Cleri computari non debeant: neque (y) laicorum sit, ea occupare & detinere, quæ Clericis, ratione Divinorum officiorum peragendorum, competunt: decernimus, ut ab ejusmodi, tanquam illicitis, abstineant: & in locum talium hi recipiantur, qui Collegiis, & Clericalibus Conventibus, ordinis & officii ratione, interesse debent & possunt. Quod si qui amoveri noluerint, in hos tanquam illegitimos & violentos occupatores, digna, vel juris animadversione, vel aliis ordinariis mediis animadvertemus.

De Libris Ecclesiarum revidendis, & repurgandis.

CAPUT XL.

ET quia sæpedicta reformationis formula Ordinariis injungit, ut BREVIARIA Sacerdotum, LIBRI MISSALES, ANTIPHONARIA & AGENDÆ, cæteraque, quæ ad Divinum cultum, in Ecclesiis & Templis necessaria sunt, repurgentur; quapropter id negotii, piis aliquot & eruditis Viris committemus, qui omnium earum rerum, commodam & necessariam reformationem, & repurgationem, in quantum tamen Nobis authoritate Ordinaria conceditur & permittitur, suscipiant.

De Professoribus Sacræ Theologiæ conducendis.

CAPUT XLI.

INjungimus quoque Ecclesiarum (z) Collegiis, & præsertim opulentioribus, ut juxta piam & necessariam Reformationis admonitionem, Theologos conducant, qui sacram Scripturam Canonicis, Sacerdotibus & Clero profiteantur. Neque enim arbitretur Clerus se suo perfunctum officio, si quotidie ex more, rite Divina peregerit: reliqua temporis pars, sacrarum literarum studio, & spiritualium rerum meditationi tribuenda est. Ama Scripturas sanctas, inquit Hieronymus; & amabit te sapientia: dilige eam, & servabit te: honora illam, & amplexabitur te: hæc monilia in pectore & in auribus Sacerdotum hæreant, Neque dubium est hac ratione, turpi sublato ocio, Clerum & præsertim juniorem, discendi occasione nacta, eo melius in ordinem redigi posse. Cæterum Professoribus secundum Collegiorum facultates, de annuis proventibus, vel fructibus, & redditibus unius præbendæ, certa & sufficientia stipendia assignentur.

De Scholis.

CAPUT XLII.

CUmque etiam officii nostri sit, diligenter prospicere, ut optima educandæ & instituendæ juventutis (quæ Ecclesiarum & rerum publicarum seminarium est) ratio habeatur ac secundum Eugenii Papæ (a) Decretum, Magistri & Doctores constituantur, qui studia literarum, liberaliumque artium doctrinam assidue doceant, & fideliter juventutem informent ac instituant: & cum singula ferme Collegia, juxta veterem Ecclesiarum morem annexas habuerint scholas (quæ ob introductam religionis innovationem interierunt) tum Visitatoribus nostris & hanc rem committemus: deliberabimusque, quomodo in Diœcesi nostra, aliisque oppidis & vicis, Scholæ ad Christianam, piam & synceram juventutis institutionem adornentur & restaurentur. Curandum autem inprimis est, ut juventus talibus Præceptoribus & Pædagogis tradatur, qui juventuti, eruditione, honestate vitæ ac morum, fideliter præsint. Neque enim Scholastica cura temere omnibus committenda est: nisi prius de religione, fide, doctrina ac vitæ, morumque integritate & synceritate ipsorum Præceptorum, Præfectis Scholæ, seu locorum Magistratibus probe

(y) C. In Ecclesia. De instit. ext.

(a) 37. dist. c. De quibusdam.

(z) C. 1. c. Cum nonnullis. De Magist.

probe conſtet. Nam talis plerumque fit juventus, quales fuerint hi, quibus a teneris, & a primis incunabulis ad formandum & inſtituendum tradita & commiſſa eſt: & ſane primæ educationi facile reſpondet reliquus vitæ curſus: & quod ſemel imbibitum eſt, ita retinet odorem, & altas in juvenilibus pectoribus radices agit, ut amplius difficulter eximi queat. Ut enim aqua in areola digitum ſequitur præcedentem: ita ætas mollis & tenera in utramque partem flexibilis eſt, & quocunque duxeris, trahitur: teſte Hieronymo (b): quare danda eſt opera, ut in Pædagogis & Præceptoribus hæc omnia prius diligenter inquirantur & explorentur: & præſertim num ſchismatici ſint, num ſectis adhæreant: an vero Catholicam & orthodoxam religionem profiteantur, & docendo & inſtituendo ſequantur. Niſi enim hæc inquirendi ratio ineatur, neque Eccleſiæ neque Reſpublicæ a præſentibus calamitatibus, diſſenſionibus, & controverſiis Eccleſiaſticis, factionibus & inteſtinis motibus & turbis unquam liberabuntur, & pacabuntur. Præcipimus igitur & mandamus, nulli deinceps ſcholaſticum munus & curam juventutis formandæ, committendam eſſe in noſtra Diœceſi, niſi prius præmiſſo examine, approbationem & teſtimonium fide dignum a Vicario noſtro in Spiritualibus obtineat: quod tenebitur Magiſtratui ejus loci, vel ſcholæ Præfectis exhibere, in quo ſcholaſticam functionem ſuſcipere conatur. Cæterum, optimam inſtituendæ juventutis rationem tradunt tum Græci, tum latini Scriptores: quare ad hos brevitatis cauſa, Præceptores & Pædagogos remittimus. Volentes tamen, ut in expolienda lingua, & oratione & ſermonis cultu, præcipue & inprimis rerum ratio habeatur: ne, videlicet neglecta rerum cognitione, quæ virtus, robur & nervi orationis ſunt, adoleſcentum & juvenum ſtudia, in theatralem & fucatam quandam eloquentiæ & facundiæ oſtentationem abeant & deveniant: cujus in rebus ſeriis tractandis nullus uſus ſit, vel eſſe queat. Quare inſtituendo juventutem, ita eloquentiæ & Philoſophiæ conjungenda ſunt ſtudia, ut neutrum alterum deſerat: ſed complicatis manibus, progreſſum parem & æqualem faciant: idque non ſolum in gravioribus Scriptoribus explicandis obſervetur, ſed etiam in puerilibus ſtudiis, ac Poetis & Oratoribus, aliiſque id genus Authoribus interpretandis. Certum enim eſt, prudentes & ſapientes Scriptores, ſemper voluiſſe ea conjungere juxta Horatii verſiculos: Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poetæ: Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ: Et, Omne tulit punctum, qui miſcuit utile, dulci: Lectorem delectando pariterque monendo. Et timendum eſt hanc ſtudiorum ſeparationem, neglectum & contemptum rerum, eorumque ſcriptorum, qui eloquentiæ ſtudia, poſthabita rerum cognitione, præferunt, magnam ruinam Eccleſiis, rebuſque publicis, temporis progreſſu, parituram. Quantum enim a Philoſophiæ, aliarumque Artium & Facultatum ſtudiis, quibus rerum cognitio maxime ineſt, fucatum eloquentiæ ſtudium (quod tamen, ſi cum judicio & moderate fiat, nullo pacto improbandum eſt) avocaverit; declarant nonnullarum Scholarum in Germania parum fœlices proventus. Adnitendum igitur eſt Pædagogis & Præceptoribus, ne, ut ſupra dictum, hæc ſtudia ſeparentur, & in formanda juventute, negligantur. Tum enim fœliciter proficient, tum in utilitatem & Eccleſiarum & rerumpublicarum redundabunt adoleſcentum ſtudia, cum eloquentia rebus, ac res eloquentiæ deſervient, mutuamque operam locabunt. Adhæc, curandum eſt, ut in proponendis authoribus delectus habeatur: ne videlicet tales proponantur, qui & pietati, & innocentiæ juvenili, caſtiſque adoleſcentum moribus officiant: quive non tam ad humanitatem, manſuetudinis officia, comitatem, lenitatem, pietatem, & ad ſedandos & corrigendos animorum affectus & motus, denique ad totius naturæ, omniumque rerum moderationem, & æquabilitatem amplexandam faciunt & idonei ſunt, quam ut ingenia, natura vehementia & ardentia, animoſque feroces, agreſtes, impotentes, & culturam deſiderantes, atque ad innovandarum rerum ſtatum pronos & propenſos, & ad humanitatis obſequia præſtanda difficiles, magis inflamment & excitent, & faſtum ac contemptum

Prin-

(b) Hieron. ad Gauden. de Pacatulæ infantulæ educatione.

Principum & Magiſtratuum, communiumque morum pariant. Hinc eſt, quod quidam in formandis adoleſcentum ingeniis, magis Tragicis, quam Comicis delectantur ſcriptoribus: alii vero in Scholis citius retinere & juventuti proponere malunt Marullos & Propertios, quam Poetas caſtos & verecundos, & in quibus ſive pietatis caſtimoniam, ſive eruditionem, argumentum, elocutionem, & carminis elegantiam quis perpendat, nihil alioqui deſideretur. Cavendum item, ne ingenia adoleſcentum ad diſſidia, ad factiones, & ſtudia partium, ad contentionem & æmulationem, præſertim publicarum controverſiarum & negotiorum inſtigentur & inflammentur: Sed ſi ingenii, ſtylique exercendi cauſa argumenta proponenda ſunt, deſumantur hæc non e foro, non de Cathedra, non ex publicis privatisque rerum conſultationibus, neque in odium, ignominiam & infamiam aliorum, vel in contemptum publicarum functionum, Principum & ſupremæ poteſtatis, cui ſumma rerum commiſſa & tradita eſt: Neque etiam in pulveribus Scholæ, maligne & ſeditioſe excutiantur, diſputentur, & interpretentur facta & conſilia Superiorum & Magiſtratuum: ſed foro, ſuisque locis hæc diſcutienda relinquantur: & ex hiſtoriis veterum præſcribantur juventuti argumenta, quorum tractatio & jucunda eſt, & propter hiſtoriæ cognitionem, utilis: nihilque periculi adferet, nec ſinceros adoleſcentum animos contaminabit, nec a publica honeſtate ſiniſtris conceptis opinionibus, avertet.

Libros juxta Pragmaticam Sanctionem & Conſtitutionem Imperii, vendendos & diſtrahendos eſſe.

CAPUT XLIII.

CÆterum, quia libertas ſcribendi, imprimendi, & indifferenter divulgandi omnia, Eccleſiarum & rerumpublicarum ſtatum, non mediocri damno afflixit: utile omnino foret, ſecundum Galeni (*c*) conſilium, cœtum quendam eſſe virorum juſtorum ſimul & doctorum, qui recentia ſcripta & opera, antequam in lucem prodirent, examinarent, & bona, editioni publicæ committerent: vitioſa autem abolerent, & penitus extinguerent. Veriſſimum enim eſt, quod idem in eodem loco inquit: Hanc ſcribendi libertatem, cum omnibus ſcribere licitum ſit, & quibuslibet etiam vulgaribus judicium permittatur: cauſam eſſe, cur apud multitudinem non boni recteque ſentientes; ſed audaciſſimi quique in precio ſint. Quapropter decernimus, & vigore Pragmaticæ conſtitutionis & Imperatoriæ Commiſſionis mandamus, ut in noſtra Diœceſi, deinceps nulli imprimantur, vendantur & diſtrahantur libri, niſi ipſius authoris & loci nomen & cognomen ſcriptum ipſum exprimat: eaque ſtricte a Typographis obſerventur, quæ Imperialis ſanctio latius circa librorum publicationem diſponit, & ordinat: volentes, ut in authores ſeditioſorum & famoſorum libellorum ac picturarum, quibus Germania quodammodo referta eſt, publica animadverſione, negocii qualitate ſic exigente, animadvertatur.

De non alienandis rebus Eccleſiæ vel Monaſteriorum.

CAPUT XLIV.

INterdicimus inſuper & prohibemus, (*d*) ne Prælati, Abbates, aliique Eccleſiarnm & Monaſteriorum Adminiſtratores, res Eccleſiaſticas, Monaſteriorumque bona, absque noſtro, tanquam Ordinarii, aliorumve Superiorum, quorum authoritas & conſenſus de jure vel conſuetudine requiritur, voluntate & conſenſu alienent & vendant. Quod ſi ejusmodi alienationes, niſi de evidenti Eccleſiarum & Monaſteriorum utilitate certo conſtet, deinceps fiant: has, tanquam de jure nullas, hac noſtra Synodali conſtitutione reſcindimus & annullamus: volentes, ut a Viſitatoribus noſtris diligens & accurata deſuper fiat inquiſitio & examinatio: ne Eccleſiæ & Monaſteria, ſuis bonis ſubdole & fraudulenter, fucato & inani bonæ adminiſtrationis prætextu, defraudentur & decipiantur.

De

(*c*) Galen. in lib. contra Julian.

(*d*) Toto titulo de rebus Eccleſiæ non alienandis.

De conſervandis Eccleſiarum & Collegiorum bonis, juribus, ædificiorumque ſtructuris.

CAPUT XLV.

ADhæc injungimus omnibus beneficiorum, & præſertim Curatorum poſſeſſoribus, ut domos, prædia, fundosque dotales, dummodo id neceſſitas requirat, vel reſtaurent, vel in bona cultura retineant & conſervent: Eos vero, qui in detrimentum Eccleſiarum, negligentes extiterint, per ſubtractionem & ſuſpenſionem fructuum, ad collapſa reſtauranda, per Vicarium vel Officialem noſtrum, compellendos eſſe decernimus: quam quidem ſalubrem & Collegiis neceſſariam conſtitutionem, quoque locum habere volumus, in conſervandis Eccleſiarum juribus, & redditibus, cenſibus, regiſtris, ornamentis, & bonis tam mobilibus, quam immobilibus: ne per negligentiam & incuriam poſſeſſorum & Capituli, pereant, Collegiaque irrecuperabilia damna patiantur: ſtatuentes, ut ſingulis annis ab ipſorum Collegiorum Procuratoribus diligenter & fideliter rationes acceptentur, omniaque Collegiorum jura in certum librum conſcribantur & annotentur, inque convenientem ordinem ac formam redigantur: ne exigente neceſſitate, ſemper ad originales cenſuum literas, tabulas & inſtrumenta, quæ ſolicite adſervanda & cuſtodienda ſunt, recurrendum ſit. Eandem curam & ſolicitudinem quoque ab Archipresbyteris in Capitulis ruralibus, tempore convocationis requirentes: interim Eccleſiarum Parochis, beneficiorumque poſſeſſoribus, authenticis copiis, pro defenſione & conſervatione eorundem jurium communicatis. Cæterum diligentem & fidelem rationem & formam conſervandorum jurium & monumentorum uniuscujusque Eccleſiæ arbitrio & diſpoſitioni permittimus.

De Nuptiis non celebrandis tempore ab Eccleſia interdicto.

CAPUT XLVI.

CUm prohibitis, & ab Eccleſia interdictis temporibus frequenter & ſubinde matrimonia contrahantur, ac nuptiæ celebrentur: idque ſæpe nulla exigente neceſſitate, ſed ſaltem in Eccleſiaſticæ conſtitutionis & conſuetudinis contemptum, & piarum mentium ſcandalum & offenſionem: eapropter id deinceps permittere nolentes, decernimus, ut a Parochis interdicta tempora diligenter obſerventur, contrahentesque a nuptiarum celebratione & inthroniſatione, ut vocant, arceantur & prohibeantur: niſi a Vicario noſtro indultum obtineant: quod tamen contrahentibus non facile, ſed evidente neceſſitate exigente & poſtulante, indulgeri & permitti debet. Et cum conſuetæ & publicæ proclamationes non raro omittantur: ex qua re tandem cognitis impedimentis, varia contrahentium pericula, lites & controverſiæ ſuboriuntur: eapropter & hanc intermiſſionem & temeritatem, hac noſtra Synodali conſtitutione coercendam & tollendam eſſe duximus: decernentes, neminem deinceps, niſi debitis, & de jure conſtitutis proclamationibus expeditis, perſonisque contrahentium ſpeciatim, ne legitimum impedimentum ſubſit, in Eccleſia publice proclamatis & denuntiatis, in Eccleſiam intromittendum & inthroniſandum eſſe: prohibendo quoque, ne clandeſtina matrimonia deinceps in noſtra Diœceſi, quibus Sacerdotes & Parochi, contra expreſſam Canonum diſpoſitionem nonnunquam interſunt, contrahantur: ſed ut conſtitutio Capituli finalis de clandeſtina deſponſatione diligenter obſervetur: quam adſcribendam eſſe duximus, ut ejus diſpoſitio omnibus innoteſcat, cognita & perſpecta ſit.

Cum inhibitio copulæ conjugalis, &c.
Vide ſupra pag. 333. ubi Conſtitutio hæc integra refertur.

Et quanquam Matrimonia ſine conſenſu parentum contracta, reſcindi non debeant (hæc enim ex libero contrahentium conſenſu, per verba de præſenti conſtant, & dependent: utcunque authoritas & parentum voluntas non interveniat) tamen cum honeſtum & naturæ conſentaneum ſit, pietatemque liberorum deceat, reverentiam & honorem, quem ob educationis onera parentibus debemus, ipſisque æquitate qua-

dam naturali astringimur, & ad hoc obligati sumus, eorum requirere authoritatem, consensum, & consilia: tum Parochos diligenter admonemus, ut populum ac juventutem crebro admoneant, ne pietate & affectione naturæ abjecta, in contrahendo matrimonio, parentum authoritatem vel excludant, vel contemnant: sed horum, a quibus in hanc lucem procreati, alti & educati sunt, in contrahendo, seseque indissolubili vinculo, ac vitæ nexui adstringendo, consilio & opera quoque utantur. Soliciti item sint Parochi, ne quosvis, aut ignotos ad contrahenda matrimonia admittant: sed diligenter exploratis contrahentium circumstantiis, literas testimoniales ab ejus loci Parocho, in quo vixerunt, exigant & requirant, ut vel hac cautela contrahentium temeritas, qui in contrahendo, variis imposturis & circumventionibus utuntur, refrenetur: volentes insuper, ne ad tanti Sacramenti scandalum & contumeliam, inhonestæ & turpes virorum & mulierum cohabitationes, inter quos ob canonica impedimenta, matrimonium subsistere nequit, ferantur: sed ut tollantur & prohibeantur: utque deinceps a prophanis, ineptis, ludicris & spectaculis, vel inconsuetis instrumentis musicis, item sponsi capillos vellicando, aliisque ridiculis & depravatis moribus & ritibus abstineatur: sed potius, ut summa animorum gravitate, & Christiana modestia sese huic vitæ generi mancipent, quod ex sua benignitate Deus ad nostram salutem instituit & benedixit, (e) ut thorus immaculatus, & honorabile in omnibus conjugium esset. Cæterum, nuptialia convivia, sumptus & apparatus, convivarumque hilaritates, ac consuetæ choreæ & saltationes, ea moderatione temperentur, ne Christiana sobrietas, honestas, & modestia lædatur, aliique judicent & arbitrentur, non Christianorum, non Catholicorum, sed gentium & infidelium, imo insanientium, qui Deum ignorent, congregationes & conventus esse: ne a tam sancta conjunctione statim abigatur & excludatur Christus, cujus benedictionem pro templi foribus vix jam recepimus.

(e) Hebr. 13. cap.

De Testamentis & ultimis voluntatibus, earundemque ordinationibus & legatis.

CAPUT XLVII.

QUanquam autem non solum Clericorum, sed etiam laicorum testamenta & ultimæ voluntates ac dispositiones, sancte ac fideliter, & præsertim, quæ pro salute animarum, ad pios usus destinata & legata sunt, observandæ & custodiendæ sint: neque permittendum, ut aut infringantur, aut in alios usus, præter ipsius testatoris voluntatem & dispositionem convertantur: tamen cum a testamentariis, ejusmodi testamenta, ac defunctorum voluntates sæpe negligenter exequantur: volumus, & vigore præsentis constitutionis mandamus, ut scripti vel nominati testamentarii, rite confecto inventario, juribusque hæreditariis, a Notario publico conscriptis, adhibitis testibus fide dignis, infra debitum tempus, defuncti voluntatem & dispositionem, fideliter exequantur; nobisque, seu Vicario nostro in Spiritualibus rationem, executionisque informationem sufficientem reddant: ex quibus de dictorum Testamentariorum fide ac diligentia, defunctique voluntatis executione certi & securi efficiamur. Quod si qui negligentes extiterint: hos secundum negligentiæ, vel ipsius delicti qualitatem puniendos & plectendos esse per Vicarium nostrum decernimus. Cæterum cum a Collegiis nostræ Diœcesis ex testamentis & ordinationibus defunctorum, ad augendos locupletandosque census & redditus annuos, subinde varia legata recipiantur: ex quo fit, ut suffragiorum, exequendorumque legatorum cumulus & pluralitas non solum in immensum crescat, sed etiam, ut minus conveniente tempore, in templis ea exequantur & absolvantur: statuimus, ut in acceptandis ejusmodi legatis, ea utantur moderatione & judicio Collegia, ne Divina & ordinaria officia, aliique necessarii & publici Ecclesiæ actus, ob peractionem eorundem legatorum vel suffragiorum, remorentur & suspendantur: sed loci, temporis, Festorum solennium, aliarumque circumstantiarum,

rum, diligens obſervetur ratio & decorum: ne videlicet die Paſchæ, ob privati hominis ſuperſtitioſam aut ridiculam devotionem, cantilenam, ſeu Antiphonam minus convenientem, utpote pro defunctis, vel ejusmodi ſimilem, publice chorus Sacerdotum decantare vel peragere cogatur.

De non violandis Christianorum ſepulchris vel ſepulturis.

CAPUT XLVIII.

PLus quam Scythica immanitas & barbaries eſt, violare ſepulchra & monumenta Chriſtianorum & defunctorum, quorum ſepulturas etiam apud Ethnicos, ſub graviſſimis pœnis violare non licebat. Et ſane durum & inhumanum eſt, oſſuaria & monumenta, vel etiam funerali terræ impoſitos lapides, & inciſa epitaphia, quæ memoriæ conſervandæ cauſa extructa ſunt, demoliri, & in alios, & plane prophanos uſus convertere: cum a defunctis, vel eorum hæredibus, locus ſepulturæ publicæ, quodammodo jure legitimi contractus ſæpe emptus, & ad funeralem uſum extructus, & adornatus ſit. Quare non ſolum improbanda & deteſtanda, ſed publica authoritate legum, temeritas & impietas eorum coercenda eſt, qui ſepulturis, cineribus & oſſibus defunctorum, qui (teſte ſcriptura) Templa & Spiritus Sancti habitacula fuerunt, tantam injuriam inferunt. Pro concionibus igitur diligenter a Parochis & verbi miniſtris admonendi ſunt Chriſtiani & univerſus populus, ut a tanta impietate abſtineant, & Chriſtianorum ac defunctorum, tanquam confratrum noſtrorum, ſepulturas pie & religioſe conſervent.

A Collegiis & Monaſteriis Bibliothecas conſervandas & augmentandas.

CAPUT XLIX.

ADhæc ordinamus, ut (Auguſtini (*f*) exemplo) apud Eccleſias, & præſertim Collegiatas, Bibliothecæ non ſolum, conſtituantur, aut, ſi quæ ſunt, adſerventur, ſummaque cura ac fide cuſtodiantur: ſed etiam, ut coemptis præſentis ſæculi utilibus, & neceſſariis ſcriptis & lucubrationibus augeantur & locupletentur. Si enim tabulæ, libri rationum, aliaque inſtrumenta publica conſervandorum cenſuum & jurium anxie cuſtodiuntur, cur non ad poſteritatis, Eccleſiarumque utilitatem, Bibliothecæ, omnis eruditionis & doctrinæ nobiliſſimi & certiſſimi theſauri, a Collegiis quoque conſervarentur? Quare & hanc Bibliothecarum conſtituendarum, vel conſervandarum curam a Collegiis & opulentioribus etiam Monaſteriis requirimus: volentes, ut ejusmodi officium, talibus perſonis, certis ad id conſtitutis ſtipendiis, committatur, qui judicio, doctrina, rerumque experientia polleant: & qui non ſolum de communibus Collegiorum ſumptibus Codices emant, cunctaque in convenientem ordinem redigant, & libros a pulveribus, tineis, blattis, ſitu & ſquallore prohibeant: ſed qui nomenclaturam rerum, præſentiumque temporum fidelem, remoto omni ſiniſtro ſcribendi affectu, hiſtoriam, cum diligenti cauſarum recitatione, & explicatione, ex quibus bella, ingentes motus, partiumque certamina, contentiones, & factiones, confœderationes, Regnorum ac Provinciarum defectiones, ac Religionis, Imperiorum, rerumque publicarum mutationes & ruinæ ortæ ſint, diligenter conſcribant.

Prælectis igitur Decretis & Statutis Synodalibus, vobis omnibus & ſingulis præſentibus & abſentibus præcipimus, & virtute obedientiæ, ac ſub pœnis juris & arbitrariis mandamus atque injungimus, ut exhibitam & prælectam Reformationis Eccleſiaſticæ Formulam, ac præſentia noſtra Statuta Synodalia, omni tergiverſatione, dolo & fraude ſecluſa & amota, ſummo ſtudio & conatu, Divino auxilio & gratia (quæ vere invocantibus nunquam deerit) mediante, obſervare, & doctrina, vita & moribus, in quotidiana veſtra converſatione exprimere & obſervare velitis. Et ne quis in poſterum prælectorum ignorantiam quovismodo aut quæſito colore prætendat:

(*f*) Poſſidonius in vita Auguſtini.

dat: Vicario noſtro in Spiritualibus injungemus, & committemus, prout præſentibus injungimus & committimus, ut prædicta omnia publicentur & divulgentur: quo Capitulis, totique Clero, qui ob rationabiles & legitimas cauſas præſenti Synodo, ac Statutorum publicationi intereſſe nequiverint, eo commodius proponantur, inque omnium & ſingulorum notitiam deveniant: præcipientes nihilominus, ut Majorum & Anteceſſorum noſtrorum Decreta & Statuta Synodalia, Johannis Epiſcopi, Bechtoldi, Conradi, Alberti, & Guiliel- mi, pari obedientia & obſervantia, ſecundum præſentis temporis rationem & ſtatum; ſtricte quoque cuſtodiantur & obſerventur: quibus hiſce noſtris Decretis nihil derogare, ſed hæc denuo renovare, & præſentibus confirmare, ac corroborare volumus, ſubmittendo hæc noſtra ſcripta Eccleſiæ Catholicæ, ac Sedi Apoſtolicæ, (*) cujus authoritati & cenſuræ obedienter nos ſemper ſubjicimus, omniumque etiam rectius ſentientium judicio: In quorum fidem & præmiſſorum teſtimonium, præſentes literas exinde fieri, noſtrique Sigilli appenſione juſſimus & fecimus communiri & corroborari. Acta ſunt hæc in oppido noſtro Zabern, Die, Menſe & Anno quo ſupra.

Ex antiqua editione Moguntina anni 1566. *Ex qua recudit Lunigius Spicil. Eccleſ. Contin. II.*

(*) Div. Hieron. in Confeſſ. Fidei ad Damaſum Papam. Hæc eſt fides, Papa beatiſſime, quam in Catholica diſcimus Eccleſia: in qua, ſi minus perite aut parum caute, forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri fidem & ſedem tenes.

SYNODUS PROVINCIALIS COLONIENSIS
Anno Chriſti MDXLIX. Pauli III. PP. XIV. Caroli V. Imp. XXXI.

Decreta Concilii Provincialis Colonienſis, ſub Reverendiſſimo in Chriſto Patre ac Domino D. ADOLPHO, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellario, Principe Electore, Weſtphaliæ & Angariæ Duce, Legatoque nato celebrati.

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, LEGATUSQUE NATUS, &c.

UNiverſis, ad quos Legatione pro Domino fungimur, gratia & pax a Deo, qui dives eſt in miſericordia, & prope adeſt omnibus invocantibus eum in veritate: Qui poſtquam Nos, licet indignos, Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ ac Provinciæ, procelloſa tempeſtate graviter jactatæ, atque afflictæ, gubernaculis admovit, huc continuo animum, omneque ſtudium noſtrum ſua inſpiratione convertit, quo Diœceſim illam ab hæreſum inundatione, quæ pravorum hominum ſtudiis jam plus nimio invaluerant, repurgare: Schismataque, quibus miſere, atque adeo, ut in ea jam actum de Fide Catholica potuerit videri, diſcrepabatur, tollere, & oves Nobis creditas, in unum ovile Chriſti colligere, pro virili adniteremur. Eaque de cauſa inprimis lupos, pro boni Paſtoris officio, ab ovili Dominico abigere, & omnis mali originem, concionatores ſectarios, pernicioſos illos hominum ſeductores, ditione noſtra protinus, quanquam non ſine difficultate, ejicere ſategimus, ſubſtitutis Catholicis, & incorruptis Verbi

Dei Concionatoribus in eorum locum. Qua ratione plurimum quidem profecimus. Etenim progressum hujus cancri hoc impetu sumus remorati, & Catholicis aperuimus fenestram rursus respirandi. Non tamen hæ scopæ purgamentis istis sufficiebant penitus everrendis: jam enim hæreseos malum altius, quæ est ejus natura, fixerat radices, quam ut potuerit una falce semel demeti: & hærebat in mentibus ac penetralibus hominum, unde neque vi extrahi, neque persuasione suffodi, aut sensim ratione tanquam cauterio pungi, atque curari se pateretur.

Durabant quoque abusus & mores corrupti, quibus Ecclesiastici Ordinis pars maxima dedita, infirmis erat offendiculo, & ut male de religione laici sentirent, causa: ut vere quadraret in eos, quod in Evangelio Dominus dicit: Væ vobis Legis peritis, qui tulistis clavem scientiæ, & ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis. (*a*)

Plurimum autem Nobis erat fiduciæ in Concilio Tridentino, quod feliciter inchoatum, ac Sessionibus aliquot habitis, celebre jam factum, accessu omnium Imperii Ordinum, qui se reverenter ei submiserant, potentissimum ac saluberrimum fore credebatur: cujus progressu sperabamus nancisci opem & vires justas, quæ erroribus istis & vitiis radicitus extirpandis sufficerent, ejusque authoritate, quæ apud omnes maxima est, sublatum iri, non in nostra modo Diœcesi & Provincia, verum etiam toto orbe Christiano, quicquid uspiam irrepsit malorum, & Ecclesiam Christi pristinum suum nitorem, concordia, atque unitate redintegrata, recuperaturam.

Quæ spes, quum inexpectata contentione inter Patres de transferenda Concilii sede suscitata, Nobis pene eriperetur, atque in longum tempus extraheretur, non sine metu graviorum perturbationum in Republica Christiana: En omnibus Nobis, hoc est, Ecclesiastici Ordinis Statibus, consternatis, atque in metu constitutis, adfuit ejus, qui conatibus religiosis, & piis nunquam deest, Dei, a quo est omne bonum, consolatio. Enimvero misericordiarum Pater Deus, qui nuper dedit fortissimo, invictissimo, felicissimoque Religionis orthodoxæ Propugnatori CAROLO Imperatori nostro de Cælo victoriam, ut hostium validissimorum vires & consilia, non tam viribus, quam consiliis melioribus frangeret, & Imperio suo, non multo fuso sanguine, cogeret parere: cuique, quod mirandum magis est, dedit victoria parta modeste ac clementer uti: ut rebelles filios castigasse potius, more boni Patris, quam bello petivisse videatur: ejus nunc animum impulit, ut ad Catholicæ Fidei, paternarumque Traditionum restitutionem omnia consilia, omniaque studia sua converteret. Hinc, quod vix quisquam mortalium sperasset futurum, egit cum eis, ut protestatione, fœderibusque & contentionibus positis, duobus tantum Articulis, ad Concilii definitionem rejectis, doctrinam Catholicam, Traditiones, & Cæremonias Ecclesiasticas, Concionatorum bona parte, unde pendere solebant, reclamante, receperint. Quos cum Deo & Ecclesiæ, quantum in se erat, Imperator piissimus lucrifecisset, atque in plenioris unionis ac concordiæ spem adduxisset, necesse erat, ut firmioris illius ac solidæ spei offendicula quoque tollerentur.

Quamobrem animum appulit, & ad Cleri corruptos mores reformandos, quo benefactis suis obmutescere facerent, ut Apostolus Petrus ait, imprudentium hominum ignorantiam: & qui carpere Clerum tanquam malefactores solebant, conspectis bonis eorum operibus, glorificent Deum in die visitationis. Deditque negotium quibusdam Theologis piis, eruditis, & Deum timentibus, qui formulam quampiam, ad quam Reformatio Cleri videretur instituenda, juxta sacræ Scripturæ normam, antiquos Patrum Canones, & rectæ rationis judicium, conciperent. Hanc Cæsar acceptam tradidit universis Ecclesiastici Ordinis Statibus diligenter expendendam, qui annotarent, dicerentque, quid, qua ratione repudiandum putarent, quidque recipiendum. Multis igitur consultationibus, ac deliberationibus privatim & communiter habitis, quibusdam in Formula expunctis, aliis mutatis vel additis, tandem communi consensu eam probarunt. Cæsareæ,

(*a*) Luc. 11.

ręæque Majeſtati, ut ſe reformarent, inſtanti, polliciti ſunt ſe ſeipſos, ſuosque ſubditos, ad illam velle componere, ac reformare, ſalva Summi Pontificis authoritate, quæ eis, ut in Articulis quibusdam accederet, neceſſarium arbitrabantur: id quod in Præfatione, quam Cæſarea Majeſtas Formulæ huic præfixit, clarius eſt videre.

Nos itaque conſiderantes, noſtri muneris etiam alias eſſe, ut vigilemus ſuper gregem noſtrum, ut infirmum conſolidemus, ægrotum ſanemus, confractum alligemus, abjectum reducamus, & perditas oves quæramus, niſi velimus æternæ maledictionis illud væ, quod apud Ezechielem (*b*) Dominus Paſtoribus malis & negligentibus comminatur, certiſſimo judicio incurrere, tam præclaram rerum bene & ſancte gerendarum occaſionem, nequaquam duximus negligendam.

Proinde ad Diœceſim & Provinciam noſtram reverſi, primo omnium indiximus Clero noſtro Synodum Diœceſanam, quam & ad eum modum, quem Reformationis Formula præſcribit, propitio Deo celebravimus, in qua publicatam, & ab univerſis Imperii Statibus Eccleſiaſticis comprobatam, receptamque Reformationem, Clero noſtro injunximus ſervandam. Transmiſimus quoque eam ad Reverendos Comprovinciales Epiſcopos, noſtros Suffraganeos, & Fratres, ſimiliter in eorum Diœceſibus publicandam, & Clero injungendam: quod ipſos ſedulo curaſſe, ex geſtis & Statutis Synodorum, quas ipſi quoque celebrarunt, Nobis oblatis, & Legatorum eorum fida relatione cognovimus.

Verum negotium iſtud majus erat, quam ut pateretur ſe unico impulſu moveri, & morbus inveteratus, levi medicamini non cedit: unde hac ratione vix quidquam aliud promotum eſt, quam ut ſciret quisque, quod alioqui nemo ignorabat, quomodo ſibi vivendum eſſet pie & canonice. Contingit enim fere Mortalibus, quod Poeta quidam ait: Video meliora proboque: deteriora ſequor.

Unde eſt illa Apoſtoli Pauli confeſſio de lege mentis & membrorum: (*c*) Etenim cum legi Dei condelectemur ſecundum interiorem hominem, & eam bonam ac ſanctam eſſe confiteamur, eſt tamen in nobis torpor quidam membrorum, ſpiritui ac menti repugnans, ut non perficiamus, quæ volumus.

Proinde non erat Nobis hic quieſcendum, quaſi jam ſatisfecerimus: ſed ulterius de modo erat cogitandum, quo ad efficacem Reformationis executionem poſſemus pertingere. Siquidem inutilis eſt, quamvis bona Eccleſiaſtici Ordinis inſtituta Reformatio, quam nemo exequatur: quemadmodum & Lex bona, contra quam liceat cuilibet impune peccare, jacet inutilis. Multi ſunt antiquorum Patrum Canones ſaluberrimi: At quæ eſt illorum utilitas, quos pauci norunt, pauciores ſervant? Quamobrem veſtigiis Majorum noſtrorum inſiſtentes, qui in rebus magnis cogere ſolebant Comprovincialium Epiſcoporum Conventus, Reverendis Comprovincialibus Epiſcopis Confratribus noſtris, totique Clero noſtro, indiximus Concilium Provinciale, in quo de rebus ad efficacem & durabilem Reformationis executionem conſtituendam pertinentibus ac neceſſariis, communibus conſiliis tractaretur, ac ſtatueretur.

Qui cum ipſi ad conſtitutum undecimum Martii diem, Concilii locum, ob adverſam valetudinem, adire non potuiſſent, miſere ſummæ authoritatis in Clero ſuo, & præſtantis eruditionis Legatos, qui eorum loco & nomine Concilio intereſſent, & de rebus tractandis Nobiscum agerent, tractarent, ac conſulerent in commune.

Multis itaque deliberationibus ac conſultationibus cum Capitulo noſtro, & Legatis illis, ac Clero noſtro, a jam dicta undecima Martii die, ad ſextam uſque Aprilis, quotidie habitis, tandem apparuit, propterea, quod rigor antiquorum Canonum ſtatim revocari in uſum absque motu graviori hac tempeſtate non poſſit, ad Media quædam, ſacris tamen Canonibus conſentanea, quibus Clerus & populus ad pleniorem Reformationem ſenſim perduceretur, eſſe confugiendum: viſaque Nobis ſunt plurimum momenti ad durabilem & efficacem Reformationis executionem comparandam allatura Media ſex: nempe

I. In-

(*b*) Ezech. 34. (*c*) Rom. 7.

I. Instaurationem Studiorum, potissimum Sacrorum.
II. Examen Ordinandorum, & ad Ministeria vel Prælaturas instituendorum.
III. Officiorum, seu Munerum susceptorum sedulam perfunctionem.
IV. Visitationem Archi-Episcopalem, Episcopalem, Archi-Diaconalem, & eorum, quibus hoc incumbit.
V. Synodorum frequentem celebrationem.
VI. Jurisdictionis Ecclesiasticæ jam propemodum collapsæ, & abusu depravatæ, restitutionem.

De Medio Primo.

PRimum quidem instaurationem studiorum, quia ea, quæ Reformatio & Ecclesiæ necessitas exigit, nemo præstiterit melius, quam Scripturarum sacrarum, Canonum, & munerum Ecclesiasticorum peritus. Sive enim regere Ecclesias, & docere populum, sive hæreticos convincere, & scripturarum aperire Mysteria, sive Sacramenta conficere, eaque administrare, sive examinare ex ordine Ecclesiæ Ministros, sive visitare Diœceses, aut Synodos celebrare, vel judicia Ecclesiastica exercere oporteat, scientia opus est: alioqui, ut inquit in Evangelio Christus, (*d*) si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent. Quo etiam modo Esaias, indoctos Ecclesiæ Prælatos, cæcos & mutos appellat: (*e*) Speculatores ejus, inquit, cœci: nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare. Non valentes inquit, etiamsi cupiant, latrare, hoc est, officia sua exequi. Et subdit: Videntes vana, dormientes, & amantes somnia sua. Canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam: propterea omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum, dicentes: Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius. Quibus verbis Propheta significat, non postremam vitiorum in populo Dei causam, esse ignorantiam Pastorum.

Et jam magna Religionis orthodoxæ jactura, Christianæque Reip. irreparabili fraude, experti per hanc tot hæresum, & seditionum tempestatem sumus, quantam Ecclesiæ Christi perniciem adferat Prælatorum & Cleri ignorantia, quibus Scripturas Divinas negligentibus, sutores, textores, calcearii, & id genus opifices, nemine prohibente, quidlibet impune pro Evangelio docentes, irrepsere, & mira audacia, etiam munera Ecclesiastica invasere: unde teterrima hæresum monstra suppullularunt, & sacra prophanis, superis infera miscuerunt & confuderunt.

Nec hoc modo, quin etiam studiorum sacrorum neglectus in causa est, cur tam innumeræ, eædemque locupletes Ecclesiæ per Germaniam ministris idoneis ac possessoribus careant, etiam nunc, cum restituuntur: neque enim desunt bene mereri de Ecclesiis cupientes, sed potentes desunt & idonei, nempe literarum periti, qui Ecclesiasticis muneribus perfungi queant, earumque hoc nomine possidere Bona. Neque enim ad Ecclesiarum munera, & bona prosiliunt Catholici, sicut hæretici, aut Bonorum Ecclesiasticorum occupatores sacrilegi.

Percipitur autem scientia ad Ecclesiæ ædificationem necessaria in Scholis, potissimum Theologorum, quas constat esse propria quædam seminaria Ministrorum & Prælatorum Ecclesiæ, quibus florentibus, floret Ecclesia Doctoribus & Ministris: neglectis & contemptis, Ecclesia quoque Ministris idoneis destituitur. Neque enim, ut olim in die Pentecostes repentino Spiritus Sancti afflatu, aut velut fungi calore solis exciti, prodeunt nobis passim Theologi subito, sed exercitiis longis, ejusdem tamen Spiritus unctione, formantur in scholis.

Quibus

(*d*) Matth. 15. (*e*) Isa. 56.

Quibus rationibus (cum ſtabilem Reformationis executionem meditaremur) permoti, noſtrarum eſſe partium putavimus, ut Scholas Theologicas apud Univerſitates, Collegia, & Monaſteria, magna cura, cumprimis Concilii hujus Authoritate, inſtauraremus; nec has modo: verum etiam Ludos Triviales, & Pædagogia, unde non parum malorum per hanc tempeſtatem in Eccleſiam defluxit, repurgaremus. Quapropter habita cum Capitulo noſtro, & Reverendorum Comprovincialium Epiſcoporum Legatis ac Synodalibus hujus Concilii Patribus, matura deliberatione, conſentientibus, & adſtipulantibus eis omnibus, de ſtudiorum inſtauratione ſtatuimus & ordinavimus in modum ſequentem.

Quod ad inſtituendam juventutem non ſint admittendi, niſi de fide, & inſtitutione ſua prius examinati.

Percepimus, ſectarios quosdam concionatores, a nuperrimis Comitiis, Cathedris, quas invaſerant, deturbatos, incertisque ſedibus vagantes, nunc Magiſteriis inhiare Scholarum, & operam ſuam inſtituendæ juventuti paſſim venditare, ut quibus non datur amplius graſſari publice & venena ſua e Cathedra ſpargere, teneræ ea juventuti inſtillent, quo cuniculis talibus Eccleſiam Chriſti ſuffodiant. Quippe quod e juventute, qui olim regant Eccleſias, & gubernationi admoveantur Rerumpublicarum, videntur fore potiſſimum ii, qui nunc dant operam literis. Quibus corruptis, durabit hoc malum multo tempore, atque in multos transfundetur, ut verendum ſit, ne ſi admittantur qualescunque in Ludis literariis Præceptores, gravem inde atque indelebilem accipiat Reſpublica Chriſtiana corruptionem. Idcirco Nos, quibus non minor adhibenda eſt cura, ne inſtituant illi male juventutem in Triviis, quam ne populum e ſuggeſtis corrumpant, communi omnium conſenſu ſtatuimus, & ordinamus, neminem præceptioni Trivialium ſtudiorum admittendum eſſe, niſi qui ſit de fide & Religione ſua, de vita item & moribus, probe examinatus, & conſtiterit, ubinam gentium, & apud quos ſit ipſe inſtitutus. Neque enim parvi retulerit, a Catholico, an Schiſmatico ſit inſtitutus, qui juventutem docturus eſt. Pertinebit autem examen præcipue ad Ordinarium, qui ordinet per Diœceſim viros idoneos, quibus hoc negotii committat.

Neque abs re fuerit, ſi examinentur quoque in civitatibus a Prælatis & Rectoribus Eccleſiarum, qui Scholæ præſunt: Ruri autem a Paſtoribus, & Decanis Ruralibus idoneis & eruditis. Viſitatores vero de facto examine inquirant: & ſi contra hanc formam ſint aliqui admiſſi, rejiciantur.

Præcipimusque & mandamus Magiſtratibus, Ædilibus & Proviſoribus, qui ſcholas ſuis impenſis erexerunt, ne propterea examen hujusmodi quovismodo impediant, alioqui cenſura Eccleſiaſtica, & aliis remediis opportunis coercendis.

Quæ artes in Triviis, & quid in Gymnaſiis Studiorum, ſeu Univerſitatibus doceri debeat.

Paſſim Ludimagiſtri ingenia juventutis, quæ primis literarum rudimentis, & artibus minoribus expolienda ſuſceperant, depravant, præpoſtera docendi ratione quidlibet, ad eruditionis ſuæ oſtentationem, quibuslibet promittentes: & cum Encyclopædian quandam omnium diſciplinarum velut in ſumma comprehenſam, juvenibus polliceantur, non absque aliorum Profeſſorum elevatione, nihil tradunt abſolutum, atque perfectum. Quare ingeniis eorum imponunt, qui tali accepto prægustu, continuo ſe abunde omnia tenere confidunt, ſtudiaque graviora faſtidiunt, & nunquam perveniunt ad frugem maturam. Ex quibus officinis prodeunt nobis imperiti Medici, hominum temerarii interemptores, & jurisperiti omnia perturbantes, novarumque Religionum Authores, glorioſi Theologaſtri, qui magna ſtoliditate non verentur velut e Tripode Apollinis, de dogmatibus Eccleſiaſticis & Religionis veritate pronunciare atque ſtatuere, cum ſolidi nihil fere de eis ſint aſſecuti. Intereſt autem Eccleſiæ, quomodo Sacerdos, quem populus velut ducem ſequitur, & a cujus ore (ut in Malachia (*f*) dicitur) Legem Dei requirit, ſit inſtitutus. Siquidem

(*f*) Malach. 2.

dem quantum ex Ecclesiarum Rectoribus, bene ac gradatim Divinis literis imbutis, boni: tantum a non recte institutis, mali solet Ecclesiæ plerumque evenire: quemadmodum & in Republica de Medicis & Jurisperitis res habet. Ea de causa Triviis modum esse dandum censuimus, intra quem se contineant: statuimusque, ut in Trivialibus non nisi Grammatica, Poetica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, & quæ hujus generis sunt Triviales & liberales Artes: Dominicis vero & Festis diebus literalis Evangeliorum & Epistolarum, Hymnorum, Psalmorum, Parabolarum Salomonis, & ejuscemodi sacrorum librorum expositio, pro ætatis illius & ingenii captu tradatur. Quanquam Dialectica etiam requirit usum disputandi, quali exercentur Studiosi in Gymnasiis, sine quo Ars ipsa otiosa est. Poterunt & linguarum rudimenta in Trivialibus doceri. Cæterum exacta atque absoluta Artium & linguarum cognitio, ratioque & reliqua Philosophia, Physica, item Ars Medica, Jurisprudentia, & Theologia seu Scriptura sacra, non nisi in probatis Academiis, & Catholicis Universalium Studiorum Scholis expectentur, doceantur, ac tradantur: nisi quod Theologia etiam in Monasteriis opulentioribus & Collegiis Canonicorum, juxta Reformationis formulam, debeat doceri.

Quos Authores juventuti prælegere, & quos vitare oporteat.

Interest quoque Reipublicæ Christianæ, quales Authores juventuti, impietatis juxta ac pietatis capaci, prælegantur, ut rectissime Reformationis formula monuerit, ne libri obscœni, suspecti aut contagiosi, eorum, qui perfidiæ suæ virus, religionisque & pietatis odium, teneræ juventuti suis scriptis instillant: sed tantum casti, pii, & Religioni Orthodoxæ consentientes Authores prælegantur.

Quod judicium cum non sit penes omnes, statuimus nullum Authorem in Trivialibus ludis prælegendum, qui non sit a Decano Artium vicinæ & Catholicæ Universitatis examinatus, & ad prælegendum juventuti admissus. Aut si procul distent ludi ab Universitatibus Catholicis, examen & admissio pertinebit ad vicinæ civitatis præstantis eruditionis Prælatum, aut alium aliquem doctum Virum, cui Episcopus illius Diœceseos hoc muneris delegaverit. Quod vero bonis & receptis Authoribus repudiatis, quidam gloriæ aucupandæ studio, nova quotidie Grammatica comminiscuntur, & adolescentium ingenia suis figmentis confundunt, omnino prohibendum & vetandum censemus. Maxime vero omnium sub anathemate interdicimus, & prohibemus lectionem eorum librorum in Triviis, qui ad seducendam in pravas opiniones juventutem aliud agentem & quærentem, scripti videntur: Quales sunt quorundam Grammaticæ, Dialecticæ, & Rethoricæ institutiones, in quibus exempla fere e pravis adversariorum dogmatis petuntur, quo juventus incauta, hæresum & sectarum dogmata simul cum Artibus imbiberet. Quales item quædam familiarium colloquiorum formulæ, in odium Monastici instituti, & Cæremoniarum Ecclesiasticarum contemptum, compositæ, atque efficiæ, quarum præcipua vis est, animos juvenum corrumpere, & jam a teneris, eos ab hujusmodi pietatis exercitiis ac vitæ Monasticæ institutis, alienare. Dabimus idcirco viros aliquot pios & doctos, qui ferant judicium suum de Authoribus, quos juventuti potissimum prælegere conveniat, eosque Comprovincialibus Episcopis significabimus, quo in instituenda recte juventute, eadem forma per universam Provinciam servetur.

Qui libri Parochis & Concionatoribus sint vitandi & fugiendi.

Compertum Nobis est, simplices & indoctos Parochos, quibus non est datum, pura ab impuris discernere, obvios quosque de negotiis Religionis tractantes libros emere, & eos potissimum, qui speciosis titulis venditantur, quales sunt conciones adversariorum & commentarii eorum in sacras Scripturas. Quamvis autem quidam eorum, speciem pietatis alicubi præ se ferre videantur, habent tamen, quotquot sunt, latens sub melle venenum, unde incauti & se contaminant ipsos, & auditores quoque: idcirco paterna solicitudine pro grege no-

ſtro ſoliciti, ne pabulum mortis pro vitæ pabulo ei porrigatur: præcipimus omnibus fidelibus, quorum animæ curæ noſtræ a Deo commiſſæ ſunt, potiſſimum verbi Dei tractatoribus, ſub Anathemate, quod alias incurrant, ut ſibi caveant non modo ab his, quæ ex officina venerunt Lutheri, Buceri, Calvini, Oecolampadii, Bulingeri, Franciſci Lamperti, & Philippi Melanchthonis, quos conſtat omnia ſua ſcripta ad decipiendum & ſeducendum homines a vera fide, edidiſſe: fugiant etiam Corvinum, Capitonem, Brentium, Pomeranum, Pellicanum, Muſculum, Sarcerium, & Chriſtophorum Hegendorphinum, Oſiandrum, Spangenbergium, Oldendorpium, Hermannum Bonnum, Hedionem, & ejus in Eccleſiaſticam hiſtoriam peſtilentiſſima ſupplementa; Chronicon Sebaſtiani Franck, & quidquid ejus eſt farinæ, donec pleniori Catalogo libros contagioſos per hanc tempeſtatem editos, eis indicaverimus.

De ſtudioſis Canonicis mittendis ad Studia Univerſitatum, ſumptibus Collegiorum.

Ne, quod in formula Reformationis juxta ſanctorum Patrum Decreta ſalubriter inſtitutum eſt, vitio vel Collegiorum, vel adoleſcentum Canonicorum evaneſcat: Decernimus & ſtatuimus, ut dent Collegia uni, duobus, vel tribus, ut multus vel exiguus fuerit perſonarum numerus in Collegio, bonæ ſpei ac ſtudioſis adoleſcentibus, non minus, quam triennii tempus, quo poſſint in ſtudio, potiſſimum Theologico, verſari; in quo ſi laudis aliquid obtineant, tempus eis prorogetur, atque interim percipiant integros Præbendæ ſuæ fructus, quotidianis diſtributionibus exceptis; aut ſaltem quantum ad victum & Libros neceſſarios ſufficiat: niſi de competenti ſubſidio ſit olim per Capitula ſtudioſis proviſum: dum tamen certis teſtimoniis, ſingulis annis ad Collegia mittendis, conſtet, nec perverſis moribus eos deditos, nec ſtudia vana, quæ ad Eccleſiæ ædificationem non conferant, ſectari: committendum enim non eſt, ut cultui Divino dedicata ſtipendia, in hujusmodi Canonicos dyſcolos erogentur. Debent tamen curare, ut ipſis abſentibus, alii eorum in Divinis ſuppleant vices.

De Cautione, quam dare debeant mittendi ad Univerſitates.

Quum formula Reformationis exigat, ut juniores in Gymnaſiis alantur impenſis Collegiorum, ad hoc, quo Collegia claris & doctis viris ornentur, ut huic menti ſatisfiat, & Collegia non fraudentur expectatione ſua: ſtatuimus, & communi conſenſu decernimus, ut Canonici, nondum in majoribus Ordinibus conſtituti, poſcentes hoc nomine aut fructus integros, aut decreta ſubſidia, a Collegiis, quæ pro more habent, ut de fructibus participent etiam in minoribus conſtituti Ordinibus, prius dent cautionem ſufficientem, ſe non velle ordinem & inſtitutum Eccleſiaſticum deſerere; aut ſi mutato propoſito forſan reſiliant, tum ſe velle & debere fructus, perceptaque ſubſidia, Collegio illi integraliter ſolvere, ac reſtituere.

Collegia in Univerſitate aliqua ſita, quo ſuos Studioſos mittere debeant.

Cæterum in locis, ubi Univerſitas Catholica eſt, juxta primam inſtitutionem reformata & probata, non videtur cauſa digna eſſe, Collegia magnis ſumptibus gravandi & mittendi ſtudioſos foras ad Univerſitatem exteram. Proinde ſtatuimus, ut tales dent operam literis bonis in ipſa Univerſitate, ubi ad mores & ſtudia ipſorum poteſt haberi reſpectus: niſi Decanus & Collegium cauſam habeant, cur cenſeant eos ad exteras Univerſitates mittendos. Quod ſi qui fugientes diſciplinam, velint omnino non ad eam, quæ eis a ſuo Decano, & Capitulo deſignatur, ſed ad aliam, quæ ipſiſmet videbitur, Univerſitatem proficiſci, non tenebitur Collegium illis dare ſubſidium decretum.

Ne vero Canonici, Vicarii & Choriſocii Cleri noſtri Colonienſis, Vigiliis defunctorum, quas mane hora ſeptima perſolvere conſueverunt, a frequentatione lectionum præcipuarum impediantur: volumus, ut poſthac Vigiliæ tempore pomeridiano ad horam circiter ſecundam

cundam incipiantur, ut ante preces vespertinas compleantur.

Qui gaudere possint Universitatum Privilegiis.

Ad prohibendum gravem abusum, quo se quidam ad Universitates non studii, sed privilegiorum gratia conferunt, statuimus, & mandamus, sicut ante nos in Synodo Leodiensi (*) statutum est, ut nulli, nisi ad studia literarum idonei, & illarum præcipue gratia, se ad Universitatem conferentes, in membra, seu supposita, usque ad usum Privilegiorum hujusmodi Universitatis recipiantur, aut suorum beneficiorum fructibus eo prætextu gaudeant, nec recepti ipsis privilegiis & beneficiorum fructibus uti sinantur, nisi quamdiu causa studii permanserint, & spes sit, quod ex studio suo fructum uberiorem in Ecclesia Dei sint parituri. Qui vero desides & otiosi comperti fuerint, ab eorundem privilegiorum usu, & fructuum perceptione repellantur.

De Theologo, qui doceat in Collegiis alendo.

Quo vero & reliqui, sive Canonici, sive Vicarii, Capellani, sive Chorisocii, Cantores quoque, seu Choraules Collegiorum, quæ extra Universitates, aut in Universitatibus procul a scholis sita sunt, habeant etiam occasionem in sacris discendi & proficiendi, decernimus & statuimus, ut ejuscemodi Collegia singula, aut si vicina sint, invicem duo aut plura, simul alant Theologum aliquem docentem, vel binos, qui hanc operam inter se partiantur, concessione fructuum unius Præbendæ, authoritate Apostolica in hunc usum supprimendæ: aut si illa non sufficiat, unione Beneficiorum vel Vicariarum, quæ nullam, vel non adeo necessariam functionem requirunt, judicio Visitatorum Episcopalium decernenda & conficienda: sic tamen, ut fructus Præbendæ, vel stipendii dividantur, secundum numerum lectionum: ut quando non legit, detrahatur illi etiam de fructibus portio destinata. Quod si inter ipsosmet inveniatur, qui hoc docendi munus velit & possit obire, huic par est, ut distributiones quotidianæ præter justum stipendium, a Choro absenti, pridie quam legat, & eo die, quo legit, concedantur.

De instaurandis Lectionibus Theologicis in Universitate Coloniensi.

Ut Cæsareæ Majestatis voluntati sanctissimæ de reformandis Universitatibus juxta modum in formula præscriptum satisfiat, & ratio sit, quare Collegia in Colonia non teneantur suos Canonicos mittere ad exteras Universitates, & eis absentibus, aut integros Præbendæ suæ fructus, aut quantum in victum, & libros sufficiat, suppeditare: danda est Collegiis illis opera, ut lectiones potissimum sacræ Theologiæ, in ipsa Universitate vigeant, & Canonici illi, qui habent Præbendas, sibi ex indulto Apostolico, cum onere legendi collatas, suo muneri juxta tenorem Bullæ summi Pontificis, unde Præbendas illas conferendi Authoritas manavit, satisfaciant. Quamobrem monemus & hortamur eos, qui de Præbendis Gratiæ Primæ gaudent, ut aut legant ipsi in sua facultate, aut si legitimo impedimento teneantur, conducant alios idoneos Magistros, qui vices eorum in docendo suppleant. Qui si monitionibus nostris paternis auscultare noluerint, cum nostra (ad quos pertinet Bonum promovere) intersit, Lectiones Apostolicæ Sedis Beneficio Universitati debitas persolvi; censuimus totius Concilii nomine requirendos esse Universitatis Rectorem & Provisores, ut munere suo perfungantur, & eos, quibus de Præbendis, seu Beneficiis providerunt, requirant ad legendum & satisfaciendum oneri Præbendæ annexo: & juxta Apostolici privilegii tenorem, contra non parentes procedant: alioqui negligentiam eorum deferendam ad Summum Pontificem & petendam provisionem, qua huic casui provideatur.

De

(*) *Synod. Leodiens. anni* 1548. *Cap. V.* *Vide pag.* 393. *huj. Tomi.*

De Altero Medio,

Ad consequendam Reformationis executionem necessario, quod est Examen Ordinandorum.

DEinde visum Nobis fuit, ad stabilem & duraturam Ecclesiastici Ordinis Reformationem comparandam, necessarium esse, ut initiandi sacris Ordinibus, rite examinentur. Hi vero, qui ad Prælaturas & regimen animarum assumuntur, novo eidemque rigidiori examini submittantur, propterea quod Mortales omnes sequi suum genium quotidie experiamur, & asinum manere asinum, etiamsi exuviis Leoninis induatur: atque ita evenire, ut cum vitiis dediti homines, assumuntur ad dignitates & Prælaturas, vertant dignitates & curas non quo oportet, sed vel ad avaritiam implendam, vel in ventrem saginandum, aut ad fastum & pompam, quidam etiam, ut in luxu & deliciis vivant. Quibus profecto rebus fit, ut plane in diversum abeant Officia & Munera Divinæ jussionis, nec fere ulla sit animarum & rerum Ecclesiasticarum cura vera, sed imagines tantum & apparatus: nec seria bene institutæ Reformationis executio, sed major indies morum & doctrinæ corruptela.

Quamobrem imprimis statuimus & ordinamus, ne quis ad sacrorum Ordinum perceptionem admittatur, nisi diligenter examinatus de fide, quam teneat: de affectu, quo ducatur ad petendos Ordines: de scientia, quæ sufficiat ad Ordinis, quem petit, ministeria explenda: de moribus Ordinem decentibus, & ætate legitima.

Ad quos pertineat Examen.

Quoniam vero difficile erat, ubi sunt magnæ Ecclesiæ, & multi ordinandi, Episcopos, ad quos examinatio proprie pertinet, hoc negotii per se obire: olim ea cura in quibusdam Diœcesibus in Scholasticos Cathedralium Ecclesiarum, in aliis vero in Prælatos alios relegata est, quibus jam examinandi jus est quæsitum, & majora, quam cæteris Canonicis stipendia ab Ecclesia decreta: Verum quales nunc sunt plerique Scholastici, & illi, penes quos est examinandi potestas? Jura quidem sua tuentur, nec tamen docent juventutem, nec examinant, officiumque & curas illas aliis, non multo melioribus Examinatoribus interdum delegant: quo fit, ut alio in alium hanc curam transferente, aut nullæ, aut perfunctoriæ, & admodum frigidæ fiant Ordinandorum examinationes: Quem defectum supplere cupientes, & examen ad sua principia, hoc est, ad Episcopos, revocare, quibus ex Lege Divina incumbit, nemini cito manus imponere, matura deliberatione præhabita, declaramus, Episcopos non debere hujuscemodi examinationibus (quando non ignorant eas perfunctorie factas) statim acquiescere, & inquisitionis specie, quam ex reliquiis antiqui moris retinent in Altari, cum rogant, utrum sint digni, justi, & sancti, putare se satisfecisse, atque ita inutiles & indignos homines, nonnunquam etiam sceleratos, ab aliis forte (quos ea cura non admodum tangit) dignos judicatos, sacris illis Ordinibus contra conscientiam propriam insignire. Eaque de causa requirimus Provinciæ nostræ Episcopos in Domino, ut vel ipsimet huic suo muneri satisfaciant, vel curam illam imponant viris piis, doctis, & de Ecclesiæ profectu solicitis, quorum diligentia sit eis explorata, nisi certissimo experimento cognoverint, Scholasticum, vel eum, ad quem hoc pertinet, diligentiam talem, cui merito fidant, adhibuisse.

De Licentiatoriis ad suscipiendos Ordines extra Diœcesim.

Statuimus, ut nemini posthac (ubi digna & justa causa non est) dentur Licentiatoria Ordines extra suam Diœcesim recipiendi, nisi prius sit juxta modum præscriptum in sua Diœcesi examinatus. Ad hoc enim comperimus quosdam licentiatoria petere, ut examen subterfugiant.

De Proclamatione ante Majores Ordines facienda.

Quoniam non oportet sacros Ordines quasi furtim surripere, statuimus, & ordinamus, ut quemadmodum jungendi Matrimonio, trina proclamatione populo denunciantur: ita majoribus Ordini-

dinibus initiandi, trinâ proclamatione denuncientur in Ecclesia Parochiæ, quam inhabitant, ad percipienda impedimenta, si quæ sunt, quæ debeat Parochus Episcopo, aut Officialibus ejus significare: ubi tamen proclamatio talis commode fieri potest, nec verisimilis sit metus, ne malevoli homines Clericos innoxios a majorum Ordinum susceptione deterreant.

De tempore, quando debeant Ordinandi dare nomina sua, & examinari.

Mandamus, ut volentes ad Subdiaconatus, vel Diaconatus Ordinem promoveri, præsententur, & dent Intitulatoribus nomina sua feria quarta, diem Ordinationis præcedente, ac eodem & sequenti die examinentur, hora, quam eis constituent Examinatores. Promovendi vero ad Sacerdotii gradum, dent nomina sua feria quinta ante diem Ordinationis, quibus similiter statuetur hora; cum simul ob multitudinem examinari non possint. Adferant vero promovendi omnes secum testimonia, non modo suorum Parochorum, verum etiam Præceptorum, aut proborum virorum, apud quos majorem vitæ partem transegerunt, per Examinatores discutienda, unde possit Episcopo, utrum irreprehensibiles sint, constare.

De Examine instituendorum ad dignitates, curas animarum, aut alia officia.

Porro quo plus negotiorum incumbit eis, qui ad Prælaturas, dignitates, & curas animarum vocantur, hoc magis interest Ecclesiæ & Christi fidelium, ut tales singulari examine, majorique diligentia, quam reliqui, explorentur, utrum sufficiant ad præstanda munera illa, ad quæ vocantur. Præcipue vero Episcoporum interest, quales habeant in excolendo agro Dominico cooperarios. Hinc statuimus & ordinamus, ut nemo electus confirmetur, nemoque præsentatus ad dignitatem, vel animarum curam instituatur, priusquam sit a suo Episcopo, aut Archi-Diacono Episcopi, aut hac in parte Vicario, aliisve sacrarum Literarum, Canonum, & Traditionum Ecclesiasticarum peritis viris, quos Episcopus, aut Archi-Diaconus ad hoc designabit, examinatus, & comprobatus idoneus, possitque & velit muneri, ad quod vocatus est, pro virili satisfacere, & Formulam Reformationis, qua parte eum concernit, exequi. Quod si quis Archi-Diaconorum, vel jus instituendi habentium, contra hanc constitutionem præsumpserit aliquem, non ita examinatum, investire, ipse quidem pro judicio Episcopi, per certum tempus ab officii sui executione, & fructuum perceptione, suspendetur: Institutus vero eo usque, donec Episcopo comprobabitur qualificatus & idoneus. Neque tamen per Examen Episcopale, derogatum volumus juri examinandi, si quod alii Prælati habent.

De Examine eorum, qui per resignationes, aut permutationes ad Beneficia contendunt.

Ad hæc statuimus & ordinamus, ut in permutationibus, & resignationibus Beneficiorum, eadem cura adhibeatur examinandi eum, in cujus favorem permutatio, vel resignatio concepta est. Et præsertim diligens fiat inquisitio, etiam per diserta juramenta, num permutatio sit ad contegendum Simoniæ vitium fraudulenter excogitata ac simulata: quod si vel examinis tempore, vel in posterum compertum fiat, pactionem illicitam, & jure non probatam intercessisse, uterque permutantium, pro Simoniaca fraude puniatur.

De Formulis ad Examinationem aptis.

Quoniam diversi Ordines, officiorumque & dignitatum gradus diversi, alias atque alias requirunt in hominibus conditiones; & ratio præterea habenda est eorum Religiosorum, qui perpetuo delitescere quærunt in suis Monasteriis, & ad nullas animarum curas evocari, sed tantum cupiunt Chori officiis in suis Monasteriis adhiberi, Sacrificiumque pro Ecclesia in Missis offerre, & Monasticæ indulgere: visum fuit præsenti Concilio, expedire, ut extarent formulæ, ad quas examinarentur ordinandi, secundum diversos suscipiendorum Ordinum gradus, & instituendi & confirmandi secundum conditiones munerum, & officiorum, quibus adsciscuntur. Petentibus Suffraganeorum nostrorum Comprovincialium

Episcoporum Legatis, negotium tales formulas congerendi dabimus eruditis aliquot viris, qui non modo in literis sint exercitati, verum etiam cognitionem Ecclesiasticorum officiorum teneant, & conscribant in genere, quod communicetur eis omnibus pro locorum & Ecclesiarum diversitate, in species aptas deducendum.

De institutis pleno jure a Prælatis, & aliis Ecclesiasticis.

Cum bonorum omnium testimonio magnus & perniciosus sit abusus, quo Archi-Episcopi, Episcopi, Præpositi, Abbates, Prælati, & quibus in Clero est potestas conferendi Beneficia Ecclesiastica pleno jure, conferunt Ecclesias Parochiales absolute & simpliciter quibuslibet, interdum indignis & ineptis, hominibus inexploratis, nullo præcedente examine: & quod intolerabilius est, nonnunquam spuriis, nothis, pueris, aut servis indignis: censuimus hanc rem totius Concilii nomine ad Summum Pontificem deferendam, petendamque Sedis illius provisionem & declarationem, irritantem tales collationes, quas vocant pleno jure, nisi præcedat Examen Episcopale, seu eorum, quos Episcopi ad hoc dabunt: & ut potestatem faciat Episcopis, ut quos non constaret, a sua Sanctitate, vel alias rite examinatos, non teneantur, quavis licet authoritate nitentes, ad possessiones Prælaturarum vel Sacerdotiorum, curam animarum habentium, admittere, nisi examine diligenter excussos, atque probatos. Similiter ne quenquam in Ordine ab alio, quam suo proprio Antistite, surreptitie & nullo prævio examine suscepto, teneantur ad Ecclesiasticas functiones admittere, sed ab Ordinis suscepti executione suspendere, donec exhibitis suæ promotionis literis, per examen debitum, & juxta Reformationis formulam factum, fuerit repertus idoneus.

De Sæcularibus usurpantibus sibi potestatem pleno jure conferendi Beneficia.

De Sæcularibus vero habentibus jus præsentandi aliquem ad Beneficium Ecclesiasticum, sive curatum, sive a cura liberum, qui contra Regulas Canonicas adnituntur pleno jure conferre, absque institutione canonica, aut præsentatum via facti intrudere: decernimus cum toto Concilio, tales conatus irritos ac nullos esse: & si qui tale quiddam facere tentaverint, hoc ipso facto, jure præsentandi pro illa vice privatos esse: illum vero, qui Beneficium tali titulo recipit, aut se ei intromittit, nihil per hoc juris acquirere, & procul ab illius occupatione removeri debere, & per Ordinarium in ejus locum surrogari alium: quin & jura decernunt utrumque, & intrudentem & recipientem, anathemate feriendum esse.

De Officiorum Perfunctione,
MEDIO TERTIO,

Ad comparandam Executionem Reformationis necessario.

NOn prodest ad Ecclesiæ ædificationem, Prælatos & Pastores, curam animarum habentes, fuisse diligenter examinatos, probatos, & legitima manuum impositione institutos, atque admissos, nisi præstent etiam officium; ad quod sunt vocati, & cujus gratia stipendia ab Ecclesia accipiunt: Idcirco pro consequenda Reformationis executione, curandum esse censuimus, ut Ecclesiarum Prælati & Pastores suo munere perfungantur. Quod nisi fiat, jacent omnia, quæ Reformatio exigit.

Quibus possint Archi Diaconi munus suum committere.

Jam quod passim tam indoctos, & inutiles Sacerdotes videmus Ecclesiarum Regimini Præfectos, unde mores boni corrumpuntur, & omnis disciplina populi labascit, quique tam turpiter in concubinatu, perpetua ebrietate, & aliis infamibus vitiis, unde & populus scandalizatur, quidam vivunt, Episcoporum negligentiæ, & Archidiaconis illis, qui quæstum avarum ex officiorum, seu munerum suorum locatione faciunt, & malunt homines de salute æterna periclitari, quam se lucro turpi, ac temporali non ditari, acceptum ferendum esse, fatentur omnes, quibus dolet, animas hominum, quos sanguine suo Christus mercatus est, non pluris æstimari, & Cleri infamia populum scandalizari. Cui accusationi & justæ querelæ mederi cupientes, sanci-

sancimus & statuimus, ut Episcopi, Archidiaconi, & omnes, qui functionem munerum suorum non per se, sed per Ministros aut Commissarios, seu Collectores solent obire, vices suas non committant hominibus levibus, vitiosis, aut conjugatis: sed tantum Ecclesiasticis, gravibus & probatæ opinionis viris.

Non licere Prælatis, officia pro pecunia pacta alicui committere.

Similiter ad tollendum gravem & scandalosum abusum, quo quidam, pecuniis oblatis comparant sibi a Prælatis commissiones & officia, non salutem animarum, sed pecuniam uberiorem ex officiis quærentes: Statuimus & mandamus, ne quis Prælatus, cujuscunque sit dignitatis, suam jurisdictionem, & munera ulli Commissario seu collectori, licet Ecclesiastico, plus offerenti, pro pecunia, aut pro certo annuo censu, committat, vel vendat, sub pœna excommunicationis, quam emens, seu pecuniam paciscens, ipso facto incurrat: vendens vero, præter pœnas Canonicas, amittat etiam actionem, pecuniam pactam exigendi: Decernentes, contractum hujusmodi illicitum, a jure damnatum, ac nullum esse, & haberi debere.

Quod non liceat relinquere peccata pro pecuniis impunita.

Magno populi Christiani scandalo, quidam, ad quos pertinet vitiorum correctio, relinquunt peccata ob pecunias & munera impunita, non perpendentes pudendum esse crimen, crimina non coercere: nec quicquam esse, quod atrocius Episcopos & Prælatos coram Deo accuset, quam hujus rei neglectus. Idcirco deliberatione cum Concilio habita, mandamus & sancimus, ne Episcopi, Archidiaconi, vel alii jurisdictionem habentes, aut eorum Officiales, seu Commissarii, vitiorum correctiones dissimulent, permittentes cuiquam, pecuniæ, munerum, vel necessitudinis cujuscunque gratia in eis hærere: Sed delicta præterita castigent, pœnitentia salutari pro delicti gravitate, imposita: nec pœnitentiæ loco pecuniam emungant, nisi ubi permittunt jura aut Canones: seu ubi pro transgressione mandati vel inhibitionis, certa mulcta (cujus habuerit trangressor cognitionem & tamen contempserit) decreta sit. Verum mulcta ex permissione jurium aut Canonum proveniens, secundum illorum præscriptum convertatur. Cæterum ubi ejuscemodi castigationibus non proficitur, & tanta sit delicti gravitas, poterit etiam censuris & pœnis Canonicis castigari: Nimirum suspensionis ab officio, excommunicationis, & privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum.

Ut muneri suo Collegiorum Præpositi satisfaciant.

Querela est Collegiorum, Præpositos quosdam, ad quos præstito juramento pertineat, jura & statuta Ecclesiarum tueri atque defendere, nihil agere minus: sed percipere tantum amplos fructus: Cæterum Ecclesias, quarum causa illos percipiunt, relinquere indefensas: immemores jurisjurandi, & ejus, quod Beneficium propter officium datur: Hinc decernimus & statuimus, ut si istiusmodi Præpositi a suis Collegiis, ad Bonorum, Privilegiorum, Jurium & Staturorum defensionem, expensis Capitulorum, necessitatis tempore, vel imminente discrimine, requisiti, muneri suo satisfacere neglexerint, & inde Collegium seu Ecclesia damnum accipiat, pœnam incidant; pro damni accepti magnitudine, & Præpositi negligentia, ab Episcopo seu Superioribus taxandam, & moderandam.

Quod non liceat Decanis a suis Collegiis abesse.

Videmus, Decanis absentibus, vel officio suo segniter perfungentibus, levissimorum quorumque, Canonicorum & Vicariorum insolentiam prævalere fere adversus meliores, pietatem & zelum bonorum haberi ludibrio, officia negligi, Divina neque rite, neque ab omnibus persolvi, cantum præcipitari, vitæ & morum honestatem periclitari, disciplinam prorsus nullam esse: breviter, licere pravis quibusque, quicquid libeat. Præcipimus idcirco & mandamus, ut Decani apud suas Ecclesias personaliter residenant, & officio suo per seipsos strenue perfungantur, excessusque subditorum, quoties opus erit, castigent, sub pœna privatio-

vationis fructuum Decanalium, pro rata temporis, quo absque causa rationabili moniti non resederint, fabricæ, aut pauperibus applicandorum, ubi alias non est pœna digna contra non residentes Decreta, nisi forte necessitatis causa contigerit eos abesse: Quo casu Capitulari alicui, qui suscepti officii rationem reddere possit, quemque inferiores revereantur, vices suas committant, nisi talem absentis Vicarium peculiaria Collegiorum statuta designent.

Quod Abbatissæ Nobilium Virginum, quas Canonissas appellant, debeant apud sua Collegia residere.

Idem statuimus de Abbatissis Collegiorum Nobilium Virginum Canonissarum; quas tanto magis oportet suis Collegiis adesse, & perpetuo residere, quanto virgines illæ majori custodia sunt dignæ. Quibus præterea mandamus, ut diligenter observent, num omnes in Dormitorio communi nocte decumbant, & in habitu ipsas decente incedant, ac Horas Canonicas rite persolvant, cæteraque, quæ Reformationis Cæsareanæ formula, & probatæ earum Constitutiones exigunt, diligenter observent, sub pœna suspensionis a perceptione fructuum, in fabricam Ecclesiæ applicandorum, donec pareant.

Illas vero Abbatissas, quæ duobus Collegiis contra Decreta Sanctorum Patrum præpositæ sunt, & duorum in se recipiunt curam, cum vix uni regendo sufficiant, censendas decernimus juxta Decretum, De restringenda pluralitate Beneficiorum, inferius paulo subjectum: Atque ut Canonissæ secundum formulam aliquam ipsorum statui convenientem, possint in vitæ & morum honestate reformari, conscribi quædam in eam rem jussimus, quæ Visitatoribus nostris trademus exequenda: communicabimus quoque ea Reverendis Confratribus nostris Comprovincialibus Episcopis, quo & ipsi in suis Diœcesibus, secundum locorum & personarum rationem, quantum fieri potest, Reformationis unitatem ac conformitatem introducant.

Ut Abbates a Monasteriis suis non discedant.

Mandamus quoque & præcipimus, ut Abbates quorumlibet Monasteriorum, nonnisi intra Monasterii septa, cum fratribus habitent, nec moram longam extra ea trahant.

De restringenda plurimorum Beneficiorum, curam animarum habentium coacervatione.

Cupientes ex animo, quantum in Nobis est, prohibere, ac tollere odiosum illud, & insatiabile (quod & Patrum Canones detestantur) studium coacervandi multa beneficia, curam animarum habentia, unde populus fidelis graviter scandalizatur, & optimorum quorumque animi a Clero alienantur: spoliantur Ecclesiæ debitis ministeriis, cessatio inducitur cultus Divini: Fundatores, quorum sacrosancta & inviolabilis debebat haberi suprema voluntas, spe & expectatione sua fraudantur: Meliores, quibus Beneficium aliquod Ecclesiæ certe debetur, quique ministrare in eo & cupiant & possint, non absque injuria & offensione Dei excluduntur, & ad studia prophana impelluntur, ubi Ecclesiæ poterant esse ornamento, donec Cæsarea Majestas provisionem meliorem adversus licentiam hanc a Summo Pontifice impetret: id quod ab Ecclesiasticis Imperii Statibus rogatus, se recepit a sanctitate ejus eniti, atque efflagitare velle; Statuimus, & communi, maturaque deliberatione cum Concilio præhabita, quod justissimum est, & ad Ecclesiæ ædificationem pertinet, sancimus; ut Beneficiatus quisque, si Beneficia habet a curis libera, aut unum curatum, aliud simplex, satisfaciat officio, cujus gratia Beneficium accipit, secundum Fundatorum intentionem, sacros Canones, & Patrum Decreta: & ab Ecclesia, ubi Beneficium negligit, non participet. Etenim Divini juris est, ut qui servit Altari, de Altari vivat: (*) nec bono jure is, qui non servit Altari, vivit de Altari: sicut stipendium non debetur, nisi militanti. Si vero Curatum habet Bene-

(*) 1. Cor. 9.

Beneficium, apud Ecclesiam, ubi Beneficium habet, resideat, & officio satisfaciat, alioqui nihil percepturus: pertinebitque ad Episcopum, seu eos, quibus hoc juris competit, ut de Præbendæ, seu Beneficii fructibus, ad Ecclesiæ illius utilitatem disponant: nisi Beneficiatus ille, Ecclesiæ Dei utilius aliquod servitium interim impendat. Quod si quis juxta *C. De multa. De Præbend.* qualificatus, jam impetravit a Sede Apostolica facultatem, plura, quam unum Beneficium retinendi, mandamus, ut hanc Episcopo suo, aut ejus Visitatoribus secundum dispositionem *C. Ordinarii. De off. Ordinar. in* 6. præsentet atque exhibeat. Quæ si appareat sufficiens, curet Episcopus, ut Beneficia debitis obsequiis non fraudentur. Alioqui Beneficiatus, uno, quod maluerit, retento, reliqua libere resignet, aut dimittat viris idoneis, personaliter residere volentibus, absque præjudicio tamen præsentantium, eligentium, & collatorum, conferenda. Si vero dispensatum sit cum indigno, summo illud Pontifici curet Episcopus significare, ut digniori de Beneficio illo provideatur per eos, quibus alias competit jus eligendi, conferendi, vel præsentandi.

De Competentia justa Rectoribus Ecclesiarum, sive perpetuis, sive temporalibus, assignanda.

Ubi Collegia vel Monasteria, vel habentes dignitates, habent Ecclesias Parochiales incorporatas, cum Decimis, juribus, & censibus, quas committere soleant Pastoribus vel perpetuis Vicariis, cum assignatione portionis fructuum regendas; si portio talis sit accisa, nec sufficiat, ut honeste ac decenter ex ea vivatur, nec causa sit, cur animæ negligantur, aut deseratur officium, vel ad curas sordidas Pastor ille pro victu comparando adigatur: mandamus & decernimus, ut justa portio secundum Reformationem ei de Decimis Collegii, vel Monasterii bonis assignetur, sive per Episcopum loci, sive per ejus Visitatores. (*a*) Similiter ubi temporales Rectores ad regendas Ecclesias conducuntur, decernimus, ut justum & dignum stipendium detur, pro locorum & personarum conditione ab Episcopo moderandum, quod decentem eis & honestum victum atque vestitum suppeditet.

Ne cogantur Ecclesiarum Rectores opera servilia subire.

Omnino autem vetamus, ne ulla Collegia, Monasteria, vel habentes Dignitates, locent Ecclesiarum suarum regimen cum agris, vineis, sylvis, pratis & juribus, Rectori plus offerenti sub annua pensione: Tales enim Coloni verius, quam Pastores, servilibus & sordidis negotiis se dedere, & majorem temporalium, quam spiritualium bonorum solicitudinem habere, dignamque animarum curam negligere solent. Possunt tamen Colonis secularibus Ecclesiarum prædia sub annuo censu locari, emolumentaque pro utilitate Ecclesiarum commutari, vel vendi: Quin etiam non vetamus, quin Collegia & Monasteria possint Ecclesiæ Rectori, bonorum ad ipsam Ecclesiam pertinentium, administrationem plenam committere pro moderato censu, quem de prædiis pendat: sic tamen, ut ei supersit honestus & sufficiens victus ac vestitus: nec ad supremum censum adigatur, ut solent licitantes, a plus offerentibus, pro quo corradendo cogatur se sordidis & servilibus mancipare, ac rusticus fieri, ut vix aut ægre ei supersit, unde nuditatem suam vestiat, & vitam miseram sustentet: quales multos, magno Ecclesiastici Ordinis dedecore, in pagis videmus Sacerdotes.

De Vicariorum seu Capellanorum in Ecclesiis Collegiatis Officiis.

Ad postremum statuimus & ordinamus, ut Ecclesiarum Collegiatarum Vicarii (quos aliqui vocant Capellanos, aut Chorisocios) nomini suo respondeant, nec tempore Divinorum aliis psallentibus, ipsi extra Chorum spatientur, desideant, confabulentur, aut aliud quid agant in Ecclesia, in populi scandalum: sed Canonicis in persolvendis Horis Canonicis & Divinis, sint adjumento, & onera specialia, ad quæ vel ex fundatione,

(*a*) De Præben. C. Extirpandæ. & C. Exposuisti. & C. I. eod. Tit. in 6.

ne, vel antiqua consuetudine, aut Ecclesiarum statutis obligantur, devote & diligenter persolvant, sub pœna suspensionis, non a distributionibus tantummodo quotidianis, verum etiam a Vicariarum suarum fructibus, donec negligentiam juxta Decani & Capituli judicium emendent.

De Quarto Medio

Reformandi Ecclesiam per Visitationem.

NOn alias sane melius, quam in Visitatione deprehenduntur, corriguntur, & eradicantur errores & vitia, quæ Visitatoribus dormientibus seminantur, crescunt & securum robur acquirunt. Sic in Evangelio dicitur: *Cum dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania*, morum nimirum & doctrinæ corruptelam. Dormiunt Prælati: qui non visitant: soli vigilant, & servant custodias noctis super gregem suum, qui mala, quæ metuuntur, Visitatione præcidunt. Et quoniam semper oportet eos in sibi commissas oves habere oculos intentos, speculatores appellantur: *Speculatorem*, inquit Propheta, *dedi te domui Israel.* Nec aliud est Episcopus, etiam ex nomine, quam speculator. Hinc etiam Apostolus: *Attendite vobis & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos.* Et universo, inquit, gregi, quod visitationem requirit, ut Episcopus nemini desit. Quale exemplum dedit ipse de se Apostolus, non semper prædicans, sed visitans etiam suos, quos ad Christum converterat, ut exploraret, utrum servarent doctrinas & traditiones Apostolorum & Seniorum. Sic habito Concilio Hierosolymitano, in quo Apostoli & Seniores statuerant, quonam pacto Lex vetus sepeliri deberet, ait ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus Fratres per universas civitates, quomodo se habeant. Qualium visitationum frequens mentio est in Actis Apostolorum. Cap. XX. commemorat Episcopis Asiaticis labores suos, ac tandem contestatur eos in hæc verba: Quapropter contestor vos hodierna die, quod mundus sum a sanguine omnium: Non enim subterfugi, quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei. Qua sane contestatione pronunciat reos sanguinis omnium pereuntium animarum, Episcopos illos, qui oves suas non requirunt. Visitatione igitur opus est, cum Archidiaconali, tum Episcopali, atque Archi-Episcopali, & eorum, quibus hoc muneris incumbit, ad extirpandos errores ac vitia, & mores bonos plantandos, eosque in usu & vigore suo retinendos. Hactenus autem (quod negare non possumus) alto somno dormierunt Episcopi, de Archidiaconorum visitatione securi, qui speciem quandam visitationis retinuerunt, sed deformem, & pravorum Officialium, seu Visitatorum quæstu vitiosam ac reprehensibilem. Nunquam profecto, quod nunc sero querimur, tot hæreses & sectæ, moresque corrupti eousque invaluissent, nec jaceret adeo disciplina Ecclesiastica neglecta, si recte visitatum ab Episcopis & Archidiaconis, & eis, quibus hoc muneris incumbit, fuisset. Quapropter Archidiaconis quidem totius Concilii authoritate mandamus & præcipimus, ut abusu correcto, Visitationem instituant ad formulam Reformationis, nec quenquam sinant in vitiis, pecuniæ vel munerum causa, hærere, juxta superiores nostràs Constitutiones, sub pœna, quam Episcopi, vel Superiores dignam judicaverint. Episcopos autem requirimus, ut frequentius per hoc triennium visitent suas Diœceses, cum ad extinguendas hæresum & schismatum reliquias, tum vero ut Archidiaconales, & inferiores Visitatores observent, atque in ordinem redigant. Nam nisi hoc fiat, verendum est, inferiores Visitatores suum morem retenturos.

De Notario in Visitatione adhibendo.

Statuimus adhæc, ut Visitatoribus adhibeatur Notarius, qui sit Sacerdos, aut saltem Clericus, non conjugatus.

De Visitatione exemptorum, & non exemptorum.

Cautum est in Reformationis formula, ut a Visitatione Episcopali nulla Ecclesia esset libera seu exempta, propterea (ut opinamur) quod exempti multi, ab institutis suis late deflexerunt, & populum graviter irreligiosa vitæ conversatione, & moribus corruptis scan-

dalizent: induceretur autem Ecclesiæ turpis facies, plurimaque in populo scandala nascerentur, si visitatis ac reformatis non exemptis, exempti, quos oportebat esse potius reformatos, hæreant perpetuo in eodem luto. Verum quum in hoc negotio deesset Episcopis Summi Pontificis authoritas, Cæsarea Majestas recepit, se velle cum Summo Pontifice agere, ut operi huic tam sancto, Sanctitas ejus se accommodaret. Quod ipsum utrum jam factum sit, necne, nondum ad Nos pervenit. Idcirco statuimus interea, donec de hoc reddamur certiores, ut Episcopus quisque visitet omnes sibi subjectos, non exemptos, licet sint per Archidiaconos Prælatos visitati: Exemptis vero, ne quid in se patiantur Episcopi desiderari eorum, quæ Cæsarea Majestas serio requirit, suum visitandi studium, atque operam offerant, hoc periculoso præsertim tempore. Et nihilominus præsenti Concilio statuente, requirimus, & a Reverendis Coepiscopis nostris Suffraganeis in eorum Diœcesibus requirendos censemus omnes exemptorum Prælatos & Visitatores, ut munus suum strenue exequantur, reformentque subditos suos juxta Reformationis Cæsareanæ (quam sibi comparare quisque teneatur) Formulam, & Cæsareæ Majestatis mentem. Qua in re, si fuerint negligentes, & non cum effectu Reformationem exequantur, tum Episcoporum erit, ut negligentiam hanc aut Summo Pontifici, aut Cæsareæ Majestati significent, quo prospiciatur eis de remedio opportuno.

De Visitatione Hospitalium, etiam Exemptorum.

Cum Reipublicæ, sed præcipue Episcoporum intersit, ut visitentur ac restituantur Hospitalia, quippe quod Episcopi sint & esse debeant Patres pauperum & infirmorum, nec ferendum eis sit, ut eleemosynæ debitæ eis subtrahantur: statuimus, Hospitalia omnia esse diligenter & magna cura visitanda, impetrandumque Ordinariis a Summo Pontifice, Cæsareæ Majestatis intercessione, privilegium visitandi & reformandi etiam exemptorum Hospitalia, salvo tamen in aliis exemptionis jure.

De authoritate, qua oportet Visitatores Episcopales præditos esse.

Erit quoque Visitatoribus Episcopalibus opus flagello Evangelico, & Ecclesiastica coercendi potestate, ut vendentes & ementes, scorta, nequitias, imposturas, omnemque turpitudinem ex Ecclesia ejicere valeant. Proinde decernimus, ut Episcopi & Prælati, mittentes aliquo, ubi ipsi fuerint negociis aliis occupati, suos Visitatores, instruant eos etiam authoritate ac potestate sufficienti, rebelles ac criminosos per censuras Ecclesiasticas coercendi, & vitia, ut magna, vel pava fuerint, castigandi.

De Formulis inquirendi in Visitationibus.

Quanquam nulla certa inquirendi regula, ob rerum omnium instabilitatem, & diversos casus, qui subinde accidunt, Visitatoribus potest præscribi; expedit tamen extare formulas, ad quas pro diversa locorum, Ordinum, & Ecclesiarum conditione, aliter atque aliter inquisitionem suam illi instituant, & quibus submonitorii loco uti possint. Quæ si non inveniantur editæ, quo Visitatores hoc onere levemus, dabimus piis & eruditis aliquot viris negocium, tales formulas, etiam Suffraganeis nostris Episcopis communicandas, colligendi ac scribendi.

De sumptuum & procurationum in Visitatione exigendarum moderatione.

Semper mansit extra controversiam, eos, qui visitarentur, debere suis Visitatoribus sumptus omnes, dicente Apostolo: (b) *Quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte ejus non manducat? Si nos spiritualia vobis seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* Sed quoniam frigescente charitate, populus non (ut olim) benigne & liberaliter succurrit Ecclesiarum necessitatibus, & gravibus insuper exactionibus Ecclesiæ per hanc tempestatem atteruntur; ne visitatio superveniens, fiat onus importabile, & *offensionem demus* (ut Apo-

(b) 1. Cor. 9.

Apoſtolus loquitur (c) *Evangelio.* Requirimus Reverendos Comprovinciales Epiſcopos, noſtros Suffraganeos, ut quando non per ſe, ſed per Commiſſarios viſitabunt, non ſinant viſitandos ſupremis evectionum ac procurationum juribus gravari: *Neque enim debent filii theſaurizare parentibus*, (d) *ſed parentes filiis.* Præcipimusque & mandamus univerſis & ſingulis, Nobis inferioribus Viſitatoribus, ne ſuperfluum famulitium in comitatum aſſumant, & victualium ſumptu mediocri, pro ſua decentia ſint contenti. De Parochis vero, ubi tenues ſunt redditus, & paucus eſt populus, ordinamus, ut viſitandi vocentur ad vicinum aliquem illius Decanatus, ſeu Regiunculæ locum, & moderatum tantummodo ſubſidium conferant in ſumptus communes. Cæterum ſi pauperis cujuspiam Parochiæ neceſſitas requirat viſitationem perſonalem, cum hoc Viſitatores agant benigne, & ad exemplum Apoſtoli Pauli, (e) (qui malebat manuum labore victum ſibi & ſuis quærere, quam quem gravare,) Eccleſiæ pauperi de ſuo, quod a locupletiore Eccleſia habent, ſerviant.

De Synodorum Celebratione, MEDIO QUINTO,

Ad Reformationem exequendam neceſſario.

MAgno Status Eccleſiaſtici, immo Reipublicæ Chriſtianæ detrimento, fero querimur, Synodos vel intermiſſas, vel non recte hactenus fuiſſe celebratas. Quarum neceſſitas hinc intelligitur, quod ubi deficit Viſitatio, ubi officiorum non eſt cura: ubi examen & ſtudia bona jacuere neglecta, ſolæ reſtant Synodi, ſeu Concilia, in nomine Chriſti congregata, idonea non tantum ad bonorum morum plantationem, & extirpationem malorum; verum etiam ad Mediorum ſeu viarum, quibus ad iſtas pertingimus, reſtitutionem cum primis valentia. Siquidem in Synodis redintegratur unitas, ſtudetur corpori in ſua integritate conſervando, ubi ea, quæ in viſitatione non dabatur exequi, executionem ſtudiis communibus aſſequuntur: ubi de capite & membris, de fide & pietate, de Religione & cultu Divino, de moribus, de diſciplina, de obedientia & judiciis, & rebus omnibus, ad bene Chriſtianeque vivendum commodis, vel neceſſariis tractatur, atque ſtatuitur: ut veriſſime in Reformationis formula dicatur: Salus Eccleſiæ, terror hoſtium ejus, & fidei Catholicæ ſtabilimentum ſunt Synodi: quas etiam rectiſſime Corporis Eccleſiæ nervos dixerimus: Neglectis enim Synodis non aliter Eccleſiaſticus ordo diffluit, quam ſi corpus humanum nervis ſolvatur. Idcirco ſtatuimus, ut Synodus Diœceſana quot annis bis, pro veteri quidem more, ſed juxta Reformationis formulam religioſius, & meliori cum fructu celebretur. Suffecerit tamen in Diœceſi Leodienſi propter ejus latitudinem & multitudinem Prælatorum, ſemel quot annis recte & ſtudio ferventi celebrare. Synodum vero Provincialem volumus juxta Baſileenſis Concilii Decretum, ſingulo quoque triennio cogi debere.

De ſumptibus, quos in Synodis faciant Decani Collegiorum, & Paſtorum.

Decani Collegiorum accedentes Synodum, pro ſuis Collegiis in Religionis officio & dignitate ſua conſervandis, & Decani rurales, pro ſuæ Regiunculæ Parochis, Deo utique militant. Nemo vero, ut Apoſtolus ait, (f) militat unquam ſtipendiis ſuis. Propterea decernimus & ſtatuimus, ut pro numero dierum, quibus Concilium durat, conferant Decanis ſuis Collegia & Parochi ſubſidia, in ſumptus, quos neceſſario facere debent, absque omni tergiverſatione. Qua in re tam juſta, ſi qui rationis, & æquitatis obliti, reddiderint ſe difficiles, Viſitatorum noſtrorum erit, hos tales non modo compellere ad id, quod jure Divino debent, perſolvendum, verum etiam pœnas ab eis, pro iniquitatis modo exigere.

De novis Conſtitutionibus in Synodis edendis.

Statuimus quoque, ut in Synodis communibus conſiliis decernant de tollendis abuſibus & moribus corruptis, quos contigerit ad Synodi judicium referri, diſciplina Eccleſiaſtica caſtigandis. Et ſi opus

(c) 1. Cor. 9. (d) 2. Cor. 12. (e) Act. 20. (f) 1. Cor. 9.

opus ſit, Canones veteres renoventur, aut novi in novis caſibus juxta ſacram Scripturam, Patrum ſanctiones, & rectæ rationis judicium, condantur: id quod modo Nos quoque ex his, quæ ad Synodum relata ſunt, facere decrevimus.

De Medio Sexto,

Ad Reformationis executionem neceſſario.

Sextum medium, ad exequendam Reformationem efficax, eſt jurisdictio Eccleſiaſtica, qua tanquam ſupremo refugio compelluntur, qui ſponte non ducuntur, ad vitæ emendationem. Hanc Chriſtus Eccleſiæ in Petro pro Eccleſia confitenti, ipſum eſſe Filium Dei, promiſit, quando dixit: (g) *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Quam promiſſionem non ad unum Petrum pertinere, ſed in omnes Apoſtolos transmiſſam, alio loco (h) inſinuat, ubi dicit: *Amen dico vobis, quodcunque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcunque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo.* Eccleſiæ igitur ſunt claves iſtæ ligandi atque ſolvendi datæ, quas non ab hominibus, ſed a Chriſto accepit: ut abſque Divinæ authoritatis contemptu contemni non poſſint. Quapropter Chriſtus præcipit, (i) ut eum, qui Eccleſiam jus dicentem non audierit, pro ethnico habeamus & publicano. Tanta eſt Eccleſiaſticæ jurisdictionis vis & poteſtas. Hac coercentur obſtinati in ſceleribus, pervicaces, rebelles, flagitioſi, & contumaces. Hac uſus eſt beatus Apoſtolus Paulus, quando Corinthium, novercæ ſuæ ſtupratorem, tradidit Satanæ: *Ego*, inquit, (k) *abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini JESU Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini JESU, tradere hujusmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri JESU Chriſti.* Hac item uſus eſt (l) adverſus Hymenæum & Alexandrum, qui operum conſcientiam, quæ fidei rectæ congrueret, repellentes, circa fidem naufragaverunt, quos tradidit ſatanæ, ut diſcerent non blaſphemare. Et increpat beatus Apoſtolus Corinthios, (m) apud judices infideles, & Ethnicos judicio condendentes: *An neſcitis*, inquit, *quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis. Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus? quanto magis ſecularia?* Et per ironiam ſubdit: *Secularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles* ſcilicet, *qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum. Ad verecundiam veſtram dico, ſi non eſt inter vos ſapiens quisquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum, ſed frater cum fratre judicio contendit, & hoc apud infideles?* Quibus permoti rationibus, decrevimus cum præſenti Synodo, judicia Eccleſiaſtica inprimis reformanda eſſe. Et quidem in hanc rem Anteceſſores noſtri, ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, Theodoricus & Ropertus quædam ſtatuere: poſt quos Anteceſſor noſter Hermannus, anno vigeſimo nono copioſiorem noſtræ Curiæ Reformationem edidit, (n) quæ & in Provinciali Concilio, anno trigeſimo ſexto, communi omnium conſenſu publicata atque recepta eſt. Verum cum prohibente hominum malitia, non ſit Reformatio illa per hanc tempeſtatem ſortita per omnia executionem, decrevimus hanc primum in Diœceſi noſtra diligenter exequi, & omnes Curiæ noſtræ Officiarios jurejurando adſtringere ad ejus obſervantiam. Requirimus quoque & monemus Reverendos Confratres noſtros, Suffraganeos Epiſcopos, ut & ipſi ſecundum hoc exemplar, prout melius videbitur congruere ſaluti & tranquillitati ſubditorum, ſuas quoque Curias reforment, & executionem reformatæ jurisdictionis, Epiſcopali ſua authoritate inferioribus omnibus ad eundem modum, hoc eſt, per jusjurandum imponant.

De impedientibus executionem mandatorum & ſententiarum Judicum Eccleſiaſticorum.

Eccleſiaſticus Judex officio ſuo nequit perfungi, ubi Magiſtratus & ſeculares

(g) Matth. 16. (h) Matth. 18. (i) Ibid.
(k) 1. Cor. 5. (l) 1. Timoth. 1. (m) 1. Cor. 6.
(n) Vide illam in hoc Tom. pag. 221.

res homines, contumacibus, flagitiosis & rebellibus Patrocinium ferunt adversus Ecclesiastica judicia, vel ea impediunt. Idcirco mandamus omnibus Magistratibus, Præfectis, Judicibus secularibus, & quibuscunque Ecclesiæ filiis, ne quis ad judicium Ecclesiasticum vocatis, adversus Dei ordinationem, unde est ista potestas, & sacros Canones, patrocinetur, aut quovis modo impediat mandatorum & sententiarum Ecclesiasticorum Judicum executionem, sub pœna excommunicationis, qua, nisi admoniti resipiscant, sint plectendi. Piissimum quoque Imperatorem nostrum, & Principes seculares, quorum ditiones in provinciam nostram excurrunt, vel intra ejus ambitum continentur, duximus totius Concilii nomine, tanquam justitiæ Patrocinatores invocandos, ut ditionum illarum Satrapis, Judicibus, Magistratibus, suisque Vicariis mandare ac præcipere velint, ne Ecclesiastico Judici, brachium seculare petenti, illud denegent, aut cujuscunque exceptionis per eos propositæ occasione differant, etamsi nullitatem exceptio concernat, quemadmodum jure communi cautum est.

Ne Judices seculares de Matrimonialibus, & aliis spiritualibus causis judicent.

Quum Matrimonii Sacramentum, ut Sacramenta reliqua, in thesauris Ecclesiæ numeretur, nec sit civilis quidam contractus, ut olim putarunt Ethnici; ad solius Ecclesiæ judicium, præsertim ubi quæstio juris versatur, ejus discussio pertinet: idcirco statuimus cum præsenti Concilio, & sub excommunicationis pœna prohibemus, ne Magistratus, aut Judices seculares in matrimonialibus aut aliis spiritualibus quibuscunque causis, ad cognitionem solius Ecclesiastici Judicis spectantibus, inter suos subditos aut alienos judicent, nec dispensandi, aut transigendi potestatem in matrimonio ac gradibus prohibitis sibi usurpent: sed ejusmodi causas omnes, ad Judicis Ecclesiastici cognitionem & definitionem remittant.

CENSURÆ & DECRETA,

Lata pro abusuum & vitiorum, ad Synodi judicium perlatorum, emendatione.

Ne quis recipiat aut foveat Monachos & Sanctimoniales, sui instituti desertores, ac fugitivos Apostatas, sub excommunicationis pœna.

NUlla re magis per hanc tempestatem fœdata est Ecclesiæ Christi facies, quam profugorum Monachorum, & Sanctimonialium perfidia atque flagitiis: quorum, ut erat vitæ institutum arctum prius & sanctum, ita eo abjecto, absque omni freno ad quævis flagitiorum genera provoluti sunt: his enim authoribus natæ sunt hæreses, sacrilegia, incestuosa connubia, & sacrorum omnium prophanatio. Nec ab aliis magis, quam iis, quos isti seduxerunt, sunt hæc mala defensa, atque promota. Ideo magna severitate opus est, ut flagitiosissimum hoc genus hominum reprimatur, atque ab Ecclesia fidelium, videlicet, ne plures eorum contagione inficiantur & pereant, submoveatur. Proinde quod nuper in Diœcesana Synodo nostra decreveramus, (o) nunc renovamus, & ejus innixi authoritati, qui dixit: *Quidquid ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis*: Sancimus unamini totius Concilii consensu, judicio ac sententia, ac præcipimus, ne quis cujuscunque status vel conditionis fuerit, posthac Monachos & Monachas fugitivos, & extra Superiorum suorum obedientiam vagantes, quos noverit veridica aliorum relatione, aut Superiorum testimonio, vel alio quovis modo, esse tales, recipere, fovere, aut ad Sacramenta vel Ecclesiastica ministeria admittere ausit, sub excommunicationis, quam ipso facto incurrant, pœna, qua & sacri Canones feriunt eos, qui hujuscemodi fugitivis, Apostatis atque excommunicatis communicant.

De Monachis, Sanctimonialibus, & Sacerdotibus conjugatis.

Perlatum ad Concilium est, Apostatas illos varia vitæ genera sectari: quosdam

(o) Vide supra Synodum Coloniensem anno 1548. a pag. 350.

dam enim ſeculare inſtitutum in omnibus aſſumpſiſſe, & pudicitia, quam Deo conſecraverant, proſtituta, Monachos Sanctimonialibus, duplicato inceſtu, ſub conjugii prætextu adhærere. Quo vitio & Sacerdotes, ac majorum Ordinum quidam Clerici, contra Canones ſe contaminarunt: quosdam vero viduis & fœminis ſecularibus ſe copulaſſe. In quo gradu & ſanctimoniales quædam, Deo ſub velamine dicatæ, ſe viris conjugii nomine proſtituerunt: Quas nuptias omnes, quia priorem fidem irritam fecerunt, Deo abominabiles, atque execrabiles, uti nuper in Synodo noſtra Diœceſana declaravimus, ita nunc quoque totius Concilii approbatione ac judicio declaramus & pronunciamus illicitas, prophanas, ſacrilegas, atque inceſtuoſas eſſe, & nusquam tolerandas, & anathemati eos omnes, qui ita contraxerunt, eſſe innexos: prolesque inde ſuſceptas, illegitimas, nec aliter, quam ſpurios & nothos habendas, ac proinde hæreditario nomine parentibus ſuis neque in mobilibus, neque in immobilibus ſuccedere poſſe aut debere.

De Concubinariis Monachis vel Sacerdotibus.

In tertio genere verſantur Monachi Apoſtatæ, qui miniſteriis Eccleſiaſticis perfunguntur, & ſcortis, concubinis adhærent. Quorum quidam religionis ſuæ habitum penitus abjecerunt, quidam non integrum, ſed partem ejus ob metum retinuerunt. De quibus ſtatuimus, ut ſeveriori ordinis diſciplinæ pro tanti ſcandali expurgatione ſubmittantur, & carnis ſuæ petulantiam afflictione mortificent.

De Sacerdotibus vero & Clericis Beneficiatis, quibus concubinæ & fœminæ de incontinentia ſuſpectæ, ſeu cum quibus ipſi antehac de fornicatione diffamati fuerunt, manifeſte cohabitant, ut nuper in Synodo Diœceſana, ita nunc quoque totius Concilii conſenſu & approbatione decernimus & pronunciamus, eos, qui tales fœminas apud ſe detinent, ſententiam ſuſpenſionis ab officio, & Beneficio incurriſſe: Mandamusque & præcipimus, ut juxta noviſſimam declarationem, eas tam procul e vicinia ſubmoveant, ut commerciis non detur facilis occaſio, & ſuſpiciones omnes vitentur. Ipſas vero fœminas, ſi poſthac in domibus vel vicinia permanſerint, cenſemus excommunicationis pœna plectendas. Volumus quoque & jubemus, ut Eccleſiarum Prælati ſententiam memoratam contra Concubinarios notorios, & de concubinatu ſuſpectos, diligenter exequantur: alioquî noſtrarum partium erit, eorum negligentiam ſupplere, & pœnas dignas pro ea exigere. Quod ſi qui libidinis furiis correpti, inſtar equi & muli, quibus non eſt intellectus, (*p*) ſuſpenſionis pœna non emendentur, aut his noſtris mandatis facto contrario docuerint ſe non velle parere: contra hos tales ad ulteriorem Beneficiorum privationem, aliasque duriores pœnas, decrevimus & cenſuimus eſſe procedendum.

De Monachis, qui extra obedientiam degentes, Divina tractant, & populo Sacramenta adminiſtrant.

In genere quarto verſantur Monachi profugi, qui extra obedientiæ jugum & ordinis ſui obſervantiam, alii in habitu, alii habitu cum Religione rejecto degentes, regimini ſe intromittunt Eccleſiarum, Sacramenta conficiunt, & populo adminiſtrant, cum ſint ipſi excommunicati, & Sacramentorum omnium expertes: Confeſſiones audiunt, cum abſolvendi non habeant poteſtatem, multis modis & populo imponentes, & ſeipſos cenſuris gravioribus illaqueantes: nonnunqam etiam dogmata falſa diſſeminantes. Quos cum animadverterimus, eſſe propria quædam inſtrumenta, quibus Eccleſiaſtica diſciplina ſubvertatur, & pietatis obtenta ſpecie, tam ſibi, quam populo perniciem adferre: mandamus & præcipimus ſub anathematis vinculo, ne quis tales Eccleſiarum Regimini, aut Sacramentorum adminiſtrationi admoveat.

De Sanctimonialibus, Religionis ſuæ habitum ſubinde mutantibus.

His finitimæ ſunt ſanctimoniales quædam, Religionem bene & ſancte inſtitutam profeſſæ, quas accepimus Religionis ſuæ habitum ſubinde deponere, & veſtes ſeculares, Religionis tædio ſibi aptare, non absque gravi fidelium ſcandalo, & ſtatus ſui ignomi-

(*p*) Pſ. 31.

nominia: Quippe quod ficut mulier impudica cum vefte pudorem, ita fanctimonialis Religionem cum vefte deponit. Quam indignitatem prohibere volentes, præcipimus, ne qua religiofa virgo fub excommunicationis pœna habitum alium, quam fuæ Religioni convenientem, fibi induat: aut alia videri velit fponfa Deo confecrata, quam ea, quam fe effe profiteatur.

De requirendis omnis generis Apoftatis, ut refipifcant, & ad inftituta fua revertantur.

Jam licet Apoftatarum, & eorum, qui miffa ad aratrum manu, retrófpexerunt ad feculum, & fe ineptos reddiderunt Regno Dei, alius alio gravius impegerit; & quidam humanitate propter errorem communem, & eorum, qui cum prohibere hunc curfum potuiffent, officium neglexerunt, conniventiam: alii fevera ultione ob malevolentiam & impietatem, digni videantur: in hoc tamen funt omnes pares, quod Religionis furæ vota illa folennia, quibus fe Deo præ cæteris mortalibus manciparunt, timore Dei & æterna animæ falute poftpofitis, perfide folverunt. Quæ profecto magna eft impietas. Enimvero Propheta Baruch, (q) Deos gentium falfos, a Deo vero hoc veluti figno proprio difcernit, quod falfi illi, votum quo fe quis obligaverit, nec tamen reddiderit, non requirant: Deus autem verus requirit. Unde perfpicuum eft, fecuros illos votifragos Apoftatas, qui fibi perfuadent Deum vota non requirere, habere fibi perfuafum, Deum effe falfum, quales funt Dii gentium: quod vel cogitaffe horrendum idololatriæ vitium eft. Petrus quoque in Actis Apoftolorum (r) teftatur, eos, qui communem vitæ focietatem, qualis olim inter Apoftolos erat, & nunc apud Religiofos confervari debet, femel receptam deferunt, tentare Spiritum Sanctum, & mentiri non hominibus, fed Deo. Idcirco duximus eos omnes, falutis, de qua periclitantur, graviter admonendos, & uno nomine requirendos, quibus & præfentis Synodi authoritate, invocato Chrifti nomine, quem fceleratis fuis factis abnegarunt, mandamus & præcipimus, ut relictis falfis conjugibus & concubinis, fi quibus adhærent, poftpofitisque negociis, quibus fe implicuerunt, habitum Religionis fuæ refumant, & ad fuum quique Monafterium revertantur, ubi pœnitentiam falutarem, ad Divinam ultionem avertendam, veniamque erratorum impetrandam, humiliter agant.

De abjuranda hærefi, & communione fchifmatica vitanda.

Similiter requirimus, & paterno affectu monemus Monachos & Sanctimoniales apoftatas, Sacerdotes, fui ordinis & difciplinæ defertores, Clericos & Laicos, eosque omnes, qui communione fchismatica, aut pravorum dogmatum contagione per hanc tempeftatem fe ab unitate Ecclefiæ Catholicæ, extra quam non eft falus, fepararunt; ut hærefi, fchismateque omni abjurato, abfolutionem & reconciliationem a Sede Apoftolica, vel eis, quibus hoc muneris delegatum eft, petant, ftudeantque deinceps in unitate communionis & fide cum Ecclefia Sancta Catholica permanere. Propter eos vero Provinciæ noftræ incolas, qui fibi arbitrantur utriusque fpeciei communionem a Cæfarea Majeftate permiffam, operæ pretium duximus, de hoc iterum ferre noftrum judicium. Proinde Cæfareæ Majeftatis declaratione, maturo judicio lecta atque expenfa, quod in nupera noftra Synodo fecimus, nunc totius Concilii fententia declaramus omnibus Provinciæ fidelibus, nihil tale in religiofiffimi, Catholiciffimique Imperatoris declaratione, qua fuam mentem expofuit, inveniri, quin potius contrarium. Siquidem expreffis & difertis verbis a Catholicis Imperii Statibus, & eorum fubditis, ferio valde exigit, ne quid in Sacramentorum adminiftratione præter Ecclefiæ Catholicæ confuetudinem immutent, aut immutari in fuis ditionibus permittant. Cui Cæfareæ Majeftatis plane Catholicæ & Chriftianæ ordinationi decrevimus Nos, tanquam Archi-Epifcopus & Princeps Elector, per Dei gratiam Catholicus, cum Reverendis Confratribus noftris Comprovincialibus Epifcopis & Principibus, eadem gratia Divina concedente fimi-

(q) Baruch. 6. (r) Act. 5.

similiter Catholicis, fideliter & obedienter per omnia obtemperare. Id quod & alioqui pro nostra erga Sanctam Ecclesiam devotione, studio pacis & unitatis, quæ Divino illo Sacramento significatur, conservandæ, eramus facturi. Præcipimus idcirco, & authoritate præsentis Synodi, in nomine Domini nostri JESU CHRISTI convocatæ, mandamus omnibus Provinciæ nostræ incolis, qui Christiano nomine censentur, ut Corporis & Sanguinis Christi veritatem sub una Sacramenti specie percepisse contenti, vinculum pacis cum gratiarum actione servent.

Ut Sacerdotes ab Hæreticis revertentes, non statim involent Ministeriis Ecclesiarum.

Caveant autem Sacerdotes, sive Religiosi, sive sæculares, ab hæreticis, vel schismaticis ad Ecclesiam revertentes, se Ministeriis Divinis statim ingerere, & sacrificare, aut Sacramenta populo administrare, etiamsi maxime id non more hæreticorum, aut schismaticorum, sed secundum Ecclesiæ Catholicæ ritum facere velint; priusquam sint absoluti, Ecclesiæ reconciliati, & officiis ac ministeriis suis, irregularitate sublata, restituti, ne damnationem graviorem incurrant, propter irregularitatis impedimentum, quo tenentur per sacros Canones illaqueati.

Veniæ spe proposita, errantes omnes ad Ecclesiam Catholicam revocandos.

Ne vero pœnarum severitate proposita, reverti ad Ecclesiam ab hæresi cupientes, avertamus & retropellamus, & non potius etiam duros & obstinatos veniæ blandimentis emolliamus, atque ad pudorem & resipiscentiam invitemus: En omnibus, cujuscunque sint status, gradus, aut conditionis, ad mentem cum filio prodigo redeuntibus, resipiscentibus, atque ad Ecclesiam, Patris sui domum, unde aufugerant, ab hæresum, & schismatum lenociniis cupientibus reverti, Ecclesiæ valvas, quantum in Nobis est, aperimus, & facilem ignoscentiam pollicemur. Requirimusque Reverendos Confratres nostros Suffraganeos Episcopos, ut animo volventes, boni Pastoris officium esse, non imperare cum austeritate & potentia, sed infirmas oves consolidare, ægrotas sanare, confractas alligare, perditas per deserta quærere, atque in humeris reportare: Patris item boni officium esse, prodigo filio a longe revertenti, veniæ propositione occurrere: studeant etiam ipsi, errantes ad resipiscentiam & Ecclesiam revocare. Omnibus vero Prælatis, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, & Monasteriorum utriusque sexus Superioribus mandamus, ut pœnitentia ductos suos subditos, & ultro revertentes, veniamque petentes, & emendationem pollicentes, paterne recipiant ad pœnitentiam tolerabilem: quam, emendatione eorum perspecta, sensim minuant, ut sanent, non interimant suas oves. Quod si forte casus sit, ut in Monasterium & locum proprium absque scandalo recipi pœnitentes nequeant, curent eos in alio ejusdem Ordinis Monasterio, secundum juris Canonici dispositionem, recipi. Nec eos tantum, qui intra Diœceseos nostræ pomeria continentur, cogi volumus, ut huic muneri suo satisfaciant; sed omnes ubique locorum per totam Provinciam. Proinde requirimus & monemus Reverendos Confratres nostros Suffraganeos Comprovinciales Episcopos, ut ad eundem modum, & ipsi suarum Diœcesium Prælatos requirant & cogant, resipiscentes ac ultro redeuntes, benigne ad modum prædictum recipere.

De Refractariis, & in errore persistentibus, vi cogendis.

Quod si qui apostatæ & Ordinis sui desertores, fascino diabolico, & vitiorum amore excæcati, atque illaqueati, non patiantur se invitari ad vitæ emendationem, aut ad Ecclesiæ sinum benigne adduci; eos decernimus, post spretam benevolentiam nostram paternam, vi cogendos, per Dei Ministros illos, qui gladium tenent ad vindictam malorum & laudem bonorum, ut intrare vel inviti compellantur, qui sponte reverti nolebant. Idcirco Concilii totius nomine, per authoritatem Domini nostri JESU CHRISTI, qui nos vocavit, & cujus causam agimus, requirimus Christianos Principes, Magistratus sæculares,

& quotquot poteſtatem coercendi malos habent omnes, ut ſuo miniſterio ad laudem Dei, & Eccleſiæ, cujus ſunt filii, ſalutem perfungentes, obſtinatos apoſtatas, Monachos & Sanctimoniales, in ſuis ſordibus & rebellione hærentes, ſeductores quoque fidelis populi, eis indicatos, potenti manu capiant, tradantque ſuis Superioribus, aut Monaſteriis, pœnitentiæ ſeveriori, ſalutari tamen, ſubmittendos.

De apoſtatis, qui ſub prætextu diſpenſationum Apoſtolicarum, vota, Religionisque ſuæ inſtituta deſerunt.

Apoſtatæ quidam extra Monaſteria ſua degunt, Superioribus rebelles, & ad rebellionem alios ſolicitantes: tanto nocentiores in Eccleſia, quanto hoſtis domeſticus externo pernicioſior eſt: qui nequitiam ſuam velant diſpenſationum Apoſtolicarum prætextu, quas plerumque vel in Curia, vel a Pœnitentiariis Summi Pontificis, aut Legatis, & Nunciis Apoſtolicis, ſurreptitie, vel allegatione cauſarum falſarum impetrant. Et ſi cauſæ juri innixæ Bullis obtentis interſerantur, tales tamen petunt ſibi dari, atque impetrant earum Examinatores & Judices, Summo Pontifici, Legatis, Nunciis, & Diſpenſatoribus ignotos, qui neque cauſas allegatas examinent, nec partibus legitime vocatis, de earum veritate inquirant, ſed ſimpliciter eorum libidini patrocinentur: aut ſi dantur Judices incorrupti, & probitatis amantes, iis Bullas ſuas non exhibent cognoſcendas: & nihilominus ſecum diſpenſatum eſſe jactant, utunturque diſpenſationibus obtentis haud aliter, quam ſi cauſas illas legitime verificaſſent. Unde non infrequenter plus malorum & ſcandalorum, quam a notoriis apoſtatis accipitur: Noſtrum vero non eſt, ſuſtinere in Eccleſia tantam impoſturam, tamque licentioſam votorum violationem. Proinde ſtatuimus & ordinamus, ut qui diſpenſationes tales obtinuerunt, in habitu & obedientia ſuæ religionis, quam profeſſi ſunt, coram Nobis, aut Reverendis Comprovincialibus noſtris Coepiſcopis, compareant, atque ita diſpenſationes ſuas exhibeant examinandas, & vocatis eorum Superioribus, ac quorum intererit, diſcutiendas. Aut ſi jam habitum temere, & abſque prævia Bullarum examinatione depoſuerunt, eum reaſſumant, & eouſque in Monaſterio, ac ſub obedientia ſe contineant, donec diſpenſationibus Nobis ad examinandum oblatis, inveniantur non etiam Summum Pontificem, & ejus Legatos, vel alios diſpenſatores fefelliſſe, aut ſiniſtre aliquid impetraſſe. Quod ſi diſpenſationibus obtentis aliter, atque jam ſtatutum eſt, voluerint uti, eos pro notoriis apoſtatis habendos, vitandos, a Magiſtratu capiendos, & Superioribus cum rebus omnibus, quas habent, expenſis tamen Monaſteriorum, tradendos, ad eundem omnino modum, quo de apoſtatis jam decretum & ſtatutum eſt, totius Concilii ſententia decernimus & approbamus.

Ut qui habent adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum vel officia, reddant rationem.

Accepimus, in quibusdam Collegiis Theſaurarios, fabricæ Præfectos, & alios rerum adminiſtratores, vel officia ſpiritualia habentes, raro, aut nunquam dare adminiſtrationum ſuarum rationem, non ſine ſuſpicione infidelitatis, cui permagna datur occaſio: unde res Eccleſiarum diffluunt, & quæ a Majoribus ad ornatum Eccleſiarum magnis ſtudiis congeſta ſunt, negligentia & fraude poſteritatis turpiter dilabuntur. Idcirco ſtatuimus & ordinamus, ut Collegiorum & Monaſteriorum officiarii, quibus cura adminiſtrandorum & diſpenſandorum Bonorum Eccleſiaſticorum committitur, jurejurando promittant, ſe velle ea fideliter conſervare, tractare & adminiſtrare, ac quotiescunque petuntur, dare rationem, & ea, quæ rationes conſectari debent. Diem autem certum computandi Decanus & Capitulum eis præfigant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & emolumentorum perceptione. Adhæc ordinamus, ne facile, ubi ſunt idoneæ perſonæ, uni plura, quam unum, officia committantur, niſi ſint natura connexa, aut perſonæ paucæ, & valeat unius induſtria tanta, ut pluribus ſufficere poſſit. Statuimus quoque, ut juxta Conſtitutionem felicis memoriæ Vuichboldi Archi Epiſcopi, Anteceſſoris noſtri,

noſtri, laici Proviſores Parochialium Eccleſiarum, qui pro conſervatione ædificiorum, luminarium, & comparatione ornamentorum inſtituuntur, nihil ordinent, vel diſponant absque conſilio ſui Plebani, cui bis in anno teneantur reddere rationem, ut ſi quid inordinate egerint, pro utilitate Eccleſiarum, prout ſecundum Deum & conſcientias ſuas videbitur expedire, corrigatur, atque reformetur.

Ut campanarii, ſeu cuſtodes, religioſe officia ſua exequantur.

Delatum quoque ad Synodum eſt, campanarios, ſeu cuſtodes quosdam, quos alii Matricularios vocant, tam Parochialium, quam Collegiatarum Eccleſiarum, qui pallas, mappas, veſtes ſacras, ſordide & irreverenter ſervant, peraguntque miniſteria ſua prolixis barbis horridi, ac nulla Religionis veſte a plebeis diſcreti. Statuimus igitur, ne liceat campanariis, ſeu Matriculariis nutrire barbam, aut in veſte laica in Eccleſiis circumcurſitare, ſed miniſteria ſua in ſuperpelliceis exhibeant, linteaque Eccleſiæ & ſacrarii, ut munda ſint, diligenter aſſervent. De eorum vero lotione, quæ pertinent ad uſum ſacrorum, illos admoneant ſedulo, quibus hæc cura incumbit, qui talium ablutionem fieri procurent per eos, quibus hoc per Canones licet: ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & emolumentis, donec pareant.

De benedictione fontis, & parvulis tempore Paſchali baptizandis.

Inolevit gravis abuſus in Collegiis quibusdam, qui tempore Paſchalis officii aquam omnibus Baptismi cæremoniis benedicunt, quam poſtea effundunt; Statuimus propterea, ut nullum fontem ſeu aquam Collegia poſthac conſecrent, cujus nullus eſt uſus; ſed cæremoniis & benedictionibus utantur apud illum fontem Parochiæ ſuæ, quem intra Collegii ſepta, aut in proxima vicinia habent: Et ut orationes & cæremoniæ ſolennes, quæ tempore Paſchali & Pentecoſtes Baptiſmo adhibentur, habeant res eis reſpondentes; ſtatuimus, ut Paſtores, & Concionatores adhortentur populum, ut parvulos natos inſtante feſto Paſchæ, ſervent baptizandos in vigiliam Paſchæ, & natos feſto Pentecoſtes inſtante, ad feſtum Pentecoſtes uſque ſervent: ſi tamen nullum immineat vitæ periculum.

Ubi, & quibus horis debeant parvuli baptizari.

Deteſtanda eſt non minus Laicorum ſuperbia, quam Paſtorum eis obſequentium adulatio: qui contempta Eccleſia, proles ſuas volunt in ſuis domibus baptizari, & eo Baptismi aquam deferri. Quem abuſum prorſus reſcindere volentes, ſtatuimus, neminem alibi, quam in Eccleſia, quocunque loco natus ſit, debere baptizari, exceptis Regum Filiis, &c. quibus valeat ſecundum Concilium Viennenſe deferri. Paſtores vero, qui ſecus fecerint, ab officio ſuſpendimus, donec abſolutionem a Nobis obtineant. Similiter multos abuſus & levitates, quæ paſſim apud digniſſimum illud Sacramentum admittuntur, amputare cupientes, prohibemus, parvulos tempore pomeridiano baptizari, ſed quando jejuni & ſobrii ſunt homines, & ad res tantas attenti. Si vero pauca ſint in civitate aliqua Baptiſteria, & multi baptizandi, poterunt reſidui, qui apud ſacrum matutinale baptizari commode non poterant, tempore pomeridiano baptizari. Et ſi adſit digna populi frequentia, Paſtor eos de Baptismi myſteriis doceat: præſertim ut cogitent, quanta ſit DEI miſericordia peccata abluentis, & nos in ſuos filios adoptantis. Præterea vetamus, Ethnicorum more, ab hoc Sacramento magna convivia inſtruere, epulari, & ebrietate (ut homines parum Chriſtiani faciunt) omnia miſcere.

Quod non liceat Religioſis, ſuſcipere in fonte baptizatos, aut nuptiis intereſſe.

Quamvis Religioſis omnibus interdictum ſacris Canonibus ſit, ne parvulos in Baptismo ſuſcipiant, aut nuptiarum conviviis interſint: paſſim tamen hi Canones negliguntur, & Religioſi ad parvulorum ſuſceptionem & nuptias invitantur: unde ſuſpecta plerumque naſcitur & alitur familiaritas, & aculei nonnunquam in pectoribus relinquuntur: qui, ut forte, ubi arcta eſt cognatio, vel

vel senectus emortua, desint, tamen nocet exemplum junioribus propositum. Idcirco Abbatibus, Prioribus, & Religiosis quibuscunque, susceptionem parvulorum in Baptismo, & nuptiarum convivia plane interdicimus, quantavis necessitudine vel parvulis, vel desponsatis jungantur. Contrarium facientes, pro transgressione & scandalo dato, severa pœnitentia decernimus castigandos.

Comœdias quatenus liceat in Monasteriis ludere.

Percepimus, Comœdiarum actores quosdam, scena & theatris non contentos, transire etiam ad Monasteria Monialium, ubi gestibus prophanis, amatoriis & secularibus, commoveant virginibus voluptatem. Quæ spectacula, etiamsi de rebus sacris & piis exhiberentur, parum tamen boni, mali vero plurimum relinquere in Sanctimonialium mentibus possunt, gestus externos spectantibus & mirantibus, cæterum verba non intelligentibus. Ideo vetamus & prohibemus posthac vel Comœdos admitti in Virginum Monasteria, vel Virgines Comœdias spectare.

Abusus populi in audiendis Missis quomodo coercendus.

Animadvertentes, populum rudem & simplicem, religionis antiquæ & veræ ignarum, actiones prope nullas in Missæ sacrificio, præter Hostiæ sacrosanctæ oblationem observare, & hinc abusum natum in civitatibus, ubi multæ celebrantur Missæ, ut ab Altari ad Altare discurrant, nulli sacrificio plane intenti: in oppidis vero & pagis Cæmeteria circumambulent, & de rebus nonnunquam prophanis tractent, donec detur ad Hostiæ elevationem signum, qua vel e longinquo conspecta ac salutata, putant se hominis Christiani officio abunde perfunctos: e salute fore populi fidelis existimavimus, si hoc vitium gladio spiritus excinderetur. Idcirco Pastoribus & verbi Divini Concionatoribus omnibus injungimus ac mandamus, ut ubi irreligiosus hic abusus irrepsit, frequenter doceant populum de tremendis, atque adorandis Missæ mysteriis juxta sanctorum Patrum doctrinam, & ea, quæ in declaratione Cæsareæ Majestatis de Missa traduntur: & quod Christianorum sit, integro Sacro auscultare, quo participes fiant confessionis, quam Sacerdos pro tota plebe facit, & omnium orationum, & benedictionis, qua eos dimittit. Et siquidem peccat ea in re, tota, (ut alicubi fit) rustica communitas, censemus Præfectum loci requirendum, ut abusum talem coerceat ac prohibeat. Qui si forte hoc facere recuset, prohibemus omnibus Pastoribus, Vicecuratis, & animarum Curatoribus quibuscunque, ne quis eum absolvat, aut ad Sacramentorum perceptionem admittat, nisi certa fide polliceatur, se velle regulis istis Ecclesiasticis obtemperare. Si vero paucorum istud vitium est, & moniti non emendent, cera, vel rebus aliis ad Ecclesiæ ornatum, vel pauperum subventionem pertinentibus, pro arbitrio Pastoris & ædilium mulctentur.

Et ne cui desint pietatis sub Missa exercitia, dabimus piis quibusdam & eruditis viris negocium, conscribendi Divino huic officio congruentes meditationes & orationes, pro populi simplicis captu, quas vel ipsimet legentes intra se revolvant, vel e Parochi frequenti institutione addiscant.

Quando, & ubi conveniat, simul plures Missas dicere.

Mentem sequentes formulæ, ad quam Reformatio instituenda erat, ordinamus, ut in Ecclesiis Parochialibus, ad quas potissimum confluere solet populus in unum collectus, & in minoribus Collegiis ac Monasteriis, Sacerdotes, quibus dicendæ sunt Missæ speciales, eas finiant ante solennis Missæ Evangelium, aut ad summum ante Actionem: aut ab ejus communione facta incipiant, ne populus in diversa distrahatur. Ubi vero amplæ sunt Monasteriorum, vel Collegiorum Ecclesiæ, sic in Oratoria distinctæ, ut in locis diversis diversus accipiatur populus, nec possint uni Missæ commode omnes esse intenti, poterunt singulis populorum turbis singulæ Missæ celebrari, quibus unusquisque populus sit intentus. Sub concione autem nulli Sacerdotum liceat, in Ecclesia illa Missam celebrare.

De

De oblationibus in Missa faciendis.

Varia fuerunt olim in lege veteri sacrificia & oblationes, Christi perfectum sacrificium præfigurantes, quas unica Christus hostia in Crucis ara consummavit, semetipsum pro nobis offerens. Hæc est Hostia sempiterna, quam eandem in Missa Sacerdos eorum omnium nomine, qui Christum pro se oblatum cupiunt, offert, ac sistit ante Patrem. Fuerunt & aliæ Primitiarum, Decimarum, & liberalium votorum oblationes, quibus in Ecclesia, præter sacrificia spiritualia, mactationis vitiorum, gratiarum actionis, laudis & servitutis, quæ Divinæ Majestati debetur, successerunt etiam rerum temporalium, ad usum ministerii necessariarum oblationes, quas olim in primitiva Ecclesia magnis studiis offerebant in Missa, quo suffragiis ejuscemodi Sacerdotes, & Ecclesiæ ministros sustentarent. Unde adeo locupletatæ sunt initio Ecclesiarum res, etiam persecutionis tempore, tanta copia, ut post Sacerdotum & ministrorum alimenta, partiti sint eas etiam in alimenta viduarum, orphanorum & pauperum: in vestes item & vasa ministerii, ornatum & fabricam Ecclesiarum: de quibus extant adhuc antiqui Patrum Canones, extant quoque orationes, quas secretas, appellamus, sub Offertorio Missæ, quibus oblationes populi Deo commendantur.

Qui mos offerendi semper fuit in populo fideli retentus ad novissima usque ista secula. Verum res tam altæ originis, & ratione tam sancta subnixa, jam tota prope abire cœpit in desuetudinem, hominibus piis causam & originem offerendi ad Altare ignorantibus: & impiis, cupiditate Sacerdotum usum illum introductum calumniose afferentibus. Quamobrem Divini verbi Concionatoribus, illis præsertim, qui de oblationibus populi non participant, ad cupiditatis speciem tollendam, præcipimus, ut populo veritatem rei istius, & utilitatem exponant, hortenturque omnes, sequi Majorum studia, ut vel exigui munusculi oblatione, suam pro rebus a Deo acceptis ostendant gratitudinem, quo etiam preces illæ in eos conquadrent: inculcentque eis, quod Deus non tam ad dona, quam ad voluntatem & mentem piorum respiciat: quanquam locupletes & divites convenit esse liberaliores, quo gratitudinis signum de se amplioris præbeant, & testentur, se a Deo, ad Dei honorem & cultum habere, quicquid habent.

De Suffragiis & Oblationibus pro Defunctis faciendis sine pompa vana & commessationibus.

Cum mortuus sit Christus pro vivis & defunctis, offertur etiam in Missa non tantum pro vivis, verum etiam pro defunctis. Quod rudes & Sadducæis crassiores homines ignorantes, neque orant, neque sacrificium expetunt, aut exequias, aut justa, pro parentibus, liberis, cognatis & amicis persolvunt: non aliter sane, quam si cum corporibus simul & animæ extinguerentur. Mandamus idcirco, ut verbi Divini Concionatores populum hac de re diligenter ac pie informent & doceant, ne animæ amicorum, in Christo defunctorum, suffragiis orationum, & oblationis Christi fraudentur. Qui modus semper fuit retentus in Ecclesia, atque etiam ante Christum apud Judæos celebris. Neenim ex unico Machabæi facto (*s*) concluditur, sanctum esse, pro defunctis orare, & sacrificium offerre, ut a peccatis solvantur, sed quoniam ita pii, & de vera fide instructi Judæi, absque hæsitatione credebant. Verum non probamus propterea pomposos & sumptuosos apparatus supra hominis conditionem, qui valent ad ostentationem potius opum, quam ut defuncto suffragentur. Improbamus vero comessationes & ebrietates, quibus post exequias quidam indulgent, quasi mortuorum amicorum memoriam vino abluere velint, ubi potius, eadem via sibi sequendum esse, cogitare debebant.

De Processionibus, in quibus Sacra Hostia cum imaginibus Sanctorum circumfertur.

Nihil prope tam sanctum est, quod sæcularium hominum vanitas non trahat in abusum. Ecclesia de thesauro Corporis Christi exultans circumfert longis processionibus, etiam extra sacras ædes Hostiam illam salutarem, videlicet simul

(*s*) 2. Machab. 12.

repræſentans itineris Chriſti hiſtoriam, qui dum quæreret ſalutem noſtram, in medio populi verſatus eſt, & univerſam Judæam circumambulavit, docens, & ægrotos ſanans, Diſcipulis comitantibus: quamobrem & Sanctorum Reliquias & Imagines eorum, qui veſtigia ejus ſecuti ſunt, ſimul circumferimus, ſignificantes, illos nunc cum ipſo regnare & triumphare in Cælis: quæ memoria debet piis eſſe jucunda & læta. Verum huc ſæcularis ſtultorum hominum vanitas irrepſit, & adhibentur etiam ludi prophani & ſcurriles magno ſtrepitu: ac quaſi ad bellum procedendum eſſet, tympana pulſantur, & ocioſa ſpectacula eduntur, rebus iſtis non congruentia: quibus populus delectatus, a rebus, quæ proceſſione aguntur, avocatur. Mandamus idcirco, ut juxta Cæſareæ Majeſtatis Reformationem, quicquid non valet ad devotionem excitandam, a proceſſionibus removeatur. Sed ſint proceſſiones compoſitæ, graves & modeſtæ: abſint riſus, joci, & confabulationes, & orent homines, aut ſuaviter corde & voce modulentur: nec Beatæ Virginis, aut alterius cujuslibet Sancti, plures, quam imago una uniuscujusque circumferatur, ne videamur magnas & parvas, cultas & incultas ſtatuas inſpicere, & non ſurſum mente in Cælum ſubducta, rem ſignificatam potius cogitare. At ubi populus vanus noluerit abuſum hunc corrigere, & inſolentiam prohibere; mandamus, & præcipimus Sacerdotibus & Clero, ne talibus proceſſionibus interſint, ubi iram Dei, non vero miſericordiam in nos provocamus.

De Stationibus & ſupplicationibus.

Quantum in proceſſionibus Feſtivis peccat turba populi, tantum in ſtationibus & ſupplicationibus ſolet Clerus peccare, & populum devotum, nudis interdum plantis & capitibus incedentem, ſua inſolentia, confabulationibus, cachinnis, incompoſitis moribus & diſcurſibus ſcandalizare. Præcipimus idcirco, ut in omnibus cujuscunque generis proceſſionibus, Clerus exemplis bonis populum ædificet, & aut oret, aut cantet, cum gravitate per plateas incedens: nec dilabantur ad jentacula, nec in Eccleſiis, dum Sacrum in ſtationibus peragitur, deambulent, aut confabulentur; ſed choro omnes interſint, habeantque ſinguli Decani & Seniores ad juniores reſpectum, puniantur que transgreſſores pœnis, quas Decanus injunget.

Ut diſtributionum non ſint participes, qui officiis integris non interfuerint.

Non minori populi ſcandalo Clerici quidam, quando ſunt pingues diſtributiones, Chorum ad breve tantummodo tempus, quo ſui præſentiam teſtentur, ingrediuntur, nec officium totum perſolvunt, ſed continuo egreſſi Chorum, aut ambulant in Eccleſia, vel ejus immunitate, aut ad aliam, in qua ſimul Beneficium habent, celeri tranſitu ſe proripiunt, ubi ſimiliter teſtentur ſe fuiſſe præſentes, quo duarum Eccleſiarum diſtributiones pro eodem officio integras percipiant, cum in nulla Eccleſia officium integrum perſolverint; manifeſto indicio, ſe pecuniæ, non Chriſto, aut Eccleſiæ ſervire, ut ter peccent: primum cupiditate, deinde cultus Divini negligentia, tertio exemplo pravo, quo populum ſcandalizant, ut transgreſſionem Canonum prætereamus. Etenim in Concilio Chalcedonenſi ſtatuerunt Patres, ne quis Clericus in duabus Eccleſiis inſcriberetur, aut miniſtraret, nec communicaret prioris Eccleſiæ rebus, qui ad ſecundam tranſiret. Quamobrem ſtatuimus, ut illi ſoli, qui horis Divinis, aut defunctorum exequiis, ſeu memoriis, a principio ad finem uſque interſunt, idque in habitu, qualem temporis, & perſonæ conditio requirit, diſtributiones percipiant; niſi juſta cauſa ſit, quare ante officium finitum diſcedant, aut tardius ipſum accedant. Nolumus tamen hac Conſtitutione Privilegio Prælatorum derogatum.

De Proceſſionibus Ruralibus.

Decanis Ruralibus committimus, ut ruri, ubi major eſt abuſus, per ſuas regiunculas Paſtores adhortentur, ut ad prædictum modum ſuas proceſſiones inſtituant, nec vagi & incompoſiti per agros diſcurrant, & præſertim Rogationum tempore, quando Deum pro miſericordia & frugum conſervatione imploramus. Transgredientes Paſtores aut ipſi

ipsi in Synodis suis corrigant, aut Visitatoribus nostris indicent.

Ut Pastores rurales Decanis suis obediant.

Quod præcipit Apostolus, (t) ut fideles omnes Præpositis suis, quorum est vigilare pro animabus eorum, ad reddendam Deo rationem, obediant, atque subjaceant, intelligant Pastores Rurales, non ad laicam modo turbam, sed etiam ad se pertinere: quia debent Decanis suis in licitis & honestis omnibus reverenter auscultare, & parere: & æquum est, ut obedientiam, quam ab inferioribus suis, tanquam Christi Vicarii exigunt, Superioribus exhibeant. Præcipimus ob id, ut Visitatores de obedientia, quam mavult Deus, quam Sacrificium, potissimum inquirant, nec sinant inobedientiam impunitam.

Ne Magistratus sæculares Decanis & Pastoribus in officiorum suorum executione sint impedimento.

Accepimus, Magistratus sæculares quosdam, & Principum Præfectos, munera Ecclesiastica invadere, ac tyrannidem in Christi Sacerdotes & Clerum exercere, cogere Pastores, ut præter Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, subditos sub duplici specie communicent, & cæremonias pie institutas abrogent: quos schismaticos, atque cum Chore, Dathan, & Abiron, quos terra deglutivit, æternæ maledictioni obnoxios esse, e sacra Scriptura discimus. Alios quosdam accepimus, impedire Decanos rurales, quo minus possint officia, & jurisdictionem suam exercere, Synodos libere celebrare, & excessus corrigere, sed judicium hoc vendicare sibi: quare & ipsi intelligant se, excommunicationem a jure & Canonibus latam, incurrere: quos & excommunicatos totius Concilii authoritate (ubi præmoniti non abstinuerint) pronunciamus & declaramus. Volumus quoque, ut Visitatores, tales Ecclesiasticæ disciplinæ ac libertatis violatores, atque oppressores, ad nos pro ulteriori eorum persecutione perferant: quos, si nostræ ditionis fuerint, pro malis meritis plectemus: sin alterius, eorum Principibus, aut Cæsareæ Majestati plectendos denunciabimus.

Ne Magistratus sæculares onerent domos Religiosorum, & eorum personas, servitiis sæcularibus.

Pervenit ad sacrum Concilium, Præfectos quosdam in religiosarum Sororum domos irruisse, & fractis per vim foribus occupasse, atque in granaria sua convertisse earum officinas: quin etiam religiosas ipsas sorores magna servitute opprimere, compellere frequentius Monasteriis suis egredi in arcem, ubi eas domesticis suis servitiis gravent. Quam indignitatem sacri Canones gravissimis censuris damnant, nec dissimulare absque magno reatu Nos possumus. Proinde hos tales, ubi res ita aguntur, cum toto Concilio pronunciamus anathemata violatæ immunitatis Ecclesiasticæ incurrisse. Committimusque Visitatoribus nostris, ut de facti enormitate inquirant, quo de remedio ulteriori possimus cogitare.

Ne Coloni Ecclesiarum, servitiis indebitis graventur.

Ad hæc præcipimus & mandamus universis Magistratibus & Præfectis fidelibus, ne contra juris dispositionem, Ecclesiarum colonos servitiis & impositionibus gravent, sed juxta Cæsareæ Majestatis Reformationem, sacros Canones & Imperatorum leges, libertatem, privilegia & immunitates Ecclesiasticas conservent eis illibatas, si anathema & animæ suæ damnationem velint evitare.

Ne Judices sæculares Clerum judicialibus impensis ultra æquitatem gravent.

Perlatum est in Concilium, sæculares quosdam Judices, pravo & nusquam gentium audito exemplo, ab annis paucis introducto, exigere a Clero, si quis Clericus, vel Religiosus ratione bonorum Ecclesiasticorum, vel aliis de causis, laicum in suo foro convenit, impensas duplicatas: ut ubi laici actores, vel rei, dant simplum, Clerici & Religiosi (si velint justitiam sibi administrari) duplum solvere cogant. Quod profecto iniquum

(t) Hæbr. 13.

quum eſt gravamen, & tam rationi rectæ, quam legibus Imperatorum & ſacris Canonibus adverſum. Proinde ſtatuimus & ordinamus, ne liceat ullis Judicibus vel Scabinis, quicunque illi ſint, Clericos & Religioſos impenſis majoribus, quam laicos gravare, aut ad dupli ſolutionem eos quocunque prætextu cogere, ubi in cauſa ſimili dat laicus ſimplum, ſub cenſuris contra eos, qui exactionibus & oneribus Clerum gravant, decretis.

Ne clandeſtina conjugia contrahantur & tolerentur.

Sæpius experti, quanta mala ex conjugiis clandeſtinis oriantur, qualia ſunt perjuria, ſtupra virginum, adulteria, homicidia, parentum & amicorum offenſiones, ut prætereaṁ ea, quæ Cæſareæ Majeſtatis Reformatio pie & Chriſtiane commemorat: decrevimus & ſtatuimus, ut clandeſtine contrahentibus tantiſper Sacramenta negentur, donec ab excommunicatione a judice competente abſolvantur, atque ita in facie Eccleſiæ Sacramenti ſolennia celebrent. Idem ſtatuimus de incolis & advenis, de quibus ſuſpicio eſt, eos in facie Eccleſiæ non eſſe conjunctos, qui aut matrimonii ſolennes ritus in Eccleſia celebrent, aut alibi id ſe feciſſe, idoneis teſtimoniis probent. Dum vero hujus gratia ad Eccleſiam convenitur, & qui junguntur, benedictioni Sacerdotali ſe ſubmittunt, abſit omnis levitas & jocus ſecularis: ſed cum Dei timore cogitent, quale ſit vinculum, quo colligantur, & quod Deus ſit, qui eos conjungat: ut diſcant in Chriſto nubere, cujus gratia & dono torus immaculatus datur & conſervatur.

Quod Matrimonium debeat præcedere trina proclamatio, & nemo niſi a Paſtore, ad quem hoc pertinet, conjungi.

Fit ſæpe, ut dum Paſtor alter alterius ovile invadens, copulat virum & fœminam ſibi non ſubditos, absque Epiſcopi licentia, ut unus fiat duarum maritus, & contra una multorum uxor. Ideo ſub pœnis & cenſuris Canonicis ſtatuimus & ordinamus, ut nemo Parochus vel Presbyter auſit ſibi non ſubditos copulare, niſi ſit alter alterutrius Parochus proprius, & Paſtoris alterius dimiſſorias literas acceperit, nec niſi in utriusque Parochia trinæ proclamationes tribus diebus feſtis, a ſe invicem diſtantibus, ad Populi frequentiam præceſſerint.

Quod non debeant ſponſus & ſponſa conjungi, niſi in Eccleſia, & tempore ab Eccleſia non interdicto.

Superbiam eorum, qui Eccleſiam Dei contemnunt, reprimere volentes, mandamus & præcipimus univerſis Parochis & Presbyteris, ne quis alibi, quam in Eccleſia, publice poſt Miſſam auditam, jungendos Matrimonio copulet, nec alio tempore, quam jura permittant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quam Sacerdotes mandatum hoc prætergredientes incurrant: nec volumus per Officiales noſtros, cum quovis, niſi ex cauſis graviſſimis, & urgente magna neceſſitate, diſpenſari.

De Communione & Confeſſione Sacramentali.

Perlatum eſt in Concilium, multos reperiri atheos homines, qui ſacram communionem ab annis aliquot a ſuo Parocho non perceperint, quos veriſimile eſt, vel non communicaſſe, vel alibi clanculum apud ſchismaticos communicare. Quosdam etiam adire ſacram Synaxim, de quibus non conſtet, utrum ſint confeſſi peccata ſua, abſoluti, an ſecus. Statuimus idcirco, ut quicunque Chriſtiano nomine volunt cenſeri, ſemel ut minimum in anno accipiant a ſuo Parocho ſacram Communionem, ſecundum Catholicæ Eccleſiæ ritum, ſub una tantum ſpecie. Et vel eidem prius confiteantur, vel ſi de eorum confeſſione probabilis eſt dubitatio, teſtimonium adferant, quod alibi ſint confeſſi, & abſoluti. Alioqui viventes ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & mortui, Eccleſiaſtica careant ſepultura.

Ne Fratres quatuor Ordinum audiendis Confeſſionibus ſe intromittant, niſi ſint præſentati.

Exploratum habemus, quosdam e Fratribus quatuor Ordinum Mendicantium

tium juvenes, imperitos, & inexpertos Sacerdotes, fiducia privilegiorum suorum audire passim confessiones, & quoslibet passim absque judicio & discretione casuum, quam nullam noverunt, absolvere. Cui periculo obviare volentes, præcipimus, ne quis Fratrum ordinum Mendicantium, confessiones audire præsumat, nisi legitime secundum formam juris, Nobis, vel Comprovincialibus Episcopis præsentatus, & de his, quæ ad officium illud pertinent, probe informatus sit, & judicatus idoneus. Quod si Priores & Guardiani non compulerint suos fratres ad ordinationis hujus observantiam, & dissimulaverint; tales noverint, se ab omni ministerio Ecclesiarum nostrarum cum suis fratribus submovendos. Ne vero habeant, quod de præsentatione querantur, has gratis, salva Scribarum moderata mercede, eis impartiemur.

De Pœnitentiariis Episcopalibus.

Insuper, ut conscientiis scrupulosis consulatur, ac facilior pateat omnibus ad veniam & absolutionem peccatorum aditus, ordinamus nostros in hac Diœcesi Pœnitentiarios, qui facultatem habeant, sibi confessos ab omnibus casibus, Nobis de jure, vel per Statuta Synodalia reservatis, in foro conscientiæ absolvendi:

Inprimis Reverendum Cyrenensem Episcopum, nostrum in Pontificalibus Vicarium. Deinde Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ Presbyteros, Canonicos, Theologos, omnes quoque intraneos, & extraneos Collegiorum & Ruralium Pastorum Decanos, & quatuor primarum Parochialium Ecclesiarum in Colonia Pastores: scilicet Martini, Columbæ, Laurentii, & Albani: Priores quoque quatuor Ordinum Mendicantium, & præterea: ex Ordine Prædicatorum, Fratrem Georgium de Tremonia: ex Ordine Minoritarum, Fratrem Vuinandum ab Effren, Licentiatum Theologiæ: ex Ordine Carmelitarum, Fratrem Vuilhelmum a Blatzhem: ex Ordine Augustinensium, Fratrem Henricum a Vuyerd. Præterea addimus in Majori nostra Ecclesia Venerabilem Licentiatum Theologiæ Joannem Lunen, Joannem Lamb, Decretorum Doctorem, Joannem ab Heinsberg, Theologiæ Licentiatum, & Gotfridum Ditmarum ab Hagen.

De Confessoribus Sanctimonialium.

Volentes consulere infirmitati Sanctimonialium, quas nonnunquam pudor vel metus retinet a confessione, quia ad unum tantum Patrem, vel Confessorem, eis familiariter notum, alligantur: unde fit, ut sæpe non integre, sed vix unquam libere conscientiam suam exonerent: & tamen ad Sacrosanctam Communionem statutis temporibus cum aliis accedant; clementer indulgemus & concedimus, ut Sanctimonialibus bis aut ter in anno fiat potestas, alii, quam suo Presbytero confitendi, ab Ordinario loci deputando, nisi proprius eorum Visitator aut Commissarius huic rei prius providerit.

De contemnentibus Sacram Unctionem.

Relatum Nobis in Concilio est, impios quosdam homines infirmitatis suæ tempore Unctionem sacram respuisse ac contempsisse: quamobrem statuimus, ut si quis Sacramentum illud, nobis ab Apostolo Jacobo (*u*) tantopere commendatum, contempserit, Ecclesiastica careat sepultura.

Est quoque in observatione dierum Festorum multa varietas, de qua in proxima Synodo nostra Diœcesana statuemus. Ea vero, quæ hic constituta sunt, judicio sanctæ Sedis Apostolicæ, & Oecumenici Concilii, ut omnia nostra, reverenter submittimus: nec per eam Sacris Canonibus, Traditionibus Ecclesiasticis, aut reliquis Majorum nostrorum Provincialibus & Diœcesanis Synodalibus Constitutionibus volumus derogatum: Potestatemque præmissa omnia & singula interpretandi & declarandi, quoties opus fuerit, & visum erit expedire, Nobis reservamus. In cujus fidem & testimonium, Sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum in Metropolitana Ecclesia nostra Coloniensi, 6. Aprilis, Anno Domini Millesimo, quingentesimo, quadragesimo nono.

CARO-

(*u*) Jac. 5.

CAROLI V. Imperatoris Edictum,

quo præmissam Provincialem Synodum Coloniensem per Provinciam Archi-Episcopalem observandam jubet, prohibetque, ne ab eorum, quæ ibidem statuta sunt, executione quispiam impediatur.

CAROLUS QUINTUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR, SEMPER AUGUSTUS, ET REX GERMANIÆ, HISPANIARUM, UTRIUSQUE SICILIÆ, HIERUSALEM, HUNGARIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, &c. ARCHI-DUX AUSTRIÆ, DUX BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ &c. COMES HABSBURGIÆ, FLANDRIÆ, TYROLIS &c. UNIVERSIS ET SINGULIS PRINCIPIBUS ECCLESIASTICIS ET SÆCULARIBUS, ARCHI-EPISCOPIS, EPISCOPIS, PRÆLATIS, DUCIBUS, MARCHIONIBUS, COMITIBUS, BARONIBUS, NOBILIBUS, MILITIBUS, MILITARIBUS, PRÆFECTIS, POTESTATIBUS, VICE-DOMINIS, CASTELLANIS, MAGISTRATIBUS, CONSULIBUS, JUDICIBUS, OFFICIALIBUS, ADVOCATIS, PROCURATORIBUS, CIVIBUS, COMMUNITATIBUS, ET OMNIBUS ALIIS NOSTRIS, ET IMPERII SACRI, ET DITIONUM NOSTRARUM HÆREDITARIARUM IN PROVINCIA ARCHI-EPISCOPATUS COLONIENSIS COMPRÆHENSARUM, SUBDITIS, ET IN ECCLESIASTICIS REBUS EJUSDEM PROVINCIÆ EPISCOPORUM ET PRÆLATORUM JURISDICTIONI SUBJECTIS, CUJUSCUNQUE PRÆEMINENTIÆ, DIGNITATIS, STATUS, GRADUS, ORDINIS ET CONDITIONIS EXISTANT, GRATIAM NOSTRAM ET OMNE BONUM.

VEnerabiles & Illuſtres Electores, Principes & conſanguinei noſtri Chariſſimi, Nobiles, Honorabiles, devoti & fideles, dilecti: Quum Venerabilis Adolphus Archi-Epiſcopus Colonienſis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Princeps Elector, & conſanguineus noſter Chariſſimus, & ejus Comprovinciales Epiſcopi, in executionem formulæ Reformationis, in nuperrimis Comitiis, apud Civitatem noſtram Imperialem Auguſtam Vindelicam habitis, eidem Archi-Epiſcopo, & aliis Epiſcopis, & Statibus Eccleſiaſticis per Nos propoſitæ, & ab ipſis probatæ, & quantum in eis eſſet, receptæ, ut monitis noſtris ea de cauſa factis parerent, & eidem Reformationi commodæ viæ præſternerentur, per quas ad meliorem vivendi rationem tranſitus fieret: in Concilio Provinciali apud Coloniam Agrippinam habito, Canones quosdam Synodales, tum ad efficacem & indies ſurgentem, ac permanſuram reformationis executionem, tum ad mores pravos extirpandos: potiſſimum vero manifeſtos abuſus in Clero & populo coercendos: & ſeductores, qui corrumpendis ſimplicibus hominibus ſtudent, e grege propulſandos ediderint, & nobis obtulerint, Authoritate noſtra, quatenus expedire videretur, muniendos & in executionem mittendos: Nos vero eosdem Canones primariis noſtris Conſiliariis, & aliis rerum Theologicarum peritis, ad id ſpecialiter per Nos deputatis, propoſitos, & per eos diligenter reviſos & examinatos, eorumque relatione nobis facta, cum illos prædictæ formulæ reformationis conformes invenerimus: proinde ipſos Canones Synodales ratos & gratos habentes, & quoad opus eſt, & per nos fieri poteſt ac debet, approbantes, & decreto noſtro corroborantes, Imperiali authoritate noſtra, & qua alias fungimur, vobis omnibus & ſingulis, ſerio, & ſub pœna gravis indignationis noſtræ, & aliis pœnis noſtro arbitrio imponendis, hujus Edicti noſtri vigore præcipimus & mandamus, ut ea omnia Provincialis hujus Concilii Colonienſis decreta, in omnibus ſuis punctis, clauſulis, articulis, ſententiis, & verborum expreſſionibus, eo modo, quo illa quemlibet veſtrum concernunt, rite, ſancte, inviolabiliter, citra ullam fraudem & tergiverſationem obſervetis, impleatis, & exequamini.

Vosque Principes & Magiſtratus civiles, in refrenandis, & coercendis juxta eadem decreta rebellibus, perverſis, & refractariis, ſive illi Eccleſiaſtici, ſive laici

laici fint, Ecclefiarum Epifcopis & Prælatis, ubi ab illis requifiti fueritis, omnem legitimum favorem, auxilium, opem præbeatis, & per Miniftros & Officiarios veftros, atque alios, in quos vobis Imperium competit, præberi jubeatis & curetis. Ac nullus omnino veftrum, cujuscunque Præeminentiæ, Dignitatis, Gradus, Ordinis & conditionis fit, aut quocunque munere aut jurisdictione fungatur, memoratos Epifcopos & Prælatos in eorum munere, jurisdictione, officio, fecundum Canones & Leges, ad ipforum functionem pertinente, quovis modo impediat aut turbet, neque id ab aliis fieri jubeat, nec permittat.

Præterea quicunque veftrum Ecclefiarum, Monafteriorum, & aliorum piorum locorum Advocati, Præfecti, & Protectores fuerint, ac Prælatos, Ecclefias & loca pia, eorumque bona in fidem, tutelam, & protectionem fuam, five ex commiffione Divorum Principum, Prædeceflorum noftrorum in Sacro Imperio, five noftra, aut alio quovis jure receperint; eadem præfectura, tutela, feu protectione neutiquam abutantur, neque ipfos Prælatos, Ecclefias, Monafteria, & loca pia, contra formam & naturam protectionis ufurpent, opprimant, gravent. Quin potius illos & illa in fuis privilegiis, jurisdictionibus & rebus confervent, & tueantur: & tam ii, quam vos alii omnes fupradicti, contra promiffa facere, feu attentare, neque præfumaris, neque ab aliis fieri, aut attentari finatis, quovis quæfito colore feu prætextu; quatenus pœnas fupradictas, & alias in formula memoratæ reformationis a nobis propofitæ, & decretis Provincialis Synodi Colonienfis contentas, præter eas, quas alioqui Canones & leges in violatores perfonarum & rerum Ecclefiafticarum decernunt, malueritis evitare. Hæc eft animi noftri fententia, & feria voluntas. Datum in Oppido Bruxellenfi Ducatus noftri Brabantiæ, fub impreffione Sigilli noftri, quarto nonas Julii, anno a Nativitate Domini fupra fefqui millefimum quadragefimo nono, Regnorum noftrorum, Imperii vigefimo nono, & aliorum omnium trigefimo quarto.

CAROLUS.

Ad Mandatum Cæfareæ & Catholicæ Majeftatis proprium.

Vid. ANTON. PEREN.

OBERNBURGER Subf.

Ex editione Colonienfi Quenteliana A. 1554. Recudit Lunig Spicil. Eccl. I. partis Continuat.

SYNODUS PROVINCIALIS MOGUNTINA

Eodem anno Chrifti MDXLIX.

SUB SEBASTIANO, ARCHI-EPISCOPO MOGUNTINO.

CONSTITUTIONES CONCILII PROVINCIALIS MOGUNTINI.

PRÆFATIO.

SEBASTIANUS, DEI GRATIA SANCTÆ SEDIS MOGUNTINÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER GERMANIAM ARCHI-CANCELLARIUS, ET PRINCEPS ELECTOR &c. UNIVERSO CLERO ET POPULO PER DIOECESIN NOSTRAM MOGUNTINAM, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

POftquam grave illud Paftoralis muneris onus humeris noftris, Domino fic difponente, incubuiffet, fane nunquam quafi in dignitatis & honorum fafti-

faſtigio ſublimati, lætari potuimus; ſed, quaſi in quadam ſpecula poſiti, ingentem & anxiam ſolicitudinem animo concepimus, & quaſi importabile onus humeris ſuſtinentes, ad omnem ſuſcepti muneris recordationem frequenter ingemuimus. Non enim ignorabamus depoſitum, quod, tradente & commendante Chriſto ſuſcepimus: quanta in illo aſſervando cura, ſolicitudine & labore deſudare nos oporteat: quantave pœna nos maneat, & quam terribilis nos Domini ſententia expectet, ſi quidquam de theſauro illo, quem Chriſtus, velut ſedulus & prudens negociator, precio Sanguinis ſui comparandum duxit, noſtra ſorte incuria perire contigerit.

Accedebat ad cumulum ſolicitudinis noſtræ, & timoris noſtri pondus in immenſum augebat, quod functionem noſtram Paſtoralem in eam videbamus, tempeſtatem incidiſſe, qua tot ſectæ, ſchismata, & omnes pœne præteritorum temporum hæreſes, velut conſpiratione facta agminatim in Eccleſiam irruerant, & diſperſum Chriſti gregem immanes lupi ad interitum rapiebant: & qua univerſa vitiorum corruptela, & graviſſimorum ſcelerum lues, ovile Chriſti, quaſi contagione perſerpens, oviculas Chriſti ſanguine redemptas crudelem in modum depaſcebatur.

Atque hac temporum iniquitate nobis nequaquam deſidiæ patrocinium, aut negligentiæ excuſationem, præberi exiſtimabamus; ſed curam & ſolicitudinem noſtram potius augeri: ut quanto gravioribus malis laborantem Eccleſiam conſpiciebamus, tanto attentiore animo & ſtudio vigilantiore, in eam, quam Dominus nobis impoſuerat, Paſtoralis officii functionem incumberemus, & gregi nobis credito cuſtodiam ſimul & diſciplinam ſedulo adhiberemus: cuſtodiam quidem, ut ex commonitione noſtra, cavere noxia, & ſalutaria appetere, peccata refugere, & virtutes ſectari, plebs nobis commiſſa ſedulo addiſceret: diſciplinam vero, ut qui ſpretis ſalutaribus monitis, aut torpentes negligentia, aut malitia incitati, delinquerent; per nos a vitiis ſuis Eccleſiaſticæ Cenſuræ ſeveritate coercerentur. Siquidem memineramus, hanc utramque curam, a Domino, ovilis ſui cuſtodibus, ſub gravi comminatione injungi: Cuſtodiam quidem, cum ait: (*) *Si Speculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina: & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate ſua captus eſt: ſanguinem autem ejus de manu Speculatoris requiram.* Severitatem vero diſciplinæ Dominus a Paſtoribus exigens, *Non quæras*, inquit, *fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates:* nimirum innuens, gravi culpæ alligari eum, qui vitia ſubditorum, quæ pro poteſtate ſibi tradita compeſcendo emendare debet, diſſimulando nutrit, & auget. Et alibi Dominus Paſtorum negligentiam ſeveriſſimis minis increpans: *Ecce ego ipſe*, inquit, *ſuper Paſtores, gregem meum de manu eorum requiram.* (**)

His nos Domini commonitionibus incitati, jam inde ab initio Ordinationis noſtræ propenſa voluntate ad debitam commiſſæ nobis functionis executionem omnem animi & conſilii vim convertebamus: ſed pios conatus noſtros inquietudo temporis illius impediebat, dum tumultibus & bellis fervenent omnia, ac plane appareret, ſæculum noſtrum jam nec vitia ſua ferre poſſe, nec remedia pati velle. Et jam nihil aliud, quam gravem Eccleſiarum ruinam, & de proximo imminentem, Religionis noſtræ interitum oculis prævidebamus, niſi Deus pro immenſa ſua miſericordia miſeratus, Eccleſiam ſuam, tot malis graviſſime afflictam, & ſub tantarum calamitatum onere jamjam ruituram, Invictiſſimi & Potentiſſimi Principis Caroli Quinti, Pientiſſimi & vere Catholici Imperatoris, armis texiſſet, & a caſu præſervatam, pia ejuſdem Imperatoris ſolicitudine ad priſtinæ ſecuritatis recuperandæ ſpem erexiſſet.

Cum igitur ſingulari Dei gratia & miſericordia, & Chriſtianiſſimi ac Potentiſſimi Imperatoris beneficio, hæc quies Eccleſiis reddita eſſet, ut jam de rebus Religionis conſilia tuto capere liceret; Nos tantam opportunitatem, quam nobis divinitus concedi diu deſideraveramus, nequaquam negligendam rati, omnes animi & conſilii conatus ad Eccleſiarum nobis ſubjectarum diſciplinam rite conſtituendam, & ad plebis com-

(*) Ezechiel. 33. (**) Ezech. 34.

commissæ salutem promovendam, adeoque ad totius Pastoralis muneris nostri functionem pro virili exequendam applicuimus. Et veterem Ecclesiæ consuetudinem insequentes, quam Apostoli nobis reliquerunt, & Sancti Patres quasi per manus traditam sedulo retinuerunt, ut quoties in fide Christiana dubiæ quæstiones orirentur, aut alioqui ancipiti malo Ecclesia periclitaretur, mox Synodum convocarent, & dubias quæstiones ex Scripturis sanctis, juxta communem Sanctorum Patrum consensum, & receptam Ecclesiæ authoritatem, dirimerent, & suborientibus difficultatibus & periculis, collato inter se consilio, matura & salutaria remedia adhiberent: Nos quoque post celebratam a nobis Synodum Diœcesanam, præsentibus malis etiam ampliora consilii remedia credentes quærenda, juxta sacrorum Canonum Sanctiones, Provinciale Concilium duximus congregandum. Itaque Comprovinciales nostros, Amicos charissimos & dilectos in Christo, Reverendos Episcopos ad diem sextum Maji in civitatem nostram Moguntiam evocavimus: e quibus cum Reverendus in Christo, & Amicus noster sincere dilectus, Mauritius, Episcopus Eystettensis, Vir insigni eruditione præditus, & promovendæ Religionis zelo mirifice flagrans, per seipsum: plerique vero alii per idoneos Nuntios, pietate, doctrina, providentia, & consilii magnitudine præstantes Viros, prompte comparuissent: omnium, qui convenerant, voluntates, ad Ecclesiæ tot malis afflictæ, & tantis Cleri & populi vitiis deturpatæ, auxilium & emendationem valde pronas deprehendimus. Qua animorum alacri pietate, & pia alacritate exhilarati, invocato Dei auxilio, sine ampliore mora, sancto & necessario negotio manus admovimus, & quantum is nos adjuvare dignatus est, cujus causam agebamus, in commune cœpimus consulere, quanam ratione populos nobis commissos in officio continere, noxia quæque ab eis avertere, & salutaria eis providere, ac Ecclesias nostras in pace & puritate regere possimus; donec Generale Concilium his tantis malis aptiora remedia provideret, & omnium abusuum pleniorem emendationem, ac Deo propitio calamitatum & dissidiorum finem inveniret. Tandem, cum dies aliquot continuis deliberationibus absumpsissemus, quæcunque ad Dei gloriam illustrandam, ad Ecclesiasticæ disciplinæ emendationem, & ad salutem commissi nobis gregis promovendam apta & salutaria nobis visa sunt, in Constitutiones Divinæ Legi, orthodoxorum Patrum sententiis, & sacrorum Canonum sanctionibus, & rectæ rationis judicio consentaneas, congessimus, & eas, ut ab omnibus per Civitates & Diœceses nostras observentur, communi consensu publicandas decrevimus. Dedimus autem operam in iis nostris Constitutionibus, ut solicitudinis & pastoralis nostræ curæ utramque partem complecteremur; & gregi nobis commisso custodiam simul & disciplinam præstaremus: omnem curam adhibentes, quatenus in Ecclesiis nostris simul salutarem Christi doctrinam, in qua vita & salus Christiani gregis consistit, a pravis opinionibus immunem & puram conservare, & disciplinam Ecclesiasticam magna ex parte collapsam erigere, & sic Christo Principi Pastorum oves, quas suo Sanguine redimendas existimavit, in illo die incolumes sistere valeamus: nequaquam immemores, ut ingentis meriti sibi comparant fructum, qui super gregem Domini diligenti custodia excubantes, ad justitiam erudiunt, & ad salutem promovent multos; sic æterni supplicii se reos constituere, qui ad Pastoralis officii functionem admoti, sua negligentia interire sinunt animas, pro quibus Sanguinem suum impendere, & acerbissimam mortem tolerare sustinuit Christus, Filius Dei.

Nos igitur juxta Apostoli commonitionem attendere (*) volentes universo gregi, in quo nos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo: memores, nos aliquando coram justo Judice pro animabus commissæ nobis plebis rationem reddituros esse, inprimis solicita cura duximus providendum, ut in Ecclesiis per universam nostram Provinciam & Diœceses constitutis, sana & sincera, tum etiam una, consentiens, & concors Sacrosanctæ Fidei nostræ doctrina tradatur: quatenus populi curæ nostræ commissi, sicut, uno Baptismo in spem

(*) Act. 20.

ſpem vivam regenerati, unum colunt Deum, unamque Fidem profitentur, & unam omnes ambiunt unius Patris in cœlo hæreditatem; ſic ad eandem una & concordi doctrina, erudiantur.

Proinde univerſos & ſingulos Paſtores, Parochos, & Concionatores, & Curatos, per Civitates & Diœceſes noſtras conſtitutos in Domino exhortamur, eisque diſtricte præcipiendo injungimus, ut tum univerſam Chriſtianam doctrinam, juxta receptum ſanctorum Patrum, & orthodoxæ ac Catholicæ Eccleſiæ ſenſum (vitatis noxiis novitatibus, & ſuſpectis opinionibus penitus omiſſis) plebibus commiſſis fideli cura tradant: tum vero eos præcipue, qui hiſce temporibus in controverſiam trahuntur, Sacroſanctæ Religionis noſtræ articulos, in eam, quæ ſequitur ſententiam, explicent.

CAPITULA, AD FIDEM PERTINENTIA

De Sancta Trinitate, & Fide Catholica.

Caput I.

PRincipio, ut Superbenedictæ Trinitatis Fidem ſimplici populo non anxia nimis & ſcrupuloſa, ſed plana & ſimplici oratione, juxta Scripturæ ſacræ, & trium Symbolorum, Apoſtolici, Nicæni, & Athanaſii traditionem, exponant; & eos unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate credere & confiteri edoceant: Unum, eundemque Deum in Eſſentia, & in Perſonis trinum, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

De creatione & conſervatione mundi.

Caput II.

Hunc Deum conditorem, conſervatorem, & gubernatorem eſſe rerum omnium: in pœnis & vindictis juſtum ſimul, & miſericordem, in donis liberalem: omnis quidem boni, ſed nequaquam mali culpæ, auctorem: ſiquidem nos peccata, nulla impulſi neceſſitate, ſed malitia, & vitio noſtro, perpetramus.

De Hominis creatione.

Caput III.

Inter cætera Bonitatis & Potentiæ ſuæ opera, Deum ab initio hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidiſſe, animæ & corporis viribus rectum, ornatum juſtitia & gratia; intus in anima pravis motibus vacuum, in corpore infirmitatis omnis, & omnium ærumnarum expertem, & a moriendi neceſſitate immunem, in voluntate ad bona, malaque appetenda ex pari liberum.

De lapſu Hominis.

Caput IV.

Qui cum mandatum Dei, conditoris ſui, prævaricatus eſſet, ſanctitatem, gratiam & juſtitiam, in qua erat conſtitutus, juſtiſſimo Dei judicio amiſit; iræ Dei ac damnationi obnoxius, & in corpore ſimul & anima factus deterior, ut jam in corpore famem, ſitim, & innumeras alias miſerias & infirmitates, in anima concupiſcentiam ad mala allicientem, multas noxias & moleſtas ærumnas, ac tandem utriusque, videlicet corporis & animæ, mortem ſuſtineret.

De peccato originali.

Caput V.

Hoc primorum hominum peccatum, propagatione in omnes homines tranſire, ac ſecum pœnam ſuam trahere, ut ſint natura omnes homines iræ Dei, mortis & damnationis rei, & in peccatum proni: qui per libertatem arbitrii ſui, quæ exigua, & infirma in iis reſidet, nondum adjuti gratia Dei, ea, quæ ſunt Spiritus, & ad ſalutem conferunt, non agnoſcere, nedum appetere queant.

De Redemptione per Chriſtum.

Caput VI.

Ab hoc originalis peccati morbo, homines ſola Dei miſericordia, per Redemptionem, quæ eſt in CHRISTO JESU, liberari; qui infirmitates & languores noſtros in ſe ſuſcipiens, & peccata noſtra in Cruce perferens in corpore ſuo, Patri nos reconciliavit, ut ſatisfactionem pro delictis noſtris, quam in noſtris meritis non invenimus, de Chriſti ſanguine, & meritis ejus aſſumamus: Cui dum per Baptismum inſerimur, per Spiritum Sanctum mundamur, & omnem reatum, quem naſcendo, vel proprie peccando contraximus, renaſcendo exuimus, & ab omni prorſus peccato liberamur, & per Spiritum Sanctum ſanctificamur, & innovamur

vamur ſecundum internum hominem, vireſque contra relictæ concupiſcentiæ impetus accipimus; ut jam non regnet peccatum in mortali noſtro corpore: nec ad culpam nobis, ſed ad meriti occaſionem, ſi per gratiam Dei pugnaverimus, concupiſcentia in nobis ſit relicta.

De Juſtificatione.

Caput VII.

Atque hac ratione ſanctificari homines, cum, qui immundi & natura iræ filii & damnationis rei ſunt, per Chriſti meritum peccatorum ſuorum remiſſione impetrata, renovantur Spiritu Dei per Chriſtum ſecundum internum hominum: Ut jam juſtificati gratia ipſius, & reconciliati Deo, & ab æternæ damnationis reatu abſoluti, hæredes ſint ſecundum ſpem vitæ æternæ.

Talis autem Juſtificationis initium ex Dei gratia provenire, qua ante omne meritum, dum adhuc inimici, & peccatores ſunt, excitati, & adjuti, & eidem gratiæ ſic excitanti & adjuvanti conſentientes, & cooperantes, ad juſtificationem diſponuntur.

Hanc vero prævenientem gratiam, cum per alia media, tum potiſſimum in prædicatione verbi, ad converſionem hominis operari: dum homo peccatorum ſuorum admonitus, & a Deo juſto judice conſtituta peccatis ſupplicia metuens, mox excitatus, & adjutus Dei gratia, a timore peccati, ad Dei miſericordiam cogitatione deflectit: & cum alia omnia in ſcripturis revelata, tam hoc præcipue fide firma capit; Deum peccatoribus propter Chriſtum miſereri velle. Qua ſubnixus fiducia, ſpem concipit, & timorem animo ejicit, ac Deum, quem ad miſerendum proclivem, ſibique jam propitium credit, diligere, & peccata, quæ ipſum a Deo ſeparabant, odiſſe incipit, jamque Deo per Baptiſmum uniri, ſi nondum eſt in Chriſto regeneratus: aut, ſi poſt acceptam juſtificationis gratiam in peccata relapſus eſt, per pœnitentiam Deo reconciliari deſiderat, eique per vitæ novitatem placere, & per mandatorum ipſius obſervationem perpetuo adhærere velle proponit. Sicque is, qui tunc primo fidei Chriſtianæ initiandus venit, regenerationis lavacro ſuſcepto, aut ſaltem votis expetito, dum ſuſcipiendi facultas non ſuppetit: Ille vero, qui poſt acceptam juſtificationis gratiam, per peccatum rurſus excidit, per pœnitentiæ remedia juſtificationem accipit; quæ cum peccatorum remiſſione etiam ſanctificationem, & interni hominis innovationem confert: quatenus per meritum Paſſionis Chriſti, quod jam credenti, communicatur, cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & per Spiritum Sanctum una cum fide, ſimul charitatem in corde diffuſam, ac ſpem accipit. Hiſque Dei donis in ipſo permanentibus, non jam ſolum reputatur, aut nominatur, ſed vere exiſtit juſtus, non tamen ſua propria, aut ſuis meritis comparata; ſed ex gratia Dei per Chriſtum donata, & communicata juſtitia.

Itaque hominem juſtificari gratis per fidem, quia nullis præcedentibus meritis juſtificatio acquiritur, ſed ex Dei gratia per Chriſtum donatur his, quibus in eum credentibus, mortis ejus, & fuſi pro peccatoribus ſanguinis meritum applicatur.

De Charitate & bonis operibus.

Caput VIII.

Caritatem vero, ſine qua nemo juſtus eſſe poteſt, jam tum, cum in juſtificatione hominis accedit, operibus bonis gravidam eſſe, nec otioſam manere in vere juſtificatis: Quin oblata occaſione, & facultate permiſſa, promat de ſe opus bonum, & quotidiana faciat juſtitiæ incrementa ſecundum Scripturam: (*) *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Ea vero, quæ juſtificati jam, membra ſua exhibentes arma juſtitiæ in ſanctificationem, fide per dilectionem operante, fecerint opera: tum, quia Deus bene operantibus, & in ipſo ſperantibus, mercedem miſericorditer promiſit; tum etiam, quia ejuſmodi juſtificatorum opera, gratiæ Dei effectus ſunt, & movente, & adjuvante Spiritu Sancto fiunt: vere bona, & Deo grata, ac remuneratione vitæ æternæ digna eſſe.

Non enim ſecundum humanas vires æſtimanda ſunt juſtificatorum opera, ſed ſecundum eam gratiam, quam in ipſos influit Chriſtus, ex qua deinde bona ipſorum opera promanant: & ſecundum eam

(*) Apoc. 22.

eam dignitatem, quam de Spiritu Sancto, velut omnis boni operis motore ſumunt. Sic enim extenuandæ vires humanæ, ut non ſimul & gratia Dei vilis reputetur: ſic in bono opere faciendo, deprimenda eſt facultas hominis, ut interim cogitemus, Spiritus Sancti motum, & in nobis efficacem, & apud Deum acceptum, ac pretioſum eſſe.

Obſervationem Mandatorum DEI, vere Chriſtianis eſſe poſſibilem.

Caput IX.

Ex eadem cauſa demonſtrandum eſt, mandatorum Dei obſervationem renatis ac juſtificatis eſſe poſſibilem, non ſecundum naturæ infirmitatem, quam habent cum aliis hominibus communem: ſed ſecundum gratiam Chriſti, qua imbuti ſunt, & ſecundum opem Spiritus Sancti, quem renati ac juſtificati acceperunt: Ut jam Divinorum præceptorum obſervatio renatis tanto ſit poſſibilior, quanto majorem gratiam, eodem ſemper opitulante Spiritu, vel acceptam retinent, vel amiſſam novo ſubinde munere recuperant.

De vera libertate Chriſtiana.

Caput X.

Eam vero libertatem ſuam (quam lex Spiritus, quæ eſt ipſa Charitas, diffuſa in cordibus noſtris, nobis affert) Chriſtiani intelligant, non, ut non impleant ea, quæ in mandatis Dei exiguntur, ſed, quatenus ad ea adimplenda, non, ut alii homines, pœnarum metu, & Imperio legis, compellantur; ſed ea jam non inviti, imo vero volentes faciant: Ita, ut obedientia ipſorum ſecundum animi promptitudinem, & in recte factis lætitiam vera libertas: ſecundum præcepti adimpletionem, plena & pia ſervitus exiſtimetur. Alioqui cupiditatibus fræna laxare, & carnis curam, ſecundum ejus deſideria facere, non Chriſti libertas, ſed pernicioſa Diaboli ſervitus reputanda eſt.

De Sacramentis in genere.

Caput XI.

Doceant etiam Paſtores noſtri, ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta divinitus inſtituta, per quæ velut apta remedia atque inſtrumenta, & peccatis noſtris mederi, & ſuæ gratiæ munera nobis impartiri Deus voluerit: Eaque non eſſe ritus ſimplices, quod quidam impie confingunt; ſed ſacroſancta ſignacula, & efficacia ſigna, quæ rite ea ſuſcipientes, gratiam eis conferendo, ſanctificent. Gratiam vero Sacramentorum, non ex ipſa externarum rerum virtute, nec ex merito miniſtri: ſed ex internæ, operationis virtute, æſtimandam eſſe.

Modus doctrinæ circa Baptiſmum.

Caput XII.

Et ut populus virtutem ac fructum uniuscujusque Sacramenti plane intelligat, concordi doctrina erudiri populos nobis commiſſos volumus, ut credant, Baptismi virtute omne prorſus peccatum tam originale, quam actuale remitti, nec quidquam in rite baptizato relinqui, quod ab ingreſſu Regni Cœleſtis remorari eum queat. Concupiſcentiam enim, quæ poſt Baptiſmum in nobis ad agonem, non ad culpam relinquitur, jam non eſſe peccatum vera ratione peccati; ſed peccatum ob id appellari, quod per peccatum facta, & ex peccato relicta ſit, & ad peccatum amplius inclinet.

De Baptismo parvulorum.

Caput XIII.

Datum etiam parvulis in fide Eccleſiæ Baptiſmum, ad abolendum originale peccatum, & ad ſalutem conſequendam, efficacem eſſe. Eumque ſemel rite, etiam a parvulo ſuſceptum, aut ab hæretico, vel infideli, in forma Eccleſiæ, cum recta intentione datum, ſine injuria Chriſti (in cujus mortis ſimilitudinem ſemel pro nobis redimendis toleratæ, traditur) ſine grandi piaculo amplius iterari nec poſſe, nec debere: ne invocatio ſanctiſſimi nominis Dei, in qua ſemel ablutio data eſt, per iterationem, quaſi vana, accuſetur; & mors Domini, in cujus ſimilitudinem ſemel baptizamur, repetito baptiſmo, quaſi inefficax arguatur.

Baptismum, adhibitis ritibus ſecundum veterem Eccleſiæ morem, adminiſtrari debere.

Caput XIV.

Parochis vero, & aliis Eccleſiarum Miniſtris, per noſtras ditiones conſtitutis, ſedulo injungimus, & ſub gravi pœna, prævaricantibus ſine remiſſione infligenda,

genda, comminamur, ne aliter, quam adhibitis Exorcismis, & Exsufflationibus, Unctionibus etiam, & cæteris ritibus, per Catholicam Ecclesiam, ab antiquo observari solitis, & in aqua non profana, sed solemni benedictione, & sacri Chrismatis unctione sanctificata, extra casum necessitatis, Baptismum administrare præsumant.

Unctiones, in Baptizatis parvulis omissas, expleri debere.

Caput XV.

Cum autem circa sacrum Baptisma non raro evenire soleat, ut mysticæ illæ Unctiones, jam inde ab initio Religionis Christianæ per universam Ecclesiam adhiberi solitæ, & ex necessitate, propter metum imminentis mortis infantium, vel etiam ex contemptu omittantur; Nos Parochis nostris hanc curam serio injungimus, eisque districte præcipiendo mandamus, ut de pueris sic baptizatis diligenter inquirentes, si compererint alioqui debitam verborum formam observatam, Baptismum quidem sic traditum approbent: eos vero, qui, dum baptizarentur, Unctiones non receperunt, serio exhortentur, & sedulo inducere tentent; ut consuetas Unctiones cum Oleo sancto, in pectore, & scapulis, & in vertice cum Chrismate, adjunctis solitis precationibus, quæ in Agendis habentur, aliosque ritus omissos, in se ipsis per Catholicum Sacerdotem, juxta vetustissimum Ecclesiæ morem, caute & pie suppleri curent. Quod si deprehenderint, in tali Baptismo nec formam debitam esse observatam, his, qui sic baptizati frustra putabantur, totum Baptisma secundum Ecclesiæ ritum, tradant.

Baptismum ante meridiem administrari debere.

Caput XVI.

Et ut tanto Mysterio debita omnino reverentia exhibeatur, Parochos & Ecclesiarum Ministros serio monemus, ut mane, intra officia Divina, aut mox post ea peracta (non autem tempore pomeridiano post epulas & prandia, nisi necessitas, aut periculum infantium accelerare Baptismum exposcat) cum multa sobrietate, & accurata devotione, Baptismum administrent. Comessationes vero & parum sobria convivia, quæ quibusdam in locis post Baptismum fiunt, per civiles Magistratus inhiberi, aut saltem ad moderationem, Christianis dignam, reduci volumus.

Modus doctrinæ circa Sacramentum Confirmationis.

Caput XVII.

Sacramentum Confirmationis ex institutione Christi & Apostolorum praxi, Ecclesiæ relictum esse, in quo, juxta Domini promissionem, Spiritum Sanctum, quo in Baptismo ad peccati emundationem signati sumus, cum novo gratiæ suæ munere accipimus. Videlicet, ut virtute ejus contra Sathanæ tentationes muniamur: ut gratia ejus ad melius capienda fidei Mysteria illuminemur: ad confessionem Christi fiduciam, & contra vitia robur accipiamus. Quæ omnia Christus Dominus per Spiritum Sanctum, quem missurus erat, fidelibus conferenda diserte promisit. Ea vero, ut erant a Christo promissa, ipsis Apostolis in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per manuum impositionem in alios transfundi cæpta, Actus ipsorum satis testantur. Unde Ecclesia Catholica Spiritum Sanctum per manus Episcoporum fidelibus tradendi normam accepit.

De Unctione Chrismatis in Confirmatione.

Caput XVIII.

Diligenter etiam populum instruant, cur hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorundem traditione, adhibita Chrismatis unctione cœperit conferri. Nam cum in initio Spiritus Sanctus ad evidentiorem recentis adhuc fidei commendationem, signo visibili influeret, confirmatis externa unctione, quæ illam internam designaret, tunc non erat opus. Postea vero adulta Ecclesia, & stabilita fide, cum signa externa apparere cessaverunt, nec jam amplius Spiritus Sanctus visibiliter descenderet, mox in locum visibilis signi unctio Chrismatis adhiberi cœpit, quæ his, qui confirmarentur, internam & spiritualem unctionem repræsentaret; ut quid

quid intus agatur per gratiam, foris aliquo visibili signo innotescat, & verbi fidem externi elementi similitudo confirmet.

De Cognationibus Spiritualibus, ex his duobus potissimum Sacramentis, Baptismi & Confirmationis, provenientibus.

Caput XIX.

Non raro ex impedimentis cognationum spiritualium, difficultates & pericula solent evenire: ad quæ cohibenda decernimus, ne cuiquam, sive ex sacro fonte levando, sive ad sacram Confirmationem tenendo, plures quam unum Patrinum liceat adhibere.

Modus doctrinæ circa Sacramentum Pœnitentiæ.

Caput XX.

Pœnitentiam, velut secundam post naufragium tabulam, cujus præsidio, in peccatorum voraginem relapsi, denuo perniciem effugimus, & gratiam reconciliationis, & remissionis peccatorum recipimus; Pastores nostri in Ecclesiis sedulo urgeant, & admoneant fideles, his partibus integram & utilem Pœnitentiam absolvi: Contritione, Confessione, & Satisfactione.

De Contritione.

Caput XXI.

Neque enim remitti peccatum, cujus eum, qui admisit, non pœniteat.

De Confessione.

Caput XXII.

Et cum ad sananda hominum peccata, Christus duplicem Ministris Ecclesiæ suæ potestatem reliquerit, ut remittant, aut retineant, solvant aut ligent: quatenus id remedium, sanandis peccatis apponendum, nobis Dominus tradidit: eatenus confessionem cum enumeratione peccatorum faciendam nobis commendasse; ut ex recensione peccatorum, is, qui discernendi potestatem accepit, sciat, utram commissi muneris partem debeat exercere.

De Satisfactione.

Caput XXIII.

Satisfactionem vero ab his, qui deliquerunt, doceant præstandam. Non illam quidem, qua culpa peccati, & æterna pœna diluitur: hæc enim satisfactio ex sola Christi propitiatione donatur; sed illa a nobis præstanda est, qua pœna temporalis, quæ post culpæ remissionem nonnunquam remanet, aut eleemosynis, aliisque pietatis operibus redimitur, aut jejuniis, aut aliis satisfactionibus, quæ tamen ipsæ etiam ex merito Passionis Christi efficaciam sumunt, avertitur.

De Absolutione.

Caput XXIV.

Sacerdotes vero, qui confessionibus audiendis dant operam, absolutionis formam non intricent pluribus membris, aut conditionibus appositis, sed planis & simplicibus verbis depromant: *Ego absolvo te a peccatis tuis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Non tamen prohibemus, ut idoneo loco, seu ante absolutionem, seu post eam, orationes, pro petenda delictorum venia adjungant.

De iis, qui Confessionibus audiendis præfici debent.

Caput XXV.

Episcopis, qui curam animarum susceperunt, hac præsertim tempestate, qua variis & perniciosis opinionibus simplicium animi miserandum in modum depravantur; summo studio enitendum est, ut audiendis Confessionibus, quæ ad formandas conscientias opportune serviunt, Sacerdotes viri integri, & periti præficiantur. Unde omnes Superiores Fratrum Mendicantium, qui in hac parte Parochis in adjutorium accedunt, inducendos censemus, & serio monemus, ut Fratres suos, quos ad audiendas confessiones admittere destinaverint, prius Commissariis nostris exhibeant: qui eos aut per examen, aut fide digno suorum Superiorum testimonio dijudicent, num idonei sint, quibus ovium Christi salus tuto committi queat.

De reservatione Casuum relaxanda.

Caput XXVI.

Ne autem propter casus reservatos a salutari Confessionis remedio homines retra-

retrahantur, dum vel in promptu Sacerdotem non inveniunt, qui eos absolvere possit; vel etiam famæ suæ & sumptui timent, si longius pro absolutione consequenda ablegentur: Nos pudori simul, & sumptibus subditorum nostrorum consulere volentes, præsenti Decreto ordinamus, & constituimus, ut deinceps omnes Parochi per Provinciam nostram rite ordinati, & vocati, omnesque Fratres Mendicantes, per suos Superiores, ut præmittitur, præsentati, & per Commissarios nostros approbati, potestatem habeant, vice & nomine nostro absolvendi laicos contritos, & confessos, a quibuscunque peccatis occultis, quantumvis gravibus & enormibus, qui alioqui authoritati nostræ ordinariæ reservari debebant, exceptis duntaxat Homicidis, Hæreticis, & Excommunicatis, ad Nos, vel Commissarios nostros, mittendis.

Ne Religiosi Laicos communicent sine consensu Parochorum.

Caput XXVII.

Nulli tamen Religioso, etiamsi ad confessiones audiendas, ut præmittitur, admissus fuerit, licere volumus, cuiquam laico Sacrosanctæ Eucharistiæ Communionem, sine speciali consensu Parochi, ad cujus curam ille pertinet, porrigere. Quemadmodum & Parochis omnibus serio inhibemus, ne quemquam alienum Parochianum, sine consensu sui Parochi, extra necessitatem, sive ad Confessionem, sive ad ullius Sacramenti perceptionem recipiant. Si tamen subditus rationabilem causam allegans, alii Sacerdoti Confessionem faciendi consensum a suo Parocho petiverit, talem ei consensum volumus non denegari.

Sine testimonio factæ Confessionis nemo ad Sacræ Eucharistiæ perceptionem admittatur.

Caput XXVIII.

Et ne contempto Confessionis remedio, homines Sacrosanctam Eucharistiam percepturi, periculum sibi, quod Apostolus indignis & inexploratis graviter comminatur, accersant: Parochis nostris injungimus; ne posthac quenquam Parochianum, qui non suo Parocho confessionem fecerit, saltem ubi non factæ confessionis suspicio subsit, sine testimonio ejus, cui confessionem fecit, ad Sacrosanctam Eucharistiam admittere præsumant.

De Confessione non revelanda.

Caput XXIX.

Magnam etiam cautionem adhibere debent Confessarii Sacerdotes, ne de inusitatis criminibus, præsertim a junioribus inquirendo, inexpertis novæ cupiditatis, aut criminis ante non tentati, occasionem objiciant. Caveant etiam, ne confitentis peccatum sermone & signo, vel aliqua ulla ratione prodant. Sed si consilio super aliqua re, in Confessione sibi manifestata, indiguerint, rem ipsam, sine ulla auctoris mentione ad peritiorem referant. Quod si Sacerdos alicujus crimen, per confessionem sibi compertum, vel aperto indicio, aut saltem conditionis, aut loci, aut viciniæ, aut cujuscunque circumstantiæ significatione revelaverit, a Beneficio Ecclesiastico remotus, ad arctum Monasterium ad agendam pœnitentiam retrudatur. Nec etiam Sacerdos Confessarius, a quoquam sibi confitente, de peccatis alterius expresso nomine ullo modo inquirere præsumat.

De Satisfactionibus.

Caput XXX.

Sacerdotes autem Confessarios monemus, eisque præcipiendo injungimus, ne in usura, furto, rapina, aut fraude, absolutionem confitenti impertiantur; nisi ea, quæ injuste abstulit, quatenus ejus facultates permittunt, se restiturum promiserit. In aliis levioribus delictis satisfactiones, juxta qualitatem culpæ, aut confitentis possibilitatem, moderentur.

Eosdem hortamur, ut juxta delictorum qualitatem satisfactionis modum temperent, & avaris eleemosynas, incontinentibus jejunia, pro satisfactione imponant, quo semper confitentium vitia contrariis virtutibus compescantur.

Modus doctrinæ, circa Sacramentum Eucharistiæ.

Caput XXXI.

De veritate Corporis & Sanguinis Dominici in Eucharistia plebem ex verbis Domini instruant, ut credant, post consecra-

ſecrationem ſub ſpeciebus panis & vini veram Corporis & Sanguinis Domini ſubſtantiam contineri: nec jam dividi Chriſtum, aut Sanguinem ejus a carne ſeparari unquam poſſe, quoniam amplius non moritur, ideoque ſub alterutra ſpecie Chriſtum integrum contineri, & ſub una ſpecie tantum a fidelibus, quantum ſub utraque ſumi.

De Communione unius ſpeciei.

Caput XXXII.

Cum autem nemo fidelium dubitet, Virtutem Sacroſanctæ Euchariſtiæ, non ex ſpeciebus pendere, ſed ex vivifica Chriſti Carne, & Sanguine provenire: jam ne hoc quidem quiſquam fidelis dubitare debet, illum ſub una ſpecie communicandi morem, ad ſalutem ſumentium æque utilem, & efficacem eſſe, quam alterum ſub utraque: Cum conſtet, non minus accipi in una ſpecie, & eum quoque communicandi morem in una ſpecie, jam inde ab initio praxis Chriſti, & Apoſtolorum in Eccleſiam introduxerit. Unicuique autem fidelium, ex his duobus communicandi modis, eum merito tenendum eſſe, quem Eccleſia, propter cauſas rationabiles, pro temporum ratione elegerit, & populo tradiderit obſervandum.

Ut a jejunis & confeſſis Sacroſancta Euchariſtia ſumatur.

Caput XXXIII.

Parochis etiam, & Miniſtris Eccleſiarum ſerio inhibemus, ne cui extra caſum infirmationis, aut neceſſitatis, Sacroſanctam Euchariſtiam, niſi jejuno, & confeſſo porrigere præſumant.

Modus doctrinæ circa Sacramentum extremæ Unctionis.

Caput XXXIV.

Sacram Unctionem doceant Paſtores noſtri, ad infirmorum, & eorum, qui ad vitæ exitum vergunt, præſidium a pio Domino traditam eſſe, quam ejus juſſu primi Apoſtoli exercuerunt. Quæ dum per orationem fidei infirmis adhibetur, per Divinæ virtutis operationem, contra corporis infirmitates & terrores conſcientiæ, alleviationem, & hilaritatem rite ſumentibus præbet: leviora peccata tollit, & graviorum reſtantes reliquias expurgat, juxta Apoſtoli teſtimonium, & receptam conſentientis Eccleſiæ doctrinam.

Modus doctrinæ circa Sacramentum Ordinis.

Caput XXXV.

In collatione Ordinum, quæ cum impoſitione manuum, velut viſibili ſigno traditur, doceant, rite ordinatis gratiam divinitus conferri, qua ad Eccleſiaſtica munera rite, & utiliter exercenda apti, & idonei efficiantur: & qua rata ſint, & efficacia, quæ a rite ordinatis, in Eccleſia juxta Chriſti, & Eccleſiæ inſtitutionem, geruntur. Hanc vero gratiam eſſe Ordinis & muneris, non hominum, aut perſonarum: nec ad cujuſquam privatam, ſed ad communem totius Eccleſiæ utilitatem accommodari. Ideoque in rite ordinatis, ſive boni, ſive mali ſint, efficacem eſſe. Atque ita inter diſpares Miniſtros, Domini noſtri dona ſemper æqualia, ſemper bona & ſancta permanere.

Modus doctrinæ circa Sacramentum Matrimonii.

Caput XXXVI.

De hoc Sacramento doceant noſtri Paſtores, Matrimonium ab initio ad officium inſtitutum, tandem Dei benignitate infirmis hominibus ad remedium ceſſiſſe; Ut jam hæc Maris, & Fœminæ commixtio, quæ alioqui, propter turpem concupiſcentiæ motum, peccato ex ſe non careret, propter gratiam Sacramenti, conjugibus ad peccatum non imputetur; ſed ſit honorabile in omnibus connubium, & torus immaculatus. Eſſe autem conjunctionem maris, & fœminæ, duorum tantum; nec alicujus tertii conſortium, nec duorum a ſe invicem ſeparationem, niſi per alterius mortem, ullo modo admittendam. Quod ſi ob fornicationem (quæ ſola illis ſeparandi cauſa a Domino permiſſa eſt) conjuges invicem dimiſerint, manere debere innuptos, aut dimiſſo conjugi reconciliari, & neutri eorum, donec vixerit prior conjunx, ad ſecunda tranſeundi matrimonia poteſtatem eſſe.

Matrimonia etiam, ſine conſenſu paren-

parentum legitime inita, non debere rescindi.

Hanc conjunctionem, ex libero consensu contrahentium per verba de præsenti expressa, stabiliri, nec a parentibus (si forte eorum voluntas non accesserit) rescindi posse.

Monendos liberos, ne insciis parentibus contrahant.

Caput XXXVII.

Volumus tamen liberos sedulo admoneri, ut Divini præcepti memores, velint in parentum esse potestate, nec illis insciis, aut invitis inire Matrimonia, aut quidquam rei seriæ inchoare præsumant.

De Matrimonii solennitate.

Caput XXXVIII.

Et ut Matrimonio suus honos conservetur, conjunctiones conjugum volumus in conspectu Ecclesiæ, adhibita celebritate consueta, confirmari: ne per occultas copulationes, sub prætextu conjugii, illicitæ libidines grassentur. Et ut pericula, quæ ex clandestinis copulationibus suboriri possunt, excludantur: Nomina contrahere volentium ante conjunctionem tribus diebus Festivis, non immediate se invicem sequentibus, sed per aliquot dierum intervalla a se distantibus, in Ecclesia coram multitudine, proponi debent: Ut, si qui impedimentum Matrimonii inter eos noverint; id ante nuptiarum diem Parocho revelent. Nec contra hujusmodi denuntiationem, nisi ex ardua, & necessaria causa, dispensari debet. Quod si qui tempore hujus denuntiationis præsentes fuerint, & impedimentum reticuerint; post conjunctionem in conspectu Ecclesiæ celebratam, amplius ad ejus matrimonii accusationem, aut ad testimonium contra ipsum, admitti non debent. Caveant etiam Parochi, & Curati nostri, ne peregrinos, & ignotos ad matrimonia jungenda admittant, nisi libertatis suæ testimonia ex his locis attulerint, ubi prius vixerunt. Ad levitates vero, quas in pulsando sponso (& si quæ sunt similes) abusus in ipsam usque Ecclesiam invexit, omittantur: saltationes lascivæ, & comessationes parum sobriæ, si in totum tolli nequeant, saltem ad moderationem Christianis dignam reducantur: ut sic hilaritas nuptialis, pietate & modestia condita, oculis Dei, qui matrimonii auctor & copulator est, commendetur. Parochis, seu Curatis per universam provinciam nostram constitutis, injungimus; si sub cura sua habuerint subditum, qui mulierem, cui matrimonio jungi per impedimenta Canonica non potest, tamen uxoris loco publice foveat, ut ad dimittendam eam ipsum serio inhortentur: aut, si matrimonium eorum dubium sit, num de jure subsistat, eosdem infra duos proximos menses ad Nos, aut Officiales nostros, pro declaratione accipienda, venire jubeant. Quodsi sic moniti ab invicem non discesserint, aut declarationem, ut præmittitur, non petiverint, aut nostræ, vel Officialium nostrorum decisioni & sententiæ non acquieverint; ab Ecclesiasticis Sacramentis protinus arceantur: &, nisi ante mortem peccatum suum emendaverint, aut saltem id confessi fuerint, aut serium super eo animi dolorem ostenderint, Ecclesiastica etiam sepultura priventur.

De benedictione Salis, Aquæ, & aliarum rerum, quæ per Exorcismos & orationes, ad usum Fidelium præparantur.

Caput XXXIX.

Veterem morem in Ecclesia sequimur, dum salem, aquam, & cæteras quasdam res, in usum Fidelium, per orationes in Verbo Dei præparamus. Quem morem nemo reprehendet, qui secum reputaverit, Ecclesiam inter cætera salutis & utilitatis suæ, cum augendæ, tum conservandæ præsidia, etiam exorcizandi potestatem contra insidias Dæmonum, aliasque noxias pestes avertendas, accepisse. Quam potestatem, dum per res externas ad utilitatem Fidelium exercet Ecclesia, nimirum in eo Sanctorum imitatur exempla, qui ad eliciendos quosdam effectus, Divino jussu res corporales adhibuisse leguntur. Quem morem in Ecclesiis nostris præcipimus conservandum: dummodo populum Pastores sedulo doceant, effectus, qui inde petuntur, non ipsarum rerum efficaciæ, sed Divinæ virtutis operationi, per fortissimi Nominis Divini invoca-

vocationem, tribuendos esse: & caverint, ne rebus talibus ad impias superstitiones abuti quisquam præsumat.

De Cæremoniis.

Caput XL.

Similiter & reliquas cæremonias, quæ aut in cultu Divino ornatum augent, aut mentes hominum ad pias & utiles cogitationes excitare possunt, diligenter retinendas censemus: præsertim eas, quas ex multa antiquitate profectas, & per universam Ecclesiam observatas, quasi per manus traditas accepimus. Quales sunt, quæ in administratione Sacramentorum adhiberi consueverunt: quibus annumeramus, ut templa (velut orationum, & Divini cultus, & Sacramentorum officinæ) per loca idonea, habeantur; ad quorum ornatum (simul etiam velut Divini cultus, & promovendæ pietatis apta instrumenta) in iis signa Crucis, aliasque imagines, vexilla, vestes sacras, altaria, & vasa sacra conservari, & usurpari volumus.

De Imaginibus.

Caput XLI.

Imaginum autem usum, velut pro erudienda plebe, & omnium animis excitandis utilem, in Ecclesiis nostris retineri serio mandamus: dummodo Pastores nostri populum accurate moneant, imagines non ad id proponi, ut adoremus, aut colamus eas; sed, ut quid adorare, aut colere, aut quarum rerum utiliter meminisse debeamus, per imagines recordemur. Procaces vero imagines, & nimio artis lenocinio, ad mundanæ potius vanitatis speciem, quam ad pietatis commonitionem, effigiatas, in templis proponi omnino vetamus: tam lascivam artis ostentationem, frugi & severo Patri familias intra privatas ædes gravem, templis prorsus intolerabilem censentes.

De abusu Imaginum prohibendo.

Caput XLII.

Cum utilis & legitimus imaginum usus intra eos limites contineri merito debeat, ut simplex populus non ipsas imagines adorare, aut fiduciam in eis ullam ponere; sed quem adorare, quosve honorare, & unde omnia bona sperare debeant, per imagines discant recordari. Nos, pravæ superstitioni viam præcludere volentes, omnibus locorum Ordinariis injungimus, ut si forte in territoriis suis ad imaginem aliquam concursus fieri, & homines ad ipsius imaginis figuram respectum habere, & quasi quandam Divinitatis opinionem illi tribuere, animadverterint, ipsam imaginem (adhibitis prius in Concilium Theologis, & Christianarum antiquitatum scientissimis juxta ac pientissimis Viris) pro causæ qualitate, aut tollant, aut mutent, & aliam a prima, notabili quantitate differentem, reponant: ne rudis populus, in intellectu suo depressus, & ideo per media corporalia ad Divina erigendus, spem suam contra Ecclesiæ intentionem in corporali, & quidem certa imagine, privata phantasia, atque inhæsione collocet: quasi in illa sit quædam necessitas, ut per eam, & non aliter inducatur Deus, & Sancti, id facere, quod petuntur. Verum hæc omnia, uti dictum est, de Theologorum, & sapientissimorum Virorum sententia, ut sic salubri Ordinariorum providentia a pernicioso idololatriæ scelere populi præservetur simplicitas.

De Reliquiis Sanctorum.

Caput XLIII.

Reliquias etiam Sanctorum, velut Divinæ gratiæ olim receptacula, & verissima Christi membra, & pura Spiritus Sancti domicilia, monemus in Ecclesiis nostris, vel ob id proponendas, & religiosa pietate venerandas, ut per eas fideles commoniti, discant virtutem, & fidem Sanctorum imitari: Et alicubi in iis sanguinolentas notas, & pro fide Christi tolerati Martyrii vestigia cernentes, admoneantur, spem fidei nostræ non esse inanem, pro qua omnia dura pati, Sancti Martyres in animum sibi induxerunt. Quorum exemplum ipsi etiam ad adversitatum omnium tolerantiam animentur.

De Peregrinationibus ad Reliquias Sanctorum.

Caput XLIV.

Peregrinationes etiam ad certas Sanctorum Reliquias, aut ad Templa memoriis

moriis eorum dedicata, vel ob id Christiano populo censemus permittendas, ut ex ipsorum locorum admonitione, homines ad imitandam Sanctorum fidem, pietatem, & constantiam, vehementiore affectu incitentur, & ut majori devotione, se meritis Sanctorum sociari, & precibus eorum adjuvari postulent: dummodo sedulo caveant Pastores nostri, ne uspiam incertæ Reliquiæ, aut novæ, sine Ecclesiæ authoritate, aut ne ullæ etiam ad quæstum proponantur, & ne concursus superstitiosi ad statuas, profanis potissimum locis sitas, aut privata auctoritate erectas fiant.

De invocatione & veneratione Sanctorum.

Caput XLV.

Doctrinam, magno totius Ecclesiæ consensu jam inde ab initio receptam, & quasi per manus traditam, retineri in Ecclesiis nostris omnino volumus; Sanctos videlicet, qui in fide Christi nos præcesserunt, & vitæ hujus cursum beato fine clauserunt, veluti ejus corporis, quo Christo conjungimur, nobilissima membra, a nobis merito honorari, non tamen eo, qui uni Deo debetur, cultu; Sed eo societatis, & dilectionis cultu, quo in hac vita sancti homines a nobis rite coli possunt: Illos tamen tanto devotius, quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. Quorum etiam meritis associari, & orationibus adjuvari, rite petimus: qui uno spiritu nobiscum colligati, velut ejusdem corporis membra, utique hac nobis lege Charitatis obligantur, qua pro invicem membra solicitudinem gerere, & pro invicem orare jubentur, ut salutem consequantur: Quod eo magis Sanctos in alia vita pro nobis facere confidimus, quo illis post infirmæ carnis depositionem, & ferventior caritas, & de se securis, ad promovendam aliorum salutem, promptior facultas accessit.

De Orationibus pro Defunctis, & de Purgatorio.

Caput XLVI.

Ex eadem lege Charitatis, qua nobiscum adhuc cohærent, qui in fide & communione Christi ex hac vita migrarunt, tenendum est: defunctos vivorum pietate & orationibus adjuvari, saltem eos, qui, dum viverent, ut eis hæc prodesse possent, meruerunt: Qui non ita boni ex hac vita discesserunt, ut iis non indigeant; nec ita mali, ut eis hæc prodesse non queant.

Est autem consentiens Ecclesiæ doctrina, multarum Scripturarum collatione, & evidenti ratione firmata: Talem esse quendam medium decedentium statum, qui non mox, ut carnem hanc exuerint, aut æternis cruciatibus tradantur, aut ad beata illa Sanctorum consortia admittantur: In quos moderata, & mixta Clementiæ severitate, vindicat ad tempus is, qui & misericordiæ suæ, & tormentorum modum & mensuram novit. Alioqui, cum ex iis, qui peccaverunt, & per pœnitentiam sanantur, alii in hac vita multas adversitates, alii aut parvas, aut nullas experiantur: & cum multi ex hac vita migrent, a lethalibus quidem criminibus immunes; levioribus tamen alius alio magis implicatus; quorum tamen nemo, sive ob plura, sive pauciora hæc delicta quotidiana, damnationem æternam sustinebit: non facile modus inveniri posset, quomodo Deus, (qui est in omnibus, & erga omnes justissimus) non injustus videretur, si non post hanc vitam, per temporales, & non æternas pœnas, omnium compensatio expectaretur.

De Jejunio & delectu ciborum.

Caput XLVII.

Plebem Christianam Pastores nostri, sumpta ex Divinis literis commonitione, ad perpetuam vitæ sobrietatem sedulo cohortentur, ut cibi, potusque moderatione, carnis lasciviam comprimentes, ad exercitia pietatis mentem liberius intendere queant. Eos vero, quos necessitas nulla excusat, etiam ad statuta Ecclesiæ jejunia observanda inducant: Ipsumque jejunium Divini esse præcepti doceant. Tempora vero jejunandi, prout salubritati corporum & animarum expedire videbatur, ab Ecclesia ordinata, & totius Christiani orbis consensu recepta, & jam inde ab Apostolorum temporibus observata sunt. Quæ, qui extra

extra necessitatem non observaverint, velut Ecclesiasticæ disciplinæ violatores, & consuetudinum Ecclesiæ temerarii contemptores, severitate pœnarum, coherceri debent.

Huic jejuniorum observationi jungendus est ciborum delectus, itidem consensu totius Ecclesiæ ad nostra usque tempora retentus: monendique sunt fideles, ut diebus jejuniorum, similiter sextis feriis, & sabbatis a carnium & aliorum ciborum esu, quos Ecclesiæ consuetudo per eosdem dies hucusque vitare perseveravit, extra legitimam necessitatis excusationem, sibi temperent: non quidem ab iis, velut immundis, abstinentes; sed edomandi corporis causa, propter animam, ab irrationabilibus motibus amplius humiliandam. Non tamen existiment Christiani, sola carnis abstinentia se Deo gratos esse posse (cum meminerint, primos homines, qui carnem nondum gustaverant, ob vitæ nequitiam, diluvii immissione deletos) sed cum abstinentia carnis, etiam cæterorum ciborum moderationem, & perpetuam totius vitæ sobrietatem conjungant.

CAPITULA, AD MORES PERTINENTIA.

De Constitutionibus Ecclesiæ.

Caput XLVIII.

De Constitutionibus Ecclesiæ, quæ ad disciplinam Ecclesiæ continendam, ad bonum & decentem ordinem in Ecclesia tuendum, & conservandum, & ad pietatem publice ac privatim promovendam introductæ sunt, Pastores plebem sibi commissam probe & diligenter instruant; ut discant, eas ab ordinata potestate conditas, velut Dei ordinationes, reverenter agnoscere, & gratanter eisdem obedire: sive hæ constitutiones serventur ex consuetudine, quam Paulus violari non vult; *Si quis vult contentiosus esse*, inquit, (*) *nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*: sive tradantur scriptis Canonibus, quales Apostoli Spiritui Sancto tribuere, non verentur: *Visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancto & nobis.* (**) Itaque Plebs Christiana Ecclesiæ constitutiones, nequaquam ut traditiones hominum, (quales erant Pharisæorum, ad subversionem Divinæ legis adinventæ, quibus Deus frustra colitur) aspernentur: Sed ut ad pietatem colendam, & continendam in officio plebem utiles, libenter amplectantur, nec eas existiment sine grandi piaculo violari posse: Considerantes, etsi hoc in præceptis Divinis non continetur, quod tales majorum nostrorum constitutiones jubent, tamen, ut majoribus obediamus, saltem in iis, quæ legi Divinæ non adversantur, diserti juris Divini est. Unde & per occasionem, talium Constitutionum transgressiones grandis peccati reos faciunt temerarios violatores: maxime, dum ex contemptu, aut cum scandalo caritatem violant, quorum utrumque per se peccatum mortale operatur. Alioqui Ecclesia constitutiones suas caritati, & necessitati, libenter submittit.

Hanc doctrinam, quæ in superioribus compendio traditur, adjecta institutione ad Christianam pietatem, diffusius explanari curabimus. In qua omnia, quæ ad sacræ Religionis nostræ fundamenta pertinent, & Christianis omnibus cognitu admodum necessaria sunt, copiosius explicabuntur: Quam a Parochis & Pastoribus nostris diligenter legi, & ex ea populos sibi commissos, in iis, quæ sunt fidei, sedulo erudiri volumus.

Ne ignoti, & inexplorati, ad prædicationis munus admittantur.

Caput XLIX.

Et quo minus imposterum salutaris Christi doctrinæ sinceritas perversis dogmatibus, aut noxiis opinionibus, & hæresibus depravetur: Decernimus, definimus, & præcipimus, ut homines vagi & ignoti, qui testimonia Episcoporum suorum, tam ejus, a quo recesserint, quam illius, ad cujus Diœcesin diverterint, non habeant, a Ministerio verbi, seu prædicationis officio, in Provincia nostra prohibeantur, & soli admittantur hi, qui ad id munus rite vocati, & Ordinaria authoritate examinati fuerint, & approbati.

(*) 1. Cor. 11. (**) Act. 15.

Fra-

Fratres tamen Mendicantes, quorum plerique pietate & doctrina satis instructi, in asserenda Catholicæ doctrinæ veritate his temporibus utilem sane operam præstant, (saltem ubi tales noti sunt, & probitatis, doctrinæ & modestiæ suæ testimonium a suis Superioribus habent) a concionandi munere excludere non intendimus. Quos tamen ipsos etiam, priusquam concionandi munus in Provincia & Diœcesibus nostris sibi usurpent, Nobis, aut Vicariis nostris præsentari, & per eos, vel examine prævio, vel sufficienti, & fide digno suorum Superiorum testimonio, tanquam ad id munus idoneos, approbari volumus.

Observandi Parochi & Concionatores, quomodo quisque doceat.

Caput L.

Et ut pestilentes doctrinæ & perniciosi errorum Magistri, ex Ecclesiis protinus ejiciantur, mandamus, & injungimus Visitatoribus nostris, Archi-Presbyteris, seu Decanis ruralibus, & Testibus Synodalibus, nunc existentibus, aut in posterum futuris; ut Diœceses crebro & sedulo lustrantes, si quos compererint Ecclesiæ Ministros, in exponendis Scripturis sacris, & administrandis Sacramentis ab orthodoxorum Patrum communi consensu, & recepta Ecclesiæ consuetudine, & auctoritate deflectentes; tales Ordinario loci, aut ejus Fiscali, pro excessuum qualitate aut corripiendos, aut e ministerio Ecclesiæ prorsus abjiciendos denuntient.

Iidem, si quos per Diœceses viros, doctrina, & pietate excellentes, & ad ministeria Ecclesiæ idoneos, cognoverint; loci Ordinario in locum abjectorum sufficiendos, aut alioqui destitutis Ecclesiis præficiendos commendent.

Commisimus autem Vicariis, seu Officialibus nostris, eisque in hoc viros pios & peritos adhibuimus; ut Archi-Presbyteris & testibus Synodalibus, tales querelas ad Religionem pertinentes deferentibus, consilio & auxilio sint.

Videndum, quibus Libris Parochi & Concionatores passim utantur.

Caput LI.

Libros autem Parochorum & Concionatorum Visitatores inspiciant, & ab eis diligenti inquisitione cognoscant, quosnam potissimum Authores legant, & in Concionibus imitentur: contagiosos autem, & de hæresi suspectos libros, ab eis auferant, & ad lectionem veterum orthodoxorum, aut etiam recentiorum, qui suspecti non sint, eos exhortentur.

Plebs, ut Concionibus & Divinis intersit, per Magistratus adigenda.

Caput LII.

Et ne Parochi ac Concionatores sedulitatis & laboris sui fructum amittant, si plebs Sacra eorum & Conciones audire refugiat: Præfectis nostris, per loca ditionibus nostris subjecta, injungemus, ut tempore Concionum & Divinorum officiorum, otiosam turbam e tabernis, e foro & plateis abigant, & Concionibus, & Divinis officiis interesse, nisi legitimis causis impeditos, debitis pœnis compellant.

De Horis Canonicis.

Caput LIII.

Et ut ab hac retinendæ in verbo Dei puritatis cura, propinquo gradu ad Divinorum officiorum celebrationem rite constituendam, & debita cum veneratione peragendam, transeamus; Clericos, quibus ea cura incumbit, sedulo commonendos, & per Prælatos digna mandamus animadversione compellendos; ut non vocis tantum modulatione, sed devotione cordis, debitum suæ servitutis pensum absolvant, & ad Divina officia peragenda, corpore pariter & mente se componant: quo simul & Deo cultum gratum exhibere, & populo consideranti devotionem augere valeant.

Nemo in Choro, aliis psallentibus, seorsim legere aliquid, aut suas Horas Canonicas orare, aut fabulari, aut aliis levitatibus intendere permittatur: Negligentes vero legere Horas Canonicas, si deprehensi fuerint, per Prælatos subtractione portionis fructuum, in eleemosynas pauperum, aut alios pios usus convertendæ, puniantur.

Quæ ad tremenda Missæ Mysteria.

Caput LIV.

Circa Sacrosanctæ Missæ officium, quo immensum Redemptionis humanæ beneficium, & summum illud ac tremendum Christianæ Religionis Mysterium recolitur, volentes omnia providere, quæ populi animos ad amorem, & venerationem tanti Mysterii inducere valeant; imprimis sancimus & præcipimus, ne quis Sacerdos, solus ad celebrandam Missam accedere præsumat; sed ad minimum uno aut altero, quasi teste adhibito, qui, quod publico nomine agitur, ratum habeant, & ad publicas orationes Ecclesiæ nomine respondeant.

Presbyteri, cum irreverentia Missas celebrantes, coercendi.

Caput LV.

Presbyter vero, qui vespertinam compotationem usque ad intempestam noctem produxerit, & mane, adhuc hesternam crapulam eructans celebrare præsumpserit, aut, qui hoc sacro Mysterio ad superstitiones abuti ausus fuerit, Prælati sui arbitrio severe puniatur.

Similiter & hi, qui talem vitæ turpitudinem, levitatem, aut negligentiam ad celebrationem Missarum attulerint, ut & plebis animos offendant, & ab hoc Sacro abhorrere faciant; Prælatorum suorum auctoritate coerceantur.

De præmittenda Sacerdotum Confessione ante Sacrificium Missæ.

Caput LVI.

Et cum secundum sacram Scripturam maledictus sit, qui opus Dei agit negligenter: nemo autem æque negligenter opus Dei in Ecclesia agere videatur, quam qui, propriæ salutis prodigus, impura conscientia, & illotis, uti dicitur, manibus, tremendo Altaris Sacrificio assistit, contra id, quod Propheta (*) ait: *Quid est, quod dilectus meus facit in domo mea scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas?* Et Apostolus: (**) *Probet*, inquit, *se homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Cumque non minimam malorum hujus tempestatis partem huic malo acceptam feramus, quod tam impure, non dijudicando Corpus Domini, Sacrosancta hæc Mysteria tractantur: Nos, animarum cupidi, statuimus & ordinamus, ne aliter liceat cuiquam Missam celebrare, quam præmissa Sacramentali Confessione & Absolutione emendato, iis, quæ hujus Sacrificii devotio requirit, antea persolutis. Injungimus præterea, & districte præcipiendo mandamus Decanis, aliisque Prælatis, ut diligenter super hoc excubias agant: & si quos ita delinquentes deprehenderint; condigna animadversione plectant. Super quo etiam conscientias eorum duximus onerandas.

Missæ sub Concione, aut solenni Sacro, non celebrentur.

Caput LVII.

Et cum Apostolus (***) jubeat, omnia honeste, & secundum ordinem fieri in Ecclesia, citraque tumultum; statuimus & ordinamus, ne deinceps Concionis tempore, aut sub solemni Missa, aliæ speciales Missæ celebrentur; sed aut Concionem, & solemne Sacrum præcedant, aut in aliud tempus differantur: ne populus, in diversa distractus, nulli Sacro, aut Concioni, satis intendat. Quam rem, pro opportunitate cujusvis loci & temporis, Prælatorum discretioni, relinquimus curandam.

Concionatores plebem verum Missæ usum diligenter edoceant.

Caput LVIII.

Concionatoribus autem & Parochis nostris simplicem plebem committimus, & præcipimus diligenter erudiendam, ut usum Mysterii hujus intelligant, ac omnem mentis vim atque sensum tam salutari actioni intendant, & voto id agant, quod Sacerdos agit Ministerio: ut scilicet discant & ipsi, suam, totiusque Christiani orbis salutem, tam salutaris & gratæ Hostiæ interventione, & CHRISTI JESU meritis, DEO Patri commendare. Præterea Sacram Eucharistiam cum Celebrante, si non ore, saltem fide & desiderio cordis, ad percipiendum ejus spiritualem fructum, crebro sumere.

Missæ

(*) Jerem. 11. (**) 1. Cor. 11. (***) 1. Cor. 14.

Missa quo gestu, & qua devotione audienda.

Caput LIX.

Sedulo commonendus est populus fidelis, Clerici etiam per Prælatos debita animadversione inducendi, ut in celebratione Missarum, adversus tantum Mysterium, quantum quisque per valetudinem potest, etiam corporis gestu reverentiam quandam adhibeant: videlicet, ut dum in Collectis pro communi orbis Christiani incolumitate ad Deum preces funduntur, ipsi quoque, tanquam hujus sacræ Communionis cives, suas preces cum oratione publica conjungant, & vultu ad altare verso, aperto & demisso capite stantes, gestum orantibus convenientem præ se ferant. Pari religione ad nomen Salvatoris nostri JESU CHRISTI, similiter ad Evangelium, *Magnificat*, *Benedictus*, *Nunc dimittis*, *Gloria in excelsis*, *Gloria Patri*, cæterasque id genus Divinorum officiorum partes, sic genuum flexione, apertione capitis, ac totius corporis gestu se componant, ut ad ea, quæ ibi aguntur, animum intendere videantur.

Jam statim ab inceptione Canonis non sedeant; sed ad tremendi Mysterii pertractationem intenti, vultu itidem ad altare converso, corporibus humi demissis, & mente in Cœlum elevata, sub silentio, Redemptionis humanæ beneficium, & Christi Passionem secum meditantes, salutis nostræ Auctori de impenso sanguine, & tolerata pro nobis morte debitam gratiarum actionem exhibeant. Cæterum ad sumptionem Sacrosanctæ Eucharistiæ, corporis humilitate & incitatione animi se componentes, si non ore cum Celebrante de Corporis & Sanguinis Dominici Sacrificio communicent; saltem fructum ejus spiritualem sibi applicari intimis animi votis exoptent.

In Primitiis omittendæ conuessationes.

Caput LX.

Dum vero a novitiis Sacerdotibus hujus Sacri primitiæ celebrantur, serio mandamus, choreas, & omnino sæculares pompas omittendas, & convivia non permittenda, nisi inter paucos amicos, & ea sobria tamen, & quæ sine luxu, in timore Domini ineantur.

Sanctorum Solennitates Dominicis cedant.

Caput LXI.

Sed & Sanctorum celebritates, in diem Dominicam incidentes, censemus submovendas, & in feriam aliquam præcedentem, vel sequentem, transferendas, quo Sanctorum omnium Domino sua conservetur solemnitas: exceptis Beatæ Mariæ, Apostolorum, & aliis summis Festivitatibus. Nec tamen legem imponimus his, qui peculiaria singularum Dominicarum Officia, propter cantorum paucitatem, observare non valentes, Officia de Trinitate, & de Spiritu Sancto, aut, quod decentissimum erat, de Resurrectione Domini, diebus Dominicis servaverint.

Et quo Dei gloria in observatione Divini cultus magis illustretur, & fidelium devotio minus impediatur; diebus Dominicis & Festivitatibus celebrioribus, mercimonia, tripudia, saltationes, quas damnat Concilium Toletanum, & prophana spectacula, decernimus non permittenda. Simul etiam ludicra quædam a pietate aliena, & Theatris, quam Templis aptiora, censemus in Ecclesias non admittenda.

De sacris Libris recognoscendis, & repurgandis.

Caput LXII.

Cum etiam libros Missales, Antiphonarios, Agendas & Breviaria, per viros doctos & pios inspici, & repurgari res postulet; hanc operam necessariam cumprimis, & Ecclesiis utilem, a singulis Comprovincialibus censemus præstandam, per viros idoneos ad hoc adhibitos: qui sententiam super emendatione librorum, primo ad Ordinarium, & mox ad Metropolitanum referant, ut collatis consiliis, sana, &, quoad fieri potest, concors Divinorum officiorum celebratio in omnibus Provinciæ Ecclesiis recipiatur & conservetur.

De examine Prælatorum.

Caput LXIII.

Quum his, qui ad Prælaturas Ecclesiarum provehuntur, & in dignitatibus, velut

velut excelsiore loco, ponuntur, ab inferioribus honorem & obedientiam exhiberi debere, omnes Ecclesiasticæ Constitutiones jubeant; utique tali eos virtute, doctrina, prudentia præditos esse convenit, ut honorem hunc mereri videantur, & cæteri, ipsorum comparatione, gregem se merito dici, reverenter agnoscant. Nos igitur ad honores & dignitates Ecclesiarum, submotis minus idoneis, dignis modo & idoneis viam aperire volentes, constituimus, & ordinamus; ut hi, qui ad Prælaturas (quæ sub nostram, aut aliorum Prælatorum nobis subditorum, dispositionem cadunt) assumendi sunt, prævio examine, de doctrina, de moribus, deque omnibus iis disciplinis, quæ ad regimen, cui destinantur, necessariæ sunt, accurate explorentur ab iis, qui jus investiendi & confirmandi habent. Qui, nisi digni reperti fuerint, confirmationem recipere non debent: sed iis abjectis, alii in eorum locum magis apti, & digni substituantur.

De his, qui plura Beneficia curata obtinent.

Caput LXIV.

Res ipsa loquitur, plura Beneficia, potissimum, quibus animarum cura submissa est; non sine gravi Ecclesiarum damno, ab uno obtineri; cum unus in pluribus Ecclesiis rite officia persolvere, aut rebus earum necessariam curam impendere nequeat. Nos igitur, juxta Reformationis commonitionem, contra hanc Ecclesiarum calamitatem, velut salubre remedium, illud Lugdunensis Concilii Decretum opponentes, singulos ejusmodi curatorum Beneficiorum detentores monemus, & districte eis præcipiendo injungimus, ut intra trimestre tempus, post hujus Synodi Provincialis exitum, Nobis, aut Comprovincialibus nostris, locorum Ordinariis, dispensationes, quarum prætextu ejusmodi beneficia obtinent, exhibeant. Quod ni fecerint, talia beneficia, quasi eo ipso illicite obtineri convincantur, post trimestre tempus elapsum, per eos, ad quos collatio eorum pertinet, aliis personis idoneis conferri debent. Quod si dispensatio alicujus legitima & sufficiens videbitur, is beneficia sine molestia retinebit: nihilominus tamen providebit, per idoneorum Vicariorum deputationem, & congrue portionis fructuum assignationem, ne cura animarum in his Ecclesiis negligatur, nec ipsa beneficia debitis officiis fraudentur: Alioqui negligentia ejus per Ordinarium de fructibus beneficii suppleri, & ipse insuper subtractione certæ portionis reliquorum fructuum, pro arbitrio Ordinarii puniri debet. Sin dispensationes invalidæ, aut non satis legitimæ visæ fuerint; si is, qui earum prætextu plura beneficia curata obtinuit, uno retento, cætera libere resignare recusaverit; causa illius ad Sedem Apostolicam referatur, ejusdemque judicium expectetur, quem sui beneficii modum esse velit. Quod si quis in diversis Diœcesibus ejusmodi beneficia curata obtineat, a quolibet Ordinario ad talem exhibitionem compelli debet. Et si legitima dispensatione munitus non fuerit, ultimo, quod accepit beneficio retento, cætera resignet: cum juxta juris communis dispositionem, per subsequentis beneficii curati acceptationem, quod prius obtinebat, ipso jure vacare dignoscatur.

De Generalibus Studiis instaurandis, & conservandis: & de adolescentibus, ad studia publice alendis.

Caput LXV.

Prudentes homines facile prospiciunt, & boni ac pii jamdiu queruntur, interitum studiorum, quæ in hac misera perturbatione rerum, saltem in locis Catholicis, propemodum in universum perierunt: imprimis Ecclesiastici status extirpationem, adeoque Sacrosanctæ Religionis ac totius Reipublicæ Christianæ ruinam secuturam esse. Cum etiam successio eorum, qui utramque rempublicam administrare debent, ex juventute dependeat, si illa, aut pravis, aut nullis doctrinis imbuatur, spes nulla esse potest, aut in Ecclesiis puritatem Religionis, aut in externa politia pristinam tranquillitatem unquam reddi nobis posse. Itaque quanto quisque desiderio Sacrosanctam Religionem nostram post se superstitem relinqui, ac porro salvam conservari expetit: quanto desiderio communis Patriæ incolumitatem, & vivus restitutam videre, & ad posteros trans-

transmittere ſatagit; tanto conatu ad inſtaurationem ſtudiorum incumbere debet. Præſertim vero homines Eccleſiaſtici, quibus etiam hujus vitæ bene & beate tranſigendæ omnis facultas, ab incolumitate Religionis (quæ ſine ſtudiorum auxilio nequaquam durare poteſt) dependet; ad ſtudiorum conſervationem, veluti ad unicum ſtatus ſui conſervandi, & retinendæ dignitatis præſidium omnes vires ſuas certatim conferre debent. Hinc Comprovinciales noſtros in Domino exhortamur, & ſerio commonemus, eisque pro authoritate noſtra Metropolitana injungimus, ut omni cura, ope, & induſtria ubique per univerſam Provinciam noſtram ſtudia, præcipue generalia, inſtaurare, promovere, & conſervare ſatagant, & hanc Religioni ac publicæ tranquillitati pernicioſam neceſſitatem Parentibus juventutis adimant: qui alioqui ſanctæ Religioni noſtræ bene affecti, tamen ex neglectu ſtudiorum in locis Catholicis, compelluntur, filios ſuos ad alias Univerſitates & Scholas ablegare, ubi una cum literis, noxias de Religione opiniones hauriunt, quibus infecti, & perverſi domum redeuntes, ipſos plerumque Parentes, ac totam fere viciniam peſtilentibus opinionibus imbuunt, & ſinceritatem Fidei Chriſtianæ in eis corrumpunt. Ad quam perniciem avertendam, omnes boni, quos ulla pietatis ratio, & ſacræ Religionis noſtræ amor tangit, & inprimis Proceres Eccleſiaſtici, omni conatu incumbere debent, quatenus in hac re ſaluti civium, & ſanctæ Religionis profectui, & publicæ tranquillitati conſulatur.

Nec minorem curam & ſolicitudinem, Comprovinciales noſtri circa Scholas, per ſuas Diœceſes in civitatibus, aut pagis conſtitutas, impendere debent; ut paſſim inſtaurentur & conſerventur, & eisdem idonei, & Catholicæ veritatis amantes, & de hæreſi non ſuſpecti, præficiantur Pædagogi.

Et ne deſint, qui ad meſſem Spiritualem, velut idonei operarii, mitti rite queant; Comprovinciales noſtros ſimiliter, per honorem Dei, & Domini noſtri Jesu Christi, & Sacroſanctæ Religionis noſtræ conſervandæ & promovendæ amorem, exhortamur, quatenus curare velint, ut aliquot adoleſcentes, felicioris ingenii & melioris ſpei (quibus alioqui ad ſtudiorum ſuorum ſuſtentationem a Parentibus & propinquis facultates non ſuppetunt) publicis Eccleſiarum & Monaſteriorum ſumptibus in ſtudiis alantur, qui ad Theologiæ ſtudium operam ſuam applicent: in qua, ſi operæ pretium fecerint, deinde Eccleſiis & Parochiis per Diœceſes præficiantur. Quos in Eccleſiarum miniſterio ſervituros, maxime convenit earundem ſumptibus ſuſtentari.

De Clericis Sæcularibus & Regularibus, ad Studia ablegandis: Et de Studiis apud Monaſteria inſtaurandis & conſervandis.

Caput LXVI.

Et quo magis Eccleſiæ idoneis Miniſtris abundent; decernimus, ut Capitula quarumlibet Eccleſiarum, in Provincia Moguntina conſtitutarum, ex Clericis ſæcularibus beneficiatis, juxta cujuslibet Collegii facultates, & perſonarum numerum, adoleſcentes aliquot bonæ ſpei, & docilis ingenii, ad privilegiatas Univerſitates, pro Studio potiſſimum Theologico (cujus uſus comprimis eſt Eccleſiis neceſſarius) mittant. Et iis ad quinquennium fructus Beneficii omnes, exceptis quotidianis diſtributionibus, concedant. Si tamen cœptis ſtudiis gnaviter incubuerint, & de profectu eorum fructus ſperetur (negligentes enim & pravis moribus deditos, Eccleſiarum patrimoniis non exiſtimamus alendos) Ubi fructus Præbendæ non ſufficerint, de communi Eccleſiarum cenſu, pro cognitione Prælatorum pars adjiciatur. Eos vero, qui ſic mittuntur, Capitulis ſuis ſufficientem cautionem præſtare volumus, ſe ſe in ordine Clericali permanſuros eſſe. Quod ſi mutato propoſito, ab ordine Eccleſiaſtico reſiluerint, & ad Matrimonia, ſeu negocia ſæcularia ſe tranſtulerint; ad reſtitutionem omnium fructuum, aut ſumptuum Eccleſiaſticorum, quos ſic perceperint, eos teneri & omnino compelli volumus.

De Clericis vero Regularibus, diſpoſitionem Reformationis, & juris communis volumus obſervari: Ut Monaſteria opulentiora, intermiſſa ſtudia, imprimis vero Theologica, apud ſe inſtau-

rent. Quæ vero minus opulenta ſunt, & pauciores habent Monachos, aliquot tamen juvenes felicioris ingenii ad ejusdem Ordinis & Provinciæ Monaſterium, in quo ſtudia vigeant, ablegent. Ubi vero Prælati, ſive Sæculares, ſive Regulares, in ea re negligentes fuerint, per Ordinarium debent ad hoc debitis pœnis compelli.

De Theologiæ apud Eccleſias Collegiatas Profeſſoribus.

Caput LXVII.

Collegiis Eccleſiarum, juxta Reformationis præſcriptum injungimus, ut Doctores, qui Theologiam profiteantur, pro cujusque Eccleſiæ facultate & conditione conducant: Contra negligentes ſic acturi, ne quid vel in publicis, vel privatis hiſce ſtudiis conſtituendis, ad pietatis incrementa paſſim promovenda, quantum in nobis fuerit, deſideretur.

De Patronis, & collatione beneficiorum.

Caput LXVIII.

Res eſt pernicioſi exempli, & quæ gravem ſæpe Eccleſiis calamitatem affert, quod Patroni, tum Eccleſiaſtici, tum laici, propinquitate junctos, aut aliis meritis & officiis ſibi conciliatos, ſine omni ætatis, aut eruditionis reſpectu, idoneis præteritis, ad beneficia Eccleſiaſtica admovent. Alii de cenſibus beneficiorum partem ſibi retinent, aut etiam in totum fructus beneficiorum intercipiunt, his, quibus ea ad ſpeciem infamis cupiditatis ſuæ obvelandæ conferunt, inanem modo titulum relinquentes: Quos præſenti Conſtitutione Provinciali in Domino hortamur, & peremptorie monemus, ut a pernicioſo hoc conatu ſibi temperent: alioqui ſeveritate pœnarum rigide cenſemus coercendos, ac talis beneficii collatione, vel præſentatione ſaltem pro hac vice, aut pro gravitate exceſſus, per omnem vitam ſuam privandos. Ita tamen, ut collatio talis beneficii hæredibus & ſucceſſoribus eorum integre reſtituatur, & libere permittatur. Quo vero pernicioſam temeritatem Patronorum a curatis beneficiis ſalubri conſilio prorſus ſecludamus, diſtricte præcipimus, ne quis Prælatus, ſeu Officialis ejus, ad quem munus inveſtiendi pertinet, ad beneficium, cui animarum cura annexa eſt, quenquam inveſtire præſumat; niſi qui annum ætatis ſuæ vigeſimum quintum attigerit: & qui in cæteris idoneus, etiam Ordines, quos cura Eccleſiæ, cui perfici vult, requirit, aut habeat, aut infra tempus, a jure ſtatutum, ſe ſuſcepturum, ſub amiſſione beneficii, ad quod inveſtiendus eſt, promiſerit: & qui cenſum iſtius Eccleſiæ, ad ſuam ſuſtentationem ſufficientem eſſe, eumque ſibi a Patrono integrum relinqui, docuerit. Alioqui inveſtituram talem inanem & irritam, & ſalutaris hujus inhibitionis temerarium transgreſſorem, ipſo facto ab officio ſuſpendendum, & arbitrio Ordinarii ſui puniendum decernimus. Eum vero, qui præſentationem, ſeu proviſionem alicujus beneficii, ſive Curati, ſive non Curati, a Patrono receperit, cum tali pactione, ut Patronus de proventibus beneficii portionem reſervet; ad tale beneficium prohibemus inveſtiri: aut ſi poſt inveſtituram talem pactionem feciſſe deprehenſus fuerit, beneficio decernimus privandum, & eidem beneficio alium idoneum præficiendum.

De admiſſione ad beneficia Eccleſiaſtica, & eorum Reſignatione.

Caput LXIX.

Univerſis Archi-Presbyteris, aut aliis Commiſſariis noſtris, ſerio inhibemus, ne quem ad alicujus beneficii poſſeſſionem, vel ad regimen, aut ad Officiaturam alicujus Eccleſiæ admittant; niſi, qui inveſtituram, ſeu proviſionem, & inſtitutionem ſuam Canonicam, literis earundem ſigillatis oſtenderit. Beneficium vero, quod quis legitime tenuit, non aliter, quam in manus noſtras, aut Vicarii, ſeu Officialis noſtri, ſive alterius Collatoris ſuperioris, ad hoc poteſtatem habentis, reſignare, aut dimittere præſumat. Quod ſi quis ſine noſtra, aut Superioris, ad id poteſtatem habentis, auctoritate, aut conſenſu beneficium aliquod dimiſerit; ad beneficium ſic dimiſſum, nemo alius in favorem dimittentis inveſtiri, aut inſtitui; ſed beneficium illud, pro arbitrio Ordinarii, ſive ſpecialis, ſive generalis, alteri idoneo tradi debet: niſi Nos, vel Officiales noſtri,

aut Superior, resignationem factam ex rationabili causa confirmaverimus.

De justa distributione proventuum Ecclesiasticorum.

Caput LXX.

Perniciosus abusus est, cum pudendo Cleri dedecore & animarum periculo, gravique Ecclesiarum detrimento conjunctus, quod in Ecclesiis quibusdam Cathedralibus, & Collegiatis, potissima proventuum portio Canonicis, etiam apud Ecclesias non residentibus, nec quidquam utilis aut necessarii ministerii exequentibus, distribuitur; Vicariis, qui diurna & nocturna fatigatione omnes Ecclesiæ functiones sustinent, vix tenui censu, & qui ad vitam misere sustentandam ægre sufficiat, relicto. Hinc Capitula & Canonicos Ecclesiarum in Domino exhortamur, ut æquitatis & rationis, olim Deo reddendæ memores, ad functiones Ecclesiis suis necessarias, his, qui eas gerunt, de fructibus Ecclesiarum sufficientem & honestum victum deputent: ne causam præbeant, de Ecclesiarum proventibus necessario aliter disponendi.

Ut Præpositi, Decani, Scholastici, Custodes, & Cantores apud Ecclesias suas resideant.

Caput LXXI.

Cum constet, harum dignitatum officia Majores nostros ideo in Ecclesiis instituisse, ut essent, qui disciplinam Ecclesiasticam, tanquam inspectores & moderatores, conservarent; jam vero videamus, ea ab iis occupari, qui dignitatum titulos tantum gerunt, & emolumentis gaudent, & tamen ab Ecclesiis suis absunt, nihil minus, quam appellationibus suis respondentes. Quare statuimus, ut post hac omnes, qui vel Præpositorum, vel Decanorum, vel Scholasticorum, vel Custodum, vel Cantorum dignitatibus (quatenus hæ ad nostram, aut Comprovincialium nostrorum dispositionem pertinent) jam præfulgent, aut porro ornandi erunt, præsentes suis Ecclesiis, utilem & nomine dignam operam præstent: Non absentes fructus tantum auferant: neque liceat cuiquam absenti, ullam harum dignitatem gerere; sed quisque tali titulo insignitus, suæ Ecclesiæ, non absens, neque conducta aliorum opera, sed residendo præsens ipse serviat.

De modo deserviendi quotidianas distributiones.

Caput LXXII.

Cum Apostolus (*) victu, adeoque ipsa vita indignos judicet homines otiosos, qui panem non labore suo partum, cum gravamine aliorum edunt; quanto graviori indignationi Divinæ eos subjacere putandum est, qui census Ecclesiæ, sanctorum Martyrum patrimonia, & donaria piæ plebis, ad Divini ministerii sustentationem collata, otiose absumunt, pro iis debita ipsis Ecclesiis obsequia rependere non curantes? Nos igitur periculo animarum obviare, & necessitati Ecclesiarum consulere volentes, præsenti statuto decernimus & ordinamus, ne post hac in Metropolitana, Cathedralibus, Collegiatis, aut quibusque aliis, nostris, & nobis subjectis Ecclesiis per universam Provinciam constitutis, quotidianæ distributiones ad brevissima quædam momenta, puta, ad lectionem Epistolæ, seu unius Psalmi, aut Responsorii: sed integris ac totis Officiis, & Horis assignentur, & iis modo tribuantur, qui Officiis Divinis, de quibus hæc emolumenta dantur, ab initio ad finem interfuerint. Hi vero, qui excursus & recursus suos ita partiri consueverunt, ut de laboribus minimum, de emolumentis plurimum perciperent, imposterum, nisi integris Officiis, & Horis interesse studeant, illius Officii, aut Horæ fructu in totum mulctentur: quibuscunque irrationabilibus, aut pravis consuetudinibus (quæ potius corruptelæ censendæ sunt) non obstantibus. Si qui tamen infirmitate, aut legitima causa impediantur, apud Prælatum, aut alium, cui de Ecclesiæ consuetudine competit, se excusent, & veniam absentiæ suæ impetrent: Canonicos vero per actus Capitulares ab ingressu Chori; quamdiu Capitulis intersunt, & non diutius, excusari volumus. In qua re Decanos Ecclesiarum, aut quibus ea cura pro tempore incumbit, monemus, eisdem precipientes, ne, extra

(*) 2. Thess. 3.

extra necessitatem, Capitula indicant in eam horam, qua Divina officia peraguntur: cum possint aut maturius, aut serius Capitula haberi, ut etiam ipsi Prælati & Canonici Divinis Officiis commodius interesse queant: quos utique, supra Chori officia, quæ ipsis incumbunt, cum Vicariis communia, actuum Capitularium labor gravare non debet: cum supra communes distributiones, de Præbendis suis ampliore etiam emolumento potiantur.

Simili modo distributiones, quæ de processionibus percipiuntur, his modo dari volumus, qui eisdem ab initio ad finem præsentes interesse perseveraverint.

Et ne beneficia per Ecclesias debitis obsequiis fraudentur, omnibus beneficiorum possessoribus, sub amissione beneficiorum injungimus, ut ordines, quos eorum beneficia requirunt, si nondum habent, proximis temporibus a jure statutis recipiant: ad quod etiam Canonicos Ecclesiarum, pro suo quemque ordine teneri volumus; ut obsequium, quod quisque pro officii sui exigentia Ecclesiæ debet, cum res postulat, per se præstare queat.

Otiosas deambulationes in Ecclesiis inter Divina prohibendas.

Caput LXXIII.

Eos vero, qui interim, dum Divina peraguntur, in Ecclesia, in qua Beneficiati sunt, aut foris circa eam otiosi inambulant, & aliis psallentibus, & Deo servientibus, ipsi inanibus, nonnunquam etiam turpibus confabulationibus tempus terunt, amplius ferendos non censemus. Quos illius non solum Horæ, sed totius diei emolumento, decernimus privandos. Seculares vero per Magistratus Civiles debita animadversione a tali sacrorum contemptu coercendos.

De honestate & decentia Clericali.

Caput LXXIV.

Hinc hortamur, atque monemus omnes, & singulos Clericos, ut vitam vivant, quam professio eorum exigit, & Christus requirit, (*) inquiens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est*: & cum vestitu honesto incedant. Quapropter singulari cura intendat quisque Prælatus, ne ii, quibus præest, torques aureos publice in Ecclesia, aut vestes varii coloris, velut virgatas, aut fimbriatas, aut discissas, deferant: sed longis atque talaribus utantur. Nulla arma induant, nisi itinerantes, barbamque non nutriant, coronam & tonsuram deferentes: tum summopere curantes, ne quem laicorum indecentia vestitus offendant, ut sacris Canonibus cautum est.

Insuper tabernas publicas evitent, nisi eos peregre proficiscentes ingredi oporteat; & tam inibi, quam domi, & alibi a crapula, ebrietatibus, omnique ludo, a jure prohibito, blasphemiis, rixis, & aliis quibuscunque excessibus, & offensionibus, penitus abstineant.

Choreas, spectaculaque, & convivia publica vitent; ne ob luxum, petulantiamque eorum nomen Ecclesiasticum male audiat.

Cumque secundum Apostolum, nemo militans Deo se se negotiis sæcularibus implicare debeat; nemini Clerico liceat, domi suæ tabernam, compotandique locum aperire laicis: quoniam non raro sequi solent ebrietatem rixæ, cædes, & multa hoc genus scelera, quæ Sacerdotalem polluunt dignitatem: negotiationibus quoque, mercimoniisque, more mercatorum, abstineant.

De decimis & offertoriis persolvendis.

Caput LXXV.

Cum autem, Domino testante, mercenarius dignus sit mercede sua; statuimus & decernimus, ut decimæ, quæ jure debentur Divino, tam majores, quam minores, sine fraude, aut diminutione solvantur, etiam personales, in quibus eas solvendi consuetudo est;

Simili modo debent etiam quatuor offertoria, & cætera jura Parochialia, integre solvi.

De Foro competenti, & Emunitate Ecclesiastica.

Caput LXXVI.

Præterea cum omnibus palam sit, super Ecclesiarum, atque eorum, qui in

(*) Matth. 5.

in ſortem Domini delecti pro Magiſtratuum, imo reipublicæ ſalute, apud Deum quotidie interpellant, libertate, & immunitate, non tam Pontificio, quam etiam Civili jure cautum atque proviſum; comperimus tamen, infœlici hac rerum perturbatione, Eccleſiarum quarundam bona, imo ipſas Deo dicatas Eccleſias, in prophanos uſus ceſſiſſe; Clericos ad munia civilia, etiam ſordida, interdum coactos, quæſtiones contra ipſos, eorumque, & Eccleſiarum bona: ſimiliter ſuper cauſis matrimonialibus, & aliis etiam mere Eccleſiaſticis, coram ſæcularibus ſtatibus intentari ac definiri. Proinde adhortamur omnes & ſingulos in Domino, ut ſi non Divini Judicii reſpectu, vel eorum ſaltem, quæ legibus ſancita ſunt, memores, ab injuſta Eccleſiaſticæ libertatis imminutione, atque oppreſſione abſiſtant; Eccleſias, Sacerdotes, atque res ipſorum ſuæ reſtituant, atque permittant emunitati & libertati. Quorundam igitur vim injuſtam inhibere, & perſonis Eccleſiaſticis ſuam libertatem vel in hoc aſſerere volentes, ſtatuimus, ut actor Clerico coram ſeculari judicio actionem intendens, eo ipſo omni cauſa cadat, nec amplius ad ejus cauſæ querelam etiam coram Eccleſiaſtico Judice admittatur. Judicem vero ſecularem, qui cauſam Clerici, etiam eo conſentiente, aut etiam quamcunque cauſam ad Eccleſiaſticum judicium pertinentem, quales ſunt matrimoniales, & ſimiles, judicandam ſibi deſumpſerit, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrere, decernimus.

Similiter Judex Eccleſiaſticus, cauſas, quas laici ad invicem habent, judicandas ſibi non aſſumat; niſi tales cauſæ ſint, quæ ad forum Eccleſiaſticum de jure & conſuetudine pertinere noſcantur.

Quibus Epiſcopi, aut Archi Diaconi, ſuas vices committere debeant.

Caput LXXVII.

Caveant autem Epiſcopi & Archi-Diaconi, dum ipſi officiis ſuis præeſſe non poſſunt, ne vices ſuas hominibus dubiæ famæ, aut ab ordine Eccleſiaſtico prorſus alienis, committant; ſed in ſuum locum, quoties ſuis muneribus per ſe non præſunt, viros bonos, graves, peritos, prudentes, & imprimis Eccleſiaſticos ſubſtituant: nec unquam crimina ſubditorum per ſe, aut ſuos ſubſtitutos, mulcta pecuniaria punire præſumant; ſed aliis debitis, & a jure conſtitutis pœnis, coerceant.

De Regularibus.

Caput LXXVIII.

Quoniam inſolentia quorundam, qui a religionibus, ſemel profeſſione ſolemni receptis, temere reſiliunt, his noſtris calamitoſiſſimis temporibus, diſciplinam Eccleſiæ, adeoque totam Religionem non parum perturbavit; Nos huic calamitati ex Monaſticæ diſciplinæ neglectu provenienti, pro viribus occurrere volentes, Prælatos Monaſteriorum per Charitatem, quæ eſt in Chriſto JESU, hortamur, & ſerio requirimus; ut curæ ſibi traditæ diligentius incumbentes perſonas Regulares, ſibi ſubjectas ad Monaſticæ diſciplinæ & regularum ſuarum obſervantiam, ſolicitius inducant, aut refractarios etiam debitis pœnis compellant. Alioqui ceſſationem & negligentiam Prælatorum, Nos juxta Canonum Sanctiones ſupplebimus. Cum vero perſonæ quædam Regulares jugum jam dudum excuſſerint, & deſertis Monaſteriis, & ſpreta ſuorum Prælatorum obedientia in ſæculo verſentur, nos hujusmodi Regulares, contra regulam divagantes, volentes ad ſua Monaſteria reducere, ne alii ex prohibita illorum communione periculis involvantur, Superiores eorum monemus, ut ejusmodi vagos Monachos diligenter inquirant, & ad ſua Monaſteria eos retrahere quoquo modo procurent. Similiter & omnibus perſonis Eccleſiaſticis, nobis ſubjectis, mandamus, ut omnes Regulares, cujuscunque ſint conditionis & ordinis, in ſuis diſtrictibus commorantes, diligenter moneant, & requirant, ut infra menſis ſpatium poſt ejusmodi requiſitionem, ad ſua Monaſteria redeant, & obedientiæ Superiorum ſuorum ſubdantur: aut diſpenſationes ſuas, quarum prætextu obedientiam Prælatorum ſuorum reliquerunt, intra idem tempus Nobis, aut Officialibus noſtris examinandas exhibeant. Hujusmodi vero monitioni non parentes, & in rebellione, & inobedientia ſua

ſua perſeverantes, ſine mora Nobis, aut Officialibus noſtris denuntient, quos Nos per Eccleſiaſticæ cenſuræ pœnas, & omni ſevera animadverſione, quantum Nobis juſtitia permiſerit, ad ſuas regulas redigere, & ſub Prælatorum ſuorum obedientiam retrudere, non omittemus.

Cum vero aliquoties contingat, ut perſonæ aliquæ regulares, aut graviorum exceſſuum conſcientia, aut etiam ex animi levitate Monaſteria ſua deſerant: deinde pœnitentia ductæ redire ad ſua Monaſteria volentes, a Superioribus quibusdam nimis rigidis, aut pœnarum aſperitate abſterreantur, aut prorſus non recipiantur; Nos a quantacunque perverſitate reſipiſcenti, gremium miſericordiæ non eſſe claudendum conſiderantes, ne hujusmodi repulſis etiam amplius delinquendi occaſio præbeatur, præſenti ſtatuto cavemus, & ordinamus, ut Monaſteriorum Abbates, & Prælati, Abbatiſſæ, Præpoſiti, Priores, & Magiſtratus, cujuscunque ordinis Nobis ſubjecti, Regulares perſonas, in Apoſtaſiam ex quacunque cauſa lapſas, & cum humilitate redire volentes, juxta cujuscunque ordinis diſciplinam, ſive regulam, & conſuetudinem obſervatam benigne accipiant: nec eis pro exceſſibus graviores pœnas, quam quæ in ſacris Canonibus & regulis ordinum, expreſſæ ſunt, imponant: ita tamen, ut propter exceſſus ſuos, nec victus, nec veſtitus neceſſarius eis ſubtrahatur. Prælatos vero, & quoscunque Monaſteriorum Magiſtratus, huic Conſtitutioni noſtræ contravenientes, ſententiæ ſuſpenſionis a Divinis, ſimul etiam ab adminiſtratione tam Spiritualium, quam temporalium, (quam in contrafacientes, præſenti Canonica monitione præmiſſa, ferimus in his ſcriptis) volumus ſubjacere. Et cum hoc tempore paſſim Eccleſiæ idoneorum Miniſtrorum penuria nimis periculoſe laborent; Prælatos Regulares ſummopere exhortamur, & ſerio monemus, ſi qui fratres, eorum poteſtati ſubjecti, per Ordinarios locorum ad regimen Eccleſiarum Parochialium, aut ad munus prædicationis adhibiti ſint, aut tales ad eandem operam impoſterum evocari contingat; ut promovendæ pietatis & conſervandæ ſanctæ Religionis noſtræ intuitu, Ordinariis locorum in tanta neceſſitate deeſſe non velint. Religioſos tamen, de conſenſu Prælatorum ſuorum ſic evocatos, nihilominus ſub eorundem obedientia, qui eos corrigere & revocare valeant, volumus permanere.

De clauſuris Monaſteriorum Virginum.

Caput LXXIX.

Virginum Monialium, velut imbecillioris ſexus, continentiam & munire præſidiis, & adjuvare opportunis auxiliis volentes, præſenti ſtatuto inhibemus; ne ſanctimoniales cujuscunque ordinis, quas votum ſub perpetua clauſura manendi adſtringit, quacunque de cauſa, niſi ſola inevitabili neceſſitate compulſæ, aut tali morbo infectæ, unde ex contagione aliis periculum immineret, conſortium ſororum ſuarum relinquere, aut extra Monaſterium prodire, ullo modo præſumant. Viciſſim vero, quo minus animi Deo dicatarum Virginum pravis cupiditatibus tententur, aut a ſalutaribus meditationibus diſtrahantur; omnibus perſonis, ſive Eccleſiaſticis & Regularibus, ſive laicis, præſertim viris, ſerio interdicimus, ne in ipſa Monaſteria quarumcunque Monialium, ſeu clauſuras, niſi ex neceſſaria cauſa, cum honeſto comitatu, & de manifeſto conſenſu Superioris, ad quem pertinet; introire audeant. Alioqui huic noſtræ prohibitioni temere contravenientes, ſi Eccleſiaſtici ſint, ſuſpenſionis ab officio, & beneficio; ſi ſeculares, excommunicationis pœna percellantur.

Paſtores & alii, Eccleſiis ſuis, quibus per ſe non præſunt, idoneos & perpetuos Vicarios præficiant.

Caput LXXX.

Paſtoribus etiam, & iis, qui curata beneficia obtinent, injungimus; ut Eccleſiis, in quibus per conſenſum Diœceſani inſtituti ſunt, nec tamen eisdem per ſe præſunt, Vicarios idoneos, & Canonice inſtitutos, præficiant, eisque pro ſufficienti victu portionem congruam de proventibus Eccleſiæ aſſignent: nec a ſe inſtitutos Vicarios ab eadem Vicaria amoveant; niſi ipſi jam actu Sacerdotes, Eccleſias ſuas per ſeipſos regere velint, aut aliquam rationabilem amotionis cauſam contra

contra Vicarium coram Diœcesano, aut ejus Officiali probaverint.

De promovendis ad sacros Ordines.

Caput LXXXI.

De his, qui ad sacros Ordines promoveri velint, ordinamus & decernimus, ut nemo ad quemcunque Ordinem majorem recipiendum admittatur, nisi, qui paulo ante confessus fuerit idoneo Sacerdoti: qui vitæ conditionem in ordinando sedulo scrutatus, eum instruxerit, utrum expediat eum ordinari; an potius propter irregularitatis, aut legitimi alicujus impedimenti sequelam abstinere, donec tale impedimentum a se removerit. Nec quisquam ordinandus recipiatur, nisi ad certum titulum Ecclesiastici beneficii, quod sit perpetuum, a quo non possit ad inordinatum alicujus placitum amoveri, aut cui de proprio patrimonio sufficienter sit provisum.

De Ordinandorum Testimonio.

Caput LXXXII.

Et ne Ecclesiarum ministeria quibusvis (quæ res hactenus multis malis causam præbuit) sed dignis modo, & idoneis permittantur; sancimus, eos, qui ad suscipiendos ordines assumi expetunt, Episcopi simul & plebis judicio comprobandos, hoc modo, ut Episcopus doctrinam examinet, plebs quoque de moribus testimonium præbeat. Morum itaque & vitæ testimonium ordinandi, idque in literis sigillatis afferant, acceptum a Prælatis Ecclesiasticis, seu Parocho, atque etiam a Senatu, seu Judicio ejus loci, in quo majorem vitæ partem exegerint. Quod testimonium illis gratis concedi volumus. Ex longinquo vero venientes, si in Provincia Moguntina ordinari expetiverint, ad Canonicarum Sanctionum observantiam adigantur.

Qui in Baptismo Unctiones sacri Olei & Chrismatis, juxta vetustissimum Ecclesiæ morem non susceperunt, ad Ordines sacros ante talium Unctionum suppletionem non admittantur.

Caput LXXXIII.

Hac calamitosa tempestate, qua sacrorum profanorumque omnium periculosa confusione laboramus, plerumque evenire solet, ut in sacri Baptismatis administratione, unctiones sacri Olei in pectore & scapulis, & Crismatis in vertice infantium, jam inde a temporibus Apostolorum per universam Ecclesiam religiosa pietate adhiberi solitæ, quorundam temerario ausu omittantur. De qua re circa eos, qui Ordinibus sacris initiari volunt, diligentem inquisitionem per nostros in Pontificalibus Vicarios, aut alios, qui ordinandorum examinibus præsunt, præcipimus faciendam. Eos vero, qui tales unctiones, dum baptizarentur, non receperint, nisi eas, (una cum orationibus, quæ in agendis ad tales unctiones adhibendæ inveniuntur) in se per Catholicum Sacerdotem pie supplere curaverint, ab ordinibus prorsus mandamus repellendos.

De iis, qui ordinantur extra suas Diœceses.

Caput LXXXIV.

Evenire solet, ut aliqui eruditionis & vitæ non satis probatæ, aut alioqui censuris Ecclesiasticis obnoxii, conscientiam eorum, quibus noti sunt, subterfugientes, ad remotiores Diœceses se conferant, & ordines ab ignotis Episcopis, qua possunt fraude extorqueant: aut saltem eos se consecutos, comminiscentes, in iis ministrare præsumant. Quorum temeritatem reprimere volentes, Commissariis nostris serio inhibemus, ne in posterum alicui literas dimissorias ad aliam Diœcesim, sine magna & necessaria causa, quam bene exploratam habere debent, concedant. Qui vero in aliena Diœcesi ordines susceperint, ad ministerium, seu executionem ordinum, quos se habere asseverant, non admittantur; nisi prius Vicariis, seu Commissariis nostris, de susceptis ordinibus legitimo documento fidem fecerint, & ab eisdem, quod admitti debeant, testimonium patentibus literis obtinuerint. Alioqui tales per Archi-Presbyteros nostros ab omni Ecclesiæ officio semoveri, aut si iis non paruerint, nobis denuntiari debent.

De

De honore Prælatorum.

Caput LXXXV.

Ad confuſionem & dehoneſtamentum Eccleſiaſtici Ordinis facit, ſicubi honorum diſcrimina tolluntur, nec ſuus cuique honos habetur. Unde ordinamus, & decernimus, ut inferioris dignitatis Clericus, ſeu Vicarius, ſive Canonicus, Prælato ſuo reverentiam, ſive in aſſurgendo, ſive in aliis prærogativis, juxta conſuetudinem illius Eccleſiæ debitam ſubtrahens, fructuum præbendæ ſubtractione ad tempus, pro exceſſus qualitate, puniatur. Quod ſi ſimultate, aut animi arrogantia provectus, in tali contemptu Prælati ſui perſeveraverit, a reliquis confratribus, velut inobediens, & juramenti ſui parum memor, a conſortio Eccleſiæ, & omni fructuum perceptione amoveatur, non niſi de ipſius Epiſcopi conſenſu ad eandem rurſus admittendus; ut diſcat poteſtatem ſupra ſe poſitam, velut Dei ordinationem, agnoſcere & venerari.

Ne Domicellares Canonici ante merita virtutis & doctrinæ ad Capitula aſſumantur.

Caput LXXXVI.

Hactenus in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis (ſaltem in ea parte, qua majores noſtri, non ſine magna ratione, juniores Canonicos, quos Domicellares vocant, non ſtatim, ut beneficia acceperint, ad Capitula admitti, ſed ad tempus ſub jugo Prælatorum detineri voluerunt) ſatis negligenter advigilatum eſſe, non ſine Eccleſiarum pernicie, ſentimus: dum hi, quibus ea cura incumbit, ad ſtudia & mores Domicellarium parum attendentes; ſi modo Domicellares certum tempus in beneficii poſſeſſione exegiſſent, aut pecuniam, pro emancipatione conſtitutam, numeraſſent; ſine ampliori delectu quosvis ad Capitula admiſerunt, etiam eos, quos nec vitæ honeſtate, nec doctrina ſatis idoneos, aut Eccleſiis utiles futuros norint. Unde fit, ut interdum Eccleſiæ, minus utili Canonicorum turba oneratæ, nec in ſpiritualibus, nec in temporalibus debitis obſequiis adminiſtrentur. Quarum indemnitati conſulere volentes, Prælatorum, Capitulorum, & aliorum, quorum intereſt, conſcientias duximus onerandas: hisque diſtricte præcipiendo injungimus, ut in poſterum non ſecundum prætenſam conſuetudinem, (quæ hac in parte, ut Eccleſiis perniciosa, irrationabilis, aut potius corruptela cenſenda eſt) quoslibet, ſed ſecundum conſcientiam, idoneos tantum, & dignos, ad Capitula, præſertim Metropoliticum, & Cathedralia admittant: pravis vero moribus deditos, & ignavos tantisper a Capitulari dignitate & emolumento arceant, donec emendatione vitæ locum hunc mereri videbuntur: aut ſi contra omnem emendationem præfracti, & incorrigibiles ſe exhibere perſeveraverint; ad dimiſſionem beneficiorum remediis juris, tanquam inhabiles, & inſufficientes, ac minus idoneos prorſus cogant. Qua Conſtitutione noſtra, & ipſis Prælatis & Capitulis, ut officio ſuo diligentius invigilent, & juventuti Eccleſiaſticæ, ut vitæ, ingeniique cultum accuratiore ſtudio capeſſant, occaſionem præſtari arbitramur.

De juramentorum exactione reſtringenda.

Caput LXXXVII.

Cum ſcriptura admoneat, virum crebro jurantem iniquitate oppleri, ac plagis multis obnoxium fieri; jurationem namque multa comitari pericula, quæ non tam pejerantem, quam eum, qui perjurio cauſam, cum debet & poteſt, non ſubtrahit, involvunt. Nos igitur crebram illam juramentorum exactionem in Capitulis, ſi non ut injuſtam, certe ut periculoſam cenſemus coarctandam. Injuſta vero & illicita juramenta, per quæ nonnunquam via debitæ correctionis præcluditur, & Prælati a promovenda Eccleſiarum ſuarum diſciplina & utilitate impediuntur, omnino tolli debent. Et Nos, cum hac ſancta Synodo talia omnia damnantes, locorum Ordinariis, & Prælatis Capitulorum ad ejusmodi correctionem, per Præſentes facultatem impertientes, diſtricte eis præcipiendo injungimus; ut Eccleſiarum Statuta diligenti cura revideant, & juramenta non neceſſaria, a Sede Apoſtolica non confirmata, imprimis vero injuſta & pernicioſa, non obſtantibus quibuscunque conſuetudinibus (cum iniquitati longinquitas temporis patrocinari non debeat) corrigant, caſſent & tollant. Quod ſi facere inferiores Prælati, & Ordina-

dinarii, ultra sex menses post publicationem hujus Constitutionis distulerint; nos ad primam opportunitatem, aut saltem in futura Provinciali Synodo negligentiam illorum supplebimus, ipsosque cessatores debitis insuper pœnis afficiemus.

Pecunias ex Statutis Beneficiatorum, aut aliunde cedentes, in Ecclesiarum utilitatem impendi debere.

Caput LXXXVIII.

Multas Ecclesias in bonis temporalibus ingentia detrimenta sustinere: ac domos earum, aut collapsas, aut ruinis proximas videmus, ex prava consuetudine, seu potius corruptela, qua Canonici quidam pecunias, ex possessionibus novorum Canonicorum, aut optione domorum receptas, non in utilitatem Ecclesiarum, sed in proprios usus convertunt. Quod Nos ultra fieri omnino prohibemus, talesque pecunias necessitatibus Ecclesiarum, aut domorum reparationi & conservationi, impendi volumus. Si quos huic Constitutioni nostræ rebelles deprehenderimus, privatione omnium fructuum, quos ab ea Ecclesia percipere deberent, per semestre tempus plectemus, fructusque eis sic ademptos, in Ecclesiæ utilitatem impendi curabimus. Sicubi vero in Ecclesiis aliunde sumptus, ad conservationem templorum, ædificiorum, & domorum, ad Ecclesias, aut earum personas pertinentium, & in alios necessarios usus suppetunt, rationabiles consuetudines, super hujusmodi pecuniis disponendis, hactenus observatas, hac præsenti Constitutione astringi, aut abrogari non volumus.

De rebus Ecclesiarum diligenter curandis.

Caput LXXXIX.

Ne ex incuria, aut negligentia, sicut consuevit, damna Ecclesiis accidant, Capitulis Metropolitanæ, Cathedralium, & Collegiatarum, aliarumque Ecclesiarum Rectoribus, & Curatoribus mandando injungimus, ut singulis annis semel ad minimum, omnes Ecclesiarum res & ornatus inspiciant, & in indice singula diligenter conscribant; quo, si quid inde perierit, facilius deprehendi, & sarciri, & ratio ab his, quibus ea cura commissa est, exposci & reddi queat.

Eadem diligentia volumus, & præcipimus, ut omnium Ecclesiarum prædia & reditus tum communes, tum etiam ad singulas dignitates, seu beneficia pertinentes, in libro ad id deputato, exactissime conscribantur. Literæ vero originales censuum, tam communium, quam ad singula beneficia pertinentium, non apud singulos possessores relinqui; sed in publica & bene munita custodia, (copiis earundem auscultatis, apud possessores retentis) asservari debent. Unde si occasio exegerit, depromi, & singulis personis sub cautione redhibitionis permitti poterunt.

De procuratione, seu fabricis Ecclesiarum Parochialium.

Caput XC.

Ut Ecclesiæ, per Provinciam nostram constitutæ, a damnis, quæ nonnunquam ex infida procuratione accipiunt, in posterum vindicentur, decernimus & ordinamus, ne posthac solis laicis; sed cum aliquot laicis cujusque Ecclesiæ Rectori, seu Plebano, velut principali, officium fabricæ, seu procuratio Ecclesiæ, committatur; ita tamen, ne ipsi Ecclesiarum Rectores, seu Plebani, officio exactionis censuum, proventuum, seu redituum, seu procurationis labore graventur. Tales etiam Ecclesiarum Procuratores, de pecuniis, seu proventibus Ecclesiarum nihil in suum privatum usum convertant: sed omnia in Ecclesiæ utilitatem impendant, & de omnibus acceptis & expensis debito tempore, ad minimum semel in anno, coram ipso Plebano, seu Rectore Ecclesiæ, & aliis ad hoc deputatis, rationem conficiant. Volumus etiam, ad singulas Ecclesiarum cistas, in quibus literæ censuum, seu pecuniæ, & preciosiores Ecclesiarum res, asservantur, diversas seras, & ad minimum duas, fieri, & ex clavibus semper unam apud Parochum, seu Rectorem Ecclesiæ relinqui & custodiri: Sic ut tales cistæ, non ab uno aliquo Procuratore, nec unquam absente Parocho, aut Rectore Ecclesiæ, possint aut debeant aperiri. Huic vero nostræ Constitutioni in Ecclesiarum fraudem non parentes, ipsi Plebani nobis,

aut Vicariis nostris denuncient, debita monitione prævia, excommunicandos.

De Simonia.

Caput XCI.

Ut ab institutione ad Ecclesiastica Beneficia omnem ambitionem, omnemque Simoniæ pravitatem præcidamus, præsenti statuto ordinamus & decernimus, ut quicunque vel muneribus, vel pollicitationibus, seu quibuscunque pactionibus, unius, vel plurium sibi favorem conciliaverit, ut per eos ad beneficium, seu dignitatem qualemcunque (quatenus ad nostram dispositionem pertinent) promoveatur, eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, & reddatur inhabilis, ne amplius ad tale beneficium, seu dignitatem eligi, aut assumi possit. Quod si electus & assumptus postea fuerit deprehensus, tales donationes, promissiones, seu pactiones fecisse; beneficio sic occupato privari, & de dignitate omnino deponi debet. Simili modo, quicunque pensiones, non legitime assignatas, aut dederint, aut receperint, aut alioqui illicitis modis beneficia, aut dignitates occupaverint, pro excessuum qualitate puniri, & talibus beneficiis, aut dignitatibus privari debent. Quæ ut arctius observentur, nullus imposterum Clericus ad aliquod beneficium, seu dignitatem admitti debet, nisi prius juraverit, quod in ejus adeptione nullam commiserit Simoniam, aut illicitam fecerit pactionem.

Ut Parochi Sacramenta gratis administrent.

Caput XCII.

Execrabilis quorundam Sacerdotum avaritia usque ad Sacramentorum ipsorum contemptum & injuriam nonnunquam irrumpit, dum sine numerato pretio conferre Sacramenta detrectant. Quorum pravam cupiditatem, sacris etiam Conciliis invisam & damnatam, comprimere volentes, omnibus nobis subjectis Parochis, seu Ecclesiarum Ministris, serio prohibemus, ne quid de Sacramentorum administratione a quoquam, velut debitum, aut exigant, aut recipiant, quod consuetudo rationabilis, laudabiliter introducta, & hactenus observata, non permittit: sed ultra id; etiam oblatum, quasi non debitum, modeste recusent. Quod si aliquis subditus, ultro aliquid dare voluerit, non obstamus, quin quod libera voluntate, & ex charitate offertur, recipere valeant. Archidiaconis etiam nostris, sive eorum Officialibus, injungimus, ut in Synodis, seu Capitulis, super hujusmodi exactione sedulo inquirant, & huic nostræ constitutioni non parentes, severis pœnis, usque ad suspensionem ab officio & beneficio compescant.

De competentiis Parochorum.

Capus XCIII.

Cum Dominus ipse (*) pronuntiet, Mercenarium sua mercede dignum, & Apostolus (**) clamet, Altari servientem de Altari vivere debere; universos Ecclesiarum Metropolitanæ, Cathedralium, & Collegiatarum Prælatos, Canonicos, & Capitula, omnes etiam Regulares Prælatos, & Conventus, quicunque Ecclesias Parochiales suis Ecclesiis, seu Monasteriis, unitas & incorporatas habent, in Domino exhortamur, & districte eis præcipiendo injungimus, ut intra trimestre tempus post hujus Constitutionis nostræ publicationem, Ecclesiarum sibi incorporatarum Rectoribus talem fructuum portionem ordinent, qua pro loci conditione honeste sustentari, ac insuper Episcopalia & Archidiaconalia jura solvere, hospitalitatem exercere, & alia necessaria onera sustinere queant. Quod ni fecerint, Nos illorum injustam negligentiam, ipsis Ecclesiis, & animarum saluti nimis periculosum, amplius sufferre non volentes, apud omnes Ecclesias Parochiales, jurisdictionibus nostris subditas, talem justi & sufficientis victus deputationem de Decimis, proventibus, vel bonis Collegiorum, aut Monasteriorum, aut Prælaturarum, per Nos, aut Officiales nostros secundum juris communis, & Sacrorum Conciliorum dispositionem ordinare, seposita ampliore mora, omnino aggrediemur.

De Clericis peregrinis.

Caput XCIV.

Clerici aliunde advenientes, nec in iis ordinibus, quos jactant, ministrare permittantur, nec ad altiores ordines promoveantur; nisi fide digno testimonio docue-

(*) Luc. 10. (**) 1. Cor. 9.

docuerint, se eos ordines, quos habere se asseverant, rite & legitime suscepisse. Peregrini autem Sacerdotes ad Missarum celebrationes non admittantur, nec ultra mensem in aliquo Presbyterorum consortio foveantur; nisi testimoniales literas super vita, moribus & recessu ab eo Episcopo, a quo discesserunt: similiter admissionis testimonium ejus Episcopi, ad cujus Diœcesin se contulerunt, ostendant.

De Sacellanis Nobilium.

Caput XCV.

Sacellani vero Nobilium, in Sacellis Castrorum Missas celebrare, aut alia Sacramenta conferre, aut etiam prædicare non præsumant, nisi super eo auctoritatem & consensum Ordinariorum obtinuerint, & prius manualem promissionem Episcopo, seu loci illius Archi-Presbytero, fecerint, se in obedientia Diœcesani mansuros, & ad Synodos, & Capitula venturos, & mandatis Ecclesiasticis secundum justitiam, & quatenus eos attingunt, parituros esse. Salvis etiam juribus Parochiarum, ad quas talia castra Nobilium pertinere noscuntur.

De Magistris Scholarum.

Caput XCVI.

Hoc imprimis totius Reipublicæ Christianæ utilitas exposcit, ut erudiendæ juventuti passim Magistri, eruditione, honestate vitæ, & fidei sinceritate commendabiles, præficiantur; quod in administratione utriusque Reipublicæ, & Ecclesiasticæ, & secularis successio a pueris dependeat. Qui si perversis & pravis hominibus erudiendi tradantur, a quibus recentes eorum animi (qui malorum ac bonorum, ut quidque primum hauserint, æque tenaces sunt) pravis & impiis opinionibus imbuantur, spes non est, sacrosanctam Religionem nostram in integrum restitui, aut a pravis doctrinis repurgari, aut pristinam felicitatem & tranquillitatem in Germaniam nostram reduci unquam posse. Proinde sive Prælatis & Capitulis, sive communitatibus, aut locorum Præfectis, ad quos ea cura pertinet, serio injungimus; ut imposterum scholis sibi commissis Didascalos præfecturi, eosdem ad Vicarios nostros in Spiritualibus, seu locorum Commissarios, ablegent, qui eruditionem, mores, & fidei sinceritatem in eis accurato examine explorent, eosque, quid in scholis, tam ad eruditionem, quam ad mores juventutis excolendos, conducibile potissimum prælegant, pro cujusque loci ratione, diligenter admoneant: sine quorum testimonio, (quod scripto his, quos dignos judicaverint, exhibeant) quenquam alicui scholæ præfici omnino prohibemus.

De Testamentis & ultimis voluntatibus.

Caput XCVII.

Quamvis jam olim multis Conciliis Provincialibus, velut Fritzlariensi Domini Gerardi, & aliorum Archi-Episcoporum Moguntinensium, super Testamentorum ordinatione cautum sit, quibus omnino suum robur manere volumus; videmus tamen hac temporum licentia, plerasque morientium voluntates incassum recidere, defunctorumque substantiam contra ipsorum legitimam voluntatem interverti a Testamentariis præsertim, & quibus pro officio competebat, ratum servare defuncti arbitrium. Statuimus, ut qui deinceps nominati fuerint Testamentarii, quamprimum, & ante omnia ipsius defuncti hæreditatem, sive substantiam, coram Notario & testibus fide dignis, conscribant, & in inventarium fideliter redigant; omnimodamque morientis voluntatem, arbitrium, & ordinationem, intra debitum tempus executioni demandent & exequantur: de quo Ordinario, aut ipsius Commissario rationem faciant. Quod si quis infideliter agens, hujus nostræ Constitutionis transgressor repertus fuerit, pro ordinarii arbitrio, aut alias condigna pœna, pro excessus qualitate plectatur.

Mercatus diebus Dominicis & Festivis prohibendos.

Caput XCVIII.

Magnus abusus est, cum ad rerum temporalium, & mox periturarum conquirenda lucra, sex diebus homines intendant; ad Regnum Cœlorum, ejusque justitiam inquirendam, septimum diem destinatum, ne eum quidem a negotiis prophanis liberum, execranda hominum

avaritia relinquat. Cui nos improbæ hominum cupiditati modum ponere volentes, serio prohibemus, ne in posterum in locis nostræ Provinciæ subjectis, diebus Dominicis, aut præcipuis Ecclesiæ Festivitatibus, mercatus, nisi forte earum rerum, quæ ad usum quotidiani victus necessariæ sunt, exerceantur: aut ne subditi nostri ulli operi servili, quod sine evidenti detrimento dilationem sustinere potest, manum admoveant; sed dies Dominicos & Festivos spiritualibus lucris conquirendis, & saluti animarum procurandæ, adeoque pietatis, & Divini cultus exercitiis, impendant. Quam nostram Constitutionem, nisi Magistratus locorum, quorum ea potestas est, sub gravibus pœnis ita observari curaverint, ipsos Magistratus, debita admonitione prævia, sententiam excommunicationis incidere, & ubi ad nostras temporales jurisdictiones pertinent, insuper aliis pœnis, pro nostro arbitrio, puniri volumus.

De Libris per Typographiam publicandis.

Caput XCIX.

Multis Constitutionibus Imperialibus cautum est, ne quis librum aliquem, sine certo auctoris & loci, ubi excusus sit, nomine; aut qui per Commissarios, qui per loca huic rei curandæ destinati sunt, comprobatus non sit, vel excudat, vel excusum vendat. Quam ordinationem renovantes, inhibemus, ne quis tales libros in nostris ditionibus vendere, aut emere, aut donare, aut occulte quovis modo alii obtrudere, aut omnino apud se retinere audeat: Officialibus nostris, tam Ecclesiasticis, quam secularibus injungentes, ut in eam rem acri diligentia invigilent, & si quos librorum vel excusores, vel venditores, aut detentores, huic ordinationi non parentes, deprehenderint; supra librorum confiscationem, etiam pœnis in multis recessibus Imperialibus constitutis, sine remissione afficiant.

De pœna Clerici percussoris, aut rixosi contra alium Clericum.

Caput C.

Paci etiam, tranquillitati, ac honestati Clericorum consulere volentes, decernendum duximus, ut quicunque Clericus alium Clericum probris, maledictis, aut conviciis incesserit, sub duorum, aut trium testimonio, ab omni proventuum Ecclesiasticorum perceptione, per unum mensem suspendatur. Quod si manus alteri Clerico violentas, citra tamen vulnus, attulerit; jam dictam pœnam sustineat duplicem. Si vulnus inflixerit, ultra pœnam excommunicationis, quam ipso facto incidit, ad quatuor menses tali fructuum privatione mulctetur. Si membrum aliquod mutilaverit, aut inutile reddiderit, omni beneficio Ecclesiastico sit ipso facto privatus. Nihilominus etiam in omnibus iis Casibus, juxta Diœcesani arbitrium læso satisfacere cogatur, & pro delicti gravitate a Diœcesano, si videbitur, etiam gravius puniatur. Illud superioribus comminationibus duximus addendum, si linguæ petulantiam, aut violentas manus in Prælatum intorserit; in tribus prioribus casibus supra memoratis, ubique pœnæ duplicatione gravandum esse; salvo tamen jure, quod vim vi repellere permittit. Similiter Clericos, si aut jurgiis aut armis contra laicos contenderint; per Prælatos suos, pro excessuum gravitate, irremissibili pœna decernimus ac mandamus plectendos.

De pœna Sortilegorum.

Caput CI.

Sortilegia, quæ ad injuriam sacræ Religionis nostræ, detestando malorum dæmonum commercio exercentur, omnibus Christianis prohibenda, in Clericis vero omni pœnarum acerbitate coercenda censemus. Proinde Clericum sortilegum protinus ab omni functione Ecclesiastica & ordine removendum, & excommunicationis sententia censemus alligandum: a qua, nisi in articulo mortis, a nemine, quam a suo Diœcesano, aut a Summo Pontifice, seu Legato ejus, ad id potestatem habente, absolvi debet. Et si incorrigibilis esse perrexerit, ad Monasterium arctum pro agenda pœnitentia, detrudatur, aut prorsus abjiciatur. Laici vero ab hac arte execrabili, publicatione bonorum suorum, aut pervicacia eorum exigente, perpetua captivitate, aut graviore etiam animadversione, coerceri debent.

De

De Clericis concubinariis.

Caput CII.

Ministris Ecclesiarum, qui sacris functionibus operam suam addixerunt, nihil æque convenit, quam vitæ castimonia: intolerabileque videtur, quod contra Conciliorum, Sanctorumque Patrum auctoritatem, passim concubinis adhæreant. Quis enim in Ministrorum Dei collegio patiatur talem, quem Paulus hominum consortio indignum judicat, cum quo (*) etiam ne cibum quidem sumendum putavit? Quia ergo Clerici quidam Synodorum, cujusque Diœcesis Episcopalium specialiter desuper habitarum, decretis, de dimittendis concubinis ægrius paruerunt; ne in hujusmodi scandalo & sordibus volutari diutius permittantur, quibuscunque locorum Ordinariis injungimus, & serio committimus; ut secundum Canonum præcepta, & præcipue Basileensis Concilii definitionem, concubinarios hujusmodi corrigant, atque emendent, easque mulieres, quæ citra scandalum atque offendiculum retineri non possunt, extra viciniam, ne commercii facultas, aut suspicio remaneat, amoveri procurent. Qua in re, cum sæpe compertum sit, facilius ab initio malis resisti, quam semel in ea demersum rursus erigi, atque emergere; omnino Prælatis intendendum præcipimus, ne patiantur juniores Clericos perniciosa cohabitatione irretiri, a qua deinde extricari facile non queant. Ecclesiasticis etiam Magistratibus, juxta præfati Concilii Decretum, ne ullo sub pacto, compositione, aut spe cujuscunque quæstus, tales quovis modo tolerent, aut dissimulent, penitus interdicentes: &, si opus sit, ut Brachium seculare in hanc rem implorent, injungentes.

De Excommunicatione.

Caput CIII.

Excommunicationem, qua nulla major pœna esse potest, caute ab Officialibus nostris, & non nisi ex inevitabili necessitate, & propter manifestam contumaciam, in quemquam intentari volumus: ideoque Officialibus nostris & Prælatis omnibus, qui alioqui excommunicandi potestatem habent; mandamus, ne sententiam excommunicationis, nisi competenti admonitione præmissa, & in præsentia fide dignorum hominum (ut, si necesse sit, testimonio eorum comprobari queat) promulgare præsumant. Qui aliter excommunicationem in quemquam promulgaverit, & admonitus errorem suum non revocaverit; per mensem ab ingressu Ecclesiæ sit exclusus, & sic a se excommunicato omnes expensas, quas talis excommunicationis occasione necessario fecerit, restituere cogatur.

De vitandis excommunicatis.

Caput CIV.

Et ut timoratis conscientiis subveniamus, & scandala excludamus; Generalis Synodi Basileensis Constitutionem volumus observari, quæ decernit, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut in aliis quibuscunque, sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis, vel prohibitionis, ab homine, vel a jure generaliter promulgatæ occasione, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Ecclesiasticum interdictum observare; nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura Ecclesiastica hujusmodi fuerit vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam a judice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse; aut si aliquem notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius abstineri vult, juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, & interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

Cum humana fragilitas in omnibus actionibus, & præsertim in iis, quæ pietatis sunt, si ope Divina non adjuvetur, & dirigatur, sine fructu desudet; præsenti constitutione duximus ordinandum, ut imposterum per omnes totius Provinciæ Ecclesias, quoties in illis multitudo fidelium convenerit, fiant precationes ad

(*) 1. Cor. 5.

ad Deum, pro Spiritus Sancti gratia, ad salutarem harum Constitutionum Provincialium observantiam, impetranda: similiter pro Summi Pontificis, Imperatoris, ac Regis Romanorum incolumitate & felici gubernatione, & pro omnibus, qui ad utriusque regiminis gubernacula in orbe Christiano præsident, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. In ipsa vero sacri Missæ celebratione, alternis diebus pro peccatis & pro pace, sive in ipso Sacro Collectam pro suffragio, sive post illud Antiphonam cum Collecta pro imploranda Dei misericordia devote recitari, aut cantari volumus. Quam rem discretioni Prælatorum, pro loci & temporis conditione committimus curandam.

Quo vero supradicta omnia & singula accuratiore cura observentur, & ad excusationem ignorantiæ nullus locus relinquatur; ordinamus & præcipimus, ut præsentium Constitutionum liber apud Metropolitanam, Cathedrales, & Collegiatas Ecclesias in Choro, aut Capitulis: similiter apud Parochiales Ecclesias idoneo loco, fabricæ sumptu comparatus habeatur, ad quem omnibus, quorum interest, pateat accessus.

Postremo cum his præsentibus nostris Constitutionibus omnes etiam Generalium Conciliorum Constitutiones & Decreta, similiter omnia, & singula alia Statuta Provincialia in Conciliis Provincialibus, sub nostris Præcessoribus celebratis, edita, quorum in his nostris Constitutionibus etiam nullam mentionem fecimus, in suo vigore permanere volumus, & ab omnibus Nobis subjectis, qua quemque parte attingunt, pro confirmatis & authenticis agnosci, haberi & observari districte præcipiendo mandamus: Sacrosanctæ Romanæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Judicio, cujus auctoritatem in omnibus salvam conservari volumus, hæc omnia cum debita obedientia submittentes.

Ex editione Moguntina ejusdem anni 1549.
Typis Francisci Behem.

Sebastianus, ex nobili stirpe Heusenstammiorum natus, Cardinali Alberto Brandeburgico anno 1545. 20. Octobris subrogatus fuit Moguntinorum Archi-Episcopus quinquagesimus sextus. Mox a suscepta dignitate omnes eo curas & studia convertit; ut Religionem, Ecclesiamque Catholicam, tam funestis laceratam dissensionibus, omni qua posset, ope juvaret. Eum in finem, præter utilissimam, quam variis in Comitiis, pro diffidentium animis ad concordiam, fideique unitatem revocandis, contulerat operam, anno 1548. Synodum Diœcesanam, atque altero mox anno Provincialem hanc, quam dedimus, celebravit, eamque currente adhuc eodem anno typis Moguntinensibus excusam, publici juris fecit, adjuncta insigni Catechesi de omnibus fere Fidei capitibus. Digna lectu est, præmissa huic Synodo Præfatio; in hac enim & quid Episcopalis sit muneris, egregie docet, & simul ostendit, quantum ipse laboris & curarum in se susceperit, ut eo munere in ista calamitate temporum recte fungeretur. Anno 1551. Concilio Oecumenico Tridentum revocato interfuit cum Joanne Isenburgico Trevirensi, & Adolpho Schawenburgico Coloniensi Archi-Episcopis ac Septemviris. Sed Protestantibus novo bello arma ubique circumferentibus; redire Moguntiam debuit, suam ut Provinciam adversus hostium vim defenderet: quam cum oppositis armis repellere non posset; gravissima damna ab Alberto præsertim Marchione Brandeburgico, direptionibus & incendiis per ejus Diœcesin grassante, perpessus, anno 1555. ad laborum suorum, curarumque & rerum gestarum mercedem evocatus est die Martii 17., postquam suæ Sedi præfuisset, ex P. Serarii nostri calculo, annis 9. mensibus 4. dieb. 28.

Vide Serarium Moguntiac. rerum L. V. a pag. 898.



SYNO-



SYNODUS TREVIRENSIS PROVINCIALIS

Eodem anno Christi MDXLIX.

DECRETA CONCILII PROVINCIALIS TREVERENSIS, Præsidente Reverendissimo in Christo Patre ac Domino, D. JOANNE Archi-Episcopo Trevirensi, S. R. I. per Galliam & Regnum Arelatense Archi-Cancellario, Principe Electore &c. celebrati.

JOANNES DEI GRATIA SANCTÆ TREVERENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER GALLIAM, ET REGNUM ARELATENSE ARCHI-CANCELLARIUS ET PRINCEPS ELECTOR. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

REm omnino non novam aggredimur, neque per viam insolitam ambulamus: verum & orthodoxorum Patrum & Prædecessorum nostrorum vestigiis tritam ingredimur, sincero corde semper affectantes, ut universum Clerum & gregem Nobis commissum usquequaque lustremus & contemplemur, atque salubris studii vigilantia in hoc sedulo incumbamus, ut eum more boni Pastoris (quantum Nobis ex alto conceditur) pura & sana Evangelicæ veritatis doctrina pascamus & reficiamus, ut cum universalis & tremendi judicii tempus ingruerit, & Pastor ille Pastorum gloriosus in Majestate sua apparuerit, ad cujus laudem hanc nostram functionem obire cupimus, de muneris impositi administratione cum lucro & ex voto respondere valeamus. Hac igitur occasione provocatos Nos & diligens cura & paterna sollicitudo extimulat, ut circa nostrorum subditorum statum & vitam probe instituendam indefesso studio ac labore invigilemus, Utque ex hac animi nostri promptitudine ipsis piarum rerum cultus in dies magis ac magis crescat pariter & placeat, ipsorum onera, & gravamina, pro hujus temporis iniquitate, inter manus in morem hydræ enascentia, imminuantur, cessent, finiantur; tollantur, atque tranquillitatis & pacis optatus portus, velut in alto navigantibus aperiatur: Id quod tum demum recte consequi credimus, cum sinistris eventibus viam præcludimus, vitiorum & malorum materiam resecamus, & noxia dissuadentes, ad optima quæque promovenda animum applicamus.

Quapropter horum nostrorum Statutorum editione, tum antiquorum renovatione & explanatione, tum pœnarum comminatione impios & orthodoxæ Ecclesiæ hostes ab infelici suo proposito deterreamus, & depellamus; ut in quibus virtutis zelus & ardor ad emendationem nihil proficit, eos saltem honestæ disciplinæ severitas atque pœnæ rigor retrahat & coerceat. Sane quondam felicis recordationis Balduinus, Archi-Episcopus Treverensis, & alii Prædecessores nostri, pro subditorum utilitate, pro libertate Ecclesiæ & Ministrorum ejus, quam plurima Statuta Synodalia & Provincialia, non minus utilia, quam necessaria ediderunt, promulgarunt, publicarunt, & pœnarum exactionibus, prout opportunum visum fuerat, provide & consulte vallarunt. Quæ nos omnia de consilio & consensu Capituli Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Treverensis: & Nunciorum seu Procuratorum aliorum, Reverendi Domini Nicolai Episcopi Verdunensis: & Nunciorum seu Procuratorum Reverendissimi Domini Joannis Cardinalis de Lotharingia, Administratoris Metensis, & Reveren. Domini Tonsani Episcopi Tullen. Suffraganeorum no-

ſtrorum, in præſenti Concilio Provinciali congregatorum, quatenus per infra ſtatuenda expreſſe non fuerint revocata & caſſata, approbamus & innovamus, atque in ſuo robore permanere volumus, & eadem antiqua Statuta Provincialia, atque ea nova, quæ nos in præſenti Concilio pro temporum ac rerum neceſſitate ſtatuimus & ordinamus, ut per totam Provinciam Treverenſem firmiter & inviolabiliter, prout ſtatuuntur, publicentur, teneantur, & obſerventur, firmiter decernimus.

De Fide Orthodoxa Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ fideliter & firmiter tenenda.

Quando vera in JESUM CHRISTUM Fides fundamentum eſt, & petra illa; de qua Salvator noſter dixit, ſuper eam ædificandam eſſe Eccleſiam ſuam, adverſus quam inferorum portæ nunquam prævalituræ eſſent (prævalerent autem ſi Eccleſia errare pernicioſe poſſet, aut docere noxia) fateri oportet, Eccleſiam in fide & veritate radicatam, & fundatam errare non poſſe.

Nam & in confeſſo eſt, teſtantibus nimirum Eccleſiæ Patribus, ac re ipſa clamante, Chriſti Apoſtolos, Petrum, & Paulum, Dei Sanctum Evangelium, in ſanguine quoque ipſorum ſignatum, Romanæ Eccleſiæ reliquiſſe, atque in illius fidem Eccleſias omnes, quæ ubique ſunt fideles, in toto orbe terrarum religioſe conſpiraſſe, atque ſocietate Sacramenti confœderatas & conjunctas eſſe. Itaque cum ad Nos per Epiſcoporum ſucceſſionem perpetuo continuatam, ea fides pervenerit, non dubitamus, hanc unam eandemque eſſe, atque adeo veram fidem, quæ ab Apoſtolis ipſis in veritate eſt tradita, & uſque nunc religioſe ſemper cuſtodita, & in Catholica Eccleſia ſemper conſervata. Nihil proinde aliud credendum, tenendum, aut docendum eſt, niſi quod Sancta Romana tenet & docet Eccleſia, omnium conſentientium Eccleſiarum Mater & Magiſtra. Eum vero, qui a Fide Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ recedit, neceſſe eſt, a veritate & capite deficere. Hortamur itaque, & in Domino obteſtamur omnes & ſingulos Clericos & Laicos, Nobis Metropolitico jure ſubjectos, ut tenaciter & indivulſe adhæreant, non ſolum his, quæ in Divinorum eloquiorum Canone expreſſa ſunt; verum etiam his, quæ Eccleſia Sancta Catholica habet, & cum omnium orthodoxorum conſenſu probata, & recepta ſunt: neque ulla ratione aut perſuaſione a veritate fidei, Eccleſiæ, & Evangelii, quod acceperunt, & in quo ſtant & ſalvantur omnes gentes, avelli ſe patiantur, ſed in eo, quod hactenus & recte docti ſunt, & crediderunt, permaneant.

De Prædicatoribus Verbi, quos miſſos eſſe oportet.

Hoc habet Apoſtolica Eccleſia, ut nullus, niſi miſſus, prædicet. Sic Chriſtus non niſi miſſus prædicavit, ipſo apud Eſaiam teſtante: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me: ad evangelizandum pauperibus miſit me.* Neque item ipſius Præcurſor, de quo ſcriptum eſt: *Fuit homo miſſus a Deo.* Sed nec Apoſtoli hoc feciſſent, niſi mandato a Chriſto accepto: *Ite. Ecce ego mitto vos.* Proinde nos Evangelicæ & Apoſtolicæ regulæ innitentes, ſtatuimus, & præcipimus, ne quiſquam poſthac, etiam quamcunque religionem profeſſus, publice prædicare præſumat, niſi ab Epiſcopo ordinario, vel ejus Vicario admiſſus fuerit. Et ſi quis etiam Religioſus, Apoſtolicæ Sedis privilegio nitatur, tenebitur Nobis, aut Officialibus, aut Vicariis noſtris de hoc fidem legitimam facere. Laicis vero prorſus interdicimus, ne prædicandi officium uſurpent, aut occulta conventicula faciant, & Sacerdotum ſimplicitatem eludant. Et ſi forte neceſſitas poſtulet, ut Sacerdos, tanquam inutilis & indignus, a cura gregis debeat removeri, ſervato ordine juris, de hoc agendum eſt apud Epiſcopum, ad cujus officium tam inſtitutio, quam deſtitutio Sacerdotum pertinere dignoſcitur. Omnes vero & ſingulos aliter, quam præmiſſum eſt, publice vel privatim prædicationis officium uſurpare præſumentes, præſentis ſtatuti rigore excommunicationis vinculo innodamus, & excommunicatos declarari publice mandamus. Et niſi reſipuerint, alia competenti pœna a Nobis, aut noſtris Suffraganeis, vel locorum Ordinariis plectendi ſunt.

Non

Non quivis admittendi sunt, etiamsi præsentati fuerint.

Quando non parum refert, quis, qualisve sit, cui alios instituendi & docendi potestas tradita est; probandi primum & explorandi sunt futuri Concionatores, a quibus, & quomodo instructi sint: ne peregrinis forte & hæreticis doctrinis imbuti, non satis perspecti recipiantur in ovile Christi, ad gravem Dominici gregis perniciem. Attamen non tam eloquentiores, quam sapientiores, neque tam argutiores, quam meliores eligendi sunt, modo gregi sana doctrina pascendo non sint prorsus inidonei. Imo tanto magis aliquoties cavendus est is, qui eloquentia pollet, quanto plus ob eloquentiam, dum recte dicere & docere existimatur, nocere & fallere potest.

Vocatus & admissus quid pro concione docere debeat.

Missi & admissi Verbi Prædicatores, in hoc toti incumbant, ut verbum veritatis recte & bona fide tractent, tanquam dispensatores multiformis gratiæ DEI, omissis his, quæ a puritate Evangelii aliena sunt, vel supervacanea, vel parum ædificantia: sed nec opinabilia, ac dubia pro certis & receptis asseverare audeant. Ab apocryphis abstineant, & quæ Ecclesia occultanda esse decrevit, de suggesto non promulgabunt. Comicas, aniles, & interim obscœnas fabulas, & quæ risum moveant citius, quam lacrymas propter peccata, populi auribus non ingerant. Et omissis odii, invidiæ, insectationis, quæstus, ambitionis, & consimilibus nequam affectibus, sincere & pacifice Evangelium pacis annuncient, mutuis conviciis se non proscindant, nec alius alium pro concione impugnet. Sed si quis alterum hæresim, vel perniciosum errorem, aut aliud quidpiam, quod piarum aurium sit offensivum, dixisse deprehenderit; Episcopo, aut illius Vicario, aut Inquisitori Apostolico, vel Officiali loci, ordine etiam servato Evangelico, significet. Et cum Catholicas traditiones, tanquam arctissima quædam Christianæ religionis & pacis vincula conservare, & custodire omnes ex æquo deceat, neque dubitemus traditiones & consuetudines universales, præsertim eas, quas per orbem tota frequentat Ecclesia, ab Apostolis in Ecclesiæ sinum transfusas, vel a Generalium sacrorum Conciliorum auctoritate profectas; Nos eas simili religione, qua ea, quæ sacræ Scripturæ præscribit auctoritas, ut observentur, doceri omnino mandamus: quæ vero per loca vel regiones nostræ Diœcesis, vel Provinciæ variantur, eas quisque observet ad ædificationem morum & fidei. Ac ne quisquam temere contra eas de suggesto rogationem facere præsumat; mandamus Episcopis Provinciæ nostræ, & Officialibus nostris, ut si qui ritibus Ecclesiæ antiquandis, vel novandis privata auctoritate studere comperti fuerint, in eos severiter animadvertant.

Quare qui pascendi gregis Dominici curam susceperunt, ea potissimum doceant, quæ ad tranquillitatem & piam concordiam facere, & ad captum rudis populi accommodata esse cognoverint. Cujusmodi est simplex explanatio Symboli, Decem Præceptorum, & Cæremoniarum Ecclesiæ, Orationis Dominicæ. Item cohortatio ad pœnitentiam: in qua Christi Servatoris commemorent beneficia, ac pœnas nunquam finiendas, quæ in malo obstinatis præparatæ sunt, ob oculos ponant: sed ne misericordiam desperent, rursum sublevent, ac solentur. Cessantes ac torpentes excitent, animo dejectos in spem erigant: voluptuariis, resque mundi admirantibus, vitæ brevitatem, & æternos ignis cruciatus subinde ingerant, ut saltem futuris malis territi peccare desinant, atque ad meliorem frugem se recipiant: nec non populo omnino persuadeant, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam demum salutiferam fore, quæ (Apostolo teste) per dilectionem operatur, ac sic ad bona opera sedulo cohortentur, & præsertim ad opera misericordiæ. Patres ac matres familias, ut proles, & familiam christiane educent, graviter & continue commonefaciant, atque ut adulti consueta & ordinaria jejunia, Quadragesimæ videlicet, & quatuor temporum, & Vigiliarum infringere non præsumant: Plebem admoneant, & ut frequenter, vel ad minus in Quadragesima, in initio ejus, vel ante medium ad confessionem veniant: & si non sæpe, saltem in Paschate Corpus

Ffff 3 Domi-

Domini recipiant, ſi velint inter Catholicos reputari. Sanctorum religioſam mentionem ſubinde faciant, animosque Chriſti fidelium illorum exemplis incitent, confirment, & interceſſione conſolentur. Doceant quoque, veras Sanctorum Reliquias reverenter habendas. Contenti ſint Evangelia & Lectiones, quibus in Dominicis & Feſtis diebus Eccleſia utitur, interpretari populo, & ex his ſermonem & doctrinam ad ædificationem populi formare.

De Cultu Divino diligenter & religioſe exequendo, deque diſciplina Chori obſervanda.

Deus, etſi Spiritus ſit, non tamen internis tantum affectibus fidei, ſpei & charitatis, verum etiam externis actibus colendus & adorandus eſt: ut cor & caro exultent in Deum vivum. Eſt enim externus cultus ſignum ac manifeſtatio quædam cultus interni: qualis eſt laus communis, & orationes publicæ, quæ per Eccleſiæ Miniſtros ex perſona totius populi fidelis Deo offeruntur, quo alii quoque (quatenus per ipſorum occupationes licet) ad laudes Dei, & gratiarum actiones excitentur. Neque enim Eccleſiaſticæ melodiæ ſua deeſt energia. Id quod Auguſtinus teſtatur, referens Ambroſium Mediolani cantum inſtituiſſe Eccleſiaſticum, ſecundum morem Eccleſiarum orientalium, eumque cultum celebrari cæptum magno ſtudio fratrum, Hymnos & Pſalmos canentium; quem etiam cæteræ Eccleſiæ imitatæ ſunt. Sed & ipſe Auguſtinus, quantum Eccleſiaſticis fuerit canticis affectus, his verbis teſtatur: Quantum flevi, Domine, in hymnis & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ vocibus acriter commotus: voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & mihi bene erat cum illis.(*) Et rurſus: Cum reminiſcor, inquit, lacrymas, quas in primordio fidei meæ fudi ad cantus Eccleſiæ, & nunc quoque commoveor, non cantu, ſed rebus, quæ cantantur, cum liquida voce, & convenientiſſima modulatione magnam hujus inſtituti utilitatem rurſum agnoſco, magisque adducor, conſuetudinem approbare in Eccleſia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Hæc cum ita ſe ſe habeant, hortamur omnes & ſingulos Clericos, ut omnes pariter convenienti modulatione, conſona denique voce, debitum Deo cultum nocturnum & diurnum devote & religioſe exhibeant & exequantur, eo modo, his ritibus & cæremoniis, quibus hactenus uſa eſt Eccleſia, & ut a ſanctis Patribus eſt traditus, atque a Majoribus noſtris obſervatus.

(*) S. Aug. in Confeſſionibus.

De Horis Canonicis.

Omnes, qui Horis Canonicis perſolvendis deputati ſunt, dent operam, ut collectis animis, quoad fieri poteſt, debitum penſum abſolvant: nec ita ſe habeant, ut dum voce pſallunt, quidvis potius, quam Deum animo cogitare videantur, ſemper caventes, ne Propheticum illud audiant: Labiis quidem me honorant, cor autem eorum longe eſt a me. Quid autem eſt voce quidem pſallere, mente autem domum aut forum circumire, niſi homines fallere, & Deum irridere? Grave admodum eſt, quod ſcriptura dicit: Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Statuimus proinde, ut laudes Divinæ per ſingulas horas non curſim ac feſtinanter, ſed tractim, ſervatis intervallis decentibus, ratione dierum Feſtorum, a Profeſtis & intermediis ſecernendorum, habita, reverenter & alacriter abſolvantur, nequaquam ſublato in altum clamore, ne vel inſanire, vel animi laſcivia geſtire videantur potius, quam fervore ſpiritus exultare: ſemper verſiculum decantatiſſimum animo volventes: Non clamans, ſed amans, cantat in aure Dei: audit enim ille vocem cordis, ſine qua ſonum oris contemnit. Quare videndum eſt, ut qui ſpiritu pſallunt, & mente pſallant.

Caveant item, qui aliis occupati negotiis, extra chorum horas privatim legunt, ne ſomnolente, aut truncatis verbis, aut intra fauces compreſſo ſpiritu preces demurmurare, vel ut Ethnicus quidam ait, rabioſa ſilentia rodere videantur, ſed articulate, diſtincte, diſerte, & cum attentione integre omnia pronuncient.

Ne qua item occaſione in diverſa rapti, deſint officio ſuo, diſtrictius prohibemus, ne deambulando horas dicant, ſed in locum aliquem orationi aptum tan-

tisper concedant, ne mentis evagatio, quæ ex tumultuaria deambulatione nasci solet, fructum orationis intercipiat.

Nullus item dum Canonicæ preces in templo publice cantantur aut leguntur, audeat privatim ibidem aliquid legere, ac ne horas quidem Canonicas absolvere, sed concinat, ac una cum fratribus Deum honorificet. Contrarium qui fecerit, tanquam absens habeatur.

De iis, qui dum Sacra fiunt, per templa vagantur, prophana miscentes colloquia.

Quicunque tempore, quo Divina peraguntur, spatiari in Ecclesia, vel circa eam deambulare, simul & otiosis fabulis vacare, comperti fuerint, tanquam absentes pro die habeantur. Et si semel admoniti non destiterint, sed pertinaces fuerint, graviorem habeant pœnam, arbitrio Prælatorum, aut eorum vices gerentium, infligendam. Quos ipsos hortamur, imo eis districte injungimus, præsertim in Metropolitana Ecclesia nostra Treverensi, & in Cathedralibus Suffraganeorum nostrorum, tanquam insignioribus & frequentioribus Ecclesiis, ut nulla ratione patiantur Divina officia quorumcumque colloquiorum, confabulationum, deambulationum, aut canum, avium, morionum & similium strepitu, garritu & latratu, sive a Clericis, sive a Laicis perturbari, aut irreverentia affici.

Sed nec ipsi Prælati, quorum maxime interest removere scandala, atque ea, quæ verbis imperant, facto & exemplo confirmare; in iis se se culpabiles reddant, neque in correctione subditorum suorum negligentes se exhibeant: & quò nullus in peccatis excusationi locus relinquatur, præsentis decreti tenore in irritum revocamus, & annihilamus omnia statuta, ordinationes, consuetudines, & privilegia exemptionum, quibuscunque Ecclesiis, militiis, hospitalibus, locis & Monasteriis quorumcunque ordinum, quacunque auctoritate & qualitercunque concessa, quæ reformationi prædictorum abusuum, & correctioni perversorum morum adversantur, aut in mora sunt, ut contra personas & loca prædictarum Ecclesiarum, ordinum, domorum, militiarum, hospitalium, Monasteriorum sine omni exceptione, ad correctionem, seu emendationem procedi non possit aut valeat. Cujus executio in casu negligentiæ, a Capitulis ad Prælatos, & Prælatorum negligentia intercedente, ad Officiales, vel Vicarios locorum, aut eorum Superiores devolvatur.

Quo tempore quisque in Choro esse debeat.

Majorum nostrorum vestigia sequentes, & authoritati sacrorum Generalium Conciliorum innitentes, ut cuncta in domo Dei ordinate fiant: Volumus, ut in Metropolitana nostra Treverensi, & in omnibus Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis civitatis, Diœcesis, & Provinciæ nostæ Treverensis habeantur duæ tabulæ, quarum una habeatur aut in, aut circa chorum, in qua disciplina observanda descripta sit: ex qua cujus tenore satis liqueat, quando, & qualiter quis horis Canonicis interesse debeat. Ad cujus disciplinæ observantiam, Prælati cunctos sibi subditos rigorose commoneant & compellant. Et si alicubi hactenus erecta non fuit, aut deperdita, eam rursum erigi, & describi jubemus.

Secunda vero tabula locabitur & ponetur in sacrario, aut alio loco convenienti: in qua quid ab unoquoque Canonico, vel alio beneficiato legendum, cantandumque sit singulis diebus & horis per hebdomadam, scribatur, & hic negligentiam committens, pro modo delicti corrigatur.

Nolumus autem, ut Collegia Canonicas preces in templis persolvere, aut sacra facere, vindemiæ, aut aliorum negotiorum & secularium occupationum prætextu omittant, non obstante quacunque consuetudine: sed ita partiantur onera, ut dum alii temporalia procurant, alii orationibus, & publicis precibus vacent. Et si alicubi hoc fieri non potest, saltem hebdomadarius pro tempore, præsentibus aliis quotidie, durantibus vacationibus vindemialibus, Canonicas horas in choro saltem legendo persolvere curabit. Ita tamen, ut Dominicis diebus, & Apostolorum Festis, Tertiæ, Sextæ, Vesperæ, & Completorium cantentur, & summum Sacrum fiat.

Statui-

Statuimus insuper & ordinamus, ut deinceps Capitula, actus & tractatus Capitulares, tantum profestis, seu ferialibus diebus teneantur: Sed nec in iis sub Missa, Vesperis, aut Completorio indicantur, aut teneantur. Quinimo, ut omnes Missæ intersint, districte mandamus. In aliis vero, si subsit urgens necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas postulet, ut Capitulum teneatur, Decanus indicabit dilationem, seu moram Capituli, & actuum Capitularium non carere periculo, & propterea sub prædictis horis tractandum & agendum esse. Et si in his secus actum fuerit, tam indicens, quam interessentes, residentia, & præsentiis pro illa die carebunt, quinimo omnino uti absentes his horis reputabuntur.

De Missæ Officio rite peragendo.

Hortamur, ut Sacrosanctam illam actionem, in qua Sacrificium pretii nostri, Corpus scilicet & Sanguis Christi veraciter offertur pro vivis & defunctis, summa religione & devotione Sacerdotes peragant, ac quoties datur, sedulo frequentent & celebrent, eo modo, & his ceremoniis, seu ritibus observatis, quos hactenus Romana & occidentalis servavit & hodie servat Ecclesia.

Dum Sacerdos Sacrum facturus in sacrario cum ministris induitur, nemo inibi confabulari præsumat, unde vel ipsius, vel ministrorum devotio interturbetur.

Egredienti Sacrarium ad Altare, vel revertenti post sacrum, omnes assurgant, similiter & ministris, dum sacris induti, lecto Evangelio, Epistola, aut Homilia prætereunt.

Dum Sacerdos sacrum facturus, confessionem ex more præmittit, ministri nequaquam dent operam accendendis luminaribus, aut aliis rebus mentem avocantibus, sed adsint Sacerdoti confessionem persequentes, & pro se invicem Ecclesiæ nomine orantes.

Veterem Canonem instaurantes prohibemus, ne quis Sacerdos Missarum solennia publica celebrare præsumat, nisi ad minus duobus præsentibus. Quod si in privata Missa commode fieri non potest, ad minus adsit unus, qui respondentis locum suppleat, sed ita, ne sit proles illegitima, quam omnino patre celebrante Altari adstare prohibemus, multo magis concubinam, si quam habuit.

Et jejunus quilibet celebret, & velato capite Altari assistere, aut ita illud accedere nullus omnino præsumat. Quæ & Diaconos & Subdiaconos observare mandamus: si quis temere contrarium facere præsumpserit, excommunicationis vinculo innodetur.

In Missa publica & summa, præfatio & oratio Dominica, non debent privatim dici aut abrumpi. Ita & Symbolum, Epistola, & Evangelium, integre, distincte & clare cantari debent. Neque ferendum est, ut chorus verba Sacerdotis, vel Subdiaconi, mox in ipso lectionis vestibulo interrumpens auspicetur Graduale, Tractum, vel Alleluja, quasi scilicet hoc satis sit, si adstantes sciant, cujus sit lectio aut Epistola.

Dum Evangelium cantatur in summo Sacro, expedit dare signum per campanam, ut existentes in vicino laici, ad elevationem Dominici Corporis & Sanguinis invitentur.

In elevatione Corporis & Sanguinis Christi, & post, usque dum cantatur Agnus Dei, sileant organa. Nulla cantetur Antiphona, neque pro pace, neque adversus pestem, aut mortalitatem, sed silenter pro se quisque, aut flexis genibus, aut prostratus humi corporibus, passionis ac mortis Christi commemorationem faciat, ac Redemptori gratias agat, pro beneficiis per mortem ipsius largissime acquisitis.

Statuimus insuper, imo antiquorum Patrum statuta innovamus, ut sub summo sacro, nulli Sacerdotum liceat eodem in templo sacram rem facere, sed privatas Missas antea absolvant, ut omnibus ad publicum sacrum convenire sit integrum, & chorus plenus & collectior, pleniorem ac puriorem Deo cultum exhibeat.

Etsi optare potius, quam sperare liceat, adesse quotidie aliquos, qui Eucharistiam accipiant: Volumus tamen, ut Sacerdotes ad frequentationem hujus mysterii & sacram communionem laicos adhortentur: nec tamen ideo Sacerdotes a quotidiano sacro desistere oportet, quod desint, qui cum Sacerdote sacra facien-

faciente, mensæ Dominicæ quotidie Sacramentaliter communicent.

Ordinamus præterea, ut per singulas Diœceses nostræ Provinciæ, Missarum officia decantentur & legantur, prout in Missali ordinario, uniuscujusque Diœcesis, ordinatum est: & si qua Diœcesis proprio ordine Missalis caruerit, ad modum nostræ Trevirensis Ecclesiæ Missali utetur: neque alicui publice aut privatim alienis Missalibus uti licebit. Idem & de Breviariis observari volumus.

De moderandis Feriis.

Numerum Festorum crevisse admodum videmus, sed calentem fidelium devotionem frigescere, eoque ventum esse, ut bona pars hominum omnia festa negligat, idque impune, nec sine Ecclesiæ dedecore. Pauperes, qui non habent, unde alant uxorem & familiam, clamant, omnem fere cessationem damnosam sibi esse. Operæ pretium proinde nobis visum est, Festorum numerum contrahere, quo & effrenes coerceantur, & aliquid detur necessitati pauperum. Itaque hæc festa omnino celebria esse volumus, & pro Pastorali nostro officio solenniter celebranda mandamus & præcipimus: Dies Dominicos omnes, festum Nativitatis Christi, Stephani, Joannis, & omnium Apostolorum, Circumcisionis, Epiphaniæ, & Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis Virginis Mariæ, Paschæ cum duobus sequentibus, Ascensionis, Pentecostes, Magdalenæ, Laurentii, Crucis, Michaelis, omnium Sanctorum, Martini, Catharinæ, Andreæ, Nicolai, Thomæ. Et in civitate nostra Treverensi hæc festa Patronorum: Maximini, Simeonis, Visitationis, Helenæ, Paulini, Translationis Materni & Eucharii. Et in singulis civitatibus, oppidis, & Parochiis Dedicationis Festa, & Patrocinia celebrari mandamus. Cæterum dies Innocentum, Cinerum, Parasceves, Cœnæ Dominicæ, Sabbati magni, Marci, tres Rogationum, Commemorationis animarum, & omnes reliquos dies stationum, quos Ecclesia nostra Treverensis in diebus aliorum Patronorum, vel pro specialibus rogationibus, ab antiquo introductis, in civitate nostra Treverensi, vel ejus suburbio observatis, usque in meridiem feriari volumus: ita, ut facto Sacro, cuique ad labores, aut negotia sua redire liceat. Simili ratione in Cathedralibus & Diœcesibus Suffraganeorum nostrorum: quibus tamen arbitrium suum in hoc relinquimus, & in aliis locis & Parochiis Diœcesis nostræ observanda. Et si quis sive Clericus, sive laicus in prænominatis celebribus festis, aut in aliis ante meridiem operæ mercenariæ publice vel privatim, aut compotationibus, choreis, ludis, aut id genus lasciviis & levitatibus temere & contumaciter se se dederit, aut immiscuerit, ab Officialibus nostris arbitraria pœna pro modo delicti, etiam brachii secularis auxilio (si opus erit) invocato, puniri mandamus. Cætera vero festa, quacunque ratione instituta sunt, vel recepta, in foro libera facimus. In Choro vero & Ecclesia eadem festa, prout ab antiquo observata sunt, devote celebrentur. Ita tamen, ut historiæ & lectiones parum probatæ omittantur.

Et cum potissimum hac de causa indictæ sint feriæ, ut festos dies in Dei laudibus, & gratiarum actione, ac audiendo Verbo Dei populus transigat; curent nostrarum Diœcesis & Provinciæ, civitatum, oppidorum & locorum Magistratus ac Rectores, ut populus prænominatis diebus festis, Verbum Dei devote audiant, & Divina frequentent. Neque tempore Divinorum, & præsertim hora, qua Concionatores verba faciunt ad populum, patiantur cives vacantes otiosis fabulis in foro stantes.

De religiosis Monachis & Monialibus.

Religiosos varii nominis & regulæ, simul & pia loca, Sancta Romana Ecclesia benigno favore semper prosecuta, specialibus gratiis, privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus decoravit. Ea omnia Nos per nostram Diœcesim, & Provinciam nostram Treverensem, nullatenus imminuere, sed magis illibata conservare, & quatenus aliorum jure salvo, possimus augere & extendere, in votis habemus & intendimus. Sed ita, ne sub ovina pelle gregem Dominicum, truculentia lupi rapacis invadat: sub pietatis imagine, virus hæreticæ pravitatis obrepat, & sub prætextu conversationis

Evangelicæ, spiritus malignus illudat. Cujus rei gratia (præter singulorum ordinum ab Ecclesia receptorum regulares institutiones, quas tanquam salutares ab omnibus & singulis, prout illos respective concernunt, observari mandamus) varii Canones editi sunt, a quibus (quod dolenter referimus) si non ab omnibus, neque in omnibus; a plerisque tamen & multis declinatur, non solum in propriæ salutis discrimen; sed & in religionis opprobrium, & plurimorum fidelium scandalum, sed & in illius, cui suam integritatem spontanea voluntate devoverunt, gravem offensam. Quapropter quæ in iis ab Ecclesia & Prædecessoribus nostris, sancte & canonice statuta sunt, ut inviolabiliter ab omnibus observentur, serio mandamus, & præcipimus.

Et inter cæteros abusus reformandos curent Prælati, Abbates, Priores, Guardiani, simul & Monasteriorum Visitatores, & alii quocunque titulo nominentur, ne aliquis ante decimum quintum annum, ad probationis annum admittatur.

Item, ne quis anno probationis non completo, ad professionem recipiatur.

Item receptis sic, Præceptores idonei deputentur, qui eos in regulari observantia, & Divinis officiis non minus, quam in litteris, & e converso instituant, & forment.

Ad sacros Ordines suscipiendos, non nisi ætate & scientia sufficientes præsentent.

Item idonei ad jussum Superioris sui, excusatione legitima cessante, se faciant promoveri.

Quodque gratis singuli ad professionem recipiantur, nullo accepto pretio, nec aliqua facta conventione: & ne hæc sub paupertatis prætextu pallientur, districte inhibemus.

Non patiantur Abbates, Priores, & Abbatissæ, aut Priorissæ, ut suorum Monasteriorum Monachi, aut Moniales, honestatis habenis & monachali modestia laxatis, impudenter se secularibus negotiis involvant, aut extra Monasteriorum septa deambulent, vagentur, & discurrant: & si qua inevitabilis necessitas intercedat, quod tunc nullus egrediatur, nisi honesta subsit causa. Et tunc non nisi de expressa licentia Superioris, & cum habitu decenti, & honesto socio.

Cæteris Canonibus de vestitu, cibo, peculio, officio, Capitulis, Visitatoribus, & correctione Monachorum promulgatis, in suo robore permanentibus, volumus, ut omnes Abbates & Priores, tales diligenter observare procurent, quod iisdem districte præcipiendo injungimus.

Moniales vero, quarum sexus fragilior est, nulla ratione vel causa, nisi tanta & talis sit, quod omnino notorie excuset, Monasteria sua egredi facultatem habeant: sed & tunc, non nisi cum honesto & decenti habitu, & associatæ egrediantur, idque de expressa licentia Episcopi, Abbatis, Visitatoris, aut ab iis potestatem habentis, quam Patri Confessori pro tempore existenti, concedi prohibemus.

Nullæ prorsus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis & manifesta causa subsit, ac tunc speciali licentia illius, ad quem spectat concessio, petita & obtenta, accessus vel ingressus ad moniales pateat. Et quæ de clausura in regularibus ordinum Constitutionibus mandantur, omnino & illibate teneantur & observentur: ut sic a publicis & mundanis conspectibus separatæ, servire Deo liberius valeant, & sublata lasciviendi opportunitate, corda & corpora sua in omni sanctimonia diligentius custodire possint.

Prohibemus insuper districte, ne Moniales, ordinem aliquem professæ, confessorem habeant alium, quam ejusdem ordinis & regulæ.

Religiosi omnium ordinum, ut sinistræ suspicionis etiam tollatur occasio, quascunque mulieres, & religiosas, & servientes Deo, in ambitum, seu periodum Monasterii recipere aut introducere nullatenus præsumant.

Religiosi convivia secularium non frequentent, sed nec facile illos ad Cœnobia invitent, nisi necessitas & honestas ad Superiorum dictamen id suadeant.

Religiosi mensam non nimium lautam

tam aut ſumptuoſam, neque deliciis ad luxum exquiſitis redundantem habeant: quam a benedictione auſpicari, ſacræ lectionis paſtu fovere, hymno & gratiarum actione abſolvere convenit. Interim a longo accubitu, comeſſationibus fœdis, compotandi ſtudio, a crapula & ebrietate omnino abſtineant.

Religioſi, ut omnibus bono exemplo, nullis vero, quantum in ipſis erit, offendiculo ſint; honeſto Prædeceſſorum ſuorum more, non nudis byrrhis, aut pileis, ſed capitibus cucullo tectis in publico incedant. Et nullatenus ad balnea promiſcua, aut alia loca publica intrent: ſed nec ad nuptias, aut nuptiarum convivia vadant. Neque pueros de ſacro baptismatis fonte, per ſe, vel ſuffectas perſonas ſuſcipere præſumant.

Inſuper ſtatuimus, imo antiquorum Patrum Canones innovando mandamus, quod nullus Monachorum pro lucro terreno, de Monaſterio ſuo exire, nefandiſſimo auſu, aut ſecularibus negotiis ſe ſe immiſcere præſumat. Itaque Religioſos a curtibus Monaſteriorum ſuorum, ad Monaſteria revocari, & curtes per fideles laicos, ſeu præbendarios adminiſtrari jubemus.

Inſuper, mendicantium ordinum Prælati omnino provideant, ne poſt hac terminarii eleemoſynarum partem quovis modo ſibi vendicent; ſed eas colligentes cum honeſtate morum, Dei habito timore, omni ſcandalo ſemoto, integram ad Conventum, & in commune conferre & præſentare, ad evitandam proprietatis notam, ſtudeant.

De Monaſteriis non moleſtandis.

Licet ex injuncti Nobis Paſtoralis officii debito, ſuper cunctum gregem nobis commiſſum, mentis noſtræ aciem dirigere teneamur, vigilantius tamen & cautius agendum ducimus in iis, ubi ſubditorum noſtrorum majora incommoda & pericula vertuntur. Sane uti ex plurimorum querela didicimus, multi Barones, Præfecti, Officiati, aut alii nobiles & ignobiles in tranſigendis aut componendis ſuis, vel aliorum controverſiis & diſſidiis, vel ſimili prætextu, ſe ſe cum equis & jumentis in Monaſteria, vel eorum curtes, aut poſſeſſiones conferunt, & hoſpitio excipi volunt, ut nedum luxus, diſſolvendæ religionis & monaſticæ diſciplinæ, ac turbandorum Divinorum inibi in animarum diſcrimen, & Dei offenſam occaſio naſcatur; verum etiam, ut experientia docti comperimus, niſi proviſionis noſtræ auxilio ſuccurramus, periculum ſit, ne Monaſteria tandem funditus exhauſta, depauperentur, & collabantur. Nos itaque hujusmodi malo, ac innumeris præterea, & diverſis tribulationibus & injuriis, quibus ſub præfato prætextu Religioſi ſæpe afficiuntur, medelam competentem, quam poſſumus, adhibere volentes: Mandamus omnibus Præfectis, & Officiatis noſtris, ac aliis quibuscunque Baronibus, nobilibus & ignobilibus, ut nunc, & poſt hac, talia jam prædicta tentare & facere nullomodo præſumant, neque ſub colore memorato aut ſimili, Monaſteria aut eorum curtes infeſtare, aut moleſtare deinceps attentent.

Mandamus inſuper, omnibus & ſingulis Abbatibus, Prioribus, & Religioſis, ne deinceps tales etiam proprio ſuo conſenſu recipiant vel admittant. Et ſi per aliquem Prælatum, aut alium quempiam, permiſſum; conceſſum, vel actum fuerit, animadverſione condigna ita cum illo agemus, ut cæteri ab exemplo diſcant obedire. Et ſi contra præmiſſa violenter quisquam ſe ſe ingeſſerit, aut indebite injurias, aut moleſtias Monaſteriis, aut eorundem perſonis intulerit, in eundem præſentis ſtatuti vigore excommunicationis ſententiam ferimus. Atque volumus, quod Prælati & Religioſi, eundem Nobis, aut Officialibus noſtris, publice ſignificare & deferre nominatim teneantur. Nos vero, aut Officiales noſtri, ex tunc contra eundem, ordine juris ſervato, uſque ad condignam violentiæ, injuriarum, & damnorum ſatisfactionem procedemus, & per Officiales noſtros procedi mandamus: ſalvis nihilominus, & in ſuo robore duraturis omnibus aliis Apoſtolicis, Imperialibus, ac Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus & Ordinationibus, per quas Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis in ſuis libertatibus proſpectum eſt & proviſum: quas etiam innovamus, & per noſtram civitatem, Diœceſim, & Provinciam Treverenſem, inviolabiliter ob-

observari mandamus: Jure etiam & præeminentia Patronorum & Fundatorum semper salvis & illibatis.

Præterea inhibemus hac nostra Synodali Constitutione, ne quis aliquam Religionem professus, Ecclesiarum Parochialium gubernacula, & curam suscipiat, nisi de nostra vel Ordinariorum admissione, subsistente causa legitima, & Superiorum suorum voluntate & licentia obtenta. Ita tamen, quod per Superiores suos revocari possint, ac revocati humiliter obedire teneantur. Et si qui hactenus aliter admissi sunt, vel assumpti; volumus & jubemus, per Officiales nostros, in civitate & Diœcesi nostra Treverensi, ac per Suffraganeos nostros, eorundemque Vicarios, per totam Provinciam Treverensem, ad Superiores illorum remitti, ut dignas dent temeritatis suæ pœnas.

Ecclesias vero Monasteriis unitas, seu incorporatas, si non tanta intercapedine distant, quin Religiosi earundem curam habituri, in communis vitæ regulari observantia, & obedientia degere possint; per hujusmodi Religiosos provideri & regi, modo idonei sint, permittimus. Si vero Vicarios alios, sive in propinquis, sive in distantibus Parochiis perpetuos, vel amobiles pro arbitrio constituere velint, hæc non præsumant, nisi per Nos, nostros Suffraganeos, aut Officiales nostros, & Vicarios, tanquam habiles & idonei reperti & admissi fuerint.

Volumus insuper, quod Religiosi ad curam animarum sic admissi, per omnia se Parochialibus Sacerdotibus, juxta has nostras, & Prædecessorum nostrorum Synodales Constitutiones & Ordinationes, nec non universalis Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis Canones, in Verbi Divini explanatione, Evangelii prædicatione, Divinorum celebratione, Sacramentorum administratione, per omnia conforment, & nihil novitatis introducere præsumant.

Mendicantium vero ordinum Fratres, in Verbi Dei propositione, & prædicatione, in audiendis confessionibus Christi fidelium, in sepulturis & funeralibus, & aliis hujusmodi, se per omnia conforment Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis desuper editis: quas in posterum inviolabiliter observari mandamus. Sublata penitus potestate, cæteris Religiosis quorumcunque ordinum, non mendicantium, ad curam animarum, ut præmittitur, non admissis, nec receptis, ne iis se ingerant: quod iisdem districte præcipiendo mandamus: salvis tamen regularibus Constitutionibus omnium eorundem ordinum.

De casibus vero Nobis reservatis, hoc statuimus, ne quis eorum decisionem sibi arroget, nisi a Nobis specialiter sibi commissum fuerit. Nos tamen hoc negotium dabimus expertis, eruditis & probatis aliquot Presbyteris: prout etiam in similibus casibus Suffraganei nostri aliquos per suas Diœceses designare poterunt, quibus hoc committant.

In casibus vero non reservatis, nullus Parochianum alterius Parochiæ absolvere præsumat, nisi de licentia Ordinariorum loci, vel ex permissione proprii Parochialis Sacerdotis, idque non nisi in casibus in Constitutione Balduini, felicis recordationis Prædecessoris nostri expressis. (*) Et Religiosi, etiam Mendicantium ordinum Fratres, non obstante quocunque privilegio, in civitate, Diœcesi & Provincia nostra Treverensi, præmissa observare debebunt, & tenebuntur. Imo Priores & Guardiani non debent deputare Fratres suorum ordinum ad confessiones audiendas, nisi peritos & prudentes, qui etiam a Nobis, & Ordinariis locorum, & non aliis (quibus per scripta Superiorum nominari & præsentari tenentur) admittendi sunt.

Et cum omnes Christi fideles ex constitutione Ecclesiæ semel in anno teneantur proprio Sacerdoti confiteri, si quis hoc neglexerit, & in Paschate Sacram Eucharistiam accipere recusaverit (nisi forte de licentia & consilio Confessoris abstineat) sic decedens, careat Ecclesiastica sepultura, & vivus ab ingressu Ecclesiæ arceatur. Proinde in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus Ecclesiarum Rectoribus, Vicariis & Capellanis, curam gerentibus animarum, ut omnes hujus-

(*) Vide Tomo IV. Conc. Germ. Synodum Provincialem a Balduino celebratam A. 1310. pag. 147. ubi casus Episcopo reservati recensentur.

hujusmodi rebelles & inobedientes, Nobis, aut locorum Episcopis & Ordinariis, per scripta nominatim indicent; ut vel canonice puniantur, vel pudore suffusi, resipiscant. Quamobrem etiam districte prohibemus omnium ordinum Religiosis, curam animarum non habentibus, ne alicui sacram Eucharistiam porrigere præsumant, nisi de expressa permissione & scientia Pastoris.

De Decanis Christianitatis.

Volumus, ut omnes Decani Archi-Diaconatus tituli Sancti Laurentii in Diekirchen, se conforment Archi Presbytero in Wetzlaria, & illius statutis, & juribus in casibus, qui singularibus statutis decisi non sunt.

Cæterum in omnibus aliis Presbyteratibus, & Sedium Christianitatis Decanatibus nostræ Diœcesis, volumus, & mandamus, quod omnium & singularum Ecclesiarum Parochialium Curati, intra annum a die acceptæ possessionis, per se, vel Procuratorem legitimum, præstent juramentum Decano, quo præstito, in fratrem recipiatur, & salvis juribus Capituli consuetis, Decanus nunc & post hac a sic recepto, habebit pro se unum aureum Rhenensem. Et tenebitur quilibet in Capitulis generalibus & annalibus, & similiter, quando necessitate occurrente, Decanus Capitulum indicit, sub pœnis consuetis comparere, & quotam expensarum & sumptuum a Decano factorum persolvere. Nec non deinceps, quocunque Pastore vel Plebano decedente, nostro nomine marcham nobis debitam, ipse Decanus sublevabit, & Sigillifero nostro fideliter tradet.

Et pro se, & juribus suis, a quolibet sic decedente, ipse Decanus habebit tres Florenos Rhenenses in auro, non obstantibus quibuscunque aliis statutis & consuetudinibus, quæ & quas præsentium tenore cassamus, irritamus, & revocamus. Atque præcipimus, quod deinceps contra præmissa nullæ fiant pactiones, statuta, aut ordinationes, nisi de nostra, aut Archi-Diaconorum loci, expressa admissione & licentia.

Et quo præmissa in plenarium effectum deducantur, ut cupimus, volumus, & præsentium tenore statuimus, si quis elapso anno, in Fratrem Capituli, ut præmittitur, se recipi non curaverit, tunc in pœnam ejus, propter contumaciam, fructus anni illius, qui nostrum annum consequitur, sequestrentur. Et nisi intra eundem annum paruerit, ex tunc tales fructus confiscabuntur: Nobis pro media parte, reliqua medietate, inter Archi-Diaconum loci, & Decanum dividenda. Et sic deinceps singulis annis fiat, donec & quousque paruerit.

Præterea singuli Capellani, aut Vice-Curati non residentium Pastorum, tenebuntur singulis annalibus Capitulis comparere & ostendere Decano commissionem regendi: alias eosdem præsentis statuti vigore excommunicationis sententia teneri volumus. Mandantes Decanis locorum, ut mox tales Nobis, aut Archi-Diaconis nostris, denuncient declarandos.

Atque ipsi Capellani, seu Vice-Curati, nunc & in posterum de fructibus aut arrenda nullatenus respondeant ante finem anni, nisi retenta marcha, & media marcha præmissis. Alioquin ipsi de his respondere, & de suo solvere tenebuntur. Quod etiam tempore Capitulorum observandorum generaliter, & cuilibet specialiter, tempore admissionis injungi volumus & mandamus.

Insuper statuimus & ordinamus, quod deinceps decedentibus Prælatis Monasteriorum, sive Collegiatarum Ecclesiarum, quibus quacunque auctoritate Ecclesiæ Parochiales unitæ, aut incorporatæ sunt, ita tamen, & taliter, quod non per fixos Vicarios, sed duntaxat ad nutum amobiles Capellanos gubernentur & regantur: quod ex tunc morte Prælatorum intercedente, nobis marcha argenti, aliis vero Archidiaconis, sedium Christianitatis Decanis & Capitulis, infra annum jura aliis præscripta persolvantur. Insuper præcipientes, ut ipsi Capellani, ut præmittitur amobiles, non nisi idonei admittantur, & admissi ad comparitionem, & omnia Capitularia onera teneantur & compellantur, sub modis & formis præscriptis.

De Competentia Pastorum.

Quum multorum querela pulsante intellexerimus, varios esse, qui vel ob ino-

inopiam Parochias suas deserere & mutare, aut contra Canonum Sanctiones secularibus negotiis se se implicare, aut pro Sacramentis Ecclesiasticis immoderate exactionem facere præsumunt, aut in dedecus Clericalis ordinis, victum quasi emendicare coguntur; dignum esse & æquum arbitramur, ut qui Altari serviunt, de Altari & vivant. Neque absonum reputamus, ut ea, quæ ex antiqua consuetudine locorum Pastoribus & Curatis solvi & præstari eisdem solita sunt, & si modica sint, benigne persolvantur: eoque minus sub hoc prætextu Sacramentorum venditionem causentur isti, qui omnia sinistre in ordinis Clericalis confusionem interpretantur. Atque ut omnium in hoc uniformis observantia in nostra Diœcesi constituatur; maturo consilio statuimus & ordinamus, ut deinceps in nostra Civitate & Diœcesi Treverensi Curatis pro licentiatorio, seu dimissoriis litteris, duodecim albos rotatos: pro educendis, seu benedicendis puerperis duodecim denarios: pro eo tempore, quo sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos defertur, quatuor denarios: extremæ vero unctionis Sacramentum duodecim denarios: pro offertorio quatuor festivitatum, pro qualibet unum denarium exigere liceat.

Ultra tamen nullus Curatus exigere præsumat, datum tamen, aut oblatum liberaliter, recipere potest.

Pariformiter, pro Baptismi aut Pœnitentiæ Sacramentis nihil exigat: liberaliter oblatum recipere potest.

In nuptiis vero celebrandis, Sacerdos juxta consuetudinem loci cibariis missis a nuptiis, debet contentus esse, nihil ultra exigendo. Si vero copulati pro iis pecuniam largiri vellent, numerum octo alborum excedere non debent.

In funeralibus vero, aut exequiis defunctorum, aut tertio, septimo, & tricesimo, expensis, & duobus albis, aut deficientibus expensis, ultra tres albos Sacerdotes exigere non præsumant: sed liberaliter oblata recipere possunt.

In pecoribus vero pascendis & custodiendis, & quæ sunt domus dotis Ecclesiæ, curtis & ædificiorum reparatione, Decanatus statuta observentur: & iis deficientibus, ad statuta Diœcesana, olim per felicis recordationis Balduinum Prædecessorem nostrum edita & condita, recursus haberi debet.

Insuper, si super competentia quæstio emerserit, cum certa regula dari non possit, coram Ordinario loci proponetur & deducetur: ac summarie, simpliciter, & de plano per Officiales nostros procedi, & sententiam ferri mandamus. Et si diffinitum aut cognitum fuerit, quod competentia danda sit; ex tunc Nos aut Commissarii nostri, quos specialiter ad hoc deputabimus, primo recursum habebunt ad decimam Parochiæ, sive eam Clerici, sive Laici habeant: Atque hac deficiente, ad plurium Parochialium uniones, seu annexiones, prout commodius fieri potuerit. Et ultimo, si nec sic provideri potest, ordinaria auctoritate Parochianos ad debitam Parochi sustentationem compellere oportebit.

De Scholis.

Magna & præcipua cura habenda est, ut juventus nostræ Civitatis, Diœcesis & Provinciæ Treverensis, a primo ætatis flore, non minus Christianæ pietatis institutis, & incorruptis moribus imbuatur, quam rudimentis literarum incontaminatis recte instituatur. Quapropter præcipimus, ut juxta Patrum antiquorum Decreta, singula Collegia scholas instaurare, vel erectas conservare debeant, & Prælati Ecclesiarum, ac alii, quibus id muneris ex officio incumbit, solerter providere; ut pædagogi & magistri idonei sint & probi, atque vitæ omnino inculpatæ: qui ea prælegant, quæ puerorum, seu adolescentum ætati conveniunt: dummodo non sint obscœna, suspecta, aut contagiosa. Simili ratione hæc observanda sunt in scholis Parochialibus oppidorum, & aliorum locorum Diœcesis, & Provinciæ nostræ Treverensis. In quibus curent Parochiales Sacerdotes, si in præmissis defectus aut negligentia suboriatur, quod Ordinariis locorum denuncient. Quibus injungimus, ut diligenter circumspiciant, ne quid in iis, quæ ad veram eruditionem, aut ad pietatem & cultum Dei attinent, negligatur. Præterea, quo Collegia doctis & bonis viris ornentur & illustren-

lustrentur; Prælati Ecclesiarum & Capitula Canonicos suos, id petentes, tribus annis expectantiarum finitis (quorum primus Nobis, secundus præsentiarum augmento, tertius Ecclesiarum fabricis debetur) non obstantibus aliis expectantiarum, aut primæ residentiæ annis, ex statutis, vel consuetudinibus debitis, quæ & quas ad effectum præsentem studiorum obtinendum, revocamus & cassamus: sed quæ tamen ad alios, ad studia non destinatos, illibata esse volumus: si in sacris majoribus ordinibus fuerint, & studiis apti extiterint, ad Universitates Catholicas, arbitrio Capituli, nec non sufficiente tempore eis determinato, ac præbenda debita eisdem assignata: salvo tamen & deducto consueto onere, mittere debent. Ipsis vero in minoribus ordinibus existentibus, de præbenda, quæ eis deducto onere, si residerent, deberetur, in absentia respondere tenebuntur. Data tamen prius sufficienti cautione, de perceptis simpliciter Ecclesiæ restituendis, si finitis annis pro studio concessis, mox tunc infra proximum annum sacris majoribus ordinibus initiari, & apud easdem Ecclesias residere distulerint: non obstantibus quibuscunque statutis vel consuetudinibus Ecclesiarum, quibus auctoritate nostra, de consensu hujus Synodi nostræ Provincialis, quatenus præmissis contraria fuerint, præsentium tenore derogamus, & pro ista parte tollimus, cassamus, & annullamus.

Ut nemo Clericos, vel Ecclesiasticas personas, ad judicium sæculare trahere præsumat.

Magnum abusum, & Canonibus, & Imperialibus Legibus contrarium, omnino tollere & abolere affectantes, vetera Statuta Provincialia Prædecessorum nostrorum innovamus, & districte præcipiendo mandamus, quod nullus Ecclesiasticam personam trahere ad judicium sæculare præsumat. Et si laicus actor hoc fecerit, a jure suo cadat, & judicatum non teneat; & Judex ex tunc omni potestate judicandi sit privatus.

Clericus vero actor alium Clericum trahens, ultra præmissa, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Clericus vero rêus sub simili pœna, præter alias pœnas juris, in judicium laicale non consentiat.

Et quicunque Judex secularis, directe vel indirecte, per se, vel alium, Clericum coram se litigare, aut respondere compellit, aut cautionem, vel fidejussionem exigit, aut impedimentum & molestiam infert aut procurat, quominus Ecclesiasticæ personæ, in foro Ecclesiastico libere agere & defendere possint; ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: a qua non debet absolvi, nisi prius omni damno & interesse (ut vocamus) restituto, prout latius in prioribus Statutis Prædecessorum nostrorum ordinatum reperitur. At sub similibus pœnis, Judex secularis Clericos reos non compellat, sed & eis agentibus in foro seculari, justitiam denegare non præsumat.

De Immunitate Ecclesiarum.

Præterea statuimus, quod nullus a personis Ecclesiasticis, seu eorum bonis, contra libertatem Ecclesiasticam pædagia, thelonia, angarias, perangarias, collectas aut exactiones extorquere aut imponere præsumat, quinimo ad abstinendum ab iis & similibus, & ad restituendum, si quis aliquid extorserit, Canonica monitione præmissa, per Ordinarios locorum, juxta Ecclesiasticam censuram cogatur.

Ne quis aliqua Statuta, contra libertatem Ecclesiæ facere præsumat.

Vetera Statuta Prædecessorum nostrorum innovando & extendendo, præsente nostra ordinatione cassamus & irritamus omnia statuta & consuetudines, quæ & quas civitates, communitates, & loca, Præsides, Potestates, Rectores, & Consules, & quæcunque aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ edere vel servare præsumpserint: & si aliqui secundum statuta, vel consuetudines memoratas judicaverint, judicatum vigore careat, & ipsi judicantes, vel exequentes, ipso facto inhabiles sint ad omnem legitimum actum in Ecclesia, salvis nihilominus aliis pœnis, contra tales in Concilio generali promulgatis.

De

De Vita & honestate Clericorum.

Etsi Sacræ Cæsareæ Majestatis Augustanam Reformationem Nobis, & aliis Archiepiscopis, Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis ad deliberandum traditam, & eam quasi sacris Canonibus consonam & convenientem, sine omni sanctæ Sedis Apostolicæ præjudicio probatam receperimus, & in nostra Diœcesi Treverensi solenniter publicari & exequi, quantum in Nobis fuit, curaverimus, atque nonnulla statuta morum correctionem concernentia, in nostra Episcopali Synodo edi & publicari mandaverimus: in quibus abunde & sufficienter contra Simoniacos, Concubinarios, sortilegos, ebriosos, usurarios, & alios criminosos provisum existit; Nos tamen nunc auctoritate Metropolitica, ea omnia innovando, hortamur, & monemus omnes & singulos nostræ Civitatis, Diœcesis & Provinciæ Prælatos, & subditos, quatenus quemlibet concernit, ut Dei timore & reverentia habitis, omni pravo affectu semoto, Sacræ Cæsareæ Reformationis intuitu, tum nostra Metropolitica auctoritate, ex sacrorum Canonum & Generalium Conciliorum præscripto, sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate semper salva, in omnibus iis se se irreprehensibiles & inculpabiles reddant & exhibeant. Alioquin Prælatorum negligentiam, subditorum vero excessus, opportunis juris remediis, in quantum possumus, supplebimus & corrigemus.

Ut quilibet habeat copiam Statutorum Provincialium.

Ne quispiam affectata ignorantia se valeat excusare, præcipimus & mandamus, quod per civitatem, Diœcesim & Provinciam nostram Treverensem, horum nostrorum Statutorum legitima fiat publicatio, & quod omnium & singulorum Monasteriorum, Collegiorum Prælati, & Rectores, nec non Christianitatis Decani, & Plebani locorum, copiam Statutorum, & aliorum Prædecessorum nostrorum, & præsentium Statutorum, semper & continuo penes se habeant & teneant, & in iis statuta & ordinata, in quantum quemlibet concernunt, inviolabiliter observent. Alioquin negligentes, seu contrarium facientes, in iis scriptis excommunicamus, præter alias pœnas supra comminatas: reservando tamen Nobis, & Successoribus nostris Archiepiscopis Treverensibus Metropolitanis, potestatem super præmissis omnibus & singulis, addendi, minuendi, corrigendi, extendendi, interpretandi, & declarandi, quoties opus fuerit, & visum erit expedire. In cujus rei fidem, Sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum in Metropolitana nostra Ecclesia Treverensi, die decimo tertio Maji, Anno M.D.XLIX.

Ex antiqua editione, eodem anno 1549. facta Coloniæ typis Jasparis Gennepæi.

SYNODUS COLONIENSIS DIOECESANA
Eodem anno Christi MDXLIX.

ACTA ET DECRETA SYNODI DIOECESANÆ COLONIENSIS, ANNO DOMINI MILLESIMO QUINGENTESIMO QUADRAGESIMO NONO, SECUNDA OCTOBRIS CELEBRATÆ.

Propositio Commissariorum Reverendissimi Domini Archi-Episcopi, ex ejus speciali mandato ad Sanctam Synodum.

Reverendissimus in Christo Pater, & Illustrissimus Princeps & Dominus, D. ADOLPHUS, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Princeps Elector, Westphaliæ & Angariæ Dux, Legatusque natus &c. Nobis suæ Reverendissimæ Celsitudinis, hac in parte Commissariis, cum plena & libera potestate

ſtate ad infraſcripta peragenda conſtitutis, miſſa ad nos ſufficienti inſtructione, ſuo ſigillo communita, in mandatis dedit, ut Sacræ huic Synodo Diœceſanæ, ad hunc diem & horam ex more indictæ & congregatæ, ſuæ Reverendiſſimæ Celſitudinis nomine intereſſemus, & hæc, quæ ſequuntur, a Celſitudine ſua Reverendiſſima, maturo conſilio deliberata, diffinita, & decreta, proponamus, eaque propoſita, &, ut par eſt, recepta, ſimul cum ipſa Synodo executioni debitæ mandemus.

Initio, ut Sacra Synodus intelligat, quibus ex cauſis Reverendiſſima ſua Celſitudo fuerit impedita, quo minus ſui Provincialis Concilii, nuper, ſe præſidente, in hac ſua Metropolitana Eccleſia, ſuo Capitulo, & Legatis ſuorum Comprovincialium Epiſcoporum, nec non Prælatis, & univerſo Clero ſuæ Diœceſis ſibi conſedentibus & aſſiſtentibus, ſolenniter celebrati, Decreta & Conſtitutiones, ſalubriter & efficaciter hactenus exequi potuerit. Exiſtimat ſane Celſitudo ſua, ſacram Synodum bene meminiſſe, quomodo in ipſo Provinciali Concilio (cum jam fere ad calcem illud perductum eſſet) prudenter in medium id illatum, expenſum, atque ab omnibus probatum fuerit, nempe quamplurimum referre, ſi ſua Celſitudo memorata Decreta, licet jam communi aſſenſu univerſi Concilii ſui Provincialis pie & mature conſtituta, Invictiſſimo tamen & Religioſiſſimo Imperatori CAROLO V. Domino noſtro clementiſſimo, veluti ex cujus Reformationis Formula, Statibus Eccleſiaſticis in Comitiis Auguſtanis proximis propoſita, & ab eiſdem recepta, fluxerunt: ac ſimul etiam Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ (a qua omnis ipſorum Decretorum vis dependet) Reverendiſſimis Dominis Nuntiis pervidenda, & ſicubi videretur, emendanda, & approbanda offerret; quo illarum ambarum ſummarum Poteſtatum approbatione, & authoritate interveniente, tanto felicius prodirent in publicum.

Hoc igitur ſalutare conſilium Reverendiſſimus Dominus noſter inſecutus, quam maxime ad ſe, ut curaret, pertinere putavit, ne hæc authoritas ſuis Decretis Provincialibus, ſine qua forſan leviora reputarentur, deeſſet. Sed cum ejus adhibitio, tum apud Reverendiſſimos Dominos Nuncios, tum apud Cæſaream Majeſtatem, ob innumera, eaque quam maxime ardua Sacri Imperii, & ſuorum Regnorum & Provinciarum negotia, ſuæ Majeſtati incumbentia, & frequentem loci immutationem, in quartum uſque menſem extraheretur, factum eſt, ut in memorata executione (quamvis jamdudum valde deſiderata) nullus potuerit citius fieri progreſſus.

Cæterum, cum jam proximis diebus Reverendiſſimus Dominus noſter, ex literis ad ſe, tum a Cæſare, tum a Reverendiſſimis Dominis Nunciis Apoſtolicæ Sedis, perlatis, non ſine magna animi voluptate, & exhilaratione acceperit, ſæpe memorata ſui Provincialis Concilii Decreta, poſt eorumdem diligentem & maturam expenſionem, veluti Divinis Scripturis, & ſacris Canonibus, memorat æque Reformationi Auguſtanæ per omnia conſentanea, in totum eſſe recepta, & approbata, ac præterea Cæſarem etiam motu proprio ſerium mandatum decreviſſe, quo in univerſum omnibus, in univerſa Provincia ſuæ Reverendiſſimæ Celſitudinis degentibus, cujuscunque etiam dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis fuerint, non ſine comminatione incurſionis graviſſimæ indignationis ſuæ, ſi contrarium a quoquam factum fuerit, demandatur, ut his Decretis reverenter pareant, & exequendis etiam eis ſe præbeant promptos, alacres & paratos, quemadmodum idem Cæſareum Mandatum poſtea ad Celſitudinem ſuam Reverendiſſimam transmiſſum, fuſius continet, quod & huic ſacræ Synodo jam jam prælegetur: profecto ſua Celſitudo non diutius morandum rata, ſtatim ejusmodi Decreta, cum Cæſareæ Majeſtatis mandati præfixione, æneis typis excudi, & in hac ſua Synodo rurſus publicari, & diſtribui mandavit; ut ea publicatione via futuræ viſitationi, ad quam ſua Celſitudo toto animo & conatu properat & feſtinat, per totam Diœceſim ſuam, quamprimum omnino fieri poterit, peragendæ præſterneretur.

Et quidem rebus, Dei ſingulari favore eo adductis, Celſitudo ſua Reverendiſſima quam maxime ſane cupivit, poſt-

positis etiam & a se rejectis (quatenus omnino fieri potuisset) aliis quibuscunque & quamlibet gravibus negotiis, præsenti huic sacræ Synodo personaliter interesse, ut super omnibus rebus, ad executionem Decretorum ejusmodi facientibus, & ad visitationem præparatoriis, tanto majori cum authoritate statueretur, & his, quæ adhuc desiderantur, quo ad ejus fieri potuisset, suus quoque legitimus finis imponeretur. Verum hæc meditantem Reverendissimam Celsitudinem suam jam in Transrhenana sua Diœcesi constitutam, quædam inevitabilis necessitas, de improviso incidens, sic obstrinxit & circumsepsit, ut impossibile ei fuerit (nisi tamen eam Diœcesis suæ partem gravissimæ & irreparabili jacturæ implicare voluisset) se ad hanc suam Synodum repræsentare. Quamobrem sua Celsitudo hoc nobis ante omnia imposuit, quo absentiam ejus, apud vos omnes, ex causa ejusmodi necessitatis insuperabilis, excusatam faceremus. Idcirco a vobis omnibus diligenter ac impense petimus, quo excusationem ejusmodi, ut per se justissima est, haud gravate recipiatis. Nam & ne ob hanc suæ Celsitudinis absentiam, quid in præsentiarum a quoquam desideretur, mandati nobis facti amplitudine abunde sarcitum est: ut prætereamus, quod Celsitudo ejus etiam pollicetur, se hanc absentiam suam, in Synodo, hanc proxime secutura, sua personali præsentia abunde repensuram.

Mandato igitur ejus ad nos perlato satisfacturi, principio in medium exhibemus memoratæ Cæsareæ Majestatis Mandatum, in ipso autographo, seu, ut vulgo vocant, in sua originali & authentica forma, ut a Cæsare ipso propriis digitis subscriptum & sigillatum est, quod & publice per adstantem Reverendissimi Domini nostri Secretarium (quo in negotiis suis secretioribus quam maxime utitur) prælegi, & vobis simul cum Decretis Concilii Provincialis, nuper licet in Provinciali Concilio prælectis, per eorumdem jam impressorum exhibitionem, principiique & finis recitationem & prælectionem rursus publicari mandamus.

Requirentes omnes & singulos, in ejusmodi Mandato generaliter, & specialiter nominatos, tam Ecclesiasticas, quam seculares personas, cujuscunque etiam dignitatis, gradus, status & conditionis fuerint, sive præsentes, sive absentes, quatenus eidem Mandato Cæsareæ Majestatis, uti Ecclesiæ Catholicæ Summi Advocati, & Religionis unici Vindicis, ac Decretis Provincialibus, eo ipso mandato roboratis & communitis, humiliter & prompte pareatis, facturi & adimpleturi omnia, quæ inibi facere jussi estis, modo pœnas eodem mandato, nec non in memorata Reformatione, & in ipsis Decretis Provincialis Concilii, & sacris Canonibus comprehensas, evitare velitis.

Et exhibitum, ostensum, altaque voce prælectum & publicatum est mandatum istud autographum: & rursus publicata Decreta solenniter, ut moris est, per Secretarium memoratum, in hæc verba: Carolus &c. &c. uti idem mandatum ad verbum Decretis Concilii præfixum est. (*)

Nunc ulterius progressuri ad mandati nobis facti adimpletionem, jubemus per hujus sacræ Synodi Notarium recitari catalogum eorum omnium, qui ad Synodum hanc Diœcesanam de jure vel consuetudine comparere sunt obligati, ut lectus quisque respondeat se adesse.

Et factum est, & signati præsentes, & notati absentes.

Constituentes igitur nos, vobiscum, qui præsentes pro vestra debita & commendabili obedientia adestis, hanc sacram Synodum, ex speciali item mandato Reverendissimi Domini nostri, vos omnes, & singulos, vobisque subjectos, Priores, Canonicos, Ecclesiarum Parochialium Rectores, Vicarios, ac alias Ecclesiasticas personas, quas hæc res concernit, in Domino monemus, & requirimus, ut quicumque memoratæ Reformationis Augustanæ, veluti ad cujus executionem ipsa Decreta Synodi Provincialis potissimum spectant, nondum exemplar assecutus est, illud ut sibi intra dies quatuordecim procuret habere, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, ipso facto incurrenda. Cæterum Prælati & Decani Christianitatum, pro se & sibi subjectis ipsa Decreta Concilii Provincialis recens impressa, ex singulari Reverendissimi Domi-

ni

(*) Vide supra pag. 562.

ni nostri munificentia, jam, aut intra paucissimos dies gratis accipient.

Secundo, eodem nomine vos omnes & singulos Abbates & Prælatos Ecclesiarum, & in eorum absentia, locum tenentes ipsorum, in Domino hortamur, atque etiam monemus & requirimus, ut in Capitulis vestris, quæ intra hinc & dies decem proximos, quisque in vestris Ecclesiis & Monasteriis, hanc ob rem indicere obstricti eritis & obligati: vos vero Decanos Christianitatum, ut in Capitulis, seu Synodis vestris etiam proximis, de more indictis, præsentibus omnibus, qui adesse tenentur, personis, vobis subjectis, tam Reformationem Cæsaris memoratam, quam Decreta ista Provincialia, ab articulo ad articulum distincte relegatis, seu relegi & intelligibiliter prælegi curetis, & circa singulos articulos, quatenus illis in vestris, & vobis subjectis Ecclesiis ab omnibus satisfiat, diligenter exploretis, & indagetis: & facta exploratione, quatenus adhuc illis a quoquam satisfactum minus comperiatis, in hoc authoritate vobis hac in parte impartita, toti sitis, ut illis fiat satis, utque ad illorum præscriptum in vestris Ecclesiis exigantur & componantur omnia sub pœnis memoratis, alioqui ipso facto incurrendis.

Cæterum, si quisquam ex vestro sodalitio, seu ex subjectis vobis, horum Decretorum, vel alicujus eorum, competenti monitione præmissa, pervicax magis contemptor, quam obsequiosus adimpletor esse, quod absit, velit ac pergat: seu, si a secularibus potestatibus, ac aliis quibuscunque, religionis Catholicæ, seu Cæsareæ Majestatis parum observantibus, aliquod vobis circa executionem ejusmodi, impedimentum vel obstaculum offeratur, quod vestra authoritate & opera amoliri nequeatis: volumus, ac Reverendissimi Domini nostri jussu, vobis mandamus, ut quidquid ejus erit, ordine & distincte, cum relatione ad articulos Decretorum, quibus temere contravenitur, diligenter annotetis, ac intra hinc & Festum Natalis Domini proxime futurum, imprimis singuli vestrum Reverendissimo Domino nostro: Deinde vos Decani Christianitatum, vestris etiam Archidiaconis scripto significetis, & declaretis: ut Reverendissima sua Celsitudo cum Archidiaconis, vestram impotentiam, ea in parte compertam, adjuvent, aut si necessitas postulet, ad Cæsarem, veluti summum executorem, a se mandatorum, referant. Qua vestra significatione & hoc efficietis, ut Reverendissimus Dominus noster, cognitis morbis, tanto certius & præsentius remedium in visitatione, ad quam se parat, adhibere opportune possit.

Quapropter & hoc nobis mandatum est, ut consilium vobiscum capiamus, quonam potissimum tempore, post decursa festa Natalitia Christi, proxime futura, quam maturrime visitatio generalis per totam Diœcesim institui & inchoari, & quo progressu a loco in locum continuari & peragi, quam commodissime possit.

Itidem ut exploremus a vobis Decanis Christianitatum, quando impossibile est, Visitatores per Reverendissimum Dominum nostrum deputandos, ad singulas Ecclesias & loca sacra, in hac amplissima Diœcesi sita, proficisci, neque id ut fiat, res ipsa postulet: quæ proinde loca in singulis Decanatibus Christianitatum esse magis insignia, populosa, & visitationis indigentia existimetis: quo ad ea Rectores singularum Ecclesiarum Parochialium, cum Vicariis & testibus Synodalibus, ex singulis Parochiis vocari queant, ad visitationem illic peragendam.

Volumus quoque, ut hujus tum faciendæ convocationis, omnes & singuli Parochi suos Parochianos, e suggestu in tempore faciant certiores, quo de eligendis idoneis Synodalibus testibus dispicere, ipsique testes Synodales, crimina, excessus, & defectus diligenter exquirere, notare, & animo concipere possint: ne, si imparati veniant, tam Visitatores, quam se ipsos inutili mora per extractionem dilationis fatigent.

Denique in mandatis habemus, ut vobiscum super moderato numero evectionum, qui nulli Ecclesiæ (si tamen onera æqualiter distribuantur) gravis esse queat, & procurationis Canonicæ debita exactione, conferamus, &, quoad fieri potest, conveniamus & concordemus: & ut vos Decani omnia nomina Rectorum Ecclesiarum Parochialium, in vestris Decanatibus sitarum, nobis in scriptis detis, & qui canonice instituti sint, & qui mi-

nus: & quæ ſit illorum vita, mores, & doctrina, & de veſtris quoque inſtitutionibus nos certiores faciatis.

Qua de re hinc, Synodo peracta, digreſſi, in domum Capitularem vos recipere nobiſcum velitis, ſuper his & aliis quibusdam, vobis proponendis, & ad executionem Decretorum Provincialium pluſimum facientibus, mentem Reverendiſſimi Domini noſtri a nobis audituri, & veſtram nobis viciſſim expoſituri, ad Celſitudinem ejus referendam.

Quod ad reliqua attinet, quæ nobis injuncta ſunt, probe meminit Reverendiſſimus Dominus noſter, multa ineſſe hiſce Decretis, quæ uberiorem proviſionem requirant: multa, quæ Celſitudo ejus Capitulo, & Comprovincialibus Epiſcopis, ac Clero ſuo, in Provinciali Concilio ſe daturam pollicita eſt. Sed quoniam perluſtratio illa Decretorum, a Cæſare, & Nunciis Apoſtolicis facta, in multum tempus, ut præmittitur, protracta eſt; non potuit Celſitudo ejus, ejusmodi rebus pollicitis, & uberiorem proviſionem requirentibus, admovere citius manum, quam calculum Decretis iſtis adhibitum eſſe (quod primum intra pauciſſimos dies factum eſt) intellexiſſet.

Ergo quod Celſitudo ejus in hac Synodo præſtare non potuit, id totum ad Synodum, quæ hanc ſequetur, feria ſecunda poſt Dominicam Invocavit anni ſequentis, milleſimi quingenteſimi, quinquageſimi, celebrandam (cui quoque ſe perſonaliter interfuturam Dei beneficio ſperat ac confidit) præſtituram & adimpleturam repromittit.

Niſi quod in hac præſenti Synodo prætereundum non putavit, diffinire, quæ Feſta per totum anni circulum ſingulis quibusque menſibus; tam a Clero, quam a populo, ad Dei Omnipotentis laudem poſthac ſolenniter ſint celebranda: ut diverſitas celebrationis Feſtorum, quæ hactenus in hac inclyta Diœceſi multis offendiculo fuit, tollatur.

Igitur veſtigiis ſuorum Prædeceſſorum, & præſertim quondam bonæ memoriæ Henrici, Archiepiſcopi Colonienſis, inhærendo, habita etiam diligenti conſideratione, quid ſuper his in Generalibus Conciliis, & jure communi conſtitutum olim ſit, & quid univerſali ritu in Eccleſia Catholica a piis omnibus ubivis obſervetur, authoritate ſua Archiepiſcopali vult, mandat, & ordinat, ut poſthac per Civitatem & Diœceſim Colonienſem, Feſta infra memorata ſolenniter obſerventur & celebrentur.

In Menſe Januario.

Circumciſionis Domini.
Epiphaniæ.
B. Agnetis Virginis & Martyris.
Converſionis S. Pauli.

In Februario.

Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
Cathedræ S. Petri Apoſtoli.
S. Matthiæ Apoſtoli.

In Martio.

Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis.

In Aprili.

S. Georgii Martyris.

In Majo.

Sanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum.
Inventionis S. Crucis.

In Junio.

Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ.
Ss. Petri & Pauli Apoſtolorum.

In Julio.

Viſitationis B. Mariæ Virginis.
B. Mariæ Magdalenæ.
Translationis trium Regum, in Civitate Colonienſi tantum.
S. Jacobi Apoſtoli.
S. Pantaleonis, in Civitate Colonienſi.

In Auguſto.

S. Petri ad Vincula.
S. Laurentii Martyris.
Aſſumptionis B. Mariæ Virginis.
S. Bartholomæi Apoſtoli.
Decollationis S. Joannis Baptiſtæ.

In Septembri.

Nativitatis B. Mariæ Virginis.
Exaltationis S. Crucis.
S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.
Dedicationis majoris Eccleſiæ Colonienſis, in die Ss. Cosmæ & Damiani in Civitate Colonienſi celebrandæ.
S. Michaelis Archangeli.

In

In Octobri.

S. Gereonis.
Ss. undecim millium Virginum.
S. Severini, in Civitate Coloniensi.
Ss. Simonis & Judæ Apostolorum.

In Novembri.

Omnium Sanctorum.
Commemorationis animarum, ante meridiem.
S. Martini Episcopi.
S. Cuniberti, in Civitate Coloniensi.
Præsentationis B. Mariæ Virginis.
B. Cæciliæ Virginis, in Civitate Coloniensi.
B. Catharinæ Virginis.
S. Andreæ Apostoli.

In Decembri.

S. Nicolai Episcopi.
Conceptionis B. Mariæ Virginis.
S. Thomæ Apostoli.
Nativitatis Domini, & Salvatoris nostri JEsu Christi.
S. Stephani Protomartyris.
S. Joannis Apostoli & Evangelistæ.
Ss. Innocentium.

Nunc sequuntur mobilia.

Festum Paschæ, cum duobus diebus sequentibus.
Festum Ascensionis Domini.
Festum Pentecostes, cum duobus diebus sequentibus.
Festum Corporis Christi.
Festum Sanctissimæ Trinitatis, Dominica post octavas Pentecostes.
Denique vult, ut in singulis Ecclesiis Festum Patroni, ut par est, solenniter celebretur.

Dato igitur super hac re nobis speciali mandato, ejusmodi dies per civitatem & Diœcesim Coloniensem, ut memoratum est, solenniter & concorditer celebrandos esse, vobis significamus.

Qui & hoc, authoritate præfati Reverendissimi Domini nostri, a vobis poscimus, ut cum e suggesto Festa ista populo denuntiantur celebranda, simul & hoc addatur, ut populus ad sacram concionem, quæ in ejusmodi Festis haberi debet, conveniat, sacræ Missæ intersit, & totum diem in Dei laudibus expendat, memor illius: Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus, qui est gloriosus in operibus, & mirabilis in Sanctis suis. (*)

Est quoque quiddam in Decretis Provincialibus constitutum, de Vicariis Ecclesiarum in civitate & Diœcesi Coloniensi, ut ad sua revocentur officia, & Deo præbeant eum, quem debent in Ecclesiis, ad quas (hoc Vicariorum nomine) asscripti sunt, famulatum. Quod quo majori authoritate roboretur, mandavit Reverendissimus Dominus noster, præter Constitutiones Prædecessorum Celsitudinis suæ Reverendissimæ, super hac re expresse disponentes, quas & authoritate hujus Synodi innovatas esse vult, publicari Bullam Apostolicam, impetratam olim per quondam felicis recordationis Dominum, Hermannum ab Hassia, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopum, suum Prædecessorem, omni laude dignissimum, ad coercendam suorum Clericorum irreligiositatem, & inexcusabilem negligentiam, quam in præstandis officiis suis Ecclesiasticis committunt: quare & hanc Bullam recitari & publicari jubemus.

Et recitata, & publicata est tenoris subsequentis:

BULLA

Sanctissimi Domini nostri INNOCENTII Papæ VIII., per Reverendiss. Dnum HERMANNUM ejus nominis Quartum Archi-Episcopum Coloniensem impetrata: Declarans authoritate Apostolica, Statutum: Quod nullus in diversis Ecclesiis uno eodemque die distributiones quotidianas percipiat ratione Beneficiorum suorum; obtinere debere non modo in Canonicatibus & Præbendis, sed & in Vicariis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ex Apostolicæ servitutis officio, meritis quanquam insufficientes, Divina

(*) Psal. 45. & 67.

vina nobis diſpoſitione commiſſo, ad ea libenter intendimus, per quæ in ſingulis Eccleſiis Divinus cultus floreat, & continuum incrementum ſuſcipiat: ac illa, quæ propterea ſtatuta & ordinata fuiſſe dicuntur, ut firma & inconcuſſa permaneant; libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus, optimas proviſiones ſuper his adhibendo, prout in Domino cognoſcimus ſalubriter expedire.

Sane pro parte Venerabilis Fratris noſtri HERMANNI Archi-Epiſcopi Colonienſis, nuper nobis exhibita petitio continebat, quod licet in Statutis & conſuetudinibus Eccleſiæ Colonienſis, canonice editis, inter alia contineatur expreſſe, quod nullus in diverſis Eccleſiis, in quibus beneficia obtinet, uno die diſtributiones percipiat, niſi in aliqua dictarum Eccleſiarum ſit Prælatus, ſeu alias hoc ei competat ex privilegio, vel alio jure ſpeciali: ne, dum ad plures eodem tempore feſtinat Eccleſias, nulli earum debitum famulatum impendat: ipſumque ſtatutum, quantum ad Canonicos diverſarum Eccleſiarum, fuerit hactenus obſervatum, & de præſenti obſervetur; tamen quoad perſonas, diverſas Vicarias, Altaria, aut alia Beneficia Eccleſiaſtica, in diverſis Eccleſiis, ſeu Canonicatus, & Præbendas in una, ac Vicarias, Altaria, ſeu alia Beneficia Eccleſiaſtica, in alia Eccleſiis obtinentes, in obſervantia non exiſtit, pro eo forſan, quod nonnullæ ex eisdem perſonis, ab aliquibus Sedis Apoſtolicæ Nunciis, cum poteſtate Legati de latere ad illas partes deſtinatis, ſe ſuper hoc indulta ſeu diſpenſationes dicunt impetraſſe.

Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti Statuti non obſervantia, ſit occaſio diminutionis Divini cultus, tam in majori, quam in aliis Eccleſiis Civitatis & Diœceſis Colonienſis; pro parte præfati HERMANNI Archi-Epiſcopi, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Statutum prædictum approbare & confirmare, ac perpetuo obſervari mandare, aliasque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur attendentes, quod, quoad perſonas, talia Beneficia etiam mixtim obtinentes, ita concludit ratio Statuti, ſicut in his, qui diverſos obtinent Canonicatus & Præbendas, quodque Statutum ipſum indiſtincte loquitur: abſurdum quoque videtur, quod illi tanquam inferiores aliis, magis qualificatis, & pro ſtatu ſuo ſuſtentando, amplioribus ſtipendiis indigentibus, potiori debeant prærogativa gaudere; hujusmodi ſupplicationibus inclinati, Statutum prædictum, quod etiam, (ut aſſeritur) in Synodo Colonienſi publicatum, & per dictum Archi-Epiſcopum innovatum extitit, authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, nec non per omnes & ſingulas perſonas, etiam inferiora beneficia, ſeu talia mixtim cum Canonicatibus & Præbendis in Civitate & Diœceſi prædictis obtinentes, ſub excommunicationis pœna, inviolabiliter obſervari debere. Et nihilominus Venerabili Fratri Archi-Epiſcopo Treverenſi, & dilectis filiis Sancti Martini, & Sancti Pantaleonis, Colonienſium Monaſteriorum Abbatibus, per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios faciant authoritate noſtra, Statutum prædictum per omnes & ſingulas perſonas prædictas inviolabiliter obſervari: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, Appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus quibuscunque conceſſionibus & indultis, ſeu diſpenſationibus, a quibuscunque Legatis, ſeu Nunciis dictæ Sedis, eisdem perſonis hactenus conceſſis, & inpoſterum concedendis, quas ipſis contra Statutum hujusmodi in aliquo ſuffragari nolumus, contrariis quibuscunque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, conſtitutionis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo, tertio Calendas Sep-

Septembris, Pontificatus nostri anno VII.

Post hæc antiquos Canones, & Reverendissimi Domini nostri Prædecessorum Constitutiones, de Clericis peregrinis non admittendis ad sacra ministeria, nisi literis formatis & dimissoriis authenticis exhibitis, & productis, in hac Synodo, vigore mandati nobis facti, innovamus, ac deinceps firmiter observari, ipsius Reverendissimi authoritate præcipimus.

Vult quoque Reverendissimus Dominus noster, baptizatos ab hæreticis & schismaticis, per manuum Episcopalium impositionem, & Chrisma, secundum antiquos Canones, Ecclesiæ Catholicæ reconciliari debere: quod respuentes, jubet a communione Catholicorum penitus secludi.

Vetat quoque, ne Monachi laicos, sine suorum Curatorum, neve quis alienum Parochianum, sine sui Parochi consensu scienter communicet, sub pœnis Canonum ipso facto incurrendis: demandans, ut Canon: *Omnis utriusque sexus*, de Pœnitentia & Remission. ad minimum observetur: cum alioqui olim non haberetur vere Christianus, qui ad minimum non communicasset ter in anno: in Paschate, in Pentecoste, & in Natali Domini.

Vult sæpe ac frequenter admoneri populum de suggestis, ut se a deambulationibus in templo Domini, præsertim dum Sacra fiunt, & Divina officia celebrantur, penitus abstineant: utque pueros suos, & canes, quos a clamoribus, strepitu & latratu continere non valent, in domibus suis relinquant, memores, quod scriptum est loquente Deo: Quia *Domus mea*, *Domus orationis vocabitur omnibus gentibus.*

Vult ut populus suæ Diœcesis, Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, qui ipsis ministrant spiritualia, temporalia reddere (ne fame laborent) non graventur: & ob id oblationes, quæ olim a fidelibus & piis hominibus ad quotidiana sacrificia religiose & liberaliter offerebantur, ad minimum in quatuor principalibus Festis, valore ad minimum trium obulorum, libenter & ultro ad Altare Domini deferentes, persolvant, aliaque jura Parochialia, secundum morem ab Ecclesia Catholica olim receptum, dependant, memores ejus, quod scriptum est: Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: *Non alligabis os bovi trituranti.* Et: *Dignus est operarius mercede sua.*

Adversus Sacerdotes publicos fornicarios, & aliorum criminum manifeste reos, per Fiscales suos districte procedi vult; præsertim adversus relapsos post mandati, in sua Synodo Diœcesana, anno præterito quadragesimo octavo, 2. Octobris celebrata, contra concubinarios ipsos publicati, tenorem.

Quibus etiam Fiscalibus suis hoc vult serio injunctum, ut quæcunque in memorata Diœcesana: deinde, quæ in Provinciali, denique, quæ in hac Synodo, secundum Deum, & salubriter constituta sunt, & inprimis Reformationem Augustanam, ad unguem teneant, & adversus eorundem prævaricatores (quos etiam non delatos, ex officio inquirere teneantur) sine mora, & præter omnem conniventiam serio procedant, sub Celsitudinis suæ Reverendissimæ gravis indignationis, & a suorum officiorum amotionis pœnis, si segnes inveniantur, incurrendis.

Quæ omnia nos præfati Reverendissimi Domini nostri Commissarii, ad præsidendum in hac Synodo Diœcesana, Celsitudinis suæ Reverendissimæ nomine cum plenaria potestate ordinati, vobis omnibus & singulis ex speciali mandato ejus significamus, indubitata spe freti, quod hæc omnia, quæ pia, sancta, religiosa, bonis omnibus amabilia, & amplectenda videtis, nobiscum debita executione, secundum Reverendissimi Domini nostri voluntatem, & mandatum, exequi diligenter studebitis. In quorum fidem, præsens scriptum Sigilli Curiæ Coloniensis, quo in præsentibus utimur, impressione communiri fecimus. Datum in Synodo Diœcesana, Coloniæ Agrippinæ, die secunda Octobris, anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo nono.

SYNO-

SYNODUS COLONIENSIS DIOECESANA

Anno Chriſti MDL. Julii III. PP. I. Caroli V. Imp. XXXI.

ACTA SACRÆ SYNODI DIOECESANÆ COLONIENSIS, Feria III. poſt S. Matthiæ Apoſtoli, Præſidente Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principe & Domino, D. ADOLPHO, Archi-Epiſcopo Colonienſi, Principe Electore &c. &c. in Eccleſia ejus Metropolitana ſolenniter celebratæ.

CUm in DEI nomine, authoritate Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Illuſtriſſimi Principis, & Domini noſtri, D. ADOLPHI, Sanctæ Eccleſiæ Colonienſis Archi-Epiſcopi, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarii, Principis Electoris, Weſtphaliæ, & Angariæ Ducis, Legatique nati &c. in ſuam Metropolim Coloniam Agrippinam, Sacra Synodus Diœceſana, ad Feriam tertiam poſt Dominicam *Invocavit*, propter feſtum Sancti Matthiæ Apoſtoli, quod in Feriam ſecundam præcedentem, celebrationi Vernalis Synodi deſtinatam, incidebat, conveniſſet: idem Reverendiſſimus Dominus Archi-Epiſcopus, celebratione Sacrorum Myſteriorum, & invocatione gratiæ Spiritus Sancti præmiſſa, poſtquam Synodus de utilitate & neceſſitate viſitationis, oratione perdocta pro more commonita fuiſſet, quam & ejusdem Reverendiſſimi Officialis, ſua ſubſecuta admonitione confirmavit, digreſſus in domum ſuam Capitularem, ipſam Sacram Synodum in ſequentem ſententiam allocutus eſt.

Memoria tenere Sacram Synodum, quomodo ipſe pro debito officii ſui Paſtoralis, a Comitiis Auguſtanis proximis unam Provincialem, & duas Diœceſanas Synodus indixerit, & celebraverit: in quibus hoc potiſſimum illi curæ fuerit, ut Reformationem Eccleſiarum, quam Invictiſſimus Cæſar CAROLUS in memoratis Comitiis, Statibus Eccleſiaſticis propoſuit, quam & ipſi Status receperunt, exequeretur. Præterea Synodum ipſam probe meminiſſe, quomodo præter multa pie & religioſe in prædictis Synodis conſtituta, ſe adhuc pleraque alia præſtiturum pollicitus ſit: imprimis, quod omni ſtudio ad viſitationem ordinariam & canonicam parare, & accingere ſe ſe, & per eandem, quæcunque Cæſarea Reformatio, & ſuæ Synodi conſtituiſſent, debitæ executioni demandare vellet. Quapropter in nupera Synodo ſua Diœceſana, præparationem ad ejusmodi viſitationem facere cupiens, omnibus & ſingulis, quibus hoc ex officio incumbit, impoſuerit, ut Reformationem Cæſaris in ſuis Synodis, indicto ſuorum conventu diligenter relegerent, ac omnia ad illius præſcriptum in ſuis Eccleſiis & Monaſteriis componerent: & ſi qua in re impedirentur, id ad Reverendiſſimam ſuam Celſitudinem referrent. In quo tametſi quidam morem geſſerint, nonnulli tamen ſuo officio ſatisfacere neglexerint. Id quod hinc eveniſſe, non immerito credat, quod a paucis, quo res iſta maxime tendat, fuerit ſatis intellectum. Ne igitur hæc res in Domino bene cœpta, diutius protrahatur, aut alicujus incuria, aut negligentia in longum differatur, fecerit Formulas quasdam inquirendi in viſitatione, ſecundum Eccleſiarum, Monaſteriorum, aliorumque piorum locorum ſuæ Diœceſeos rationem conſcribi, prelo mandari & evulgari: juxta quas ſi in viſitatione progreſſus fiat, ſperet, Reformationem Eccleſiarum a Cæſare propoſitam & receptam, felicem ſucceſſum habituram. Quas Formulas velit Sacræ Synodo nunc facere communes, a qua etiam petat & inquirat, ut ipſum hac in re

longe

longe maxima, suis consiliis adjuvent, & visitationis, quam molitur, cursum, quantum in ipsis est, promoveant. Habito igitur diligenti, & maturo super hac propositione Synodali Tractatu, tandem Reverendissimus de Sacræ Synodi unanimi consilio decrevit, constituit, & mandavit ea, quæ sequuntur:

DECRETA.

PRimum, ut omnes, quotquot huic Sacræ Synodo interfuerint, similiter omnes Rectores & Curatores Ecclesiarum Parochialium, aliique in universum, quos visitatio concernit, hanc inquirendi formulam sibi comparent intra dies XV. sub pœna suspensionis.

Secundo, ut emptas formulas diligenter perlegant, utque Abbates, Prælati, & Decani Christianitatum, quam primum domum redierint, Capitula & conventus indicant, & quique pro suo officio secundum formulas ejusmodi, quam diligentissime a singulis, eorum curæ subjectis, personarum, rerumque omnium præsentem statum ordine inquirant.

Tertio, ut quæ, facta inquisitione, compererint invecta esse, vel contra fidem Catholicam, vel bonos mores, seu Reformationem Cæsaris, vel Decreta ipsa Provincialia, ex quibus formulæ istæ concinnatæ sunt; ea omnia corrigant, eradicent, & evellant: & eorum loco, quæ pia, Catholica, & bonorum morum sunt, inserant, & cuncta ad præscriptam Reformationem, & Provincialis Concilii Decreta exigant & reforment.

Quarto, ut quæ egerint, conscribant, maxime, ut Visitatores adventuros, de statu præsenti suarum Ecclesiarum, & Monasteriorum certiores reddere, & de corruptelis & abusionibus, quas ipsi sua authoritate e medio tollere non potuerunt, admoneant, & hac in parte Visitatores præcurrant, & eis viam parent, ac præsternant.

Quinto monet Reverendissimus omnes Abbates, Prælatos, & quibus cura superintendendi commissa est, ut diligentissime ad hæc tria sequentia attendant, ac curent:

Primum, ne quisquam suspectæ, vel impurioris doctrinæ in regimine Parochialium Ecclesiarum sustineatur: sed si quis talis reperiatur, is ut confestim amoveatur, alio Catholico in ejus locum substituto.

Deinde, ut nullus quoque admittatur ad Pædagogia gubernanda, nisi exploratus: & si quis inveniatur suspectus de hæresi, seu aliqua prava doctrina, is depellatur, & alius itidem idoneus & Catholicus, in locum ipsius substituatur.

Denique, ut facta domatim inquisitione librorum, quibus sub se tam Ecclesiastici, quam seculares utuntur, omnes libros hæreticos, suspectæ fidei, seu per hæreticos depravatos, aboleant.

Et si qui sint, qui ejusmodi libros eis tradere recusent, eos vel Reverendissimo, vel suis Visitatoribus deferant.

Sexto, ut designent Reverendissimo Ecclesias Parochiales, quæ carent Rectoribus: similiter quæ occupantur ab his, qui se propria authoritate ingesserint sine titulo, & quæ occupantur ab intrusis per manum secularem, sine canonica institutione. Item ab apostatis Monachis, quorum quoque quidam (ut ad Reverendissimum perlatum est) in publico incestu computrescunt.

Item, quæ occupantur a Monachis, non obtenta licentia suorum Superiorum.

Item, quæ occupantur a Curatoribus, publicis & non ferendis flagitiis obrutis & contaminatis.

Nimirum, ut Reverendissimus de his accurate edoctus, possit monere Collatores, seu Patronos, ut Ecclesiis vacantibus prospiciant intra certum tempus, sub pœna devolutionum juris conferendi, juxta Sanctorum Canonum Sanctiones: utque Reverendissimus possit monere principales Rectores Parochialium Ecclesiarum, ut intra certum terminum personaliter resideant, aut idoneos Vice-Curatos suis Archi-Diaconis, vel Gratiæ suæ Reverendissimæ præsentent, qui hujusmodi Ecclesias gubernent, submotis illis, quos sacri Canones Ecclesias Parochiales regere non permittunt, quos etiam sua Reverendissima Celsitudo una cum Synodo sententiam excommunicationis, canonica monitione præmissa, incurrisse declaravit, juxta Mandatum, in hac Synodo publicatum, quod infra sequitur.

Septimo, Reverendissimus monet & requirit Abbates & Prælatos Monasteriorum, præsertim eorum, quæ habent incorporatas Ecclesias Parochiales, ut Scholas instituant in suis Monasteriis: ut idoneos alant Ludimagistros, seu Professores, si tales in suo grege non reperiant, qui juniores Monachos doceant rudimenta bonarum literarum, & instituant ad pietatem, & ætate magis provectos ad bene gerendum curam Ecclesiarum Parochialium, suis Monasteriis incorporatarum: quod seculares Presbyteri idonei hac tempestate vix sufficiant pro Ecclesiis non incorporatis Monasteriis.

Octavo, Reverendissimus monet & hortatur Decanos Collegiorum, ut restituant disciplinam Capitularem, quæ abiit in ludibrium. Nam hodie carceres capitulares magis ad ebrietates, luxus & contumacias augendas per abusionem converti, quam ad canonicam coercitionem multum conducere videntur.

Nono, quia Reverendissimus comperit ex relatione suorum Prælatorum & Decanorum ruralium, multa publica scelera & flagitia, per suam Diœcesim impudenter & impune admitti, sine ulla spe & indicio resipiscentiæ: veluti sunt, apostasiæ, hæreses, schismata, maleficia, homicidia, infanticidia, incestus cum proximis consanguineis & affinibus, divortia & direptiones, matrimoniorum etiam in facie Ecclesiæ contractorum adulteria, & sacrilegia, & horum similia: in quibus publice insordescentes, nihilo secius admittantur ad communionem Sacramentorum, in eodem statu permanentes. Idcirco Reverendissimus monet omnes Prælatos, & alios curam animarum habentes, ut tales publice flagitiosos moneant ad cor redire, pœnitentiam petere, datam accipere, peccata & crimina sua relinquere, & se hoc fecisse, facto contrario ostendere. Alioqui, nisi hoc fecerint, Reverendissimus inhibet Prælatis & Curatoribus, ne hujusmodi hominibus manifeste scelerosis (qui nec digni quidem sunt adstare Sacris) administrare Divinissimum Eucharistiæ Sacramentum (*): ne ira Dei ob tam sacrilegam Communionem, in Diœcesim Gratiæ suæ provocetur.

(*) *Supple*: præsumant.

Decimo, ut habetur in formula inquirendi, Reverendissimus monet quosque Prælatos, ut denuntient suis, instare visitationem: ut hortentur eos, cum eis denuntiabitur, adesse Visitatores, humiliter adesse & audire Verbum Domini, & animarum suarum saluti consulere. Item, ut perplexam habentes conscientiam, accedant, remedia animarum suarum accepturi. Item, ut quotquot egent Sacramento Confirmationis, accurrant: & qui respuerint, arceantur a Communione.

Præterea, quando multa adhuc desiderantur, quæ Reverendissimus Dominus noster se præstiturum pollicitus est; imprimis significavit Sacræ Synodo, necessariam esse formulam examinandi ordinandos, quemque secundum munus ordinis sui.

Deinde, necessariam esse formulam examinandi instituendos ad curam animarum; eo quod ordinatio & institutio sit janua, per quam fit ingressus ad Ecclesiarum administrationem; qui, si sit corruptus, corrumpit totam œconomiam Ecclesiarum. Quare Reverendissimus in præsenti Synodo negotium conscribendi hujusmodi formulas, dedit viris idoneis, quas conscriptas evulgabit.

Tertio, quia necessaria est repurgatio quædam Agendarum Ecclesiasticarum, Reverendissimus quoque de assensu Sacræ Synodi dedit quosdam, qui ea repurgent, emendent, & reducant ad Majestatem & integritatem antiquam. Cui libello officiali (ut eum vocant Canones) Reverendissimus faciet annecti formulam informandi populum, ad singulorum Sacramentorum administrationem, ut intelligat populus, quid in unoquoque agatur & tribuatur: & ad Sacramentum Matrimonii adjicietur arbor consanguinitatis & affinitatis.

Item doctrina prohibitionis cognationis spiritualis, & aliorum impedimentorum, quæ impediunt contrahendum, & dirimunt jam contractum Matrimonium; ne posthac temere incestuosa coeant conjugia.

Quarto Reverendissimus dedit quosdam in hac Synodo, qui corrigant & repurgent Missalia & Breviaria, & redigant ea ad antiquam puritatem, & majestatem;

ſtatem: quæ ſic digeſta, Reverendiſsimus faciet imprimi & evulgari.

Quinto, quia Cæſarea Majeſtas requirit ab Epiſcopis, ut edatur in eorum Diœceſibus neceſſaria inſtitutio ad pietatem, quæ ſerviat tam juventuti in ſcholis, quam rudioribus Eccleſiis, quæ doceat Parochos ſuum officium, & quæ ſuppeditet ea, quæ plebem ſcire eſt neceſſe, propterea Reverendiſsimus quoque diſpiciet, ne quid hic deſideretur.

Sexto, quoniam Cæſarea Majeſtas requirit, ut edantur meditationes ad ſingulas Miſſæ partes, cum brevi expoſitione Canonis Miſſæ; Reverendiſsimus etiam hac in parte adjutus per hos, quibus id muneris imponet, curabit, ut ejus aliquid ad proximam Synodum evulgetur.

Septimo, dabit qui antiquum illud JUS diſciplinæ Capitularis, quod nuper in quibusdam vetuſtiſsimis codicibus repertum eſt, diligenter inſpiciant, & ad ſacros Canones collatum & exactum, Reverendiſsimo edendum & publicandum exhibeant. Similiter, qui cogitent de pœnitentiis publicis, pro publicis peccatis imponendis: ſine cujus diſciplinæ reſtitutione, Eccleſia perpetua ſcabie laborabit, nec ſcandalorum erit modus, & pii involvent ſe peccatis alienis.

Reverendiſſimus inſuper requirit, ut Prælati, Decani Collegiales & Rurales, deſignent oppida & pagos in ſuis Regiunculis, in quibus ſunt inſtitutæ ſcholæ: & indicent viros idoneos, in locis vicinioribus commorantes, Catholicos & eruditos, quibus Reverendiſſimus injungat munus, examinandi Ludimagiſtros, & inſpiciendi libros prælegendos in Pædagogiis, pro pueritia & aliis ſcholaſticis, intra hinc & menſis ſpatium proxime futurum.

Ad hæc quia in Provinciali Concilio cautum eſt, ut dentur a Reverendiſſimo, qui examinent eos, quibus de Beneficiis Eccleſiaſticis proviſum eſt pleno jure, antequam ad adminiſtrationem admittantur: ea de re Reverendiſſimus hoc muneris delegavit quibusdam viris idoneis, per Diœceſim Colonienſem conſtitutis; ne propter amplitudinem ejus, proviſi graventur, ſi cogantur omnes Coloniam examinationis cauſa venire. Providebitque Celſitudo ſua Reverendiſſima, ut examinatio tranſigatur ſine quæſtu.

Item Reverendiſſimus commiſit in hac Synodo Vicario ſuo in Spiritualibus, & adjuncto Theologo, qui examinent compermutantes: qui etiam debent eſſe præſentes tempore permutationis in propriis perſonis, ut examinari poſſint.

Poſtremo, Reverendiſſimus pro examinandis his, qui petunt licentiam ordinandi extra Diœceſim, deputavit in ſua Metropoli ſuum illic Sigilliferum, adjuncto Theologo, & Vuerlis Officialem ſuum ibidem, adjuncto etiam illi Theologo idoneo.

Item Reverendiſſimus requirit, ut Collegia & Monaſteria ad tempus viſitationis, habeant ſuarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum ſtatuta & regulas in promptu, quo poſſint ea exhibere Viſitatoribus: utque Abbates & Viſitatores Monaſteriorum Sanctimonialium, apud eadem Monaſteria efficiant, quo Viſitatores adventantes, illic quoque reverenter excipiantur, ipſis Abbatibus viſitationi ejusmodi Monaſteriorum interfuturis.

Porro ſacra Synodus ſe paratam & obſequioſam obtulit, Viſitatores, quos Reverendiſſimus per ſuam Diœceſim ſuo nomine mittet & deſtinabit, velle reverenter excipere, ac ſuis ſumptibus honeſte procurare, & ſufficienti commeatu deducere, dum ad alias Eccleſias viſitandas pervenerint.

Et quia Reverendiſſimus accepit, magnam partem Sacerdotum ſuæ Diœceſeos eo levitatis veniſſe, ut eos veſtibus Sacerdotalibus uti pudeat, in dignitatis Sacerdotalis gravem ignominiam: quando tamen olim in Concilio Triburienſi provide conſtitutum ſit, ut Presbyteri, quo a Laicis diſcernantur, non prodeant in publicum, nec vadant, niſi ſtola, aut orario induti: hac interminatione adjecta, ut ſi aliter inceſſerint, & in habitu, ſe non decenti, reperti fuerint, gravem ejus delicti pœnam ſint ſubituri. Idcirco Reverendiſſimus dignitati Sacerdotali conſulere volens, mandat omnibus Presbyteris, ſub ſua Paſtorali cura degentibus, ut poſthac orariis (quæ collaria vocantur

tur) in publico utantur, quo, qui jugo Domini, & suæ Ecclesiæ ministerio sua colla submiserunt, hoc velut intersignio a Laicis discernantur.

Ad hæc, cum sua Reverendissima Celsitudo acceperit, plerumque fieri, ut Rectores & Presbyteri, qui ministrant in Ecclesiis Parochialibus ruralibus, in Anniversariis & exequiis, commessationibus, compotationibus & ebrietatibus indulgeant, quod non solum ipsis in damnationem, sed & laicis in scandalum cedit: quamobrem Reverendissimus ad tollendum tam turpem abusum, Canonem illum saluberrimum Maticensis Concilii innovandum duxit, quo constitutum est, ut nullus Presbyterorum, quando ad Anniversarii diem, tricesimum, vel septimum, vel tertium alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam Presbyteri convenerint, se inebriare, aut ad æquales haustus potare, vel alios ad bibendum cogere, seu plausus & risus inconditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare ullatenus præsumant; cum hæc omnia sub gravissimis pœnis a sacris Canonibus constet esse prohibita: prævaricatoribus hujus Decreti graviter puniendis.

Postremo, cum metus non injustus sit, cervicibus nostris, ob gravissima scelera & flagitia, quæ passim impudenter & impune committuntur, impendere gravissimas plagas, quas Deus ob peccata nostra se immissurum, in scripturis passim comminatur: Deinde cum præsens Ecclesiæ, & Reipublicæ status ad securam tranquillitatem nondum perductus sit, sed bellorum ac dissidiorum tumultus imminere videantur, velitque Deus, & pro depellendis malis, & concedendis bonis, piis & assiduis precibus pulsari: ea de re Reverendissimus Dominus noster Missas precarias per Civitatem & Diœcesim suam celebrandas instituit, ad supplicandum Deo Optimo Maximo, ut per suam infinitam misericordiam, condonatis peccatis, a nobis iram suam avertat, & quæque bona ad se conversis, & præsertim instanti visitationi prosperos successus concedat. Servabitur autem prima Missa pro peccatis, altera pro omni gradu Ecclesiæ, & tertia pro pace & tranquillitate Reipublicæ Christianæ, juxta mandatum in hac Synodo decretum, & publicandum. Acta, conclusa, decreta & definita sunt hæc in Synodo Diœcesana Coloniensi, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo, die Mercurii, vigesimo sexto Februarii.

MANDATUM,

In quo sententiam Excommunicationis majoris incidisse declarantur, qui Parochiales Ecclesias absque Canonica Institutione occupatas detinent, vel enormibus flagitiis irretiti, publico cum scandalo administrant.

ADOLPHUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, LEGATUSQUE NATUS &c. &c. UNIVERSIS ET SINGULIS NOSTRARUM METROPOLIS, ET DIOECESEOS INCOLIS ET SUBJECTIS, TAM ECCLESIASTICI, QUAM SECULARIS STATUS, CUJUSCUNQUE ORDINIS, VEL CONDITIONIS FUERINT, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CUm non modo Sacrorum Canonum, sed & Evangelica pariter & Apostolica authoritate constitutum ac decretum sit, nemini prorsus licere, sine Canonica manuum impositione, seu ordinaria missione, administrationem Ecclesiarum, præsertim Parochialium, suscipere, aut officium sibi non creditum, in Ecclesia Dei propria temeritate usurpare: adeo, ut qui secus facere tentaverit, non pro legitimo gregis Domini Curatore, sed magis pro fure & latrone, aliunde in ovile Dominicum ascendente habendus, & ab omnibus Catholicis & fideli-

delibus hominibus, tanquam pestifer homo, & disciplinæ Evangelicæ adversarius vitandus sit: atque ea de re olim per felicis recordationis Dominum Henricum, Archi-Episcopum Coloniensem, Prædecessorem nostrum, in Concilio suo Provinciali (*) provide constitutum fuerit, neminem debere Ecclesiam, cui cura animarum incumbit, vel tenere, vel regendam suscipere, aut susceptam occupare, nisi a Nobis, & pro tempore existente Archiepiscopo, vel Archidiaconis nostris, seu eorum Officialibus, quibus id jure, vel consuetudine competere dinoscitur, ad eandem fuerit legitime institutus: cum alioqui talis manifeste careat clavibus ligandi & solvendi: hoc etiam adjecto, ut contrarium facere præsumens, nisi ejusmodi Ecclesiam, viginti dierum monitione præmissa, dimittat, ex nunc excommunicationis sententiam incidat ipso facto, nec plebs ei obediat, vel morem gerat: cumque non dissimili censuræ omnes Apostatæ, Monachi, & qui extra obedientiæ jugum, & ordinis sui observantiam, Ecclesiarum regimini se intromittere non verentur, seu qui in hæresi, vel schismate, seu in publico incestu, aut aliis enormibus criminibus ad suam ipsorum damnationem, & Ecclesiæ Dei scandalum, computrescunt, justissimo jure percellantur: uti quoque Nos tales prævaricatores in proximo nostro Concilio Provinciali, accedente assensu & sententia totius Synodi excommunicationis vinculo innodasse meminimus: Fuerit autem in nupera nostra Synodo Diœcesana ad nos multorum veridicorum attestatione perlatum, permultos esse, qui memoratis Evangelicis, Apostolicis, & Canonicis Censuris contemptim spretis, se in Ecclesias Parochiales, intra nostræ Diœceseos pomeria & fines constitutas, vel propria authoritate, sine ullo canonico titulo ingesserint, vel eas, per manum secularem intrusi, sine canonica institutione, detineant occupatas: non paucos quoque Monachos, partim apostatas, partim extra obedientiam degentes, Divina tractare, & populo Sacramenta administrare, non sine gravissimo innumerarum animarum discrimine & periculo.

Nos igitur, qui in Ecclesia Dei, pro parte solicitudinis nobis concreditæ, speculatoris officio fungimur: quibus ex impositi muneris necessitate hoc inprimis incumbit, ut a Christi ovilibus lupos quam longissime repellamus, & Ecclesiarum illicitas invasiones, quantum in Nobis est, prohibeamus: provideque animo repetentes, Nobis nequaquam licere, tam fœdam Ecclesiasticæ disciplinæ corruptionem, horrendaque facinora, & gravia scandala diutius dissimulare & sustinere, quin potius hoc a Nobis Divinum pariter & humanum jus postulare, ut disciplinæ Ecclesiasticæ nervum in memoratos præsumptores, ad eorum damnabilem audaciam coercendam, distringamus. Quamobrem, præsentis nostri mandati, de assensu sacræ Synodi nostræ, cui in præsentiarum præsidemus, Decreti vigore monemus omnes & singulos, qui se propria authoritate, sine titulo, Ecclesiis Parochialibus ingesserunt, vel illas per intrusionem manus secularis, sine canonica institutione, occuparunt: ad hæc, omnes apostatas Monachos, vel qui extra obedientiam degentes, se Ecclesiarum regimini ingerunt: quique hæresi, vel schismate, aut publico incestu, seu aliis enormibus criminibus manifeste irretiti sunt; ut intra viginti dierum spatium, quod illis pro canonica monitione præfixum volumus, Ecclesias memoratas, quas occupatas detinent, realiter & cum effectu dimittant, præbituri locum canonice & legitime sufficiendis. Alioqui ipsos, & eorum quemlibet, contrarium facientes, & hujusmodi nostro mandato non parentes, de simili dictæ nostræ sacræ Synodi assensu, sententiam excommunicationis majoris, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, ipso facto damnabiliter incidisse, præsentium per tenorem declaramus: quos etiam, ut excommunicatos, publice nuntiari, & a plebibus, quarum curam sibi usurparunt, aliisque fidelibus vitari, serio ac districte mandamus; donec Deo & Ecclesiæ digna pœnitentia satisfecerint, ac beneficium absolutionis a Nobis meruerint impetrare. In quorum fidem & testimonium, præsens nostrum Mandatum Sigilli nostri impressione fecimus communiri. Datum in Synodo nostra Diœcesana Coloniensi anno 1550. die Mercurii, 26. Februarii.

(*) Vide Tom. IV. nostro, Concilium Provinciale Coloniense, sub Henrico Archi-Episc. Colon. celebratum anno 1310.

FORMA,

Juxta quam in Visitatione Cleri & Populi Civitatis Coloniensis, Inquisitio secundum Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, personarum & locorum diversas conditiones ac rationes institui, vel fieri debeat. In Synodo Coloniensi Diœcesana Anno 1550. 26. Februarii publicata.

FORMA MANDATI DELEGATORII, SEU COMMISSIONIS DANDÆ VISITATORIBUS.

ADOLPHUS, DEI GRATIA, SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, LEGATUSQUE NATUS &c. REVERENDO IN CHRISTO, AMICO NOSTRO CHARISSIMO, JOANNI EPISCOPO CYRENENSI, NOSTRO IN PONTIFICALIBUS VICARIO, AC N. ET N., SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

CHRISTUS JESUS Dominus & Redemptor noster, qui per viscera misericordiæ suæ visitavit nos, oriens ex alto, ut illucesceret his, qui in tenebris sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, multifariam cum verbo, tum exemplo suo Divino nos docuit, debere Episcopos, qui Apostolorum suorum loco succedunt, & Legatione pro Deo funguntur, Ecclesias suas, quas curandas susceperunt, pro explorando & reformando earum statu, sæpe & frequenter visitare & inspicere. Narrat enim Sanctum Evangelium, quomodo Pastor ille bonus, qui venit quærere & salvare, quod perierat, non modo per semetipsum, dum adhuc in terris nobiscum ageret, civitates omnes & castella circumierit, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem & infirmitatem: sed &, quum hominum se sequentium turbas videret, & eorum intime misereretur, eo quod essent vexati, & jacentes sicut oves non habentes pastorem; Discipulos suos gravi cum affectu admonuerit, ut se Dominum suum & Magistrum, in hoc visitandi munere, & ejus, quod perierat, requirendi studio sequerentur: utque Patrem suum cœlestem ardentibus & sedulis precibus, pro extrudendis idoneis messoribus spiritalibus in messem suam solicitarent, dicens: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. (*) Tales nimirum, qui potentes docere, & eos, qui contradicunt, redarguere, dum hoc visitationis munere perfungentur, permundent aream ejus, & bonos a malis separantes, congregent triticum in ejus horreum, paleas vero spiritu oris sui exufflent, & de Regno ejus, quæ est Ecclesia, tollant omnia scandala; ut ab universis erroribus & vitiis ejusmodi visitationis ventilabro eventilata, excussa & repurgata, secura ei serviat libertate. Quo profecto gloriosum illud omnium Ecclesiarum lumen & vas electionis, Sanctissimus Apostolus Paulus, in quo Christus ipse loquitur & auditur, respiciens, Presbyteros Ecclesiæ Ephesiensis ad se Miletum vocatos, sic alloquitur & compellat: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Quemadmodum Act. 20. legimus. Quo etiam in libro apertissime indicatur, quantæ curæ hoc visitandi munus tanto Apostolo fuerit. Legimus enim illic, ad Barnabam Coapostolum suum illum sic loquentem: Revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. Quod & crebro & diligenter fecisse eos, idem liber non uno in loco manifestissime declarat & ostendit: maxime ubi narrantur, circumambulasse Regiones, in quibus prædicaverunt verbum Dei, ut viderent quomodo se

(*) Matth. 9.

ſe haberent fratres, & ut confirmarent eos in fide: & conſtitutis ubique idoneis Presbyteris, Apoſtolorum & Seniorum traditiones & præcepta eis cuſtodienda mandarent. Quæ certe præcipua ſunt ad canonicam Viſitationem pertinentia. Quin & D. Petrus, Apoſtolorum vertex ac Princeps, in eodem libro non fruſtra narratur, tranſiſſe & inviſiſſe univerſos. Quanta item cura in eodem munere dilectiſſimus Chriſto Diſcipulus, & inter Divinos Evangeliſtas ſublimis aquila Joannes, in Aſia verſatus ſit, abunde Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria. Cæterum quam plenum exitialis periculi, & plane horrendum ſit, eos, qui ſpeculatorum in Eccleſia locum tenent, in hoc officio ceſſare, Dominus ipſe apud Prophetam ſuum Hieremiam graviſſime conteſtatur, ubi duriſſimas de ignavis Paſtoribus, hanc functionem negligentibus, ſe ſumpturum pœnas terribiliter comminatur, dicens: Vos diſperſiſtis gregem meum, & ejeciſtis eos, & non viſitâſtis eos. (*) Ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum. Quibus etiam apud alium Prophetam (**) ſevere admodum improperat & exprobat, quod viſitationem gregis negligentes, infirmum non conſolidarint, quod ægrotum, non ſanarint, quod confractum non alligarint, & quod abjectum non reduxerint, & quod perierat, non quæſierint. Et diſperſæ, inquit, ſunt oves meæ, eo quod non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Erraverunt, ait, greges mei in cunctis montibus, & in univerſo colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt, & non erat, qui requireret. Non erat, inquam, qui requireret. Unde & vocem hanc, valde ſane metuendam, ſubjicit: Propterea, inquit, Paſtores, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum, nec paſcent amplius Paſtores ſemetipſos: & quæ illic ſequuntur. Quin etiam iram eſſe graviter offenſi Dei, quoties datur Paſtor aliquis negligens & deſidioſus, ipſe Dominus in Zacharia Propheta atteſtatur, ubi inquit: Quia ecce ego ſuſcitabo Paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id, quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum diſſolvet. Poſt quæ continuo hac terribili voce exclamat: O Paſtor & idolum, derelinquens gregem. (***) Hæc Divina exempla & tremenda oracula cum ſuperiori tempore nobiſcum animo volutaremus, & de illorum imitatione & executione crebre (ut par erat) cogitaremus, & ſoliciti eſſemus; en commodum Invictiſſimus & Religioſiſſimus Imperator CAROLUS Quintus Auguſtus, Dominus noſter clementiſſimus, in proximis Auguſtanis Comitiis, ejus, quod factum oportuit, auſpicandi ſemel, & agendi viam aperuit. Nam Reformationis ſalutaris Formula Statibus Eccleſiaſticis propoſita, non ſatis eſſe putavit, indicaſſe normam aliquam, canonicis inſtitutis conſentaneam, ſecundum quam & viveretur, & doceretur in Eccleſiis Germaniæ, uſque ad Concilii Generalis determinationem; ſed & idoneos tramites & modos ejusdem Reformationis exequendæ, ſecundum Evangelicas, Apoſtolicas & Eccleſiaſticas Leges oſtendit, quos & Prælatos intra certa præſtituta tempora amplecti omnino voluit, ac juſſit. Quæ nimirum ſunt accurata Provincialium, & Diœceſanarum Synodorum celebratio, ac deinde diligens Eccleſiarum Viſitatio. Nos igitur cernentes tam Religioſis Cæſareæ Majeſtatis juſſis officium noſtrum non parum adjuvari, quod confidamus authoritatem ejus, omnia impedimenta, quæ haud dubium Reformationis impatientes, Epiſcopis alioqui objeciſſent, e medio ſublaturam; celebratis jam per Nos pro memoratæ Reformationis executione, una Provinciali, & duabus Diœceſanis Synodis, & in his communi conſilio & aſſenſu permultis pie & religioſe conſtitutis, quibus priori Cæſareæ juſſionis parti ſatisfactum eſſe ſperamus: ſupereſſe videmus, ut alteram quoque partem, quæ eſt de viſitando & inſpiciendo gregem Dominicum Nobis concreditum, cooperante Deo, ut cœpimus, proſequamur. Idque non modo ob id, ne præcedens ille noſter, non exiguus certe labor, quem in celebratione Synodorum noſtrarum adhibuimus, & inſumpſimus, hujus alterius partis vel intermiſſione, vel longiore extractione, ſine ullo fructu diſpereat, & irritus fiat: cum ſciamus, fruſtra eſſe in civitate jura, niſi ſint, qui & ea exequantur:

(*) Jerem. 23. (**) Ezech. 34. (***) Ezech. 11.

tur: ſed, & quidem inprimis, ne hac in parte commiſſa, quod abſit, negligentia, Dominus ſanguinem ovium Nobis commiſſarum, de manibus noſtris, ut Propheta ait, (*) ſevero judicio exigat. Verum enim vero, cum hoc tam magnum & neceſſarium Viſitationis opus, quod per ſe late patet, tale ſit, ut viros quam maxime idoneos poſtulet, qui ſe illi totos addicant, multumque temporis, ut per Diœceſim noſtram totam, facto initio ab Eccleſia noſtra Metropolitana, & ei adhærentibus, producatur & peragatur: Ad hæc moram interdum longiuſculam, nunc hic, nunc illic, pro locorum ratione & neceſſitate manendi requirat: Nos vero aliis innumeris & graviſſimis, tum Eccleſiæ noſtræ, tum Sacri Romani Imperii negotiis ac rebus ſic ſimus occupati, & impliciti; ut continuum illum a loco in locum progreſſum, & prolixiorem in noſtræ Diœceſeos oppidis & vicis ſingulis moram, ſine ejusmodi negotiorum delectu (**) (quem committere nefas putamus) facere non poſſimus: uti tamen (niſi, ut jam commemoratum eſt, prohiberemur) libenter facere vellemus: & præterea, ut quam maxime poſſimus & velimus, hoc muneris per Nos ipſos gerere & ſubire; idipſum tamen ſine gravi ſubditorum noſtrorum onere, ob numeroſiorem noſtrum comitatum, ad quem recipiendum alicubi forſan non ſat tecti fuerit, facere nequeamus: Vobis, de quorum ſingulari doctrina, pietate, zelo, prudentia & circumſpectione plurimum in Domino confidimus, quam & multa experientia compertam habemus, vices noſtras præſentium per tenorem committimus, dantes & concedentes vobis, harum literarum vigore, plenam & liberam poteſtatem, univerſas & ſingulas Eccleſias, tam in ipſa noſtra Metropoli Colonienſi (Majori tantum noſtra, cujus Viſitationem per Nos jam cœptam, Nobis ipſis reſervamus, excepta) quam per totam noſtram Diœceſim Colonienſem conſtitutas, ſecundum Sacrorum Canonum Decreta, & Cæſareæ Reformationis Formulam, viſitandi, eaque de re Clerum & populum noſtrum, ubivis locorum, ad comparendum coram vobis, & ſubmittendum ſe ſe viſitationi veſtræ, canonice evocandi, & monendi: & ulterius de ſtatu memoratarum Collegiatarum, nec non Parochialium Eccleſiarum, & Decaniarum Chriſtianitatum, ſeu Ruralium, & Monaſteriorum, tam Monachorum, quam Sanctimonialium, & Canoniſſarum (ut vocant) ſæcularium: domorum quoque Fratrum Teutonicorum, Sanctorumque Joannis, & Antonii, (quatenus ſe viſitationi ſubmiſerint) aliarumque ſacrarum ædium, Oratoriorum, Capellarum: & quorumcunque piorum locorum, Scholarum & Bibliothecarum, & perſonarum, in eisdem Eccleſiis, Monaſteriis, domibus & piis locis degentium, & Deo militantium, eorumque ſtatutis, ordinationibus, moribus & conſuetudinibus: denique de ſtatu & conditione plebium cujusque loci, diligenter inquirendi: & facta inquiſitione, inprimis Statum Eccleſiaſticum (cujus confuſione tota Eccleſiæ facies confunditur) repurgandi: Statuta, ordinationes, mores, & conſuetudines Eccleſiarum quarumcunque inſpiciendi & cognoſcendi: & ſi quid in eisdem irrationabile, aut indecens fuerit, corrigendi: Eccleſias, Monaſteria, Oratoria, Sacella, & alia pia loca, ubi vel exciſa ſunt, vel exhauſta, vel deſerta redintegrandi: & pro reformatione plebium, ex ſingulis Parochiis aliquot probos, boni nominis & fide dignos viros, ad numerum quatuor, quinque aut plurium, ſecundum & plebis cujusque loci frequentiam, quibus fides, mores, converſatio, fama & opinio omnium illic commorantium ſit plus cognita, deligendi: eosque ad dicendum ſuper interrogandis veritatem, remoto procul omni carnali affectu, amoris, odii, ſpei & metus, adjurandi: & generaliter ubivis hæreſes & ſchismata extirpandi, errores, abuſus & ſcandala tollendi: Fidem Catholicam, virtutes & bonos mores inſerendi: ſeductos ab hæreticis & ſectariis, & nunc errores ſuos recognoſcentes, & de illis ex animo dolentes, & ad Orthodoxæ, & Catholicæ fidei unitatem redire cupientes, & recipi humiliter petentes: ſimiliter criminibus & flagitiis obnoxios, cognito tamen in eis omnibus vero, & non ficto, aut ſimulato de perperam admiſſis dolore, ad pœnitentiam recipiendi, pieque & benigne (ſalva tamen Eccleſiaſtica diſciplina) rurſus amplectendi; eis, prout eorum

(*) Ezech. 33. (**) *fors:* neglectu.

eorum error aut lapſus, vel publicus, vel occultus fuerit, publicam, ſeu occultam pœnitentiam canonicam imponendi: nec non pœnitentias juris communis, pro veſtra prudentia & diſcretione, ac pœnitentium qualitate & conditione moderandi: & pœnitentes ejusmodi, poſt exomologeſios ſatisfactionem peractam, a cenſuris & pœnis, errorum, ſeu criminum ſuorum ratione incurſis, etiam in caſibus Nobis ſpecialiter reſervatis, authoritate noſtra Archiepiſcopali, ſeu alia quacunque Nobis competenti in Domino abſolvendi, & Chriſti fidelium conſortio aggregandi: Congregationes, Communitates, Univerſitates, ac ſingulares perſonas, ab illicitis & damnatis obligationibus exolvendi, & liberatas declarandi. Præterea tenuiorum Beneficiorum redditus, ita ut de ſingulis Beneficiis ſinguli Beneficiati commode vivere, & juſta emolumenta percipere poſſint, authoritate noſtra, prout de jure citra revocationem commiſſionis Vicario noſtro in Spiritualibus factæ, augendi, ac Beneficia, quæ nullam neceſſariam functionem habent, Eccleſiis Parochialibus, quibus ſtipendia non ſuppetunt miniſtrorum, uniendi, vel dismembrandi: omnesque, qui Eccleſias incorporatas habent, ad proſpiciendum Curatoribus talium Eccleſiarum Parochialium de ipſarum fructibus & obventionibus ſufficienti portione & ſuſtentatione, monendi & compellendi: Similiter viros doctos, boni nominis, graves, pios, & Catholicos ad examinandum Ludimagiſtros, & excutiendum libros, aliaque, quæ vobis committenda aliis videntur, delegandi: & generaliter quæcunque ad reformationem, inſtaurationem, & conſervationem quarumcunque Eccleſiarum, & piorum locorum, in noſtra Diœceſi ſitorum, pertinent, curandi: Repugnantes vero & contradicentes vobis in præmiſſis, ſeu aliquo præmiſſorum, veluti hæreticos, ſchismaticos, induratos, votifragos, inceſtuoſos, & quoscunque criminoſos & inobedientes, pœnitentiam canonicam accipere, & mandatis Eccleſiæ parere recuſantes, cenſuris Eccleſiaſticis, ut ad cor redeant, innodandi & percellendi, eos pro exceſſuum & criminum qualitate, ab officio vel beneficio, vel utroque ſuspendendi, vel etiam pro gravitate exceſſus, perpetuo privandi, excommunicandi, interdicendi, ac alias juxta Canonum Sanctiones puniendi & coercendi. Omniaque & ſingula alia, quæ præſens Viſitatio exigere videbitur, pro ratione locorum & perſonarum, faciendi, gerendi, & exercendi, & quæ Nos ipſi, ſi perſonaliter adeſſemus, gerere & exercere poſſemus, & merito deberemus: Decernentes, omnia & ſingula per vos, ſeu a vobis pro tempore facta & geſta, valida & efficacia fore, ſuosque debitos effectus ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari debere. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium, præſentes literas per Notarium noſtrum infraſcriptum, ſubſcribi, ſigillique noſtri appenſione fecimus communiri.

Datum ex Arce noſtra Brulenſi, vigeſima Decembris, Anno Domini noſtri JESUS CHRISTI Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono.

Præparatoria quædam ad Viſitationem.

VIſum olim eſt Sanctis Patribus, ut ſacri Canones indicant, cum Epiſcopus ſuam Diœceſim viſitandi gratia circuire vult, debere Archi-Diaconum, vel Archi-Presbyterum eum præire aliquot diebus per Parochias, quas viſitaturus eſt, & ex authoritate ſanctorum Canonum præcipere, & ſerio denunciare, ut omnes, exceptis infirmis, ad Viſitationem Synodalem occurrant, & interminari his, qui abſque gravi neceſſitate defuerint, a Chriſtiana communione depulſionem. Deinde debere hunc, accitis ad ſe Presbyteris, qui in illo loco ſervitium exhibere debent Epiſcopo, ſatagere, ut minores & leviores cauſæ corrigantur & emendentur, ne Epiſcopus veniens levioribus negotiis fatigetur, neve immorandum illic ei ſit amplius, quam neceſſe fuerit. Quo etiam Canones illud citant, quod Dominus ad Moyſen de hujusmodi cooperatoribus ait: Ut tecum (inquit) ſuſtentent onus populi, & non tu ſolus graveris. (*) Et quod Beatus Joannes Baptiſta adventum Domini præcurrit prædicando, dicens (**): Pœnitentiam agite. Item: Parate viam Domino. Siquidem Epiſcopus vicem Chriſti age-

(*) Numer. 11. (**) Matth. 3.

agere videatur, & ideo cum gaudio, timore, & cum summa reverentia a plebibus sibi subjectis suscipiendus sit, ut illis cum laude dicatur, quod Apostolus de Galatis testatur: Testimonium, inquit, vobis perhibeo, quod ita suscepistis me sicut Angelum Dei, sicut Dominum JESUM. (*)

Verum cum latissima sit Coloniensis Diœcesis, in quatuor Archi-Diaconatus, & quam plurimos Archi-Presbyteratus, seu Decanias rurales distincta, & intermissa jam nimium diu sit Canonica Visitatio, non sine gravi (quod negari non potest) jactura religionis & disciplinæ; convenire Nobis videtur, ut hoc muneris, quod Canones unumquempiam Archi Diaconum, vel Archi-Presbyterum obire volunt, omnes Archi-Presbyteri, hoc est, Decani, tam Collegiales, quam Rurales, qui Christianitatum vocantur, singuli in suis regiunculis obeant; ut advenientes Visitatores, jam stratam & præparatam viam inveniant, sic ut Visitationem ubique locorum, expedite peragere, & absolvere possint.

Multum quoque ad præparationem hanc facere videtur, si Archi Presbyteri isti, diligenter admoneant plebes, ut mane ejus diei, quo ipsæ visitandæ & inquirendæ sunt, ab omni opere servili ferientur, quo expediti ad Ecclesiam, ad cibum capiendum, qui non perit, animarum suarum saluti consulturi, pergant. Et ut omnes, qui remedium gravatæ conscientiæ (ob nefanda commissa flagitia, quorum relaxatio ab Episcopis petenda fuerit) velint adhiberi: aut consilio opus habeant in re quacunque perplexa, die designata cum bona fiducia adveniant, seque audacter Visitatoribus præsentent, paternam benignitatem & mansuetudinem experturi. Denique ut quotquot Sacramento Confirmationis, secundum ritum Catholicum nondum fuerint communiti, in quavis etiam ætate, ad illud reverenter accipiendum se præparent, hoc est, ut jejuni ad Confirmationem veniant, & moneantur confessionem prius facere, ut mundi Donum Spiritus Sancti mereantur accipere, ut habet Aurelianense Concilium. Quod maxime in his locis fieri est necesse, ubi sunt baptizati ab hæreticis & schismaticis: nam tales cum extra Ecclesiam tincti Sacramentum quidem, sed non rem, vel virtutem Sacramenti, nec donum Spiritus Sancti acceperint, necessario prius integre edoceri & institui debent de fidei mysteriis, & si omnibus assenserint & acquiescant, purgati fidei integritate, manuum Episcopalium impositione Ecclesiæ Catholicæ inseri & reconciliari, & Chrismate confirmari. Quod si inveniantur ex horum numero quidam, qui sic confirmari respuant, hi a communione fidelium penitus excludantur.

Ecclesias quoque & Cœmeteria, & quæcunque Deo sacrata, quæ in hac rerum turbatione violata sunt, Episcopali Benedictione, secundum veteres Canones expiari oportet: hujus quoque memoratos Decanos, pro facienda præparatione, admonitos esse oportet.

Postremo, etsi ob hujus Diœceseos latitudinem Visitatores omnia in universum loca, invisere, & oculis subjicere non possint: & proinde visum sit, designari per omnes Decanias rurales, loca populosiora & magis insignia, ad quæ singularum Decaniarum Parochi, cum Presbyteris & Clericis, & laicis aliquot potioribus quarumque Ecclesiarum per Decanos evocentur; Nihilo secius tamen hoc non oportet esse perpetuum, sed erit ea res Visitatorum discretioni commissa, sic ut etiam ad loca non designata, vel ob populi multitudinem, vel ob aliam necessariam causam, quæ eorum præsentiam, & ocularem inspectionem requirat, pergatur, & necessitati ac saluti omnium consulatur.

Quo ordine Visitatores in singulis Ecclesiis & locis hoc munus administrare & peragere debeant.

PRincipio convocatis Clero & populo, imploranda erit (sine qua nihil possumus) Dei gratia, & devote celebrandum Missæ Sacrum de Spiritu Sancto: in quo suppliciter oretur Deus, ut qui per suum Spiritum, totum mundum ad agnitionem sui nominis convertit, & in unitatem fidei congregavit, per eundem etiam nos faciat eadem sapere, & suis mandatis corda nostra dedere

(*) Gal. 4.

dere & submittere; ut suæ Divinæ Visitationis fructum, per ministerium Ecclesiasticum experiri & accipere valeamus.

Inter Missæ Sacrum, ubi populus requirendus erit, fiat a decantato Symbolo sermo commonitorius ad adstantem Clerum & populum, qui attemperandus erit, pro diversitate locorum ad hominum captum, & rerum, illic Reformatione quam maxime egentium, conditionem, quam Visitatores statim ab adventu suo in oppidum aliquod vel vicum, vel a Decano, vel a Parocho, vel ab aliquibus aliis ejus loci Catholicissimis & veracissimis viris percipere retulerit.

Concio in eo versabitur, ut sicubi plebs in hæresim aliquam prolapsa fuerit; falsitas ejus per evidentissimas scripturas, & Catholicæ Ecclesiæ determinationes, quibus nullus vel communi sensu præditus refragari queat, quam fieri potest, breviter ostendatur. Nec subticenda hac in parte erit Cæsaris declaratio. Erunt coarguenda scelera, crimina, & peccata, quibus plebs ejus loci quam maxime servit. Addendæ ardentes exhortationes; ut qui aberrarint, & seducti fuerint, in viam redeant: ut qui ceciderirint, resurgant: ut suscepta & digne peracta pœnitentia correcti, in sinceritate fidei, & doctrina Ecclesiæ Christi, & observatione Præceptorum Dei permaneant & perseverent: ut singuli suæ vocationi serviant, suis quique officiis & muneribus fideliter perfungantur: ut Potestatibus superioribus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus obedientiam, honorem, & cætera, quæ debent, ultro præstent: ut unanimitati & concordiæ studeant; denique ut uno spiritu atque ore Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, sincera fide, & puris affectibus concelebrent & colant, quo regni ejus participes efficiantur.

A peracta Concione, publica oratione suppliciter invocandus, & rogandus est Deus: quam qui concionatus est, verbis germanicis, ut plebs eum suis verbis subsequi, & idem cum eo diserte petere a Deo possit, recenseat in hanc sententiam:

Omnipotens, sempiterne Deus, qui etsi corda nosti omnium, ad exemplum tamen, quod nos sequamur, descendere, ac videre voluisti, an populus sceleratus, clamorem, qui ad te pervenerat, opere complevisset. Qui tuum Filium unigenitum in terras ad requirendum, & servandum, quod perierat, misisti: Et per eundem omnes, qui gregis pascendi curam susceperunt, ut idem sedulo agerent, cum verbo, tum opere, admoneri fecisti. Te suppliciter exoramus, ut nobis indignis famulis tuis, gratiam Divini luminis tui, pro tua ineffabili pietate clementer infundas, labia aperias, linguam dirigas, omnesque actus, & cunctas operationes nostras, tua virtute instruas & confirmes; ut hoc Visitationis opus omni ex parte, Spiritu tuo cooperante, & Beata Maria Genitrice Filii tui, ac omnibus Sanctis tuis intercedentibus, ad hæresum & vitiorum eradicationem, ad Catholicæ Fidei, & sanæ doctrinæ robur, & exaltationem, virtutum & bonorum morum insitionem, & charitatis augmentum: denique ad Ecclesiæ tuæ repurgationem, instaurationem, conservationem & tranquillitatem, & ad tui solius Nominis laudem & gloriam sempiternam peragere possimus: Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde facta, ut moris est, supplicatione pro omnibus, qui in sublimitate Ecclesiastica, & sæculari constituti sunt, & pro omnibus hominibus, tam vivis, quam defunctis, & recitata confessione publica, secundum formam in Ecclesia Catholica usitatam, & pronunciata prece: *Misereatur vestri Omnipotens Deus* &c. *Absolutionem & remissionem* &c. peragatur ulterius Missæ Sacrificium.

In Collegiatis Ecclesiis, Monasteriis, & aliis piis domibus, ubi Ecclesiastici tantum sunt inquirendi, Missa poterit celebrari, non interrupta concione, & a Missa in domo Capitulari sermo ad congregationem haberi.

His præmissis, ad Inquisitionem generalem, juxta formulas, quæ pro diversa ratione & conditione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum piorum locorum & personarum, conscriptæ sunt, descen-

descendatur. Non quod oporteat in singulis locis, a singulis personis inquirendis, omnia & singula eo ordine & serie, ut conscripta sunt, perscrutari: sed examinatio singulorum fiet secundum Visitatorum prudentiam & discretionem, & personarum & locorum qualitatem, &, ut plus, vel minus ab institutis suis degenerarunt.

Post Inquisitionem generalem, Visitatores manifestos hæreticos, vel schismaticos, & publice peccantes, publice: occulte vero peccantes, occulte arguent: ac resipiscentibus, & ad pœnitentiæ remedia confugientibus, pro qualitate delicti, vel publicam, vel privatam pœnitentiam injungent, aliaque facient, quæ Diploma eorum, seu commissio eis data complectitur.

Quod si de quorundam (qui criminosi deferuntur) vitio, seu crimine dubitetur: Videndum, an tales de crimine, cujus insimulantur, publice diffamati sint, & num ab uno, vel pluribus, num a malevolis & maledicis, an potius providis & honestis, non semel tantum, sed sæpe, sic ut jam clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari. Tum debebunt Visitatores ad specialem Inquisitionem contra ejusmodi diffamatas personas descendere, formare inquisitionis articulos, vocare coram se inquisitioni subdendum, proponere ei, de quibus delatus est, criminum capita, & præbere ei facultatem, se defendendi.

Poteruntque Visitatores ad inquisitum (ut tangatur cor ejus verbo Dei) pro dicenda veritate in hanc sententiam præfari: Deus omniscius (qui est scrutator cordium & renum, ac ante cujus oculos omnia aperta ac nuda sunt) ut nos a præcipitandæ sententiæ prolatione compesceret, non ante voluit contra Gomorrhæos sententiam damnationis proferre, quam cognosceret de his, quæ publicitus per illos consceleratè committebantur. Unde ait: *Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, compleverint opere.* (*) Quod & Christus in parabola de villico confirmat. Is enim licet esset diffamatus apud Dominum, quasi dissipasset bona illius; tamen non est inauditus damnatus: sed accersito eo Dominus dixit: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* (**) Hæc Dei & Christi monita insequentes, licet pleraque a pluribus fide dignis & idoneis personis de te mala referantur: quæ etsi urgente conscientia, & officii commissi necessitate, non poterimus, nec debebimus dissimulare: ea tamen vera esse, cum nobis hactenus liquide comprobatum non sit, & proinde ad te condemnandum nos nondum permoverint, adversus te Canonice duximus inquirendum.

Jam si quis facta inquisitione in negando persistens, postea testibus idoneis de admisso convictus fuerit, & resipiscere velit; accipiat pœnitentiam pro sui delicti modo: sin tantum publica mala fama laboret; ad purgationem adigendus est, secundum Canonicas Sanctiones.

In refractarios & inobedientes, censura Ecclesiastica distringenda est, secundum commissionis & juris communis formam.

Et districte injungendum omnibus, ne cum ejecto ex Ecclesia, donec resipuerit, ullo modo communicent, memores ejus, quod Sanctus Paulus de incestuoso illo vitando suis Corinthiis, (***) & Beatissimus Apostolus Joannes in sua Canonica secunda, de seductoribus cavendis scribunt & præcipiunt.

Post expletam Visitationem, Scheda Visitationis, quæ Decreta & Instituta complectatur, secundum quæ post hæc eo in loco doctrina, vita & mores exigenda erunt, singulis ordinibus relinquatur: & postremo confectis omnibus, Clerus simul & populus Episcopali Benedictione dimittatur, Visitatoribus ad proxima loca porro profecturis.

Visitatores sibi dictum putent illud, primæ Thessalonicens. quinto: *Rogamus autem vos, Fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.*

Visitandi vero illud ibidem:

Rogamus autem vos, Fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos; ut habeatis illos

(*) Gen. 19. (**) Lucæ 16. (***) 1. Cor. 5.

illos abundantius in charitate, propter opus illorum: & pacem habete cum eis.

SEQUUNTUR NUNC INQUISITIONES, PRO ECCLESIARUM ET LOCORUM DIVERSITATE ADHIBENDÆ.

Quæ in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis inquiri debeant.

INitio, an Capitulo competat jus eligendi suos Prælatos.

Si sic; quo ordine, forma, modo, & quibus affectibus ad electionem procedatur.

An hoc solum spectetur, ut digni atque idonei eligantur: tales videlicet, qui exemplo præcedant, & functioni suæ gnaviter incumbant, & ad quorum comparationem cæteri grex merito dicantur.

An Præpositus, Decanus, & Capitulum, & singulares personæ habeant Ecclesias Parochiales, quæ ad præsentationem, institutionem, provisionem, seu collationem eorum, seu cujusvis ex eis, spectent & pertineant.

Quales provehant, & provehere posthac velint ad tales Ecclesias: an solos eos, qui sciant & velint populum docere verbum Dei pro captu eorum, & Sacramenta Ecclesiastica ritu Catholico administrare, & facere omnia, quæcunque Reformatio Cæsaris, & Decreta Provincialis Concilii, a Parochis & Rectoribus Parochialium Ecclesiarum requirunt.

Quales sint; qui in præsentiarum talibus Ecclesiis præsunt: an sint legitime instituti: cum beneficium Ecclesiasticum sine Canonica institutione obtineri non possit: nec is Ecclesiastica Sacramenta administrare queat, cui manus rite imposita non est.

An ejusmodi Ecclesiarum Curatoribus sit de sufficienti portione provisum, qua se honeste sustentare possint; ut non sit opus, eos se se servilibus officiis mancipare.

Ut Visitatores sibi faciant exhiberi titulos istorum Parochorum, seu Curatorum, si de alicujus Canonica institutione merito dubitetur.

An Canonici, qui habent Præbendas, sibi ex indulto Apostolico, cum onere legendi, collatas, suo muneri, juxta Bullarum Apostolicarum tenorem, satisfaciant.

An Capitula velint ad istos Canonicatus & Præbendas, quæ universitatis vocantur, cum vacaverint, in futurum eos solos provehere, & admittere, qui velint, & possint earundem Præbendarum onera, ipsis vigore Bullarum Apostolicarum imposita, subire.

Inquirendum, an omnes & singuli in Ecclesia beneficiati, & quicunque officia gerunt, qualiacunque ea sint, functioni suæ gnaviter incumbant. Et an quisque, quo designatus est loco, ministret in Divinis, & aliis Collegii rebus.

An Præpositi, ad quos præstito juramento pertinet, res, bona, privilegia, status, & jura Ecclesiarum potenter, & patenter defendere (cujus causa præ cæteris ampliores redditus Ecclesiarum percipiunt) hoc munere probe, fideliter & diligenter fungantur: & num ex negligentia eorum (nihil aliud, quam sua lucra quærentium) Ecclesia, seu Collegium damnum accipiat.

An Præpositi, seu alii Prælati, qui habent Archidiaconatus, seu Archipresbyteratus suis dignitatibus annexos, regiunculæ sui Archidiaconatus, seu Archipresbyteratus (in qua in partem sollicitudinis Episcopalis vocati sunt) Parochis, seu Curatoribus Ecclesiarum, ne in officio negligentes sint, superintendant.

An Synodis Episcopalibus intersint, illicque referant & exponant suæ portiunculæ statum, ac una cum Patribus consulant, ac decernant Synodalia Decreta & sententias.

An placita Episcopi Parochis, curæ suæ commissis, publicent & exequantur, eaque omnia præstent in suo territorio, quæ in Diœcesi Episcopus, cujus sunt oculi, (exceptis tantum his, quæ Episcopalis proprie muneris sunt) Et an sollicite invigilent, ut si quid adversus fidem, pietatemque Christianam emergat,

gat, Episcopo idipsum (ad quem cura prima pertinet) significent.

An territorii, seu regiunculæ suæ, Ecclesias singulis quibusque annis visitent & inquirant, vitia corrigant, & pro publicis criminibus pœnitentias publicas injungant: &, si quæ graviora sunt, quæ per ipsos emendari nequeant, ad Episcopum & Synodum Episcopalem referant, publico judicio submittenda: eo quod eorum visitationes parvæ quædam & particulares Synodi habeantur, majori subjectæ, & secundum ejus judicium dirigendæ.

Num designatos ad Beneficia, maxime curam animarum habentia, sive per præsentationem, sive per electionem, vel simpliciter provectos per collationem factam pleno jure, prius investiant, vel ad Ecclesiæ munera subeunda admittant, quam exploratum illis sit diligenti examinatione, eos esse idoneos, & vocationi suæ pro viribus se satisfacturos polliceantur.

Num conjugatis, indoctis, levibus, vitiosis & inutilibus vices suas committant: nihil nisi quæstum avarum ex officiorum, seu munerum suorum locatione facientes, malentes homines de æterna salute periclitari, quam se lucro turpi ac temporali non ditari.

Num jurisdictionem suam & munera ulli Commissario, seu Collectori, licet Ecclesiastico, plus offerenti, pro pecunia, aut pro certo annuo censu, committant, vel vendant.

Num Episcopi, & eorum Officiales, ad quos pertinet vitiorum correctio, relinquant peccata ob pecunias & munera impunita: non perpendentes, pudendum esse crimen, crimina non coercere: nec quicquam esse, quod Prælatos coram Deo magis accuset, quam hujus rei neglectus.

An præterita delicta, impositione salutaris pœnitentiæ, pro delicti gravitate injuncta, castigent.

An ubi ejuscemodi castigatione non proficitur, & ubi hoc delicti gravitas requirit, censuris, & pœnis Canonicis, nempe suspensionis, excommunicationis, & similibus, criminosos coerceant.

Num pœnitentiæ loco pecuniam emungant, nisi ubi permittunt jura & Canones: & num tum hanc mulctam in usum aliquem pium, secundum Canonum præscriptum convertant.

An Decanus pro virili satisfaciat officio suo, videlicet exemplo præcedendo, & verbo sæpe monendo omnes & singulos Canonicos & Clericos, & familiam eorum; ut quisque suæ vocationi gnaviter incumbat, & vitam ducat appellatione sua dignam: ut in vitæ honestate, in religioso habitu, tonsura, & disciplina: in lectione & studio sacræ Scripturæ se contineat, psalmodias, preces, officia Divina & cæremonias, statis horis digna Majestate persolvat.

An in inobedientes, ebriosos, luxui indulgentes, aleatores, percussores, rixosos, scortatores, ignavos, mercaturam & usuram exercentes, & officium negligentes, secundum censuram sanctorum Canonum & Cæsaream Reformationem, animadvertat.

An Decanus apud suam Ecclesiam personaliter resideat, & officio suo strenue persungatur, & excessus levissimorum quorumque Canonicorum, & Vicariorum insolentiam, aliorumque subditorum vitia, quoties opus est, castiget. Num absque rationabili vel necessaria causa absit.

An cum ex rationabili causa abest, alicui Capitulari, qui suscepti officii rationem reddere possit, quemque inferiores revereantur, vices suas committat.

Deinde, an qui Subdecani, & Chorepiscopi, seu Cantores vocantur, suis officiis rite fungantur: Et an Subdecanus in vitia & negligentias Vicariorum diligenter animadvertat.

An Scholastici advigilent, ut juniores Canonici per idoneos, probos & Catholicos pædagogos, in his, quæ ad pietatem pertinent, erudiantur.

An caveant Scholastici, ubi ad eos jus emancipandi spectat, ne aliquem emancipent, nisi, qui ut emancipetur: hoc est, ut e manu pædagogorum suorum liberatus, Ecclesiæ servitiis addicatur, idoneus sit.

Item

Item an ſcholam trivialem Eccleſiæ adhærentem, per eruditum, probum, & Catholicum Ludimagiſtrum procurent & adminiſtrent, qui pueros cum bonis literis & moribus, tum pietate Catholica imbuat.

Cætera, quæ ad examinationem Ludimagiſtrorum pertinent, in articulo generali infra ſubduntur.

An Cuſtodes, qui nunc Theſaurarii: item an Camerarii, Magiſtri Fabricæ, Cellarii, Præſentiarii, & alii Adminiſtratores, ſuis quique officiis, ſecundum Eccleſiarum Statuta, Reformationem Cæſaris, & Decreta Concilii Provincialis ſatisfaciant.

Et præſertim, an Cuſtodes, qui munus Oſtiariorum in Eccleſia gerunt, diligentem curam adhibeant, ne ad ſacra admittantur excommunicati, interdicti, publice criminoſi, aliique indigni.

Et an mercimonia & prophanas deambulationes in Eccleſiis, ſub Divinis, & quicquid in Eccleſiis committere turpe & ſceleratum eſt, & quod Divini officii celebrationem dehoneſtat, fieri pro virili prohibeant.

An qui rationem & calculum reddere tenentur, intra tempus debitum, & ſtatutum illum reddant.

An uni perſonæ plura, quam unum officium, committantur.

An ſint in Collegio pluribus beneficiis, & præſertim curatis, onuſti.

An habentes Curata beneficia, fructus accipiant abſentes: tametſi aliquod utilius ſervitium Eccleſiæ Dei interim non impendant. Quod ſi ſe per diſpenſationem excuſent, jubeantur Viſitatoribus eam exhibere: quæ ſi appareat ſufficiens, curent Viſitatores, ut Beneficia debitis obſequiis non fraudentur: Sin autem, provideat Epiſcopus, juxta C. Ordinarii, de officio Ordinarii. in VI.

An Divinus cultus in Eccleſiaſticis horis, devote, decenter, ordinate, ultro, prompte, reverenter & cum gravitate, non ſtipis cauſa tantum, ſed ad Dei laudem & populi ædificationem, perſolvatur.

An publicorum Divinorum officiorum, quæ ad omnes Eccleſiæ perſonas pertinet, perſolutio, ulla confabulatione interrumpatur.

An etiam juniores Canonici, atque adeo omnes alii, qui in Eccleſiis Collegiatis de Beneficiis, quæ poſſident, gaudere volunt, Divinum officium, ad quod præſtandum tenentur, viciſſim Pſalmorum verſus attente modulando, ut ſe decet, impleant, & an Horas Canonicas rite perſolvant. Suntque omnes & ſinguli ad exhibendum ſua Breviaria Viſitatoribus, monendi.

An fiant diſtributionum quotidianarum participes, qui Divinis officiis integris non interſunt: exceptis his, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut Eccleſiæ rerum procuratio, vel evidens utilitas excuſat.

An omnes perſonæ Eccleſiæ ad Divina officia, præſertim ad Matutinas, ſummam Miſſam, & Veſperas concurrant, & ab initio uſque in finem in eiſdem perſeverent, uti Canones expoſcunt.

An in Miſſa præſentes, ad omnia, quæ aguntur, diligenter attendant, & attendendo vota ſua, miniſterium publicum agenti, per omnia accommodent & conjungant: quo eorum omnium participes per Dei gratiam efficiantur, quæ ipſorum nomine ſacrificans agit & precatur.

An ad communes orationes Eccleſiæ, quæ Collectæ vocantur, ſtent omnes, ut Apoſtolus jubet, aperto capite: idem, quod Sacerdos, qui tum officio Sacerdotali fungitur, orat, ſi non oris ſpiritu, ſaltem mente precantes: Et præſertim, an a Præfatione uſque ad completam communionem, ſtent omnes ſupplices & inclinati: ut ſe verbis Canonis accommodent, in quo Sacerdos ad Deum loquens, ait, omnes aſtare ſupplices, & ſupplices rogare & petere &c.

An uſque in finem, donec Benedictio Sacerdotalis data fuerit, in officio Miſſæ perſeverent: cum alioqui dici non poſſint vere interfuiſſe Miſſæ, ſi abeant antequam completis omnibus, miſſio, ſeu abeundi copia fiat, his verbis: Ite, Miſſa eſt.

An ſummæ Miſſæ debita ratio habeatur: ſic, ut Miſſæ ſpeciales, ante ſum-

mæ, ſeu ſolennis Miſſæ Evangelium, aut ad ſummum ante Actionem finiantur, ſeu a facta communione inchoentur, ut omnes publico Sacro ſint attenti, nec ſub eo in diverſa Sacra diſtrahantur.

An Epiſtola, & Symbolum, & Præfatio, & Oratio Dominica ſine decurtatione, tota, clare, diſtincte & intelligibiliter cantentur: niſi quem vox deficiat.

An in Miſſis ſpecialibus, lectiones & orationes ſacræ, clare ac diſerte (excepto ſacro Canone, qui ſubmiſſa voce, ut ſemper in Eccleſia factum, recitari debet) pronuncientur, ut poſſint a circumſtantibus exaudiri & intelligi.

An celebraturi ſatagant, ne, niſi aliquibus ſaltem præſentibus, ſacrificium offerant.

An imaguncula crucifixi Domini, Pacificatoris omnium, quæ ſunt in cœlo & in terra, ab ore Sacerdotis ad omnes adſtantes deferatur, ordine ab omnibus, in Chriſtianæ concordiæ & pacis ſymbolum, & ſpiritualis communionis ſignum, inoſculanda.

Num organa quid ſæculare reſonent, ſeu aliud, quam cantum Eccleſiaſticum: Et, ſileantne ab elevatione Euchariſtiæ, uſque ad Agnus Dei: quo interea ab omnibus, ſub alto ſilentio, devota Dominicæ Paſſionis & Redemptionis noſtræ memoria recolatur.

An in deportatione Venerabilis Sacramenti, quicquid ad veram devotionem excitandam parum valet, removeatur.

An unius Sancti plures, quam una, imagines ad excitandam Sancti beatam & utilem memoriam, in ejusmodi proceſſionibus circumferantur: præſertim indignæ Sanctis. Veluti ad ſæculum magis, quam ad Sanctorum repræſentationem effigiatæ ac comptæ.

An in Proceſſionibus, Stationibus, & ſupplicationibus publicis, omnes, qui interſunt, Clerici, devote orent, & cum gravitate, religioſe & ſuppliciter cantando, incedant, & finita ſupplicatione eo, unde proceſſerunt, revertantur: Non curioſe interim circumſpectantes, nec vacantes prophanis colloquiis, nec ad jentacula, ſeu potationes delabentes, vel alio deambulantes.

An omnes de Collegio ad memorata publica officia omnia ſimul peragenda & perſolvenda conveniant. An quilibet conſtitutus inter pſallentes & precantes, in Choro pro ſuo arbitratu oret, vel quod ſibi placet, privatim agat, non attentus ad hæc, quæ interea publice agi debent.

An pronunciantes Lectiones in Matutinis, ſimplici, clara, & ad omne pronunciationis genus accommodata voce utantur: non omnino humili, nec nimis ſublimi: non fracta, non tenera, non agreſti, non frendenti ſeu ſtridenti, ſed mediocri & gravi, & ab omnibus intelligibili.

An inter legendum ab omnibus ſilentium teneatur, ſic, ut quoad fieri poteſt, interea nulla obſtrepat excreatio, non vox alia erumpat, vel ſonus aliquis gravior, inceſſu, progreſſu, vel ullo alio modo cieatur, quo impediantur aſtantes ab intentione percipiendi verbi Dei, quod legitur.

An Pſalmi, & reliqua Divina cantica, pronuntientur, ſeu canantur tractim, ut mens ſenſum verborum, priusquam verba ipſa transmittantur, aſſequatur.

An Decani, omnes tam Canonicos, quam Vicarios, aliasque perſonas, ſedulo ac diligenter admoneant ad ſacrarum Scripturarum ſtudium: ut, quod recitant vel canunt in Eccleſiis, intelligant: & non ſolis labiis, ſed in cordibus ſuis Deo pſallant, gratias agentes, & orantes ſemper pro omnibus Deum Patrem, per Chriſtum Dominum noſtrum.

An Vigiliæ Defunctorum a prandio dicantur, ſic, ut ad horam circiter ſecundam inchoentur, & ante preces Veſpertinas compleantur: quo perſonis Eccleſiarum magis vacet, vel audire mane aliquem ſacras literas profitentem, vel ſacris ſtudiis, ſermoni audiendo, incumbere.

An Decani advigilent, ut ſecundum Canonem: Omnis utriusque ſexus, de pœnit. & remiſſ. omnes perſonæ Eccleſiæ, ad minimum ſemel in anno, ipſis, ſeu de ipſorum permiſſione, Eccleſiæ Parocho, ſeu alii Catholico & idoneo Sacerdoti, peccata ſua confiteantur, & ſecundum Eccleſiæ ritum communicent: & an in negligentes vel detrectantes (ut Canon ille jubet) animadvertant.

An

An extrema Unctio, infirmo Ecclesiæ membro, id petenti, præsenti tota congregatione, secundum Apostoli mandatum impendatur, sic ut omnes cum Sacerdote inungente infirmum, Psalmos, Litanias, & Orationes nobis ab Ecclesia Catholica traditas, uti hæc in agenda continentur, devote & fixis in terram genibus, super infirmum dicantur: ut satisfiat verbis Apostoli: Si quis infirmatur in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum &c. (*)

Num Capitulares Conventus & Tractatus honeste & mature fiant: Et num sint inter tractandum dissidia & contentiones inter fratres. Num Prælati omnium suffragia seu vota, ut vocant, non gravate audiant. Num favore aut odio, aut alio depravato affectu privatorum res magis, quam publicæ gerantur. Et an expectetur ante conclusionem omnium sententia. Et num ullus contemnatur, quantumvis causa Ecclesiæ utilitatem respiciat.

An Capitulares Conventus & Tractatus ab omnibus habeantur tempore, quo solenne Missæ Sacrum peragitur.

An suis quibusque temporibus Capitula, quæ disciplinæ vocantur, rite & canonice, & quo decet, serio & maturitate celebrentur.

An in ejusmodi Capitulis Decani suo, & Diaconi quoque (quorum est Decano accusante, accusationemque prosequente, disciplinales sententias proferre) suo officio rite fungantur.

An Vicarii nomini suo respondeant, videlicet an sint Canonicis in persolvendis horis, & aliis Divinis officiis adjumento. An onera specialia, ad quæ vel ex fundatione suarum Vicariarum, vel ex laudabili antiqua consuetudine, aut Ecclesiarum Statutis obligantur, devote, religiose & diligenter persolvant.

Et hi monendi sunt, ut fundationes suarum Vicariarum Visitatoribus exhibeant, aut se se in forma juris, quod eas exhibere non possint, expurgent.

An unus, idemque Vicarius, pluribus Ecclesiis Collegiatis simul serviat, & in unaquaque nihilominus Ecclesia non modo fructus grossos, sed & distributiones quotidianas percipiat: quamvis impossibile sit, quod simul omnibus officium suum præstare possit: nisi tamen talis singulari prærogativa, eo quod singulariter Ecclesiæ Dei commodet, gaudeat.

An Vicariis absentibus aliquid præstetur, præsertim absentibus sine justa causa, non proviso prius diligenter, quod officia eorum rite in Ecclesia per alios idoneos, qui interim sua officia non negligant, præstentur.

Num Canonici, Vicarii, Capellani, & Chorisocii, tempore Divinorum, aliis psallentibus, ipsi extra Chorum spatientur, vel intra Chorum desideant, confabulentur, aut aliud quid agant in Ecclesia in populi scandalum.

An vasa sacra, & quæ vocantur corporalia, vel pallæ altaris, per alios, quam per Sacerdotes, vel Diaconos, adjuvantibus Subdiaconis, abluantur, & attrectentur.

An qui Campanarii vocantur, sua officia in lineis, ut vocant, seu superpelliceis exhibeant, non nutrientes comam vel barbam.

An saltem sint Clerici, eo quod pleraque obeant in Ecclesia, quæ vetus Ecclesia nullis, nisi in minoribus Ordinibus constitutis, agere permisit. An sacra vasa, sacras vestes, Reliquias Sanctorum, & reliqua ornamenta Ecclesiarum, ipsorum fidei commissa, diligenter custodiant, &, ut munda sint, procurent: & reliqua, quæ ad ipsorum officium pertinent, diligenter exequantur.

An sint Deum timentes, religiose pii, honestæ vitæ, & omnis infamiæ expertes.

Denique quod ad vitam & conversationem in Ecclesiis ejusmodi ministrantium attinet, inquirendum.

An omnes vitam suo statu ac ordine dignam ducant. Num comam nutriant vel barbam, an potius tonsuram, & habitum deferant Clericalem: habitum, inquam, honestum, non limbis, nec scissuris comptum, sed talarem.

Num incedant gladiis accincti terribiles.

Num gaudeant longo accubitu, & studeant epotandis poculis ad æquales haustus.

Num adhuc inter eos sint, qui concubinas ita publice apud se detinent, quod nulla tergiversatione crimen eorum celari possit.

(*) Jacob. 5.

Qui, si reperiantur, declarentur per Visitatores, Canonica monitione in Statutis Provincialibus præmissa, pœnam suspensionis ab officio & beneficio incurrisse, & abarceantur a ministerio.

Postremo omnium, an templa habeantur & præstentur sarta tecta, & cum altaribus munda serventur.

An semel saltem in anno visitentur & inspiciantur domus claustrales. Et cortes, ut vocant, Ecclesiæ, curaque adhibeatur; ne inhabitatorum & cultorum negligentia ruinæ succumbant & intereant.

An Jura Ecclesiarum diligenter in Archivo Ecclesiæ sub clausura conserventur.

An qui Executores testamentorum deputantur, eadem si ab Ecclesiasticis condita sint, curent per Commissarium Reverendissimi D. N. inspici & approbari. Et an intra tempus constitutum calculum & rationem gesti officii, reddant.

An sint, qui testamenta quæcunque dolo malo supprimant, & quæ Ecclesiis, vel pauperibus, seu in alias pias causas legata sunt, sibi retineant, vel alio, quam destinaverit testator, convertant.

QUÆ A DECANIS, TAM COLLEGIALIBUS, QUAM RURALIBUS,

De Rectoribus Parochialium Ecclesiarum sub suis Decaniis, sive in oppidis, sive villis, aut pagis commorantibus: Similiter ab ipsis Rectoribus de vita, conversatione, doctrina, & ministerio suorum Confratrum, & Ecclesiarum præsenti statu, inquiri debeant.

AN Decani Christianitatum suis Christianitatibus diligenter superintendant.

An Synodis Episcopalibus intersint, illicque referant & exponant suæ Decaniæ statum, & Decreta Synodalia publicent, & exequantur. Et an solicite invigilent, ut, si quid adversus fidem, pietatemque emergat, Reverendissimo Domino nostro Archi-Episcopo, & Archi-Diacono suo significent.

An Decani, & qui sub eis sunt, Curati omnium Ecclesiarum hoc sinceriter credant, profiteantur, & semper retinere velint, quod Romana, Catholica, & Apostolica tenet Ecclesia, præsertim in articulis hac tempestate controversis.

An sciant omnes, & velint populum non coacte, sed spontanee docere: & an Verbum Dei singuli pro populi captu prædicent: & an orthodoxam doctrinam tradant: & an ædificent, vel corrumpant gregem.

An sint inter eos lupi, qui gregem invadant, & per novas & peregrinas doctrinas, seu per dulces sermones corrumpant, atque a veritate abducant oves, pro quibus mortuus est Christus: & num deliteat in aliqua Parochia hæreticus, aut schismaticus ullus: Num hæresis aliqua, vel nova dogmata occultis conventiculis disseminentur. Et an sint, qui curiosius de fide disputent, & simplicibus injiciant scrupulos.

An sint aliqui in Parochias, manu sæculari, sine Canonica institutione, seu ordinatione, intrusi.

Et an aliqui, quibus est pleno jure provisum, se intromittant de Ecclesiis sine prævio examine Episcopali, vel Archidiaconali.

An ignotos, aut vagos Sacerdotes, & exititios, seu fugitivos: aut effrenes, & extra obedientiam constitutos Monachos, absque Prælatorum suorum testimoniis, seu formatis, admittant. Seu, quod pejus est, an suspectos de fide, aut flagitiosos Sacerdotes, aut Monachos, per quos populus eis creditus, seduci aut corrumpi facilius, quam doceri potest, ministeriis adhibeant.

An ipsi Curati instruant & doceant populum de his, quæ ad Fidem & Religionem nostram pertinent; ut norint, quid credere, & quo modo conversari, ac vivere in sua quisque vocatione debeat.

An sint inter eos segnes, aut cœci speculatores, & velut canes muti, non valentes latrare, qui non audeant populo annunciare peccata eorum, & incorrigibiles deferre ad eorum Superiores.

An rudes & parvulos suæ Parochiæ certis temporibus instruant & doceant Symbolum, Precationem Dominicam,

Salutationem Angelicam, seu Decalogi Præcepta, aut saltem habeant aliquem idoneum Catholicum virum, per quem hoc præstent.

An Evangelium & Sacras Scripturas sinceriter tractent & doceant, juxta Homilias, sensum, & interpretationem Sanctorum, & orthodoxorum Patrum.

An aliquid prophanum, incertum, fabulosum, suspectum, vel inconstans, vel quicquam quod non tota probat Ecclesia, & a Majoribus acceptum non est, adferant. An quæstiones difficiles & perplexas moveant, contendant, vel rixentur in suggestis: & num ea adducant, quæ ad populi ædificationem nihil faciunt.

An in suggestis calumnientur, seu scommata & dicteria in quosvis jaciant, & incompositis moribus gesticulentur, plebem concitantes in Clerum, vel Magistratum.

An simul doceant misericordiam & justitiam Dei: ut pœnitentes ad bene sperandum inflamment, & malos a peccatis deterreant. Non blandientes & decipientes populum perversum, dicentes: Pax, Pax; & non est pax. Et proinde, an Decalogi Præcepta populo frequenter inculcent, atque explicent.

An confirment populum in Catholicæ fidei doctrina: & an sic edoceant plebem, ut suppullulantes zizanias sciant evitare. Item, an populum admoneant, ut diebus Dominicis & Festis ad Divina, quæ in Ecclesiis celebrantur, conveniant, Concionem sub silentio, & attente audiant, & memoriæ commendent, nec strepitu, vel deambulatione perturbent: &, ut audita, secum domum perferant, & liberos, & familiam instruant ad pietatem: nempe Deum timere, & salutem suam ei commendare: memoria retinere, & frequenter recitare Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi, & quicquid ad virtutem, bonosque mores pertinet: obedire suis Superioribus, solvere decimas, & alia debita tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus.

An Sacramenta secundum ritum Ecclesiæ Catholicæ, & secundum Agendam Ecclesiasticam, adhibitis omnibus Ecclesiasticis cæremoniis & piis ritibus, in Ecclesia Catholica hactenùs observari consuetis, administrent.

An instruant populum de Sacramentis, & eorum gratia, & mysteriis; ut eis secundum Ecclesiæ traditionem, ad salutem suam religiose utatur: præsertim, ut Missæ officio libenter intersit, & votis Ecclesiæ vota sua conjungat: quodque una cum Sacerdote mortem Christi DEO Patri pro peccatis suis offerat, & frequenti confessione se expurget: ut se sæpius corde mundo & avido ad excipiendum salutarem Corporis Christi cibum paret: ut diebus festis tantum sanctis incùmbat operibus.

An doceant populum in Sacramentorum administratione, frequenter etiam in Concionibus, quando locus incidit, quid in Sacramenti cujusque collatione agatur: quis sit ejus fructus: quid velint signa externa, & quomodo Dei virtus præsens invisibiliter eis adsit: quomodo etiam digne vel indigne percipiantur.

An circa administrationem Baptismi, & alias in Concionibus de suggesto doceant populum, cur aqua Baptismalis benedicatur & consecretur: cur baptizandus abrenunciet Diabolo per susceptores: cur exorcizetur & exuffletur contraria potestas: cur signum Crucis baptizando toties imprimatur: cur sal benedictum detur, & aures ei aperiantur: cur in pectore, & in scapulis, & in vertice capitis inungatur: cur induatur veste candida: cur præferatur ei cereus ardens ad altare, & cur illic accipiat de ablutione, seu vino benedicto.

An animadvertant, quod Susceptores, sive Patrini, sint provectæ ætatis, in Fide Catholica bene instructi, ad interrogata cum intellectu & serio respondentes, & tales, qui parvulos, ubi adoleverint, in fide orthodoxa, si necesse fuerit, instruere possint.

An etiam baptizent parvulos ante prandium, & Missam diei, cui susceptores cum puero & amicis interesse deberent, & pro parvulo offerre secundum veteris Ecclesiæ ritum.

An sit aliquis inter Curàtores Ecclesiarum, qui ausus fuerit Canonem Missæ omittere, vel mutare: & an ab omnibus religiose pronuncietur.

An etiam singulis diebus Dominicis & Festis, Evangelium diei sub, vel intra Missam, lingua vernacula populo de suggesto exponant.

An etiam caveant, ne Concionis tempore ulla Missa celebretur, qua populus ab auscultatione Verbi distrahatur.

An curent Symbolum totum cani, Præfationem itidem, & Orationem Dominicam.

Similiter an curent, ut imaguncula crucifixi Domini, Pacificatoris omnium, ab ore Sacerdotis, pacem populo imprecantis, ad adstantes deferatur, inosculanda ab omnibus, in concordiæ & pacis symbolum.

An doceant populum de Missæ mysteriis, atque etiam moneant, ut ad finem usque, donec Benedictionem Sacerdotalem acceperint, perseveret, spiritualiter saltem cum Sacerdote communicando, cum desiderio fructus Sacramenti, & unionis cum Christo.

An doceant criminibus ligatos, priusquam absolvantur, & veræ emendationis propositum sumant, ab horum mysteriorum perceptione abstinere.

An palam criminosos, & qui peccati certissimam occasionem dimittere nolunt, a communione abarceant.

An lectiones sacras & orationes, excepto Canone in Missa, clare pronuncient, ut possint a circumstantibus, qui latine intelligunt, audiri & intelligi.

An Eucharistiam in loco honorato servent cum perpetuo lumine.

An quando ad infirmos Eucharistiam deferunt, faciant præferri lumen & campanellam, ad dandum fidelibus signum.

An doceant plebem orare pro defunctis, ut a peccatis solvantur.

An curent etiam, quando in solemnibus Festivitatibus circumferenda est Hostia illa salutaris; quod tum omnes ludi prophani, & quicquid non valet ad veram devotionem excitandam, removeatur: imprimis, quod non pulsentur tympana, absint risus, joci, confabulationes: populus autem oret. Et quod unius tantum Sancti, non plures, quam una imago circumferatur: Nec vagando per agros discurrant, præsertim Rogationum tempore.

An sint aliqui ex Curatis, qui sustineant in suis Parochiis aliquem, qui non in anno saltem semel peccata sua confiteatur, & Venerabile Sacramentum Eucharistiæ, secundum C. *Omnis utriusque sexus. De Pœnitentiis & remission.* sumat. Et si quis talis fuerit repertus, an etiam talem ab ingressu Ecclesiæ abarceant, & Ecclesiastica sepultura privent.

An etiam sint circumspecti in audiendis Confessionibus, ut qui norint distinguere lepram a non lepra: & ita de peccatis inquirere, ne scandalizent pusillos: & an satisfactiones injungant medicinales: an arguant publica peccata publice, & occulte delinquentes in privata Confessione.

An excommunicatos secundum Canones sacros vitent, & ab omnibus vitari faciant, & eos a nemine recipi in consortium vel familiaritatem procurent.

An sciant, quomodo instantibus quatuor temporibus, trina proclamatione denunciare debeant populo Clericos ejusdem Parochiæ, qui velint ad sacros Ordines promoveri, ad percipienda impedimenta, si quæ sint.

An Sacramentum Unctionis extremæ cum Orationibus & Litaniis, juxta Agendam Ecclesiæ, ægrotis impertiant: & an sint ex eorum Parochianis, qui illud Sacramentum contemnant: & an sciant, infirmos ex scripturis consolari, & a curis sæcularibus ad spem salutis æternæ erigere.

An habeant redeuntes ab ægroto adhortatiunculam ad comitantem multitudinem, qua infirmitatis humanæ, &, ut pro laborante in extremis studeant ferventius orare, admoneantur.

An doceant Matrimonio conjungi affectantes, qua religione & fide in Christo conjungi debeant. Et an tolerent clandestina Matrimonia: Et an doceant copulandos, quod non jungantur, nisi de parentum & amicorum consilio.

An præmittant proclamationes, ad minimum tres, tribus diebus Festis, per intervallum sibi succedentibus.

An norint, quæ sint impedimenta, quæ

quæ prohibent contrahendum, & quæ dirimunt jam contractum matrimonium.

Et an sciant numerare quatuor gradus consanguinitatis, quatuor itidem gradus affinitatis: intra quos prohibitio conjunctionis conjugalis concluditur.

Et an sciant, quo se porrigat impedimentum cognationis spiritualis.

An etiam clandestine contrahentibus, tantisper Sacramenta negentur, donec ab excommunicatione absolvantur, atque ita in facie Ecclesiæ Sacramenti solemnia celebrent.

An etiam diligenter attendant ad incolas & advenas, de quibus est suspicio, quod in facie Ecclesiæ non sint conjuncti; ut tales solemnes ritus in Ecclesia celebrent: aut alibi id fecisse se, idoneis testibus probent.

An etiam, quantum in eis est, admonendo curent, ut quando ad Ecclesiam Matrimonialis conjunctionis gratia convenitur, & quando, qui junguntur, benedictioni Sacerdotali se submittunt, ut tum absit omnes levitas & jocus sæcularis, utque tum magis cogitent jungendi, quale sit vinculum, quo colligantur, & quod Deus eos conjungat.

An sint inter eos, qui alibi, quam in Ecclesia, publice post Missam auditam, seu alio tempore, quam a jure permisso, & non interdicto, conjungendos Matrimonio copulent.

An sint in eorum Parochiis, qui exequias, aut justa pro parentibus, liberis, cognatis, & amicis persolvere recusent: non aliter, quam si cum corporibus simul & animæ extinguerentur.

An doceant viros in Ecclcha orare nudato, fœminas velato capite.

An doceant populum, in omnibus terroribus & periculis inclamare nomen Christi, & signare se signo Sanctæ Crucis, qua Diabolus devictus est.

An doceant populum, cur aqua & sal, palmæ & herbæ, & fructus novi benedicantur: & cur populus aspergatur aqua benedicta, & sumat sal exorcizatum.

Item, cur accendantur in Ecclesia Cerei, Thus adoleatur, processiones agantur, Ecclesia, Altaria, Calices, Vestes Sacerdotales, Campanæ, aliaque Ecclesiæ vasa consecrentur: An doceant populum, ne cæremonias in superstitionem vertant, sed illis religiose utantur.

An vitam ducant sua appellatione dignam, videlicet talem, ut eorum comparatione cæteri merito grex dicantur. An verbo moneant, & præcedant exemplo, castigando corpus suum, & in servitutem redigendo, secundum Apostoli doctrinam; ne ubi aliis prædicaverint salubriter, eosque ad pietatem adduxerint, ipsi servi sint ventris & peccati, & reprobi efficiantur. (*)

An Horas suas Canonicas, ad quas majoribus ordinum gradibus initiati obligantur, rite persolvant: & an in lectione & studio sacræ Scripturæ se contineant: & quibus libris & Authoribus præter Biblia utantur, & qualia Biblia habeant.

An in habitu & tonsura Clericali incedant. An servent decorem in habitu & incessu. An habitus eorum sit honestus, non scissuris, vel limbis comptus.

An superior vestis sit talaris. An gladiis vadant accincti.

An omnes irreprehensibiles sint, & bonum testimonium habeant ab his, quibus ministrant. An sit inter eos impudicus, incontinens, immodestus, contentiosus, iracundus, percussor, vinolentus, ebriosus, aut turpis lucri cupidus.

An vacent comessationibus & ebrietatibus, & studio compotandi, præsertim in exequiis, calendis, & anniversariis.

An sit adhuc aliquis inter eos, qui concubinæ adhæreat, aut personæ de incontinentia suspectæ: & qualis sit reliqua illorum familia.

An sint aliqui Rectores Ecclesiarum, qui in propriis personis non resideant, & quales illæ habeant Vicecuratos: & an tales Vicecurati sint per Archidiaconum examinati & admissi. Et an tales Vicecurati habeant competentiam, & taliter constitutam, ut non cogantur servilibus & sordidis negotiis se dedere.

An sint aliqui ex Curatis, vel Vicecuratis, usurarii, negociatores, vel caupones, aut sortilegiis, divinationibus, aut venationibus indulgentes.

(*) 1. Cor. 9.

An sint in Parochiis Oratoria constituta.

Et qui sint, qui jus Patronatus, seu præsentandi personas idoneas ad hujusmodi Oratoria, seu alia Ecclesiastica beneficia habent.

An eo jure secundum fundationes ejusmodi beneficiorum legitime utantur. Et num sint, qui hujusmdi beneficia, quod in eis est, supprimant vel extinguant.

An eorum redditus, ac res & bona illorum occupent, vel distrahant.

An in eorum Parochiis aliqua sint hospitalia pauperum constituta. Et an Magistri hospitalium bene præsint, & rationem singulis annis reddant. Ut infra latius in forma de Hospitalibus.

An in eorum Parochiis jejunia, abstinentia a carnibus, Dies Festi, præsertim in proxima Synodo publicati & declarati, Processiones Dominicales, & ritus Ecclesiastici rite observentur.

An sub eorum Parochiis vigeant superstitiones, maleficia, blasphemiæ, sacrilegia, publica perjuria, adulteria, stupra, incestus, odia, insidiæ, rebelliones, usura, & contemptus Ecclesiasticæ jurisdictionis.

An prædia, census, & jura Ecclesiarum conserventur. An Campanarii, seu Custodes Ecclesiarum sibi concredita rite administrent, ac custodiant.

An eosdem etiam admoneant, ut depositis barbis, in Ecclesia in superpelliceis ministrent.

An populus oblationes Altaris, saltem in quatuor Festis principalibus, ad Altare Domini deferant, aliaque jura Parochialia, secundum morem, ab Ecclesia Catholica olim receptum, præstent.

An Provisores Parochialium Ecclesiarum præsumant, pro suo arbitratu de rebus Ecclesiarum ordinare, vel disponere, absque consensu sui Plebani. Et num illi rationem bis in anno reddere recusent.

An sint apud illos Monachi, seu Moniales apostatæ, qui falsis conjugibus adhæreant, vel qui habitum religionis abjecerint.

An sint, qui contemnendo authoritatem Ecclesiæ, rumpendo vinculum pacis, contra mentem Cæsareæ Majestatis (quæ sub Catholicis Principibus nullam novationem veteris Religionis permittendam esse mandavit) sub utraque specie, more schismatico, petentes communicent.

An caveant, ut Sacerdotes, ab hæreticis revertentes, non statim se Ministeriis ingerant; priusquam sint absoluti, Ecclesiæ reconciliati, & contra irregularitatem incursam restituti.

An sint apud illos apostatæ Monachi, qui sub prætextu dispensationum Apostolicarum, vota, religionisque suæ instituta, deseruerunt, contendentes, se intrudere ministeriis, antequam dispensationes eorum sint rite examinatæ & admissæ, juxta Decreta Provincialia.

An populus in eorum Parochiis præstet se eis morigerum. An sint in populo, qui habeant libros contagiosos, aut qui cum Deo, Sanctis, & Sacris jocentur.

An e suggestis publicent, libros a Lutheranis, hæreticis, in Decretis Provincialibus (sub rubrica: *QUI libri Parochis & Concionatoribus sint vitandi, & fugiendi*) nominatis, eorumque similibus editos, tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis tanquam pestem esse vitandos.

An admoneant suas communitates rusticas, ut a circumambulatione Cœmeteriorum, sub Concione & Divinis abstineant, sub pœna denegandæ absolutionis & communionis.

An pateant œnopolia & tabernæ diebus Festis ante Sacrum, in Ecclesia peractum.

Et an tales transgressores deferant ad Magistratum.

An sæcularis Magistratus jurisdictionem & libertatem, immunitatemque Ecclesiasticam impediant seu perturbent.

Et an Judices sæculares de Beneficialibus, Matrimonialibus, Decimarum, & aliis causis Spiritualibus, seu de correctione Ecclesiasticarum Personarum, se intromittant.

An in eorum Parochiis admittantur Ludi-Magistri, ad instituendam juventutem, quorum fides, mores, & institutio non sint explorata.

An

An doceantur in Scholis trivialibus Grammaticæ, Dialecticæ, Rhetoricæ institutiones, seu quicumque alii libri, ex officina Lutheri, Melanthonis, Hegendorphini, Spangenbergii, & similium Lutheranorum profecti. Ut infra latius de Scholis.

An Vicarii, Officiantes, Altaristæ, & alii Ministri faciant & exequantur officia, & onera suarum Vicariarum, Altarium, Officiorum & Fraternitatum in suis Ecclesiis.

An omnes & singuli pauperum suæ Parochiæ curam habeant, quibus etiam libenter de eo, quod ipsis superest, suppeditent victum necessarium.

Quæ supra in calce inquirendorum in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, de Testamentis, & eorum Executoribus posita sunt, hic quoque inquiri debent.

INQUIRENDA DE SCHOLIS.

QUum secundum Reformationem Cæsareæ Majestatis, non modo ubi Collegia sunt, sed & in singulis oppidis, debeant esse Scholæ, quæ sunt Seminaria non tantum Prælatorum & Ministrorum Ecclesiæ, sed & eorum, qui Reipublicæ gubernaculis admoventur; Inprimis apud Collegia inquiri debet, an præter Pædagogium habeatur in Collegio Theologus, qui certis horis doceat juniores Canonicos, Vicarios, & alia Collegii membra.

An quisque Collegio ascriptus, ad lectionem suæ professioni & instituto congruentem, compareat.

An huic Theologo docenti sint assignati proventus unius Præbendæ. Deinde apud singula, non Collegia modo, sed & oppida, inquirendum est de Pædagogio, seu Schola triviali, in qua juventuti tam rudimenta bonarum litterarum, quam institutio ad pietatem Catholicam tradatur.

Et quot sint huic Scholæ didascali Præpositi, & in quot classes sit distributa.

Et quomodo sit principali Ludi-Magistro de suo victu vel salario provisum.

An Ludi-Magistri & Pædagogi, qui docent juventutem, honesti, probi, & incorruptæ vitæ sint, & de Religione Christiana & Catholica bene sentientes, ac docti; a quibus tam pietatis Christianæ prima principia, quam rudimenta litterarum, incontaminata adhuc, & quorumlibet studiorum capax pueritia, sine metu corruptionis secure hauriat.

Num aliquis horum didascalorum a communibus Ecclesiæ Catholicæ doctrinis, decretis, traditionibus, cæremoniis, ritibus, seu moribus, quocumque modo dissentiat.

Unde sint oriundi: Et si aliunde venerint, vel asciti fuerint, inquirendum: ubinam gentium, & apud quos sint instituti, & quibus usi sint Præceptoribus: & ex quibus Authoribus tum litterarum, tum religionis rudimenta didicerint, & perceperint.

Num sint inter eos, qui deturbati a Cathedris, quas furore schismatico invaserunt, nunc irrepserint in Pædagogia, ut venena sua, si non, ut ante, a Cathedra toti populo, saltem teneræ juventuti instillent.

Num libri obscœni, suspecti, aut contagiosi, seu qui juxta Decreta Provincialia, per Decanum Facultatis artium, Academiæ Coloniensis, admissi non sint, quibus teneræ juventuti virus impuræ doctrinæ, religionisque, & pietatis odium instilletur, in Scholis ejusmodi trivialibus tradantur.

Et quia forsan grave erit Ludi Magistris, qui in oppidis procul a civitate Coloniensi sitis, commorantur, eo se subinde recipere, pro libris, quos prælegent, a Decano Facultatis artium examinandis, & admittendis; Idcirco Visitatores delegabunt hoc muneris passim, pro conditione regiuncularum, & scholarum nostræ Diœceseos, alicui præstantis eruditionis Prælato, aut alii spectatæ probitatis, docto & orthodoxo viro, sive monasticæ, sive Ecclesiasticæ professionis.

Num ejusmodi libri legantur in triviis, qui ad seducendam in pravas opiniones juventutem, aliud agentem & quærentem, scripti videntur: quales sunt quorundam Grammaticæ, Dialecticæ, & Rhetoricæ institutiones, Melanch-

lanchthonis, Spangenbergii, & similium Lutheranorum: in quibus exempla fere e pravis adversariorum dogmatis petuntur, quorum traditione juventus incauta hæresum & sectarum dogmata simul cum artibus imbibit.

Quales item sunt quædam familiarium colloquiorum formulæ, in odium Ecclesiastici instituti, & cæremoniarum Ecclesiasticarum contemptum, compositæ atque effictæ. A quo vitio quædam etiam ex colloquiis Erasmi prorsus aliena non sunt, ob id a Parisiensibus notata.

Quærendum, qua ratione docendi Didascali utantur. Num illa præpostera, qua quidlibet ad eruditionis suæ ostentationem quibuslibet promittunt; Et tamen nihil tradant solidum, absolutum, atque perfectum.

An potius tradantur nonnisi Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, & quæ hujus generis sunt triviales artes, casti Poetæ, Rhetores, & Historici. Dominicis vero, & Festis, ac pridianis diebus, puriorum Hymnorum & prosarum, quæ & Sequentiæ appellantur.

Item Evangeliorum & Epistolarum, Psalmorum, Parabolarum Salomonis, & ejusmodi sacrorum librorum, Catholica & literalis expositio, secundum intellectum Sanctorum Patrum, ab Ecclesia Catholica receptorum, non Lutheranorum, seu aliorum sectariorum.

Visitatores non erunt contenti aliorum de Ludi-Magistris testimonio, sed & illos coram se vocabunt, & diligenter examinabunt.

Præterea omnes ipsorum libros inspicient, & Catholicos ab hæreticis, nothos a Germanis secernent.

LIBRI QUI SEQUUNTUR, In universum omnibus, tam Parochis, Concionatoribus, Clericis Ludi-Magistris, quam Laicis interdicti.

QUotquot venerunt ex Officina Lutheri, Philippi Melanchthonis, Pomerani, Buceri, Calvini, Corvini, Capitonis, Brentii, Zuinglii, Oecolampadii, Pellicani, Bullingeri, Francisci Lamperti, Musculi, Hedionis, Sarcerii, Christophori Hegendorphini, Osiandri, Spangenbergii, Hermanni Bonni, Sebastiani Franck, & similis farinæ hominum, Lutheranismo, seu sectæ alicui adhærentium, aut a Catholica Ecclesia, quacumque ratione dissidentium.

Cui Censuræ & Germanicæ Psalmorum cantiones, quæ plerumque ab interpretibus perfide, ac contrà Sacræ Scripturæ sensum, traductæ sunt, submittuntur.

Omnes quoque Bibliothecæ, & Bibliopolia, & Officinæ Typographicæ invisenda erunt, & libri omnes diligenter inspiciendi & examinandi: & qui ab hæreticis editi sunt, & a Cæsare, vel Concilio Provinciali notati, confiscandi, comburendi, & penitus abolendi.

Et dandus erit Bibliopolis Catalogus librorum interdictorum, ut suæ indemnitati deinceps consulere possint.

Et injungendum eis, ne post hac ullos libros divendant, nisi prius secundum Decreta Provincialis Concilii inspectos & admissos.

Quando vero superius designati libri, & præsertim, qui Postillæ vocantur, profectæ ex Lutheranorum, seu aliorum hæreticorum officinis, non sine interminatione gravium pœnarum, Parochis in primis sint interdicti: & proinde, qui inter eos rudiores sunt & simpliciores, addubitare forsan possint, quibus ergo eis tuto uti liceat, donec Postilla aliqua publica authoritàte edatur, quæ expositionem Lectionum, quæ Epistola & Evangelium diei vocantur, secundum id, quod singulis Dominicis, aliisque solemnibus diebus, per anni circulum Catholica Ecclesia suis fidelibus tradere intendit, pulchro ordine digestum complectatur: indicatis videlicet, & concinna serie dispositis locis communibus, in quibus ambæ illæ Lectiones mutuo respondent, ac conveniunt; Ea de re haud supervacaneum, vel inutile fore videtur, ipsis indicare, ut vel sequentes libros sibi comparent, quo inde Catholicum, & bene sanum tractandarum Lectionum sensum, quem ipsi per se, sine com-

commentariorum ſubſidio, aſſequi non poſſunt, hauriant, ac populo proponant.

EX VETERIBUS COMPARANDI.

Chryſoſtomus in Matthæum & Joannem. Idem in Epiſtolas Paulinas omnes.

Theophylactus totus, Chryſoſtomi Abbreviator.

Auguſtinus in Joannem.

Sermones Auguſtini de tempore, & de Sanctis: modo ſigillatim ex decimo Tomo Operum ejus excerpti & impreſſi haberi poterunt.

Beda in novum Teſtamentum: hoc eſt, in Marcum, Lucam, Joannem: Epiſtolas Paulinas & Catholicas, & ipſam Apocalypſim: qui propterea tanto libentius legendus eſt, quod ſuos commentarios fere ex optimo & Catholiciſſimo interprete ſcripturarum, Auguſtino, concinnavit.

Homiliarius Doctorum Albini, ſeu Alcuini.

Catena aurea Divi Thomæ Aquinatis, & ejusdem in Divum Paulum Commentarii.

EX RECENTIORIBUS.

Poſtilla Lansbergii, quæ ſimpliciſſima eſt.

Sermones Clichtouei, cum Elucidatorio ejus in Hymnos & Proſas Eccleſiaſticas.

Poſtilla Joannis Eccii.
Poſtilla Hoffmeiſteri.
Poſtilla Roy Minoritæ.
Poſtilla F. Henrici Helmes, Germipolitani.
Commentarium Titelmanni in Pſalterium.

Nec quisquam Parochus carere quoque deberet Damaſceno.

QUÆ SINT IN HIS SCHOLIS TRADENDA.

Qui primis Rudimentis in triviis imbuuntur, primum diſcant Alphabetum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Benedictionem menſæ, & gratiarum actionem cum confeſſione, quæ fieri ad altare conſuevit. Donatum, & Murmellii de declinationibus & conjugationibus Nucleum, ejusdemque conſtructionum regulas. Deinde poterint eis tradi grammaticæ Inſtitutiones Aldi Manutii, vel Perotti, vel Murmellii, Hermanni Torrentini, Joannis Deſpauterii, aut Joannis Brechtani, atque etiam Syntaxis Erasmi: Cato, Fabulæ Æſopi, Sedulius, Prudentius, Juvencus, Baptiſta Mantuanus, e quibus pietatem cum litteris hauriant.

Feſtis vero diebus, exponantur Evangelia & Epiſtolæ Dominicæ, & incidentium Feſtorum, grammatice tantum. Hymni quoque, & Proſæ, tempori ſervientes, vel Pſalmi, aut Parabolæ Salomonis, aut ejuscemodi aliquid e ſacris litteris, quod juventuti conveniat.

In Dialecticis tradi conveniet, Prodidagmata Jacobi Fontani, Dialectica Trapezuntii, Cæſarii, Titelmanni, aut Joachimi Perionii, & Rodolphi Agricolæ inventiones.

In Rhetoricis vero & ſtyli conſequendi gratia: Virgilium, Horatium, Ovidium, præterquam de arte amandi, & Epiſtolas Heroidum: Commentaria quoque Cæſaris, Titum Livium, Suetonium, Valerium Maximum, Inſtitutiones oratorias Quintiliani, Compendium Trapezuntii ſuper Ciceronis Rhetorica: ipſa quoque Rhetorica, Officia, de Amicitia, Senectute, Paradoxa, Tuſculanas Quæſtiones, Epiſtolas, & quicquid Scriptorum Ciceronis extat.

IN GRÆCIS LITERIS.

Clenardus, Syntaxis Varennii, Theodorus Gaza, Conſtantinus Laſcaris, Fabulæ Æſopi, Sententiæ Menandri, Batrachomyomachia, Lucianus, Iſocrates, Xenophon, Orationes Demoſthenis, Homerus, Ariſtophanes, Heſiodus, Plutarchus.

FORMULA INQUIRENDI IN MONASTERIIS MONACHORUM.

IN primis fiat Inquiſitio de Regula Ordinis, an hæc Fratribus ſingulis menſibus,

ſibus, ad minimum ſemel, prælegatur: & an probe ab omnibus intellecta, memoriæ commendetur, ac teneatur.

An ſancta obedientia vigeat: & an vivatur in monaſtica paupertate, & ſancta continentia.

An quisquam quid proprii ſibi vendicet, qualecumque etiam hoc ſit: aut habeat privatum peculium.

An Deus diu, noctuque, horis ſtatutis Pſalmodiis & Laudibus colatur, piisque precibus pro communi ſalute, & Eccleſiæ proſperitate, pulſetur. Et an ſacra Miſſarum ſolennia, tam pro vivis, quam defunctis, ad Regulæ & antiqui moris præſcriptum, & ſecundum fundationes ejusmodi Divinorum officiorum celebrentur.

An pax inter fratres, inter laicos identidem, qui converſi vocantur vel devoti, totamque Monaſterii familiam efflorear.

Num clanculum mutuo invideant.

Num contentionibus, rixis, & diſſidiis conflictentur.

An humilitatem inſinuent, mutuum ament, & patientes ſint, invicem libenter condonantes, ſi quis adverſus alium habeat querelam.

An rerum cœleſtium meditationi, & aliis ſtudiis piis & honeſtis, ſedulam dent operam.

An habeant Monachi quotidie lectionem aliquam Sacræ Scripturæ illuſtratricem, qua devotionem ſuam alant, ſeque ad cognoſcendam & implendam Dei voluntatem inflamment.

An habeant juſtam curam inſtruendæ Bibliothecæ: quæ & inſpicienda eſt.

An ſcripturas expoſitas diligenter tractent, & ſecum ruminent, quo ſe (quibus hoc muneris incumbit) ad prædicationem Verbi Divini, ejusmodi exercitatione tam pia, aptos efficiant.

An tempore, quod eis a celebratione Divinornm, & lectionibus reliquum eſt, ſemper pii & honeſti aliquid agant, quo diabolus eos nunquam otioſos, ſed ſemper reperiat occupatos.

An interdum in cubiculis aliqui compotent, ludant, aut luxui indulgeant, aut etiam ſæculares clam ad ſe invitent.

An rebus prophanis, ſeu mechanicis artibus, ſuam profeſſionem non decentibus, & a pietate avocantibus, incumbant.

An ſtatim a Completorio ſuum quisque petat cubiculum, & in ſilentio agat.

An juſto tempore claudatur & aperiatur Dormitorium.

An meſſium tempore ruſticorum & mulierum cœtibus ſe immiſceant.

An Monachis bonæ indolis, qui progreſſum aliquem in bonis literis, & ſacrarum Scripturarum cognitione fecerunt, & ſe ad aliud ſuæ Provinciæ Monaſterium, in quo ſchola celebrior, & profeſſio frequentior & accuratior habetur, mitti petunt; ut illic in ſacris literis ſimul, & religionis obſervantia magis ac magis inſtituantur ac proficiant, copia fiat, illo concedendi.

Quærendum de vita & converſatione Prælatorum.

An viſitatio proxima rite ſit obſervata.

An Prælatus, quæ ad obſervationem ordinis & religionis pertinent, diligenter perſequatur, & in exigenda regula, & ſtatutis ordinis, fervens conſpiciatur.

An eadem etiam ad Chriſtianam pietatem & æquitatem, pro ratione perſonarum, & aliarum circumſtantiarum moderetur: ut ſemper primas obtineat fraterna charitas, & magis ſpectetur in omni opere pietas, quæ ad omnia valet, quam exercitatio corporalis, quæ ad modicum utilis eſt, ut teſtatur Apoſtolus. (*)

An bonum exemplum fratribus, aliisque ſubditis ſuis præbeat in Religionis obſervantia.

Num ſæpe ex Monaſterio diſcedens, alio proficiſcatur, ſeu extra illud habitationem ſuam conſtituat, vel longam moram trahat.

An pacem, tranquillitatem, & concordiam inter omnes ſibi ſubjectos nutriat ac conſervet.

An fratres ad ſtudia ſacrarum literarum ſedulo invitet.

An

(*) 1. Tim. 4.

An menſa communis habeatur, & qualis ſit victus quotidianus.

An Prælatus convivetur communiter cum fratribus, menſa communi contentus: an privata magis oblectetur.

Num otioſos & vanos faciat ſumptus.

An familiam ſuperfluam, vel equos ad faſtum & pompam potius, quam ad neceſſitatem, Principum more, nutriat, magisque ſæcularem, quam religioſam ducat vitam.

An magis in humilitate vivat frugaliter, & quæ ultra neceſſitatem ſuperſunt, in pauperes, & educationem ſtudioſorum, quo poſſint Eccleſiæ olim uſui eſſe, expendat.

An honeſte cum laicis converſetur: & qualis ſit hoſpitum receptio.

An ſua negligentia fratres luxui & compotationibus ſtudeant.

An ad menſam Sacræ Scripturæ cum homiliis Patrum aptæ temporibus ſemper legantur.

An vitia fideliter & ſtrenue corrigat, citra perſonarum acceptionem, Canonicam & regularem exercens diſciplinam. Et an Capitula Diſciplinæ crebro, & ſecundum præſcriptum Regulæ, diligenter obſerventur.

Item diligenter quærendum de clauſura Monaſteriorum, & ingreſſu laicorum & mulierum.

An ſilentium juxta regulam teneatur.

An ſint inter eos, qui ſuos habeant privatos congreſſus, qui invicem conſpirent, & diſſidia excitent.

An mutua reverentia inter fratres colatur, & colloquia, dum colloqui licet, pia ſint & religioſa.

Quærendum quoque, an certus ſit in Monaſteriis numerus perſonarum, aut incertus.

An ſuppetat victus, & an res & bona ſuis monaſteriis dicata, poſſideant. An injuſtis gravaminibus laicorum divexentur.

An habeant Eccleſias Parochiales incorporatas.

Qualis ſit talibus Eccleſiis Curator Præfectus, cujus ætatis, vitæ, doctrinæ, conditionis.

An ſufficientem portionem ex Parochiæ fructibus, unde ſe honeſte alere poſſit, ei aſſignaverint; ut non ſit illi neceſſe, ſe ſordidis miniſteriis addicere, ſeu officium negligere.

An talis Curator ſit ſub obedientia Prælati, & an per viſitationem Prælati, vita & mores ejus interdum explorentur.

Quærendum de officiis: an, qui officiis præfecti ſunt, ut ſunt Priores, Suppriores, Præfecti Scholæ, Camerarii, Sacriſtæ, Cellarii, Procuratores, & id genus alii ſuis ſinguli officiis gnaviter & religioſe incumbant, juxta Regulæ Decreta.

Qui ſint illorum mores, quæ vita, quæ converſatio.

An officiis impoſitis ad licentiorem vitam vivendam, & ad luxum abutantur.

An ſint in miniſteriis fideles, æqui: non præfracti, ſed modeſti & manſueti, continentes & caſti.

Eſt quoque diligenter quærendum de habitu & conditionibus fratrum converſorum.

Deinde, an ſint ex Monaſterii ſodalitio aliqui facti deſertores ſui monaſtici inſtituti, & fugitivi apoſtatæ.

An ſint, qui habitum abjecerint, qui ſint vel hæreſi polluti, vel de ea ſuſpecti.

An ſint facti quidam exititii, qui ſe incœſtis nuptiis polluerunt, aut qui extra ſepta Monaſteriorum concubinis, vel fœminis de incontinentia ſuſpectis, cohabitent.

An ſint, qui extra obedientiam degentes, Divina tractent, & populo Sacramenta adminiſtrent.

An ſint, qui ſub prætextu diſpenſationum Apoſtolicarum, quæ ab Ordinariis, cauſa legitime cognita, non fuerint approbatæ, vota, religionisque ſuæ inſtituta deſeruerint.

Ubi tales refractarii, & votifragi foveantur, & receptentur.

An ſint, qui parvulos in Baptiſmo ſuſcipiant, aut nuptiarum conviviis interſint.

An Comœdiæ ludantur in Monaſterio, & quæ.

Apud Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, hoc interrogatorium adjiciendum eſt: an audiendis confeſſionibus ſe intromittant alii, quam præſentati.

Et illic quoque diligenter examinandi ſunt Lectores & Concionatores de doctrina: & inſpiciendi libri, quibus utuntur.

Cætera pro diverſa locorum, Ordinum, & Monaſteriorum conditione, & pro rerum & caſuum ſubinde accidentium qualitate, Viſitatorum diſcretio ſuppleat.

FORMULA INQUIRENDI IN MONASTERIIS SANCTIMONIALIUM.

DE eisdem fere, pro Viſitatorum tamen circumſpectione & prudentia, inquirendum eſt, de quibus in virorum Monaſteriis inquiri oportet: exceptis articulis, qui ſolos Monachos proprie reſpiciunt, quorum loco Viſitatores alia interrogatoria congrua perſonis iſtis ſubſtituent. Qualia ſunt: Quibus affectibus & qua forma ad electionem Abbatiſſarum, ac aliarum, quibus Monaſteriorum moderatio commiſſa eſt, procedatur.

An in eligendo ſervetur regula, ceſſetque omnis impreſſio & corruptio.

Quomodo ab his, quæ officiis præſunt, ea gerantur.

Et in primis poſt Inquiſitionem factam de Abbatiſſa, Prioriſſa, Supprioriſſa, Cellaria, Procuratrice, & reliquis, quæ in officiis ſunt, quærendum erit:

An ſit in Monaſterio Ludi Magiſtra, ſeu ſcholæ Præfecta, quæ latine norit.

Et an hæc diligenter & ſedulo inſtituat in Rudimentis Grammatices, virgunculas juniores, & an formet eas ad pietatem & religionem.

Et quænam rudimenta tradat, & quos libellos ad pietatem pertinentes, rudioribus virgunculis prælegat & exponat.

An etiam in Vigiliis dierum Feſtorum, & in ipſis diebus feſtis, exponat ſuis ſcholaſticis virginibus Hymnos, Sequentias, Epiſtolam, & Evangelium diei.

Et an ad literam ſaltem ſciat exponere Pſalterium.

Quibus libellis, vel ad ſuam inſtructionem, vel ad precandum virgines utantur: qui etiam ſunt inſpiciendi, ſimul cum libris, quibus utuntur in Officiis Divinis.

An habeant Concionatorem aliquem, virum gravem & Catholicum, a quo audiant Verbum Dei, diebus ſaltem feſtis.

Et an idem, vel alius, non minori gravitate, integritate, diſcretione & prudentia, ſit eis a confeſſionibus.

An is ex juſta cauſa petentibus permittat virginibus, etiam alii Catholico, pio, & diſcreto Sacerdoti Confeſſario confiteri.

An ſuis temporibus juxta regulæ præſcriptum communicent.

Item de obſervatione cultus Divini, ut ſupra de Monachis.

An habeant fidum, frugalem, & honeſtum Oeconomum, qui quater in anno, & quoties poſcitur, paratus ſit, reddere negotiorum ſuorum rationem.

Et an hactenus res Monaſterii meliores fecerit, ſeu ſaltem non deteriores.

Et tales viri Viſitatoribus ſiſtendi ſunt, examinandi de vita & doctrina.

Quærendum de Eccleſiis incorporatis, (ſi quas habeant) ut ſupra in formula inquirendorum Monachorum.

Num Sanctimoniales extra ſepta ſuorum Monaſteriorum, contra regulam ordinis ſui, ſe interdum proripiant; cum potius intra ea latere debeant, ac ſoli Deo, pudicitiæ amatori (cui ſe conſecrarunt) quemque repudiatis hujus ſæculi amatoribus præoptarunt, illibatas conſervare.

An pateant virorum conſpectibus, ſeu an permittatur viris, Monaſterium ingredi, excepta inevitabilis neceſſitatis cauſa.

An habeant ullæ picturas inhoneſtas, & nimis ſæculares in ſuis cubiculis.

An

An converſationem aliquam habeant ſuſpectam cum extraneis.

An permittatur eis, accipere Epiſtolas, vel dare extra Monâſterium, quas non prius legat Abbatiſſa, vel illa, cui regimen Conventus incumbit.

An permittatur illis, cum extraneis privata colloquia habere, & ſuis uti diverticulis.

Quibus artificiolis, quod ſupereſt temporis, a finitis Sacris, lectione, precibus, & contemplationibus Divinis, terant.

Num ſtudioſæ ſint artis, quæ citius feratur a ſæcularibus, quam ſpiritualibus, Deo dicatis virginibus, qualis eſt conſuendi acu picta ſudariola & induſia.

Breviter, num exercitationes amplectantur, quæ citius mentem Deo dicatam evertant, atque in mundum retrahant; quam Diabolum, per otium inſidiantem, propellant.

An ſint inter eas conſpirationes, ſeu ligæ quædam, ut vocant.

An ſint, quæ diſſidia, rixas, & contentiones excitent: iracundæ, invidæ, odii tenaces, contumelioſæ, ſeu maledicæ, obtrectantes, detrahentes, calumniatrices, mendaces, &c.

Interrogandum, ut ſupra de Monachis dictum eſt, de obedientia, de paupertate: an quid proprium poſſideant: & de cuſtodia continentiæ.

De menſa communi, & quis, ac qualis victus ſingulis quibusque temporibus præbeatur.

An propter victum, vel ſimiles ob cauſas, ſint inter eas murmurationes, & turbulentæ indignationum ſignificationes.

Indagandum; an alicubi Religionis ſuæ, bene & ſancte inſtitutæ, quam & profeſſæ ſunt, habitum depoſuerint, & veſtes ſæculares religionis tædio ſibi aptaverint, cum fidelium ſcandalo & ſtatus ſui ignominia: cum videantur religionem cum veſte poſuiſſe, ſicut impudica mulier cum veſte pudorem ponit.

Et tales ſub excommunicationis pœna monendæ ſunt, ut habitum depoſitum recipiant: nec aliæ videri velint, quam quales ſe profitentur: hoc eſt, ſponſas Deo dicatas.

An ſint, quæ ulla fatuâ ſuperſtitione teneantur: quæ illis eximenda eſt, inflammandæque ſunt ad verum Dei cultum, & vivam charitatem.

INQUIRENDA IN MONASTERIIS CANONISSARUM SÆCULARIUM.

CUm hæc Monaſteria fere conſtituta ſint inſtar Collegiatarum Eccleſiarum, proinde eorum pleraque, quæ illic inquiri oportet, hic quoque ſecundum conditionem perſonarum & locorum, ac ſecundum diſcretionem Viſitatorum indaganda erunt.

Præterea inquirendum fere de omnibus his, quæ inveſtiganda ſunt in Monaſteriis Sanctimonialium: exceptis his, quæ tria illa ſubſtantialia vota reſpiciunt. Speciatim tamen interrogentur de forma & modo eligendi Abbatiſſam, & reliquas, ad officia Eccleſiæ gerenda.

Et an ejusmodi electiones pure fiant, ſpectata tantum Eccleſiæ utilitate.

An per corruptionem, impreſſionem, vel alio illicito modo.

Quærendum de Eccleſiis incorporatis.

Num menſam habeant communem, vel ſuam quæque peculiarem.

An communi utantur Dormitorio, ne pudicitiæ inſidiatori Satanæ detur occaſio, ad incontinentiam tentandam.

Num nimis exquiſito & procaci habitu utantur, incedentes veſtibus, nimis comptis & excultis.

An in his Monaſteriis Filiæ nobilium diſcant non laſcivire, non ſuperbire, ſed Deum timere, & pietati ſtudere.

An piis exercitiis aſſueſcant, & non ſolum a malo, ſed ab omni ſpecie mala abſtineant, & non alicui malæ de ſe ſuſpicioni cauſam præbeant.

An permittatur viris, ſeu procacibus adoleſcentibus, in ipſam etiam noctem, quamdiu eis libet, cum virginibus commeſſari & confabulari.

Et an illis permittatur, intra Monaſterii ſepta dormire.

An Abbatiſſæ Collegiorum nobilium virginum, quas tanto magis oportet ſuis

Collegiis adeſſe, quanto virgines illæ majori cuſtodia ſunt dignæ, perpetuo apud ea reſideat.

An ejusmodi Abbatiſſæ diligenter proſpiciant, ne quid in ejusmodi Collegiis committatur, quod aliquam habet mali ſpeciem.

Et præſertim, an diligenter obſervent, ut omnes in Dormitorio communi nocte decumbant, & in habitu ipſas decente incedant, ac horas Canonicas rite perſolvant. Cæteraque, quæ probatæ earum Conſtitutiones, & Reformationis Cæſaris &c. formula exigit.

An ſint Abbatiſſæ, quæ plurium Collegiorum in ſe curam receperint, & tamen nulli eorum ſuum, quod debent, officium rite præſtent.

Qualis ſit illarum familia: Quo Capellano, & quibus miniſtris, & Officialibus, utantur.

An Præpoſitiſſæ, Decaniſſæ, & alia officia Eccleſiæ gerentes, officiis ſuis rite fungantur, & præſertim, an quibus aliqua adminiſtratio bonorum commiſſa eſt, frugales ſint & fideles.

Ante omnia diligenter quærendum, quænam ſit inter Canoniſſas, quæ virgines legere, canere, & quod legunt, & canunt, intelligere doceat. Et an illa ſuo munere ſedulo & diligenter fungatur.

Qualis ſit familia virginum: an verecunda, ſobria, pudica, breviter bonæ famæ & laborioſa.

An vero miniſtrent eis puellæ juvenculæ, laſcivæ, ad ſæculum comptæ, procaces, otioſæ, & famæ non ſatis integræ.

An in his Collegiis cura pauperum habeatur, ut quod reliquum eſt a levata menſa, inter pauperes diſtribuatur.

In his Monaſteriis, ubi vita agitur plus ſatis licentioſa, ut nullus unquam Pontifex hunc ſtatum ſeu vivendi conditionem voluerit approbare, (*) multa opus eſt ex verbo Dei inſtructione, admonitione, & exhortatione: quam oportet adhibere in ſpiritu lenitatis, nam hic minis parum promovebitur.

Quod ad inquirendos Canonicos, Vicarios, & alios miniſtros harum Eccleſiarum attinet, eadem omnino forma ſervabitur, quæ in Collegiis virorum.

DE QUIBUS IN HOSPITALIBUS,

Quæ Collegiis, Monaſteriis, & Parochialibus Eccleſiis adhærent, vel alias in Civitatibus, oppidis, vicis, in uſum pauperum & peregrinorum conſtituta ſunt, debeat Inquiſitio fieri.

NUm ejusmodi Hoſpitalia alicubi collapſa ſint, & jaceant neglecta, & nondum inſtaurata.

An redditus ad ea deſtinati, in ullum alium uſum converſi ſint, ſeu convertantur.

Et ſi quid deſideretur, quomodo rurſus ex ærario Monaſterii, Collegii, vel communitatis id ſarciri poſſit.

An alii in iſta Hoſpitalia recipiantur, quam viduæ, orphani, & qui vere ſunt pauperes, & ad victum quærendum ſibi non ſufficiunt: & potiſſimum ejus loci, ubi Hoſpitalia illa ſunt conſtituta; in quorum fraudem peregrinis patere non debent.

An Adminiſtratores horum Hoſpitalium ſint legitime inſtituti, & a quibus.

Num eorum incuria bona Hoſpitalis intereant, aut deteriora reddita ſint, aut reddantur.

An luxu & profuſione illorum, aut alias minus recte dilapidentur, diſtrahantur, ſubtrahanturve.

An ægrotis, quod ipſis ex inſtitutione Hoſpitalis debetur, fideliter præſtetur.

An Magiſter Hoſpitalis erga ægrotos ſe benignum & miſericordem exhibeat.

An pauperes iſti, & ægroti non tantum reficiantur & ſuſtententur pane corporali, ſed & pane verbi Dei, & Sacramentorum.

Quis illis præſit docendo, & Sacramenta miniſtrando. Et hic audiendus.

Apud Eccleſias Collegiatas & hoc ſpecialiter inquirendum eſt: Qui ſint ex Canonicis, vel Vicariis, qui res Hoſpitalium ejusmodi Eccleſiis adjacentium, procurent.

Et

(*) C. Indemnitatibus. §. Supradicta. de Elect. in 6.

Et generaliter quærendum, an Provisores, seu Magistri Hospitalium, ubivis sitorum, rationem præstent administrationis suæ, & cui eam præstent.

An præstetur in Collegiis Decano & Capitulo: & in Monasteriis Prælato & Conventui: & in oppidis Parocho & aliis a communitate delectis, ratio & calculus. Nam hi profecto pro debito officii sui, Deo debiti, tenentur superintendere, ne pauperibus quid desit.

Et quoties in anno hæc ratio præstetur. Quater enim in anno, secundum Cæsaris Reformationem, præstari debet.

INQUIRENDA IN DOMIBUS FRATRUM SANCTÆ MARIÆ TEUTONICORUM, JOANNITARUM, ET ANTONITARUM.

PRincipio in Domibus Fratrum Teutonicorum inquirendum de tribus, quæ ad votum omnis Religionis exiguntur.

Secundo, quomodo permittantur habere bona mobilia & immobilia.

In quibus domibus Hospitalia habeantur.

Qualiter in Hospitalibus infirmi recipiantur.

Qualiter infirmi procurentur.

Qualiter petitores Eleemosynarum mittantur.

Qualiter Divinum officium observetur.

Quoties in anno Fratres Corpus Christi sumant.

Qualiter pro vivis & mortuis orent.

Inquiratur de vestitu.

De rasura.

De refectione.

De Eleemosyna danda.

De jejunio.

De collatione.

De Dormitorio & Dormitione.

De Silentio.

De Litteris recipiendis & mittendis.

De clausuris.

De his, quæ ad militiam pertinent.

De venatione.

De infirmis Fratribus.

De senibus.

De convictu, & societate fratrum.

De convocandis fratribus ad consilium.

De itinerantibus.

De probatione ingredientium.

De receptione puerorum.

Quomodo militares ad servitia recipiantur.

Quomodo familiares recipiantur, charitate, vel solido.

De sollicitudine Magistri erga fratres.

De mutua commonitione & accusatione.

De Pœnitentiis fratrum.

Quærendum de Ecclesiis incorporatis.

Similia inquiri debent in Domibus Joannitarum, & Antonitarum: nisi, quod domus Antonitarum, non ad militiam pro defensione Christianitatis, sed specialiter ad refectionem & sustentationem morbidorum, ægrotorum, & pauperum sunt erectæ.

Quamobrem illic diligenter de procuratione pauperum investigandum erit: & an Præceptores cibum, victum, & escas morbidorum & pauperum, per luxum abliguriant.

Quærendum de Ecclesiis incorporatis.

In summa, in his & similibus domibus, uti in Monasteriis, Regula Ordinis, interrogandi & inquirendi materiam suppeditabit. Nam tum demum recte ejusmodi Congregationes Religiosæ reformabuntur; si omnis earum actio, officia, mores, & vita, ad Regulæ approbatæ, sub qua degunt, filum exigantur.

QUÆ DE LAICIS ET PLEBE FIERI DEBEAT INQUISITIO.

VIsitatores vocatis coram se quatuor, quinque, aut septem viris ex singulis Parochiis, maturioribus, honestioribus, atque veracioribus, unumquemque illorum infrascripto juramento debent obstringere.

FORMA JURAMENTI.

Quicquid nosti, aut audisti, aut posthæc intelliges, quod contra Dei voluntatem,

tem, & rectam Christianitatem in ista Parochia factum sit, aut fiet: si in diebus tuis evenerit, modo tamen ad tuam cognitionem quocumque modo pervenerit, seu perveniat: si scis, aut tibi indicatum fuerit, Synodalem causam esse, & ad ministerium Episcopi pertinere, quod hoc nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter propinquitatem, vel parentelam, quovis modo celabis nos, Archiepiscopi hujus Diœcesis Commissarios, quibus hæc inquirere ille jussit. Sic te Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Ubi singuli respondendo se sic obstrinxerunt, subjicient Visitatores admonitionem in hanc sententiam:

Videte, ut Domino reddatis juramenta vestra. Non enim homini jurastis, sed Deo Creatori vestro. Nos autem, qui ejus ministri sumus, non terrenam substantiam vestram concupiscimus; sed salutem animarum vestrarum requirimus. Cavete, ne aliquid abscondatis, & ex alterius peccato vestra fiat damnatio. Nam sicut Apostolus ait (*): Modicum fermenti totam massam corrumpit. Et: Auferte malum ex vobis ipsis.

SEQUUNTUR INQUIRENDA.

An in Parochia, aliquis est hæreticus, schismaticus, de fide, Religione, Traditionibus, Cæremoniis, ritibus & consuetudinibus Ecclesiæ, aliter sentiens, quam ipsa Catholica Ecclesia sentire jubet.

Et hæc inquisitio dilatanda est, & sic explicanda, ut intelligant, quid quæratur.

An aliquis sit in Parochia magus, aut ariolus, aut incantator, seu evocator, aut conjurator superstitiosus Dæmonum: aut Divinus, aut sortilegus, aut talium impiorum hominum judicia, vel consilia inquirens, ad inveniendas res deperditas & suffuratas: vel ad futura prænoscendum, quæ Deus posuit in sua potestate: aut ad aliud quicquam. Vel qui ulla superstitione irretitus sit, veluti, qui non ponit spem, & fiduciam suam in solo Deo, qui pro suo nutu & voluntate moderatur omnia, & cui oportet submittere & commendare omnem nostrum cogitatum, voluntatem, operationem, & quicquid acciderit prosperi vel adversi.

(*) 1. Cor. 5.

An sint viri, vel mulieres, qui non intellectis conjurationibus rerum utantur, vel maleficiis se aliquid efficere posse putent, seu cum dæmone commercium habeant.

An sint, qui scienter, & pro cupiditate terrena, pejeraverint. An, qui coacti, vel pro vita redimenda, vel metu Dominorum suorum, perjurium commiserint.

An sint, qui alios etiam ad perjurium induxerunt.

An sint blasphemi in Deum, in gloriosam Dei Genitricem Virginem MARIAM, in Sanctos Dei.

An sint, qui vota Deo præstita infregerint.

Qui fidem publicam violaverint.

Qui per Nomen Dei & Sanctorum maledixerint.

Qui ad omne verbum, Nomen Dei assumpserint, seu assumant in vanum.

An est aliquis vel aliqua, qui quodcunque opus inchoans, aliquid superstitiosum dixerit, nisi ut Apostolus docet: Omnia in nomine Domini facite. (**)

An est aliquis, qui juravit, quod Deo contrarium est: veluti, quod fratri nunquam reconcilietur: vel simile quid, quod est peccatum in Spiritum Sanctum, & ad mortem.

An sint, qui indigne ad Sacramenta accedant, præsertim ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum.

An sint, qui ab eo accepto, statim inebrientur, etiam usque ad vomitum.

An sint, qui septem Ecclesiæ Sacramenta, vel illorum aliquot contemnant. Qui ad confessionem saltem semel in anno non veniant, & corpori Domini, nisi ob publica peccata prohibeantur, non communicent.

An sint, qui Ecclesiæ cæremonias rident.

An sint, qui diebus Dominicis, vel in præcipuis Festivitatibus, quicquam operis mechanici faciant: qui non ad Concionem saltem, & ad Missam (si non ad Matutinas, & ad Vesperas, quod tamen facere oportuit) his diebus sine prætermissione occurrant, & in ejusmodi Divinis officiis ab initio usque in finem perseverent.

(**) Coloss. 3.

An

An ſint, qui Eccleſias intrantes, fabulis vacare conſueverint, non auſcultantes Divina eloquia, & antequam Miſſa finiatur, exeuntes.

An pecorum paſtores, nautæ, carrucarii, caupones, tabellarii, & ſimilis farinæ homines, ſint tam brutales, & obliti penitus Dei ſui, ut nullum inter feſtos vel profeſtos dies diſcrimen faciant, intenti tantum, ut ventrem ſiliquis impleant, contempto verbi Dei cibo illo cœleſti, ſine quo omnis anima fame perit.

An Feſta, quæ ex declaratione Synodi Diœceſanæ celebrari debent, celebrentur.

An Parochiani Presbytero ſuo debitum honorem impendant.

An illi, & Eccleſiæ ipſi, decimas, oblationes, & jura Parochialia, ex more veteris Eccleſiæ debita exolvant.

An eſt aliquis, qui Parochum verbo, vel facto injuſte inhonoret, aut fatiget, aut ejus ſalubria monita ſpernat.

An eſt aliquis, qui eo contempto, in aliam Parochiam eat, & ibi communicet.

An eſt aliquis, qui excommunicationem ſui Epiſcopi, vel Archidiaconi, & inſynodationem (ut vocant) ſui Paſtoris vilipendat.

An, qui publicam pœnitentiam pro manifeſtis criminibus vel accipere, vel adimplere contemptim detrectet.

An Suſceptores, qui Patrini vocantur, filiolis ſuis Symbolum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & decem Præcepta inſinuent.

An eſt, qui jejunium quadrageſimale, vel quatuor temporum, ſive Litaniæ majoris, vel Rogationum, ſive feriam ſextam, aut ſabbatum, ſive alia ſolemnia jejunia, in vigiliis feſtorum dierum, vel pro quacumque plaga ab Epiſcopis indicta, contemptim non obſervaverit.

An eſt aliquis, qui oblationes, eleemoſynas parentum, vel propinquorum defunctorum, injuſte retinuerit, ſeu retineat.

An eſt aliquis, qui patrem aut matrem inhonoraverit, aut percuſſerit, aut maledixerit, non ſuſcepta pœnitentia.

An eſt aliquis, in Eccleſia parricida, vel homicida voluntarius, vel involuntarius, qui hominem quocumque modo occiderit, pœnitentia publica pro tanto crimine non peracta.

An eſt, qui proprium ſervum occiderit.

Similiter an eſt aliquis, vel aliqua, qui infantes proprios oppreſſerunt, aut ſuffocaverunt, aut abjecerunt, & occultaverunt: aut mulier, quæ conceptum excuſſerit, & voluntarie abortiverit.

An ſint aliqui, in quorum conflictu homo perierit.

An ſint aliqui, qui conjurationes, conſpirationes, & ſeditiones ſectantur & excitant.

An eſt aliquis, qui Diabolo impellente ſe occidere tentaverit.

An eſt aliquis, qui proximum mutilaverit, detruncando illi membrum aliquod corporis: & cum eo reconciliatus non ſit.

An eſt aliquis, qui in conſilio fuerit, ut homo interficeretur.

An eſt aliquis conjugatus, qui cum alterius uxore adulterium perpetraverit, vel uxor cum alterius viro.

An eſt aliquis, qui legitimam uxorem dimiſerit, & alteri ſe conjunxerit, ſeu aliam in conjugium acceperit: & e diverſo.

An ſint conjuges, qui ſe ſine cauſa ſeparaverint, ſine Epiſcopi judicio.

An eſt aliqua mulier, quæ conſcio viro ſuo fornicata fuerit. An eſt aliquis uxore carens, qui cum alterius conjuge fornicatus fuerit: aut, ſi qua mulier, non habens virum, cum alterius marito.

An eſt aliquis, non habens uxorem, qui cum fœmina, quæ virum non habet, fornicatus fuerit.

An ſunt ſoluti, qui fornicatione ſe polluerint, aut polluant.

An eſt aliquis, qui alterius ſponſam rapuerit, & ſibi ſociaverit: ſeu etiam non deſponſatam viro abſtulerit, & ſociaverit ſibi. An eſt, qui deſponſatam puellam non duxerit, & fidem ſponſaliorum fregerit.

An eſt, qui Sanctimonialem, vel

viduam, Deo sacratam, rapuerit, & in conjugium sumpserit, vel cum eis fornicatus fuerit. An est aliquis, qui accusatus, vel insimulatus, vivente marito, de adulterata uxore, hanc statim defuncto marito duxerit in matrimonium.

An est aliquis, qui fornicatus fuerit cum commatre spirituali, vel cum consanguinea. Vel (quod abhorret animus dicere) contra naturam peccaverit.

An sit vir, vel mulier, qui lenocinium exerceant.

An sit, qui cum propriis ancillis adulteria & fornicationes committat.

An est aliquis, qui assiduam ebrietatem sectetur, Apostolo vetante, & dicente: Neque ebriosi Regnum Dei possidebunt.

An sit aliquis mimus in Parochia, vel qui carmina turpia, obscæna, vel hæretica cantillet.

An sit in Parochia fur aliquis, aut sacrilegus, qui Ecclesias Dei infregerit, vel aliquid de Ecclesia abstulerit, vel publice rapuerit, vel latenter surripuerit.

An est aliquis, qui injusta mensura suam annonam, aut vinum, vel cerevisiam vendat, cum Dominus dicat: Æquus sit tibi modius, & æquus sextarius. (*)

An est aliquis, qui merces, præsertim vina, mala & noxia commixtione corrumpat, cum multo hominum vitæ discrimine.

An est, qui usuram exerceat, qui a fœnore velit ditescere: qui lucrum ex commutata, vel concisa pecunia faciat.

An est aliquis, qui scienter contra aliquem falsum testimonium protulerit, & quantum ac quale damnum corporis, vel bonorum quis inde habuerit.

Inquirendum de mendicis, qui per Parochias discurrunt: & si quisque pauperem de familia sua pro suis facultatibus pascat.

Inquiratur quoque a laicis, an sint in Parochia, qui testamenta & ultimas morientium voluntates supprimant: vel qui Ecclesias, seu pauperes legatis defraudent: vel qui ejusmodi novissima hominum arbitria non fideliter exequuntur.

Percontandum de fraternitatum societatibus, quomodo in Parochia agantur.

Interrogandum, si in unaquaque plebe constituti sint per pagos viri veraces, & Dominum timentes, qui cæteros admoneant, ut ad Ecclesiam pergant, præsertim festis diebus, ad Matutinas, Missam, & ad Vesperam, & nihil servilis operis faciant, multo minus aliquid criminis, vel ethnicæ levitatis committant: qui & transgressores Presbytero annuntient, similemque denuntiationem faciant de omni opere manifesto.

Postremo interrogandi de Parocho, & aliis, qui in Ecclesia ministrant, an officium suum, ut debent, præstent.

An vitam ducant irreprehensibilem.

In summa, an verbo & exemplo præcedant.

INQUIRENDA AB HÆRESEOS INSIMULATIS.

An credat, jure Divino licitum esse, præstare juramentum.

An credat, jure Divino se obligari, per juramentum dicere veritatem super proponendis de fide.

An credat, hanc solam veram esse Ecclesiam Catholicam, in qua est unanimis & communis professio doctrinæ Evangelicæ & Apostolicæ, secundum intellectum & expositionem Sanctorum Patrum, & dijudicationem & determinationem Generalium Conciliorum, ab Ecclesia receptorum: & in qua est administratio Sacramentorum, secundum Catholicam traditionem, in Ecclesia occidentali hactenus pie & laudabiliter observata. Quæ & non in angulo aliquo orbis terrarum conclusa, sed in unitate doctrinæ & Sacramentorum communione, in vinculo pacis diffusa est, & propagata per totum terrarum orbem.

An credat, in hac Ecclesia Catholica nos, omnesque alios esse, qui in hac concordia, communione, & pace, sub alu-

(*) Levit. 19.

obedientia unius summi Pontificis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, vivimus.

Vel num putet e diverso, Ecclesiam esse Lutheranos, seu Buceranos, vel horum similes sectarios, qui Ecclesiam, quam nos ut Apostolicam & Catholicam agnoscimus, execrantur, atque adeo non Christi, sed Antichristi regnum vocare non verentur.

Num sentiat, justificationem hominis constare ea sola fide, qua quis credit, sibi non imputari peccata propter Christum. An potius nobiscum credat, justificationem esse Communicationem justitiæ Christi: non solam ejus imputationem, sed actualem regenerationem, & renovationem mentis per spiritum charitatis, quo demum per fidem accepto, ex injustis justi efficimur, & quæ justa & sancta sunt, operamur, peccatis Christi merito condonatis.

An credat, quod peccatum originale per justificationem, quæ fit in Baptismo virtute Sacramenti, non tantum tegatur, sed & tegendo auferatur & dissolvatur, ut verum sit dicere: Omni peccato caret jam baptizatus, & est mundus totus. Vel e diverso existimet, peccatum hoc realiter adhuc a Baptismo superesse, hoc est, concupiscentiam, quæ manet in renatis post Baptismum, non tantum fomitem esse peccati, sed revera peccatum, tale, tantumque, quod sua natura omnes pariter, tam infantes baptizatos, quam adultos damnaret (etiamsi nullus postea accedat consensus) nisi non imputaretur: pro qua etiam non imputatione, a Baptismo continue orandum sit.

An credat, liberum arbitrium, peccato primi hominis oppressum, per renovationem, quæ in Christo Jesu est in Baptismo, vere liberari: ita ut sic præventum a Deo, per gratiam, quæ est in Christo Jesu, exinde tam in ipsa justificatione, quam in bonis operibus, tamquam partiale agens concurrat & cooperetur Deo: & ea ratione cum gratia Dei, causa meritorum fiat.

An credat, baptizatum, seu regeneratum, assistente & adjuvante gratia Dei, posse facere, seu implere mandata Dei, secundum eam rationem impletionis, quam exigit a nobis Deus, quamdiu sumus in hoc mortali corporis tabernaculo.

An credat, hominem renatum & adultum, per observationem mandatorum Dei, seu bonis operibus, ex fide & dilectione Dei factis, promereri regnum Cœlorum.

An credat, hominem propter opera mala condemnandum esse ad ignem æternum: etiamsi habeat tantam fidem, qua & prophetare, & dæmones ejicere, & montes transferre possit: nedum eam, qua credit, sibi remissa peccata propter Christum.

An credat, hominem tantisper manere in morte, quamdiu fides ejus non vivificatur vel accenditur per charitatem.

An credat, septem esse Ecclesiæ Sacramenta: videlicet, Sacramentum Baptismi, Sacramentum Confirmationis, Sacramentum Eucharistiæ, Sacramentum Pœnitentiæ, Sacramentum Ordinis, Sacramentum Matrimonii, & Sacramentum Extremæ unctionis infirmorum. Et quod hæc Sacramenta conferant gratiam suscipienti, non ponenti obicem. Vel an e diverso credat, tantum duo esse Sacramenta: Baptismum, & Eucharistiam.

An credat, differre Baptismum Christi a Baptismo Joannis, & quomodo.

An credat, in administratione Baptismi adhibendas esse solemnes orationes & cæremonias Ecclesiasticas, quales sunt: Exorcizatio & exufflatio diaboli, crebra crucis impressio, manus impositio, datio consecrati salis, apertio aurium & narium cum saliva, unctio tam ante, quam post Baptismum, consecratio Baptismatis more solenni, abrenunciatio & professio fidei per susceptores, non suo, sed infantis nomine, & impositio albæ vestis. Et quod has cæremonias, extra tempus necessitatis, contemptim omittens, schismaticus censendus sit.

An credat, usum Chrismatis esse de necessitate Sacramenti Confirmationis, illudque successisse in locum signi corporalis descensionis Spiritus Sancti, post tempora Apostolorum, ex Apostolica Traditione.

An credat, administrationem hujus Sacramenti solis Episcopis esse reservatum.

An credat, virtute hujus Sacramenti infantibus, vel aliis confirmatis, conferri virtutem constantiæ professionis fidei, patientiæ in tribulationibus, & robur vincendi astus diaboli, & perseverandi in bonis operibus.

An credat, in Eucharistiæ Sacramento, sub qualibet specie esse verum corpus, & verum sanguinem Domini nostri JESU CHRISTI: Substantia panis, & substantia vini, aqua mixti, in corpus & sanguinem Christi, virtute verborum Consecrationis transsubstantiatis.

An credat, veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia esse permanentem, & non in solo usu, sicut Baptismi Sacramentum, consistere.

Et propterea posse nos, & debere hoc Sacramentum pro infirmis reservare, & in eo Christum illic præsentialiter se exhibentem adorare.

An credat, hoc Sacramentum, sine gravi scelere, alibi posse confici, quam in locis sacratis, & ad hoc rite ordinatis: seu ab aliis, quam a Sacerdotibus jejunis, idemque Sacramentum post factam consecrationem sumentibus.

An etiam credat, laicis sufficere ad salutem Communionem sub una tantum specie, ut sub qua revera continetur totus Christus.

An credat, Missam esse Sacrificium novæ Legis, in qua non solum conficiatur, sed & Deo Patri repræsentative offeratur, non cruento quidem, sed incruento & commemorativo Sacrificio, corpus & sanguis Filii sui, tam pro vivis, quam pro defunctis.

An credat, Lutheranos & Buceranos hoc Sacramentum extra communionem Ecclesiæ Catholicæ, omisso Sacro Missæ CANONE, in quo forma Consecrationis Ecclesiæ tradita continetur, posse conficere.

An credat, in CANONE Missæ pro Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ Summo Pontifice orandum esse.

An credat, in eodem habendam esse memoriam Sanctorum, qui cum Christo vivunt, & in eorum communione vota nostra reddenda esse Deo.

An credat, Sanctos cum Christo regnantes, non solum in imitatione, sed laudis quoque & honoris exhibitione, & meritorum & intercessionis pro nobis apud Deum attributione, & ut Deum pro nobis orent, imploratione, venerandos esse.

An credat, hoc Altaris Sacrificium, ad hæc orationes, & eleemosynas fidelium prodesse defunctis, qui fideles decesserunt, ad purgationem macularum in hac vita contractarum, & ante obitum nondum satis expiatarum, & pro absolutione pœnarum temporalium.

An credat, post hanc mortem talem aliquem esse ignem, in quo ejusmodi fideles animæ purgentur.

An credat, tres esse partes integrales pœnitentiæ relapsorum in crimina post Baptismum, videlicet contritionem, confessionem sacramentalem, & satisfactionem ad remissionem culpæ & pœnæ necessarias.

An credat, enumerationem criminum, saltem lethalium, & eorum, quæ angunt conscientiam, necessariam esse in Confessione Sacramentali, quæ fit & fieri debet Sacerdoti, modo haberi possit ejus copia.

An credat, satisfactione Ecclesiastica mederi reliquiis peccati, mitigari, seu tolli pœnas temporales, & Ecclesiæ lege satisfieri. Et propterea eam necessariam esse lapso post Baptismum.

An credat, Ordinem in Ecclesia esse Sacramentum; ità, quod ille, qui non est ordinatus, secundum ritum Catholicæ Ecclesiæ, per suum proprium, vel alium Catholicum Episcopum, de proprii Episcopi consensu, non possit efficaciter in Ecclesia Sacramenta Ecclesiastica ministrare, nec alia Ecclesiæ ministeria salubriter obire.

An credat, Sanctum Petrum fuisse Principem Apostolorum, & Christi Vicarium, & Romanæ Catholicæ Ecclesiæ Summum Pontificem: Et tales quoque censendos esse, qui ei canonice in Cathedra sua successerunt, & succedunt, quamvis sint longe inferiores merito.

An credat, a tali Pontificis obedientia, excepta causa hæresis, sine schismate non posse recedi.

An credat, Matrimonium esse & Sacra-

Sacramentum Ecclesiæ, & indissolubile vinculum unius viri, & unius uxoris.

Et eum, qui priori uxori, antequam ea morte decedat, aliam superinduxerit, adulterum esse, etiamsi ex causa fornicationis dimissa sit.

An credat, Matrimonium clandestine contractum, accedente utriusque contrahentis assensu, coram Deo verum Matrimonium esse, ita quod tali Matrimonio fraudem faciens, adulter censendus sit.

An credat, Unctionem extremam vere Sacramentum esse, & propterea sine periculo damnationis æternæ contemni non posse.

An credat, usum imaginum, tam crucifixi Domini, quam Sanctorum, non modo licitum, sed & valde utilem esse in Ecclesia, maxime in usum idiotarum, pro admonitione & rememoratione gestorum Christi, & Sanctorum suorum, & pro excitatione pietatis, & imitationis illorum.

An credat, Sanctorum (qui apud Deum vivunt) veras Reliquias reverenter esse habendas & venerandas: Nec religiosum earum contactum inanem esse, quod Deus sæpe insignia & illustria miracula apud illorum monumenta sit operatus.

An credat, Ecclesiam recte & pie super corporibus Sanctorum, seu Reliquiis, Sacrificia offerre, & tumulos eorum arbitrari altaria Christi.

An credat, statuta jejunia, & ferias indictas ab Ecclesia, religiose esse observanda, nec posse ea violari sine peccato: nisi suadeat & poscat necessitas, per Pastorem, seu ordinarium Curatorem animæ explorata, & comprobata, & absit scandalum.

An credat, votum perpetuæ castitatis, & reliqua vota monastica, paupertatis & obedientiæ, consentanea esse Juri Divino, & Evangelio Christi: ita quod obligent præstantem in foro conscientiæ ad sui observationem, sub pœna damnationis æternæ. Et de illorum violatoribus scriptum esse: Damnationem habentes, quia priorem fidem irritam fecerunt. (*)

An ne credat, in omni Ecclesia, tam Græca, quam Latina, a temporibus Apostolorum, sacris semper Canonibus prohibitum fuisse his, qui jam ad Presbyterii ordinem promoti fuissent, Matrimonium contrahere. Et qui secus fecissent, ab omni Ministerio & Sacerdotio depositos semper fuisse.

An credat, statum virginalem longe præstantiorem, & Deo multo gratiorem esse statu conjugali: modo tamen virginitas & corpore & mente servetur.

An ne credat, exititios Monachos, pellicientes virgines Moniales ex Monasteriis, & contrahentes cum eis damnatas nuptias, incestuosos esse, & nullibi ferendos sive ab Ecclesiastica, sive sæculari potestate.

An credat, illos esse sacrilegos, & pauperum Christi necatores, qui scienter, sine justa causa, accipiunt, tenent, & sibi vendicant bona Ecclesiarum, Deo dicata, seu in testamentis ad pias causas pauperibus Christi relicta: esseque tales occupatores æternæ damnationis reos, nisi faciant restitutionem.

An credat, pertinaces hæreticos, præsertim, qui malitia errant, & contra Principum edicta discipulos aggregant, & tumultus excitant, per potestatem sæcularem corporalibus pœnis coercendos esse. Idque bona conscientia fieri, imo zelo conservandæ Religionis fieri debere.

Ex Codice Statutorum Coloniens. edito Coloniæ Typis Quentelianis anno 1554.

(*) 1. Timoth. 5.



SYNODUS DIOECESANA CAMERACENSIS

Eodem anno Christi MDL.

ACTA ET DECRETA SYNODI

Diœcesanæ Cameracensis, Præsidente Reverendissimo in Christo Patre, ac Illustrissimo Principe, Domino, D. ROBERTO DE CROY, Episcopo & Duce Cameracensi, Sacri Imperii Principe, Comite Cameracesii &c. celebratæ anno Redemptoris nostri JESU CHRISTI MDL. Mense Octobri.

ITEM

ANTIQUA STATUTA SYNODALIA CAMERACENSIS Diœcesis, ab eadem Synodo recognita, adjectisque Moderationibus, Correctionibus & Additionibus reformata. His adjuncta est FORMULA REFORMATIONIS, per Cæsaream Majestatem Statibus Ecclesiasticis in Comitiis Augustanis ad deliberandum proposita, & ab iisdem recepta & probata.

ROBERTUS DE CROY (*a*), DEI GRATIA, EPISCOPUS ET DUX CAMERACENSIS, SACRI IMPERII PRINCEPS, COMES CAMERACESII, &c. UNIVERSO CLERO ET POPULO NOSTRÆ CIVITATIS ET DIOECESIS CAMERACENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

VAriis, eisdemque vehementer perniciosis hæresum monstris crebro oppugnatam Ecclesiæ Catholicæ fidem & legimus, & novimus: sed vix unquam (nostro quidem judicio) tot & tantis, tamque diuturnis, ut hoc nostro infœlici sæculo, quo dirum Lutheri longe lateque sparsum virus non paucos infecit, perdidit autem (proh dolor) quam plurimos. Hincque malorum tanta prorupit inundatio, tot animorum dissidia, tanta Martis rabies, tot sectarum portenta, vitiorum denique ac scelerum tanta colluvies: Ut, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen;* juxta Esaiæ vaticinium, (*b*) *Quasi Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.* Nisi, inquam, Dominus DEUS exercituum reliquisset nobis, atque conservasset, qui sanctam Ecclesiæ fidem palam assererent, quique gravissimis ipsius hostibus intrepide se se opponerent, insignes Theologos, Patres orthodoxos, Pastores vigilantissimos, Principes vere Catholicos, & imprimis

(*a*) Robertus de Croy, a fratre suo Guilielmo Croio S. R. E. Cardinali, ad Metropolim Toletanam promoto, Cameracensem Infulam, Carolo V. Imperatore probante, in se translatam, obtinuit anno 1519., Episcopus Cameracensium Septuagesimus quintus. Anno 1529, quo exoptata diu pax inter Carolum V. Cæsarem, & Franciscum I. Francorum Regem Cameraci sancita fuit, primam Hostiam sua in Cathedrali DEO litavit, die 5. Augusti. Anno 1546. Concilio Tridentino interfuit, & Sessionis V. Decretis subscripsit. Obiit anno 1556. 31. Augusti, magno sui relicto desiderio: Cameraci in Ecclesia Cathedrali ante aram Bmæ MARIÆ Virginis, sub magnifica ex alabastro tumba sepultus. *Joann. Bapt. Castillion. in Sacra Belgii Chronologia p. II.*

(*b*) Esa. 1.

mis Imperatorem noſtrum Auguſtiſſimum CAROLUM V., maximum Fidei noſtræ propugnatorem, & pugilem indefeſſum; Eccleſiæ res, decus, ſplendor, ornamentum, avitaque religio funditus everſa periiſſet. Cæterum ab hæreticis Eccleſiæ fides oppugnari quidam poterit, expugnari nunquam poterit, Chriſto nimirum ejusdem Eccleſiæ ſponſo, & redemptore, ſanctum ſemen ſuppeditante, quod, ceu electæ quædam reliquiæ gratiæ, coram Baal genu non ſolum non flectet, (*c*) verum etiam alios, ne id faciant, avertet: eodem denique Chriſto ſponſam ſuam mirabiliter protegente, & apud Patrem pro ſuis ipſius membris jugiter interpellante. Et id quidem ſuis non ſemel prædixit & pollicitus eſt ſub noctem illam maxime, in qua tradendus erat a diſcipulo, his verbis inter cætera Petrum compellans: *Simon, Simon, expetivit vos Satanas, ut cribraret, ſicut triticum: Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* (*d*) Hæc quidem ad Petrum Dominus, ſed ſic, ut ſub ejus perſona toti Eccleſiæ, cui præficiendus erat, loqueretur: promittens (quæ ſua in nos eſt clementia) nullo ſe unquam tempore ſic deſerturum Eccleſiam, ut perſecutionum procellis, aut hæreſum turbinibus, quamlibet vehementibus, ſuccumbat & opprimatur: de qua & alibi dixit, quod *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* (*e*) Portæ inferi (ſi Theophilacto credimus) temporales ſunt perſecutores, qui ad inferum mittere Chriſtianos conantur. Portæ inferi, eodem teſte, ſunt & hæretici omnes, qui venenata lingua & peſtilente doctrina, inconſtantium ac minus cautorum animas inficiunt, & ſecum tandem in perditionis barathrum (proh dolor!) præcipites trahunt. Verumtamen multis pernicioſiſſimis & perſecutoribus & hæreticis olim prævaluit Eccleſia, ſemperque prævalebit Chriſto propitio, qui ſe illi adfuturum ad conſummationem uſque ſeculi (*f*) certo repromiſit. Hæc nos promiſſa ſolantur, hæc nos inter tot undas malorum & hæreſum flatus, in ſpem erigunt; ut tandem noſtri miſertus Dominus, & (ut cum Pſalmographo loquamur) *excitatus tamquam potens, & crapulatus a vino*, (*g*) acerrimos Eccleſiæ hoſtes humiliet, detque in opprobrium ſempiternum illos, (*h*) qui ſponſam ſuam dilectam, ſanctam, & immaculatam, impuro ore ſubſannant, virulenta lingua allatrant, & odio pluſquam hoſtili perſequuntur. Quod dudum ſane auſpiciis haud parum fœlicibus demonſtravit, quando ipſo propugnante ſimul & adjuvante, Sacra Cæſarea Majeſtas de hoſtibus Eccleſiæ, ſummo piorum omnium applauſu & gaudio, palmam retulit, & trophæum erexit. unde profecto Deo omnipotenti maximæ a nobis gratiæ debentur, quod fidei noſtræ Catholicæ acerrimum propugnatorem nobis reliquerit, cui ſic Chriſti fides, Eccleſiæ decus ac religio cordi ſunt, ut nullam non navet operam, nullum denique non moveat lapidem, quo hæreſum vepres ac zizania ad vivum omnia eradicentur. Nam quanto ſtudio ad id contenderit, toties celebrata Concilia, Conventusque Imperiales facile teſtantur. Porro etſi huic rei, communi totius orbis auxilio, nempe generali, pridem Tridenti fœliciter inchoato Concilio, ſuccurri maluiſſet; quando tamen id ſuſpenſum in longum protrahebatur: ſacra illius Majeſtas, ubi jam dextro Marte cum hoſte conſeruiſſet, Chriſtoque propitio victor triumphaſſet, deploratis Eccleſiæ rebus ut ſuccurreretur, magis atque magis urgere cœpit, omnique ſtudio inſtare, ſemel conceptum animi zelum, de extirpandis prorſus hæreſibus, Eccleſiæque diſſidiis, ut ad perfectum deduceret. Proinde ratus, propter abuſus, ſcandala & mores quam depravatiſſimos in Clero & plebe, iratum Deum adeo ſeveriter caſtigare Eccleſiam; in noviſſimis Imperii Comitiis Auguſtæ Vindelicorum habitis, ab Imperii Principibus Eccleſiaſticis, aliisque Prælatis Eccleſiæ clementer poſtulavit, ut Eccleſiarum mores, vitæque ratio, ad meliorem, ſanctioremque formam quaſi poſtliminio revocarentur, oblata, propoſitaque eisdem formula quadam, a viris aliquot piis, ac ſacrarum literarum eruditione claris concepta, qua Clerus & populus juxta ſacros Canones, majorum traditiones, & ſacræ ſcripturæ normam reformarentur; donec Generale Conci-

(*c*) 3. Reg. 19. (*d*) Luc. 22. (*e*) Matth. 16.
(*f*) Matth. 28. (*g*) Pſ. 77. (*h*) Epheſ. 5.

Concilium diffidiis & abufibus modum ponat. Cui quidem tam fanctæ ac juftæ petitioni uno (ut par erat) animo lubenter obtemperantes, formulam hujusmodi, ceu piam, ac Decretis & Canonibus plane conformem, laudarunt, & probatam habuerunt, atque Cæfareæ Majeftati pro fe quisque, ut ad illam, veluti perpendiculum, fua componeretur & reformaretur Diœcefis, curaturos fe polliciti funt: Summi Pontificis authoritate (quam in nonnullis articulis neceffariam putabant) femper falva.

Nos itaque in opere tam laudabili, utili, atque ad hærefes averruncandas apprime neceffario, muneri noftro haud quaquam deeffe volumus, præfertim, cum Dominus fua gratia nos, licet meritis impares, fuo quem redemit fanguine, populo præfecit, non alia ratione, quam ut vigilantiffime attenderemus fidem, converfationem, mores & vitam fingulorum: hærefum quoque peftilentiffimas, exitialesque flatus cohiberemus: abufus, fcandala, moresque corruptiffimos, e Clero & populo nobis commiffo erueremus: denique diligenter profpiceremus, ne quifpiam in ea, qua vocatus eft a Deo vocatione torpefcat: quatenus hi, qui fanæ doctrinæ repugnant, juxta Apoftolum (*i*) rubore fuffundantur, nihil habentes, quod de nobis dicant mali; fed contra potius videntes bonam noftram converfationem, refipifcant a Diaboli laqueis, a quo magna cum falutis fuæ jactura, captivi tenentur, & ad Ecclefiæ gremium, fideique orthodoxæ portum redeuntes, una nobiscum glorificent Deum, qui in cœlis eft.

Proinde & voce Divina commoniti, & Sacræ Cæfareæ Majeftatis literis, ut aliorum Imperii Electorum & Principum optimo exemplo, memoratam Reformationis Formulam in univerfa noftra Diœcefi & ditione Ecclefiaftica promulgari, Conventusque & Synodos neceffarias convocari, vitia, abufus, & fcandala prætacta tolli, corrigi, ac in melius reformari, curare vellemus, pie cohortati, Synodum Diœcefanam in noftra Cameracenfi civitate celebrandam indiximus, fingulosque Diœcefis noftræ Abbates, Priores, Præpofitos, Decanos, Capitula, & alios, qui Jure vel confuetudine ad illam comparere tenentur, literis noftris patentibus convocatos voluimus; quo de ratione reformandi Cleri & populi, a Deo nobis commiffi, aliisque ad hanc rem pertinentibus & neceffariis, nobiscum communibus confiliis agerent, tractarent, & confultarent.

Quam quidem Synodum ad eum modum, quem dicta Formula præfcribit, Deo auxiliante, celebravimus, ac Reformationem in eadem Synodo lectam, & publicatam, atque a Sacri Imperii Statibus Ecclefiafticis prius (ut præmittitur) receptam, & comprobatam, per univerfam noftram Diœcefim publicari mandavimus, maturisque cum Venerabili Ecclefiæ noftræ Cathedralis Capitulo, feu ejus Deputatis, ac Reverendis Dominis Abbatibus, aliisque Patribus, in fancta Synodo noftra Diœcefana in Domino congregatis, confilio & affenfu præhabitis, nonnullas ad hanc rem facientes conftitutiones decrevimus, & ordinavimus: atque deinde cætera quoque Statuta Synodalia noftræ Diœcefis, nonnullis eorum fuperfluis, ac præfenti fæculo parum congruentibus, refecatis, five omiffis, & aliquibus detractis, additis, & moderatis, authoritate Synodali ad certam juris & æquitatis normam redegimus & renovavimus. Quocirca ne fanctum facræ Cæfareæ Majeftatis defiderium, ftudiumque indefeffum fruftrentur, authoritate noftra Pontificali & Ordinaria, Prælatis omnibus & fingulis, aliisque Presbyteris & Clericis noftrarum Civitatis & Diœcefis Cameracenfis, præcipimus & mandamus, ut antedictam, hicque adjunctam Reformationem, ac Conftitutiones, defuper in fancta Synodo noviter editas, una cum antiquis Statutis Synodalibus fubfcriptis, juxta moderationem, correctionem, & additiones, authoritate Synodali noviffime factas (primo illorum tenore non obftante) inviolabiter & inconcuffe obfervent. Alioqui contra eos ad pœnas, in dicta Reformatione, ftatutisque prætactis contentas, procedemus: aut ad facram Cæfaream Majeftatem prædictam, aliosve Superiores referemus.

Acta

(*i*) Tit. 2.

ACTA SYNODI DIOECESANÆ CAMERACENSIS,

Præsidente Reverendissimo in Christo Patre, ac Illustrissimo Principe Domino, D. ROBERTO DE CROY, Episcopo & Duce Cameracensi, Sacri Imperii Principe, Comite Cameracesii, &c. Celebratæ die prima mensis Octobris, anno MDL.

Mandatum Convocationis.

ROBERTUS DE CROY, DEI GRATIA, EPISCOPUS ET DUX CAMERACENSIS, SACRI IMPERII PRINCEPS, COMES CAMERACESII, &c. UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, ABBATISSIS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS ET CAPITULIS, TAM COLLEGIATIS, QUAM RURALIBUS NOSTRÆ DIOECESIS, SINCERAM IN DOMINO SALUTEM.

CUm Episcopalis muneris sit, vultum gregis sui agnoscere, oviumque suarum, & præcipue Cooperariorum, & Compastorum curam habere, soliciteque dispicere, ut suum quisque munus diligenter & fideliter in Diœcesi sua exequatur: etsi enim omnes oves suæ Diœcesis nosse supra vires naturæ sit, Compastores tamen, & in opere Dei Coadjutores cognoscat oportet, ut sciat, quomodo præsint, quid doceant: quomodo traditiones, & ritus Ecclesiæ servent, denique vitam & mores eorumdem, ædificentne, & plantent super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, an vero inficiant & corrumpant, seu potius exemplis pravis & doctrinis novis, ac ad aurem popularem excogitatis & pestiferis subvertant, ac in foveam errorum, æternæque damnationis seducant. Quod quidem nulla melius potest ratione Episcopus (qui velut speculator in Ecclesia Dei constitutus existit) quam Synodali Prælatorum, ac Curatorum suæ Diœcesis convocatione, atque Concilio. Nam si unquam necessaria fuit, profecto nunc hoc infœlici sæculo, præsertim quo omnis caro corrupit viam suam, omnesque cujusvis status & conditionis homines, a maximo usque ad minimum declinaverunt, & inutiles facti sunt: nec est, qui faciat bonum, non est usque ad unum; summopere necessaria est Sacro-sancta religiosissimeque a Patribus instituta, nostrisque Prædecessoribus observata, & per aliquot annos cum propter bellorum frequentiam, tum propter Concilii œcumenici, diu summis votis desiderati, convocationem, intermissa Diœcesana Synodus. Proinde cum Concilii Generalis summe expectatum fructum, & finem diutius præter expectationem differri videamus, tum etiam, quod Augustissimæ & Invictissimæ Cæsareæ Majestatis literis, ad nos tamquam Imperii Principem, directis & destinatis, salubriter ad Cleri convocationem, pro ejusdem, populique Reformatione, commoniti, nostro in hac parte, dictæque Cæsareæ Majestatis pio desiderio & exhortationi satisfacere summopere cupiamus; Idcirco de Vicariorum nostrorum Generalium, ac etiam Venerabilium nobis in Christo Dilectorum Confratrum nostrorum, Præpositi, Decani, & Capituli Ecclesiæ nostræ Cathedralis consilio, vos omnes & singulos supradictos, authoritate nostra Pontificali & Ordinaria in virtute sanctæ obedientiæ in Domino requirimus, & monemus; ut ad primam diem Octobris proximam (quam celebrationi Synodi nostræ Diœcesanæ pro Cleri, populique nostræ Diœcesis Reformatione, aliorumque in Synodo proponendorum & tractandorum decisione, seu definitione præfigimus, præfixamque esse volumus) in civitate nostra Cameracensi omni excusatione postposita, compareatis, audituri, quæ ad hanc rem pertinent, & nobiscum consultaturi: cum intimatione tali,

tali, quod sive ad dictam diem comparueritis, sive non, nos nihilominus ad dictæ Synodi celebrationem procedemus, & proinde faciemus, prout juris fuerit & rationis, absentium contumacia in aliquo non obstante. In cujus rei testimonium præsentibus literis manu nostra subsignatis, sigillum proprium duximus appendendum. *Datum in Ædibus nostris Montisplacidi prope oppidum nostrum Castri Cameracesii, Anno Domini, Millesimo quingentesimo quinquagesimo, Mensis Augusti die sexta.*

Cumque dies adesset, qui a Reverendissimo Patre, & Illustrissimo Principe D. ROBERTO, Episcopo, & Duce Cameracensi, Synodo Diœcesanæ præfixus erat; mane inter octavam & nonam horas, idem Dominus Reverendissimus cum Prælatis & Patribus infra scriptis per Venerabile Collegium Ecclesiæ Cathedralis, Celsitudini suæ obvium, ex Palatio suo Episcopali, duobus Archidiaconis prævlis, pannum sericum, seu pallium (ut vocant) tenentibus, post aquæ benedictæ aspersionem, incensique, seu thuris, sibi ab eisdem Archidiaconis oblationem, ac libri Evangeliorum osculum, ad Ecclesiam prædictam celebri atque decenti processione in Choro ejusdem Ecclesiæ comparuit: ipse quidem Pontificalibus amictus, mitramque in capite gestans, Abbates insignibus Abbatialibus, sine mitris, Archidiaconi & Canonici, cappis pretiosis: Archipresbyteri, seu Decani Rurales, alba, & stola: Curati vero superpelliceo & stola. Quibus ordine considentibus & constitutis, præfatus Dominus Reverendissimus assistentibus sibi Reverendis Patribus, Dominis Martino Episcopo Chalcedonensi, suo Suffraganeo, tamquam Diacono, & Joanne Calceio, Abbate Sancti Andreæ, Castri Cameracesii, Vicario suo Generali, Subdiacono, Ministrantibus, pro gratia sanctam Synodum hujusmodi fœliciter inchoandi, finiendique, Missam de Sancto Spiritu celebravit valde solemnem: eaque ad offertorium usque peracta; dictus Reverendus Pater Dominus Episcopus Chalcedonensis Suffraganeus, ac Sacræ Theologiæ Doctor insignis, in medio chori suggestum conscendens, orationem habuit, non minus piam, quam gravem, in hunc qui sequitur modum.

ORATIO

R. P. D. MARTINI, EPISCOPI CHALCEDONENSIS, in Synodo Cameracensi habita.

CONsideranti mihi varia mortalium studia, eorumque exitus, Reverendissime in Christo Præsul, Patres celeberrimi, Auditoresque optimi, nihil æque rarum videri solet, atque recta, nullaque sui parte claudicans Religio: quippe cum ejus studium, a naturæ Principe, & velut architecto Deo, omnium animis sic sit insculptum, ut tam ferus, & ab omni Religionis cultu remotus inveniatur nemo, qui non illius studio aliquando tangatur: sic conscientia teste commendatum, ut in eo solo præcipuam mortalium salutem positam fore confiteamur; sic denique, vel ad hujus vitæ cursum fœliciter regendum utile, ut ejus, vel qualicumque imagine, maximæ in terra Respublicæ constitutæ sint & firmatæ. In tanta tamen hominum multitudine, tot sæculorum decursu, pauci adeo veræ religionis & pietatis via ingrediuntur, aut ingressi ad finem, quo illa ducit, pergunt: ut in ea incidisse videamur tempora, quæ Timotheo Paulus scribens, graphice depinxit, ad amussimque attigit. *In novissimis* (inquit) *diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis, quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* (k) Hæc ea periculosa esse tempora, quæ nos invenere, quis modo non dicet? Quando, rogo, licentius unquam abundavit iniquitas? Quando magis refrixit germana charitas? Prisca simplicitas in astutiam, castitas in nequitiam, liberalitas & parsimonia in luxum & avaritiam versa sunt. Justitia vel in odium, vel in gratiam declinavit: amissa est pietas: retinuimus nomen, immo in superstitionem pene succubuit: fides in perfidiam commigravit: quocumque vergas, quocumque oculos deflectas, non datur cernere, quod antiquam

(k) 2. Timoth. 3.

tiquam repræſentet morum honeſtatem. Vide in ipſis, qui ſanctimoniam profitentur, quæ religio manum claudat porrectis muneribus? Quæ ſolitudo aures obſerat oblatis favoribus? Quæ gula communibus nunc eſt contenta ſaporibus? Quis ſe non judicet vilem, ſi videat humilem? Quis non putet opprobrium, ſi ſe ſentit inglorium? Et ubi nunc quæſo animi vere Chriſtiani tranquillitas? Nonne ubique doli mali, ubique convitia, ubique rixæ? Sunt, qui ſe putent frugem tenere, alios quiſquilias: ſe nucleum, alios putamina: ſe ſpiritum, alios mendacia. Ita ſua defendunt omnes, ut aliena rejiciant. Ita docent, ut non dicam, ex bonis, ſed & ex optimis peſſimos reddant. Teſtantur hæc exoticorum Monachorum, Monacharumque tot myriades: Loquuntur diruta, exuſtaque Monaſteria: direpta prædicant Cœnobia: clamant denique inter malleum & incudem redactæ conſcientiæ. O tempora, o mores! Eo (proh dolor) dementiæ ventum eſt, ut etiam virtus probis vitio detur: vitium vero, abraſa verecundia, pudoreque convulſo, virtutis loco honoretur, dum ſaltem adfuerit, qui vel mediocriter didicit, fraudi fucum addere. Sed quibus arietibus, qualibus copiis, quantave vi his malis occurrendum ſit, cogitare poterunt pauci, dicere nemo. De luxu, de libidine, de avaritia vitanda, poſitas eſſe leges a Patribus, nemo eſt, qui neſciat. De pietate, de juſtitia, cæteriſque virtutibus, traditas eſſe normas, vel ineruditi novere: eas partim negligi, partim jacere, plus etiam, quam volumus, experimur. Proinde quibusdam in longum jam protractum, diu ſuſpenſum, deſideratur Generale Concilium, ſarciendæ ſiquidem religionis ſacra ac præſentiſſima anchora: rejicitur hoc aliis, non quod nova conſulta atque decreta aſpernentur: ſed veterum cuſtodiam Sanctionum in primis ducunt neceſſariam, ut leges jam rite poſitæ, per antiqua Concilia (quæ inconcuſſæ ſunt veritatis) pœnæ ſaltem formidine, atque animadverſione in alios, cuſtodiantur; ne quicquid collibitum fuerit, impune feciſſe audeant impii: adeo ut cenſoribus, ut vindicibus legum ipſarum, atque aſſertoribus magis, quam legislatoribus opus eſſe non negent.

Verum cum tanti hujus mali, eam mihi viderer cauſam videre, quæ una fere omnis religionis exitium fuit: nempe vocationis noſtræ neglectum, viſum eſt mihi, inter hæc mala, ſpei plurimum reliquum eſſe: ſi modo mores, vitio temporum atque hominum collapſos, ad priſcæ virtutis normam inſtauremus, Paulinæ Epiſtolæ ad Epheſios non ſegnes Auditores; *Obſecro*, (inquit) *vos Fratres, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.* (l) Itemque Petri Apoſtoli: *Fratres ſatagite* (inquit) *ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* [m] Et quidem, quantum ad animi mei ſententiam pertinet, duobus hoc mediis præſtabitur. Primum eſt, ut qui Paſtor eſt, Paſtoris fungatur munere. Alterum, ut qui oves ſunt, Paſtoris interim voci obediant unanimes: & hæc duo, niſi acceſſerint, periculum eſt, ne majora tonitrua ſimus experturi. Tonitrua? immo excidium ipſum Auguſtiſſimi Regni ac Imperii Chriſti, pietate olim, & optimis vivendi exemplis parti. Multa regna perdidimus, quoniam artes, per quas parta erant, non retinuimus. Tota Aſia Saracenis & Turcis ceſſimus: Africam Mahometica ſecta involvit: Europæ major ac nobilior pars nobis adempta eſt, ut vix in Europæ angulo deſideamus. Futurum brevi, (ni Deus avertat) ut totus a nobis migret Chriſtus, excurratque ad exteras noviter inventas inſulas. Sed longius fortaſſis, quam res expoſcit, digredior. Quare in mediam ſylvam eorum, quæ dicenda ſunt, me totum proripio: modo exoratus adſit Spiritus ille ſeptiformis, qui ſapientia Salomonem, Danielem intellectu, Joſeph conſilio, Samſonem fortitudine, Moyſen ſcientia, David pietate, Job denique timore proſequitur. Verum undenam potiſſimum hoc mihi exorem, niſi ab omnium largitore bonorum DEO Optimo Maximo, ejusque Genitrice ſemper Virgine MARIA, cui pari dicamus voto: Virgo, DEI Genitrix, plena ſalutis, Ave.

Reverendiſſime in Chriſto Præſul, idemque Illuſtriſſime Princeps, Auditoresque optimi: Quamquam apud plurimos veſtrum mens ſolida ſit, fidesque firmior, quam quæ ad præſentis ſæculi violentos moveatur fluctus: Sed frangit potius ipſa, nec frangitur: tentationibus non vincitur, ſed probatur: tamen ne quis vel animi imbecillitate, aut ſæcularis vitæ dulcedine, aut denique veritatis errore, pectoris ſui Divinum atque invictum robur exerere negligat; diſſimulandum mihi non eſt, nec tacendum: quin, quantum noſtra poteſt mediocritas, ſermone monitorio, delicatæ mentis ignavia utcumque reprimatur, ut quem Deus dignatus eſt vocatione ſua ſancta, Deo & Chriſto dignus habeatur. Principio igitur, ut jam dicere cœpimus, Paſtoris officii erit, veri ac ſupremi illius Paſtoris, CHRISTI JESU indefeſſe ſubſequi veſtigia, invigilare gregi: ad hoc eniti, ut diſperſa recolligat, errantia reducat,

(l) Epheſ. 4. (m) 2. Petr. 1.

cat, reſarciat colliſa, relevet proſtrata, infirma ſtabiliat, utilia foveat, repellat noxia, ac denique amiſſa quæque recuperet. Præſtabit autem hoc ipſum, ſi modo nihil in eo reperiatur, quod ad oſtentationem videri poſſit aſſcitum: ſi mores ſint defœcati, & talis ubique ſermonis habitus, ut loqui ſentias vere Chriſtianum, non eum, qui fucum facere didicit: pectus ardeat Evangelica pietate, pectori oratio reſpondeat: loquatur diſerta, ſed fortia magis, quam diſerta: neque tam loquatur fortia, quam vivat Paulinæ monitionis indefeſſus obſervator: *Exemplum*, inquit, *eſto Fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* (n) Juſtam monitionis cauſam apud Corinthios explicans: *Nemini*, inquit, *dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* (o) Quod ſi amplius & apertius quid dictum velis, audies Principem Paſtorum Petrum, Paſtoribus officia præſcribentem: *Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes, non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque, ut dominantes in Clero, ſed forma facti gregis ex animo.* [p] Nec deerunt hic (modo deſiderentur) bonorum Paſtorum exempla. Habes pro ſuo ſæculo Samuelem Prophetam Domini. Hic poſt longam, ac bene adminiſtratam Paſtoralis officii curam, non veritus vulgi cenſuram, non multitudinis furias, ſed neque regia fulmina, confidenter loquitur: *Ego converſatus coram vobis ab adoleſcentia mea uſque in hanc diem, ecce præſto ſum. Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſpiam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum: ſi oppreſſi aliquem: ſi de manu cujusquam accepi; & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis.* O recti ſibi conſcium Paſtoris animum! Sed audi, *Non es*, inquiunt, *nos calumniatus, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu cujusquam quidpiam.* (q) Jungunt innocentiæ teſtimonium conſcientiæ puritati. Prodeat hic in medium novi teſtamenti Paſtor, qui plus omnibus laboravit, Paulus: *Memores*, inquit, *eſtis, Fratres, laboris noſtri & fatigationis. Nocte & die operantes (ne quem veſtrum gravaremus) prædicavimus Evangelium Dei: Vos teſtes eſtis, & Deus, quam ſancte & juſte, & ſine querela vobis, qui crediſtis, adfuimus: ſicut ſcitis, qualiter unumquemque veſtrum, ſicut Pater filios ſuos, deprecantes vos & conſolantes, teſtificati ſumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.* Ad Theſſalonicenſes (r). Auditis hic Paſtores, duorum Paſtorum gloriam, teſtimonium ſiquidem conſcientiæ illorum. Sed quorumquemque putatis hoc noſtro ſæculo reperiri Paſtorem, cui ex æquo teſtimonium perhibeant conſcientia & oves? Timerem ego, ſi Malachias Propheta pleroſque noſtri ſæculi Paſtores cerneret, rurſum diceret: *Vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege; propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis.* (s) An non in nos completa eſt Prophetica hæc maledictio? *Jam facti ſumus opprobrium, ſubſannatio, & irriſio inimicis noſtris.* (t) In nos comminiſcuntur crimina, in nos occinendo jaculantur convitia, & convitiando varia impingunt nomina. Proinde concludendum eſt [proh dolor!] ut audentius quid dicam, Paſtorum quorumdam corruptos mores non modo his imprecationibus anſam dediſſe; verum etiam [filiorum Heli exemplo] a Divino cultu, ab omni pietate, denique & a Dei Sacrificio plurimos deterruiſſe. Nec ſane mirum, Chryſoſtomo teſte, qui omne malum e templo prodire docet. Quandoquidem a plebeiæ ſortis hominibus, ſi quid forte ſit prætermiſſum ſocordia, vel temeritate admiſſum; quemadmodum jactura levior, ita & incommodum, quod acceptum eſt, faciliore remedio ſarcitur. At vero Presbyteri vel unica ceſſatio, ſemelve præcipitatum conſilium, quas nonnunquam tempeſtates excitat? quantas rerum humanarum ruinas ſecum trahit? Videmus probatam vitam Paſtoris, in ſui amorem ac ſequelam allicere etiam improbos, velint, nolint. At contra, corrupti mores pios in errorem abducunt; impios vero, ſacra commiſcere prophanis, adulterare legitima, ac denique antiquare Chriſti Sacramenta compellunt. Quis enim aſſentiretur bonos mores ſuadentibus, ſi peſſimis ipſi ſuaſores involvantur? Quis religioni, quam colunt, initiari per eos cuperet; quos videt, quod ore aſſerunt, factis pernegare? Quotquot adeſtis Paſtores, hæc melius noſtis, quam opus ſit audire Martinum: Periculum tamen majus eſt, voluntatem Dei cognoviſſe, & in Dei voluntatis opere ceſſaviſſe. Paſtores quidem multi ſumus, ſed unum gregem paſcimus, ſi tamen paſcimus. Quotusquiſque noſtrum, rogo, Noe imitator, aptat arcam in ſalutem domus ſuæ? Quotus, qui cum Moyſe, ſuorum gratia, deleri cupiat e libro vitæ? Quotus, qui Hieremiæ imploret lachrymas? Rarus, qui nunc Phinees imbiberit zelum: rarior, cui cum Paulo arrideat, anathema fieri pro fratribus: rariſſimus tandem, qui cum Chriſto animam ſuam ponat pro ovibus ſuis.

(n) 1. Timoth. 4. (o) 2. Cor. 6. (p) 1. Pet. 5.
(q) 1. Reg. 12. (r) 1. Theſſal. 2. (s) Malach. 2.
(t) Pſal. 43. 78.

fuis. Sed numquid nobis interim vel negligentia fegnis, vel duritia crudelis affcribetur in die judicii, quod Paftores creditas, commiffasque nobis oves, nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? Multum metuenda eft nobis [Patres ornatiffimi] tremendi Judicis comminatio, *Væ Paftoribus Ifrael, qui pafcebant femetipfos! Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod craffum erat, occidebatis: gregem autem meum non pafcebatis.* (u) Quapropter ad memoriam revocemus, fuccumbentibus licet, & cadentibus cæteris, Mattathiam legem Dei vindicaffe fortiter [x]: Heliam Judæis deficientibus, atque a Religione Divina recedentibus, fteriffe & certaffe fublimiter (y): Danielem nec folitudine regionis alienæ, nec perfecutionis affiduæ infeftatione deterritum, nec minis armisve fractum; fed victorem Regem in ipfa fua captivitate viciffe [z]. Horum moneamur, moveamurque exemplis; ut ad Religionis unitatem fciffi utcumque corporis membra componamus. Largiter quidem acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur: fed perniciofa interim eft ad fequentium lapfum fomnolentia præpofiti: nec tam perniciofa, quam contra utile, cum fe per fidei, doctrinæque firmamentum ovibus præbet imitandum: & ut paucis multa perftringam, a vita Paftoris pendet ovium falus, fanctimonia, religio, denique & vita, & mors ipfa.

Altero loco, Patres integerrimi, quantum mihi & videre, & judicare conceditur, farciendæ religioni neceffarium duxi, ovium, hoc eft, fubditorum unanimem obedientiam. Non hic requiro, ut oves, inftar Hieronymi faxo pectus identidem verberent: neque poftulaverim, ut Hilarionis inediæ affuefcant: minus etiam efflagitaverim, ut in fpinis, aut nive, volutentur cum Benedicto & Bernardo: fed hoc folum depofco, ut Paulo obediant, non modo loquenti, fed & præcipienti: *Obedite Præpofitis veftris, & fubjacete illis: ipfi enim pervigilant, quafi rationem pro animabus veftris reddituri.* (a) Alioqui quid præftabit vel Moyfes ipfe, fi ovis recalcitrantis equi imbiberit fervorem? Samuel, quo ducet, fi non modo erret, fed & referiat ovis? Aerem verberabit & Paulus docens, fi ovis a veritate auditum avertat. Ornamentum itaque ovium obedientia eft. Nam illa quantum, & quid poffit, fupervacaneum fortaffe videbitur apud colentes, vel refricare faltem decus fuum. Ipfa eft pax domus, concordiæ caput, difciplinam bonorum fuggerens morum. Hæc nos Deo commendat, convertit Chrifto, beata ipfa, & beatos efficiens. Hanc nunquam accufare poffunt, nec qui eam non habent: venerabilis fuis hoftibus, dum illam mirantur magis, qui expugnare non poffunt. Hæc unica, omnibus retro fæculis prædicanda Abrahæ opera, ad cœlos ufque evexit (b): domui Rechab immarceffibilem peperit gloriam (c): & immortalem Naaman Syro fanitatem comparavit. (d) Quid Helifæum commemorem? qui pallio Heliæ humeris impofito, prompte vocantem fequutus, demum ipfum fui Magiftri pallium, & duplicem ejusdem fpiritum eft confequutus. (e) Neque hic prætermittenda eft CHRISTI JESU obedientia illa fingularis, qua fibi conciliavit *Nomen, quod eft fuper omne nomen; ut in Nomine JESU omne genu flectatur, cæleftium, terreftrium, & infernorum* (f): Nobis vero ipfiffimam Juftitiam. *Sicut enim per unius hominis inobedientiam peccatores conftituti funt multi: ita & per unius obeditionem jufti conftituentur multi.* (g) Adferet fortaffis [nunquam juxta condignum laudatæ] obedientiæ magnam gloriæ partem, fi inobedientiæ fpectemus ingloriam. Primum hominem paradifo expulit inobedientia: [h] Saulem ex millibus filiorum Ifrael selectiffimum, primum itemque ejus populi Regem, regia exuit dignitate: [i] Contemptam ac abjectam reddidit Vafthi Reginam [k]: Mari Jonam immerfit Prophetam (l): Sic & Chore, Dathan & Abyron, qui fibi contra Moyfen & Aaron facrificandi licentiam vendicare conati funt, pœnas ftatim pro fuis conatibus penderunt. (m) Aaronis filii, dum alienum, prohibitumque ignem altaribus imponunt, in confpectu Domini ftatim vindicantis extincti funt. (n) Ozias Rex, refiftente Azaria Sacerdote, thuribulum ferens, Divina indignatione confufus, lepræ varietate in fronte maculatur. [o] Denique Heli filii, Ophni & Phinees, paternæ correptionis ac monitionis furdi auditores, bellico gladio fufi funt. [p] Præteriret me tempus, vel ex millibus faltem aliqua referre volentem. Sed quam, quæfo, interim fibi pacem promittunt obedientiæ hoftes? Profecto nec Deo adhærere, nec fibi ipfis hærere poffunt. Ardeant licet, flammis & ignibus traditi, vel beftiis objecti, animas fuas ponant; non erit ibi fidei corona, fed perfidiæ pœna: nec religiofæ virtutis exitus gloriofus; fed defperatio-

(u) Ezech. 34.
(z) Dan. 14.
(c) Hierem. 35.
(f) Philip. 2.
(i) 1. Reg. 13.
(m) Num. 16.
(p) 1. Reg. 4.
(x) 1. Mach. 2.
(a) Hebr. 13.
(d) 4. Reg. 5.
(g) Rom. 5.
(k) Hefter. 1.
(n) Levit. 10.
(y) 3. Reg. 18.
(b) Rom. 4.
(e) 4. Reg. 2.
(h) Gen. 3.
(l) Jon. 1.
(o) 2. Paral. 26.

rationis interitus. Occidi tales poterunt, coronari non poterunt. Quod si avulsus ab arbore ramus germinare potest: si a fonte præcisus rivulus non exarescit; & qui extra obedientiam est, fructificabit, irrigabitque. Sed cohærere non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas, sed neque cum inobedientia sanctitas. *Qui enim vos spernit, me spernit*, (q) ait Salvator. Itemque ad Samuelem dicitur: *Non te abjecerunt, sed me.* (r) Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata; quam quod Pastoribus Dei non obtemperetur. Viderint, qui vel furori suo, vel libidini servientes, & Divinæ Legis ac Sanctitatis immemores, ob aliquorum de Clero corruptos mores, obedientiam omnem propellere laborarunt. Reputemus & nos, quam sit stultum, sic odisse mores quorundam Pastorum, aut Monachorum; ut osores ipsi fiant illis deteriores: sinistro tantum oculo proximorum vitia contemplantes, in aliena lincei, in sua talpis cæciores. Claudendus est iis sinister oculus, & dexter vicissim ad eorum virtutem aperiendus. Quod si virtutum candidi fuerint æstimatores, levius offendentur vitiis, habebuntque, quod in suam inspiciant manticam, a tergo in pectus revolutam.

Verum ego plurimam forsan orationis partem, obedientiæ osores insectando, sine fructu perdo. At huc me indignatio tulit. Ferre enim nequibam, ut tanta illi petulantia de subditorum obedientia scurrarentur, & qui se totos Apostolicos aiunt, & confitentur Evangelicos, Apostolum ignorarent, qui non modo bonis & modestis Dominis, sed etiam discolis parendum docet.

Sed jam complicanda sunt vela, inhibendi remi, receptuique canendum est. Audistis quidem pauca, Patres optimi, opinor non ingrata. Plura, scio, dici potuisse, & copiosius & elegantius, sed parcendum duxi aurium fastidio. Quamvis ergo ad Divinæ monitionis Præcepta vos exhorter: nihil mihi aliud votivum, quam ut per omnia nostræ vocationis memores, quibus populi commissi sunt, & tam multa sunt curæ, perfecti stemus in Domino, sitque unusquisque, quod esse debet, qualisque haberi vult, scientes nos esse templum Dei, membra Christi, habitationem Spiritus Sancti, electos ad spem, consecratos ad fidem, & destinatos ad salutem, filios Dei, cohæredes Christi, consortes Spiritus Sancti, qui cum Patre & Filio vivit benedictus in sæcula. Dixi.

(q) Luc. 10. (r) 1. Reg. 8.

Qua quidem oratione habita, dictæque Missæ sacro peracto, quoniam hora tardior erat, quam ut ad Synodi negotia tunc procedi posset, jussu præfati Domini Reverendissimi intimatum fuit ad Synodum vocatis, & præsentibus, ut postridie hora octava eodem redirent, Sacrum & concionem audituri, ac deinde in Sacello Episcopali, dictæ Ecclesiæ Cathedrali contiguo sive vicino, ejusdem Synodi negotia tractaturi.

Die itaque subsequente Reverendissimo Domino Episcopo, una cum dicto Reverendo Patre, Domino Episcopo Chalcedonensi, Suffraganeo suo, cæterisque Prælatis, ac Patribus Synodalibus, in choro prætactæ Ecclesiæ Cathedralis personaliter convenientibus: idem Reverendissimus Dominus, finito Sacro, Pontificalibus indutus, e vestiario ad Altare majus accessit, lectisque certis precibus, decantatum fuit Sacrosanctum Christi Evangelium Matthæi. Post hæc Religiosus & Eximius Verbi Dei Concionator, Frater Petrus Fabri, Ordinis Minorum Sancti Francisci, in concionem ascendit, dictumque Dominum Reverendissimum, ac Patres Synodi, ad hunc modum cohortatus est:

Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

Verba hæc, Reverendissime in Christo Pater, idemque Sacri Imperii Princeps, Pastores vigilantissimi, Patres quoque, ac Domini observandissimi, sunt Beatissimi Apostoli nostri, Presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ una congregatos, alloquentis, quæ Divus recenset Lucas *Cap. XX. Actorum Apostolorum*, quibus præsens hæc nostra oratio innitetur: si modo authori & referatori Divinarum Scripturarum complacuerit, mentes nostras suo lumine illustrare, corda accendere, labia calculo ignito purgare, verbumque suum nobis dare Evangelizandum virtute multa. Neque enim quærendi nobis sunt lactei eloquentiæ sæcularis fontes, non denique Ciceronis, aut Demosthenis, seu Homeri, vel hujus generis hominum, sermones ornatissimi: verum eo vel in primis opus

opus eſt, ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Evangelii, pro quo legatione (quamquam immeritus) fungor. Quod ut aſſequi valeamus, Sacratiſſimam Mariam, Mediatricem noſtram, Domino Deo gratiſſimam, atque ab eo in omnibus ſuis precibus exauditam (cui Verbum Divinum, miraculo inenarrabili, cooperante Spiritu Sancto, ſe totum contulit) interpellamus, religioſo more dicentes: *Ave.*

Neminem eſſe arbitror, Præſul Digniſſime, Princepsque Illuſtriſſime; qui non animadvertat hujus ſacræ Synodi Diœceſanæ ſcopum eſſe, collapſorum in hac Eccleſia, juxta normam Evangelicam, Eccleſiaſticamque diſciplinam, redintegrationem perverſorum morum tum in Clero, tum etiam in populo reformationem. Atque ut obſtruatur via hæreticorum perfidiæ ac peſtilentiæ, ne in hunc gregem invadat. Id quod cum annis ſuperioribus proxime elapſis, feliciter inchoatum fuerit in Comitiis illis Auguſtanis, a CAROLO Maximo, Cæſare Auguſtiſſimo, ſacroſanctæ noſtræ fidei zelantiſſimo, (qui & hodie huic negotio totus incumbit ibidem) pro inſtauratione Eccleſiæ Germanicæ; Te quoque, ceu Sacri Imperii Principem, non tantummodo Pontificem, ut idipſum huic Eccleſiæ tuæ præſtares, Suæ Majeſtatis ad tuam dignitatem Epiſtola graviſſima, benigne eſt adhortatus. Cujus piis votis faciens ſatis impræſentiarum opus vere & ſanctum, & neceſſarium ad Domini gloriam, gregisque tibi crediti commoditatem (ut ſpero) non exiguam, juridice exorſus es. Opere pretium itaque fuerit, principio brevibus commemorare vivendi morem, ordinemque, nobis a Domino Deo Optimo Maximo, & a Patribus traditum; ut poſtmodum contueri liceat lucidius, unde exciderimus: quatenus tandem ad correctiorem vivendi modum ſingulos pro viribus revocemus: Si quidem mos ille de ejusmodi rebus differendi, reperitur a Sanctis Prophetis non raro uſurpatus. Prodeat igitur primo in medium eximius Propheta Moyſes, is, inquam, qui cum Domino JESU Chriſto, Majeſtate plenus videtur in monte, & Iſraelem Dei verum [populum videlicet Chriſtianum] alloquatur, ut eum de primæva Domini inſtitutione erudiat: ait enim Dominus: (s) *Dominus elegit te hodie, ut ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius, & faciat te excelſiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem, & nomen, & gloriam ſuam, ut ſis populus ſanctus Domini Dei tui.* Nos autem ſumus (Viri Patres) quibus hæc dicuntur. Nos haud dubium olim Athei, exleges, alieni a republica Iſraelis, hoſpiteſque teſtamentorum promiſſionis, quos ex abyſſis ſuis imperſcrutabilibus Divina bonitas gratis elegit, vocavit, juſtificavit: quibus inſuper regni ſui æterni poſſeſſionem, æternam in cœleſtibus manſionibus jubilationem, ſuique immenſi boni ſecuriſſimam fruitionem interminabilem repromiſit; ſi tamen in hac vita conſtituti, ipſius atque Eccleſiæ Catholicæ indeviabilis ſponſæ ſuæ leges ac præcepta; ſuis freti luminibus Diviniſſimis, benedictionibus dulcedinis, ac quibusvis præſidiis cœleſtibus, ad finem uſque ſincere obſervare voluerimus. Et ut nihil nobis deeſſet, dedit, ſemperque daturus eſt, Eccleſiæ ſuæ in terris degenti ac militanti, œconomos, ſeu ſacrorum myſteriorum, Sacramentorumque Cœleſtium Diſpenſatores, quorum Divus meminit Paulus his verbis: *Dominus dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, ac Doctores.* (t) Cujus rei gratia, o Paule? *Ad conſummationem*, inquit, *Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti*, id eſt, Eccleſiæ. At uſquequo, aut quamdiu hæc erunt in Eccleſia, O Apoſtole? *Donec*, ait, *occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Quibus ſane verbis intelligendum eſt, ordinem hunc Hierarchicum in Sancta Dei Eccleſia ad finem uſque permanſurum. *Semel*, [namque] *loquitur Deus, & ſecundo idipſum non repetit*, ut eſt apud Job. (u) Horum primi fuerunt Beatiſſimi Apoſtoli, & Diſcipuli Domini JESU, quorum vos [Patres celeberrimi] nunc Succeſſores eſtis. His ergo hunc in modum diſpoſitis ac ordinatis, quid nobis dicatur, audiamus: *Nunc igitur, Iſrael*, ait Moyſes, *quid Dominus Deus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac ſervias Domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua, cuſtodiasque mandata Domini, & ceremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, & bene ſit tibi? En Domini Dei tui Cœlum eſt, & Cœlum Cœli, terra, & omnia, quæ in ea ſunt, & tamen Patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amavit eos: elegitque ſemen eorum poſt eos, id eſt, vos, ſicut hodie comprobatur.* (x) Jam vero quis non obſtupeſcat, quisve non ingenti quodam horrore concutiatur in tanto rerum noſtrarum diſcrimine, cum videamus Fidem prope modum defeciſſe, ſpem deperiiſſe, charitatem refrixiſſe prorſus, immo & in plerisque extinctam, & omnes omni-

mo

(s) Deut. 26. (t) Epheſ. 4. (u) Job. 33.
(x) Deut. 10.

no virtutes a terminis nostris veluti profligatas. Abiit honesti, rectique studium: accipimus ferme universi in vanum animas nostras: gratias Dei varias in vacuum recepimus: prævaricatores sumus legum naturæ, Divinarum, atque humanarum: irreligiose tractantur & plebi ministrantur Sacramenta Cœlestia ac Ecclesiastica, unde contemptus: omnia confusa permixtaque sunt, & verificatum est, quod Sancti prædixerunt Prophetæ: *Sicut populus, sic Sacerdos.* (y) Ambitio, honorum appetentia, avaritia, luxus dominantur, abusus in dies magis crescunt, imo abusus abusum invocat. Quamobrem in abominandas hæreses, perniciosissimasque seditiones incidit pars maxima Ecclesiæ nostræ Christianæ, quo fit, ut mores ac instituta Patrum orthodoxorum, pro lege tenenda; nunc spreta jaceant: Magistratuum, Potestatumque impudentissimi contemptores, impune cervicibus elatis incedunt: Divinissima ac tremenda mysticæ mensæ Mysteria, Pœnitentia, Ordo, cæteraque Sacramenta nedum negliguntur; verum etiam inauditis a sæculo opprobriis, blasphemiisque ab impiis impetuntur. O Viri Prudentissimi, quæ, quæso, sunt hæc? Quis unquam talia vidit? Quis prioribus sæculis pacatis, vel existimare potuisset, Christianos eo dementiæ atque insaniæ perventuros, quo eos devenisse jam [proh dolor] cernimus? Nullam profecto huic similem passa est ab exordio Ecclesia Christi calamitatem. Nulla unquam pestis capitalior, nullum denique facinus intolerabilius. Et hæc quidem merito patimur ob scelera nostra, id quod luce clarius Daniel sapientissimus refert de cornu hirci, fœdissimi Anti-Christi, loquens (cujus figuram Antiochus, radix peccati dictus, gessit) & dicens: (z) *Magnificatum est usque ad fortitudinem Cœli*, id est, Ecclesiæ: ventilat enim hoc tempore cornu illud universum orbem Christianum: *Et dejecit de fortitudine, & de stellis, & conculcavit eas.* Has vero reor esse stellas, quarum idem meminit Vates dicens: *Qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, [a] (& Salvator in Evangelio prædicebat: [b] *Quoniam stellæ cadent de Cœlo*:) *Et usque ad Principem fortitudinis*, id est, Christum, Dei virtutem, Principem omnium longe fortissimum, *Magnificatum est, & ab eo tulit juge sacrificium*: (c) quod Hebraice hattamid dicitur, hoc est, sempiternum: quo procul dubio supremum illud Missæ sacrificium designatur, quod Summus Pontifex noster Jesus Christus, ministerio Sacerdotum suorum rite ordinatorum, ad finem usque sæculi pro nobis in Ecclesia sua offert Deo. *Et dejecit*, (ait Propheta) *locum sanctificationis ejus*; Hoc est, quicquid ad cultum Divinum, Ceremonias sanctas, & Statum Ecclesiasticum spectat, delevit prorsum. Addit autem Daniel, [d] dicens: *Robur vero datum est ei contra juge sacrificium propter peccata, & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur.* Quid [Viri Patres] manifestius dici potuit? Quis adeo cæcus est, qui non videat ea impleta in hæresibus? Abjecimus Legis Divinæ jugum suavissimum, non paruimus voci Domini. Ideoque stillavit super nos maledictio hæc, superinductum est in nos malum permaximum, quale nusquam fuit sub omni Cœlo: ut idem deplorat vates capite sequenti. Præcipue autem vitiis atque desidiæ Pastorum, Doctorum, Principum ac Magistratuum, imputandum venit hoc malum: ubi enim gradus celsior, ibi ruina major. Rem vero ita vere pleraque literarum Divinarum testimonia comprobant, e quibus id primum se se offert, quod Dominus ipse Sacerdotibus Leviticis [sed multo magis Evangelicis] ait Numeri XVIII. *Excubate in custodia Sanctuarii, ne oriatur indignatio super Filios Israel.* Ubi non dixit: Ne oriatur indignatio super vos; sed: *super Filios Israel*, ostendens, punitum se Sacerdotum peccata in populo. Subscribit huic Esaias (e) ingemiscens ac dicens: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens*. Et quid inde? *A planta pedis*, ait, *usque ad verticem, non est in eo sanitas.* Ejusdem quoque sententiæ est sermo Divinus apud Ezechielem, (f) Pastores sani quidem ac integri in rebus Divinis Judicii, sed tamen sceleratæ vitæ, corripiens, & dicens: *Cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oves meæ his, quæ conculcata fuerant, pascebantur, & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant.* Vulgus namque ad exempla mala sectanda admodum proclive & paratum est, desidiosum vero ac pigrum ad bonum. Confirmat hanc nostram sententiam author operis imperfecti in Matthæum, sive is sit Chrysostomus, sive quivis alius, Homilia XXXVIII. sic inquiens: *Si Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia foret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est.* Et paucis interpositis, subjunxit: *Si Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertetur ad peccandum.* Ob quod Irenæus, Episcopus Lugdunensis, testatur, [g] huic uni invigilasse Apostolos Domini, ut hi, quos Ecclesiis præficiebant, valde perfecti essent: quibus emendate agentibus, fieret magna utilitas, lapsis vero, summa calamitas. Hæc autem,

(y) Esa. 24. Osee 4. (z) Daniel 8. (a) Ejusd. 12.
(b) Matth. 24. (c) Dan. 8. (d) Ibid.
(e) Esa. 1. (f) Ezech. 34. (g) Iren. L. 3. advers. Hæreses. c. 3.

autem, non ut detrahamus, loquimur, sed potius, ut a malis errabundos retrahamus. Quod vero plebs (quæ est Principis hæreditas) sceleratorum suorum Principum luat pœnas, testatur Scriptura sancta capite 20. Geneseos: & item secundi Regum ultimo, ubi David Rex plagam, in populum suum ob piaculum ab eo admissum sævientem, cernens, dixisse fertur Domino: *Ego sum, qui peccavi: ego, qui inique egi; isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* Cum igitur maledictio hæc (qua supra modum vexamur) a capite primum, & exinde a membris oriatur, non abs re vestras convenimus dignitates [Viri ornatissimi] paraclesi illa Apostolica, qua Paulus Presbyteros, ac majores natu Ecclesiæ commonefaciebat, dicendo: *Attendite vobis & universo gregi.* (*b*) *Vobis* primo dicit, deinde *gregi.* Deponentes itaque veterem hominem, cum actibus suis, vitam agite vestro ordine ac gradu dignam. Ambulate digne Deo, digne Evangelio Christi conversemini. *Conversationem vestram inter gentes habetote bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus; ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* (*i*) Atque utinam huic Ecclesiæ hac congregatione & visitatione Synodali contingat, quod Dominus per Esaiam pollicetur, dicens: *Ponam visitationem tuam pacem, & Præpositos tuos justitiam.* (*k*) Ubi Græce pro Præpositis ἐπισκόπους legimus. Sequitur: *Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis: & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.* Excitant hostes tragœdias adversus Ecclesiasticos, probris ac contumeliis eos afficiunt, quos venerari in primis debuerant. Anhelant ad cædes, &, ut Esaias inquit, *Omnia quæ loquitur populus iste, conjuratio est.* [*l*] Sumunt arma, ut universum Ordinem Ecclesiasticum (si fieri possit) funditus disperdant: id quod jam (peccatis nostris ? ut credimus, vindictam expostulantibus) longe lateque peregissent, nisi Dominus, Ecclesiæ suæ misertus, per CAROLUM Maximum Cæsarem, Christianissimum ipsius Ecclesiæ Protectorem, Defensoremque strenuissimum ac invictissimum, eorum ferocissimis conatibus jam crebro occurrisset. Tollantur itaque abusus, abjiciantur ea, quæ dignitatem Ecclesiasticam labefactant. Nimirum Dominus Deus, qui dixit, de tenebris lumen splendescere, quique usque adeo bonus est, ut [Augustino teste] norit etiam ex malis bona elicere, his modis ac mediis [ut conjicimus] ad resipiscentiam salutarem, atque vitam in melius commutandam, nos vocat. Ut autem nonnulla, & ea quidem, quæ hominum animos magis movere solent, particulatim commemoremus, obsecramus pro Christo, evellatur primum radix amaritudinis, ebrietas, a qua reliqua omnia nefanda opera in his regionibus prodeunt. Est nempe ipsa (ut Deifer ille Basilius Magnus loquitur) spontaneus Dœmon, ex voluptate in animas irruens. Ebrietas, (inquit ipse) mater malitiæ, hostis virtutis, rationis donum permaximum [quo homo a brutis differt, & omnibus corporeis superior est] extinguit, ac prorsus tollit. In qua re differs a brutis, o homo? Nonne dono rationis, qua a Conditore accepta, Princeps ac Dominus omnis creaturæ factus es? Qui itaque sibi ipsi prudentiam, rationemque per ebrietatem detrahit, collatus est pecoribus, mentem non habentibus, ipsisque assimulatus est. Atque ego sane dixerim, ebriosos rationis magis expertes, quam pecora. Hucusque Basilius. (*m*) Sane si ebrietas grande crimen non esset; Esaias non in has maledictionis prorupisset voces: (*n*) *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes, ad miscendum ebrietatem! Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis! Cithara & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit: Propter hoc dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino: & descendent fortes ejus, & populus ejus, sublimes gloriosique ejus ad eum.* O tremendam sententiam! Estis [ornatissimi Domini] Principes populi Dei, quos Dominus constituit super omnem terram: Estis Reges, quibus panis supersubstantialis pinguis delicias præbet: Insigniti estis regalis Sacerdotii titulo. Dicit autem Salomon: *Noli Regibus, O Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas.* (*o*) Ubi igitur erit arcanorum consiliorum, imo & ipsius Judicii Divini, coram Sacerdotibus pro reatuum absolutione, secretum tam necessarium? Nolite ergo deinceps *inebriari vino, in quo est luxuria.* [*p*] Sed & ipsa quoque fœda luxuria ac libido sordida, prorsus rejicienda est. Estis enim præ cæteris vera, vivaque Dei veri & vivi templa. Porro *si quis Templum Dei violaverit,*

(*b*) Act. 20. (*i*) 1. Petr. 2. (*k*) Esa. 60.
(*l*) Esa. 8. (*m*) S. Basil. Tom. I. Homil. contra ebriosos.
(*n*) Esa. 5. (*o*) Prov. ult. (*p*) Ephes. 5.

verit, disperdet illum Deus. (q) Estis proinde sacrificii, quibus vetitum est, alienum ignem offerre. Nadab quippe & Abiud, filii Aaron, offerentes hujusmodi ignem alienum; interempti sunt coram Domino. (r) Piaculum autem istud concupiscentiæ carnalis, *ignis est* [haud dubium alienus] *usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*, uti testatur sanctus Job. (s) Nam opes ad nihilum redigit [quia, *qui nutrit scortum, perdet substantiam* (t)] vires corporeas exhaurit, corruptiones varias corporibus infert, (Apostolo dicente) *Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem*: (u) famam (qua nihil præstantius est) tollit, animi hebetat solertiam, mentis oculos cœcat, miseras animas donis suis Divinis, ornamentisque cœlestibus privat ac spoliat, quas tandem stagno ardenti igne, & sulphure adjudicat. Multa profecto hic adduci possent, quæ prolixitatis vitandæ gratia omitto. Id nihilominus silentio minime committendum duxi, vos stellas eas esse, quas habere dicitur Dei & hominis Filius in dextra sua. [x] Stellæ vero nequaquam corruptioni sunt obnoxiæ. Estis denique Angeli Ecclesiarum, superantes etiam interim Angelorum cœlestium dignitatem. Cui enim Spirituum cœlestium dedit Dominus Deus potestatem supra corpus suum, tam verum, quam mysticum? Quibus dixit aliquando Spiritibus: Ecce *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel?* (y) Cœlestes ergo cum sitis; agite cœlibatum. Estote gratia, quod sunt angelici Spiritus natura. Hic esse incipite, quod consummate in Cœlis futuri estis. Ob oculos mentis ponite, vos & vices gerere Filii Virginis, Sponsique Virginitatis JESU CHRISTI, & Sponsæ suæ Virginis illibatæ esse ministros. *Mundamini igitur, qui fertis vasa Domini.* (z) *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.* [a] Talis nempe debet esse [Divo Hieronymo teste] pudicitia Sacerdotalis, ut non solum ab opere se immundo abstineat; sed etiam a jactu oculi, & a cogitationis errore: mens, Christi corpus confectura, sit libera. Præterea explodatur de medio, Christi Domini interemptrix avaritia mala, ut possitis cum Apostolo, hoc in loco libere proclamare: *Argentum & aurum nullius vestrum concupivi.* (b) Tollatur commutatrix pessima Simonia, ne cuiquam dicatur: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri.* (c) *Gratis accepistis, gratis date.* (d) Sincere ministrentur plebi spiritalia. Abscedat, juxta Sacrorum Conciliorum Canonicas Sanctiones, Beneficiorum pluralitas. Liceat quidem [ut Apostolus loquitur (e)] his, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edere: & qui Altario deserviunt, cum Altari participare. *Ita enim & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Quis namque militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Dignum procul dubio, rationique consentaneum est, ut, *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo & doctrina sana.* (f) Veruntamen amovendi, abolendique sunt excessus quidam, qui novissimis his diebus irrepserunt, tum in quorumdam Sacramentorum & spiritualium ministratione, tum etiam in Præbendarum, Dignitatum, atque Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel collationibus, vel permutationibus; ne deinceps vituperetur ministerium nostrum, veluti jam factum est. Alioqui vereor plurimum, ne Dominus veniat, & cito, ut evertat (quod tamen a vobis avertat) Cathedras horum vendentium columbas in templo suo. Exinde, tollatur in opere servitutis Ecclesiasticæ ambitio dominandi, ac tam nociva honorum appetentia: nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron, sicut & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret. (g) Quiescant igitur, quicumque a Deo, & ab Ordinariis vocati non sunt, a tantis talibusque animarum curis ac sarcinis: & non nisi charitatis necessitate cogente, animarum regimen suscipiant, hoc præsertim sæculo, deploratis jam rebus, & exitio proximis. Mirum revera valde est, quod, cum [ut ait D. Basilius (h)] Evangelici ritus jam penitus sublato rerum ordine sint confusi; inexplicabilis tamen, & inexplebilis irruptio est ad Præfecturas. Quid (inquit D. Gregorius Nazianzenus [i]) te ipsum facis Pastorem; cum sis ovis? Quid caput efficeris, cum sis pes? Quid attentas ducere exercitum; cum inter milites gregarios dumtaxat sis ordinatus? Sit igitur sua quisque sorte contentus. Locus etenim ille superior (sine quo populus regi non potest) etsi ita, ut de-

cet

(q) 1. Cor. 3. (r) Levit. 10. (s) Job. 31.
(t) Prov. 29. (u) Galat. ult. (x) Apoc. 1.
(y) Luc. 22. (z) Esa. 52. (a) Esa. 1.
(b) Act. 20. (c) Act. 8. (d) Matth. 10.
(e) 1. Cor. 9. (f) 1. Timoth. 5. (g) Hebr. 5.
(h) S. Basil. L. de Spiritu S. c. 30. (i) S. Greg. Naz. de moderandis Disputationib.

cet, teneatur atque administretur, tamen indecenter appetitur, uti Divus prodidit Augustinus. (*k*) Demum celebrentur rite, omnique cum reverentia, Divinissima ac tremenda Missarum & Sacratissimæ Eucharistiæ mysteria, cum reliquis laudis Divinæ Sacrificiis. Solvant omnes calceamenta de pedibus suis, loca sancta ingressuri, id est, mortua quæque deponant opera. Deambulationes illæ in templis cum colloquiis prophanis (ut interim taceam de obscœnis & corruptissimis) auferantur, præsertim dum Divina celebrantur Officia. Memores estote zeli Domini, quo semel atque iterum tales expulit de templo sancto. Et ut semel dicam: *Attendite vobis* in omnibus, declinantes ab universis nequitiis, sectemini virtutes præclaras & optimas. Profecto enim [Viri Patres] totius rei nostræ summa penes vos residet. Nam dum boves arare cœperint, tum asinæ pascentur juxta eos: & ubi non sunt boves, præsepe vacuum est. Pastorum est præcedere greges suos, ut ipsi eos sequantur. Tempus itaque nunc est, ut incipiat judicium a domo Dei. Si quidem & Dominus apud Ezechielem, (*l*) justitiæ sui Ministris ait: *A Sanctuario meo incipite.* Quod si nosmetipsos judicaverimus, non utique dijudicabimur. Estis (Viri præstantissimi) Judices orbis, vos ipsos ergo primum judicate. *Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit*, aut infulsum fuerit, *in quo salietur*, seu condietur? *Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi.* (m) *Si* autem *lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt.* (*n*) Et, ut ingenue fatear, his rationibus moveor, ut existimem, nostræ Reipublicæ moderatores nusquam solis dumtaxat suppliciis extincturos hujusce hæreseos, ac seditionis flammam copiosissimam, nisi amotis scandalis publicis, detersisque flagitiis, errorem intolerabilem continentibus, accesserit Pastorum, Principum, moderatorum plebis, Doctorum, Religiosorum, ac quorumlibet Sacerdotum religiosa & pia vita. O igitur piaculum pleno lachrymarum fonte plangendum! O scelus inexpiabile, nullis unquam suppliciis, nullis ignibus, nulla gehenna satis vindicandum, si tantorum flagitiorum & criminum apud Deum rei inventi fuerimus, & si inescati, nescio, quibus deliciis ac voluptatibus sordidis, non destiterimus tantæ animarum stragis causas præbere! Sitis itaque tales, quales astruit non raro Divus Paulus oportere vos esse. *Oportet* [inquit] *Episcopum*, & quemlibet Ecclesiæ Præpositum, *sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum Deum est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari sana doctrina, & eos, qui contradicunt, arguere.* [*o*] Sint enim oportet Pastores, Doctores & docti. Jungenda est eruditio charitati & pietati *Suscipiant* itaque *montes pacem populo, & colles justitiam.* [*p*] Sedeant ad Domini pedes cum Maria. *Qui enim appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* (*q*) Legem namque requirit populus ab ore Pastorum & Doctorum. Caveant, ne sint cæci cæcorum duces. Per Prophetam namque comminatur Dominus, dicens: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* [*r*] Attende ergo (quicumque Pastor es) *tibi & doctrinæ* (ut Apostolus admonet) *insta in illis: Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* (s)

Non solum autem dicitur: *Attendite vobis*; sed &: *gregi universo.* Sane quam plurima sunt in grege ovium rationalium, ob quæ illi attendendum est. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*, (ait Apostolorum Princeps (*t*)) pascite scientia & doctrina. Pascite cibis Sacramentalibus, *Attendite gregi.* Provideat prudentia vestra non tam personis, quam Ecclesiis. Probentur primum, qui ipsis Ecclesiis præficiendi sunt; ut inculpati cognoscantur, priusquam illis animarum cura demandetur, & sic ministrent, nullum crimen habentes. *Sufficiant vobis omnia scelera vestra, domus Israel* [ait Dominus apud Ezechielem (*u*)] *eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, ut sint in Sanctuario meo, & polluant domum meam: & offertis panes meos, adipem, & sanguinem* (en Sanctissimæ Missæ mysterium) *& dissolvitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris: & non servastis præcepta Sanctuarii mei, & posuistis custodes observationum mearum in Sanctuario meo vobismetipsis.* Audiant hæc Principes Ecclesiarum, & hi, quorum est providere gregi Dominico. *Attendite gregi*: non vestris, aut vestratium privatis commodis terrenis: sed ante omnia attendite, ut corrigantur excessus ferme innumeri subditorum. Quis enim enumerare sufficiat ebrietates, homicidia, impudicitias, immunditias, adulteria, sacrilegia, horrendas blasphemias, dierum Sanctorum tam Dominicorum, quam aliorum quibusvis ope-

(*k*) L. 19. de Civit. DEI. c. 10. (*l*) Ezech. 9. (*m*) Matth. 5.
(*n*) Matth. 6. (*o*) 1. Timoth. 3. (*p*) Psal. 71.
(*q*) Deut. 33. (*r*) Ose. 4. (*s*) 1. Timoth. 4.
(*t*) 1. Petr. 5. [*u*] Ezech. 44.

operibus servilibus prophanationes? Taceo de circumventionibus, usurariis contractibus, furtis, mendaciis, odiis, rixis, contentionibus, & ejus generis iniquitatibus. Quidnam aliud dicturi sumus de his, qui Christianismi titulo insigniri volunt, nisi quod hodie versantur perinde atque exleges, ac professionis suæ penitus immemores; ita, ut obliti sint, se Christianos esse? Quid egregiæ dotis in his videbis? Quæ impietatis indicia non potius appareant in ipsis? Vestrum autem est (Viri Patres) errata corrigere. Ob id namque vobis data est potestas, non in destructionem, sed in ædificationem: ea ratione baculum geritis pastoralem. Corrigite itaque errata Virga Ecclesiasticæ potestatis, ne improperetur vobis illud Ezechielis: (x) *Quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod confractum est, non alligastis: & quod abjectum est, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Statuantur denuo, & serventur cum Legibus Divinis, Sacrorum Conciliorum, Patrumque Orthodoxorum sanctæ Sanctiones. Alioqui vereor plurimum, ne Dominus tot tantisque criminibus exacerbatus, plagam sævissimam in populo mittat, & moveat nonnulla candelabra de locis suis, quemadmodum in prophetia nova comminatur. *Ite ad locum meum in Silo* (ait nobis Dominus (y)) *ubi habitavit nomen meum a principio: & videte, quæ fecerim ei, propter malitiam populi mei Israel.* Quid quæso, fecit Dominus loco & Sacerdotio illi? Corruit populus in bello: Ophni & Phinees, filii Heli Sacerdotis interempti sunt: Arca Dei ab hostibus capta est. Idem Heli Sacerdos de sella cadens retrorsum, fractis cervicibus, mortuus est, & translata est gloria Domini de Israel, uti est in priore Samuelis. At cur ea contigerunt illis? Haud dubium propter iniquitatem (ait Dominus). Quam iniquitatem? Quia noverat Heli (z) Sacerdos indigne agere filios suos, & non corripuerit, seu prohibuerit eos. *Et nunc igitur* (ait Hieremias Propheta, [a] nobis loquens) *quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus, & locutus sum ad vos mane consurgens & loquens, & non audistis me: Vocavi, & non respondistis. Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco, quem dedi vobis, & Patribus vestris, sicut feci Silo; & projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros.* O verba supra modum expavescenda, & non solum verba, sed fulmina atque horrenda tonitrua! *Projiciam vos* (inquit) *a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros*, scilicet similes vobis. Hæc quippe priscis illis in figura contingebant, quæ (Apostolo attestante) scripta sunt ad correptionem nostram; quatenus pestilente flagellato, stultus & sapientior fiat, & emendatius vivat. Hoc sane unice postulabat David. Id unum formidabat, ne projiceretur a facie Domini.

Satagite itaque, Viri & Patres ornatissimi, ut Leges sanctæ statuantur & observentur, idque quam fieri poterit, festinantissime. Forsan enim sunt ejus generis Ecclesiæ morbi, quorum curatio longiorem moram non ferat, & tam lenta remedia adhibere sit periculosum. Maturate igitur, Patres optimi, iterum vobis dico, maturate. Neque vero satis fuerit, Leges condere, aut promulgare. Prudenter quippe & graviter admonet Aristoteles, frustra condi bonas leges, nisi sint, quorum opera bene conditæ serventur. Imo fit alioquin nonnunquam, ut optime conditæ leges in summam Reipublicæ perniciem vertantur, vitio Magistratuum. Hoc autem jure optimo a vobis exigitur, ut videlicet attendatis gregi universo, quando quidem Spiritus Sanctus vos posuit in ipso grege Episcopos, id est, Superintendentes ac Præpositos, regere, seu ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ad opera igitur, ad labores ac sudores assumpti estis. Si quidem nomen Episcopi (si Augustino credimus) non tam honoris est, quam oneris & operis [b]; ut intelligat, se non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaque omnem operam vestram gregi vobis commisso ex animo impendere satagite, ut regatur: pro quo unigenitus DEI Filius, Dominus noster JESUS CHRISTUS, ad mortem usque acerbissimam accedere non recusavit. Proinde animadvertite (Pastores egregii) quam sit nobile ac pretiosum depositum, quod vobis Spiritus Sanctus servandum, regendumque commisit. Tale haud dubium ac tantum est, quo nihil pretiosius in mundo est, quod non nisi pretiosissimo Filii DEI incarnati sanguine & morte (juxta tamen inenarrabiles consilii Divini dispensationes atque dispositiones) redimi potuit. Reputate ex pretio rei emptæ, hoc est, Ecclesiæ, & animarum, eximiam quamdam dignitatem: & curate diligentius, ut nihil desit officio vestro, & gregi vobis credito, seu Ecclesiæ illi, quam Dominus Deus sibi ipsi sanguine suo acquisivit. Nam si sanguinem illum pretiosissimum penes vos in vase aliquo reconditum haberetis, quanta (obsecro) cum reverentia & diligentia asservaretis? Quid igitur ego infœlix, ait devotus Bernardus, c) quo

(x) Ezech. 34. (y) Hierem. 7. (z) 1. Reg. 2. 3. & 4.
(a) Hierem. 7. (b) S. Aug. L. 19. de Civit. Dei. c. 19.
(c) S. Bern. Serm. Dom. 3. Advent.

quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire? Veniet, veniet, tremenda dies illa, quando requiretur a pravis ac desidiosis Pastoribus sanguis ovium, suo ipsorum vitio, suaque ignavia perditarum, pro quibus redimendis sufficienter effusus est sanguis optimi Redemptoris, æquissimi Judicis. Apostolum itaque rursus audite (Pastores dignissimi) dicentem vobis: *Attendite gregi.* At quanam ratione tantopere, tamque sedulo Pastores horum, quæ prædicta sunt, commonefacis, O electissime Paule? *Ego scio*, inquit [*d*], *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Quos vero luporum nomine designare voluerit, aperit mox subjungens: *Et ex vobis ipsis exurgent viri, loquentes perversa, ut abducant* a via recta *discipulos post se.* Hoc autem huic nostro sæculo turbulentissimo, vel maxime convenire quis ambigit? Advenerunt procul dubio dies pessimi, ac tempora periculosa, a sanctis Apostolis & Prophetis Domini, vaticiniis prænuntiata, in quibus omnis priorum vesania & malitia adunata cernitur, quæ ob id maxime formidanda est: virtus namque unita fortior est seipsa dispersa. Redierunt in miserrimis hæreticis Lutheranis Chore, Dathan, atque Abiron, qui volentes temere sibi vindicare Sacerdotium ac Primatum, aiunt veris Ecclesiæ Rectoribus: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum [seu sancta] est, & in ipsis est Dominus. (*dd*) Cur elevamini super populum Domini, Babylonii, Macedones, Diocletiani, Decii, & ejusmodi tyranni immanissimi? His diebus templa Domini succenderunt, diruerunt, prophanarunt, sacris vestibus, ac quibusvis ornamentis spoliarunt: venerandas imagines plerisque contumeliis affecerunt. Denique quod jus, quæ lex, quæ honestas, quæ virtus, quæ sanctitas, ab his teterrimis monstris non violatur? Hi sunt *lupi rapaces, non parcentes gregi*, nihil verentes, audaces, omnem potestatem blasphemantes (ut ait Divus Petrus [*e*]) qui non metuunt sectas introducere. Sane horum aliqui sunt Joviniani, alii Pelagiani, alii Manichæi, alii Heluidii, alii Vigilantii, seu potius Dormitantii, alii Berengarii, Hussitæ alii, imo sunt nonnulli Athei. Deficiet me tempus, si his recensendis amplius incumbere voluero. Ex nobis *exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* (*f*) Nunc autem abierunt retrorsum: circumferunt passim libellos veneno lethali, igneque infernali refertos, quibus incautos quosque ac instabiles ad suas absurdas pertrahant opiniones: vacant conventiculis: *Insidiantur in abscondito, quasi Leo in spelunca sua.* (*g*) Hi sunt [ut Divus Judas ait] *nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur: arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ: fluctus feri maris, despumantes suas confusiones: sydera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* (h) *Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessavi cum lachrymis monere unumquemque vestrum.* (i) O vere pectus Apostolicum! o vocem tanto dignam Pastore, ab universis Pastoribus veris recolendam frequentius! *Non cessavi* (inquit) *cum lacbrymis nocte & die per triennium monere unumquemque vestrum.* Heu! Heu Pastores! quis nostrum dicere veraciter poterit cum eodem Apostolo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* (*k*) Quot scandala, quot morbos, imo & mortes, quot errores tum vitæ, tum doctrinæ sunt apud Christianos? Et tamen quam paucissimos cernimus, qui manus porrigant adjutrices rebus jam ferme desperatis. *Lac comedebatis* (ait per Ezechielem Dominus [*l*]) *& lanis operiebamini, gregem autem meum non pascebatis.* Nos ergo dicamus Pastoribus: Vigilate, ut contraria curentur contrariis. Sane dormitio Pastorum ac Rectorum plebis, pertulit inimicum hominem seminare zizania in medio tritici Dominici, ut est in parabola Evangelica: *Cum autem* (ait Christus) *dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania* (*m*). Ubi Chrysostomus (*n*) sic habet: Vides hæreseos causam hanc esse, quod homines dormierint, quod negligentes fuerint. Abjiciant ergo diligentia ac vigilantia, quod negligentia ac desidia introduxit, quæ revera magna olim fuit, estque usque ad hanc diem. Loquatur Esaias, loquatur præco Evangelicus. *Speculatores ejus*, id est, Ecclesiæ, *cæci* (inquit) *omnes, nescierunt universi: canes muti, non valentes latrare: videntes vana, dormientes & amantes somnia: & canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum. Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius.* (*o*) Non dubitabo pro-

(*d*) Act. 20. (*dd*) Num. 16. (*e*) 2. Petr. 2. (*f*) 1. Joann. 1.
(*g*) Psalm. 9. (*h*) Jud. cap. unic. [*i*] Act. 20.
[*k*] 2. Cor. 11. [*l*] Ezech. 34. (*m*) Matth. 13.
(*n*) Chrysost. in fragmento quodam Epist. prioris ad Cor. super illo: *Oportet hæreses esse.*
(*o*) Esa. 56.

proferre illam Domini vocem apud Ezechielem (p): *Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret: non erat, inquam, qui requireret.* Auditisne perditionis causam? Huic concinne respondet Hieremias, sic inquiens: (q) *Quia stulte egerunt Pastores, & Dominum non quæsierunt, propterea non intellexerunt: & omnis grex eorum dispersus est.* Vigilate itaque, Pastores venerandi, tum in his, quæ contra bonos mores succreverunt, tum etiam & maxime in his, quæ sanctissimæ nostræ fidei adversantur. Disquirite exactius, num lateat anguis in herba. Cavete, ne vel scintilla una hæreseos in terminis vestris foveatur. Ait quippe Divus Hieronymus (r): Doctrina perversa ab uno incipiens, vix duos, aut tres primum in exordio reperit auditores; sed paulatim cancer serpit in corpore: & juxta vulgare Proverbium, unius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur si scintilla apparuerit, statim extinguenda est, & fermentum à massæ vicinia semovendum: secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal a caulis ovium repellendum; ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria una scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est. Hactenus Hieronymus. Vigilate ergo in omnibus, tamquam rationem reddituri Domino de animabus vobis commissis, ut cum gaudio id faciatis, & non gementes. Sed jam receptui canendum est.

Ad tuam igitur Celsitudinem [tandem concludens] stylum converto, Præsul Dignissime, Illustrissimeque Princeps: quatenus tuam colendissimam Dominationem ad solertem vigilantiam supra gregem tuum adhorter. Tametsi non sim nescius, tuam Dignitatem (me etiam tacente) super hocce negotio abunde monitam; facio nihilominus, quod est Provinciæ meæ. Utraque potestate ornatus incedis, utraque manu fulciris. Esto igitur (ut Græci aiunt) ἀμφιδέξιος, hoc est, utere utraque manu pro dextera. Jam enim lupos a caulis tuis strenue expulisti, ad Domini gloriam, gregis tui quietem, atque nominis tui laudem non exiguam. Perge igitur, ut quod fœliciter cœpisti, optime succedat: animæquior esto: Jam enim Leo cognosceris ex unguibus, Leonis illius vices gerens, de quo scriptum est: *Ecce vicit Leo de Tribu Juda.* (s) Denique Patres, ac Domini observandissimi, Sanctum Judam (t) audite. *Vos autem* [ait] *Charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ nostræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, Vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri JESU CHRISTI in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicatos, illos vero salvate de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore, odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.* Et nunc cum Apostolo *Commendo vos DEO, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in Sanctificatis omnibus.*(u) DIXI.

Postquam ergo finis esset dictæ concionis, Dominus Reverendissimus, Benedictione Episcopali omnibus impartita, cum aliis Patribus & Prælatis, ac Cleri ordinibus ad Sacellum prætactum, locum Synodi negotiis accommodum & specialiter deputatum, accessit.

Quibus ordine considentibus, primo jussus est recitari Catalogus eorum, qui ad Synodum vocati fuerant, eidemque interesse tenebantur; quo scilicet de comparentium prompta obedientia, & absentium contumacia, seu inobedientia evidenter constare posset. Cumque inter Patres, Dominosque Synodi præsentes, nonnulli de suis protestarentur privilegiis & exemptionibus sibi (ut asserebant) concessis; antedictus Reverendissimus, & Illustrissimus Princeps, ne protestationibus, aut dissensionibus sancta Synodus dissolveretur, aut in longum protraheretur, neve debito suo frustraretur effectu; per egregium Virum Dominum & Magistrum Remigium Druicium, utriusque Juris Licentiatum, Officialem suum, declaravit, seu declarari fecit, se non intendere, neque velle privilegiis & exemptionibus, si quas habeant dicti protestantes (quod non credebat, neque credit) in aliquo præjudicare; sed neque suæ authoritati, vel jurisdictioni præjudicium aliquod generari.

Deinde lectis nonnullorum absentium Procuratoriis & mandatis, petiit idem Dominus Reverendissimus a Patribus Synodi, num sufficientia, an vero juxta antiqua Statuta Synodalia, *in primo titulo de Pertinentibus scilicet ad Synodum*, contenta

(p) Ezech. 34. (q) Hierem. 10. (r) S. Hieron. L. 3. Commentar. in Epist. ad Gal.
(s) Apocal. 5. [t] Jud. Cap. unic. [u] Act. 20.

tenta, in primis visitanda & examinanda forent. Collectisque dein singulorum suffragiis dicta procuratoria, mandataque maturo judicio diligenter expendenda conclusit, admittendaque, si sufficientia; rejicenda vero, si insufficienter, aut aliter, atque dicta requirunt statuta, confecta forent.

Lectisque deinde Sacræ Cæsareæ Majestatis litteris, ad præfatum Dominum Reverendissimum datis, dictoque convocationis mandato, quo celerius ad negotiorum Synodi tractationem & conclusionem procedi posset: ex singulis ejusdem Synodi statibus, seu ordinibus designati fuere certi Deputati, qui una cum Deputatis, seu Vicariis præfati Domini Reverendissimi, absentium procuratoria, mandataque eadem die a prandio sedulo perlegerunt, perlectaque mature expenderunt.

DIE vero *TERTIA* dicti mensis Octobris, præsidente Reverendissimo Domino, ac Patribus, singulisque Synodi ordinibus; in dicto Sacello Episcopali Gratiæ suæ utrimque assidentibus, simul ac Sacrum inibi per Reverendum Patrem, Dominum Abbatem Sancti Auberti Cameracensis, primum Sacellanum, Cantoresque Musicos dicti Reverendissimi Domini decantatum erat; illi, qui literis convocationis præscriptis obtemperare, aut ad Synodum, nulla subsistente legitima causa, comparere neglexerant, authoritate Synodali contumaces declarati: alii vero, quorum procuratoria sufficere non videbantur, ad certum tempus a contumacia excusati fuerunt.

Quibus sic actis Reverendissimus Dominus Patribus ordinibusque Synodi causam indictionis & convocationis hujus Conventus, sive Concilii Synodalis exponi, eosque, ut una secum de modo exequendi Reformationem, per Cæsaream Majestatem Statibus Ecclesiasticis in Comitiis Augustanis propositam, & ab eisdem probatam & receptam, deque vitiis, abusibus, & scandalis, e Clero & populo tollendis, & eruendis, mature deliberarent & in commune consulerent, per dictum suum Officialem sequenti verborum forma cohortari jussit.

PROPOSITIO ET COHORTATIO AD PATRES SYNODI.

Reverendi Patres, Venerabiles, & Religiosi Viri & Domini: Reverendas Paternitates vestras latere non arbitror, quod Clementissimus & Invictissimus Princeps & Dominus noster, CAROLUS Quintus, Romanorum Imperator semper Augustus, publicæ pacis & tranquillitatis vindex, Comitiis Augustanis, Anno quadragesimo octavo, mense Majo celebratis, omnem animi consiliique rationem in id contulerit, ut pro admirabili sua prudentia simul & suscepto cœlitus Ecclesiam Catholicam tuendi officio, religioni prope universæ, improborum licentia obliteratæ, opem ferret, eamque Divina aspirante gratia in tutum tranquillitatis portum de mediis procellarum, turbinumque fluctibus reduceret: ique fieri posse illius Majestas existimavit, si Ecclesiarum mores, vitæque ratio ad meliorem sanctioremque normam revocarentur. Itaque Sacra Cæsaris Majestas Statibus Ecclesiasticis Imperii (de quorum numero Dei Gratia Reverendissimus Dominus noster Episcopus, & Dux Cameracensis existit) Formam Reformationis, Scripturis Sacris, Divinitusque inspiratis Canonibus, consentaneam, deque sacrorum voluminum penu, piorum, literatissimorumque hominum industria depromptam proposuit: quam maturis deliberatione & consultatione præviis, dicti Imperii Status Ecclesiastici approbarunt, & exequendam susceperunt, prout jam diu eandem in suis Conciliis Provincialibus & Synodalibus cœteri publicarunt, & observari districte mandarunt. Quapropter Reverendissimus, & Illustrissimus Princeps, & Dominus noster, desiderans, se se cæteris Imperii Principibus, & conclusioni in Comitiis Augustanis captæ (sicuti tenetur,) conformare, nec non literis Sacræ Cæsareæ Majestatis, Anno quinquagesimo, Bruxellæ ad Gratiam suam Reverendissimam scriptis (quibus eandem, ut prædictam Reformationis Formulam in universa sua Diœcesi, & ditione Ecclesiastica promulgari, vitiaque, abusus & scandala, quæ passim irrepserunt,

runt, e medio tolli, corrigi, & in melius reformari, folicite & fideliter curaret, adhortatur) prompte & benevole obtemperare & fatisfacere: Reverendas Paternitates veftras ad primam diem Octobris, Divo Remigio facram, literis patentibus convocari, & prædictam Reformationis Formam in hac fancta Synodo publicari juffit, palam coram Paternitate veftra declarans, fe quantum perfonam fuam, ordinem, dignitatemque refpicit, per omnia eidem fatisfacere velle: daturum quoque operam, ut & Officiales & miniftri fui eandem (Sanctiffimi Domini noftri, prout maximi, & Reverendiffimi in Chrifto Patris, Archi-Epifcopi Remenfis, Superioris noftri, authoritate femper falva) obfervent. Itaque Reverendam Paternitatem veftram, ut, exutis omnibus affectibus humanis, fimul cum Reverendiffima Paternitate fua de modo exequendi eandem, deque vitiis, abufibus, & gravibus fcandalis (fi quæ funt) extirpandis, fancte & pie deliberetis, ferio adhortatur & admonet; quo Deo Optimo Maximo, Creatori noftro, & Sereniffimæ Cæfareæ Majeftati gratus, Ecclefiæque & Diœcefi Cameracenfi falutaris fit hujus in Sancto Spiritu congregatæ Synodi fructus & exitus.

Atqui ne neceffarium foret, in Statutis novis concipiendis ad executionem dictæ Reformationis conducentibus, longum tempus impendere, nonnulla ftatuta nova, de Mandato Reverendiffimi Domini noftri collecta, & concepta, coram Reverenda Paternitate veftra legentur: fuper quibus in hac fancta Synodo deliberandum erit, an fic ftatuenda & publicanda videantur.

Continuo juffu dicti Reverendiffimi, honorabilis Vir, Magifter Hubertus de Clufis, ipfius Domini Reverendiffimi a Secretis, Formulam Reformationis præfcriptæ a capite ad calcem ufque, nec non articulos quofdam, pro illius executione ad formam feu modum Statutorum Synodalium conceptos & redactos, palam recitavit atque perlegit. Cumque dicti articuli unica duntaxat lectione per totam Synodum mature expendi non poffent; permifit idem Reverendiffimus dictæ Synodi Patribus, ut ex fingulis ordinibus aliquos deputarent & feligerent, qui fuper articulis & ftatutis, modo jam dicto conceptis, mature inter fe fe deliberarent, Vicariisque, feu deputatis ejusdem Gratiæ fuæ referrent, ut cum ipfis confulere poffent.

Quo circa Patres, finguli que ordines Synodales fubfcripti, fuos defignarunt deputatos, ad, fuper prætactis articulis, five ftatutis, eorumque tenore, aliisque pro parte Domini Reverendiffimi propofitis, eadem die a prandio ac fubfequentibus diebus mature deliberandum, ac cum illius Gratiæ Reverendiffimæ Vicariis, feu deputatis, confulendum.

Deinde quo fingula acta, conclufiones, & decreta, fideliter exciperentur, & confcriberentur; præfatus Reverendiffimi Domini Secretarius, adjuncto fibi Domino Joanne de Fontanis, infignis Ecclefiæ Cathedralis Notario, communibus omnium & fingulorum Patrum, ordinumque vocibus & fuffragiis, hujus fanctæ Synodi Scriba deputatus fuit.

EADEM DIE circa horam quartam pomeridianam, ac *DIE SUBSEQUENTI*, Deputati Patrum, ordinumque Synodi in Sacello Epifcopali fimul congregati, petita & obtenta prius dictorum articulorum feu ftatutorum copia, Provinciam negotiumque, fibi a fancta Synodo commiffum, fedulo continuoque profecuti funt, eosdemque articulos, five Statuta, aliaque pro parte Domini Reverendiffimi propofita, diligenter expenderunt & difcufferunt, atque ea, quæ fibi in eisdem corrigenda, feu moderanda videbantur, eidem Reverendiffimo per gratiæ fuæ Secretarium ac Scribam Synodi prædictum referri jufferunt.

Multis itaque deliberationibus & confultationibus utrimque, privatim & communiter præhabitis, ac nonnullis eorum, quæ in dictis articulis continebantur, mutatis feu correctis, & quibusdam additis,

Tandem *DIE QUINTA* dicti menfis Octobris, circiter horam quartam poft meridiem, Patres, ordinesque Synodi denuo in Sacello, ac loco Synodali prætacto confidentes, articulos & Statuta prædicta, fub iis tenore & forma, quibus per Reverendiffimum, ac Deputatos Synodi vifitata, moderata, & correcta erant,

erant, unanimiter omnes acceptarunt, laudarunt, & probarunt, consentientes, ut eadem taliter edantur, publicentur, districteque sub pœnis & censuris inibi contentis, ab omnibus & singulis observari mandarentur: quorumcumque tamen exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus & juribus quibuscumque, semper salvis.

Et insuper, ut antiqua Civitatis & Diœcesis Cameracensis Statuta Synodalia ad certam juris & æquitatis normam redigi, dictaque Synodus celebrius absolvi, & terminari posset; præfati Patres, ordinesque Synodales, certos suos unanimi voce & suffragio elegerunt ac designarunt Deputatos, ad una cum dicto Domino Reverendissimo, ejusve Vicariis, antiqua Statuta prætacta, authoritate præsentis Synodi visitandum, discutiendum, innovandum, approbandum, addendum, diminuendum, superfluaque, ac præsenti Sæculo minus consentanea, resecandum, abusus quoque audiendum, & corrigendum, ac desuper, si opus fuerit, statuendum. Ita tamen, ut alterum Deputatorum ex singulis Ordinibus, cum Vicariis, seu Deputatis Domini Reverendissimi, in præmissis præsentem esse sufficiat.

Deinde Reverendissimus & Illustrissimus Princeps supplicationem generalem, postridie circiter horam octavam cum delatione imaginis Deiparæ Virginis, a Beato Luca depictæ, solemniter celebrandam decrevit, omnibusque Synodi Patribus & Ordinibus intimari jussit, ut dicta hora in Palatio suo Episcopali singuli eo habitu, quo prima die comparuerant, adessent, supplicationem ejusmodi decoraturi, ac Missam de Sancta Trinitate pro gratiarum actione, a Reverendo Patre, Domino Suffraganeo, decantandam, atque Constitutionum, seu Statutorum Synodalium prædictorum, iteratam relationem & publicationem audituri.

DIE itaque *SEXTA* antedicti mensis Octobris, supplicatione ac Missa ad Offertorium usque peractis, idem Reverendissimus Dominus Statuta & Constitutiones prætactas per præfatum suum Secretarium ac Synodi Notarium subscriptum, Gratiæ suæ Reverendissimæ astantem, alte & intelligibili voce recitari & publicari fecit: illaque authoritate Synodali, juxta formam & tenorem, sub pœnis & censuris inibi comprehensis districtius observanda decrevit, aliaque fecit & fieri voluit, atque mandavit, quemadmodum in eisdem Statutis & constitutionibus subscriptis plenius continetur. Quibus quidem, ordine ac modo præscriptis, Dei gratia fœliciter gestis, Missaque finita, & Benedictione Episcopali, a Reverendissimo, casula, mitra, & superhumerali, cæterisque Pontificalibus induto, omnibus impartita, Synodus ipsa (facultate & authoritate, prædictis deputatis, quoad veterum Statutorum Synodalium visitationem, ac alias, ut præmittitur, concessis, in suo robore nihilominus manentibus) soluta fuit.

Postremo Deputati Domini Reverendissimi ac Patrum, ordinumque Synodi prætactæ, *DIE SEPTIMA & OCTAVA* mensis Octobris, juxta Provinciam, & facultatem sibi ab eadem sancta Synodo concessam, antiqua Statuta Synodalia, prius etiam jussu Domini Reverendissimi per Jurisperitos visitata, ac in ordinem redacta, continuo, diligenterque expenderunt, examinarunt, & discusserunt: eademque modo & forma in fine dictorum Statutorum veterum subscriptorum contentis, authoritate dictæ Synodi corrigenda, seu moderanda, augenda, innovanda, approbanda, & imprimenda concluserunt, reliquis omnibus antiquis Statutis Synodalibus, tanquam antiquatis, seu obliteratis, ac præsenti sæculo parum congruentibus, omissis.



SEQUUNTUR

DECRETA SYNODI DIOECESANÆ CAMERACENSIS,

Præsidente Reverendissimo & Illustrissimo Principe, Domino ROBERTO DE CROY &c.

ROBERTUS DE CROY, DEI GRATIA, EPISCOPUS ET DUX CAMERACENSIS, SACRI IMPERII PRINCEPS, COMES CAMERACESII, &c. UNIVERSIS ET SINGULIS ECCLESIÆ NOSTRÆ CATHEDRALIS, AC MONASTERIORUM ET ECCLESIARUM QUARUMCUMQUE PRÆLATIS, ABBATIBUS, ABBATISSIS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, CAPITULIS, ARCHI-PRESBYTERIS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, RECTORIBUS, CANONICIS, CAPELLANIS, PRESBYTERIS, CLERICIS ET LAICIS NOSTRARUM CIVITATIS ET DIOECESIS CAMERACENSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUum Apostoli & orthodoxi Patres, extirpandis olim hæresibus, & vitiorum undis nullum efficacius remedium, atque frequentem Synodum arbitrarentur; hac una afflictis Ecclesiæ rebus, aut quoties labefactari viderentur, merito succurrebant. Nam, si Christus, ubi duo (*) consenserint in nomine ipsius, de omni re, quamcunque petierint, pollicitus est, illis fieri a Patre, addens, quod in medio illorum sit: quanto magis aderit, ubi nos pro re tam pia, tam utili, & ad ipsius gloriam & Ecclesiæ decorem tam necessaria, convenisse perspexerit? Huic igitur pollicitationi & veritati Evangelicæ (quæ idem Christus est) firmiter innitentes, pro communi Cleri & populi nostrarum Civitatis & Diœcesis utilitate, proque repurgandis sordibus & abusibus, quæ passim in disciplinam & mores irrepserunt, utque singula suo restituantur nitori, pristinæque dignitati, maturis cum dictæ Ecclesiæ nostræ Cathedralis Capitulo, ejusve deputatis, ac aliis hujus Sacrosanctæ Synodi Patribus, ac Cleri Ordinibus deliberatione & consilio præhabitis, eisque omnibus consentientibus, & astipulantibus, has nostras Constitutiones Synodales ex jure, Sanctorumque Patrum Sanctionibus & Decretis desumptas, ac præter æquum & bonum nihil continentes, congessimus, statuimus, & ordinavimus, in hunc, qui sequitur, modum.

De Qualitate Ordinandorum, & temporibus Ordinationum.

TITULUS PRIMUS.

Tempus Ordinandis præfixum.

IN primis, ut non nisi diligenti & seria examinatione idonei judicati sacris Ordinibus initientur; in hac Sancta Synodo pro executione Formulæ Reformationis (*a*) statuendum duximus, & statuimus, quod quisquis post hac ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promoveri voluerit, feria quinta: & qui ad Diaconatum, vel Sacerdotium, feria sexta, ante meridiem, hora octava, cum Titulo sufficienti, & alias ad examen subeundum (a quo neminem, cujuscumque status & conditionis, eximi volumus) in civitatibus & locis, in quibus Nos, vel in Spiritualibus Vicarium nostrum, ex dispositione nostra Ordines celebrare contigerit, paratus adsit, adferens secum Testi-

(*) Matth. 18. (*a*) In tit. *De ordinat. & elect. Ministr. Eccles.*

Testimonium legitimum Decani Christianitatis, Parochi, Præceptorum, vel proborum virorum, apud quos majorem vitæ partem Ordinandus exegit, seu eorum, quibuscum moratus fuit, qui vitam & mores ordinandi exploratos habeant, eumque litteris suis talem testentur, qualem Formula Reformationis in §. *Mores*, ac Titulo: *De Ordinatione Ministrorum Ecclesiæ*, esse requirit: ac similes litteras testimoniales, Religiosi cujuscumque ordinis, seu religionis, a suis Superioribus, sub consuetis signis ac sigillis, Nobis, aut Vicariis nostris exhibeant. Alioquin ad sacros Ordines nullatenus admittantur.

Quomodo Ordinandus se præparare debeat.

Et ne sacris decorandi Ordinibus, officio se alligent, cui non possint satisfacere, neve Spiritui Sancto mentiantur, aut impœnitenti corde accurrant; statuimus & ordinamus, quod quilibet ordinandus ore confessus, ac spiritu contritus, humiliatusque, ac totus Deo deditus accedat: memineritque ordinandus, a Nobis, ac Vicariis nostris, ante omnia explorare, & diligenter inquirere affectum, quo ducatur, ad sacros Ordines petendos, & an propositum ejus liberum ab omni vi, vel metu, pium, sanctum, & firmum existat.

De Proclamatione ad Ordines promovendi.

Et quoniam nonnunquam compertum est, nonnullos vinculo matrimoniali prius clandestine adstrictos, vel alio impedimento detentos, fraudulenter, in grave animarum suarum periculum, tam eas, cum quibus clandestine contraxerunt, (b) quam Nos, aut Vicarios nostros decipiendo, convolare; ideo statuimus & ordinamus: quod, quicumque ad Subdiaconatum promoveri voluerit, proclamationem unam (c) per Curatum Parochialis Ecclesiæ loci, seu civitatis, ubi annos nubiles contraxerit, publice in ambone sub Missarum solemniis fieri procuret. Sic tamen, ut inter proclamationem hujusmodi, ac ordinum susceptionem, unius mensis intervallum existat. Et si quis impedimentum aliquod sciat, ipsi Curato, ac ulterius Curatus Nobis, aut Vicariis nostris, idipsum denuntiet. De qua quidem proclamatione, nisi Nobis, aut Vicariis nostris, per literas Curati legitime constiterit, ad sacrum Subdiaconatus ordinem non admittatur: volentes, ac districte præcipientes omnibus & singulis Curatis, & Vice-Curatis nostrarum Civitatis, & Diœcesis; ne pro proclamatione hujusmodi ac literis testimonialibus, ultra tres stuferos exigere, aut recipere præsumant.

Ne literæ dimissoriales concedantur.

Ne autem examen prædictum, ac morum disquisitionem subterfugientes, ad alienos Episcopos declinent, omnibus & singulis Vicariis, & Officiariis nostris districtius prohibemus, ne literas dimissoriales, ad sacros Ordines ab extraneis Episcopis suscipiendos, cuiquam sine probabili causa concedant.

De ordinatis per alienos Episcopos, vel extra tempora.

Et nihilominus cum etiam non raro fiat, ut Clerici nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, vinculo excommunicationis, aut matrimonii astricti, apostatæ, idiotæ, vel irregulares, aliasve sacrorum Ordinum susceptione indigni, sine nostro, seu Vicariorum nostrorum examine & licentia, per alienos Episcopos, quandoque furtive, seu per saltum, & interdum extra tempora statuta, ac alias contra sacrorum Canonum sanctiones, se faciunt promoveri: & deinde ex dispositione Apostolica, vel alias, se debite promotos esse fingentes, in sacris Ordinibus præsumunt ministrare: hinc est, quod nos pro executione Juris Communis, quantum possumus, hisce providere cupientes, hac Synodali prohibitione statuimus, ut nullus Civitatis & Diœcesis Cameracensis Clericus, absque diligenti (ut præmittitur) facto examine, nostraque, aut Vicariorum nostrorum licentia speciali, ad sacros Ordines promotus, in ordinibus hujusmodi, in nostris civitate & Diœcesi, ministrare præ-

(b) *C. 1. & 2. extra. de Cleri. conjuga.*
(c) Juxta §. *In his omnib. circa fin. sub dict. tit. de Ordin. Ministr. Eccles.* in Form. Reform.

præſumat, aut ad taliter ſuſceptorum ordinum executionem per aliquem ſcienter admittatur: donec & quousque Nobis, ſeu Vicariis noſtris prædictis, de vita, moribus, & doctrina ejusdem legitime conſtiterit, & quod admitti debeat, noſtris, ſeu eorumdem Vicariorum noſtrorum literis patentibus oſtendat. Transgreſſores autem præſentis Conſtitutionis, & qui contra illam, in ſuſceptis ordinibus (ut præmittitur) non admiſſi miniſtrare præſumpſerint, monitione prævia, excommunicatione feriantur. Quodque pro literis teſtimonii, ſeu admiſſionis hujusmodi ſolum recipiantur tres ſtuferi; & fiat examen gratis.

Ut tituli Ordinandorum bene diſcutiantur.

Inſuper injungimus & mandamus Vicariis & Officiariis noſtris, ut Tituli ordinandorum bene diſcutiantur; ne fictis aut emendicatis Titulis promoti, cogantur in grave Ordinis Clericalis dedecus, aut ſtipem oſtiatim emendicare, aut (quod dolendum eſt) Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium quaſi venale facere.

De Electione & Inſtitutione.
TITULUS SECUNDUS.

Ne ad dignitates aſſumantur indigni.

QUia nonnulli citra ullum ſcientiæ, morum, ætatis diſcrimen inidoneos ad dignitates & Prælaturas, Parochiales Eccleſias, aliaque beneficia Eccleſiaſtica promovent, eligunt, ſeu præſentant: idcirco hoc Synodali edicto omnibus Abbatibus, Abbatiſſis, Prælatis, & Capitulis, Collatoribus, Collatricibus, ac beneficiorum quorumcumque, maxime Curatorum, Patronis inhibemus, ne inidoneos ad Abbatiales dignitates, Præpoſituras, Decanatus & Archidiaconatus, aliasque dignitates eligant, vel eadem, aut alia beneficia curata, inidoneis conferant. Si vero (quod abſit) ſcienter contrarium fecerint; in pœnas Lateranenſis (d) Concilii, contra tales promulgatas, incidiſſe declaramus, easque omni favore poſtpoſito exequi mandamus.

Quid ante inſtitutionem, aut confirmationem inquirendum.

Archidiaconi vero, & alii, quibus de jure, vel conſuetudine inſtitutio, ſeu Clericorum confirmatio competit, de ætatis maturitate, morum gravitate, literarum ſcientia, ad vocationem hujusmodi requiſitis, (pro ut ex officii ſui debito tenentur) inquirant, & ſi inidonei, vel inhabiles per eos inventi fuerint, electionem nequaquam confirment, aut præſentatos inſtituant: (e) ſed de eo Nos, vel Officiales noſtros, certiores infra menſem reddant, ut contra tales ad Concilii Lateranenſis, (f) aliarumque Conſtitutionum pœnas procedi, in aliorum exemplum & terrorem queat. Sin autem dicti Archidiaconi, & alii, inſtitutionem, vel electionum confirmationem habentes, id facere neglexerint, contra eos ad pœnas (g) arbitrarias procedi volumus, & mandamus. De Vice-Curatis autem ad regimen curæ animarum admittendis, hoc obſervari volumus, quod antiquitus (h) per Prædeceſſores noſtros recte in titulo *De additionibus.* §. *Licet regulariter* &c. ſtatutum ac cautum reperitur.

Poſſidentes Eccleſias Parochiales, infra annum ad Presbyteratum promoveantur.

Cumque ad Eccleſias Parochiales nemo aſſumi debeat, qui fructuum, ſeu cenſuum colligendorum potius, quam gregis curam habere deſiderat: neque æquum ſit, ut de altari vivat, qui altari non ſervit; idcirco Sanctiſſimorum Pontificum in ſacris Lateranenſi & Lugdunenſi Conciliis editis Conſtitutionibus (i) inni-

(d) C. *Cum in cunctis.* §. *final.* & concordat c. *Innotuit.* c. *Cum Wintonien.* extra. de election. & elect. poteſta. c. *Licet Canon.* c. *Perpetuo.* de elect. in 6.
(e) C. *Nihil eſt.* c. *Venerabilem.* verſi. *Sed & Principes.* & verſi. *Eſt enim regulariter.* c. *Cum nobis olim.* §. *His igitur.* Extrav. de election. & elect. poteſt. c. *Si forte.* de elect. in 6.
(f) C. *Cum in cunctis.* §. *final.* cum ſuis concord.
(g) C. *Nihil eſt, quod Eccleſ.* Extra. eod. tit.
(h) Vide antiqua Statuta; his Decretis ſubjuncta.
(i) C. *Cum in cunctis.* §. *Inferiora.* Extr. de elect. c. *Licet canon.* c. *Nemo deinceps.* c. *Commiſſa.* de elect. in 6.

innitentes, ſtatuimus & ordinamus, ut omnes & ſinguli ad dictas Eccleſias noſtræ Diœceſis promoti, infra annum, a die proviſionis & pacificæ poſſeſſionis adeptæ numerandum (niſi prius per nos, aut alium ad hoc poteſtatem habentem, deſuper ex rationabili cauſa fuerit legitime cum eiſdem diſpenſatum) (*k*) ſe faciant ad ſacrum Presbyteratus ordinem rite promoveri. Alioquin ipſos dictis Eccleſiis, authoritate (*l*) Canonis, eo ipſo privatos declaramus, atque fructus earumdem iis, quibus de jure debentur, applicandos.

De Horis Canonicis, Pſalmodiis, ac Miſſarum Officiis.

TITULUS TERTIUS.

Ut diſtributiones tantum Divinis Officiis intereſſentibus dentur.

QUoniam in multis Eccleſiis intolerabilis, contra expreſſam juris diſpoſitionem, conſuetudo, ſeu verius corruptela, de recipiendis per Canonicos, Capellanos, aliaſque Eccleſiaſticas perſonas abſentes, & Divinis officiis, ſeu Horis Canonicis non intereſſentes, diſtributionibus quotidianis (quæ tantum reſidentibus & Divinis intereſſentibus debentur) inolevit, ut ſacroſanctæ Canonicæ Conſtitutiones omnino neglectæ merito videantur; ideo hoc Synodali Statuto, juxta Bonifacii Papæ octavi Conſtitutionem, (*m*) conſuetudinem hujusmodi, corruptelam declaramus, eaque non obſtante, ſeu relevante, ad omnium diſtributionum ſic receptarum reſtitutionem eos irremiſſibiliter teneri, & obligari, & ultra hoc etiam pœna arbitraria a ſuis Superioribus puniri debere. Cujus quidem Conſtitutionis ignorantiam, ne quis de Clero noſtro prætendere valeat; illam præſentibus inſeri, & cum aliis noſtris ſtatutis publicari, & diſtrictius obſervari volumus; cujus tenor ſequitur, & eſt talis:

CONSTITUTIO BONIFACII PAPÆ VIII.

" CONSUETUDINEM, quæ in quibusdam partibus inolevit, qua Canonici & alii Beneficiati, ſeu Clerici Cathedralium & aliarum Collegiatarum Eccleſiarum, diſtributiones quotidianas (quæ alias manualia beneficia, ſeu victualia nuncupantur, & tantum reſidentibus tribuuntur) qualitercumque in civitatibus, ſeu aliis locis, in quibus ipſæ conſiſtunt Eccleſiæ, ſine præſentes, licet Divinis officiis non interſint, ex integro percipiunt, ac ſi continue ipſis Eccleſiis in eiſdem officiis deſervirent, penitus improbantes, ſtatuimus, ut diſtributiones ipſæ quotidianæ, in quibuscumque rebus conſiſtant, Canonicis, ac aliis Beneficiatis, & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eiſdem officiis in ipſis Eccleſiis affuerint, tribuantur juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem, jam factam, ſeu etiam faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quidquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas: immo ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujusmodi noſtram Conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam, pro defunctorum anniverſariis largiendis, idem decernimus obſervandum.

Qui dicantur intereſſe Divinis.

Eos autem Horis Canonicis intereſſe dicimus, qui continue tempore horarum Canonicarum principalium, in choro, vel templo Divinis vacando, penſum diurnum, aut alias preces Deo digne perſolvunt, vel ſalutaribus meditationibus ſeſe tempore Divinorum officiorum occupant; non qui vagationibus, obambulationibus, & vanis confabulationibus in Eccleſiis, vel intra illarum immunitates, aut extra, cum gravi laicorum ſcandalo, & ipſorum ambulantium animarum periculo, tempus terunt &

(*k*) D. c. *Licet Canon.* §. *final.* c. *Cum ex eo.* de elect. in 6.
(*l*) D. c. *Licet Canon.* verſi. *Quod ſi infra.*
(*m*) C. *Conſuetudinem.* de Cleric. non reſiden. in Eccleſia, vel Præben. in 6. Concordat. c. *De cætero.* Extrav. de Cleri. non reſiden. & c. *Licet.* de Præben. *in antiq.*

& fallunt: quos etiam distributiones prætactas amittere & restituere debere declaramus.

Et insuper authoritate præsentis Synodi decernimus, Decretum Concilii Basiliensis, in Sessione XXI. de his, qui tempore Divinorum vagantur per Ecclesiam, sub pœnis inibi comprehensis, districte observari, cujus tenor sequitur, & est talis:

DECRETUM CONCILII BASILIENSIS, de his, qui tempore Divinorum vagantur per Ecclesiam.

" QUICUMQUE in Ecclesia Beneficiatus, præsertim de majoribus, Divinorum tempore per Ecclesiam, vel foris circa ipsam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari visus fuerit, non solum illius horæ, sed totius diei præsentiam ipso facto amittat. Qui si semel correctus, non destiterit; per mensem distributionibus careat: vel graviori, si pertinacia exegerit, pœnæ subjaceat, ita ut tandem desistere cogatur. Prohibeatur etiam, ne Divina officia tumultuosi quorumcumque per Ecclesiam discursus impediant, aut perturbent. Regulares, qui in conventualibus Ecclesiis circa prædicta excesserint, gravi pœna Superiorum arbitrio castigentur.

Preces Canonicæ tractim & integre cantentur.

Item statuimus & ordinamus, quod preces Canonicæ, aliæque Divinæ laudes, horis debitis, & non cursim, aut truncatim, sed tractim, integre (*n*) reverenterque secundum Ecclesiæ nostræ Cathedralis usum & consuetudinem, ab omnibus, quibus id muneris incumbit, quoad publicum & solemne officium in Ecclesiis Parochialibus nostrarum Civitatis & Diœcesis Cameracensis rite decantentur: quodque publica Missarum officia celebrentur, prout in Missali ordinario nostræ Diœcesis ordinatum est.

De Statu Monachorum, & Monialium.

TITULUS QUARTUS.

Monentur apostatæ, ut redeant ad Monasteria sua.

GRave nimis ac scandalosum fore considerantes, quod personæ utriusque sexus regulares, extra Monasteria sua divagantes, nonnunquam etiam mutato, & aliquando penitus dimisso religionis habitu, in maximum animarum suarum periculum apostatare non verentur; idcirco omnibus & singulis Curatis nostræ Diœcesis districte præcipiendo mandamus, quatenus cujuscumque ordinis & conditionis regulares, sic in suis Parochiis respective vagantes, aut absque speciali Superioris sui licentia commorantes, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, moneant & requirant: quos & nos quoque per præsentis Statuti tenorem sic requirimus, & monemus, ut infra spatium sex hebdomadarum (quas illis pro primo, secundo, tertio, & peremptorio termino, monitioneque canonica, præfigimus) a die publicationis & requisitionis hujusmodi ad sua redeant Monasteria, & vota sua Deo omnipotenti reddant, suisque Superioribus juxta ordinem & regulæ institutionem obediant, aut saltem infra idem tempus Nobis, vel Vicariis nostris de privilegiis & indultis (si quæ habeant, aut prætendant) legitimam fidem faciant. Alioquin contra tales sic monitos & requisitos, dictosque Curatos, qui illos (ut præmittitur) monere & requirere recusaverint, aut scienter neglexerint, via juris respective absque aliqua dissimulatione procedemus.

Et insuper omnibus & singulis Monasteriorum Abbatibus, Prioribus, Prælatis nostræ Diœcesis, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub suspensionis a Divinis officiis pœnis, districte præcipiendo mandamus, quatenus suorum Monasteriorum Religiosos modo præmisso in sæculo vagantes, sive apostatas, cum omni diligentia repetant, (*o*) adque Monaste-

ria

(*n*) C. 1. & c. *Dolentes.* de celebrat. Missæ *in antiq.*

(*o*) *C. final.* Extra. De Regul. & transeunt. ad Relig. c. *Quanto.* Extra. de Offic. Jud. ordin. c. *A nobis.* Extrav. de Apostat. c. *Ut periculosa.* Ne Cleri. vel Mona. sæcular. negot. se immisc. in 6.

ria & clauſtra ſua reduci procurent. Alioquin Nos contra ipſos ad pœnam ſuſpenſionis prætactam procedemus, atque eorum negligentiam propriis ipſorum expenſis ſupplebimus.

Clauſura diſtricte obſervanda.

Periculoſum quoque & deteſtabile eſt, quod paſſim Moniales, ſpretis clauſuræ & honeſtatis habenis, impudenter extra Monaſteriorum ſepta vanis confabulationibus, & ſuſpectis commeſſationibus vacando, vagentur & diſcurrant, in gravem Dei offenſam & religionis opprobrium: parumque prodeſt ſacris id conſtitutionibus (*p*) prohiberi, niſi debitæ demandentur executioni, pœnarumque ac cenſurarum executionibus muniantur. Atque propterea prædictis ſalubriter providere cupientes, univerſas & ſingulas Moniales præſentes & futuras, cujuſcumque religionis ſint, vel ordinis, in noſtris civitate & Diœceſi Cameracenſi exiſtentes (quæ clauſuram profeſſæ ſunt) in ſuis Monaſteriis ſub perpetua clauſura manere volumus & mandamus; niſi inevitabilis neceſſitas ſubſiſtat, aut forte tanto, ac tali morbo evidenter earum aliquam, ſeu aliquas laborare, Nobis, Vicariis noſtris, aut ſuperiori Viſitatori conſtiterit, quod cum aliis absque gravi periculo commorari non poſſet. Alioquin, ſi ſine noſtra, Vicariorum noſtrorum, aut dicti Viſitatoris, ſpeciali, in ſcriptis petita, & ex cauſa rationabili obtenta licentia, clauſuram exire, contra Summorum Pontificum & noſtras Conſtitutiones temere præſumpſerint; ſive exemptæ ſint, ſive non exemptæ, excommunicationi (*) ipſo facto ſubjaceant, & ut tales denuntiari diſtricte præcipimus, illarum abſolutione nobis, aut Superiori ſpecialiter reſervata: diſtricte præcipientes omnibus & ſingulis Vicariis, & Officiariis noſtris, ac Monaſteriorum quorumcumque Viſitatoribus ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, ne extra caſus prædictos exeundi licentiam quoquo modo concedere præſumant.

Prohibetur ingreſſus virorum ad Monaſteria Monialium.

Sub eadem excommunicationis pœna (*q*) omnibus & ſingulis Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Monaſteriorumque Superioribus inhibemus, ne quibuscumque viris ſæcularibus, aut Eccleſiaſticis (niſi de illius, ad quem pertinet, ſpeciali licentia) in monaſteria Monialium, quæ clauſuram profeſſæ ſunt; neque mulieribus ad clauſtra Monachorum, ſeu regularium, pateat ingreſſus: ut a mundanis conſpectibus omnino ſeparati Deo ſervire valeant quietius. Alioquin ipſos excommunicandos declaramus: præcipientes eisdem Abbatibus, Abbatiſſis, aliiſque Superioribus prædictis, ut introitum & acceſſum hujusmodi opportunis mediis ſedulo impediant.

Quis ad Religionis votum admitti poſſit.

Non minus etiam damnabile eſt, quod nonnulli parentes & conſanguinei, nobiles, & ignobiles, ut aliquos ex filiis, aut conſanguineis ditent, aliove damnabili affectu (non autem religionis amore) unum vel unam, aut plures, miris mundanarum rerum pollicitationibus, nonnunquam minis, verberibus, (*r*) aliiſque majoribus malis & periculis propoſitis, tenellos adhuc, & diſcretionis annos vixdum attingentes, in animarum ſuarum & illorum grave periculum, habitum religionis aſſumere, & anno probationis nondum completo, profeſſionem emittere cogunt & compellunt: quo fit, ut plurimi (metu ceſſante) apoſtatæ fiant, habitum in opprobrium religionis abjicientes, atque ad abſolutionem a ſic facta profeſſione confugientes. Quapropter provide ſtatuendo mandamus Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Præpoſitis, aliorumque Monaſteriorum Superioribus ſub pœna ſuſpenſionis in Presbyteros, & excommunicationis in alios, ne quemquam ante annos diſcretionis (*s*) ad habitum religionis & annum probationis (quomodo enim

(*p*) C. 1. in princ. & in fi. de Statut. Regul. in 6. Clement. *Attendentes.* in princ. De Statu Monach.

(*) Excommunicatio reſervata. *Vide Syn. a.* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4. *Tomo ſeq.*

(*q*) C. *Periculoſo.* In fin. princ. de Statu Regul. in 6.

(*r*) C. 1. Extrav. de iis, quæ vi, metusve cauſa fiunt. c. *Si quis ante annos.* Extrav. de Reg & tranſeunt. ad Religionem.

(*s*) C. *Si quis ante annos.* c. *Ad noſtram.* c. *Significatum.* Extra. de Regul. & tranſeunt. ad Relig.

enim is probabit religionem, qui diſcretione non utitur? Sed neque ante annum probationis totum completum, (t) animumque & propoſitum profitendi diligenter exploratum, num ſcilicet ſtabile, firmum & rectum ſit, ad profeſſionem admittant, ſi Divinam ultionem & excommunicationis & ſuſpenſionis cenſuram evitare velint.

Gratis ſinguli ad Profeſſionem admittantur.

Quodque, ut omnis ceſſet Simoniæ labes aut ſuſpicio, gratis ſinguli ad profeſſionem recipiantur, nullo accepto pretio, nec aliqua facta conventione. (u)

Ne Parentes ſuas proles ad Religionem compellant.

Omnibus quoque parentibus & amicis, ſub excommunicationis pœna, ne filios, vel conſanguineas pollicitationibus, minis, verberibus, aliisve illicitis modis ad religionem compellant, diſtricte inhibemus.

De Magiſtris Scholarum, & Privilegiis Studentium.
TITULUS QUINTUS.

De Scholis reſtaurandis, vel erigendis.

SUmma diligentia & cura adhibenda eſt, ut tenera noſtræ Diœceſis juventus, nonniſi Chriſtianæ pietatis inſtitutis, moribusque incorruptis, ac literis, hæreticorum erroribus & exemplis minime contaminatis, inſtituatur; ne cum lacte venenum imbibendo, ea addiſcat, quæ poſtea, non niſi magno cum diſcrimine vitæ, animæque periculo, dediſcere cogatur. Quapropter præſenti Synodali Conſtitutione præcipimus & ſtatuimus, ut juxta pia Sanctorum Patrum (x) Decreta, ſingula Collegia, ſeu Magiſtratus, ac alii, quorum intereſt, Scholas reſtaurare, erectasque conſervare teneantur: atque ſolerter proſpiciant, ut Pædagogi & Magiſtri ſint idonei ac probi, qui Catholica & honeſta, non autem ſuſpecta aut obſcœna juvenibus prælegant.

Ut Magiſtri idonei admittantur.

Similiter ſtatuimus & ordinamus ſub excommunicationis pœna, ut nemo publice vel privatim in noſtris civitate & Diœceſi docere præſumat, niſi diligenti examine prævio, ad hoc per eum, cui ex officio competit, ſpecialiter admiſſus fuerit. Et nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini judicii diſtricte præcipimus, & inhibemus omnibus & ſingulis Prælatis, & Capitulis, ac aliis, qui in Diœceſi noſtra Cameracenſi Magiſtros & Rectores Scholarum recipiunt, ſeu aſſumunt, ne quemquam in Magiſtrum recipiant, ſeu aſſumant, niſi de cujus vita, integritate, ſcientia, moribus, ac converſatione, plenam habeant notitiam, & qui perverſorum dogmatum fermento minime fuerit conſperſus: ſed quod tales ſtatim & absque ulla diſſimulatione deſtituant.

Quando de Privilegio Scholaritatis docendum ſit.

Univerſitatum quoque, & in illis ſtudentium privilegiis minime derogare, aut illa quomodolibet imminuere, ſed ea ipſa conſervare & defendere volentes (dummodo juxta dictæ Cæſareæ Majeſtatis Reformationis Formulam illis non abutantur) innovando antiqua ſtatuta (y) deſuper per Prædeceſſores noſtros edita, ſtatuimus & ordinamus, quod Scholares in aliquo ſtudio privilegiato ſtudentes, annis ſingulis ante Feſtum Sancti Magni (ut moris eſt) de privilegio ſuæ ſcholaritatis, (z) ſeu ſtudii, ſub quo Doctore, & qua Facultate ſtudeant, ſeu ſtuduerint, & quod ad minus per ſex menſes in illo ſtudio fuerint reſidentes, aut ſtudium absque fraude ſint continuaturi, legitimam fidem facere teneantur. Alioquin ipſos privilegiis prædictis minime gaudere debere decernimus & declaramus.

De

(t) C. *Ad Apoſtolicam.* Extra. de Regul. & tranſeunt. ad Relig. c. *Gonſaldus.* XVII. quæſt. 2.
(u) C. *Quoniam Simoniaca labes.* c. *Dilectus.* c. *De Regularibus.* Extra. de Simon.
(x) C. 1. & c. *Quia nonnullis.* Extra. de Magiſt. & ne aliquid detur pro licen. docen.
(y) Vide infra in Statut. antiq. Statutum primum in additionib. & Statutum: *Præcipimus, quod Presbyteri Parochiales.* ſub tit. *De Ordinib.*
(z) Facit. c. *Super ſpecula* in fin. Extra. de Mag. c. *Licet.* X. de Præbend. & dign.

De Matrimonio.
TITULUS SEXTUS.

Qui matrimonio jungi affectant, qualiter instruendi.

QUoniam matrimonium ad liberos procreandos institutum, ac Dei benedictione firmatum esse dignoscitur; omnibus & singulis Presbyteris nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis præcipimus & mandamus, quatenus Parochianos suos, qui matrimonio jungi affectant, diligenter doceant, instruantque, idipsum, non ob divitias, aut aliquam aliam, quam prolis procreandæ, ac fornicationis vitandæ causam contrahendum esse: &, quod, teste Divo Augustino, matrimonium tria complectitur, scilicet: fidem, prolem, & Sacramentum. In fide attenditur, ne propter vinculum conjugale, cum altera, vel altero concubetur. In prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur. In Sacramento autem, ne conjugium separetur, neve dimissus, aut dimissa, etiam prolis causa, alteri carnaliter commisceatur: Quodque etiam dictos Parochianos suos sedulo admoneant, ut parentum & amicorum utantur consilio, exemploque Tobiæ, jejuniis & orationibus se se præparent, ac gratiæ Dei commendent, juxta Formulam Reformationis Sacræ Cæsareæ Majestatis prætactæ (*a*), quam etiam quoad conjunctionem & solemnia matrimonii, tamquam juri & antiquis Statutis Synodalibus, nostrisque plane conformem, per civitatem & Diœcesim nostram Cameracensem volumus cum eisdem Statutis sub pœnis inibi contentis districtius observari.

De notoriis adulteris.

Et quia nonnullæ personæ, propriæ salutis immemores, in grave plurimorum scandalum, dictique Sacramenti vilipendium & contemptum, in adulterinis amplexibus cohabitare, seu palam conversari non formidant; idcirco omnibus & singulis Presbyteris, Curatis, & Vice-Curatis nostrarum civitatis & Diœcesis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut Parochianos suos quoscumque in adulterio, seu adulterinis amplexibus publice viventes, aut conversantes, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ (*) moneant, & requirant, quos & nos etiam præsentis Synodalis Statuti vigore monemus, & requirimus, ut infra quindecim dies, a cohabitatione seu conversatione mutua omnino desistant. Et, si (quod absit) monitioni & requisitioni hujusmodi parere contempserint, postque dictos quindecim dies simul cohabitare, aut conversari præsumpserint, tales in sua vita ab Ecclesiasticis arceantur Sacramentis, atque post mortem, nisi in eis signa pœnitentiæ apparuerint, Ecclesiastica careant sepultura: Injungentes Promotoribus & Decanis nostris Christianitatis, sub pœna suspensionis ab officiis suis, ut tales sic monitos, post denuntiationem sibi factam, infra quindecim dies immediate sequentes, via juris prosequantur. Alioquin ab officiis suis suspendantur, donec prosecuti fuerint eosdem.

Causæ Matrimoniales per quos tractari possint.

Item licet causæ Matrimoniales cum earum dependentiis & annexis, non modo de jure (*b*) & consuetudine legitime præscriptis, verum etiam juxta antiqua Statuta Synodalia nostræ Diœcesis Cameracensis, nonnisi per Nos, aut Officiales nostros, tamquam Judices ordinarios, tractari & definiri debeant: (*c*) nihilominus tamen ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli Decani nostri Christianitatis, Presbyteri, Curati, & Notarii publici illarum cognitioni se se temere ingerere, ac nonnunquam etiam sponsalia, conventiones, & matrimonia, (quantum in eis est) dissolvere, atque dirimere, contractusque desuper conficere non verentur. Quocirca Nos volentes tantis abusibus, fraudibus, & par- tium

(*a*) In tit. *De Sacramenti Matrimon. Administratione.*
(*) Excommunicatio reservata. *Vide* Tomo sequenti *Synod. Camerac. an.* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4.
(*b*) C. *Accedentibus.* Extra. De excess. Prælat. c. 1. in fi. Extra. De consangui. & affin.
(*c*) Vide Statutum: *Inhibemus Decanis nostris* &c. infra in Statutis Synod. antiquis, sub tit. *De Matrimoniis.*

tium dispendiis occurrere, omnibus & singulis subditis nostris, Clericis, & laicis, cujuscumque status & conditionis fuerint, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ (*) prohibemus, ne de examinatione, cognitione, juramenti receptione, vel decisione judiciali quarumcumque causarum matrimonialium, aut illis annexarum, se se intromittere, aut contractus sive scripturas desuper conficere præsumant.

De Missa & Prædicatione Verbi Dei.

TITULUS SEPTIMUS.

Ut quilibet diebus Dominicis & Festivis Missæ & Prædicationi intersit.

ITem licet, juxta Sanctæ Matris Ecclesiæ statutum & ordinationem, quilibet Christianus, seu ejus nominis Professor, singulis Dominicis, & Festivis diebus, Divino officio Missæ, & prædicationi interesse teneatur, ut ibidem de Divinis præceptis & doctrinis Evangelicis informetur; nonnullorum tamen fide digna accepimus relatione, populum, plerisque in locis nobis subditis, eisdem raro interesse. Quapropter omnibus & singulis Presbyteris & Curatis nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis districte præcipimus & mandamus, quatenus Parochianos suos, qui ad annos pervenerint discretionis, hortentur, & moneant sub pœna excommunicationis, ut deinceps singulis Dominicis & Festivis diebus officio Missæ interesse studeant, & prædicationem Verbi Dei diligenter audiant, nisi legitimo impedimento ex causa rationabili quis excusetur: nec ab officio hujusmodi ante benedictionem Sacerdotis, donec compleatur, recedant, sive discurrant.

Insuper moneant Presbyteri Curati populum sibi commissum in sermonibus suis, & ad hoc inducere studeant, quo Processionibus, aliisque actibus & cæremoniis Ecclesiasticis, devote intersint, atque laudes Deo omnipotenti cum attentione cordis, ac morum gravitate reddant.

De Capellis.

Item ne per Capellas honor matricis ac Parochialis Ecclesiæ pereat, statuimus, (a) & ordinamus, quod Parochiani de villis, seu confiniis adjacentibus, & Capellis seu Oratoriis attinentibus quibuslibet, saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus, sub pœna excommunicationis, teneantur ad Ecclesiam suam Parochialem accedere, atque ibidem Missarum solemnia audire, prout in (b) Concilio a sanctis Patribus institutum est: nisi forte adeo sit (c) remota, vel aquarum tanta inundatio, seu aliud impedimentum, ut non immerito queant excusari: dictæque Capellæ de redditibus adeo provisum existat, ut authoritate nostra possit & valeat in diebus talibus Missa ibidem celebrari.

Qua hora Missa Parochialis sit celebranda.

Præcipientes insuper omnibus & singulis Presbyteris, Curatis, & Vicecuratis, sub pœna suspensionis; ut hujusmodi Missam Parochialem a Festo Paschæ usque ad Remigii circa horam octavam: & deinde a Festo Sancti Remigii usque ad Pascha, circa horam nonam, celebrare non postponant.

Ne construantur Altaria sine licentia.

Atque ne deinceps quisquam Ecclesias, Oratoria, vel Capellas, aut alia pia, vel religiosa loca, aut Altare aliquod in nostris civitate & Diœcesi sine nostra, aut Vicariorum nostrorum speciali licentia (d) construere, vel ædificare præsumat, sub pœna excommunicationis prohibemus.

Sub Concione a celebratione abstinendum.

Volentes etiam, quod in Parochialibus Ecclesiis, tempore prædicationis Verbi Dei, a Missarum celebratione abstinea-

[*] Excommunicatio reservata. *Vid. Synod. a.* 1604. *Tit.* 8. *cap.* 4. in Tomo seq.
(a) Facit c. *Quicunque* 44. & c. De Decimis 45. XVI. q. 1.
(b) C. *Si quis etiam.* 35. De Consecrat. dist. 1.
(c) Facit. c. *Ad audientiam* 1. Extrav. De Eccles. ædific. & repar.
(d) Facit. c. *Unicuique.* c. *Clericos.* c. *Si quis.* De consecr. dist. 1. & c. *Si patentibus.* Extrav. De Privil. & excess. Privilegiato.

ſtineatur; ne populo huc atque illuc diſcurrendi, aut Verbum Dei negligentius audiendi, detur occaſio.

De claudendis tabernis tempore Divinorum.

Pariformiter omnibus & ſingulis œnopolis, tabernariis & cauponibus, ſub excommunicationis pœna diſtricte injungimus & prohibemus, ne diebus Dominicis & Feſtivis, tempore ſummæ, ſeu Parochialis Miſſæ, & Concionis Verbi Dei, aliquos, præter peregrinos & infirmos, compotandi aut comeſſandi gratia recipiant.

De Feſtis.
TITULUS OCTAVUS.

Moderatio quorundam Feſtorum.

STatutum (*e*) per Prædeceſſores noſtros de minoribus Feſtis editum, certis rationabilibus de cauſis adducti, ita duximus moderandum, ut in omnibus minoribus Feſtis, liceat unicuique, audito ſacro, & ſermone (ſi modo fiat) ſe ad operas ſuas, quibus ſuam, ſuorumque alimoniam quærere cogitur, conferre.

Quodque in locis, ubi unius Sancti Feſtum particulariter pluries in anno celebratur, unum duntaxat habeatur ſolemne, reliquis nihilominus ejusdem Sancti Feſtis pro minoribus tenendis & permanſuris.

Statuentes nihilominus, quod Beatæ MARIÆ Virginis ad Nives, ac Sanctorum Gaugerici & Autberti Feſta ſingulis annis in civitate noſtra Cameracenſi celebrentur, dictisque minoribus Feſtis addantur.

De Dedicationibus.

Item ad obviandum multifariis abuſibus, & ſcandalis, quæ paſſim in pagis ex Dedicationum Feſtis & comeſſationibus obvenire ſolent, ſtatuimus & ordinamus, quod Feſta Dedicationum hujusmodi in omnibus & ſingulis pagis noſtræ Diœceſis, ipſo die Dedicationis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, ſcilicet prima Dominica poſt feſtum Viſitationis Beatæ MARIÆ Virginis celebrentur: diſtricte prohibentes omnibus & ſingulis dictorum pagorum Presbyteris, Curatis & Vicecuratis, ſub ſuſpenſionis a Divinis officiis pœna, ne quantumcumque importune a Parochianis ſuis interpellati, ſeu requiſiti, alio die Dedicationes prædictas indicere, ſeu publicare præſumant, aut indici, ſeu publicari permittant.

Qui ad docendum Verbum Dei admitti debeant.
TITULUS NONUS.

De præſentationibus & admiſſionibus Religioſorum ad prædicandum.

CUm juxta Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ traditionem, nullus, niſi miſſus, prædicare debeat, ſicuti nec Chriſtus, neque Apoſtoli, non niſi miſſi, prædicarunt, Chriſto apud Eſaiam his verbis teſtante: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me: ad evangelizandum pauperibus miſit me:* & hi quoque non niſi accepto mandato a Chriſto, ubi dicit: *Ecce ego mitto vos*, &c. prædicaſſe dignoſcuntur; ea propter nos Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ innitentes, volumus & ordinamus, ut ex ordinibus Mendicantium nulli poſt hac in Eccleſiis Parochialibus, Capellis, aut Cœmeteriis earum, ad prædicationem Verbi Dei admittantur, niſi exactiore & diligentiore, quam hactenus, præcedente examine, per literas teſtimoniales ſuorum Provincialium, ac Guardianorum, ſeu Priorum, tamquam juxta Reformationis tenorem, ac alias idonei, Nobis, aut Vicariis noſtris pro prima vice perſonaliter, ac ſingulis annis ad minus literatorie reverenter præſentati, ac per Nos, aut Vicarios noſtros admiſſi (*f*) fuerint.

Nihil temere per Religioſos effutiendum.

Admiſſos autem dicti ipſorum Guardiani, ſeu Priores, tenebuntur ſerio adhortari & monere, ut juxta Regulam in ipſa Formula Reformationis, ſub titulo: De

(*e*) Vide infra in Stat. antiqu. ſub tit. *De minor. Feſt.*

(*f*) Clement. Dudum. §. *In Paroebialibus Eccleſiis.* De Sepul. in Clem. Extrav. *Super Cathedram.* §. *In Eccleſiis.* De Sepul. *in Extrav. Commun.*

De Dispensatione Verbi Dei, præscriptam, populum doceant, caveantque, ne contra eandem quidquam temere effutiant, unde auditores male ædificari, vel ad contemptum, seu minorem æstimationem Verbi Dei provocari possint. Caveant etiam, ne indiscrete in suggestu nominatim, peccantes quoscumque, & multo minus Prælatos & Magistratus corripiant, famæ ac nomini eorumdem detrahendo, & auditores scandalizando. Alioquin eos a prædicationis officio amovebimus.

Ne Curati Religiosos, sine literis Episcopi, ad prædicandum admittant.

Inhibemus quoque omnibus Curatis & Vicecuratis, sub pœna suspensionis, ne dictos Religiosos, sine nostris, aut Vicariorum nostrorum prædictis literis, ac licentia speciali, in Ecclesiis suis Parochialibus, Capellis, aut Cœmeteriis earum, ad prædicandum, aut fidelium eleemosynas colligendum, admittere ullatenus præsumant.

De Confessione.
TITULUS DECIMUS.

De præsentatione & admissione, ad audiendum Confessiones.

SImili modo præsentari (*g*) & examinari volumus eos, qui ex singulis ordinibus Mendicantium, in civitate & Diœcesi Cameracensi, ad confessiones ipsis confiteri volentium, audiendum, pœnitentias salutares imponendum, & beneficium absolutionis impendendum, per Nos, aut Vicarios nostros admittentur. Alioquin si sine nostra licentia & præter juris (*h*) Pontificii dispositionem, falcem in messem alienam scienter miserint, suspensioni (*) ipso facto decernimus subjacere. Nec eisdem aliam, aut uberiorem absolvendi (*i*) facultatem intelligimus, vel intendimus esse attributam, quam Parochialibus Sacerdotibus a jure, vel ex Statutis nostris Synodalibus, concessa invenitur; nisi id specialiter in literis fuerit expressum.

Atque ut subditorum nostrorum saluti & commoditati provide consulamus, in locis celebrioribus, magisque populosis, nonnullos deputabimus, qui in casibus, Nobis quomodolibet reservatis, plenam habeant absolvendi potestatem.

Moniales clausuram professæ, bis vel ter in anno, alteri, quam suo Patri, confiteri possunt.

Præterea omnibus & singulis nostrarum civitatis & Diœcesis Monialibus clausuram professis, de speciali gratia concedimus & indulgemus, ut bis vel ter in anno alicui alteri, quam suo Visitatori, seu Patri Confessario (de ipsius tamen, aut Superioris ejusdem consensu) conscientias suas exponere & exonerare valeant: districte præcipiendo omnibus quorumcumque Monasteriorum nostrarum civitatis & Diœcesis Visitatoribus, seu Superioribus, sub suspensionis a Divinis officiis pœna, ne illis suum desuper consensum (si modo rationabilis causa non obsistat) negare, aut recusare præsumant.

De vita & honestate Clericorum.
TITULUS UNDECIMUS.

De publicis Concubinariis.

QUoniam contra Clericos concubinarios, tam Jure Canonico (*k*), quam Statutis Synodalibus (*l*) diversæ pœnæ statutæ reperiuntur, ut nihil omnino restare videamus, nisi executionis vigorem; ideo Canonicas Sanctiones, Statutaque Synodalia vetera, & Cæsareæ Majestatis Reformationis Formulam insequendo, omnes & singulas personas, seu Ecclesiasticos Judices, quorumcumque Presbyterorum & Clericorum correctio-

(*g*) Clem. *Dudum*. §. *Statuimus etiam, & ordinamus*. De Sepultur. in Clement.
(*h*) Clem. 1. in princ. *De Privil. & excess. Privil.* in Clem. & d. §. *Statuimus*.
[*] Suspensio reservata. *Vid. Tomo seq. Synod. Camerac. anni* 1604. *Tit.* 8. *cap.* 4.
[*i*] D. Clement. *Dudum*. §. *Per hujusmodi autem*.
[*k*] C. 2. c. *Sicut ad extirpandam*. c. *Si autem Clerici*. & *per totum titulum*. Extrav. De cohabitatione Cleric. & mulier. c. *Ut Clericorum*. Extra. De vit. & honest. Cler.
(*l*) Ut Statuto Petri de Alliaco Episc. Camerac. incipiente: *Petrus*. In Statutis antiq. Tit. 12. De vit. & honest. Cler.

rectionem, jure ordinario, vel ex delegatione, aliasve habentes, sub pœna suspensionis, aliasque arbitraria monemus & exhortamur, ne sub obtentu pecuniæ, [m] vel alterius commodi temporalis, aut favoris, & amicitiæ cum publicis & notoriis concubinariis dissimulent, sed eos juxta Canonicas Sanctiones debite puniant & corrigant, seu puniendos & corrigendos procurent. Alioquin ipsos a Divinis officiis suspendemus, & negligentiam eorum acriter puniemus.

Item salubrem Concilii Basileensis adversus concubinarios editam Constitutionem authoritate præsentis Synodi decernimus in nostris civitate & Diœcesi Cameracensi perpetuo & inviolabiliter observandam & exequendam, cujus tenor sequitur, & est talis:

CONSTITUTIO CONCILII BASILIENSIS adversus Concubinarios.

SACROSANCTA GENERALIS SYNODUS BASILEENSIS, IN SPIRITU SANCTO LEGITIME CONGREGATA, UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quicumque Clericus, cujuscumque status, conditionis, &c. *Vide supra hoc Tomo pag.* 321.

Ebrietas in Clero maxime detestanda.

Incontinentiæ etiam, & luxuriæ, plurimorumque vitiorum persæpe ebrietas (quæ hoc sæculo nimium invaluit) causa est, testante Apostolo, & dicente: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, quæ ut in omni hominum statu, maxime tamen in Clero detestanda est. Ideoque omnes & singulos Clericos crapulæ seu ebrietati deditos, ventrique continue servientes, moneri mandamus, & per præsentis statuti tenorem, sub suspensionis ab officio & beneficio pœna, monemus, a prava, fædaque & pecuali hujusmodi ebrietatis consuetudine, abstinere, aut si moniti non abstinuerint, ab officio (n) & beneficio, donec corruptos mores emendaverint, suspendemus.

De habitu Clericorum.

Insuper statuimus, quod Clerici beneficiati in beneficiis suis residentes: & Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi & Clerici clericantes, ubivis habitantes, seu moram trahentes, (ut ab aliis dignosci queant) honestis, (o) longis, seu talaribus vestibus, ac bireto Presbyterali, seu Clericali, in publico, & maxime in templo, Missas, & alia Divina officia peragendo, utantur. Alioquin si per præsumptuosam superbiam, aut levitatem id facere contempserint, distributionibus quotidianis, toties quoties contrarium fecerint, priventur, & aliter ad arbitrium puniantur.

De Notariis & Tabellionibus publicis.

TITULUS DUODECIMUS.

Ut Notarii habeant Protocolla.

Item quia nonnullorum Tabellionum ac Notariorum publicorum impertia & negligentia subinde fit, ut contrahentes gravia damna, lites, & processus ferre, & sustinere cogantur, idcirco præsenti Statuto Synodali volumus & ordinamus, quod omnes & singuli Notarii & Tabelliones publici nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, quotiescunque requisiti in aliquibus causis sive negotiis, instrumenta, sive contractus conficere voluerint, super eisdem instrumentis & contractibus prius recipiant notas & protocolla, quæ penes se authentica, manu propria scilicet scripta aut subscripta, retineant, & diligenter observent, nihil addendo, vel minuendo, quod facti substantiam immutet, seu variet intellectum, adhibitisque in stipulatione dictorum instrumentorum, sive contractuum receptione, duobus testibus, fide dignis & sibi notis. Alioquin, si in præmissis negligentes fuerint, partibus contrahentibus ad interesse tenebuntur, & a Nobis acriter punientur. Reliquis nihilominus statutis & ordinationibus nostris, quoad Notarios & Tabelliones publicos, per Nos du-

[m] D. c. *Ut Clericor.* §. *Prælati.*
(n) Juxta C. *A crapula.* Extrav. De vita & honest. Cleric.
(o) C. *Clerici.* Extrav. De vita & honest. Cleric.

dum editis & publicatis, in suis vigore & robore perpetuo permansuris.

De Pluralitate Beneficiorum.

TITULUS DECIMUS TERTIUS.

Plura Beneficia curata obtinentes, suas dispensationes ostendant.

UT scandalosa & irrationabilis Beneficiorum (præsertim, quibus animarum cura annexa est) pluralitas sacris damnata Canonibus refrænetur; statuimus, quod omnes & singuli, sub nostra Diœcesi Cameracensi plura beneficia curata & incompatibilia pacifice possidentes, Nobis, aut Vicariis nostris infra semestre, a tempore publicationis præsentium numerandum, dispensationum suarum (si quas habere prætendant) literas ostendant & exhibeant: alias semestri elapso, primo sic obtento & possesso beneficio, ex nunc prout ex tunc, & e contra, authoritate Synodali declaramus & decernimus privatos. (*p*)

Item inhibemus omnibus Collatoribus & Collatricibus nostræ Diœcesis, sub suspensionis in Presbyteros, & excommunicationis in alios, censuris & pœnis, ne Beneficium curatum obtinenti (nisi dispensatione legitima prius munitus existat) aliud, cui cura animarum annexa est, & incompatibile, scienter conferant, si velint dictas, & a jure (*q*) constitutas pœnas evitare.

Quod Provisio Apostolica Ordinario sit insinuanda.

Utque plurimorum fraudibus & clandestinis Beneficiorum permutationibus & resignationibus occurratur, (quæ non raro in maximum ordinariorum Collatorum, sub prætextu literarum Apostolicarum, præjudicium fiunt) innovando antiquum Statutum Synodale in titulo: *De acceptationibus Beneficiorum coram Notariis occulte factis*, eidemque addendo, in hac Sancta Synodo statuimus & ordinamus, quod de cætero omnes & singuli, de aliquo Beneficio, seu Beneficiis Ecclesiastici nostræ Diœcesis authoritate Apostolica provisi, infra unius mensis spatium, a die captæ possessionis computandum, Nobis, aut Sigillifero nostro, vel Collatori ordinario, de provisionibus hujusmodi legitimam fidem facere teneantur. Alioquin ipsos per arrestationem, & fructuum dictorum beneficiorum subtractionem puniemus.

Permutationes cum titularibus Beneficiis factas, irritas esse.

Insuper, quoniam experientia didicimus, quam plurimas in Beneficiorum permutationibus & resignationibus committi fraudes ab aliis, qui ut Collatoribus ordinariis imponant, verum Beneficium, seu Beneficia sua Ecclesiastica, bené dotata, ad aliud, seu alia nuda ac minime dotata, seu titularia Beneficia, nullos omnino fructus præter ipsum titulum, habentia, scienter permutare præsumunt; Idcirco hac Synodali Constitutione statuimus & ordinamus, permutationes hujusmodi de cætero minime admittendas, decernentes easdem irritas fore & inanes, Beneficiaque ex causa talis prætensæ permutationis scienter resignata, vacare perinde, ac si simpliciter resignata forent.

Instrumenta permutationum diligenter visitanda.

Cumque etiam persæpe multa in dictis permutationibus ac resignationibus committantur perjuria per eos, qui frequenter subito, ac non præmeditati, aut ipsi, aut per suos Procuratores (quod ejusdem culpæ ac reatus esse dignoscitur) jurejurando astruunt & affirmant, in illis nullam Simoniæ labem, aut aliam illicitam pactionem intervenisse. Cum tamen contrarium illius sæpius verum existat: per quod gravem in se iram Dei provocant. Quocirca districte præcipimus & mandamus omnibus & singulis nostræ Diœcesis Collatoribus, & Collatricibus; ut perspectis prius permutationum instrumentis, aliisque contractibus, inter ipsos compermutantes initis & factis, atque diligentiori, quam hactenus fieri consuevit,

(*p*) C. *De multa.* Extrav. De Præben. & dignit. c. *Licet Episcopus.* De præb. & dignit. in 6. Clem. *Si plures.* De præb. & dign. & Extravagans: *Execrabilis.* eo. titu. c. *Quia nonnulli.* De Cler. non residen. *in antiq.*

(*q*) D. c. *De multa.* c. *Grave nimis.* Extrav. De Præben. & dignit. c. *Cum in cunctis.* §. fin. Extrav. De elect. & elect. pot. & d. c. *Quia nonnulli.* in fine.

vit, inquiſitione prævia, inſtrumenta hujusmodi recipiant, ne ſua levitate & ipſi quoque & reatus & culpæ hujusmodi fiant participes.

De Viſitatione.

TITULUS DECIMUS QUARTUS.

Mandat Reverendiſſimus, ut quisque ſuæ regiunculæ loca viſitet.

QUoniam ſine Viſitatione, defectus, correctionem poſcentes, ſciri aut corrigi nequeunt, ideo Epiſcopali ſeu univerſali noſtræ Diœceſis (Deo favente & aſpirante) futuræ viſitationi viam ſternentes, ſtatuimus & omnibus Abbatibus, Prioribus, Prælatis, Decanis, & Capitulis, Archi Presbyteris, & aliis quibuscumque, quibus viſitandi officium incumbit, ſerio mandamus, ut ſinguli eorum, quam citiſſime & commodiſſime fieri poterit, ſuæ jurisdictionis, ſeu regiunculæ loca, in quibus viſitandi jus habent, diligenter & fideliter, quemadmodum ſæpe dicta Reformatio præſcribit, viſitent; quo ſperatus emendationis fructus, DEO Creatori noſtro, ac Nobis, noſtrisque Viſitatoribus commendabilis exiſtat: primam tamen in ea ſolicitudinem gerentes de hæreticis, ſchismaticis, hæreticorum, aut ſchismaticorum illicitis conventiculis, deque hæreſeos ſuſpectis, aut diffamatis, nec non de libris pravis & prohibitis inquirendis, & extirpandis: de quibus Nos, vel Vicarios noſtros (quo convenienti remedio, tantum malum in tempore evelli poſſit) ſine ulla dilatione volumus certiores fieri. Alioquin illos graviter puniemus.

Portio Canonica Curatis aſſignanda.

Mandamus inſuper diſtricte Viſitatoribus per Nos deputandis, Vicariisque & Officiariis noſtris, ac omnibus, ad quos pertinet, ut Eccleſiarum Parochialium Curatis, & Vice-Curatis noſtræ Diœceſis honeſtam, & congruentem portionem Canonicam ex decimis, ſeu fructibus Eccleſiæ (prout Summorum Pontificum (r) & noſtrorum Prædeceſſorum Conſtitutiones præſcribunt) competenter pro qualitate Eccleſiarum & onerum, eis incumbentium aſſignent, vel aſſignari faciant & procurent; ne dicti Curati temporales vel perpetui, propter ſtipendii (s) ſeu ſuſtentationis defectum, occaſionem ſumant populum indebitis exactionibus gravandi. Alioquin inobedientiæ & negligentiæ merito arguentur.

De Excommunicatione & ceſſu.

TITULUS DECIMUS QUINTUS.

Excommunicatus, perſonaliter & humiliter abſolutionem petere debet.

CUm excommunicatio medicinalis (t) ſit, non mortalis: ſitque gladius ſpiritualis Eccleſiæ, quo membra putrida a ſanis ſecernuntur, & rebelles ab Eccleſia & communione Sacramentorum & fidelium repelluntur; ut rubore confuſi, per humilitatis gratiam ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ convertantur & ſanentur; non debet cuiquam abſolutionis beneficium, niſi humiliter petenti, impartiri, ne Cenſuræ Canonicæ vileſcant & contemnantur. Quapropter ſtatuimus & ordinamus, ut quicumque per Statuta, vel Nos, aut Officiales noſtros excommunicatus, ſeu aliis cenſuris innodatus fuerit, ſe perſonaliter Nobis, aut noſtris Officialibus, pro abſolutione legitime obtinenda, repræſentet, niſi ex cauſa rationabili alteri (ſpecialem gratiam facientes) duxerimus committendam.

Cumque nullus excommunicari debeat, niſi pro peccato mortali, (u) & contumacia, (quam certum eſt, peccatum mortale exiſtere) præcipimus, ſub ſuſpenſionis pœna, ut omnes Presbyteri publice in ſuis Eccleſiis, & etiam privatim moneant & hortentur Parochianos ſuos, ut cum ſuper excommunicationibus in eis latis, fuerint per Eccleſiam militantem abſoluti, nihilominus confiteantur & conterantur de peccato contumaciæ & inobedientiæ, pro qua excommunicati fuerint: hoc enim eis expedit ad ſalutem.

Copia

(r) C. *Extirpandæ.* c. *Expoſuiſti.* Extra. De Præben. & dignit. c. *Cum ex eo.* §. *Porro.* De elect. in 6.

(s) In Statuto incipiente: *Licet regulariter.* in Additionibus infra ſub finem Statutorum antiquior.

[t] C. *Cum medicinalis.* in princ. De ſent. excommun. in 6.

[u] D. c. *Cum medicinalis ſit.* & c. *Sacro.* Extrav. De ſentent. excomm.

Copia citationum Curato danda.

Demum ut nemo in hujusmodi contumaciæ ſive contemptus reatum facile incidat, ſtatuimus & ordinamus, ut de cætero portitores, ſeu executores literarum Curiæ noſtræ Cameracenſis, quotiescumque laicum aliquem ſuper crimine, ſeu negotio ad forum Eccleſiaſticum pertinente citare voluerint, primam citationem ipſi Curato, ſeu Vice-Curato loci intimare, atque deinde etiam literarum contumacialium, priusquam eas exequi præſumant, copiam eidem tradere teneantur; quo idem Curatus, ſeu Vice-Curatus, ſic citatum gratioſe monere, & requirere poſſit, ne pœnam contumaciæ ob non-comparitionem incurrat.

Ne ceſſetur a Divinis ſine præcedenti informatione.

Item quoniam in pluribus caſibus, tam Canones, quam Statuta noſtra Synodalia ceſſationem a Divinis, aut pollutionem Eccleſiæ vel Cœmeterii indicunt, nonnullis abuſibus, eorum occaſione obvenientibus, occurrere cupientes, ſtatuimus, ne in noſtris Civitate & Diœceſi Cameracenſi a Divinis ex quacumque cauſa ceſſetur, vel pollutio ſervetur, niſi legitima & ſufficienti ſuper commiſſo exceſſu, propter quem ceſſandum erit, aut pollutio ſervanda, præcedente informatione (*x*) Nos, vel Officiales noſtri, ceſſandum a Divinis, vel Eccleſiam, aut Cœmeterium pollutum declaraverimus, & ſic mandaverimus obſervari.

Poſtremo, cum Nos prætactam Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Reformationem in noviſſimis Comitiis Auguſtanis, Nobis, ac aliis Sacri Imperii Statibus Eccleſiaſticis ad deliberandum propoſitam, velut Sacris Canonibus conformem, (absque tamen Sanctæ Sedis Apoſtolicæ præjudicio) receperimus, eamdem juxta piam Clementiſſimi & Invictiſſimi Principis & Domini noſtri, Domini CAROLI Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, Nobis (ut præmittitur) factam admonitionem & exhortationem, in hac Sancta Synodo, & per totam noſtram Diœceſim ſolemniter publicari, & quantum in Nobis eſt, (dictæ Sedis Apoſtolicæ, noſtrique Archi-Epiſcopi Metropolitani authoritate, nec non quorumcumque exemptionibus, privilegiis, libertatibus, & juribus (unde aliqui ex Synodo proteſtati ſunt) ſemper ſalvis) exequi, debiteque volumus & decernimus executioni mandari: ſerio monentes & requirentes omnes & ſingulos Abbates, Abbatiſſas, Priores, & Prioriſſas, Præpoſitos, Decanos, Capitula, Monaſteria, ac Presbyteros, Curatos, & Clericos, in & per civitatem & Diœceſim noſtras Cameracenſes, conſtituta, & quæ præſcripta ſunt, & in hac ſancta Synodo noviter ſtatuta, aliaque per Prædeceſſores noſtros edita & publicata (quæ nos etiam quatenus præſentibus non contrarientur, ſalvis correctionibus, ſeu moderationibus deſuper authoritate Synodali faciendis, approbamus & innovamus) ſub pœnis & cenſuris inibi fulminatis, ſeu fulminari comminatis, reſpective firmiter & inviolabiliter (prout ſtatuuntur) interteneant & obſervent.

Et ne quiſpiam eorum, quæ præmittuntur, craſſa ſeu affectata ignorantia queat ſeſe excuſare, præcipimus & mandamus, in & per totam noſtram Diœceſim prætactam, præmiſſorum omnium & ſingulorum debitam fieri publicationem: quodque omnium & ſingulorum Monaſteriorum & Collegiorum Prælati, & Archi-Presbyteri, Plebani, & Curati locorum, dictæ Reformationis Formulam, præſentiumque, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum Statutorum copiam, ſemper penes ſe habeant & retineant, & in iis contenta & comprehenſa diſtincte obſervent. Alioquin contra negligentes ad excommunicationis, aliarumque pœnarum & cenſurarum prætactarum declarationem & aggravationem, aliasque, prout juris fuerit, absque diſſimulatione procedemus.

LECTA ET PUBLICATA fuerunt hæc Statuta Synodalia Cameraci in choro Eccleſiæ Cathedralis, anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, Indictione octava, menſis Octobris die ſexta, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Do-

(*x*) Argumento c. *Si Canonici.* & c. *Quamvis.* De officio Ordin. in 6. c. *Irrefragabili.* §. *Cæterum.* Extrav. De offic. Ordinarii.

Domini JULII Papæ Tertii anno primo, in præsentia Reverendissimi & Illustrissimi Principis & Domini, Domini *ROBERTI DE CROY*, Episcopi & Ducis Cameracensis, ac Reverendorum Patrum & Venerabilium Dominorum, Martini *Cuperi*, Episcopi Chalcedonensis, ejusdem Reverendissimi Domini Episcopi Suffraganei, & Abbatis S. Landelini in Crispinio, Adriani *Quarre*, Georgii *Asset*, Cameracesii & Valenchenensis respective Archi-Diaconorum: Gaugerici *Baillicq*, Joannis *Corouble*, Sacræ Theologiæ Doctorum: Joannis *de le Bay*, utriusque Juris Licentiati, aliorumque prætactæ Ecclesiæ Cathedralis quamplurimorum Canonicorum: Claudii *le Borgnie* de Fidemio, Joannis *Calceii*, Sancti Andreæ in Castro Cameracesii: Hieronymi *Ruffault*, Sancti Adriani Geraldimontensis: Ludovici *de Bloys* Liessiensis: Antonii *Grisel*, Sancti Sepulchri Cameracensis: Francisci *Behaussii*, Sancti Dionysii in Brocqueria: Michaelis *de Quesnoy*, de Hannonio: Leodegarii *Prosnier*, Altimontensis: Dominici *Caputii*, Sancti Petri Lobiensis, Ordinis sancti Benedicti: Joannis *de Rosa* Valcellensis, Francisci *Baxii* Nizellensis, Ordinis Cisterciensis: Arnoldi *Streyters de Diest* Tongerloensis, Joannis *Deppe* Bonæ spei, Arnoldi *Mabieu* Jettensis, Nicolai *de Spira* Grimbergensis, Joannis *de Lavaine* Ninovensis, Ludovici *Fuzee*, Sancti Foliani de Sancto Symphoriano, Ordinis Præmonstratensis: Michaelis *de Francqueville*, Sancti Auberti Cameracensis, Caroli *de Burgundia*, de Cantimprato, Nicolai *de Faulche*, Sancti Joannis Valenchenensis, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, respective Abbatum: Guilielmi *Mabieu*, Vallis Scholarium Montensis, Huberti *Scoti*, de Busco Domini Isaac, ejusdem Ordinis Priorum: Paridis *Taffut* de Haspra, & . . . de Aymeries Præpositorum Sancti Gaugerici Cameracensis, Sancti Germani Montensis, Condatensis, Binchiensis, Antoniensis, Rothnacensis Civitatis & Diœcesis Cameracensis Ecclesiarum respective Decanorum: nec non Cameracesii, de Bellomanso, de Castello, de Valenchenis, de Haspra, de Avesnis, de Bavaco, de Melbodio, de Binchio, de Montibus, de Chirvia, de Sancto Brixio, de Pamella, Antverpiensis, Bruxellensis, Hallensis, Alostensis, & Geraldimontensis, Christianitatis Archi-Presbyterorum, seu Decanorum, & Curatorum ad hoc specialiter deputatorum. Præsentibus etiam diversis Abbatum, Abbatissarum, Priorum, Præpositorum, Decanorum & Capitulorum Procuratoribus, ad prædictam Synodum specialiter missis, copiosaque dictarum civitatis & Diœcesis Cleri & populi multitudine, in Choro præfatæ Ecclesiæ Cathedralis astantibus & congregatis.

JO. DE FONTANIS, H. DE CLUSIS subscripserunt.

SEQUUNTUR

ANTIQUA STATUTA SYNODALIA DIOECESIS CAMERACENSIS,

AUTHORITATE SYNODI EPISCOPALIS, in principio mensis Octobris, Anno Domini MDL. Cameraci celebratæ, RECOGNITA, CORRECTA, ET INNOVATA.

ROBERTUS DE CROY, DEI GRATIA, EPISCOPUS ET DUX CAMERACENSIS, SACRI IMPERII PRINCEPS, COMES CAMERACESII, &c. UNIVERSIS ET SINGULIS SÆCULARIUM ET REGULARIUM ECCLESIARUM PRÆLATIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, CAPITULIS, CONVENTIBUS, RECTORIBUS, PLEBANIS, VICE-PLEBANIS, CANONICIS, CAPELLANIS, PRESBYTERIS, CLERICIS ET LAICIS, PER NOSTRAS CIVITATEM ET DIOECESIM CAMERACENSEM UBILIBET CONSTITUTIS, PRÆSENTIBUS ET FUTURIS, SALUTEM IN DOMINO.

INter alias Pastoralis nostri muneris partes, eas præcipuas arbitramur, ut oves nostræ curæ a Deo commissas, puro atque sincero Evangelicæ Doctrinæ pabu-

lo paſcamus, ipſisque boni Paſtoris exemplo, monitionibus piis, & præceptis viam præcludentes vitiorum, rectam, quæ ad aulam ducit cœleſtem, virtutum ſemitam commonſtremus. Quod ſane quondam felicis recordationis Petrum Epiſcopum Cameracenſem, aliosque noſtros Prædeceſſores feciſſe conſtat; cum pro ſubditorum utilitate, proque Eccleſiæ ac Miniſtrorum ejus libertate, complures Synodales ediderint & promulgarint Conſtitutiones, non minus utiles, quam neceſſarias, adeo, ut nihil æque requiſitum fuiſſe, atque debitam executionem putemus. Nihilo tamen ſecius, quando nonnullas huic noſtro ſæculo non ſatis congruentes comperimus, cum maturis ſanctæ Synodi noſtræ Diœceſis Patribus, & Dominis ad hoc ſpecialiter deputatis, conſilio & deliberatione præhabitis, Conſtitutiones prætactas (quas etiam prius per Jurisperitos, & aliquot viros pios, ac Deum timentes, ad eum, qui ſequitur modum, compilandas, ſeduloque expendendas juſſimus) per noſtros, ac dictæ Synodi Deputatos, diligenter viſitatas & dicuſſas, de ipſorum expreſſo conſilio pariter & aſſenſu, quatenus per noviter in ſancta Synodo Statuta correctæ, ſeu moderatæ non fuerint, nonnullis additis, & quibusdam detractis, & immutatis, authoritate Synodi prætactæ correximus & moderavimus, corrigimusque, addimus, & moderamus modo & forma, in fine dictarum Conſtitutionum latius contentis: easdem, ſalvis correctionibus, additionibus & moderationibus infraſcriptis, ſpecialiter & expreſſe innovantes & approbantes, ac reliquas omnes veteres Conſtitutiones Synodales abrogantes.

De Pertinentibus ad Synodum.
TITULUS PRIMUS.

De his, qui tenentur venire ad Synodum.

INprimis ſtatuimus, & ordinamus, ut in qualibet Synodo, per Nos, vel Vicarios noſtros, ſeu alios ad hoc deputatos, & poteſtatem habentes, in poſterum celebranda, ipſi Prælati, Abbates, Patroni & Perſonæ Eccleſiaſticæ, & Sacerdotes, Collegia, Capitula, qui & quæ de jure (*a*) vel de conſuetudine ad Synodum venire tenentur, perſonaliter compareant, & interſint; niſi cauſam juſtam & rationabilem habuerint, non comparendi:

De excuſatione eorum, qui tenentur venire ad Synodum.

Quam ſi habuerint, aut prætendere voluerint; ſtatuimus & ordinamus, quod Prælati, Abbates, Priores, Præpoſiti, & alii viri religioſi, Conventum habentes, quempiam ſuorum Religioſorum, diſcretum & honeſtum: Collegia & Capitula Eccleſiarum Collegiatarum, Abbatiſſæ, Capitula & Conventus mulierum, Presbyterum diſcretum, notumque & idoneum, ad eos & eas dumtaxat, & non etiam alios, excuſandum, ſufficienter inſtructum mittant, & mittere teneantur: qui ad eos, & eas, ſeu ea excuſandum, & alia, quæ in Synodo fient & ordinabuntur, audiendum, referendumque, & ſi opus fuerit, ratificandum, (*b*) nec non ad jurandum, quod ea de cauſa, & non alias ad dictam Synodum venerit, ſufficiens mandatum habeat: Statuentes & ordinantes, quod dicti Prælati, Abbates, Priores, Præpoſiti, Sacerdotes, Decani, Capitula, Abbatiſſæ ſæculares, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, ſuperius nominatæ, nullatenus per quemcumque in civitate noſtra Cameracenſi reſidentem, ullo modo valeant excuſari.

Item ſtatuimus & ordinamus, quod omnes Prælati, Abbates, Priores, Præpoſiti, Patroni, Abbatiſſæ ſæculares, & alii Decani, & Capitula Eccleſiarum Collegiatarum extra noſtras civitatem & Diœceſim Cameracenſem conſtituta, ad Synodum noſtram venire debentia, ſi prætendant ſe habere privilegia, quo minus perſonaliter in dicta Synodo celebranda comparere teneantur, Nobis, ſeu Vicariis noſtris, aut aliis ad hoc deputatis, & poteſtatem habentibus, de hujusmodi ſuis privilegiis fidem legitimam faciant. Alioquin in qualibet Synodo perſonaliter

(*a*) Vide in c. *Quod ſuper his.* Extra. De major. & obedien. Et diſt. 18. maxime in c. *Epiſcopus* 2. & c. *Decernimus*. ea, diſt. c. *Abbates*. 18. quæſt. 2. c. 1. junc, glo. *De Statu Monach.* Extra.

(*b*) C. *Epiſcopus* 1. diſt. 18.

liter, ut alii Prælati & personæ nostrarum civitatis & Diœcesis, comparere tenentur.

Pœnæ non venientium ad Synodum.

Item Prælatos, personas vel Patronos, Sacerdotes, Capitula, Collegia, & quoscumque alios, de Diœcesi nostra Cameracensi existentes, qui ad Synodum nostram venire tenentur de jure vel consuetudine, non venientes ad Synodum, ut tenentur: qui non fuerint Canonice impediti, aut legitime excusati, aut quibus non detulerimus; nisi infra mensem super hujusmodi inobedientia emendam Nobis, vel Officiali nostro Cameracensi præstiterint competenter, ex nunc, prout ex tunc, a Divinis suspendimus, (*) & suspensos authoritate Synodali nuntiamus. Alios vero, non existentes de Diœcesi, debentes venire, & non venientes, nec pro se mittentes ad dictam Synodum, graviter puniemus. (*Syn. Camerac. anni* 1312. *&* 1334.)

Præcipimus, ut Prælati, Personæ, sive Patroni, Sacerdotes Parochialium Ecclesiarum, & Sacerdotes ad hoc electi, ad Synodum venientes, veniendo, morando, recedendo honeste se habeant.

Veniendo non nimis cito iter arripiant, nec a Synodo sine licentia recedant. Jejuni intrent Synodum. Presbyteri sint induti superpelliceo cum stola, Decani cum alba & stola, Abbates in albis cum cappa chori, & baculo pastorali.

Decani & Presbyteri, ad Synodum venientes, electis ad hoc duobus Provisoribus idoneis & peritis, de consensu Capitulorum suorum, faciant adeo moderatas expensas; ut Presbyteri remanentes, qui Parochiis aliorum deservire tenentur, per excessum expensarum & sumptuum non graventur.

Quilibet Decanus, pro se & duobus Sacerdotibus sui Decanatus, quinque equis, & qualibet die pro quolibet equo secundum distantiam locorum octo grossis Turonensibus regalibus sit contentus, veniendo ad Synodum, & remanens ibidem, quousque computus Decanorum sint finiti, & per unam diem ultra: nisi de mandato Domini, aut Vicariorum tenentium Synodum, diutius remanere debeant. (*Synod. Camerac. anni* 1334.)

Item, quod dicti duo Sacerdotes, venientes cum dictis Decanis, facta Synodo, postridie debeant recedere, nisi de mandato Domini, aut Vicariorum, tenentium Synodum diutius manere debeant. (*ibid.*)

Item, quod dicti Decani in prima convocatione sua, facienda per ipsos Decanos, post hujusmodi Synodum, teneantur facta in Synodo publicare, de expensis publice computare: & sic deinceps singulis annis debent computare in convocatione proxima post Synodum. Quod si secus a quoquam Decanorum factum fuerit, pœnam centum solidorum Parisiensium ipso facto incurrat. Et hoc idem sub eadem pœna injungimus cuilibet Curato de hujusmodi Capitulo. Quod si quid contrarium a quoquam Decanorum factum fuerit, Nobis, aut Officiali nostro significent infra mensem.

Præcipimus, ut Decani veniant ad Synodum nostram bene muniti & instructi de computis suis, & ad computandum compareant adeo tempestive; ut per defectum eorum non oporteat illos, quos hujusmodi tangit negotium, in eodem computu nimiam moram facere. Alioquin ipsi, per quos moram hujusmodi fieri contigerit, expensas, quæ propter hoc fient, de suo proprio solvere tenebuntur.

Quid computus Decani continere debeat.

Præterea Decani scribant in computis suis loca & nomina eorum, a quibus leges quascumque recipiunt, & causas, ob quas ipsas recipiunt; nisi ex hoc timeatur oriri scandalum, seu corporis periculum imminere.

Quid referendum ad Synodum.

Decani, omnium usurariorum manifestorum & excommunicatorum per annum & diem, totius sui Decanatus nomina, & causas excommunicatorum in schedula deferant anno quolibet ad Synodum, vel computum: & ad hoc Curatos suos compellant; ne tam Decani, quam Curati de tali negligentia valeant reprehendi.

Item

(*) Suspensio reservata.

Item referant ad Synodum nomina Presbyterorum omnium, qui in suis Decanatibus illo anno obierunt, ut in Synodo absolvantur: & Presbyter quilibet in reditu suo unam Missam de *Requiem*, cum toto servitio defunctorum pro eisdem dicere teneatur.

De impedientibus Synodum.

Inhibemus sub pœna excommunicationis, ne quis moretur in Synodo, ad quem non pertinet, nec Synodum negotiis impertinentibus, aut alias perturbare præsumat, vel impedire.

Statuimus, ut ubicumque malitiose aut violenter impeditur Synodus, aut Capitulum Decanorum, in locis, in quibus consueverunt fieri, cessetur a Divinis, & impedientes ipso facto excommunicamus. (*)

Quæ sunt facienda in Synodo.

Primo legatur commissio Domini Episcopi, facta Vicariis, si fuerit absens: deinde prædicetur Verbum Dei. (*Vide Moder. & Addit. infra* §. 1.)

Item surgant Procuratores absentium, & tradant sua procuratoria Vicariis, vel illis, qui ad hoc fuerint specialiter deputati.

Item legantur Statuta de novo facta, si aliqua sint, & legantur aliqua statuta magis necessaria.

Atque si placuerit, legantur literæ Papæ Clementis super restitutione facta Episcopo, Capitulo, & Ecclesiæ Cameracensi de Comitatu Cameracesii.

Item revocentur omnes gratiæ & commissiones sub hac forma: *Revocamus omnes gratias, & literas generales* &c. ut in titulo XXVII. continetur.

Deinde omnes, qui de jure vel consuetudine ad Synodum venire tenentur, minus sufficienter comparentes, contumaces reputentur.

Item præcipiatur omnibus sub certa pœna, ne aliqui recedant, nisi prius petita licentia & obtenta.

Item surgant omnes Decani Christianitatum per ordinem, & dicant alta voce nomina Curatorum & Capellanorum, in suis Decanatibus mortuorum: deinde dicatur pro defunctis usque in finem, *Pater noster*, cum collecta: *Fidelium Deus*, *&c.*

(*) Excommunicatio reservata.

(*d*) C. 2. Extra. De Baptis. & ejus effect.

De Baptismo.

TITULUS SECUNDUS.

Baptismus caute & reverenter celebrandus.

Baptismus caute & honorabiliter celebretur cum aperta distinctione, & forma verborum, in quibus consistit Sacramentum, id est, salus & virtus Baptismi, quæ est talis: *Petre, ego* (*c*) *baptizo te, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.* Quæ verba dicantur ab eo, qui baptizandum immergit. Et ut caveatur periculum baptizandi, non immergatur caput pueri in aquam, sed baptizans, ter super verticem pueri aquam infundat cum pelvi, aut alio mundo & honesto vase.

De Piscina.

Item juxta fontes instituatur piscina apta, ut laventur manus eorum, qui tenuerunt puerum, & vas lavetur, cum quo infusus fuit puer, & super piscinam illam ponatur cooperculum.

Renovatio fontis.

Renovetur autem aqua fontium, quoties opus fuerit, & vetus amoveatur, & nova benedicatur & chrismetur. Sed antequam nova apponatur, fontes diligenter mundentur, propter reverentiam Sacramenti.

Infans in necessitate etiam per mulieres baptizari potest.

Doceant quoque Presbyteri viros & mulieres formam & verba Baptismi in propria lingua, quibus valeant in necessitate infantem baptizare, etiam parentes, si alius defuerit. Et postmodum deferatur puer ad Sacerdotem, qui diligenter interroget, quid baptizator fecerit aut dixerit: & si invenerit omnia rite facta, vel dicta, faciat puero ea, quæ solent fieri post immersionem. Si autem invenerit aut dubitaverit (*d*) puerum non esse rite bapti-

(*c*) C. 1. Extra. De Baptis. & ejus effect.

baptizatum, baptizet eum sub hac forma: *Petre, si non es baptizatus, ego baptizo te, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Doceant quoque Presbyteri, quod si pater & mater pueri infantem suum in necessitate baptizarent; non propter hoc dimittant, quin se habeant ut conjuges, sicut ante.

De infante non perfecte nato.

Præterea si caput nascentis infantis extra appareat, & timeatur de morte ejusdem, antequam perfecte nascatur, infundat aquam benedictam, (*) qui aderit, super caput infantis nascentis, dicens: *Infans, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Et tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ. Si vero caput non appareat, sed alia pars corporis, & timeatur de morte, ut dictum est; infundatur aqua super parte visa, & proferantur verba Baptismi superius declarata. Si tamen caput vivum non apparuerit, Ecclesiastica denegetur sepultura. Si autem pervenerit ad ortum legitimum, de novo baptizetur sub his verbis: *Petre, si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Nec addantur, aut immisceantur aliqua verba.

Si mulier mortua fuerit in partu, non negentur ei aliqua jura Christianitatis; sed in Ecclesiam deferatur, & in cœmeterio tumuletur, nisi aliud obstiterit: quia pœnam non debemus ei vertere in culpam. Si certum fuerit, quod pariens mortua fuerit, teneatur os ejus apertum, & cum magna cautela uterus ejus aperiatur, ut infans vivus, si possit fieri, educatur, & baptizetur. Si autem mortuus reperiatur, extra cœmeterium tumuletur.

De Susceptoribus Parvulorum.

Ad levandum puerum de fontibus, quatuor personæ laicæ & sæculares, duo scilicet masculi, & duæ fœminæ in patrinos & matrinas, sive pueri levandi sint masculi, sive fœminæ admittantur. (*e*) Et si placuerit parentibus, quatuor alii sæculares, (*f*) in sacris Ordinibus constituti, cum supradictis assumantur: Præcipiendo sub pœna excommunicationis Presbyteris, ne plures personas in patrinos, vel matrinas admittant, quibus injungant, ut Orationem Dominicam, & Symbolum Apostolorum, & *Ave Maria* doceant eos, quos de fontibus levarint.

De custodia Fontis & Chrismatis.

Fontes sub cooperculo & sera teneantur cum sollicitudine diligenti.

Item Chrisma, Oleum sacrum, & Oleum infirmorum, in ampullis metallinis, & sub clave custodiantur, & ampullæ certis titulis distinguantur, & diligenter obstruantur. Si autem oportuerit Chrismati, Oleo sacro, vel Oleo infirmorum aliud oleum apponi consuetum, caute & diligenter misceatur appositum cum Chrismate, Oleo sacro, & Oleo infirmorum.

Item licet per Constitutionem Clementinam (*g*) jam diu fuerit inhibitum, ne quis nisi in Ecclesiis, in quibus fontes ad hoc specialiter fuerint deputati, aliquem audeat baptizare (liberis Regum & Principum dumtaxat exceptis) ut tamen adjectione pœnæ dicta Constitutio magis in reverentia teneatur, & ejus inhibitio timeatur; hac authoritate ordinaria inhibemus, statuentes, ut qui de cætero contrarium fecerit, in excommunicationis (**) sententiam incidat ipso facto. (*Syn. Camerac. anni* 1321.)

Quis possit mitti pro Sacro Chrismate.

Item statuendo præcipimus, ne quis pro sacro Chrismate habendo mittat laicum, vel mulierem; sed dumtaxat Clericum honestum & discretum. Et si quis contrafecerit, incurrat pœnam viginti solidorum Parisiensium. (*Synod. Camerac. anni* 1325.)

Statuimus, quod omnes & singuli Decani Christianitatum nostrarum Civitatis & Diœcesis, de cætero pro sacro Chrismate habendo mittant aliquem Presbyterorum, Curatorum, seu Capellanorum suorum Decanatuum, post hujusmodi

Ssss 3 Sacri

(*) *Vide Moderat. & Addit.* infra §. 2.
(*e*) Revocatum per Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. c. 2.
(*f*) *Vide Moderat. & Addit.* infra §. 4.
(*g*) Clem. unic. *De Baptis. & ejus effec.* in Clem.
(**) Excommunicatio reservata.

ſacri Chriſmatis confectionem & conſecrationem. Alioquin Clericos, ſeu Cuſtodes ſuarum Parochialium Eccleſiarum, ſi canonico impedimento impediti ſint, mittant.

Statuimus & prohibemus, ne Decani a Curatis pro adminiſtratione Chriſmatis exigant, aut recipiant immoderatas expenſas, ſed moderatis expenſis ſint contenti: contrarium autem facientes, graviter puniemus. (*Syn. Camer. an.* 1334.)

De Confirmatione.

TITULUS TERTIUS.

Quod pueri ſeptennes ſint confirmandi.

HOrtentur Presbyteri ſuos ſubditos, ut pueros ſuos ſeptennes & ſupra, adducant ad Epiſcopum confirmandos, cum munda & decenti capillatura, lotis frontibus, cum faſciis mundis & aptis de ſpiſſa tela: & tertia die reducant ad Eccleſiam confirmatos, ut ibidem frontes eorum laventur a Presbyteris cum cinere vel ſale, & faſciæ eorum comburantur, & aqua lotionis frontium cum cinere faſciarum in piſcinam reponatur. Unus ſolus teneat, & liget confirmandum, non pater, nec mater.

Confirmatio non iteranda.

Iſtud Sacramentum non eſt iterandum, & qui pluries fuerit confirmatus, graviter puniatur. [*Syn. Camer. an.* 1311.)

Adulti, ſcilicet duodecim annorum & amplius, prius confiteantur ſuis Sacerdotibus de peccatis ſuis, antequam confirmentur.

Parentes parvulorum jam confirmatorum ſæpe reducant ad memoriam eorum, quando, a quo, & ubi fuerint confirmati.

Mutatio nominis.

Item doceant Sacerdotes, quod Epiſcopus in confirmatione confirmandorum nomina poteſt mutare. Item nullus ad primam tonſuram, vel ordines audeat accedere, niſi fuerit prius confirmatus.

De Pœnitentia, & partibus ejus, ſcilicet: Confeſſione, Contritione, & Satisfactione.

TITULUS QUARTUS.

Quis, quando, & cui confitendum.

SAcerdotes moneant ſubditos ſuos, ut omnes a quatuordecim annis & ſupra, præſertim in Quadrageſimali tempore, & ante Dominicam in Ramis Palmarum, ad confeſſionem frequenter accedant, ſeu veniant: & ſaltem ſemel in anno confiteantur proprio Sacerdoti, (*b*) id eſt, Presbytero parochiali; qui ideo magis proprie proprius dicitur eſſe Sacerdos, quia non ſolum confeſſiones audit, & abſolvit, ſed etiam miniſtrat alia Eccleſiaſtica Sacramenta.

Quæ peccata confitenda.

Confiteantur autem nullatenus aliena peccata, ſed ſua tantummodo, & præcipue omnia mortalia, diſtincte, cum circumſtantiis, & aggravationibus, quæ notantur in hoc verſu, *Quis, quid, ubi, per quos, quotiens, cur, quomodo, quando.* & hoc in habitu humili, & corde contrito. Venialia autem in ſumma confiteantur eidem.

Locus & tempus audiendæ Confeſſionis.

Sacerdos autem cum attenta diligentia in Eccleſia, loco apto, poſt ſolis ortum, & ante ſolis occaſum, niſi neceſſitas aliud popoſcerit, inſuper indutus ſuperpelliceo, vel cappa rotunda cum ſtola, ſedendo, vultibus & oculis in terram demiſſis, manſuete, confeſſiones audiat eorumdem, ipſis pœnitentias peccatis ſuis contrarias injungendo: ut pro peccato luxuriæ, jejunium & abſtinentiam: pro peccatis ſpiritualibus, meditationes, orationes & ſimilia: pro furto & detentione rei alienæ, primo reſtitutionem & ſatisfactionem integram, & nihilominus aliam congruam pœnitentiam pro eiſdem.

In actu confeſſionis, nec confitens, nec Sacerdos verba confabulationis, aut alia, quæ ad ſalutem non pertinent, immiſcere præſumat.

Sacer-

(*b*) C. *Omnis utriuſque ſexus.* Extra. De pœnit. & remiſſ.

Sacerdos impœnitentem non absolvat.

Sacerdotes Curati, & eorum vices gerentes, ac alii, qui vice nostra confessiones audiunt, eos, qui propositum non habent abstinendi a peccatis, nullatenus absolvant: sine pœnitentia tamen eos non relinquant. (*i*) Sed cum hoc eos moneant ex charitate, ut interim agant, quidquid boni possunt, ut Deus corda eorum ad veram contritionem, & pœnitentiam illustret. (*Synod. Camerac.* 1308.

Sacramentum pœnitentiæ ultimo damnatis supplicio non denegandum.

Item exhortamur primo, & monemus in Domino sub pœna excommunicationis, (*) quam ex causa statuendo ferimus in non obedire volentes, ut ultimo damnandum supplicio, si petat, confessionis, & pœnitentiæ, non degregent Sacramentum: Præcipientes Decanis nostris, aut Curatis, seu vices eorum gerentibus, ut eos & singulos, quos legitime constiterit in prædictam excommunicationis sententiam incidisse, palam & publice excommunicatos in suis Ecclesiis nuntiare non omittant. (*Syn.* 1320.)

Casus reservati Episcopo.
TITULUS QUINTUS.

Reservamus Nobis (**) peccata majora, videlicet peccata contra naturam in viris ultra vicesimum annum: Homicidia: Incendia: Simoniam: Hæresim: Apostasiam: Sacrilegia ultra quadraginta solidos: incestus cum Patre & matre, filio & filia, fratre & sorore, & cum mulieribus religiosis professis: injectiones manuum violentas in parentes cum deliberatione factas: sortilegia in Sacramentis, videlicet in Eucharistia, vel chrismate: oppressiones parvulorum voluntarie procuratas: negligentias parentum, in igne vel aqua natos perdentium: perjuria solemnia, & fidei fractiones solemnes in Curia Cameracensi: votorum solemnium transgressiones: maleficia impedientia coitum: procurationes sterilitatum, vel abortivorum: propinationes veneni: magnas blasphemias Deo factas: casus eorum, qui falsificant literas Curiæ nostræ Cameracensis, vel abutuntur eisdem: omnes casus excommunicationis (***) tam a Nobis, quam a Canone latæ, exceptis inferius nominatis & expressis: & omnia alia peccata istis graviora, exceptis in mortis articulo.

De absolutione in articulo mortis.

Nam pœnitentes in articulo mortis (*k*) constituti, per Presbyteros, etiam non Curatos, maxime quando Curatorum copia non habetur, a peccatis & excommunicationis sententia, quantumcumque reservatis Summo Pontifici, Episcopo, Officiali, Pœnitentiariis, vel alteri de jure, vel statuto (dum tamen parti fuerit satisfactum, vel quantum in se est, satisfactionem offerant idoneam, cavendo, vel bona sua ad manus Ecclesiæ propter hoc reportando, & præstito juramento, quod si eosdem sanitati restitui contingat, superiorem adibunt, qui propter hoc est adeundus, ejus parituri mandatis) injuncta pro modo culpæ pœnitentia salutari, cum Psalmo Pœnitentiali: *Miserere mei Deus. Gloria Patri. Kyrie eleyson. Pater noster. Et ne nos &c. Salvum fac servum tuum Domine Deus, sperantem in te. Nihil proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Esto ei Domine turris fortitudinis a facie inimici. Domine exaudi orationem &c. Dominus vobiscum*, cum responsoriis. *Oremus: Deus, cui proprium est, semper misereri & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum*, vel *hanc famulam tuam, quem* vel *quam peccatorum & excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat, Per Christum Dominum &c.* Junctis verbis sequentibus: *Authoritate Dei Omnipotentis, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejusdem, suæ Sanctæ Ecclesiæ, & nostra, absolvimus, a talibus peccatis, & a tali sententia, & restituimus te communioni & participationi Ecclesiæ, & omnium fide-*

(*i*) C. *Quod quidam.* Extra. De pœnit. & remiss.
(*) Excommunicatio reservata.
(**) Moderatum in Synodo Camerac. anni 1604. Tit. 8. cap. 1.
(***) Moderatum in Synodo Camerac. anni 1604. Tit. 8. cap. 4.
(*k*) C. *final.* Extra. De Sepult. c. *Ex tenore.* Extra. De Excomm. c. *Cum desideres* 1. & c. *A nobis* 2.

fidelium, & Ecclesiasticis Sacramentis. absolvendi sunt: nec eisdem viaticum & unctio extrema, si non obstiterit aliud, denegari debent. Quoad sepulturam autem talium nihil innovetur, sed juris & Statutorum Constitutiones potius observentur. Si vero (quod absit) sic absoluti restituantur sanitati, & infra mensem non adimpleverint, quod jurarunt; curiæ nuntientur, in pristinas sententias & offensas relapsi, & contra eos procedatur. Hanc autem nostram, imo verius Juris provisionem Presbyteris omnibus sæcularibus & regularibus præcipimus inviolabiliter observandam.

Addendo statuto loquenti de casibus nobis reservatis, statuimus & ordinamus omnibus & singulis Presbyteris, Curatis, & vices gerentibus eorumdem, nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, sub suspensionis & excommunicationis pœnis, & centum solidorum Parisiensium, Nobis & Archidiacono loci, si committantur, applicandorum, irremissibiliter injungimus, ut ipsi Presbyteri Parochialium Ecclesiarum Curati, & eorum vices gerentes, de cætero singulis diebus Dominicis & Festivis, in facie suarum Ecclesiarum, generaliter omnes & singulos homicidas, pedum, manuum, & aliorum membrorum ablatores, (quos Nos tenore præsentis nostri Statuti Synodalis, Pontificali & ordinaria authoritate, una cum aliis pœnis & sententiis, Juris, & Statutorum Synodalium & Provincialium authoritate, in tales latis (*a*) excommunicamus) ut (*b*) excommunicatos publice, distincte & nominatim, cum ad ipsorum Curatorum, seu aliorum vices gerentium notitiam devenerint, denuntient. Nec tales ad Sacramenta Ecclesiastica quæcumque (Sacramentis confessionis & extremæ unctionis exceptis) recipiant seu admittant, nisi eis constiterit legitime parti læsæ satisfecisse, & a nobis beneficium absolutionis obtinuisse, injungentes Decanis nostris Christianitatis sub eisdem pœnis, ut de Presbyteris, Curatis & eorum vices gerentibus, in præmissis negligentibus seu remissis, diligenter inquirant, nominaque & cognomina eorumdem nobis, seu Officiali nostro Cameracensi referant, seu rescribant.

Casus reservati Pœnitentiariis.

TITULUS SEXTUS.

Committimus (*c*) Pœnitentiariis nostris generalibus per Decanatus, deputatis, peccata contra naturam in omni ætate per mulieres perpetrata, in viris intra vicesimum annum: pollutiones manuum in omni ætate: perjuria & fidei fractiones, quæ non fuerint factæ in Curia Cameracensi: votorum non solemnium transgressiones: injectiones manuum in parentes, ubi non fuerit gravis læsio, vel deliberatio: injectiones manuum parvulorum in Clericum usque ad vicesimum annum: sortilegia, quæ non fuerint de Eucharistia, vel Chrismate: oppressiones parvulorum non voluntarie, sed casuales: clandestinas nuptias: incestus, exceptis patre, matre, filio, filia, fratre & sorore: omnia adulteria: injectiones manuum mulierum in Clericum, vel Sacerdotem, ubi non est enormis læsio: sacrilegia usque ad quadraginta solidos, ita tamen, quod debita restitutio fiat Ecclesiæ de eisdem: & omnià peccata, ubi Curati habent potestatem.

Casus commissi Presbyteris Parochialibus.

TITULUS SEPTIMUS.

Curatis, & eorum vices gerentibus committuntur (*d*) inordinatus concubitus cum mulieribus: mollities: peccata contra naturam in ætate puerili, in viris usque ad decimum quartum annum: in mulieribus vero usque ad vicesimum quintum annum: Adulteria ex una parte provenientia: damnificationes & furta, dummodo fiat restitutio statim, atque facultas se obtulerit: Sacrilegium usque ad decem solidos, dummodo Ecclesiæ

(*a*) Excommun. reservata. (*b*) Moderatum. Vide infra in *Moderationib. & Addition. §.5.*
(*c*) Moderatum *in Synodo Camerac. anni* 1604. *Tit.* 8. *c.* 1. & 2. quam vide *Tom. sequ.*
(*d*) Vide eand. Synodum Camerac. anni 1604. l. cit.

clesiæ fiat restitutio : levis injectio manuum in parentes : sortilegia in rebus minimis & communibus, ubi non est horror, vel turpitudo : perjuria privata, in quibus nullus damnificatur : stuprum virginum : abortus non procurati, sed casuales.

De casibus (e) Nobis, aut Pœnitentiariis nostris reservatis, Curatis, & eorum vices gerentibus, interdicimus omnem potestatem absolvendi, excepto mortis articulo.

Sacerdotes confessiones mulierum, cum quibus peccaverunt, fautorum & mediatorum non audiant ; nisi in casu necessitatis. (*Syn.* 1311.)

Statuimus, quod in quolibet Decanatu quilibet Curatus possit sibi eligere idoneum Confessorem (f) in suo Decanatu, qui ipsum absolvat a peccatis sibi confessis, exceptis casibus Nobis, & Pœnitentiariis nostris reservatis. (*ibid.*)

De subveniendo Curatis per Capellanos.

Ad sopiendum inter Parochiales Presbyteros & Capellanos perpetuos nostræ civitatis & Diœcesis, in Ecclesiis Parochialibus omnimodam materiam quæstionis, statuimus, ut Capellani tam perpetui, quam mercenarii, in confessionibus audiendis, Presbyteris Parochialibus subveniant, & succurrant in his, quæ ad opus Parochiale pertinent, eo tempore, quo constabit dictos Presbyteros occasione nostra, vel Curiæ Cameracensis impeditos esse, vel infirmitate proprii corporis detentos; dum tamen infirmitas hujusmodi quindecim dierum numerum non excedat: salvis nihilominus Ordinationibus, a Nobis, aut Prædecessoribus nostris, super Capellanis, si quæ fuerint, factis & ordinatis. (*Syn.* 1333.)

Item statuimus, quod Capellani perpetui in Parochiis, in quibus suæ Capellaniæ consistunt, residentiam faciant corporalem, & cum Curatis locorum in Ecclesiis Parochialibus, Vesperis, Matutinis, & Missis, diebus Dominicis & festivis intersint, secundum scientiam a Deo sibi collatam cantando & legendo. Nomina autem rebellium Presbyteri, seu Decani, Nobis, vel Officiali nostro nuntient, seu rescribant. (*ibid.*)

Nemo alienum Parochianum absolvere potest.

Quoniam, sicut experientia nos docuit, nonnulli Sacerdotes, imo verius deceptores, in alienam messem falcem suam mittere non verentes, in nostra civitate & Diœcesi Cameracensi, sine nostra, vel Curatorum Parochialium Ecclesiarum ejusdem Diœcesis, licentia, in eorundem Parochiis & Ecclesiis præsumunt temeritate propria audire confessiones, & ministrare Ecclesiastica Sacramenta, contra Sacrorum Canonum instituta; cum ipsis confitentes absolvere nequeant, aut ligare, vel Ecclesiastica Sacramenta ministrare: (g) Nos autem tantæ temeritati, & animarum periculis occurrere cupientes, statuendo prohibemus ; ne aliqui Sacerdotes, sine nostra, vel prædictorum Curatorum licentia, audire confessiones, vel alia Sacramenta ministrare præsumant, nisi in mortis articulo, ubi non posset haberi copia Curatorum. Si quis contrarium facere præsumpserit, excommunicationis (h) vinculo sit ligatus: salvis tamen authenticis scriptis & privilegiis Apostolicis, quorum volumus esse defensores. (*Syn.* 1317.)

Presbyteri suis Parochianis inhibeant, ne quis rem furtivam, vel furti suspectam, emere scienter præsumat : & si secus fecerit, se ad restitutionem teneri sciat. (i) (*Syn.* 1333.)

Item Presbyteri suis Parochianis præcipiant & injungant, ut hi, qui procul ad nundinas, aut peregre sunt ituri, licentiam a suo Sacerdote accipiant, sumendi Ecclesiastica Sacramenta in via, si necesse fuerit: & Sacerdos eis denegare non præsumat. (*ibid.*)

Nota-

(e) Moderatum in Synod. Camerac. an. 1604. l. cit.
(f) Argum. c. *final.* Extra. *De pœnit. & remission.*
(g) C. *Omnis utriusque sexus.* c. *Quod autem.* Extra. De pœnit. & remission. c. *Nullus.* Extra. De Paroch. & alien. Paroch.
(h) Excommunicatio non reservata. Vide *Tom. seq. Synod. anni* 1604. *Tit.* 8. *cap.* 4.
(i) L. *Incivilem rem.* L. *Civile est.* C. De furt.

Notabilis facultas, commutandi vota peregrinationum.

Item ſtatuimus, ut Presbyteri, & alii, qui vice & authoritate noſtris audiunt confeſſiones, confitentes inducant & moneant, ut ſaltem ſemel in anno viſitent matrem ſuam Eccleſiam Cameracenſem: & ſi forſan iidem, præcipue mulieres, alias peregrinationes voverunt, & eas ſibi commutari requirant; ipſas peregrinationes, & maxime mulieribus, quibus parcendum eſt propter ſexum, in peregrinationem ad dictam Eccleſiam Cameracenſem, unam, vel plures, compenſatis peregrinationis primo promiſſæ, laboribus & expenſis, authoritate noſtra commutent. [*ibid.*]

Sacerdotes diligenter inſtruant ſubditos ſuos de Symbolo Apoſtolorum, & articulis fidei. (*ibid.*)

Nullum excommunicatum (*k*) pro abſoluto habeant, niſi eis de abſolutione facta fuerit certa fides. (*l*) Et cum aliquem abſolvunt, dicant: *Miſerere mei, Deus, &c.* Abſolvendo coram eis, ante oſtium Eccleſiæ, flexis genibus conſtituto.

De Euchariſtia, & celebratione Miſſarum.

TITULUS OCTAVUS.

Veſtitus celebrantis.

SAcerdotes in veſtibus Sacerdotalibus, mundis & benedictis accedant ad Miſſam celebrandam: manipulus habeat duos pedes in longitudine ſub brachio: ſtola ad minus uſque ad paramentum albæ ſe extendat: alba & caſula integræ & non diſſutæ habeantur & cuſtodiantur: amictus integer ſit, & ſæpe mundetur: cingulum longum, mundum, integrum & benedictum habeatur: Presbyteri non cantent ſine calceamentis & caligis ſupra genua attingentibus.

Quam graviter peccet, qui indigne celebrat.

Noverint Sacerdotes, quod ſi cum conſcientia peccati mortalis ad celebrandam Miſſam acceſſerint, & celebraverint; ad minus ter peccant mortaliter. Primo, quia præſumunt indigne accedere. Secundo, quia indigne conficiunt & contingunt Euchariſtiam, & tenent ſacra vaſa. Tertio, quia manducant indigne corpus Chriſti, & bibunt ejus Sanguinem.

Ornamenta Altaris.

Altare ad minus duabus pallis benedictis paretur. Corporalia duo ad neceſſitatem unius altaris ad minus habeantur. Pannus, cum quo calix extergitur, cum veneratione cuſtodiatur in calice, vel ſuper altare, ſicut reliquiæ. Cæteri panni, quibus calix & patena involvuntur, mundi cuſtodiantur. Miſſale ſemper involutum camiſia linea, & munda, altari ſuperponatur, & habeat ſudariolum vel manutergium dependens, quo Presbyteri nares, faciem & os detergant. Loca circa altare ab aranearum telis, pulveribus, & cæteris immunditiis ſæpius emundentur. Cortinæ convenientes, quæ alæ dicuntur, a lateribus altaris utrimque appendantur, nec tempore Sacrificii ab aliquo retrahantur: cortina convenienter ſurſum ſupra altare extendatur, quæ protegat & defendat altare, ab incommodis immunditiarum deſcendentium. Calix, & patena, in quibus conficitur corpus Chriſti, ſint argentei vel aurei, (*m*) & integri, & calix ſit cum firmo pede, non titubans.

Nullus ſine Clerico celebrare præſumat.

Ampullæ.

Ampullæ vini & aquæ integræ & mundæ interius & exterius obſerventur, & ſigno notabili diſtinguantur. Vinum de tertio die in tertium diem ad minus renovetur. Vinum rubrum, ſi commode poſſit haberi ad celebrandum, miniſtretur.

Piſcina.

Piſcina, in quam lavat Sacerdos manus poſt conſecrationem Sacramenti, munda teneatur & cooperiatur, & extérſorium poſt illam lotionem mundum habeatur, & reverenter alba tela, vel cortina linea, ſeu ſerica tegatur, & cum cor-

(*k*) *Vide infra Moderat. & Addit.* §. 6.
(*l*) C. *Sicut nobis.* Extra. De ſentent. excommun.
(*m*) C. fina. *De celebrat. Miſſar.* c. *Vaſa.* c. *Ut Calix.* De Conſecrat. diſt. 1.

corporali, si necesse fuerit, abluatur ab aliquo Sacerdote, vel persona religiosa, & aqua ablutionis in piscinam sacram recondatur. Item extersorium calicis, quando ipsum vetus & minus honestum fuerit, super piscinam sacram comburatur, & cinis in piscinam recondatur.

Habeat Sacerdos proprium manutergium, quo se extergat ante celebrationem vel contactum Sacramentorum, ut Eucharistiæ, Chrismatis, Olei sacri. Clericus autem non tergat manus suas ad prædicta manutergia vel extersoria, sed habeat aliud proprium.

Hostia.

Sacerdos (*n*) sit diligens in electione hostiæ consecrandæ, ut sit integra, & solida, & rotunda, non nimis vetusta: & in appositione vini & aquæ discernat odore, quid sit utrumque, vel faciat ab alio gustu discerni: de aqua autem apponantur duæ guttæ vel tres.

Sacerdos autem distincte & attente legat & dicat in Canone, quæ dicenda sunt. Sacerdos non levet hostiam ad ostendendum populo, nisi prius dixerit hæc verba: *Hoc est enim Corpus meum* &c. & tunc pulsetur campana magna tribus vicibus, in una parte: & fideles, qui audierint, ubicumque fuerint, adorent.

Cautelæ Missæ.

Sacerdos cum venerit ad consecrationem, vel perceptionem, & nihil in calice invenerit, innuat, quod offeratur ei vinum cum aqua, quibus appositis, dicat verba Canonis ab illo loco: *Simili modo postquam cœnatum est*, &c. usque finem, & faciat signacula, quæ tunc fieri solent super Sanguinem: illa autem, quæ facta sunt super Eucharistiam, non reiteret. Quod si aquam invenerit & gustaverit, non reiteret Sacramentum sanguinis, sed transeat consueto more: (*o*) ille autem, per cujus negligentiam hoc evenerit, jejunet tribus diebus, a se distantibus, in pane & aqua.

Effusio Sanguinis.

Si quid de Sanguine ceciderit super corporale, vel super pallam altaris; pars corporalis, vel pallæ, intincta sanguine, ter abluatur diligenter, & aqua ablutionis a Presbytero jejuno, vel persona religiosa jejuna sumatur, & poterit dictis pannis uti, sicut prius post ablutionem prædictam. Si sanguis super alium pannum ceciderit; pars tincta sanguine abscindatur, & comburatur, & cinis in sacram piscinam recondatur. Si super lignum, vel lapidem, vel terram solidam ceciderit; illa pars, si commode fieri possit, a Sacerdote ablinguatur, & postmodum deradatur, & rasura combusta in sacram piscinam reponatur.

Si in Sanguinem Christi aliquid abominabile ceciderit.

Si in sanguinem musca, vel aranea, vel aliquid abominabile ceciderit, quod vix sine periculo corporis, vel vomitu sumi possit, caute abstrahatur, & super patenam, vel alium calicem abluatur vino: & post sanguinis sumptionem solitam, illa lotio bestiæ reponatur in piscinam,

(*n*) C. *final.* De celebrat. Miss. c. 1. & 2. & c. *Non oportet.* cum sequent. De consecrat. Dist. 2.

(*o*) Error hic irrepsisse videtur in editionem Synodorum Cameracensium Parisinam, anni 1739. (qua usus sum) forte ob vocabulorum quorundam prætermissorum defectum. Certum est enim, quod Sacerdos, si, dum Calicem sumit, solam aquam invenerit, & gustaverit; vinum affusa aqua consecrare debeat, ut integrum Sacrificium compleatur.

In Missali Romano *Tit. De defectibus Missæ.* §. 4. *n.* 4. & 5. sic legitur: " Si post verba " Consecrationis advertat, vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua " in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & consecret, resumendo " a verbis: *Simili modo* &c.

" Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ; apponat aliam " Hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice: offerat utrumque " & consecret, & sumat, quamvis non sit jejunus. Vel, si Missa celebretur in lo- " co publico, ubi plures adsint; ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum " cum aqua, & facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, & prose- " qui cetera.

nam, & beſtia comburatur, & cinis in piſcinam mittatur. Si corpus Domini ſuper pallam ceciderit, palla bis lavetur vino vel aqua, & a Presbytero ſumatur: ſi ſuper aliud veſtimentum ceciderit, pars illa abſcindatur, & comburatur, & cinis in piſcinam mittatur.

Calix quomodo communicatur infirmis.

Calix ad communicandum infirmis, mundus & integer cuſtodiatur, & etiam coopertus: & (ſi facultas ſuppetat) fiat argenteus. Pyxis, in qua corpus Chriſti reſervatur ad infirmos, ſit eburnea, vel argentea, vel ad minus cuprea, vel bene elimata, & ſemper pannus albus, lineus vel ſericus, & mundus intra pyxidem ponatur, ſuper quem corpus Chriſti in pyxide collocetur.

De communicatione infirmi.

Cum infirmus communicare voluerit, viſitet eum prius Presbyter ſine corpore Chriſti, ſi commode fieri poſſit, & diligenter audiat ejus confeſſionem; & poſt redeat ad Eccleſiam : cumque iturus eſt ad communicandum infirmo, prius aliquanto ſpatio pulſetur campana, aliquo certo ſigno ad hoc diſtincto, ut fideles ad Eccleſiam conveniant, qui Sacerdotem deferentem Regem Regum, & Dominum dominantium, reverenter & ordinate ſequantur: & orationes, quales ſciunt, dicant devote pro infirmo, eundo & redeundo : Sacerdos autem eat & redeat, dicendo ſeptem Pſalmos Pœnitentiales: & ſi via fuerit longior, addat alios Pſalmos poſt Litaniam & alias orationes ſubſequentes. Incedat autem Sacerdos ad communicandum, præcedentibus igne & lucerna cum campana.

De adoratione Corporis Chriſti.

Expectent autem fideles, donec infirmus communicaverit, & redeant ad Eccleſiam poſt Sacerdotem deferentem ſemper Corpus Chriſti, ne populus in redeundo nihil adoret: ſi qui autem maligni hanc proceſſionem perturbaverint, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur. Deferatur autem Corpus Domini venerabiliter & honorabiliter, ac ſolemniter, poſito decenti cooperculo ſuper calicem cruce ſuperpoſita, panno & fimbriis ſericis adornatum. Si infirmus frequenter vomitum levi occaſione patiatur, non conferatur ei Corpus Chriſti : ſed ſi credat, ſpiritualiter accepit. Antequam Sacerdos communicet infirmo, roget eum, an credat, quod ſub illa ſpecie panis, ſit Corpus Chriſti, natum ex Maria Virgine, paſſum in cruce, & tertia die reſuſcitatum : quod ſi dicat, & confeſſus fuerit verbo vel ſigno, quod ſic, communicet ei, ſi alia cauſa non ſubſiſtat. Si autem communicatus evomuerit, partes caute & diligenter colligantur, & cum vino a Sacerdote, vel aliquo fideli ſumantur, reſiduum vomitus comburatur, & ponatur in terram juxta altare, vel alibi in loco ſacro, ubi commode poni poſſit. Cum autem Corpus Chriſti defertur, fideles, coram quibus defertur, ſi commode fieri poſſit, genua flectant, pectus tundant, & inclinato capite, junctis manibus adorent: Equitantes autem non dedignentur deſcendere ab equis, ut adorent eum, qui pro ipſis deſcendit de Cœlis.

Item præcipimus, ut nullus Presbyter audeat Miſſam celebrare, niſi prius dixerit Matutinas Canonicas, & Primam.

Renovatio Euchariſtiæ.

Præcipimus omnibus & ſingulis Presbyteris, ut Euchariſtiam, ſeu hoſtias conſecratas pro infirmis ſervatas, renovent in hyeme & æſtate, ſecundum quod honeſtum fuerit. Alioquin ipſos de inhoneſtate tam abominabili graviter puniemus.

Cuſtodia Sacramentorum.

Corpus Chriſti ſuper altare in honeſto loco, vel armario ſub clave ſollicite cuſtodiatur : ſimiliter Chrisma, oleum ſacrum, & oleum infirmorum, ſed in alio loco.

Qualiter, & quibus communicandum.

Doceant Presbyteri ſubditos ſuos, ut cum ad communicandum venerint die Paſchæ, vel alio die, jejuni & confeſſi devote accedant, & nullus extraneus, ſeu alienus Parochianus ſe immiſceat, niſi viator, vel peregrinus, & hoc de licentia ſui Sacerdotis. Hoſtiæ non conſecratæ, quæ vocantur panis benedictus, nulli dentur, nec etiam pueris. Pueri non com-

communicent, antequam discretionem fidei habeant, seu habere dignoscantur citra decimum annum.

Præcipimus, ut in die Paschæ & cæteris diebus, quibus fideles communicant, tot hostiæ consecrentur, ut non oporteat frangi personas sive formas, quibus ipsi fideles communicant.

Quod non sit sæpius in die celebrandum.

Inhibemus, ne aliquis Sacerdos bis (*p*) in die præsumat Missam celebrare, nisi in magna necessitate & urgenti, videlicet in Paschæ, Pentecostes, & omnium Sanctorum, quibus solet multitudo copiosa fidelium communicare, & propter carentiam Sacerdotis succurrentis absenti impedito, vel infirmo: aut, ut conficiatur Corpus Christi, si deest pro infirmis, & instat sibi viaticum præberi. Duo tamen in his volumus concurrere, videlicet carentiam Sacerdotis, & quod in priori Missa perceptionem, perfusionem, vel ablutionem manuum non sumpserit Sacerdos, sed infundat in sacram piscinam, & hæc sub pœna excommunicationis præcipimus observari. (*Syn.* 1311. & 1343.)

De iis, qui deserviunt duobus Beneficiis.

Item excommunicamus (*q*) Sacerdotes, curam animarum habentes, qui sine licentia speciali deservire præsumunt in duabus Ecclesiis, seu Capellaniis, nisi una dependeat ab alia. (*Syn.* 1530.)

Hoc statutum etiam observari volumus in Curatis civitatis & Diœcesis Cameracensis, qui in suis Parochialibus Ecclesiis residentes, sine dicta licentia in Capellaniis, aut aliis beneficiis suis deserviunt: nec non in Capellanis civitatis & Diœcesis prædictæ, qui plures obtinent Capellanias, & in eisdem sine nostra licentia, quamquam in eadem civitate vel oppido constitutis, deservire præsumunt: & si contrarium faciant, eadem (*r*) sententia sint ligati.

Capellani autem non habentes sufficientes reditus, & Presbyteri mercenarii poterunt duabus Ecclesiis non Parochialibus deservire, dum tamen non celebrent bis in die, nisi in casibus supra dictis, & quod loca sibi commissa servitio non defraudent. Præcipimus tamen Decanis, ut si commode possint habere Presbyteros non beneficiatos, eos ponant in succursibus deservientes. Et si Presbyteri, in Ecclesiis per Archidiaconum instituti, velint in suis Ecclesiis personaliter deservire; volumus, ut omnibus præponantur, pretium solitum & debitum recepturi.

De extraneis Presbyteris.

Statuimus, ne ulli extranei & ignoti Presbyteri, tamquam mercenarii Capellani, ad deserviendum in officio Sacerdotii, in civitate & Diœcesi Cameracensi de cætero admittantur, nisi constet per literas Ordinariorum, aut alias legitime, eos esse vitæ laudabilis & conversationis honestæ, & in Sacerdotii ordinem Canonice promotos. (*Syn.* 1308.)

Inhibemus Presbyteris & Capellanis, ne celebrent in Capellaniis nondum confirmatis, nisi, qui Canonice ibi fuerint instituti, & in corporalem possessionem per Archidiaconum loci missi; contrarium autem facientes, in excommunicationis (*s*) sententiam incidant ipso facto.

Apostata.

Vetamus, ne quis apostata scienter admittatur ad celebrandum Divina officia in aliqua Ecclesia.

Quis repellatur a Communione.

Nullus fidelis amovendus est a communione, nisi sit excommunicatus, vel interdictus, aut alio notorio crimine notatus, videlicet meretrices publicæ, mimi, histriones. (*Syn.* 1311.)

Sortilegia.

Excommunicamus (*t*) omnes, qui faciunt sortilegia de Corpore Christi, vel Chrismate, seu de quocumque alio Sacramento, & a Presbyteris præcipimus excommunicatos nuntiari.

(*p*) C. *Consuluisti.* Extra. De celebrat. Missar.
(*q*) Excommunicatio non reservata. *Vide Tomo seq. Synod. Camerac. anni* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4.
(*r*) Nec ista Excommunicatio reservata est. Vide loc. cit.
(*s*) Excommunicatio non reservata. *Ibid.* (*t*) Excommunicatio reservata.

Notorius fornicator.

Item inhibemus, ne Presbyter, notorius fornicator, videlicet ipſa rei evidentia, concubinam eisdem domo, menſa, lectoque tenens, vicinis hoc ſcientibus, ſeu filiis inde natis vagientibus, hoc atteſtantibus, Miſſam celebrare audeat, cum ſit ſuſpenſus (u) quoad ſe, & quoad alios, & celebrando irregularis efficitur.

Excommunicamus (x) Presbyteros & Capellanos, qui ſcienter cantabunt Miſſam, præſentibus nominatim excommunicatis, &c. (*)

In Capellis Magnatum, vel aliorum, ſine licentia noſtra, nullus audeat celebrare.

Præcipimus ſub pœna viginti ſolidorum Pariſienſium, ne quis Presbyter permittat, Altari, vel circa Altare mulierem inſiſtere, dum Divina celebrabuntur. (*Syn.* 1325.)

De exceſſibus Mercenariorum.

Statuimus, ne ullus Curatus Capellanum mercenarium habeat de aliena Diœceſi, ſine noſtra, vel Officialis noſtri ſpeciali licentia. Alioqui de factis & exceſſibus ipſius noverit ſe teneri. (*Syn.* 1310.)

Si Curati aliquos mercenarios, ſeu vices gerentes, non Beneficiatos in ſuis Eccleſiis inſtituerint, qui aliquos exceſſus perpetraverint; ad hujusmodi exceſſuum emendationem, aliorumque debitorum (ſi quæ fuerint) per ipſos fiendam ſatisfactionem hujusmodi Curatos, & ſuorum Beneficiorum fructus volumus & decernimus de cætero efficaciter fore obligatos.

De admiſſione ad deſerviendum curæ animarum.

Statuimus, ne ullus de cætero in noſtris civitate & Diœceſi Cameracenſi, beneficio curam animarum habenti, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrando, deſervire præſumat ultra menſem; niſi Nobis, aut in illa parte authoritate noſtra fungentibus, prius ſe præſentaverit, & authoritate noſtra ad deſerviendum tali beneficio idoneus fuerit reputatus. Contrafacientes ipſo facto decernimus authoritate Synodalis Statuti ſuſpenſionis (y) ſententia innodatos. Præſens tamen Statutum ad deſervientes pro reſidentibus perſonaliter in ſuis beneficiis, & eisdem per ſe officiantibus, (abſentibus per illa tempora dumtaxat, & eo modo, quibus noſtra ſtatuta permittunt, reſidentes absque noſtra licentia a ſuis abſentare beneficiis) volumus non extendi. (*Syn.* 1345.)

Excommunicati ne Miſſæ interſint.

Item cum Sacerdotes Miſſam celebraturi erunt, alta voce proclament, ut omnes excommunicati Eccleſiam exeant, donec fuerit celebrata. Et quia plerumque propter metum proprii corporis Presbyteri & Capellani non audent nominatim nominare ſingulares perſonas hujusmodi, ut exeant; ſtatuimus (z), ut ſingulis diebus Dominicis & feſtivis Presbyteri in ſuis Eccleſiis excommunicent, & denuntient excommunicatos authoritate Synodali omnes illos, qui ſciunt ſe eſſe ligatos ſententia excommunicationis, & publice denuntiatos, niſi poſt monitionem factam a Presbyteris & Capellanis, ante Miſſarum ſolemnia exierint Eccleſiam, Oratoria, vel Capellas. Nec Sacerdos hujusmodi excommunicatos habeat poteſtatem abſolvendi, ſed eos remittat ad ſuos Superiores abſolvendos. Si autem tales nec Eccleſiam, nec Oratorium, nec Capellam exire curaverint; Presbyteri, vel Capellani in eorum præſentia celebrare non præſumant, propter periculum imminens ipſo facto: niſi forſan hujusmodi excommunicatus, ſive excommunicati ad Eccleſiam confugerint, ut ſe ab inimicis tueantur.

Item cum excommunicatus excommunicari non valeat, nec vinculo fortiori ligari, excommunicatos a Canone (a) de-

(u) Suſpenſio reſervata. (x) C. fin. De cohab. Cler. & mulier.
(*) *In edition. anni* 1604. *legitur:* nominatim excommunicatis, denuntiatis, vel notoriis percuſſoribus Clerici. (y) Suſpenſio reſervata.
(z) *In editione anni* 1604. *additur ad marginem:* Differt iſte Canon a ſequenti, *primum*, quia in iſto ſufficit generalis monitio; in ſequenti autem debent nominatim moneri. *Secundo*, quia in ſequenti comprehenduntur etiam interdicti.

(a) denuntiamus omnes & ſingulos excommunicatos publice, & interdictos, qui, ſi dum Miſſarum ſolemnia in Eccleſiis celebrantur, nominatim moniti a celebrantibus, ut Eccleſiam exeant, non parentes, ibidem præſumpſerint remanere, ab ea ſententia per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvi poſſunt: eadem vero ſententia ſunt ligati, qui eos, ne exeant, inhibere præſumunt. (*Syn.* 1320.)

De Matrimoniis & Sponſalibus.
TITULUS NONUS.

MAtrimonium cum honore & reverentia celebretur in facie Eccleſiæ, non cum riſu & jocoſe, ne contemnatur.

Sponſalia clandeſtina.

Inhibeant Presbyteri Parochianis ſubditis ſuis, ne Sponſalia ſua contrahant, ſeu dent fidem inter ſe, de Matrimonio pariter contrahendo; niſi coram Populo & Presbytero, ſaltem alterius contraherere volentium, vel illo, in cujus ipſi contrahere volentes, vel eorum alter, Parochia commoretur: & hoc fiat in loco publico, Eccleſia ſcilicet, Cœmeterio, ſive Capella, & coram aliis pluribus fidedignis. Et ſi aliter contraxerint ſponſalia, niſi illa infra octo dies reiterent coram altero de prædictis Presbyteris; non procedat Presbyter ulterius ad bannorum proclamationem, nec Matrimonii ſolemniſationem, ſine noſtra, vel Officialis noſtri ſpeciali licentia: & qui hoc facere præſumpſerit, ipſo facto ſciat ſe (b) ſuſpenſum.

Excommunicatio in clandeſtine contrahentes, & eis intereſſentes.

Inſuper excommunicamus (c) & denuntiari in genere præcipimus excommunicatos omnes illos & illas, qui poſt clandeſtinam affidationem, ſive affidationem in manu Presbyteri factam, ante ſolemnizationem Matrimonii ſe carnaliter cognoverint: & illos, qui clandeſtinas nuptias fieri procuraverint, ſeu ipſos, qui præſumpſerint intereſſe.

Clandeſtinæ nuptiæ quæ dicuntur.

Excommunicamus omnes illos, qui clandeſtinas nuptias contrahunt, & Presbyteros, qui hujusmodi clandeſtinas nuptias celebrant. (d) Clandeſtinas autem nuptias (e) appellamus, quas non præceſſerant tres banni, in Eccleſia infra Miſſarum ſolemnia tribus diebus ſolemnibus, a ſe diſtantibus, more ſolito proclamati, vel de quibus per Nos, vel Officialem noſtrum non extitit diſpenſatum.

Excommunicamus (f) omnes illos, qui contra matrimonium falſa impedimenta propoſuerint, vel ea ſcienter celaverint, amore, odio, vel favore, vel alia quacumque cauſa: & præcipimus omnes excommunicatos propter hoc a Presbyteris frequenter nuntiari. Quod ſi nemo in proclamatione bannorum ſe oppoſuerit, & loci Presbyteri veriſimilem, aut veram contra Matrimonium habeant conjecturam, Nobis, aut Officiali noſtro ſuper hoc inconſultis, ad Matrimonii ſolemnizationem non procedant: & ſi contra fecerint, excommunicationis (g) ſententiam ſe noverint incurriſſe.

Impedimenta Matrimonii.

Impedimenta autem Matrimonii ſunt hæc: impoſſibilitas coeundi naturaliter, per defectum caloris accidentalis, vel per maleficium frigiditatis: habitus religionis cum profeſſione: ordo Subdiaconatus & ſupra: cognatio ſpiritualis (h): cognatio carnalis: conſanguinitas: affinitas: votum ſolemne factum in manu Epiſcopi, vel alicujus ex parte ejus deſtina-

(a) Clem. *Gravis.* in fin. De ſent. excommun. *in Clem.*
(b) Suſpenſio reſervata.
(c) Hæc pœna excommunicationis latæ ſententiæ auctoritate hujus Synodi ſublata eſt, ut patet in moderationibus infra ſcriptis §. 7.
(d) *Vide infra Moderat. & Addit.* §. 7.
(e) *Vide de his* c. *Cum inhibitio.* Extra. De clandeſt. deſponſat.
(f) Excommunicatio hic lata, mutata eſt in ferendam a Syn. Cameracæ. Provinciali I. anno 1565. celebrata. Tit. *De Matrimonio.* c. 9.
(g) Excommunicatio non reſervata. *Vide Synod. anni* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4. *Tom. ſequ.*
(h) C. *Super eo.* Extra. De cognat. ſpirit. & c. 1. eod. Tit. in 6.

ſtinati. (i) Diſpar cultus Paganismi, vel Judaismi: vis: coactio: violentia: error perſonæ: inhoneſtas, ſeu publicæ honeſtatis juſtitia. (k)

Presbyteri pro Sacramento Matrimoniali, & aliorum Sacramentorum Eccleſiaſticorum exhibitione, nihil exigant, vel recipiant; niſi forſan eis gratis offeratur, vel ex liberali, & non oneroſa conſuetudine debeatur. [l]

Tempus celebrandi Matrimonii. [m]

Statuimus, quod Matrimonium non celebretur, nec ſolemnizetur in diebus, qui ſunt inter primum ſabbatum Adventus Domini, & craſtinum Epiphaniæ: & inter primum ſabbatum Septuageſimæ, & craſtinum in octavis Paſchæ: & inter ſabbatum immediate præcedens Dominicam in Rogationibus, & craſtinum Trinitatis: in ſabbatis autem & craſtinis ſupra dictis Matrimonia licite celebrantur. [n] (*Syn.* 1311.)

Præcipimus omnibus Presbyteris civitatis & Diœceſis Cameracenſis, ut ipſi in ſuis Parochiis diligenter inquirant, an ſint aliqui conjuncti matrimonialiter in caſu illicito, & contra Canonicas ſanctiones: & ſi quos tales invenerint, Nobis eorum nomina infra menſem, poſtquam ad eorum notitiam pervenerint, aut Officiali noſtro referant vel reſcribant.

Qui cognoſcant de cauſis Matrimonialibus.

Inhibemus Decanis noſtris Chriſtianitatis, & aliis Presbyteris, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis, ne de cauſis matrimonialibus, & aliis quibuscumque ſe aliquatenus intromittant, niſi de noſtra vel Officialis noſtri Cameracenſis ſpeciali commiſſione: præcipientes omnibus Presbyteris ſubditis noſtris, ne Decanis (niſi prius facta fide de ſpeciali commiſſione (o) hujusmodi) pareant, vel intendant, ſalvis informationibus ex eorum officiis faciendis, non in figura judicii inter partem, & partem, ſed ad finem ceſſandi, vel perſonas Eccleſiaſticas, ſeu eorum bona repetendi, aut inſtructa negotia Nobis aut Officiali noſtro remittendi: ſuper quibus nihil penitus innovamus. Decani contrarium facientes, ipſo facto ſe noverint eſſe ſuſpenſos. (p) Et nos nihilominus proceſſus factos coram eis, & ſententias ab ipſis ſuper hujusmodi inhibitis latas, decernimus irritas & inanes. [*Syn.* 1343.]

Ne Matrimonia clandeſtina effectu debito defraudentur propter teſtes excommunicatos, authoritate Provinciali & Synodali ſtatuimus, & ſtatuendo declaramus, quod depoſitiones talium teſtium valeant & robur obtineant firmitatis, dummodo a Nobis, vel Officiali noſtro Cameracenſi, aut ejus locum tenenti, ſeu deputato, ante depoſitiones eorum ad cautelam fuerint abſoluti.

Verba Sponſaliorum.

Propter ſimplicitatem quorumdam Presbyterorum, qui nonnunquam ſubditos, in ipſorum præſentia, & ipſis Presbyteris verba proferentibus, ad contrahendum ſponſalia de futuro, conſtitutos admittunt, & inducunt per ſimplicitatem, ad contrahendum Matrimonium de præſenti, unde multa incommoda, & animabus damnoſa pericula pervenire noſcuntur; ſtatuimus & præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Presbyteris in noſtris civitate & Diœceſi Cameracenſi, quod de cætero in ſponſalibus, ſeu fidei dationibus, utantur dumtaxat talibus vel conſimilibus verbis: *Petre, vis promittere, quod accipies Mariam, quæ hic eſt, in uxorem, ſi impedimentum canonicum non fuerit, quod obſiſtat?* Et e converſo. Et his dictis, accipiat manus contrahere volentium, & dicat: *Petre, tu promittis, quod accipies Mariam in uxorem, ſi canonicum impedimentum non obſiſtat:* & e converſo. (q) (*Syn.* 1308.)

Statui-

(i) C. *Uni.* De voto, & vot. redempt. in 6.
(k) C. *Uni.* De Sponſal. & Matrim. in 6.
(l) C. *Cum in Eccleſiæ.* c. *Ea, quæ.* c. *Ad Apoſtolicam.* Extra. De Simon.
(m) Mutatum per Conc. Trident. Seſſ. 24. cap. 10. De Reform. Matrim.
(n) C. *Capellanus.* Extra. De Feriis.
[o] C. *Accedentibus.* Extra. De exceſſib. Prael. & c. 1. *in fin.* Extra. De conſang. & affin.
(p) Suſpenſio reſervata.
(q) C. *Si inter virum & mulier.* in fin. Extra. De Sponſal. & Matrim.

Statuimus, ne Presbyter, aut Capellanus benedictionem in secundis nuptiis audeat celebrare. (*ibid.*)

Inhibemus, ne Sacerdotes, vel Capellani, seu Vicarii eorumdem, mulieres jacentes de partu damnato, coitu nefario, vel fornicario notorio & manifesto, ad purificationem recipiant, sine nostra, vel Officialis nostri, aut Decanorum locorum, civitatis, aut Diœcesis Cameracensis, recepta licentia speciali. Qui vero contra hoc facere præsumpserit, eo ipso sententiam suspensionis (*o*) incurrat: & nihilominus per Officialem nostrum, aut Decanum loci, gravius, prout culpa exegerit, puniatur. (*Syn.* 1320.)

De citatione opponentium, vel contrahere volentium.

Statuimus, quod si Sponsalibus, vel Matrimoniis aliquis se opposuerit, Curati locorum, seu eorum vices gerentes, coram quibus hujusmodi oppositiones fieri contigerit, opponentes & contrahere volentes coram Officiali nostro citent, pro hujusmodi oppositionibus terminandis, & non coram Decanis nostris. Alioquin contrarium facientes suspendemus a Divinis. (*Syn.* 1311. & 1343)

Si contrahere volentes fuerint ex diversis pagis, Decanatibus, aut Diœcesibus.

Statuimus, quod si duo contrahere volentes Matrimonium, sint oriundi ex diversis Decanatibus nostræ Diœcesis; Curatus alterius eorum literas suas testimoniales super Matrimonio celebrando scribat Decano suo, & Decanus alteri Decano: si vero sint ejusdem Decanatus, Curatus alteri Curato dirigat literas Matrimonii. (*Ibid.* & *Syn.* 1324.)

Et si oriundus ex Diœcesi nostra, contrahere voluerit, vel velit cum aliqua persona ex aliena Diœcesi, Curatus literas suas dirigat Decano suo, & Decanus Officiali nostro: pro quibus literis concedendis, Curatus duos solidos Turonenses, & Decanus totidem recipiant, & non ultra. Quod si secus fecerint, pœnam sexaginta solidorum, quoties a quoquam contrarium factum fuerit, incurrant, & ad restitutionem dupli partibus teneantur. (*p*)

Inhibemus, ne pro bannis faciendis, & literis suis testimonialibus concedendis, tam Decani, quam Sacerdotes, ultra tres solidos Turonenses fortis monetæ recipiant. (*q*)

De registratione Bannorum, & aliorum &c.

Statuimus, quod quilibet Curatus, vel vices gerens, literas bannorum, seu absolutionum, aut aliarum gratiarum, sive legum, sibi directas registrent, & nomina eorum, qui eas præsentabunt: & quilibet Curatus, seu ejus vices gerens in congregatione Decano deferat, & Decanus ad computum, seu Synodum Sigillifero tradat, ut cum registro Sigilliferi collatio fiat.

Excommunicatio contrahentium contra Sanctiones Canonicas. (r)

Excommunicatos a Canone nuntiamus omnes personas, quæ in gradibus (*s*) consanguinitatis, vel affinitatis, seu in aliis casibus, a jure prohibitis: aut si in sacris Ordinibus constituti, vel religionem professi, scienter contrahere non verentur: quorum nomina per Curatos locorum, ubi moram trahunt, cum ad eorum notitiam devenerit, notificari volumus absque mora, ut contra tales, prout fuerit justum, procedere valeamus. (*Syn.* 1319.)

Excommunicatio Religiosorum, solemnizantium Matrimonia. (t)

Excommunicatos a Canone (*u*) nuntiamus omnes illos & singulos Religiosos, qui inter alienos Parochianos, non habita super hoc Presbyteri Parochialis Ecclesiæ licentia, Matrimonia præsumpserint solemnizare, per Sedem Apostolicam absolvendi: eos vero, qui hæc fieri procuraverint, seu in his consilium præstiterint, aut in his scienter interfuerint, excommunicationis

(*o*) Suspensio reservata.
(*p*) *Vide infra Moderat.* & *Addit.* §. 8.
(*q*) *Vide ibid.*
(*r*) Reservata.
(*s*) Clem. *Uni.* De consang. & affin. *in Clem.*
[*t*] Reservata Sedi Apostolicæ.
[*u*] *Clem.* 1. De Privil. & excess. Privil. *in Clement.*

nis (x) ſententia innodamus. (*Ibid. & Syn.* 1320.)

De Diſſidio.

Quia, ut intelleximus, in noſtra Diœceſi Cameracenſi (quod dolenter referimus) nonnulli tam viri, quam mulieres, ſimul matrimonialiter copulati, ad ſuggeſtionem Diaboli, qui ſemper in hoc mundo parat diſcordias, & non ceſſat zizanias ſeminare, Chriſti fideles ab unitate fidei ſeparare, ex quadam diſplicentia ſeu diſcordia, ſua authoritate, vel temeritate propria, absque judicio Eccleſiæ, contra præceptum Domini, & Eccleſiaſticas, ſive Apoſtolicas Sanctiones, ſe ſe ab invicem dividunt & ſeparant, de facto divortium inter ſe ad ſui libitum celebrando, virique dimiſſis ſuis propriis uxoribus, alias uxores, etiam aliquando aliis viris conjugatas: & uxores viros alios ſibi damnabiliter aſſociant, in Dei & Eccleſiæ ſcandalum publicum luxurioſe vivendo. Nos igitur tantis in Eccleſia Dei ſcandalis, tantisque erroribus, & ſubditorum noſtrorum animarum periculis, prout ex debito tenemur officio, occurrere cupientes, ſtatuendo præcipimus; ne aliqui de cætero tam viri, quam mulieres absque judicio Eccleſiæ, ſe ſe ab invicem ſeparent, aut dividant, cauſa divortii inter eos faciendi. Qui vero contrarium fecerint, in excommunicationis ſententiam, quam in ipſos ferimus, incidant ipſo facto. (*)

De Ordinibus & Beneficiatis, ad ſacros Ordines promovendis.

TITULUS DECIMUS.

PRæcipimus omnibus Clericis, habentibus Eccleſias Parochiales, Capellanias, Præpoſituras, vel alias animarum curas, ut ad ſingula tempora ſacrorum Ordinum ſe transferant ante dies ordinum, ſic apto tempore examinandi, ut nos poſſimus inquirere de idoneitate & ſufficientia eorum, & infra tempus debitum, ſecundum quod onus beneficii requirit, ſe faciant ad ſacros ordines promoveri (y): & perſonaliter reſideant in eodem, & ad hoc juramentis propriis ſe adſtringant.

Impetranda eſt cura animarum.

Item præcipimus Sacerdotibus Parochialibus, ut infra menſem a tempore ſuæ reſidentiæ primæ, curam animarum ſuarum ab Epiſcopo recipere non poſtponant, & infra alium menſem ſuper his Decanis ſuis faciant fidem certam. Alioquin pro anno illo foranei reputentur.

Excommunicamus (**) omnes illos, qui illicentiati, ab aliis Epiſcopis, quum a nobis, fecerint ſe ad tonſuram Clericalem, ſeu alios ordines promoveri. (z)

De per ſaltum promotis.

Excommunicamus (a) omnes illos, qui per ſaltum fuerint in ſacris ordinibus inſtituti, ſeu promoti (b), inhibentes Decanis noſtris, ne tales ponant in ſuccurſibus deſerviendis, nec ab Archidiaconis in corporalem poſſeſſionem mittantur, licet a Patronis præſentati, niſi cum eis ſuper hoc fuerit a nobis diſpenſatum.

Inhibemus, ne Parochialis Eccleſia conferatur alicui, qui vigeſimum quintum annum non attigerit, quoniam talis collatio nulla eſt ipſo jure. (c)

De reſidendo.

Præcipimus, quod Presbyteri Parochiales & Capellani perpetui in Eccleſiis ſuis & Capellaniis, continue & perſonaliter reſideant (d), ſpatio duorum menſium, (tam dies interpolatos, quam

(x) Excommunicatio non reſervata. *Vid. Synod. anni* 1604. *Tit.* 8. *cap.* 4.
[*] *Moderatum, ut infra.* Vid. *Moder. & Addit.* §. 9. Vid. *etiam* §. 10. 11. & 12.
(y) C. *Cum in cunctis.* §. *In inferiora.* Extra. De elect. c. *Licet Canon.* c. *Commiſſa.* c. *Quam ſit. in fin.* De elect. in 6.
(**) Vide Moderationem *infra in Moder. & Addit.* §. 13.
[z] C. *Eos.* c. *Cum nullus.* c. *fin.* De temp. Ordin. in 6.
(a) Tam hæc excommunicatio, quam præcedens, reſervata eſt.
(b) C. un. De Clerico per ſaltum promoto. Extra.
(c) C. *Cum in cunctis.* cum ſeq. juribus ſupra alleg.
(d) D. c. *Licet Canon.* c. *Relatum.* c. *De cætero.* c. *Tuæ fratern.* Extra. De Cler. non reſid.

quam continuatos connumerando) pro absentia a dictis Ecclesiis & Capellaniis, eis duntaxat indulto. Alioquin extranei & foranei censeantur, & suarum Ecclesiarum, & Capellaniarum fructus nobis, & Archidiaconis locorum applicentur. (e)

De Horis legendis.

Statuimus, ut habens tonsuram Clericalem addiscat, & studeat dicere quotidie septem Psalmos (f) Pœnitentiales. Item, ut acolythus horas gloriosæ Virginis Mariæ dicat. Item, ut existens in sacris ordinibus, sive sit Beneficiatus, sive non, horas Canonicas de die, & Beatæ Virginis Mariæ quotidie dicere non omittat.

Promotus ad titulum Patrimonii.

Statuimus, ut quicumque se fecerit ad sacros ordines promoveri ad titulum sui patrimonii, de cætero quamdiu idem promotus vixerit, vel donec competenter Beneficiatus fuerit, non possit dictum patrimonium, ad cujus titulum ordinatus fuerit, alienare, vendere, vel extra manus suas ponere; quin bona & emolumenta provenientia ex dicto patrimonio habeat, levet, & percipiat, ac in suos proprios usus sine fraude convertat: nisi causam legitimam coram suo Ordinario allegaverit, & per Ordinarium cum ipso dispensatum fuerit, quod dictum patrimonium possit vendere & alienare. (*Syn.* 1324.)

Item illi, qui promoventur ad titulum patrimonii, & de hoc fuerint datæ literæ, vel chartæ coram laicali justitia: quod hujusmodi literas non restituant, quousque eis fuerit provisum de beneficio competente, & hoc sub pœna decem librarum, Domino Cameracensi Episcopo solvendarum. (*Syn.* 1335.)

Curent Beneficiati, cum quibus dispensabitur super non residentia, (g) vel ordinibus, insistendo scholis vel studio generali; ut ibidem sufficienti tempore, absque fraude studendo resideant. Alias pro non dispensatis habebuntur. (*Syn.* 1320.)

De Extrema Unctione.

TITULUS UNDECIMUS.

Modus inungendi.

Cum reverentia, aqua benedicta, & luce præcedentibus, per Sacerdotem Oleum sacrum ad infirmos deferatur, & diligenter ac devote dicantur septem Psalmi, Litaniæ, & Orationes, ad hoc consuetæ. Ille autem, qui inungit, inungendo reverenter & distincte proferat ista verba: *Per istam sanctam Unctionem, & suam sanctam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum*, ad oculos: ad aures: *per auditum*; ad nares: *per odoratum*; ad os: *per gustum*; ad manus: *per tactum*; ad pedes: *per gressum*; ad pectus: *per cogitatum*; semper repetendo: *Per istam sanctam Unctionem*, ut supra. Manus Sacerdotis foris inungantur, manus aliorum intus.

Ad Sacramentum extremæ Unctionis sæpe Presbyteri moneant subditos indifferenter a quatuordecim annis, & supra; ut singuli, cum necesse fuerit, inungantur: nec pauperes propter egestatem se excusent. Si infirmus non potest habere multitudinem candelarum, vel indumenta linea, quæ causa reverentiæ in hoc Sacramento exhiberi solent; non propter hoc dimittat Sacerdos inungere, sed sufficiat una candela. Inuncti vero cum stuppa diligenter in locis inunctis extergantur, & stuppæ comburantur, & cinis in sacro loco reponatur.

Sacramentum Unctionis iterari potest.

Doceant Sacerdotes, quod hoc Sacramentum licite iterari potest, in qualibet gravi infirmitate & periculosa. Istud Sacramentum valet ad tria, quæ patent his versiculis:

Ungor in extremis, ut fiat gratia major,
Et morbus levior, & mea culpa minor.

Suscepturi quodlibet Sacramentum, prius confessione mundentur, & honor ac reverentia a Presbyteris, Clericis

(e) C. *Præsenti.* De offic. Ordin. in 6.
(f) Vide Moderatum *in Moderat. & Addit.* §. 14.
(g) D. c. *Tuæ fraternitatis.* Extra. De Cleric. non resident.

ricis & laicis, omnibus Sacramentis supra dictis exhibeantur.

Excommunicantur Religiosi, qui administrant Sacramenta sine licentia Presbyteri Parochialis.

Excommunicatos a Canone (*b*) nuntiamus Religiosos, qui inter Parochianos alienos Matrimonia solemnizare, aut Clericis & laicis, Sacramenta Eucharistiæ, extremæ Unctionis, ministrare, seu a sententia per Statuta Synodalia vel Provincialia promulgata absolvere præsumpserint, non habita super his Presbyteri Parochialis licentia speciali, & per Sedem Apostolicam absolvendi. (*Syn.* 1319. & 1321.)

De vita & honestate Clericorum, & excessibus eorumdem.

TITULUS DUODECIMUS.

Vestitus Clericorum.

Clerici tonsuram rotundam & competentem habeant (*i*), & eam saltem septies in anno radi faciant: vestibus quoque honestis utantur, in forma, colore, & pretio honestatem decentibus Clericalem.

Virgulatis vestibus & partitis, ac aliis inhonestis non utantur, nisi a Nobis cum eisdem super hoc fuerit dispensatum. Contrarium facientes, si Beneficiati fuerint, vel in sacris Ordinibus constituti, excommunicationis sententiam (*k*) incurrant ipso facto. Alii vero Clerici ad pœnam quadraginta solidorum Parisiensium Nobis teneantur.

Statuimus, ut Presbyteri civitatis & Diœcesis Cameracensis vestibus strangulatis, & scissis de cœtero non utantur, sed rotundis & clausis. Alioquin contrafacientes graviter puniemus. (*l*) (*Syn.* 1330.)

Clerici, in sacris Ordinibus promoti, Epistolam vel Evangelium in veste Ecclesiastica cantent, sive legant, aliisque Officiis Ecclesiasticis & bonis studiis intendant: nec se immisceant [*m*] officiis & commerciis (*n*) sæcularibus & laicalibus, maxime illicitis, turpibus, & prohibitis quæstibus, & negotiationibus: videlicet, ne sint campsores, tabernarii, carnifices, mimi, histriones, joculatores, vel proxenetæ (quod vulgariter dicitur Gallice: Courretiers, vel Avantparleurs) in Curia laicali, vel hujusmodi: quæ sine peccato, vel scandalo, modernis temporibus non exercentur. A quibus negotiationibus, vel quæstibus, nisi post trinam monitionem (quam eis a locorum Decanis, vel Presbyteris fieri præcipimus) omnino destiterint, eos, & nisi etiam vestes deferant Clericales, Ecclesia non defendat.

De Presbytero fornicario.

PETRUS, MISERATIONE DIVINA EPISCOPUS CAMERACENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS PRESBYTERIS, CAPELLANIS, CURATIS, ET NON CURATIS, AC PAROCHIALIUM ECCLESIARUM RECTORIBUS, NEC NON NOTARIIS ET TABELLIONIBUS PUBLICIS, PER CIVITATEM ET DIOECESIM NOSTRAS CAMERACENSES, UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO, ET MANDATIS NOSTRIS FIRMITER OBEDIRE.

Quia ad nostrum (quod dolenter, & non sine amaritudine cordis & dolore accepimus) fama publica deferente, & denuntiante clamore, quæ sine gravi scandalo pertransiri non possunt, nec ulla tergiversatione celari, pervenit auditum, quod quam plures Ecclesiasticæ personæ, Canonici, Capellani, & Vicarii Ecclesiarum Collegiatarum, nec non etiam Parochialium, nostrarum Civitatis & Diœcesis Cameracensis Curati & Rectores, in nostris Civitate & Diœcesi Cameracensi super aliis suis Beneficiis moram trahentes & residentes, ipsorumque vices gerentes, & Capellani, non attendentes, quod extrema libidinis turpitudo non solum mentem exterminat, sed etiam corpus

(*b*) *Clem.* 1. De Privil. & excess. Privil. *in Clem.* Excommunicatio reservata Sedi Apost. *per dictam Clem.* 1. *Vide idem Statutum supra pag.* 195.
[*i*] C. un. De Cleric. conjug. in 6. c. *Clerici.* 2. Extra. De vita & honest. Cleric.
[*k*] *Vide infra in Moderat. & Addit.* §. 15.
(*l*) Eod. c. *Clerici.* 2.
(*m*) D. c. *Clerici.* & c. *Cum decorem.* & c. fin. Extra. De vita & honest. Cleric. d. c. *Uni.* De Cleric. conjug. in 6.
[*n*] *Vide in Moderat. & Addit.* §. 16.

pus enervat: non solum etiam fœdat animam, sed fœdat personam, & est familiaris inimicus non procul habitans, sed prope: non extra, sed intra, (nam virtus in lumbis ejus) quodque nunquam fugit, nisi quando fugatur: nec mactatur, nisi quando maceratur: ætatem corrumpit, omnem sensum confundit, omnem gradum pervertit: invadit etiam senes & juvenes: prudentes, & simplices: superiores, & inferiores: & ad ultimum etiam ipsas personas Ecclesiasticas & Sacerdotes, qui nocte Venerem amplexantur, & mane Virginem venerantur. (Turpe quidem dictu, sed turpissimum factu dici liceat, ut agi non valeat) nocte filium Veneris agitant in cubili; mane filium Virginis ostendunt in altari, (nec ejus multiplices species valent explicari) in publica fornicatione, tenentes secum in suis domibus suas concubinas, & mulieres publice suspectas, in scandalum plurimorum cohabitant simul copulati, eisdem domo, mensa, & lecto, residendo, ac si essent vir & uxor matrimonialiter conjuncti: proles super terram gradientes ex hujusmodi suis concubinis susceptas, una cum eisdem, in suis domibus publice, secum habendo, & tenendo: Sacramentum Matrimonii & Canonicas Sanctiones multipliciter per hoc vilipendendo, in maximum suarum animarum periculum, jurisdictionis Ecclesiasticæ, ac honestatis præjudicium, jacturam, & gravamen: pœnas & sententias juris & Statutorum, tam Provincialium, quam Synodalium, in tales, ac talia damnabiliter perpetrantes, authoritate latas incurrendo, ac per præmissa gravissime delinquendo & excedendo. Cum igitur plures ipsorum sint tam adulteri, quam fornicarii, & nobis datus sit gladius, ad faciendum vindictam in talibus; ne nobis quidem improperetur illud Apostoli verbum: Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes: *& ut ipsi hujusmodi vitio abominabili irretiti, a talibus se abstineant, & impuniti non remaneant: cum impunitas sit nutrix incestus, fornicationis, & adulterii, filia negligentiæ, mater contumaciæ, præambula mortis æternæ, peccati radix, & inferni finaliter præparatrix: (per impunitatem vero impiorum malitia convalescit, per hanc in suis stercoribus miseri computrescunt, atque peccatorum suorum bibendo urinam, cum malefecerint, gloriantur) ipsique hujusmodi vitio irretiti, sententiam suspensionis & excommunicationis, a jure & Statutis Provincialibus & Synodalibus in eos latam, non timeant:*

NOS PETRUS, Cameracensis Episcopus præfatus, tenore præsentis nostri perpetui Statuti, statuimus & ordinamus, ut nullus personarum Ecclesiasticarum, Canonicorum, Capellanorum, & Vicariorum præfatarum Ecclesiarum, Collegiatarum, & aliarum superius declaratarum, in domo sua, & loco habitationis suæ, suove servitio, seu domo sibi contigua, concubinam, seu mulierem suspectam de cætero teneat, seu habeat, tenere seu habere præsumat. Contrarium vero facientes, in his scriptis monemus, & per vos omnes & singulos, quibus præsentes nostræ literæ diriguntur, vobis hæc districte præcipiendo, moneri authoritate nostra volumus & mandamus, primo, secundo, & peremptorie, sub juris, suspensionis, & excommunicationis pœnis, ut infra sex dies, post monitionem & publicationem præsentium literarum nostrarum, & nostri præsentis Statuti sibi factam, proxime sequentes, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino, ac monitione canonica, eisdem, & eorum cuilibet assignamus: hujusmodi suas concubinas & mulieres suspectas licentient (o), *& ab ipsorum domo & societate & servitio penitus & omnino, absque ulteriori de cætero cum eisdem sub eodem tecto, cohabitatione, seu comessatione, expellant & removeant. Alioquin contra ipsos, & eorum quemlibet, non parentes, ad hujusmodi juris, suspensionisque & excommunicationis sententias, & pœnas, lapso dictorum sex dierum spatio, declarandas, & alias, prout fuerit juris, procedemus. Volumus insuper, statuimusque, & decernimus pro nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, quod omnes & singuli non parentes, una cum pœnis & sententiis superius enarratis, per Nos declarandis, a perceptione fructuum suorum Beneficiorum, & Ecclesiarum, nec non distributionibus quibuscumque, ipso facto suspensi & privati sint, pro toto tempore, quo ipsas suas concubinas, seu mulieres suspectas, lapsis dictis sex diebus secum detinuerint, & per duos menses sequentes: quodque tales ad perceptorum restitutionem teneantur, quæ per ipsos, seu eorum alterum, ipso facto, suspensionis & privationis tempore pendente, percepta fuerint: si fuerint in aliqua dictarum Ecclesiarum Collegiatarum Beneficiati, mediatim fabricæ Ecclesiæ, & mediatim nobis ad opus eleemosynæ nostræ: si vero Rectores Parochialium Ecclesiarum fuerint, mediatim matriculariis Parochialis Ecclesiæ,*

(o) C. 1. & c. *Sicut ad extirpandam.* Extra. De cohabitat. Cleric. & mulier.

clesiæ, ad opus fabricæ ejusdem, & mediatim Nobis ad opus eleemosynæ nostræ committentes & applicantes, converti & applicari volumus & mandamus, sine remissione quacumque facienda: ita, quod nulli de eisdem fiat gratia. Et nihilominus tales, non parentes, taliter puniemus, quod cæteris cedent in exemplum. Hujusmodi autem præsentes literas nostras, & præsens nostrum Statutum, seu ejus copiam (quod observari & teneri, ac tantam roboris & efficaciæ firmitatem, ac si distincte, specificeque & nominatim moniti, ad eorum proprias personas fuissent & essent, contrarium facientes, habere & obtinere decernimus & volumus) ne tales hujusmodi vitio fornicationis, incestus, & adulterii irretiti ignorantiæ causam prætendere valeant, valvis Cathedralis, Sanctæ Crucis, & Sancti Gaugerici Cameracensis, Ecclesiarum affigi, & per vos omnes, & singulos superius nominatos, quibus diriguntur, executioni debitæ demandari volumus & mandamus: taliter vos in præmissis habentes, quod de negligentia non valeatis redargui; quinimo potius de diligentia commendari. Datum Cameraci in nostro Episcopali Palatio, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, feria secunda post Dominicam in Ramis Palmarum, vigesima quarta die mensis Martii.

Reparatio & intertentio domorum.

Presbyteri & Capellani in domibus beneficiorum suorum moram trahant, & eas competenter interteneant. Alioquin Decani de bonis beneficiorum, sive vacent, sive non, eas faciant competenter interteneri: & semel in anno iidem Decani defectus hujusmodi investigent.

Quandocumque nos contingit concedere licentiam, ex certis aliquibus causis, Curatis, vel Capellanis de non residendo in Ecclesiis vel Capellaniis suis, intentio nostra est, quod domus eorum sustententur, & ut oportet, reparentur. Quod si non fecerint; volumus, quod Decani locorum de fructibus dictarum Ecclesiarum, seu Capellaniarum, faciant dictas domos reparari: & quod in his faciendis vigilent diligenter. (2. *Syn.* 1316.)

De reparatione domorum.

Cæterum, quia ex fide dignorum relatione didicimus, quod nonnulli nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, tam Curati, quam Capellani, domos Ecclesiarum, Capellaniarumque suarum adeo male reparant & restaurant; quod aliquæ ipsarum penitus corruerint, aliæ proximam minantur ruinam: aliæ vero non modicum indigent in pluribus refectione festina: idcirco hujusmodi Capellaniarum & Ecclesiarum incommoditatibus occurrere cupientes, statuimus, ut omnes Decani Christianitatum infra annum ipsas domos, quæ ruinam minantur, reparari faciant; illas vero quæ penitus corruerunt, modo utiliori, quo poterit, reædificari, si, & prout ultra salarium deservientium eisdem Ecclesiis, Ecclesiarum, & Capellaniarum ipsarum suppetant facultates. Quod nisi fecerint pro viribus, & si in præmissis fuerint negligentes & remissi, contra ipsos juxta modum negligentiæ suæ, sive culpæ, acriter procedemus. (*Syn.* 1323.)

Statuimus, quod si contigerit, domos Curatorum & Capellanorum pejorari propter negligentiam Decanorum Christianitatis, qui eas tenentur visitare; Decani, ob quorum defectum hoc accidet, & eorum beneficia, teneantur dictas domos relevare, vel reparari facere suis propriis sumptibus & expensis. (*Syn.* 1324. *sede vac.*)

Presbyteri decimas a laicis, non nisi de licentia nostra recipiant, nec grangias, seu terras alienas, aut bona ad firmam seu censam: cum id species negotiationis existat.

Pœna pecuniaria Statuta contra Laicos, extenditur etiam contra Clericos.

Statuimus, quod ubicumque a Præsidibus justitiæ laicalis certa pœna pecuniaria statuitur contra laicos delinquentes, vel excedentes, Clerici, qui in similes excessus inciderint, eadem pœna, & ultra in duobus solidis; & alias secundum conditionem delinquentis, & personæ, cui injuria infertur, ad qualitatem & quantitatem delicti puniantur, prout Officialis Cameracensis, aut Decanus, sub quo delinquentes moram traxerint, de hoc duxerint decernendum.

De

De induciis.

Item Decanis prædictis nostram committimus potestatem, ut ubi inter laicos super inimicitiis treugæ datæ fuerint, compellant per censuram Ecclesiasticam, invocando (si necesse fuerit) brachium sæculare, Clericos de parentela, & quorum interest, ad consentiendum dictis treugis, & tenendum easdem.

Excommunicamus (p) omnes Presbyteros & Clericos, in sacris ordinibus constitutos, qui Burgesias intrabunt sæcularium Dominorum, & eos, qui jam intraverint easdem, nisi infra mensem exeant ab eisdem: qui etiam, si per mensem sustinuerint excommunicationis sententiam antedictam, ex tunc pro illo anno fructibus beneficiorum suorum Ecclesiasticorum sint privati.

Clericus excommunicatus privatur fructibus beneficii.

Præcipimus, ut omnes Presbyteri nobis subjecti propter suam culpam excommunicati, durante ipsa excommunicatione, suorum beneficiorum Ecclesiasticorum fructus amittant (q), ac Nobis, & locorum Archidiaconis applicentur.

Clericus arma ne deferat.

Quoniam legitur in Canone, quicumque videntur ex Deo esse, arma militaria non sumant; statuimus, ut nullus Clericus cujuscumque sit status, arma deferat (r) sine Nostra vel Officialis nostri licentia speciali. Alias ad pœnam quinquaginta solidorum teneatur, & arma nihilominus amittat. (*Syn.* 1312.)

Nomina excommunicatorum in scriptis per Curatos habenda.

Statuimus, ut singuli Presbyteri in scriptis habeant nomina suorum Parochianorum excommunicatorum, & qua de causa sint excommunicati, vel fuerint, utrum pro judicato, vel contemptu, vel alias: & nomina illorum, ad quorum instantiam sunt excommunicati, diem etiam, qua primo denuntiantur: & singulis annis per mensem ante Synodum Decanis referant excommunicatos: aliter ad viginti solidorum Parisiensium pœnam nobis teneantur: & Decani referant nomina excommunicatorum ad Synodum, secundum antiqua statuta: aliter nomine pœnæ in quadraginta solidos teneantur. (*ibid.*)

Denuntiatio excommunicatorum.

Statuimus, quod singuli Presbyteri alta & intelligibili voce in facie Ecclesiarum suarum diebus Dominicis & Festivis suos Parochianos excommunicatos denuntient nominatim & distincte, ut rubore confusi, ad unionem Sanctæ Matris Ecclesiæ citius revertantur, & eorum nomina habeant in schedula vel libro. Aliter quoties omiserint scienter, gratia, amore, vel favore; suspensionis (s) sententiam incurrant ipso facto. (*ibid.* & *Syn.* 1333. 1343.)

De non habentibus curam animarum.

Quia nonnulli Sacerdotes furtive Ecclesias Parochiales in Diœcesi Cameracensi sunt ingressi, absque hoc, quod a Nobis, vel vices nostras gerentibus, seu Prædecessoribus nostris, curam animarum receperint: item alii per Archidiaconum loci, vel authoritate sua, non sunt missi in possessionem Ecclesiarum suarum Parochialium, quas obtinent; præcipimus, ut omnes Decani Christianitatum nostræ Diœcesis super his diligenter inquirant: & si quos tales invenerint, nobis eorum nomina infra mensem, postquam ad eorum notitiam pervenerint, referant vel rescribant.

Qualiter Divinum Officium celebrandum.

Præcipimus, ut Presbyteri Parochiales, vel eorum vices gerentes, diebus Dominicis & Festis solemnibus, præcedente campanarum pulsatione, Divinum Officium cantent, tam nocturnum,

(p) Excommunicatio non reservata. Vide *Tomo seq. Synod. anni* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4.
(q) C. *Pastoralis in fin.* Extra. De app.
(r) C. *Clerici arma.* Extra. De vit. & hon. Cler.
(s) Suspensio reservata.

num, quam diurnum. Item, quod in ſingulis diebus Dominicis, pro ſolemnitate diei, intra Eccleſiam, vel extra, & qualibet feria 2da, pro animabus in Cœmeteriis, ante Miſſam, cum Clero & populo eis ſubdito (prout conſuetum eſt) proceſſionaliter incedant, dicendo diebus Dominicis Reſponſorium de Trinitate, & ſi feſtum, de Sancto, cujus feſtum evenerit: feria autem ſecunda: *Miſerere mei Deus. De profundis.* cum aliis orationibus conſuetis. Si vero feria ſecunda, tempus pluvioſum, ſive nocivum, aut Cœmeterium interdictum fuerit, proceſſio intra Eccleſiam: Et ſi Feſtum ſolemne eadem feria evenerit, fiat proceſſio die immediate ſequente.

Inhibemus, ne laici una cum Clericis in choro, vel cancello intereſſe præſumant; (*t*) dum ibidem Divina celebrantur, niſi nobiles exiſtant, vel alias tales, qui ibidem conſueverint Presbyteros in Divinis officiis adjuvare.

Ne laicus tonſuram Clericalem radat, ſeu deferat.

Item, quia nonnulli laici, aſſerentes ſe Clericos, tonſuram Clericalem, licet revera non ſint Clerici, neque Canonice tonſurati, deferre præſumunt, in ſuarum periculum animarum, & ſcandalum plurimorum; Nos abuſui hujusmodi obviare volentes, ſtatuendo inhibemus, ne de cætero aliquis in civitate & Diœceſi Cameracenſi tonſuram Clericalem, niſi ab Epiſcopo fuerit Canonice Clericali charactere inſignitus, deferre præſumat. Contrarium vero facientes, eo facto, excommunicationis (*u*) ſententia innodamus: eadem ſententia percellentes omnes barbitonſores, ac alios, qui talibus ſcienter de cætero in civitate & Diœceſi Cameracenſi tonſuras radere vel facere attentabunt. (*Syn.* 1330.)

Præcipimus etiam, ut in Monaſteriis & Prioratibus Monachorum debitus perſonarum numerus obſervetur: & ſi contra hoc commiſſum fuerit, præſidentes, ad quos ejusmodi cura pertinet; pœna Canonica puniemus.

Statuimus, ne ulla perſona religioſa ſola extra Monaſterium in villis commoretur.

Clericus non poteſt prorogare jurisdictionem Judicis ſæcularis.

Dignum eſſe noſcitur, ut quos timor Dei a malo non revocat, ipſos ſaltem Eccleſiaſticæ coerceat ſeveritas diſciplinæ, præcipue Clericos, quos Eccleſia Dei filios Dei peperit ſpeciales, ipſosque libertatibus & privilegiis inter alios filios ſuos præmunivit, & ſuis propriis inſigniis voluit inſigniri. Si ipſam Matrem contemnant, ſi ipſius immunitates infringunt, ſi ipſius matris privilegiis (in contemptum ipſius) uti nolunt, quibus amicorum, ac omni alio ceſſante ſubſidio, a morte etiam turpiſſima ſœpius liberantur; quid mirum, ſi eos, qui ſe ab ejus immunitatibus eximunt absque cauſa, a communione ſua & fidelium ſuorum ſegreget & expellat? Cum igitur nonnulli Clerici de ſuis exceſſibus & delictis coram Dominis temporalibus & juſtitiis ſæcularibus eligant reddere rationem, & absque ſui judicis licentia, eorum jurisdictioni voluntarie ſe ſubmittant, & cum eis de dictis exceſſibus tranſigant & componant; ut correctionem Eccleſiaſticam poſſint effugere, a qua miſericordiam & veniam debent humiliter implorare: quod cedit in totius Cleri vituperium, & Eccleſiaſticæ libertatis præjudicium, & contra Canonicas Sanctiones noſcitur eſſe factum: Nos igitur his occurrere, prout debemus & poſſumus, juris remediis cupientes, ſtatuimus, ac firmiter inhibemus, ne de cætero quivis Clericus, gaudere debens privilegio Clericali, coram laicali juſtitia, præcipue in delictis reſpondeat, aut jurisdictioni Dominorum temporalium ſe ſubmittat. (*x*) Qui vero contrarium fecerit, excommunicationis ſententiam noverit ſe incurſurum. (*Syn.* 1321.)

Quia nonnulli Clerici & Presbyteri, maxime qui ſentiunt ſe aliquibus ſceleribus involutos, cum ipſos citari, ſeu alias per ſuum Judicem Eccleſiaſticum corrigi & puniri contigerit, ut debi-

(*t*) C. 1. Extra. De vita & honeſt. Cleric.
(*u*) Excommunicatio non reſervata. *Vide Tom. ſeq. Synod. anni* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4.
(*x*) C. *Un.* De Cler. conjug. in 6. c. 2. De for. compet. in 6. c. *Si diligenti.* & c. *Significaſti.* Extra. De foro competen.

debitam correctionem evadant, per potentiam nobilium vel mandatum, minas vel diffidationes, literaliter vel verbaliter, & quandoque facto atrocis injuriæ per ipsos potentes sæculares & magnates, dici, fieri, & mitti procurant, & cum eisdem nobilibus & magnatibus colligationes, seu potius conspirationes ineunt, laicali justitiæ, ac ipsis nobilibus de suis judicibus Ecclesiasticis conquerendo, & alias procurando cum dictis potentibus quovis modo: sic quod per eos, eorumque potentiam vel favorem, correctiones evitent, & de suis excessibus remaneant impuniti, quæ tam de jure, quam de Statutis, & Provincialibus Conciliis multipliciter inhibentur, & pœnas in talibus delinquentes, quam plurimas incurrunt, in eisdem juribus, Statutis, & Conciliis constitutas: Nos prædicta, vel consimilia fieri in nostris civitate & Diœcesi Cameracensi prohibemus, monentes tenore præsentium scriptorum omnes subditos nostros, & maxime Clericos & personas Ecclesiasticas, ne talia quoquomodo, vel quovis colore quæsito faciant, seu procurent, nec in eisdem faciendis seu procurandis dent auxilium, consilium, vel juvamen. Alioquin contrarium facientes, excommunicationis (y) sententia innodamus, & per subditos nostros præcipimus evitari, & præsens statutum publicari & observari.

Fraudulenta compositio Decanorum.

Item quoniam nonnulli, tam Clerici, quam laici, scientes se coram Officiali Cameracensi, suis super excessibus & delictis citatos, cum Decanis ruralibus, post citationem & processus Curiæ inchoationem transigunt & componunt, & his non contenti, literas compositionum a dictis Decanis sub anteriori data fraudulenter impetrant, per quæ processus inchoatus calumniose impeditur aut eliditur, Curiaque decipitur, & præjudicium Domino Episcopo & Archidiacono, ac etiam sumptus inanes & graves generantur; Nos igitur prædictis Decanis & partibus inhibemus, ne talia de cætero committere audeant vel præsumant. Qui vero contrarium fecerint, suspensionis Presbyteri, & excommunicationis alii, sententias, & censuras (z) incurrant ipso facto. (*Syn.* 1321.)

De Reverentia, Jurisdictione, Libertate & Immunitate Ecclesiarum, Cœmeteriorum, & Ecclesiasticarum Personarum.

TITULUS DECIMUS TERTIUS.

INhibemus, ne in Ecclesiis & Cœmeteriis judicia sæcularia serventur, (*a*) neque ludi histrionum & joculatorum exhibeantur, [*b*] nec forum rerum venalium teneatur, nec banna, seu edicta sæcularium Judicum proclamentur. (*c*)

Interdicti & excommunicati in Ecclesia, dum prædicatur, interesse possunt; (*d*) sed prædicatione peracta seu finita, in continenti recedant.

Præcipimus Presbyteris Parochialibus, & Capellanis, ut Divinis officiis, in eorum Ecclesiis & Sacellis celebratis, tam ante prandium, quam post, Ecclesias & Sacella clausa & munda teneant, nisi causa honesta ea poposcerit aperiri.

Decima lanarum.

Statuimus, ut in Parochiis, in quibus oves & arietes nutriri contigerit, Curatis earumdem & Patronis decimæ lanarum & vellerum (*e*) pro rata temporis solvantur: non obstantibus consuetudine & statutis contrariis quibuscumque. Fraudem vero & dolum in eis perpetrantes excommunicamus: a qua excommunicatione non nisi per Nos,

(*y*) Excommunicatio reservata.
(*z*) Neutra reservata. *Vide Tom. seq. Camerac. Synod. anni* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4.
(*a*) C. 1. & c. *Cum Ecclesia.* Extra. De immunit. Eccl.
(*b*) C. *Cum decorem.* Extra. De vit. & honest. Cleric.
(*c*) C. *Decet domum Dei.* De immunit. Eccles. in 6.
(*d*) C. *Responso.* De sent. Excommun. Extra. & c. *Cum voluntate.* in princ. eo. tit.
(*e*) C. *Ad Apostolicæ. juncta glo.* Extra. De Decimis.

Nos, aut Officialem nostrum (f) dumtaxat possunt absolvi.

Invadens possessiones Ecclesiarum, aut Ecclesiasticarum personarum.

Statuimus, quod quicumque (g) possessiones personarum Ecclesiasticarum invadunt injuste, vel bona ipsorum mobilia rapiunt, vel rapta detinent, sive detinebunt scienter, per se, vel per alium, nisi infra quindecim dies post præsumptionem hujusmodi ea sufficienter restituerint, cum integra satisfactione parti, & Nobis condigna emendatione facienda; ex tunc ipso facto eos excommunicamus: nec non omnes, & singulos, cujuscumque sint conditionis, ordinis, aut status, in præmissis dantes consilium, auxilium, mandatum, vel favorem, publice, vel occulte, nisi infra quindecim dies post perpetrata pœnituerint, vel destiterint, & procuraverint pro viribus, ut omnia de eorum consilio vel mandato perpetrata ad statum pristinum reducantur. (*Syn.* 1309.)

Et nihilominus ubicumque hæc perpetrari contigerit, & ubi raptores, detentores, præsumptores, invasores, mandatores, & forefactores hujusmodi moram traxerint: ibidem tunc omnino cessetur a Divinis, nec sine nostra, aut Officialis nostri licentia, organa resumantur ibidem. (*ibid.*)

Obsessio Ecclesiarum, aut Cœmeteriorum.

Statuimus, ut ubicumque obsidentur Ecclesiæ, vel Cœmeteria adversus eos, qui causa refugii eo confugerunt, ita, quod non possit ad eosdem pro vitæ necessariis deferendis accessus haberi; moneantur per locorum Presbyteros, obsessores, ut recedant, & ab obsessione desistant, & eos libere abire permittant. Alioquin cessetur a Divinis, & obsessores excommunicationis (h) sententiam incurrant ipso facto. Propter præsentiam autem confugientium ad Ecclesiam (etiamsi majori excommunicatione innodati fuerint) Presbyteri ibidem celebrare non omittant.

Quia plerumque accidit, quod, quando aliqui confugiunt ad Ecclesias, seu Monasteria, aut Cœmeteria, causa immunitatis, seu libertatis Ecclesiarum, (i) Monasteriorum, Cœmeteriorum; inimici, seu persecutores talium confugientium ad Ecclesias, Monasteria vel Cœmeteria, aut alii, circa dicta loca jurisdictionem exercentes, quandoque violant Ecclesias, Monasteria vel Cœmeteria hujusmodi, & ab eis confugientes extrahunt: quandoque subtractione victus, & aliorum pro istis confugientibus necessariorum, aut modo alio ipsos confugientes inducunt, seu compellunt, ut exeant, contra libertatem & immunitatem prædictam; statuimus, una cum aliis pœnis super his statutis, ut in locis, in quibus de cætero talia perpetrari contigerit, quocumque etiam colore quæsito, & ubi violatores & perpetratores hujusmodi moram traxerint, omnino cessetur a Divinis, nec sine nostra, vel Officialis nostri licentia, organa resumantur ibidem. (*Syn.* 1308.)

Pollutio.

Statuimus, quod si maleficium fuefuerit ab aliquo perpetratum in Cœmeterio, vel Ecclesia, per quod in Ecclesia, vel Cœmeterio atrociter sanguis effunditur, (k) ad decem libras Parisienses teneatur nobis, pro pastu reconciliationis applicandas: & si dictas decem libras solvere non poterit is, qui est in culpa; Parochiani loci ipsas solvere teneantur. (*Syn.* 1311.)

Reconciliatio pollutorum.

Item, ut Ecclesiæ vel Cœmeteria, sanguinis effusione polluta, & quas pollui continget in posterum, Diabolo suadente, & instigante, sub tanta diu non remaneant fœditate; statuimus, ut si ille, seu illi, quorum facto, seu culpa, polluta sint vel fuerint, vel erunt in futurum, nisi infra mensem reconciliationem dictarum Ecclesiarum, seu Cœmeteriorum procuraverint cum effectu; postquam fuerint super his a Curatis dictarum Ecclesiarum

(f) Reservatio sublata est. *Vide Synod. Camerac. anni* 1604. *l.cit.*
(g) *Vide Conc. Trid. Sess.* 22. De Reform. c. 11.
(h) Excommunicatio reservata.
(i) C. *Inter alia.* Extra. De Immun. Eccles.
(k) C. *un.* De consecr. Eccles. vel Altar. in 6.

rum, seu Cœmeteriorum legitime requisiti, (Canonico tamen impedimento cessante) excommunicationis (*l*) vinculo sint ligati, & publice nuntientur. Veruntamen si ille, vel illi, quorum facto, vel culpa, facta est pollutio, vel fieri continget, non sint nostræ spirituali jurisdictioni subjecti, aut propter suam paupertatem, dictam reconciliationem procurare non valeant cum effectu; Parochiani dictarum Ecclesiarum, vel Cœmeteriorum, dictam reconciliationem teneantur efficaciter procurare infra duos menses, postquam super hoc a Curatis locorum fuerint requisiti. Quod si negligentes fuerint, vel remissi, ex tunc infra dictam Parochiam cessetur a Divinis. Et si quos tunc de dictis Parochianis contingat decedere, sine nostra, aut Officialis nostri licentia non tradantur Ecclesiasticæ sepulturæ, donec reconciliationem procuraverint cum effectu. Curati vero, in quorum Parochiis præmissa contingent fieri, super eisdem cito perficiendis & observandis, sicut præmittitur, solicite se habeant, ne possint de negligentia reprehendi. [*Syn.* 1310.]

Item Ecclesiæ pollutæ sanguinis, vel seminis effusione, reconcilientur per Nos, seu de mandato nostro, vel Officialis nostri: sive Ecclesiæ, vel Cœmeteria fuerint dedicata, sive non: & interim quousque fuerint reconciliatæ, nullus sepeliatur (*m*) ibidem. (*Synod.* 1308.)

Si Cœmeterium fuerit pollutum sanguinis, vel seminis effusione, propter hoc Ecclesia non erit polluta: sed si Ecclesia fuerit polluta altero prædictorum modorum; Cœmeterium erit pollutum, si Ecclesiæ fuerit contiguum: non sic autem, si ab Ecclesia sit remotum; & quousque fuerit reconciliatum, nullus ibidem sepeliatur. (*n*) (*ibid.*)

Interdictum.

Statuimus, ut si aliqua Ecclesia nostræ Diœcesis particulari interdicto sit interdicta, quod in Capella eidem contigua interdictum hujusmodi observetur: secus, si non contigua existat. Intentio tamen nostra est, quod si per Statuta nostra Synodalia in Ecclesia Parochiali cessetur, quod in omnibus Ecclesiis, & Capellis ejusdem Ecclesiæ cessetur omnino: etiamsi Ecclesiæ prædictæ vel Capellæ, eidem contiguæ non existant. (*o*) (*Syn.* 1311.)

Excommunicatio Religiosorum, non servantium interdictum. (p)

Excommunicatos a Canone (*q*) nuntiamus omnes & singulos Religiosos, tam exemptos, quam non exemptos, qui in civitate Cameracensi, villis & castris nostræ Diœcesis Cameracensis, in quibus Cathedralem, vel matricem loci Ecclesiam, authoritate Statutorum Provincialium, vel Synodalium, interdictum, seu cessationem sciverint observare, in suis Ecclesiis, Monasteriis, & Prioratibus Divina officia celebraverint, aut celebrare præsumpserint: excepta Moderatione Constitutionis: *Alma Mater.* De sentent. excommunicat. in 6. quæ sequitur. (*Syn.* 1320.)

CONSTITUTIO APOSTOLICA BONIFACII PP. VIII.

Alma Mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & consulte, quæ suadente subjectorum utilitate postmodum revocat, & in melius commutat. Sane a nostris fuit dudum Prædecessoribus constitutum, ut in terris, seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto, (r) *nulla (certis casibus & Sacramentis exceptis) Divina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta.* [s] *Quia vero in districtione hujusmodi Statutorum crescit indevotio populi, pullulat hæresis, & infinita animarum pericula insurgunt, ac Ecclesiis,*

(*l*) Excommunicatio reservata.
(*m*) D. c. *un.* De consecrat. in 6. c. *Proposuisti.* c. *A qua.* c. final. X. De consecrat. Eccles. vel Altar.
(*n*) D. c. *un.*
(*o*) C. *Si civitas.* De sent. Excomm. in 6.
(*p*) Excommunicatio reservata.
(*q*) *Clem.* 1. De sent. Excommun. *in Clem.*
(*r*) *De observatione interdicti* vide c. 1. 2. & 3. De sent. Excomm. *in Clem.*
(*s*) C. *Responso.* Extra. De sent. excommun.

ſiis, ſine earum culpa, debita officia ſubtrahuntur; cum fratribus noſtris ſuper his habita deliberatione diligenti, concedimus, quod tempore interdicti ab homine vel a jure prolati, non tantummodo morientes, ſed & viventes, tam ſani, quam infirmi, ad pœnitentiam, quæ propter pravitatem & fragilitatem hominis ad peccandum, ſumme neceſſaria eſt, licite admittantur, dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti, præterquam in mortis articulo, nolumus ad eamdem. Illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata eſt ſententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occaſione interdictum eſt latum, præbuerint auxilium, conſilium, vel favorem, (niſi de illo delicto, ſi ſint tales, ut id valeant, prius ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo idoneam dederint cautionem: aut ſi ſatisfacere nequeunt, vel hujusmodi cautionem præſtare juraverint, quod, cum poterunt, ſatisfacient, & ad ſatisfactionem hujusmodi per eum, vel eos, qui facere ipſam debent & poſſunt, præſtandam, dabunt conſilium, & auxilium, ac juxta poſſe ſuum fideliter laborabunt) non eſt pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum: nec tunc etiam, quoad iſtos, vel alios, qui circa hoc minime deliquerunt (ubi civitas, vel locus alius, ſeu Univerſitas interdicti exiſtunt) facienda eſt relaxatio interdicti, ſed eis ſolummodo injungenda pœnitentia ſalutaris. Adjicimus præterea, quod ſingulis diebus in Eccleſiis & Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur Divina officia, ſicut prius, ſubmiſſa tamen voce, & januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis: & tam Canonici, quam Clerici Eccleſiarum, in quibus diſtributiones quotidianæ illis, qui Horis interſunt Canonicis, tribuuntur, ſi ad officia non venerint ſupra dicta, diſtributiones easdem amittant, [t] *ſicut interdicto perderent non extante, ſi Divinis officiis non adeſſent. In feſtivitatibus vero Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis glorioſæ, campanæ pulſentur, & januis apertis, & alta voce Divina officia celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis: ſed interdictis admiſſis, quibus ob reverentiam dictarum ſolemnitatum, ut & ipſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis effectum facilius inclinentur, præfatis diebus participationem permittimus Divinorum: ſic tamen quod illi, propter quorum exceſſus hujusmodi interdictum eſt prolatum, ad altare nullatenus appropinquent. Cæteris, quæ circa obſervationem interdictorum a noſtris Prædeceſſoribus ſunt inſtituta, in ſuo robore duraturis: non obſtantibus quibusvis privilegiis, Eccleſiis, Monaſteriis, Ordinibus, Religionibus, ſeu perſonis Eccleſiaſticis, ſæcularibus, regularibus, exemptis, & non exemptis, ſub quavis forma & expreſſione verborum ab Apoſtolica Sede conceſſis, quæ contra tenorem præſentis Conſtitutionis nulli volumus ſuffragari; cum quibuslibet, tam regularibus, quam ſæcularibus ſufficere debeat, ut tempore interdicti modo præmiſſo diebus celebrent ſupradictis.*

Statuimus, quod Cœmeteria, in quibus excommunicatorum, interdictorum & abortivorum corpora ſepeliri contigerit per potentiam propinquorum, vel alias contra Eccleſiaſticam jurisdictionem, reconcilientur per aſperſionem aquæ, ab ipſo Epiſcopo benedictæ, ſicut in Dedicationibus, vel reconciliationibus Eccleſiarum, vel Cœmeteriorum fieri conſuevit. (*u*) (*Syn.* 1311.)

Item, ſi qui in Cœmeteriis ſcienter aliquid ædificaverint, a Presbyteris locorum excommunicentur.

Ne Clerici puniantur per Sæculares.

Item, cum per juſtitiam laicalem, exceſſus puniri non debeant Clericorum, (*x*) nec per Judicem ſæcularem levari emenda ab eisdem: cum hæc ad ſolos Judices Eccleſiaſticos, non ſæculares pertinere noſcantur; Nos juxta tenorem Provincialis Concilii, & tam ipſius, quam noſtra authoritate monemus omnes & ſingulos noſtrarum civitatis & Diœceſis Cameracenſis, juſtitiam ſæcularem exercentes, ne pro prædictis, vel occaſione eorum aliquid levent, ſeu de bonis hujusmodi recipiant, vel exigant quoquo modo. Et ſi ſecus fecerint, ipſos ſententia excommunicationis (*y*) authoritate eadem innodamus. (*Ex Conc. Prov. Remen.* 1301.)

Ne

(*t*) C. *un.* De Cler. non reſident. in 6.
(*u*) C. *Conſuluiſti.* Extra. De conſecrat. Eccleſ. vel Altar, c. *Sacris.* Extra. De Sepult.
(*x*) C. *un.* De Cler. conjug. in 6.
(*y*) Excommunicatio non reſervata. *Vide Tomo ſeq. Synod. Camerac. anni* 1604. *Tit.* 8. *cap.* 4.

Ne Clerici compellantur per Sæculares debita solvere.

Quia plerumque nonnulli Justitiarii sæculares nostræ Diœcesis, plus spectantes motum animi, quam judicium rationis, personas Ecclesiasticas ad solvendum debita, super quibus coram illis contra fas exhibentur literæ, & aliæ damnabiles probationes inducuntur, damnabili præsumptione compellunt per captionem bonorum, vel alias: cum eis nulla competat jurisdictio in hac parte; Nos huic præsumptioni pestiferæ, quæ in nostra Diœcesi nimium invalescit, occurrere cupientes, statuendo præcipimus, ut nulli Justitiarii sæculares, talia de cætero facere præsumant. Si quis contra hoc nostrum salubre Statutum personas Ecclesiasticas ad solvendum debita, contra Canonum (z) Statuta cogere præsumpserit, excommunicationis [a] sententia sit ligatus. (*Syn.* 1313. & 1314.)

Si Presbyter læsus fuerit.

Item statuendo præcipimus, ut ubicumque infra fines alicujus civitatis, oppidi, vel municipii, Presbyter, Curatus, vel Capellanus, captus vel vulneratus fuerit; mox cessetur (b) in dicta civitate, municipio, vel oppido, a Divinis. [*Syn.* 1335.]

Si Clericus capiatur.

Statuimus & decernimus authoritate Concilii, ut si in aliqua civitate, vel aliquo oppido, seu loco nostræ Diœcesis contingat Clericum capi, & detineri per justitiam laicalem: postquam dictus Clericus fuerit ab Episcopo illius loci, vel Officiali, aut Decano rurali, seu ex parte eorumdem legitime repetitus; nisi restituatur, cessetur a Divinis in loco captionis & detentionis, quousque fuerit competenter restitutus. (*Ex Conc. Prov. Remensi* 1301.)

Quod si Clericus per laicalem justitiam capiatur in aliqua Diœcesi, & extrahatur ab ea, & ad aliam ducatur, cessetur similiter a Divinis in loco, ubi fuerit captus, & in loco ipsius capientis, per quem fuerit deductus: quousque ad dictam Diœcesim fuerit reductus, & sufficienter restitutus. [*ibid.*]

Obligans calices, libros &c.

Intelleximus, quod quidam Prælati, Presbyteri, & Beneficiati, calices, libros, & alia ornamenta, seu utensilia Ecclesiarum & Beneficiorum suorum, pro debitis suis creditoribus obligare præsumunt de facto, licet de jure (c) non valeant: propter quod Divinorum celebratio impeditur, in animarum suarum periculum, Ecclesiarum & Beneficiorum suorum præjudicium & gravamen, & etiam scandalum Presbyterorum. Quare ipsis sub pœna suspensionis a Divinis inhibemus, ne quis eorum, calices, libros, aut ornamenta, sive utensilia alia, Beneficiis suis, vel Ecclesiis pertinentia, alicui titulo pignoris tradere vel obligare de facto præsumat. Inhibemus etiam creditoribus, sub pœna suspensionis in Presbyteros, & excommunicationis in alios, ne quis calices, libros, aut ornamenta, sive utensilia Ecclesiarum, aut Beneficiorum, ex causa prædicta recipere præsumat: denuntiantes insuper ac declarantes, obligationes tales, si quas de facto fieri contigerit, non valere: & nihilominus talia facientes, seu attentantes, graviter puniemus.

Ne bona Ecclesiæ alienentur.

Præcipimus, ut omnes Presbyteri omnia bona & redditus, ad Ecclesias, Capellanias, aut Beneficia sua spectantia, in Missalibus suis discrete conscribant, alienata revocent, nec de dictis bonis quidquam vendere, aut alienare sine nostra licentia præsumant: & aliter facta venditio vel alienatio non valet. [d]

Cum laicis de rebus Ecclesiæ nulla disponendi sit attributa (e) potestas; statui-

(z) C. 2. De foro compet. in 6.
(a) Excommunicatio non reservata. *Ex ead. Synod. Camer.* 1604. *l. c.*
(b) Vide c. *Si Canonici.* De offic. Ordin. in 6.
(c) C. 1. & c. *Ex præsentium.* Extra. De pignor.
(d) C. *Nulli.* & per totum tit. De reb. Eccl. alien. vel non. C. *Hoc.* in 6. C. 12. quæst. 2. & Authent. De non alien. reb. Eccles. §. Nos igitur.
(e) C. 2. De Judic. Extra.

ſtatuimus, ut ſi Abbates, Priores, Conventus & perſonas Eccleſiaſticas contigerit poſſeſſiones, redditus perpetuos, vel ad vitam, aliquibus perſonis vendere, ſeu quoquo modo alienare: quod pro hujusmodi alienationibus tenendis & obſervandis, coram Dominis temporalibus, ſeu ſuis Officiariis ſe non obligent ullo modo, ſeu ſuper hoc ad eosdem recurrant, nec ad dona, vel pœnam quamcumque ſuper his, vel bonis ſuis capiendam, vel levandam erga prædictos Dominos temporales ſe obligent: ſed quod hujusmodi alienationes faciant ſecundum Canonicas ſanctiones, & cum debita ſolemnitate juris, decretoque & confirmatione noſtris intervenientibus. Quod ſi ſecus attentare præſumpſerint; declaramus, tales alienationes irritas, & contrarium facientes excommunicamus. (*f*) (*Syn.* 1311.]

Reſcriptio bonorum & Capellaniarum facienda.

Item addendo ſtatuimus, ut omnes Capellani infra menſem, poſt primam convocationem, faciendam per Decanum, reportare teneantur omnes redditus & bona Capellaniarum ſuarum: nec non facere ſcribi in Miſſali Eccleſiæ, & hoc ſub pœna viginti ſolidorum Pariſienſium, Domino Cameracenſi ſolvendorum: & quod Curati locorum teneantur Capellanos illos, qui defecerint in reportatione hujusmodi, & conſcriptione, Officiali infra menſem ſignificare, & hoc ſub eadem pœna. Item, quod Curati teneantur nomina omnium Capellaniarum infra metas ſuarum Parochiarum, tam antiquarum, quam novarum, remittere ad proximam Synodum per eum, qui electus fuerit venire cum Decano ad Synodum, & ſic de anno in annum, nomina novarum Capellaniarum, inſtitutarum infra metas ſuarum Parochiarum, & hoc ſub pœna viginti ſolidorum Pariſienſium. (*Syn.* 1335.)

Denuntiatio impedimentorum contra Immunitatem Eccleſiaſticam.

Statuimus, ut quilibet Curatus teneatur reportare ad proximam convocationem Decani ſui, omnia impedimenta contra libertatem Eccleſiaſticam, ſi quæ ſint, a quibuscumque perſonis facta: & illa Decanus ſignificare teneatur, quam citiſſime poterit, Officiali, ut ad hoc remedium valeat apponi: & hoc ſub pœna viginti ſolidorum Pariſienſium, tam a Curatis, quam Decanis, ſi in hoc defecerint, ſolvendorum. (*ibid.*)

Denuntiatio publicorum exceſſuum, per Curatos facienda.

Statuimus, ut ſi in noſtra Diœceſi contingat (quod abſit) aliquos exceſſus enormes & deteſtabiles committi, ut incendia Eccleſiarum: vel ad immunitatem Eccleſiæ fugientes extrahi violenter: gravem injectionem manuum in Clericos, vel Clericorum in laicos: notorium crimen inceſtus, vel uſurarum: matrimonium illicitum contrahi: conjugem absque judicio Eccleſiæ dimitti: publice adulterari: mulieres violenter rapi: portatores literarum Curiæ Cameracenſis rapi, vel verberari, aut incarcerari: jurisdictionem Eccleſiaſticam quomodolibet impediri: ſortilegia, hæreſim, Simoniam, Sodomiam, aut alios graves & publicos exceſſus committi; Curati, in quorum Parochiis talia acciderint, Decano loci infra octo dies a tempore notitiæ, & Decanus prædictus infra quindecim dies poſtmodum ſubſequentes, nomina malefactorum, & exceſſuum hujusmodi, & qualiter poſſimus ſuper hoc latius informari, Nobis, aut Officiali noſtro, referant. Alioquin ipſos pro noſtro arbitrio, & modo culpæ graviter puniemus. (*Syn.* 1311.)

Denuntiatio ceſſationis a Divinis.

Statuimus, ut quotiescumque ceſſari contigerit in noſtra Diœceſi a Divinis, cauſam ceſſationis, & nomina illorum, ob quorum cauſam ceſſatur, & alias circumſtantias, Curati, ſeu eorum vices gerentes, locorum, in quibus ceſſatur, infra octo dies Decanis ſuis, & Decani infra quindecim dies poſtmodum Nobis, aut Officiali noſtro, referant vel conſcribant. Alias viginti ſolidorum Pariſienſium pœnam, quotiescumque contrafecerint, Nobis ſolvere teneantur. (*ibid.*)

De

(*f*) Excommun. non reſervata. *Vide Synod.* 1604. *L. ſupra cit.*

De Conspiratoribus, & Perturbatoribus Ecclesiasticæ libertatis.

TITULUS DECIMUS QUARTUS.

EXcommunicatos denuntient (*g*) Sacerdotes omnes illos & singulos, cujuscumque sint conditionis, dignitatis, aut status, qui conspirationem faciunt contra suos Prælatos & Presbyteros, ac eorum libertates & jura, verbo, vel facto, publice, aut occulte: quos etiam ex nunc, prout ex tunc ipsos excommunicamus: (*h*) nec non omnes & singulos, cujuscumque sint conditionis, dignitatis aut status, auxilium, consilium, vel favorem, seu mandatum dantes circa conspirationem hujusmodi: sub qua intelligimus contineri, alligationes, confœderationes, expensarum & sumptuum distributiones. (*Syn.* 1309.)

Edicta contra Jurisdictionem Ecclesiasticam ne fiant.

Statuimus, ut ubicumque publice per Dominos temporales, Baillivos, Præpositos, aut alios, sæcularia judicia exercentes, proclamantur & edicuntur edicta & præcepta, seu inhibitiones, contra jurisdictionem Curiæ Cameracensis, & possessionem jurisdictionis ejusdem, cessetur a Divinis.

Denuntiamus (*i*) excommunicatos a Canone (*k*) illos, qui servant, & servari faciunt statuta, edicta, & consuetudines, introductas contra Ecclesiæ libertatem. (2. *Syn.* 1316.)

Item Statutarios, & Scriptores Statutorum, nec non Rectores & Scabinos locorum, ubi de cætero hujusmodi edicta & consuetudines factæ fuerint & observatæ, nec non eos, qui secundum eas præsumpserint judicare. (*l*) (*ibid.*)

Item eos, qui temporale Dominium obtinent, & suis subditis, ne Prælatis, aut Cleris, seu personis Ecclesiasticis quiequam vendant, emantve ab eisdem, aut ipsis frumentum molant, aut panem coquant, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt: (cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ noscantur esse facta,) sententiæ excommunicationis decernimus ipso facto subjacere. (*m*) (*Syn.* 1317.)

De perturbationibus jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Item præcipimus (*n*) in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis & excommunicationis, omnibus & singulis nostræ Diœcesis Curatis, ut denuntient palam & publice excommunicatos illos omnes, qui impetratores literarum nostrarum, vel Officialis nostri Cameracensis, vel alias ad forum Ecclesiasticum recurrentes, super causis, quæ ad idem forum de jure & antiqua consuetudine pertinere noscuntur, ad desistendum, per eorumdem judicum Ecclesiasticorum, vel impetrantium, aut litigantium, vel volentium litigare, aut propinquorum ipsorum, seu rerum, sive bonorum eorumdem, vel Ecclesiarum suarum, captionem & apprehensionem, seu modis aliis quibuscumque, compellunt, compelli faciunt, aut procurant per se, vel per alios quoquo modo, & qui ad præmissa facienda dant auxilium, consilium, vel favorem: a qua sententia non possunt absolvi, nisi tam Nobis, quam Officiali, seu Judici, cujus causæ cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio usurpata, ac prætera parti, quæ turbata fuerit in persecutione sui juris, de injuria, damno, expensis & interesse, prius per eosdem fuerit integre satisfactum. (*Syn.* 1314.]

De Executione Mandatorum & Statutorum Synodalium.

TITULUS DECIMUS QUINTUS.

SAcerdotes Superiorum suorum Mandata, sine dilatione & periculo nuntiorum

(*g*) C. *Quoniam.* De Immunit. Eccles. in 6. (*h*) Excommunicationes reservatæ.
(*i*) Trium sequentium paragraphorum excommunicationes non reservantur.
(*k*) C. *Noveritis.* c. *Gravem.* Extra. De sent. excommunic. c. *Adversus.* Extra. De Immunit. Eccles.
(*l*) D. c. *Noveritis.* (*m*) C. *fin.* De Immun. Eccles. in 6.
(*n*) C. *Quoniam, ut intelleximus.* De Immunit. Eccles. in 6.

tiorum, diligenter & fideliter exequantur, & maxime Mandata nostra, sive curiæ nostræ Cameracensis. Et propria habeant sigilla, quæ apponant in signum executionis Mandatorum, vel faciant scriptiones ad eadem: nec aliquid exigant, nisi unum denarium Turonensem pro sigillo vel rescriptione: & Clerici Parochiarum similiter unum denarium Turonensem pro labore & executione facienda. (o)

De apprehensione executorum Curiæ.

Statuimus, ut ubicumque portatores literarum Curiæ Cameracensis, vel executores, aut etiam ipsæ literæ, & insuper, ubicumque Clerici tam beneficiati, quam non beneficiati, ac ubicumque bona Ecclesiastica, & Clericorum beneficiatorum, violenter rapiuntur & detinentur: aut portatores literarum, vel executores earumdem capiuntur vel verberantur: & ubi captores moram trahunt; quod tam in locis, ubi capiuntur, seu detinentur personæ, aut verberanrur portatores literarum nostrarum, seu executores earumdem, vel bona hujusmodi capiuntur: quam etiam in locis, in quibus detinentur, seu transferuntur, omnino cessetur a Divinis: nec sine nostra, aut Officialis nostri licentia, organa resumantur ibidem, si postquam a Nobis, aut Officiali nostro, seu Decano rurali, aut deputato ab ipso, seu altero eorumdem requisiti fuerint, non restituantur. (*Syn.* 1307. 1334. 1312.)

Portator literarum Curiæ.

Item statuimus, ut cum portator literarum curiæ nostræ ad quemvis executorem ipsarum accedit; si idem executor viderit periculum, ipsum portatorem non ostendat, non prodat, nec alias revelet, seu revelari faciat parti adversæ: imo si sciat, vel viderit insidias poni, seu periculum imminere dicto portatori per partem adversam, seu ipsa procurante, literas sibi præsentatas statim sigillet, & tradat sigillatas ipsi portatori, retinendo mandatum in suis tabulis, aut pergameni breviculo, nec mandatum parti adversæ insinuet, aut insinuari faciat, permittat, aut procuret; donec portator poterit per duo milliaria, vel tria, post dictam sigillationem & traditionem a dicto loco recessisse. Alioquin contrafacientes extunc a Divinis suspendimus (p) ipso facto. (*Syn.* 1307.)

De citatione.

Præcipimus omnibus subditis nostris, ne faciant aliquam citationem contra aliquem de mandato Curiæ Cameracensis, nisi per competentem terminum ante diem citationis secundum distantiam locorum. (*ibid.*)

Si Presbyteris immineat periculum propter observationem Statutorum.

Item, si Presbyteris pro executionibus Mandatorum nostrorum, aut curiæ nostræ Cameracensis, aut observatione & executione statutorum, aut defensione, vel retentione suorum jurium Parochialium, a laicis minæ inferantur, sic, ut justo metu, qui potest in constantem virum cadere, perterriti, in propriis Parochiis morari non audeant propter sævitiam eorum; volumus, ut apud Cameracum causa studiorum & securitatis, præmissis durantibus, moram faciant, ut scholares: & si alias non habeant, unde vivere possint, si in præmissis nec culpa, nec dolus præcesserit, eisdem per Nos, & locorum Archidiaconos de vitæ necessariis providebitur competenter. (*ibid.*)

Si quis Clericus in nostra Diœcesi aliquod crimen commiserit, occasione (q) cujus, bona mobilia ipsius Clerici per Nos pro emenda possint, vel debeant annotari, sequestrari seu etiam confiscari; si laicales justitiæ bona hujusmodi confiscaverint & levaverint, (nisi ad nostrum, vel Officialis nostri, seu Decani, vel Presbyteri loci mandatum, Nobis, aut Officiali, vel Decano, aut Curato prædictis, vel alicui ex nostra, vel Officialis nostri parte destinato, hæc nomine nostro integre reddantur) ex tunc omnino ibidem cessetur a Divinis. Et quia constat, tales ipsa bona contra dictum mandatum in sequestrationem detinentes, seu detineri fa-

(o) *Vide Moderationes & Addit. infra* §. 17.

(p) Suspensio reservata.

(q) C. *Vergentis.* c. *Excommunicamus.* 1. §. *Damnati.* Extra. De hæretic.

facientes, noſtram jurisdictionem Eccleſiaſticam impedire; ipſos authoritate (*r*) Canonis excommunicationi decernimus ſubjicere, & eos eſſe excommunicatos, volumus a Presbyteris in facie Eccleſiarum ſuarum publicari; a qua excommunicatione, niſi per Nos, aut Officialem noſtrum, non poſſunt abſolvi: præcipientes cuilibet Presbytero, ſi ſciverit in Parochia ſua aliquem Clericum tam grave delictum perpetraſſe; ut incontinenti, & quam citiſſime poterit, bona mobilia talis Clerici delinquentis in manu noſtra ponat, quodque Nobis, vel Officiali noſtro, quam citiſſime poterit, ſignificare non poſtponat. (*ibid.*)

Præcipimus, ut ſubditi noſtri, vel alii, Mandata Curiæ Rhemenſis, ſine placeto noſtro, vel Officialis noſtri Cameracenſis, juxta Conſtitutionem Albanenſem (*s*) nullatenus exequantur.

De executione Mandatorum Apoſtolicorum.

Inhibemus Sacerdotibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ne Mandata Executorum, vel Judicum a Sede Apoſtolica Deputatorum, niſi prius diligenter viſo authentico, etiam de falſitate non ſuſpecto, nullatenus exequantur: nec etiam exequantur mandata de citando, vel vocando in jus ſubditos noſtros, nec procedendo alias contra eos extra civitatem & Diœceſim Cameracenſem, niſi in literis Domini Papæ, virtute quarum proceſſus petuntur fieri, hanc clauſulam: *non obſtante tali conſtitutione*, ſcilicet expreſſe videant contineri. (*Syn* 1307.)

CONSTITUTIO CONCILII LUGDUNENSIS.

QUICUMQUE (*t*) *pro eo, quod in Reges & Principes, Barones, & Nobiles, Baillivos, vel quoscumque miniſtros eorum, aut quoscumque alios, excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam dederint alicui occidendi, capiendi, vel alias in perſonis, vel bonis ſuis temporalibus, vel ſuorum, gravandi eos, qui tales ſententias protulerunt, ſive quorum occaſione fuerint prolatæ, vel easdem ſententias ſervantes, vel taliter excommunicatis communicare nolentes, (niſi licentiam ipſam integralem revocaverint: vel ſi ad bonorum captionem proceſſum ſit occaſione ipſius licentiæ, niſi bona ſua infra octo dierum ſpatium fuerint reſtituta, vel ſatisfactio pro ipſis impenſa,) in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto. Eadem ſententia ſint innodati, qui uſi fuerint prædicta licentia, vel aliquod præmiſſorum, ad quæ committenda licentiam prohibemus dari, auſi committere ſuo motu. Qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſium ſpatio, ex tunc ab ea non poſſint, niſi per Apoſtolicam Sedem abſolutionis beneficium obtinere. Datum Lugduni Pontificatus noſtri anno tertio.*

Quando non liceat exequi Mandatum de excommunicando.

Item fraudi aliquorum obviare volentes, prohibemus, ne aliquis Presbyter, ſeu executor Mandatorum noſtrorum, aliquod Mandatum ſibi, feria ſexta ante Paſcha, in vigilia & die Paſchæ, in vigilia & die Pentecoſtes, in vigilia & die Natalis Domini, tunc primo præſentatum de excommunicando aliquem aliquatenus exequatur. (*Syn.* 1307.)

Affectata ignorantia Statutorum.

Cum nonnulli Presbyteri & Capellani, ſcientes, & ſcire debentes, ſe teneri ad obſervationem ſtatutorum Synodalium, ſtatuta hujusmodi in caſu ceſſationis non obſervent; ſed potius ſtatutis hujusmodi contemptis, ignorantiam (*u*) in hoc caſu affectanres, ſeu fingentes, celebrare, ubi ceſſare deberent, aliter quam de jure ſit permiſſum, ſcienter præſumant; Nos cupientes circa hoc ſtatuendo adhibere remedium opportunum, tales ipſo facto ex nunc a Divinis (*x*) ſuſpendimus: & ſi ſuſpenſionem hujusmodi per ſex dies in ſe ſuſtinuerint, excommunicamus eosdem, & excommunicatos publice mandamus nuntiari. (*Syn.* 1309. *ſede vac.*)

Cita-

(*r*) C. *Quoniam, ut intelleximus.* De Immunit. Eccleſ. in 6.
(*s*) *Alias:* Domini Albanenſis. (*t*) C. *Quicunque.* De ſent. excommun.
(*u*) C. *Ut animarum periculis.* De Conſtitution. in 6.
(*x*) Suſpenſio reſervata, uti & excommunicatio, quæ ſequitur.

Citatio generalis.

Item, cum per citationes generales, nominibus citandorum non expressis, plures fraudes & enormitates committantur; ut fraus & dolus in prædictis tollatur, authoritate Synodali statuimus, quod de cætero tales citationes non fiant, nisi de Officialis nostri Cameracensis licentia speciali. (*ibid.*)

De Sententiis Excommunicationis, suspensionis & interdicti, & de Absolutione ab eisdem.

TITULUS DECIMUS SEXTUS.

DEnuntiamus excommunicatos (y) a Canone (z) omnes hæreticos, credentes & fautores eorum, ac omnes schismaticos. (*Syn.* 1317.)

Item denuntiamus excommunicatos a Canone Synodali, omnes illos, qui civitatem nostram Cameracensem, villas, nemora, prata, molendina, vivaria, & alia loca & jura, ad nostram mensam temporalem pertinentia, violenter invadunt, & injuriose occupant, & eos, qui eisdem in præmissis, aut aliquo præmissorum, dant consilium, auxilium, vel favorem: & terras eorum Ecclesiastico supponimus interdicto. (*Syn.* 1316. 1317.]

Item denuntiamus excommunicatos a Canone Synodali omnes illos, qui in nostro Comitatu Cameracesii, incendi domos, granaria, vel segetes faciunt: & eos, qui eisdem in præmissis dant auxilium, consilium, vel favorem, & terras eorum Ecclesiastico supponimus interdicto. (*ibid.*)

Item denuntiamus excommunicatos a Canone Synodali omnes illos, qui in Comitatu nostro Cameracesii agricolas euntes ad agriculturam, & redeuntes, aut in ipsa existentes, vel animalia, quibus arant, aut semina portant ad agrum, hostiliter capiunt, vulnerant, aut interficiunt: & omnes, qui eisdem in præmissis dant consilium, auxilium, vel favorem. (*ibid.*)

Item excommunicatos (a) a Canone (b) nuntiamus omnes, exemptos & non exemptos, qui interdicti tempore, in casibus a jure nobis concessis, defunctorum corpora, vel excommunicatos publice, & nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, in Cœmeteriis suis ausi fuerint sepelire. (*Syn.* 1319.)

Pedagia.

Item excommunicatos a Canone (c) nuntiamus omnes, qui ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, pro eorum rebus propriis, quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt, pedagia, seu guidagia, suo, vel alieno nomine exigunt & extorquent. (*ibid.*)

Denuntientur excommunicati, qui fabricant, cudunt, fabricari, seu cudi faciunt monetas infra Comitatum Cameracesii, contra jurisdictionem & honorem Episcopi Cameracensis: & qui eis dant, vel præstant auxilium, consilium, vel favorem: nec non qui eisdem monetas ipsas approbantes, utuntur in contractibus quibuscumque. (*Syn.* 1311. 1312. 1315.)

De Duellis.

Denuntientur excommunicati authoritate Apostolica, omnes & singuli, qui in nostra Diœcesi torneamenta, & duella facere & exercere quomodolibet præsumunt: nec non & illi, in quorum terris & districtibus, seu locis illa fiunt, non prohibentes, si possint: ac alii, qui hujusmodi duella, seu torneamenta facientes, aut facere volentes, & propter hoc ad locum torneamenti, seu duellorum hujusmodi accedentes, eundo, & stando, in domibus suis scienter receperint, ipsis equos & expensas, vel quævis alia subsidia pro hoc faciendo ministraverint, vel cum eisdem super hoc aliquod commercium fecerint: & terræ eorum Ecclesiastico sint suppositæ interdicto: cujus excommunicationis absolutio est, (præterterquam in mortis articulo) Sedi Apostolicæ

(y) Quatuor priorum paragraphorum excommunicationes reservatæ.
(z) C. *Noverit.* Extra. De sent. excommunic.
(a) Excommunicatio non reservata, uti & duæ sequentes. *Vide Tom. seq. Synod. anni* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4. (b) *Clem.* 1. De sepult. *in Clem.*
(c) C. 1. c. *Clericis.* De immunit. Eccles. in 6. *Clem. un.* De immun. Eccles. *in Clem.* c. *Non minus.* & c. *Adversus.* Extra. De immunit. Eccles.

licæ reservata, prout hæc in constitutione D. Clementis PP. V. plenius continetur. (*Syn.* 1314.)

De absolutionibus excommunicatorum ab homine.

Item, ut censura Ecclesiastica magis timeatur, statuimus, ut omnes excommunicati a Nobis, vel Officiali nostro, pro suis absolutionibus obtinendis, ad Nos, vel ad Curiam nostram Cameracensem accedant, vel Procuratorem sufficienter instructum mittant: potestatem absolvendi eosdem, (præterquam in mortis articulo) penitus reservantes. (*Syn.* 1307.)

Item statuimus, ut quicumque excommunicatus a Nobis vel Officiali nostro, absolutus a proprio Curato in articulo mortis fuerit, (*d*) si convaluerit, nisi infra mensem post suam convalescentiam Nobis, & parti adversæ satisfaciat de offensa; in pristinam sententiam noverit se reincursurum, ac Sacerdotes tales renuntient excommunicatos, si a partibus fuerint requisiti. (*ibid.*)

De absolutionibus excommunicatorum a Canone Synodali.

Absolutionem, seu relaxationem a sententiis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in statutis tam antiquis, quam novis latis, si quis eas incurrerit, Nobis Episcopo Cameracensi, seu nostro locumtenenti, specialiter (præterquam in mortis articulo) reservamus. (*e*)

Præterea statuimus, ut, si contigerit, aliquem fore excommunicatum pluribus sententiis, & ab una fuerit absolutus, nihilominus pro alia excommunicatus nuntietur. (*f*) (*Syn.* 1312.)

De Cautionibus recipiendis.

TITULUS DECIMUS SEPTIMUS.

Usurarii, nisi de usuris, & excommunicati, nisi pro quo excommunicati fuerint, satisfecerint (*g*) Nobis, & parti adversæ, saltem per cautionem competentem, vel ab eis, vel eorum hæredibus, per Presbyterum loci receptam, si solvendo fuerint: si vero non solvendo fuerint, per receptum de stando mandatis Ecclesiæ juramentum; [*h*] nullatenus absolvantur, nec tradantur Ecclesiasticæ sepulturæ, si decedant. Volumus autem, ut infra mensem, cum accepta fuerit per ipsum Curatum hujusmodi cautio, nobis remittatur.

Cautio ad Curiam transmittenda.

Ac statuimus, ut si Curati receperint Mandata ab Officiali Cameracensi, vel aliquo Decano de absolvendo suos Parochianos, prius recepta cautione, pro hujusmodi absolutione impetranda; quod hujusmodi cautionem, vel vadium reportent, vel significent illi, a quo hujusmodi mandatum receperint, infra quindecim dies. (*Syn.* 1335.

De Decanis & Curatis, ac Capitulis, seu convocationibus, & aliis pertinentibus ad officium eorumdem.

TITULUS DECIMUS OCTAVUS.

De Capitulis Decanorum.

Presbyteri Parochiales ad Capitula generalia Decanorum suorum, & eorum convocationes veniant & intersint, & pareant ordinationi eorundem: & Decani in Capitulis suis singulis, partem de Statutis Synodalibus legi faciant, & sic de Capitulo in Capitulum, donec omnia statuta infra annum fuerint plenarie lecta. (*Syn.* 1307.)

Item statuimus, ut Curati Parochiarum ad Decanorum suorum convocationes venire teneantur sub pœna viginti solidorum Parisiensium, quam pœnam (nobis viventibus) cæteris de Decanatu Curatis venientibus volumus applicari; præ-

(*d*) C. *Eos, qui.* De sent. excommun. in 6.
(*e*) Moderatum *in Synod. anni* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4.
(*f*) C. *Officii.* c. *Cum pro causa.* Extra. De sent. excommun.
(*g*) C. *Quanquam.* De usur. in 6. c. *Quia in omnibus.* c. *Præterea.* Extra. De usur.
(*h*) C. *Ex tenore.* c. *Cum desideres.* c. *Super eo.* Extra. De sent. excommunic.

præcipientes Decanis, ut ipsi tales ad solvendum prædictam pœnam, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam inducant & compellant. (*ibid.*)

Occultans leges Reverendissimo debitas.

Quicumque Decanorum nostrorum, seu Presbyterorum, leges (*) Nobis & Archidiacono locorum debitas in suis Decanatibus & Parochiis occultaverint, seu fraudem fecerint in eisdem, quominus legitime persolvantur Nobis & Archidiaconis locorum, nisi infra mensem post occultationem, seu fraudem hujusmodi satisfecerint, seu revelaverint nobis, ex tunc noverint se esse suspensos. (*i*) (*ibid.*)

Decani in suis literis absolutoriis, exprimant, de qua sententia absolvant, (*k*) & ad quorum instantiam tales absoluti sententiam excommunicarionis incurrerint. Alias Presbyteri literas absolutorias Decanorum nullatenus exequantur. (*Syn.* 1312.)

Quid certificatio emendæ (**) seu compositionis continere debeat.

In literis Decanorum Christianitatum factis super emenda, vel absolutione, vel alias, inscribatur summa pecuniæ recepta a Decanis. Alioquin dictas literas pro nullis reputamus, & Curati, & alii, quibus diriguntur, dictis literis non obediant. (*Syn.* 1335.)

Unusquisque Decanus scribat in computis suis, nomina & cognomina personarum, a quibus emendam, vel aliquam pecuniam, nomine emendæ, receperit, nec non & factum, pro quo hujusmodi pecuniam receperit: & hoc sub pœna viginti solidorum Parisiensium pro qualibet persona, sive facto, non scripto in suis computis, a contrafacientibus solvenda. (*Syn.* 1336.)

Nullus Decanus ad absolutionem alicujus personæ pro judicato, sive pro recognito procedat. (*Syn.* 1343.)

De Capellaniis non confirmatis, & aliis qualitatibus Capellaniarum inquirendis.

Districte præcipimus & injungimus omnibus Decanis nostris Christianitatis, ut quilibet in Decanatu suo inquirat, si sint aliquæ Capellaniæ minus sufficienter dotatæ, & non amortizatæ competenter: & si celebretur in Capellaniis aliquibus, per Episcopum non confirmatis: & nomina eorum, qui talibus deserviunt contra prohibitionem Synodalem, Nos, aut Officialem nostrum, ac super præmissis omnibus & singulis certificare procurent. Alias eos graviter puniemus. (*Syn.* 1310.)

Item quilibet Decanus in suo Decanatu inquirat de omnibus Capellaniis non confirmatis: & si Fundatores retinuerint semel, vel perpetuo, aut alicui Patrono dederint collationem: & omnia, ac Fundatorum nomina, & summam redituum ac bonorum, infra certum tempus, Vicario nostro, seu Sigillifero mittant. (*Syn.* 1343.)

Præterea eligantur per Decanum & Fundatorem, seu hæredes ejusdem, potissimum si collationem retinuerint, duo probi viri, qui fructus talis Capellaniæ non confirmatæ, recipiant, & illud, quod deservituræ dictæ Capellaniæ non confirmatæ supersit, reservent pro dicta Capellania confirmanda. (*ibid.*)

De incarceratis.

Statuimus, ut Decani nostri Christianitatis ab incarceratis non pro magno delicto, recipiant cautiones (*l*) fidejussorias, secundum qualitatem personæ & delicti commissi, de comparendo coram Officiali ad certam & competentem diem, per Decanum loci assignandam, sub pœna delicti confessati, ac certa pœna pecuniaria secundum qualitatem delicti: ad quam diem Decanus certificet Officialem, vel Promotorem, vel Sigilliferum, de assignatione diei, & qualitate delicti, & carceribus & pœnis injunctis seu commissis, per proprium & certum nuntium. Insuper dicti Decani, quam citissime poterunt, nomina illorum, quos capi contigerit pro magno delicto, Officiali, seu Sigillifero mittant, una cum qualitate delicti & personarum captarum. (*ibid.*)

Ac dicti Decani bona mobilia captivorum prehendant, & de ipsis inventarium faciant. (*ibid.*)

Nomi-

(*) id est, *mulctas, nimirum a lege definitas.* (*i*) Suspensio reservata.
(*k*) C. *Cum pro causa.* & c. *Officii.* Extra. De sent. excommunic.
[**] Emenda. *Mulcta pecuniaria, compensatio damni: quasi* Emendatio, *quæ arbitrio Judicis irrogatur.* (*l*) C. *Si Clericos.* De sent. excommunic. in 6.

Nomina beneficiorum, & Beneficiatorum transmittenda.

Quilibet Decanus in suo Decanatu scribat nomina beneficiorum, & ad cujus collationem pertineant, præsertim quæ ad collationem Episcopi spectabunt, & ea mittant Sigillifero infra certum tempus: & quilibet Decanus in suo Decanatu inquirat beneficiatos non residentes, & nomina beneficiatorum non residentium, tam gratiam habentium, quam non habentium, & infra certum tempus Sigillifero mittat. (*ibid.*)

Item præcipimus Decanis, si commode possint habere Presbyteros non beneficiatos, eos ponant in succursibus deserviendis: & si Presbyteri in Ecclesiis suis per Archidiaconum instituti, velint personaliter in Ecclesiis suis deservire; volumus, ut omnibus præponantur, pretium solitum & debitum recepturi. (*m*)

Ut denuntietur cessus.

Item, si Decanus sciverit, quod cessetur in aliqua Parochiali Ecclesia sui Decanatus, vel factum commissum fuerit, pro quo cessari debeat; infra mensem Sigillifero notificet. (*Syn.* 1343.)

Quilibet Decanus in computu suo ponat registra, de quibus non fuerit satisfactum, ac tradat, ut ordinetur de ipsis, secundum quod visum fuerit faciendum.

Denuntiatio excessuum.

Item, quod omnes excessus commissos in Decanatibus suis infra mensem mittant in scriptis Vicario, vel Officiali.

Ut nomina Clericorum decedentium transmittanur.

Quod nomina Clericorum decedentium ab intestato, quilibet Decanus infra duos menses mittat Vicario, vel Officiali; similiter nomina Clericorum, & aliorum decedentium cum testamento, & executores eorumdem, si quos fecerint, mittant infra duos menses post decessum eorumdem ad Vicarium vel Officialem. [*Syn.* 1343.]

Statuta communia de Fide, & Personis Ecclesiasticis.

TITULUS DECIMUS NONUS.

SAcerdotes moneant subditos suos, ut perfecte discant *Pater noster &c. Ave Maria, &c.* & *Credo in Deum*, & saltem bis in die, mane scilicet, & vesperi legant, & scientibus nomine pœnitentiæ injungant, ut doceant ea ignorantes. (*Syn.* 1333.)

Ac statuimus, quod Curati Ecclesiarum singulis diebus Dominicis, vel saltem semel in mense moneant Parochianos suos, ut filios ad fidem addiscendam, videlicet, *Pater noster: Ave Maria: Credo in Deum*, mittere non postponant. [*ibid.*]

Ne quis locet domum suam meretricibus.

Ultimo Sacerdotes prohibeant subditis suis, sub pœna excommunicationis, ne locent suas domos meretricibus, ac receptoribus earum, vel turpitudinis mediatoribus: & si aliqui contra hanc prohibitionem fecerint, Episcopo, vel Officiali nomina eorum Presbyteri nuntient: ac exhortentur Parochianos suos, ut ipsis Presbyteris denuntient eos, qui deliquerint in prædictis.

De Testamentis & Executionibus, seu Executoribus eorum.

TITULUS VIGESIMUS.

PAstores Parochianos suos hortentur, præcipue in initio infirmitatum suarum, ut confiteantur sua peccata proprio Sacerdoti (*n*), & viaticum de consilio ejus recipiant, ac sua testamenta conficiant, debita & emendas solvendo, aut solvi faciendo, & quædam piis locis erogando.

Inventarium.

Statuimus insuper, quod nullus executor intromittat se de bonis ultimæ voluntatis cujusvis defuncti, seu se immisceat eisdem, nisi prius legitime in præsen-

Yyyy 3

(*m*) *Vide idem* supra pag. 711. §. *Capellani*.
(*n*) C. *Omnis utriusque sexus.* Extra. De pœnit. & remission.

ſentia teſtium & Presbyteri Parochialis, ſi haberi poſſit, facto inventario bonorum defuncti, continente, quanta & qualia ſint bona in domo mortuaria inventa. Contrafacientes ad pœnam condignam nobis ſolvendam teneri volumus.

Ut Executores refundant expenſas litis de propriis.

Statuimus, ut Executores teſtamentorum, ſuper legatis, & aliis ex parte defuncti in cauſam tracti, ſi dolo & culpa lapſi manifeſte inveniantur; de ſuis, non de bonis teſtatoris, adverſariis litis expenſas refundere teneantur.

Quatenus liceat ædificia Eccleſiæ obligare.

Item concedimus Presbyteris Parochialibus, & Capellanis perpetuis, ut ſi in ſolo Eccleſiæ, vel Capellaniæ ſuæ, de bonis undequaque acquiſitis nova ædificia conſtruxerint, quod pro modo valoris medietatis ædificiorum prædictorum poſſint ultimas voluntates ordinare, & quod ædificia ipſa uſque ad valorem prædictum valeant obligare, æſtimatione valoris tempore mortis eorumdem ſuper hoc facienda.

Pia Legata.

Cum plures plura bona ac diverſarum pecuniarum ſummas ex teſtamentis fidelium datas, conceſſas, ſeu legatas ad opus Eccleſiarum, ſeu Beneficiorum Eccleſiaſticorum inſtituendorum, & emolumenta, quæ provenerint ex ipſis, ſibi retinere præſumpſerint & præſumant: præcipimus, quod Presbyteri tales, & eorum nomina diligenter inquirant, Nobisque, vel Officiali noſtro denuntient, qui per cenſuram Eccleſiaſticam compellat (o) eos, ſi neceſſe fuerit, ad reſtitutionem omnium prædictorum, ut in uſus, ad quos deputata & ordinata ſint, convertantur.

Ut Teſtamentum fiat coram Presbytero.

Præcipimus quoque, ut Presbyteri teſtamenta ſua, non per laicos, ſed ſaltem in præſentia unius Presbyteri ordinent, ſub teſtimonio competenti, (p) niſi neceſſitas eos impediat: ac inſuper, ut laici teſtamenta ſua, ſine præſentia ſui Sacerdotis, ſi ipſius præſentiam commode poſſint habere, facere non præſumant: quos omnes Presbyteri moneant, ut teſtamenta ſua, dum adhuc ſunt compotes corporum vel ſenſuum, condere non omittant, & ad faciendum eleemoſynas, tam fabricæ Eccleſiæ Cameracenſis, quam Eccleſiis propriis, & pauperibus, eos precibus & monitis inducant.

Libera debent eſſe Teſtamenta.

Item ſtatuimus, ut quilibet pro ſalute animæ ſuæ, de rebus ſuis vel ſibi debitis, in ultima voluntate teſtari, vel aliter diſponere libere & quiete valeat: ac in omnes, qui directe, vel indirecte: tacite, vel expreſſe: clam, vel publice, aliquem libere teſtari impedierint, ſeu prohibuerint; excommunicationis (q) ſententiam proferimus in his ſcriptis.

Moneantur Executores negligentes.

Præterea ſinguli Presbyteri in ſuis Parochiis moneant, authoritate Synodali publice in facie Eccleſiarum ſuarum ſuarum, omnes, qui teſtamentarias diſpoſitiones, & ultimas voluntates defunctorum receperint exequendas; ut infra annum (r), ſi commode fieri poſſit, dictas executiones faciant & compleant de conſilio proprii Sacerdotis, juxta diſpoſitionem teſtatoris. Alioquin excommunicationis ſententia (s) eos innodamus.

Abuſus laicorum circa Teſtamenta.

Quia in quibusdam villis noſtræ Cameracenſis Diœceſis ſunt nonnulli laici, tam Judices, quam non Judices, aſſerentes & ſuſtinere volentes, ultimas decedentium voluntates, ac teſtamenta aliter non valere, aut habere roboris firmitatem, niſi in prædictorum conſtitutione ſeu factione, Scabini loci, aut duo ſaltem Scabini de ipſis præſentes adfue-

(o) C. *Nos quidem.* c. *Si hæres.* c. *Joannes.* Extra. De Teſtam. & ult. volunt.
(p) C. *Cum eſſes.* Extra. De Teſtam. & ult. volunt.
(q) Excommunicatio non reſervata. *Vide Tom. ſeq. Synod. Camer. anni* 1604. *Tit.* 8. *c.* 4.
(r) Fundatur in c. *Nos quidem.* Extra. De Teſtam. Authent. *Hoc amplius.* c. De Fideicom.
(s) Moderat. *Vide infra in Moderation. & Addition.* §. 18.

adfuerint, ad hoc ſpecialiter vocati & rogati, aſſerentes, quod ſecundum uſum ſuum, quem prætendunt, per alios teſtes, quam Scabinos, evidenter probari non valeat ultimæ voluntatis diſpoſitio: Nos igitur attendentes, quod prædictus abuſus evidenter eſt contrarius rationi, & juris diſpoſitioni (*t*): quodque per prædictum abuſum, ſi de cætero toleraretur, prædictas voluntates defunctorum ſæpius indebite contingeret irritari; Statuimus, præcipimus, & firmiter inhibemus, ne quis, occaſione abuſus hujusmodi, prædicta teſtamenta, alias tamen rite facta, impedire, aut ſcienter impugnare præſumat. Qui vero contrarium fecerit, in excommunicationis (*u*) ſententiam incidat ipſo facto. (*Syn.* 1319.)

Quia etiam in quibusdam villis & locis noſtræ Cameracenſis Diœceſis, nonnullæ laicales juſtitiæ aſſerunt & ſuſtinere nituntur, quod ſecundum uſum ſuum, legata & donationes cauſa mortis quas faciunt decedentes, non valeant, nec habeant roboris firmitatem, niſi teſtator de lecto ægritudinis conſurgens, extra domum, in qua jacet, per quadraginta pedum ſpatium vadat, & de bonis ſuis ibidem ordinet & diſponat: ſunt etiam aliqui Judices aſſerentes, quod non valent, neque tenent legata, donationes, vel eleemoſynæ defunctorum, niſi de datis & relictis, teſtator in vita ſua, propria manu, legatariis & donatariis poſſeſſionem dederit, ad iniquitatem ſuam & malitiam palliandam, quemdam abuſum pro conſuetudine allegantes. Nos igitur attendentes, quod piæ & favorabiles ſunt ultimæ decedentium voluntates, ſtatuimus, ut legata, donationes, & eleemoſynæ defunctorum valeant & teneant; ſive in loco mortis ſint factæ, ſive in domo, ſive extra: etiam ſi defunctus de prædictis datis & legatis, legatariis & donatariis in vita ſua poſſeſſionem non tradiderit; dicto abuſu contrario non obſtante: dum tamen non ſubſit alia cauſa, propter quam poſſint & debeant impugnari. Inhibentes, ne quicumque Judices, vel alii, occaſione dictorum abuſuum, vel aliqui eorum, dicta legata, aut donationes fraudulenter impugnare præſumant. Qui vero contrarium fecerint, aut facere præſumpſerint, in excommunicationis (*x*) ſententiam incidant ipſo facto. (*ibid.*)

Inventarium qualiter fieri debeat.

Ad occurrendum negligentiis, fraudibus & malitiis, quæ circa exequendas pias decedentium voluntates ſæpius committuntur, hoc Synodali Statuto provida moderatione duximus ordinandum; ut omnes & ſinguli noſtrarum Civitatis & Diœceſis Cameracenſis, ultimarum voluntatum Executores, qui a teſtatoribus electi, onus executionis duxerint aſſumendum, de bonis, ad executionem eis commiſſam pertinentibus, infra menſem, a die obitus defuncti numerandum, inventarium ſub manu publica, vel per Curatum loci, vel ſaltem ſub fide dignorum teſtimonio fideliter facere teneantur, in quo omnia & ſingula bona nominatim ſcribantur, & eorum valores juxta æſtimationem, per æſtimatores locorum ſuper hoc juratos, plenarie declarentur. Et ſi bona hujusmodi ad centum librarum Turonenſium valorem aſcendant, per ſe, vel per alium, cum teſtamento, ſeu ultima voluntate teſtatoris, aut teſtatricis, Officiali noſtro, vel ejus locum tenenti, ſe infra menſem alium præſentent, ac de hujusmodi teſtamento & inventario copiam faciant, quam copiam penes Curiam noſtram Cameracenſem volumus remanere, ut per ejus copiam informetur Officialis prædictus ſuper fidelitate & diligentia executorum circa executionem prædictam, & ut negligentias eorum melius corrigere valeat & ſupplere, ac ipſos executores inſtruere, qualiter ſe habere debeant in executione prædicta. Quod ſi minoris valoris exiſtant, Decani noſtri Chriſtianitatis, præmiſſa facere & complere teneantur. (*Syn.* 1323.)

Ratio

(*t*) C. *Cum eſſes.* Extra. De Teſtam. & ult. volunt.
[*u*] Excommunicatio non reſervata. *Vide Tom. ſeq. Synod. anni* 1604. *L. ſupra cit.*
(*x*) Excommunicatio non reſervata. *Ibid.*

Rationes per Executores Nobis reddendæ.

Volumus etiam, & ſtatuendo præcipimus, ut Executores ipſi, infra annum a die mortis teſtatorum, executionem prædictam adimpleant: & ut negligentias & defectus eorum melius corrigere valeamus, & ſupplere, juxta voluntatem & ordinationem defuncti; Officiali noſtro prædicto, vel illi, aut illis, quibus duxerimus committendum, de bonis dictæ executionis, per eos receptis, ac geſtis & adminiſtratis fideliter rationem reddant. (*ibid.*)

Curati Executores moneant, ut Inventarium faciant.

Et ut præſens Statutum firmius obſervetur, eidem duximus ſubjungendum, ut omnes & ſinguli Presbyteri, Curati locorum, ubi teſtatores decedunt, vel eorum loca tenentes, executores hujusmodi ſuper inventario, ut præmittitur, faciendo, & ad Curiam noſtram cum teſtamento deferendo, authoritate noſtra ſub pœna excommunicationis moneant diligenter, ac dicto Officiali noſtro per eorum literas patentes inſinuent ipſorum teſtatorum & executorum nomina, & utrum ipſos executores monuerint, & utrum eorum monitioni paruerint. Hoc igitur Synodale Statutum, quod ad providendum piis decedentium votis, & animarum ſaluti, creditoribus, legatariis, piis locis, & pauperibus, ac eorum hæredibus, & omnibus, qui ex diſpoſitione defuncti aliquod emolumentum percipiunt, aut expectant, ſalubriter, & prout ad Nos de jure pertinet, duximus faciendum, præcipimus ſubditis noſtris, & ſub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis injungimus, firmiter & inviolabiliter obſervandum. (*ibid.*)

Item, cum incumbat noſtro officio, quod ultimæ voluntates teſtatorum, præſertim ad pias cauſas, infra certum tempus a jure ſtatutum (z) executioni demandentur; ſtatuimus, ut ſinguli Curati in Parochiis ſuis ſe ſuper hoc diligenter informent, ſi prædictæ ultimæ voluntates fuerint executioni debite demandatæ: & Nobis, ſeu Officiali noſtro teneantur referre ad proximam Synodum: & hoc ſub pœna centum ſolidorum Pariſienſium; & ſic de anno in annum, ad finem, ut providere poſſimus juxta ſacrorum Canonum inſtituta de remedio opportuno. (*Syn.* 1335.)

De Exequiis & Sepultura Mortuorum.

TITULUS VIGESIMUS PRIMUS.

Quos & quando Curati decedentes fructus ſuos faciant.

Statuimus, ut, ſi Curati Eccleſiarum decedant infra Feſtum Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ, & Feſtum Magdalenæ, fructus maturos ſeparatos a ſolo, ſuos faciant, ſed ſi terris Eccleſiæ per ipſos excultis, decedant inter dicta feſta, vel in aliqua parte anni, dum tamen fructus aliquos non perceperint, volumus, ut ſumptus culturæ reddatur: reſiduum vero fructuum Eccleſiæ, cedat Nobis (a), & Archidiacono loci, ſalvo ſemper ſervitio Eccleſiæ. Si autem inter feſtum Magdalenæ & Purificationem Beatæ Mariæ deceſſerint, omnes fructus pro tempore præterito perceptos, ſuos faciant: percipiendi vero pro tempore ſequenti, cedant ut ſupra, ſalvo ſervitio Eccleſiæ: ita tamen, ut pro rata perceptorum & percipiendorum fructuum, ad deſerviendum Eccleſiiæ uſque ad ſequens Feſtum Beati Joannis Baptiſtæ, quælibet pars portionem ſe contingentem apponat ſeu conferat: ſi vero inter Feſtum Purificationis, & Feſtum Beati Joannis Baptiſtæ deceſſerint, omnes fructus faciant ſuos: ita tamen, ut de illis deſerviatur Eccleſia per conſilium Decani loci. Quod quidem ſtatutum, & alia de hujusmodi materia mentionem facientia, ad Capellanos ſeu Capellanias volumus extendi. (*Syn.* 1289. 1300. 1315.)

Nemo funus alienæ Parochiæ ſepelire præſumat.

Item ſtatuimus, ut nullus Presbyter funus defuncti alienæ Parochiæ ſepelire præſumat: (b) quod ſi ſecus fecerit,

(z) D. c. *Nos quidem.*
(a) C. *Præſenti.* De officio Ordin. in 6.
(b) C. *Ex partes* 1. c. *Cum liberum.* c. *In noſtro.* Extra. De Sepult.

cerit, ossa defuncti, & omne emolumentum, quod occasione sepulturæ defuncti recepit, restituere teneatur: & nihilominus eum graviter puniemus; nisi defunctus, salvo jure Parochiali, ibidem elegerit sepulturam, aut fuerit de longinquis partibus peregrinus.

Exequiæ pro Presbyteris solenniter celebrandæ.

Et præcipimus, ut pro Presbyteris & Capellanis defunctis campanæ pulsentur, & officium Divinum solemniter celebretur.

Anniversarium Confratrum Ecclesiæ Cameracensis.

Ac præcipimus, ut in crastino octavarum Paschæ celebretur in omnibus Ecclesiis Parochialibus, anniversarium Confratrum Ecclesiæ Beatæ Mariæ Cameracensis.

De absolutione post mortem.

Nec non, quod omnes Presbyteri, audito obitu Parochianorum suorum, absolvant eos cum Psalmis, *Miserere. De profundis.* & collecta: postmodum dicant vigilias, & alia, quæ defunctis debentur: & hoc, quando ipsi Parochiani excommunicati non decesserint, aut si in articulo mortis, cum copiam excommunicatorum habere non potuerunt, per suos Curatos in forma Ecclesiæ fuerint absoluti: (*c*) sed si signa pœnitentiæ tantum apparuerint in eis, pro absolutione impetranda est ad excommunicatorem eundum. (*d*)

Excommunicatus per annum, in articulo mortis absolutus, non sepeliatur.

Statuimus tamen, ut nullus sustinens, seu qui sustinuit excommunicationem, authoritate nostra latam, per annum & diem, quamvis per Presbyterum in articulo mortis absolvatur, tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ. Alioquin contra facientes noverint se esse suspensos. (*e*)

De arrenda terrarum Ecclesiæ, vel beneficiorum.

Quia nonnulli terras Ecclesiarum Parochialium; & Capellaniarum sub melioratione in arrendam recipere a Rectoribus & Capellanis eorumdem formidant, eo quod si ipsos Rectores, vel Capellanos ante terminum arrendæ decedere, aut resignare contingat, eorum Successores dictam arrendam, & conventiones super hoc factas retractare possint, si velint, & penitus annullare; ita quod arrendator, seu censuarius, melioratione dictarum terrarum, si quam fecerit, est omnino defraudatus: propter quod quam plures terræ beneficiorum quotidie pejorantur; Statuimus idcirco, ut si quis Presbyter, aut Capellanus, terras beneficii sui in toto, vel in parte, alicui in arrendam concesserit, ipseque arrendator per suam industriam, laborem, & expensas, dictas terras melioraverit, ac ipsum concedentem ante finem arrendæ decedere, aut resignare contingat; Successor ipsius decedentis vel resignantis, conventiones, a suo Prædecessore cum dicto arrendatore super dicta arrenda habitas, tenere & adimplere, aut ipsam meliorationem ad decretum bonorum virorum, ab ipsis arrendatoribus; & successoribus eligendorum, eidem necessario reddere & restituere ante omnia teneatur, prout iidem eligendi, seu electi duxerint ordinandum.

Statuimus, ut Capellani perpetui Sacramenta sua a Curatis locorum suorum in infirmitatibus suis accipiant: & si decedant, in Capellaniis suis sepeliantur, nisi ex devotione (salvo jure Parochiali) alibi elegerint sepulturam. Quod statutum ita declaramus, ut si emolumentum exequiarum talium Capellanorum aliis, quam Curatis locorum, de consuetudine competat; per statutum prædictum nolumus, neque intendimus, dictæ consuetudini in aliquo derogare. (*Syn.* 1308.)

Inhi-

(*c*) C. *fin.* Extra. De sepult.
(*d*) C. *A nobis.* 2. Extra. De sent. excommun.
(*e*) *In editione anni* 1604. *legitur ad marginem*: Suspensio reservata, nisi mandantes sepulturæ cautionem de satisfaciendo, & parendo Judici, exegerint ab hæredibus, & obtinuerint.

Inhibemus Presbyteris Parochialibus, & Capellanis, sub pœna suspensionis & excommunicationis, ne quis eorum suspensos, & excommunicatos, aut interdicto Ecclesiastico suppositos, vel alias in peccato mortali notorie existentes, tradat Ecclesiasticæ sepulturæ, nisi in articulo mortis signa pœnitentiæ apparuerint in eisdem. (*f*) (*ibid.*)

Qui dicuntur manifesti usurarii.

Licet usurarum crimen, utriusque testamenti pagina detestetur, ac in Concilio Lateranensi fuerit contra manifestos usurarios salubriter institutum & constitutum, ut hujusmodi usurarii manifesti, nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in hac pravitate decesserint, accipiant sepulturam, nec etiam oblationes eorum quisquam recipiat, (*g*) sintque contra usurarios manifestos in eorum odium Constitutiones & Canones multiplices promulgati: nonnulli tamen nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, prout ad nostrum fide digna relatio perduxit auditum, tantis sunt insolentiæ & avaritiæ reatibus excæcati; ut non solum usurarum crimen exerceant, imo in suis malitiis & insolentiis gloriantes pro manifestis usurariis cupientes haberi, signa teneant & habeant ante domos & fenestras suas, per quæ, quod sint usurarii, divulgantur, & etiam cognoscuntur, adinstar tabernarii, qui ante tabernam pro signo tabernæ circulum dolii tenere solet appensum, aut qui mensam fœnebrem publice exercent.

Excomunicatio (h) *in manifestos usurarios.*

Nos igitur cupientes per aggravationem pœnarum, tales & consimiles insolentias & præsumptiones, exemplo perniciosas, de Civitate & Diœcesi Cameracensi penitus extirpare, & usurarios ipsos ab usurarum voragine cohibere, præsenti Synodali Statuto decernimus & declaramus, omnes tales usurarios, hujusmodi signa tenentes, aut mensam fœnebrem exercentes, manifeste usurarios judicandos, & contra ipsos, tamquam contra manifestos usurarios, fore procedendum, ipsosque, & omnes alios usurarios manifestos, in Civitate & Diœcesi prædictis manentes, excommunicamus, & excommunicatos præcipimus publice nuntiari, & tamquam excommunicatos ab omnibus evitari: Injungentes omnibus Presbyteris & Capellanis subditis nostris, sub pœna suspensionis & excommunicationis, ut ipsos manifestos usurarios, authoritate præsentis Synodalis Statuti, publice denuntient in offertorio eorum excommunicatos, & contra ipsos pœnas prædictas Concilii Lateranensis diligenter observent. Item, quia sunt quidem alii usurarii, qui licet non sint omnino manifeste usurarii, tamen, licet occulte, usurarios contractus indifferenter exercent, quos publica fama usurarios esse demonstrat; eos ad Ecclesiasticam sepulturam præcipimus non admitti. (*Syn.* 1323.)

Quoniam pro funeralibus, quæ in exequiis defunctorum apportantur, antequam fiant exequiæ, a nonnullis fiunt pactiones illicitæ, Ecclesiis & Ecclesiasticis personis damnosæ; inhibemus præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, ne de cætero pactiones fiant de hisce funeralibus, antequam ipsæ exequiæ factæ fuerint, & corpus, pro quo fient, traditum sit Ecclesiasticæ sepulturæ. (*i*) (2. *Syn.* 1316.)

De Vigiliis & aliis Jejuniis totius anni.

TITULUS VIGESIMUS SECUNDUS.

Quare appellentur Vigiliæ.

Dies immediate præcedentes Festivitates, Jejunia habentes, Vigiliæ vocantur, quia antiquitus mariti cum uxoribus & filiabus suis ad Ecclesiam illis diebus conveniebant, & ibi cum

(*f*) C. *final.* & c. *Sacris.* Extra. De Sepultur. C. *A nobis.* 2. Extra. De sent. excommun.
(*g*) C. *Quanquam.* De usur. in 6. c. *Quia in omnibus.* Extra. De usur. *Vide etiam supra* in tit. *De Cautionibus*, pag. 723. (*h*) Reservata.
(*i*) C. *Abolendæ.* De Sepult. c. *Ad Apostolicam.* Extra. De Simon.

cum cereis & luminaribus per totam noctem vigilabant. Et quia contingebat, in his Vigiliis corrumpi virgines, & ad multa maleficia exercenda majorem opportunitatem haberi, idcirco Vigiliæ in jejunia sunt translatæ, & illa jejunia adhuc vigiliæ nuncupantur, antiquum morem, & non nomen variando.

Sunt undecim Vigiliæ anni.

Sunt autem undecim Vigiliæ singulis annis in Diœcesi Cameracensi, ab universis ætatem habentibus, jejunandæ: (*k*) scilicet Ascensionis (*l*) Domini, Pentecostes, Nativitatis Beati Joannis Baptistæ, Petri & Pauli Apostolorum, Laurentii Martyris, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Matthæi Apostoli, Simeonis & Judæ Apostolorum, Omnium Sanctorum, Andreæ Apostoli, & Nativitatis Domini.

Si Vigiliæ in diebus Dominicis evenerint, sabbatis præcedentibus jejunetur. (*m*)

Item tenentur omnes ætatem habentes jejunare (*n*) in die Marci Evangelistæ, si Dominica non fuerit; & si Dominica fuerit, feria secunda sequenti, nisi aliud obstiterit, ut infra de Festis.

Item tenentur jejunare feria secunda, tertia, & quarta ante Ascensionem Domini. (*o*)

Quatuor Tempora.

Præterea tenentur jejunare jejunia quatuor temporum: quorum primum (*) est feria quarta, sexta, & sabbato inter Pentecosten & Nativitatem Sancti Joannis: & fit in æstate, quæ est fervida, ut simus ferventes in charitate. Secundum jejunium quatuor temporum est feria quarta, sexta, & sabbato post Exaltationem Sanctæ Crucis; & fit in autumno, in quo tempus est fructuosum, ut in nobis abundent bonorum operum pii fructus. Tertium est feria quarta, sexta & sabbato post Festum Luciæ & Lamberti, & fit in hyeme, in qua cadunt folia & moriuntur herbæ, ut in nobis defluant vitia & moriantur. Quartum jejunium quatuor temporum est feria quarta, sexta, & sabbato post diem Cinerum: & fit in vere, in quo omnia virent, ut in nobis

[*k*] C. 2. Extra. De observat. jejunii.
(*l*) *Vide Moderat. & Additiones* infra §. 19. *Vide etiam Tomo seq. Synodum Camerac. anni* 1604. *Tit.* 4. *c.* 10. (*m*) C. 1. De observat. Jejunii.
(*n*) Moderatum infra *in Moderation. & Addition.* §. 20.
(*o*) Moderatum. *Vide ibid.* §. 21.
(*) Secundum communem computandi morem primum quatuor temporum jejunium dici solet Vernale, alterum Æstivale, tertium Autumnale; quartum Hyemale; his autem in Statutis primum ponitur Æstivum, & Vernale postremum. Quod ex eo factum arbitror, quod Cameracenses olim, cum plerisque Belgarum, Gallorum more annum ordiri consueverint a Paschate, testibus Miræo, aliisque; unde primum ipsis anno quolibet quatuor temporum jejunium æstivale fuit, & vernum ultimum. *Ut apud alias gentes*, inquit Aubertus Miræus, in Præfatione sui Chronici, *sic & apud Belgas varia computandi atque incohoandi annos ratio fuit. Alii enim a die Natali JESU CHRISTI, seu solstitio Hiberno: nonnulli a Kalendis Januariis: alii a verno æquinoctio, seu Annuntiationis Angelicæ die: . . . Brabanti nostri, Flandri, Cameracenses, aliique . . . more Ecclesiæ Gallicanæ, epocham in Paschate collocarunt.* Sed ista computandi ratio in Galliis edicto Regio Caroli IX. antiquata est, teste Du Cange anno 1564., vel, ut alii volunt, 1567; in Belgio autem anno 1575. ex edicto Philippi II. Regis Hispaniarum. Ex quo tempore istis in Regionibus a Kalendis Januariis annorum cœpta fuit computatio.
Apud Colonienses, Leodiensesque eadem a Paschate annum inchoandi consuetudo jam pridem ante fuerat abolita, ut patet ex Concilio Provinciali Coloniensi anno 1310. celebrato sub Henrico Virneburgico, ubi Canone XXIII. ita decernitur: " Statuimus etiam, ut ex nunc de cætero annus Domini observetur, ut in Nativitate Christi innovetur quolibet anno, prout Sacrosancta Romana Ecclesia id observat, quæ est omnium Ecclesiarum caput, & Magistra." *Vide Tomo nostro IV. Concil. Germ. pag.* 117. *Aubert. Miræum l. cit. Du Cange Glossar. Tom. I. V. annus. Joann. Knippenberg. Histor. Eccles. Ducat. Geldriæ in Præfat.*

bis opera virtutum, sine quibus nihil est perfectum, virescant. Fiunt autem hæc jejunia per dies præfatos, quia magis sunt pœnitentiales, quam alii dies hebdomadæ: & tres sunt dies, ut quicquid corde, ore & opere, contra Deum unum in substantia, & trinum in Personis deliquimus, per jejunia quatuor temporum his tribus diebus expurgemus.

Adventus.

Quando A. E. F. G. sunt literæ Dominicales, jejunium Quadragesimæ ante Nativitatem Domini incipit sexto Idus Novembris super E. Quando autem B. C. D. sunt literæ Dominicales, jejunium Quadragesimæ ante Nativitatem Domini incipit quinto Idus Novembris super D, & hujusmodi Quadragesima jejunatur a Religiosis.

Quadragesima.

Ultimo omnes ætatem habentes, tenentur jejunare ex præcepto Ecclesiæ Quadragesimam ante Pascha.

De Majoribus Festis.

TITULUS VIGESIMUS TERTIUS.

Majora Festa.

PRæcipimus majora Festa ab omnibus subditis nostris diligenter observari, in quibus non possunt, neque debent Presbyteri licentiare (*p*) subditos suos, pro accommodatione carrucarum, vel equorum, aut animalium ad hoc deputatorum, pro se, vel pro aliis quibuscumque: videlicet (*q*) omni die Dominica, in Circumcisione Domini, in Epiphania, in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, in Annuntiatione Dominica, in Parasceve ante totum officium completum, in die Sancto Paschæ, feria secunda post Pascha, in die Philippi & Jacobi Apostolorum, in Inventione Sanctæ Crucis, in Ascensione Domini, in die Pentecostes, feria secunda post Pentecosten, in die Sanctæ Trinitatis, in die Sancti Sacramenti, in Nativitate Beati Joannis Baptistæ, in Passione Petri & Pauli Apostolorum, in die Visitationis B. M. V., in die Magdalenæ, in die Jacobi & Christophori, in die Laurentii, in Assumptione B. M. V., in die Bartholomæi Apostoli, in die Nativitatis B. M. V., in Exaltatione Sanctæ Crucis, in die Matthæi Apostoli, in die Michaelis Archangeli, in die Simonis & Judæ Apostolorum, in die Omnium Sanctorum, in die Sancti Martini hyemalis, in die Catharinæ Virginis, in die Beati Andreæ Apostoli, in die Beati Nicolai Hiemalis, in die Conceptionis B. M. V., in die Beati Thomæ Apostoli, in die Nativitatis Domini, in die Sancti Stephani Protomartyris, in die Beati Joannis Apostoli & Evangelistæ, in die Patroni Ecclesiæ, & in die Dedicationis Ecclesiæ.

Præterea præcipimus, ut Festa Beatorum Apostolorum, & Evangelistarum, & Sanctorum Confessorum, Gregorii, Augustini, & Ambrosii Episcoporum, & Hieronymi Presbyteri, in singulis Ecclesiis civitatis & Diœcesis Cameracensis, subditis nostris sub duplicibus officiis annis singulis celebrentur.

Festum Conceptionis Gloriosæ Virginis MARIÆ.

Postremo statuimus, & omnibus subditis nostris Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ injungendo præcipimus, cum apud eam exuberare debeat devotio fidelium, quæ nostra est coram Deo mediatrix, & impetratrix gratiarum promptissima, ut Festum Conceptionis Gloriosissimæ Virginis MARIÆ, octava die mensis Decembris, cum matutinis, Missis, cæterisque Divinis officiis devote celebrent: & præcipimus dictum Festum solemne, sub pœna excommunicationis ab omnibus reverenter observari. (*Syn.* 1308.)

De minoribus Festis.

TITULUS VIGESIMUS QUARTUS.

Festa minora.

FEsta autem sequentia vocamus minora Festa, in quibus licet arare & carrucare: videlicet (*r*) in Conversione

(*p*) C. *Conquestus.* c. *Licet.* Extra. De Feriis. c. *un.* De Reliqu. & Venerat. Sanctor. in 6.
(*q*) *Vide Tom. seq. Synod. Camerac. anni* 1604. *Tit.* 4. *c.* 5.
(*r*) *Vide Synod. Camerac. anni* 1604. *Tom. seq. Tit.* 4. *c.* 6.

ſione Pauli, in Cathedra Sancti Petri, in die Matthiæ Apoſtoli, in die Marci Evangeliſtæ, in die Petri ad Vincula, in die Decollationis Beati Joannis Baptiſtæ, in die Lucæ Evangeliſtæ, in die Nicaſii, Sociorumque ejus, in die Sanctorum Innocentium, feria tertia & quarta in Paſchalibus, feria tertia & quarta in Pentecoſtalibus, in die Vincentii Confeſſoris, Aycardi peregrinis, Gisleni & Dionyſii, Sociorumque ejus, in die Sancti Eligii peregrinis: require poſt feſta mobilia iſta tria feſta.

Feſtum Annuntiationis.

Si Feſtum Annuntiationis Beatæ MARIÆ (*s*) Virginis in aliqua Dominica Quadrageſimæ evenerit, ferietur & celebretur feria ſecunda proxime ſequenti, prout factum extitit Dominica, qua cantatum fuit: *Oculi mei.*, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, de præcepto *Domini Gerardi de Dainville*, Epiſcopi Cameracenſis.

Si autem Feſtum Annuntiationis Dominicæ ſabbato in Ramis Palmarum evenerit, ibidem ferietur & celebretur: ſed ſecundæ veſperæ erunt de tempore, & fiet memoria de Sancta MARIA tantum per antiphonam, verſum & collectam. Si vero in Dominica in Ramis Palmarum, vel deinceps uſque in diem Paſchæ evenerit, ferietur quinta ante Dominicam in Ramis Palmarum. Sed ſi in die Paſchæ evenerit, vel aliqua feria hebdomadæ Paſchalis, vel Dominica, qua cantatur *Quaſi modo*, ferietur & celebretur feria tertia poſt *Quaſi modo*, niſi fuerit annotinum (*) Paſcha, quia tunc uſque ad feriam quintam ſubſequentem differtur.

Translatio Feſti S. Marci.

Item, ſi Feſtum Marci Evangeliſtæ in die Paſchæ, vel deinceps, uſque ad octavas Paſchæ evenerit, ſtatuimus, quod ferietur & celebretur feria quarta vel quinta poſt *Quaſi modo*, & fiat jejunium, cum Litania majore, & Proceſſio ipſo die. Si autem aliqua alia die Dominica evenerit, fiat Feſtum Sancti Marci Evangeliſtæ ipſa die Dominica, & jejunium ac proceſſio cum Litania majore fiant feria ſecunda ſequenti, ſed non ferietur Feſtum.

Translatio Feſti S. Ambroſii.

Quod ſi Feſtum (**) Beati Ambroſii in hebdomada Paſchali evenerit, fiat

(*s*) *Vide ibid. cap.* 7.

(*) Annotinus idem ſignificat, quod anniverſarius. De Paſchate Annotino hæc habet *Micrologus, de Eccleſ. obſervat.* c. 56. *Romani annotinum Paſcha quaſi anniverſarium Paſcha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori Paſcha baptizati erant, in ſequenti anno eadem die ad Eccleſiam convenere, ſuæque regenerationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolenniter celebraverunt.* Cum autem Paſcha ſingulis fere annis diverſos in dies incideret, ideoque etiam a Chriſtianis ſuſcepti in Paſchate Baptiſmi ſolennis memoria diverſis diebus celebraretur; Eccleſia deinde certum Baptizatis omnibus quolibet anno diem ſtatuendum cenſuit, pro regenerationis gratia communi devotione recolenda. Diem porro hunc aliqui dicunt fuiſſe Sabbatum in albis: alii ipſam Dominicam in albis. Du Cange in Gloſſario exiſtimat, fixam huic celebritati fuiſſe Feriam 2dam, poſt Dominicam in albis proxime ſequentem, propter conjunctionem Officii, ſeu Miſſæ Paſchatis Annotini cum Dominica. Verum ex ipſis his Statutis antiquis Cameracenſibus eruitur, Paſcha iſtud annotinum etiam feria tertia fuiſſe celebratum. Præcipitur enim, ut *Feſtum Annuntiationis Bmæ M. V. ſi vel in die Paſchæ*, vel in *aliqua feria hebdomadæ Paſchalis*, vel in Dominica *Quaſi modo* inciderit, *ferietur & celebretur feria* 3. *poſt Quaſi modo*, *niſi* [eadem nimirum illa feria 3tia] *fuerit annotinum Paſcha*; atque tunc feſtum Annuntiationis in feriam 5tam differendum dicitur. Vide etiam paulo poſt §. *De Translatione Feſti S. Ambroſii*, ubi eadem de Paſcha annotino in feriam tertiam poſt *Quaſi modo* incidente repetuntur. Arbitror proinde non 2dam tantum, ſed alias etiam ejuſdem hebdomadæ ferias, vel ex arbitrio Epiſcopi Diœceſani, vel ſecundum ordinem, feriemque feriarum, pro Annotino Paſchate celebrando, fuiſſe conſtitutam. *Vide plura in Gloſſar. Du Cange* Tomo III. verb. *Paſcha.*

(**) Intellige hæc de Feſto, quo S. Ambroſii obitus quibuſdam in Diœceſibus recolitur ad diem 4tam Aprilis. Cæterum ab Eccleſia Rom. uti & Mediolanenſi, Sancti hujus Doctoris feſtum potiſſimum celebratur in die Ordinationis ejuſdem, nimirum 7ma Decembris.

fiat officium Sancti Ambrosii feria tertia post *Quasi modo*, nisi annotinum Pascha illa feria tertia evenerit, quo casu dictum officium fiet feria quinta post *Quasi modo*: si autem Dominica in Ramis Palmarum, vel deinceps usque diem Paschæ evenerit, fiat feria quinta ante Dominicam in Ramis Palmarum.

Translatio Inventionis S. Crucis.

Item, si Ascensio Domini, & Inventio Sanctæ Crucis, eadem die occurrerint, officium Sanctæ Crucis fiet feria sexta sequenti, sed non ferietur.

Quando incipiat Adventus Domini.

Adventus Domini incipit semper in die Dominica propinquiore Festo Beati Andreæ Apostoli, sive illa dies Dominica præcedat, sive sequatur: & si Festum sit die Dominica, eadem die incipit Adventus Domini: sed officium de festo fieret feria secunda sequenti, & non ferietur, & vigilia sive jejunium sabbato præcedenti: & festum Beati Eligii, feria tertia immediate sequente.

Festum Purificationis.

Si Festum Purificationis in Dominica Septuagesimæ evenerit, ibidem ferietur, & celebretur, & fiat memoria de Septuagesima per antiphonam, versum & collectam.

Festum Ss. Fabiani & Sebastiani.

Item, si festum Fabiani & Sebastiani in Septuagesima evenerit, fiat sabbato præcedenti.

Festum S. Agnetis.

Item, si Festum Beatæ Agnetis in Septuagesima evenerit, fiat feria sexta præcedenti. Eodem modo fiat de aliis Festis, si necesse fuerit.

Quinque Festa mobilia.

Quinque sunt Festa mobilia, videlicet Septuagesima, Quadragesima, Pascha, Rogationes, & Pentecoste: quæ ideo vocantur mobilia, quia certum locum in Calendario non habent, quorum notitia sic habetur.(*) Dies Paschæ celebratur Dominica tertia primæ Lunationis, quæ est post Nonas Martii, accipiendo Lunationem secundum aureum numerum Martii: Dominica decima præcedente diem Paschæ Septuagesima celebratur: Dominica sexta sequente diem Paschæ, Dominica in Rogationibus celebratur: & sequenti feria quinta est Ascensio Domini: Dominica octava sequenti diem Paschæ, celebratur dies Pentecostes, intelligendo diem Paschæ, & alios dies Dominicos inclusive.

De Indulgentiis ab Episcopo concessis.

TITULUS VIGESIMUS QUINTUS.

Qui Ecclesiam Cameracensem visitant.

NOs omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matrem suam Ecclesiam Cameracensem devote visitaverint, quadraginta dies, quotiescumque hoc fecerint, de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Qui pauperibus eleemosynam largiuntur.

Præcipimus, ut Presbyteri Parochiales diligenter exponant subditis suis in facie Ecclesiarum suarum Constitutionem Provincialem, per quam benefactoribus pauperum Parochiarum suarum, tam a Reverendissimo Archi-Episcopo Rhemensi, quam ab omnibus Suffraganeis suis, quadraginta dies Indulgentiarum conceduntur: qui dies faciunt summam quadringentorum & octoginta dierum.

Qui funera pauperum deferunt.

Omnibus & singulis deferentibus funera, maxime pauperum, de domibus ad Ecclesiam, & de Ecclesia ad fossam, seu Cœmeterium, seu qui Missæ, aut sepulturæ eorum intererunt, decem dies Indulgentiarum authoritate Synodali concedimus.

Qui honorant nomen JESUS, &c.

Omnibus & singulis flectentibus genua, & dicentibus, *Pater noster*, dum in Missa audierint dicere, vel nominare hoc

(*) Vide Reformationem Calendarii Gregorianam.

hoc nomen, JESUS, vel hoc nomen, MARIA, vel hæc verba: *Verbum Caro factum est*, authoritate prædicta decem dies Indulgentiarum concedimus.

Qui orant pro Nobis.

Omnibus & singulis, pro Nobis orantibus, singulis diebus, quibus hæc fecerint, viginti dies Indulgentiarum authoritate prædicta concedimus.

Qui comitantur Corpus Christi.

Statuimus, ut comitantes Sacerdotem, Corpus Christi de die infirmis deferentem, eundo decem dies, & redeundo decem dies Indulgentiarum mereantur & consequantur: comitantes autem sic de nocte, indulgentiam volumus habere duplicatam.

Qui comitantur extremam Unctionem.

Item comitantibus Presbyterum cum Sacramento extremæ Unctionis, eundo quinque dies, & redeundo alios quinque dies concedimus authoritate prædicta: si autem de nocte comitati fuerint, eis indulgentiam concedimus duplicatam.

Qui Vigiliis Presbyterorum intersunt.

Omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui officiis & exequiis Presbyterorum, & Capellanorum interfuerint, viginti dies Indulgentiarum elargimur.

Qui Anniversario Confratrum Ecclesiæ Cameracensis intersunt.

Presbyteri annuntient, quod omnibus, qui anniversario Confratrum Ecclesiæ Beatæ MARIÆ Cameracensis intererint, decem dies Indulgentiarum concedimus.

Qui Sacerdotes honorant.

Omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ob reverentiam Sacerdotii, Nobis, vel alicui Sacerdoti assurgent, toties quoties hoc reverenter & devote fecerint, decem dies Indulgentiarum authoritate Synodali concedimus.

Qui Processionibus intersunt.

Insuper omnibus, qui Processionibus devote faciendis diebus Dominicis & die Lunæ interesse voluerint, & aliis diebus, in quibus Processiones fieri consueverunt in Ecclesiis suis Parochialibus, pro qualibet Processione cujuslibet diei, decem Indulgentiarum dies concedimus authoritate Synodali.

Qui Prædicationibus in Capitulis Decanorum affuerint.

Omnibus etiam, qui Prædicationibus devote in Capitulis Decanorum affuerint, viginti dies Indulgentiarum misericorditer relaxamus.

Qui primitiis intererunt.

Postremo omnibus subditis nostris vere pœnitentibus & confessis, qui primis Missis novorum Presbyterorum interfuerint, & pro Nobis, & nostris, & Ecclesiæ nostræ negotiis devote oraverint, viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus.

De Quæstoribus, seu Quæstariis.

TITULUS VIGESIMUS SEXTUS.

Quæstores ne prædicent. (s)

PRæcipimus, ut quæstarii non permittantur in Ecclesiis, vicis, vel plateis quoquo modo prædicare, aut sua negotia exponere, nisi hoc ex nostrarum habeant beneficio literarum: nec admittantur Quæstarii, qui literas deferunt a nostra communi forma Quæstariis concessa deviantes. Ipsi autem Presbyteri, seu eorum vices gerentes, exponant & promoveant eorum negotia bona fide. (*t*) (*Syn.* 1307.)

Statuimus insuper, ut Decani Christianitatis Quæstariis literas ad quæstam faciendam concedere non præsumant, sub pœna suspensionis: quas si concesserint, eas irritas nuntiamus. (*ibid.*)

Statuimus quoque, ut Decani, seu Presbyteri vel Curati, eorumve vices gerentes, futuros proventus eorumdem

(*s*) *Vide Conc. Trid. Sess.* 21. De Reformat. cap. 9.
(*t*) *Vide de his* in Tit. *De Relig. & Vener. Sanct.* Extra.

dem Quæstariorum in Ecclesiis suis percipiendos emere, vel in arrendam recipere non præsumant. (*ibid.*)

Non admittantur Quæstores diebus solemnibus.

Quæstores suas quæstas non faciant, nec eos Presbyteri recipiant diebus solemnibus, quibus populus communicare consuevit, videlicet in festo Paschæ, Pentecostes, omnium Sanctorum, Nativitatis Domini, Dedicationis Ecclesiæ & Patroni loci. (*ibid.*)

Præcipimus Decanis, ut Quæstores cum literis Curiæ nostræ Cameracensis permittant libere ire per suos Decanatus ad quærendum fidelium eleemosynas; dum tamen non impediatur Divinum officium per eosdem. Alioquin contra facientes graviter puniemus. (*ibid.*)

De Revocationibus Gratiarum & Commissionum.

TITULUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

Revocatio gratiarum.

REvocamus omnes gratias & literas generales non perpetuas, cujuscumque formæ seu tenoris existant, quibuscumque personis ex quacumque causa a Nobis, vel Officiali nostro concessas, nisi de præsenti revocatione fiat mentio in eisdem.

Revocatio Commissionum Decanorum &c.

Revocamus omnes commissiones, Decanis nostris Christianitatis & Presbyteris Curatis nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, & aliis subditis nostris a Nobis concessas, cognoscendi de causis matrimonialibus & de sponsalibus, & matrimonia tangentibus quoquo modo.

Revocantur omnes commissiones Judicibus sæcularibus factæ.

Præterea revocamus omnem potestatem, seu licentiam, quam Nos, vel Officialis noster concessimus Justitiariis sæcularibus quibuscumque, aut laicis personis super arrestatione, captione, & detentione Clericorum & Ecclesiasticarum personarum, ac bonorum eorumdem.

Ac omnes commissiones & mandata concessa a Nobis quibuscumque personis laicis, aut Dominis temporalibus super captione Presbyterorum & Clericorum, etiam si sint perpetuæ, & licet de præsenti revocatione mentionem faciant, revocamus & annullamus penitus, & ex causa.

Revocatio Pœnitentiariorum.

Ultimo revocamus omnes Pœnitentiarios a Nobis, seu authoritate nostra constitutos, & potestatem eis concessam.

De Cedentibus, seu cedere volentibus.

TITULUS VIGESIMUS OCTAVUS.

CUm aliqui justitiarii seu servientes, aliquos bonis suis cedentes, seu cedere volentes (*u*), aut alias forum Ecclesiasticum eligentes, super his, quorum cognitio, ad forum Ecclesiasticum pertinet de jure vel consuetudine, per captionem bonorum suorum & corporum, adinvenientes quandoque non causam pro causa, compellunt ad desistendum a prosecutione litis, & quandoque etiam occasione debitorum, pro quibus facta est cessio, cedentes hujusmodi capiunt, & carceri mancipant, non obstante cessione facta, eaque spreta & contempta, in derogationem libertatis Ecclesiasticæ, sic excommunicationem latæ sententiæ incurrendo ipso facto: Nos omnes & singulos tales & dantes eis in hoc auxilium vel juvamen, authoritate Canonis (*x*) denuntiamus excommunicatos, mandantes omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus, eorumque vices gerentibus in nostro Episcopatu constitutis, quatenus singulis diebus Dominicis & festivis (campanis pulsatis, & candelis accensis, extinctis) ipsos denuntient excommunicatos, ad absolutionem eorum nul-

(*u*) C. *Odoardus.* Extra. De solut.
(*x*) C. *Quoniam, ut intelleximus.* De Immunit. Eccles. in 6.

nullatenus procedentes, nisi in mortis articulo, sine nostra licentia speciali: imo absolutionem talium Nobis, vel Officali nostro reservamus. (*Syn.* 1308.)

De Acceptationibus Beneficiorum coram Notariis, occulte factis.

TITULUS VIGESIMUS NONUS.

PErcipimus, quosdam suæ salutis immemores, & juris ignaros, qui Patronos Ecclesiarum, aliorumque Beneficiorum Collatores ordinarios decipientes, quin potius ipsos fraudantes, plures virtute literarum Apostolicarum acceptationes fraudulentas & occultas facere non formidant, provisiones suas de dictis beneficiis, nec non possessionis adeptionem longo tempore protrahentes, in læsionem aliorum impetrantium, & suarum periculum animarum: Nos igitur fraudibus & tot diversis periculis obviare cupientes, easdem acceptationes occulte & fraudulenter fieri de cætero prohibemus, tabellionibus & Notariis publicis omnibus districte injungentes, & sub pœna perpetuæ depositionis sui officii, nec non privationis præcipientes, quatenus si acceptationes aliquas coram eis fieri de cætero contigerit, Patrono, seu ordinario Collatori Beneficii sic acceptati infra mensem intimare procurent. Alioquin indignationem nostram, & sui officii privationem & infamiæ periculum poterunt merito formidare. (*Syn.* 1359.)

Additiones aliquot ad priora Statuta.

TITULUS TRIGESIMUS.

Privilegium Scholaritatis exhibendum.

IMprimis ad Statutum incipiens: *Præcipimus, quod Presbyteri Parochiales &c.* sub titulo: *De Ordinibus* (y), Addendo, statuimus, quod si aliqui tales prætenderint se Privilegiatos, seu Scholares in aliquo studio privilegiato studentes, (z) ipsi annis singulis, Nobis vel Decano loci fidem legitimam faciant, & doceant de hujusmodi privilegio suo scholaritatis, vel alio, sub quo Doctore, & qua Facultate studeant, seu studuerint, & quod ad minus pro illo anno per sex menses in illo studio fuerint residentes. Alioquin foranei reputentur, fructusque beneficiorum suorum Nobis & Archidiacono loci, ut in dicto statuto continetur, applicentur.

De Præsentatione & admissione Vice-Curatorum.

Licet regulariter Rectores Parochialium Ecclesiarum in Ecclesiis suis residere, & curam animarum diligenter exercere, & laudabiliter in Divinis deservire teneantur in eisdem, nisi quibus aliter permissum est ex indulgentia speciali: quia tamen hoc nunc passim aut usurpatur, aut obtinetur, ut longe plures ab Ecclesiis suis absint, quam in illis resideant, paucique admodum sint, qui per se curam gregis sibi commissi gerant, & quod deterius est, absentes Vicecuratos ad hujusmodi exercitium curæ deputent, non qui digniores, aut magis sint idonei, & verbo & exemplo possint proficere in populo; sed qui majorem ex fructibus Ecclesiæ pensionem reddere velint: quod adeo invaluit, ut cum in plerisque Ecclesiis nulli aut modici sint grossi fructus, ad opus Rectorum principalium deputati, non modo ex eisdem fructibus, si qui sint, non provident Vicecuratis suis, sed ex laboribus eorumdem, & sola Sacramentorum & curæ administratione, magnas annue sumunt pecuniarum summas: quo fit, ut vix aliqui idonei reperiantur Vicecurati, & cogantur pro hujusmodi Sacramentorum exhibitione jura graviora a Parochianis plerisque invitis exigere, nec populus, prout debet, verbo aut exemplo instruatur. Nos igitur, qui quamquam immeriti, Ecclesiæ Cameracensis regimini præsidemus, præmissis, ac aliis subditorum nostrorum periculis occurrere, & illorum animarum saluti pro viribus consulere, nec non ut regimen & cura animarum per antedictos Vicecuratos decenter

(y) *Vide supra pag.* 706.
(z) C. *Licet.* De Præbend. & Dignit. Extra.

center geratur, efficere cupientes, Statuimus, ut nemo deinceps, qui verus Rector Parochialis Ecclesiæ non fuerit, ad hujusmodi Ecclesiæ deservituram in nostra Diœcesi Cameracensi admittatur, nec ad illam quovis modo idoneus censeatur; nisi qui Nobis, seu nostris, ad hoc specialiter deputatis, Vicariis legitime præsentatus, præmisso super illius vita & moribus examine rigoroso, per Nos, aut per illos, ad hujusmodi onus gerendum probatus fuerit idoneus & admissus: non minus etiam ordinantes, ut is sic admissus nullatenus hujusmodi deservituram exerceat, seu se administrationi Ecclesiæ, seu curæ animarum immisceat, nisi prius coram Nobis, vel nostris, ut supra, Vicariis in persona constitutus, juramentum solemne præstiterit, ac eo medio specificaverit, declaraverit, & dixerit, quid, ac quantum principali Rectori de fructibus Ecclesiæ fuerit annuatim persoluturus, seu pro quanto cum illo convenerit, & ei dare promiserit, seu id in pecunia, seu in aliis quibuscumque rebus constiterit, omnibus fraude, dolo, ac subtili ingenio, quominus id pateret, seclusis. Ut autem plenius nobis constet, quis modus in regimine Ecclesiarum Parochialium, & cura animarum per antedictos Vicecuratos observetur, & si illis laudabiliter in Divinis deserviant; ordinamus, statuimus, & volumus, ut iidem Vicecurati de cætero singulis annis semel ante Nativitatem Joannis, Nobis, aut nostris Vicariis in propria præsententur, utque toties literas præsentationis & admissionis de novo recipiant, seu renovent: quod volumus per singulos districtius observari. Contemptores vero, si qui (quod absit) reperti fuerint, ut in eo, in quo deliquerint, puniantur, volumus ad curam animarum gerendam censeri perpetuo inhabiles, & alias mulctas & pœnas, quas illis arbitrati fuerimus imponendas, incurrere. (*Syn.* 1481.)

Nullus Quæstorum ambonem ascendat.

Item, quia ex frequenti fide dignorum relatu didicimus, Quæstores nonnullos, quibus de jure dumtaxat concessum est, indulgentias suis locis concessas insinuare populo, & charitativa ab eodem simpliciter postulare subsidia, nec aliud exponere, quam quod in eorum literis habeatur, in tantam prorupisse audaciam ac temeritatem; ut ambonem frequenter ascendere præsumpserint, & ibi quamplurima, ut simplices decipiant, & aurum subtili ingenio extorqueant, exponere; quibus (cum in animarum cedant pericula, & scandala plurimorum) viam præcludere cupientes, Statuimus, ut nullus Quæstorum hujusmodi, nisi qui Presbyter sit, & licentiam a Nobis specialem habuerit, ambonem de cætero ascendere præsumat, nec ibi, aut alibi in suis insinuationibus alia populo dicat, aut exponat, quam ea, quæ in suis literis eisdem concessis continentur. Si quis autem his contraire præsumpserit, illum gravi pœna pro arbitrio nostro puniemus. (*ibid.*)

Nullus beneficiatorum pecunias, ex redemptione reddituum sui beneficii provenientes, sine consensu Episcopi recipere præsumat.

Quia etiam, ut plurium relatione didicimus, in nonnullis Diœcesis nostræ partibus consuetudo invaluit, quod Missarum & aliorum officiorum Divinorum fundationes in redditibus annuis perpetuis, tamen redimibilibus, admissæ sunt, & frequenter admittuntur, quodque, dum redemptionis casus occurrit, is, qui Capellaniam aut beneficium, seu officium obtinet, pecuniam ex redemptione obvenientem recipere præsumit: ita, ut raro constare valeat, in quos usus pecunia hujusmodi convertatur: quo fit, ut sæpius officia Divina & Missæ minuantur, & animarum debita suffragia subtrahantur. Qua propter statuimus & ordinamus, ut de cætero nullus dictorum Capellanorum aut officiatorum, per se præsumat pecuniam ex hujusmodi redemptione provenientem recipere: sed id Nobis, aut Vicario nostro significet, ut nostro consilio eadem pecunia ad Divinum & alias opportunum & licitum opus quam citissime expendatur. Contrarium facientes, a Divinis eo ipso suspendimus. (*a*) (*ibid.*)

Decanis inhibetur cognitio concubinariorum.

Præcipimus statutum per bonæ memoriæ quondam Reverendum in Christo Patrem, Dominum Petrum de Aillyaco, Dei gratia, Episcopum Cameracensem, Prædecessorem nostrum, contra Presbyteros

(*a*) Suspensio reservata.

teros conbubinarios ordinatum (b) firmiter observari: Inhibentes Decanis nostris Christianitatum, ne deinceps de incontinentiis dictorum concubinariorum cognoscant, sed absque simulatione nobis illos referant. (*ibid.*)

(b) *Vide Statutum istud supra pag.* 708.

Moderationes, Additiones, & Correctiones dictorum antiquorum Statutorum Synodalium,

Per Reverendissimum & Illustrissimum Dominum ROBERTUM, Episcopum & Ducem Cameracensem, authoritate Synodi, die octava mensis Octobris, anno MDL. factæ.

§. 1.

IN primis, in Titulo: *De pertinentibus ad Synodum*, Statuto incipienti: Primo legatur commissio, &c. (*Vide supra pag.* 692.) *Addimus in fine:* sub Missa de Sancto Spiritu.

§. 2.

Item, in Titulo: *De Baptismo.* ad Statutum: *Præterea si caput*, &c. (*pag.* 693.) ad verba: infundat aquam benedictam, *addimus:* vel aliam elementarem.

§. 3.

Item (*in fine tit. De Baptismo pag.* 694.) *addendo:* Statuimus & ordinamus, ut de cætero omnes & singuli nostrarum Civitatis & Diœcesis, Plebani & Curati, seu Vice-Plebani & Vice-Curati, baptizatorum, ac eosdem levantium nomina libro suo inscribere teneantur.

§. 4.

Item, cum sacris Canonibus Religiosis omnibus sit interdictum, ne parvulos in Baptismo suscipiant, passim tamen hi Canones negliguntur, & Religiosi ad parvulorum susceptionem invitantur, unde suspecta nonnunquam nascitur & alitur familiaritas: idcirco omnibus & singulis cujuscumque ordinis Religiosis, districtius susceptionem parvulorum interdicimus & inhibemus.

§. 5.

Item, in titulo: *De Casibus reservatis Episcopo*, ad Statutum ultimum, ante verbum: excommunicatos, (*pag.* 696.) *addimus:* nisi infra mensem parti læsæ satisfecerint, & a Nobis ab homicidio, & violenta membrorum ablatione absolutionem obtinuerint.

§. 6.

Item, ad Statutum ultimum, in titulo: *De Casibus commissis Presbyteris Parochialibus*, post verbum: excommunicatum, (*pag.* 696.) *addimus:* denuntiatum & publicatum.

§. 7.

Item, in titulo: *De Matrimoniis & Sponsalibus*, [*pag.* 703.] pœnam excommunicationis latæ sententiæ tollimus & detrahimus, eamdem in pœnam excommunicationis ferendæ sententiæ, & alias arbitrariam commutando.

§. 8.

Item in Statuto incipiente: *Et si oriundus*, &c. (*pag.* 705.) *loco verborum:* duos solidos Turonenses, *ponimus:* sex stuferos monetæ currentis. Et idem similiter in Statuto subsequenti, loco verborum: tres solidos Turonenses monetæ fortis, *ponimus:* sex stuferos monetæ prætactæ.

§. 9.

Item Statuto incipienti: *Quia ut intelleximus*, (*pag.* 706.) in fine, sub verba: qui vero contrarium fecerint, *addimus:* nisi infra quadraginta dies ad consortium mutuum redierint, vel actionem divortii intentaverint.

§. 10.

Item, (*ad eund. tit. De Matr. & Sponsal.*) quia nonnulli Curati & Vicecurati, proprio magis quæstui, quam Sanctæ Ma-

tris Ecclesiæ decori studentes; Matrimonia cum ea, qua decet, reverentia & honore celebrare, bannorumque matrimonialium proclamationes palam & publice in facie Ecclesiæ, juxta antiquum ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ ritum facere non curant; sed nonnunquam illas voce minus intelligibili, aliquando seorsum, ac ubi, & quando pauci, vel nulli præsentes existunt, facere præsumunt: adeo, quod proclamationes hujusmodi apud paucos admodum, vel nullos innotescere possunt; idcirco matura desuper præhabita deliberatione, authoritate Synodi, statuimus & ordinamus, & nihilominus omnibus & singulis Curatis & Vicecuratis, aliisque Presbyteris nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, expresse interdicimus & inhibemus, ne matrimonia inter aliquos celebrare præsumant, nisi de trium bannorum proclamationibus, pro parte utriusque contrahentium, in Ecclesia, vel Ecclesiis loci, seu locorum, ubi annos nubiles contraxerint, statim finito sermone, vel tempore summæ Missæ in ambone, seu suggestu, ac facie Ecclesiæ, rite & debite satis sibi constiterit. (*Addit.* 15. *Mart.* 1546.)

§. 11.

Item, (*ad eund. tit.*) eisdem Curatis & Vice-Curatis, aliisque Presbyteris, districte præcipimus & mandamus, ne ante sextam horam meridiei matrimonia solemnizare, neve cum ipsis contrahere volentibus, super tempore & solemnitatibus, vel ceremoniis consuetis, in aliquo dispensare præsumant; volentes etiam, quod affidationes, sive sponsalia in facie Ecclesiæ & manu Presbyteri, non autem in loco prophano, aut utroque, vel altero temulento vel ebrio, aut sensuum suorum minus compote existente, cum debitis honore & reverentia celebrentur. (*ibid.*)

§. 12.

Atque [*ad eund. tit.*] ut eo melius dicti Sacramenti conjugii decori, Deo auxiliante, consulere, ac periculis, abusibus, & scandalis multifariis obviare valeamus (prout secundum Deum & justitiam facere tenemur) omnibus & singulis Curatis & Vice-Curatis, aliisque Presbyteris prædictis, & eorum cuilibet districte præcipiendo mandamus, quatenus nomina & cognomina affidatorum, & matrimonium contrahere volentium, una cum designationibus loci, seu locorum, nativitatis & habitationis eorumdem, diligenter inquirere, eaque libro, seu registro (quod penes ipsos Curatos, seu Vice-Curatos, dumtaxat observari volumus) inscribere, atque idipsum Promotoribus, & Decanis nostris Christianitatis, quoties super hoc requisiti fuerint, legendum & inspiciendum ostendere & communicare teneantur. (*ibid.*)

§. 13.

Item in titulo: *De Ordinibus*, Statuto incipienti: Excommunicamus omnes illos, qui illicentiati &c. (*pag.* 706.) *ad verbum:* fecerint, *addimus*: scienter & fraudulenter.

§. 14.

Ad Statutum incipiens: Statuimus, ut habens, &c. (*pag.* 707.) *moderando addimus in fine post verba:* Psalmos pœnitentiales; *vel saltem Psalmum pœnitentialem*, *Miserere mei Deus.* cum Versu: *Dominus Pars.* &c.

§. 15.

Item in titulo: *De vita & honestate Clericorum.* Statutum incipiens: *Virgulatis vestibus* &c. (*pag.* 708.) corrigendo & moderando, *pœnam excommunicationis latæ sententiæ*, in pœnam arbitrariam commutamus.

§. 16.

Item, quoniam non pauci in hac nostra Diœcesi reperiuntur Presbyteri & Clerici, se se Notarios & Tabelliones publicos scribentes & nominantes, quorum persæpe imperitia & inidoneitate, non solum nullitatis, sed etiam falsitatis, aliaque diversa vitia committuntur, propter quæ contrahentes, & interesse habentes, lites, damna, & incommoda sustinere debent; idcirco omnibus & singulis Presbyteris, ac Clericis nostrarum civitatis & Diœcesis Cameracensis, authoritate prædicta interdicimus & inhibemus, ne post præsentium publicationem, nisi prius per Nos, aut Vicarios nostros admissi fuerint, contractus, vel instrumenta aliqua; ut & tamquam Notarii (*a*) publici conficere, aut quovis modo in hac nostra Diœ-

Diœcesi Notariatus officio se ingerere præsumant. (*Addit.* 15. *Mart.* 1546.)

§. 17.

Item primo Statuto, *De executione mandatorum*, &c. (*pag.*719.) loco *denarii Turonensis*, ponimus: & persolvi volumus unum stuferum monetæ currentis.

§. 18.

Item Statutum incipiens: Præterea singuli &c. (*pag.* 726.) *in tit. De Testamentis.* Corrigendo seu moderando, *loco verbi*: innodamus, *ponimus hæc verba*: innodandos decernimus.

§ 19.

Item Statutum incipiens: Sunt autem &c. (*pag.*731.) in titulo: *De Vigiliis*, hæc verba: *Ascensionis Domini* detrahimus, laudabilem loci consuetudinem observari volentes.

§. 20.

Item Statutum incipiens: Item tenentur omnes, &c. (*pag.*731.) moderando, *addimus* ad verbum: *Jejunare*, usque ad prandium, & ab esu carnium abstinere.

§ 21.

Similiter & ad subsequens Statutum, (*pag.*731.) in fine *addi volumus*: usque ad prandium.

Quæ quidem omnia, tamquam juri & æquitati consentanea, vobis omnibus & singulis supra scriptis, & vestrum cuilibet intimamus & insinuamus, ac ad vestrum & cujuslibet vestrum notitiam deduci volumus. Datum in Civitate nostra Cameracensi, Anno, Mense, & Die, antetactis.

JO. DE FONTANIS,
H. DE CLUSIS subscripserunt.

FORMULA REFORMATIONIS,

PER CÆSAREAM MAJESTATEM Statibus Ecclesiasticis in Comitiis Augustanis ad deliberandum proposita, & ab eisdem, ut Paci publicæ consulerent, & per eam Ecclesiarum ac Cleri sui utilitati commodius providerent, probata & recepta Anno Domini M.D.XLVIII.

IN SYNODO CAMERACENSI ANNO MDL. PUBLICATA.

CAROLUS QUINTUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS, AC GERMANIÆ, HISPANIARUM, UTRIUSQUE SICILIÆ, HIERUSALEM, HUNGARIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ &c. REX: ARCHI-DUX AUSTRIÆ, DUX BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ &c. COMES HABSPURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, &c. &c. UNIVERSIS ET SINGULIS NOSTRIS ET SACRI ROMANI IMPERII ELECTORIBUS ET PRINCIPIBUS ECCLESIASTICIS, N. ARCHI-EPISCOPIS, EPISCOPIS, ET ALIIS PRÆLATIS, CUJUSCUMQUE GRADUS, DIGNITATIS, ET PRÆEMINENTIÆ EXISTANT, GRATIAM NOSTRAM ET OMNE BONUM.

VEnerabiles Electores, Principes, & Consanguinei nostri charissimi, ac honorabiles, devoti, dilecti. Gratissimum Nobis fuit, placuisse Dilectionibus vestris, & vobis conceptam Reformationem: ex qua disciplinam Ecclesiasticam, multis partibus deformatam, pristinæ dignitati ac nitori restituere pro virili vestra statuistis, cupientes ea parte solicitudinis, quam suscepistis e manu Domini, afflictis Imperii rebus succurrere, & omni studio ac diligentia, collapsam pene Religionem erigere, ac confirmare. Quam vestram voluntatem, egregiam sane ac piam, ut perspectam ante habuimus, & nunc libenter agnoscimus, ita quoque dein-

ceps in ipsa rerum administratione operam vestram futuram strenuam, ac diligentem Nobis pollicemur. Ideoque ne pius hic exercendæ Reformationis calor longa temporis dilatione refrigeretur, valde Nobis probatur, quod in hoc ipsum de celebrandis Synodis Diœcesanis, ad festum Divi Martini diem proximum constituistis. Nam Provinciales, ut ante Quadragesimam omnes absolvantur, videtur omnino necessarium; quod erit facile iis, quibus Provinciæ non sunt amplæ: iis vero, quorum Provinciæ latius patent, non ita difficile, si Suffraganei, & quos convenit interesse, in tempore admoneantur, & convocentur. Eam vero moderationem, quam quibusdam locis adhibendam esse censuistis, quæ jam ipsi Reformationi apposita est, Nobis quoque est visum, & rerum ipsarum conditioni, & temporibus his convenire. Quod vero petitis, ut literis nostris agamus cum Summo Pontifice, ut se ad progressum hujus operis sancti ac necessarii aliquot Reformationis locis accommodet, illis videlicet, ut Coadjutores, qui examine explorati indigni deprehendentur, summoveri possint: ut Beneficiorum, & Episcopatuum pluralitas refrænetur; ut Præpositura, & aliæ quædam dignitates, Sedi Apostolicæ reservatæ, ad articulum illum Reformationis revocentur, qui statuit nonnisi idoneos, & examine probatos, ad ejusmodi dignitates esse admittendos: ut locorum Ordinarii corruptos mores reformare, & excessus corrigere possint, non obstante exemptione, aut privatis personis, aut Capitulis Ecclesiarum, per Sedem Apostolicam concessa: aliisque nonnullis; Nos quidem, quo ad nostra fieri poterit, diligenter agemus cum ipsius Sanctitate, ut in re tam justa, & necessaria, officio suo defungi velit. Datæ in Civitate nostra Imperiali Augusta Vindelica, die nono mensis Julii, anno a Nativitate Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, Imperii nostri vigesimo octavo, & Regnorum nostrorum trigesimo tertio.

CAROLUS.

Ad Mandatum Cæsareæ & Catholicæ Majestatis proprium.

Vt. A. PERRENOT.

Jo. Obernburger subsst.

FORMULA (*) REFORMATIONIS,

PER CÆSAREAM MAJESTATEM Statibus Ecclesiasticis in Comitiis Augustanis ad deliberandum exhibita, & ab eisdem probata & recepta.

UT abusus & scandala, propter quæ Deus iratus severiter adeo Ecclesiam suam castigat, tollantur, reformenturque Clerus & populus juxta sacras Canones, traditiones Majorum, & sacræ Scripturæ normam, (quantum ejus per hanc tempestatem fieri potest) donec Concilium Generale dissidiis, & abusibus modum ponat, in primis necessarium est, ut redintegretur, repurgeturque ordo Ecclesiasticus: quo confuso, indiscreto & incerto, tota Ecclesiæ facies confusa est, & variis jactatur modis. (*a*)

De ordinatione & electione Ministrorum Ecclesiæ.

TITULUS PRIMUS.

PRiusquam (*b*) admoveatur aliquis sacris Ordinibus, diligenter inqui-

(*) Eadem Formula Reformationis anno 1559. post Caroli V. obitum Augustanis itidem in Comitiis, sub Ferdinando Imp. denuo revisa, & paucis quibusdam adjectionibus aucta fuit, eodemque anno typis Moguntinis, ex ipsius Ferdinandi Imp. privilegio, excusa. Nactus sum hujus editionis exemplar e Bibliotheca Collegii nostri Trevirensis, cum quo Formulam antiquiorem anni 1549. Cameracensi huic Synodo adjectam, diligenter contuli: & quæ posteriori editioni addita, cæteraque, quæ in hac variata inveni, subjectis in notis designavi.

(*a*) *Huic Præfationi in posteriore editione adnectitur:*
Ecclesiarum vero incolumitatem, adeoque totam populi Christiani salutem a qualitate Ministrorum, quibus Ecclesiarum gubernatio, & Divinorum munerum dispensatio concredita est, ex magna parte pendere, nemo sapiens inficiari potest: ut si boni, & idonei Ministri Ecclesiis præsint, Religionis status incolumis perseveret, & Christiani

inquirendum eſt de fide, de moribus, de ſcientia, & ætate ordines petentis.

De fide (c) quidem propterea, quod qui rectam fidem non tenet, ad fidei Sacramenta jure admitti non debet. Itaque diligenter ordinandus examinari debet, de hæreſibus, hoc potiſſimum tempore jactatis, an in articulis, hac tempeſtate controverſis, hoc ſinceriter credat, profiteatur, & ſemper retinere velit, quod Romana, Catholica & Apoſtolica tenet Eccleſia. Nam de ſepultis hæreſibus, & nuſquam emergentibus, inquirere ſpecialiter operæ pretium non videtur. Expedit tamen ſimul explorare affectum, quo ducatur ad gradus Eccleſiaſticorum ordinum petendos, &, an propoſitum ejus pium, ſanctum, & firmum ſit.

Mores autem conſtare, & probari debent, fideli, ac certo teſtimonio Parochi, Præceptorum, & proborum virorum, apud quos majorem vitæ partem ordinandus exegit: cum Beatus Apoſtolus requirat, (d) ut habeat teſtimonium bonum ab eis etiam, qui foris ſunt, & ſit ſine crimine, irreprehenſibilis, juſtus, ſanctus, ſobrius, continens, pudicus, prudens, modeſtus, benignus, ornatus, non ſuperbus, non litigioſus, non iracundus, aut percuſſor, nec vinolentus, aut turpis lucri cupidus &c.

Scientia, (e) ſaltem explendis miniſteriis, ad quæ ordinatur, ſufficiens, conſtare debet, non titulis, quos mercatus ſit quiſpiam in Gymnaſiis, aut ab aliis dignitatum & titulorum venditoribus, ſed diligenti ejus examinatione.

Licet (f) autem Canones antiqui ſtatuerint, ut ante trigeſimum ætatis annum, nemo in Epiſcopum vel Presbyterum ordinetur: miniſtrorum (g) tamen inopia, poſt tam latam hujus ordinis ſtragem, hodie poſtulat, ut qui alioqui dignus eſt, in anno vigeſimo quinto, ab hoc ordine non repellatur.

In his omnibus ſolerti cura advigilare debent Epiſcopi. Nam ad illos præcipue pertinet ordinandorum examinatio, dicente Apoſtolo: *Manus (h) nemini cito impoſueris.* Aut ſi per valetudinem, & cauſas, Deo Judice (cui ſunt ordinationum ſuarum daturi rationem) dignas id nequeant, curent ſaltem, per idoneos Vicarios, & viros pios, ſacrarumque literarum, Canonum, & traditionum Eccleſiaſticarum peritos fieri: ne ſpectacula tantum inquiſitionum

ſtiani gregis ſalus, in tuto permaneat: ſi mali, & negligentes, mox univerſa morum corruptela populos occupet, & malis omnibus agminatim in Eccleſias irruentibus, tranquillitas earum periculoſe perturbetur. Ut autem utiles & idoneos Miniſtros Eccleſiæ ſortiantur, duabus maxime viis provideri poteſt: accurata videlicet Miniſtrorum ordinatione & inſtitutione, & crebra, eaque diligenti per Diœceſes viſitatione: circa quas res præcipua Epiſcoporum cura invigilare debet, ut in quibus potiſſima muneris Epiſcopalis ratio conſiſtit.

(b) *In Formula anni* 1559. *additur:* autem.

(c) Ex Conc. XI. Tolet. c. 10. (d) 1. Timoth. 3.

(e) In Conc. Rom. ſub Hilar. PP. c. 3.

(f) *In Formula anni* 1559. *inſeritur hic* §.

Siquidem Epiſcopi meminerint, inſcitiam in laicis vix tolerabilem, in iis vero, qui præſunt, nec excuſatione, nec venia dignam eſſe: & Domini ſevera denuntiatione a Sacerdotio repellendum, qui a ſe ſcientiam repulerit. Ideoque de eruditione & doctrina ordinandorum, non perfunctorie & frigide, ſed ſolicite, diligenter & curioſe diſquirant & explorent. Et in his præſertim, qui ad Prælaturas, & dignitates, quique ad animarum curam provehendi ſunt, non qualicunque doctrina contenti ſint, ſed inprimis Divinorum eloquiorum (quæ Sacerdotii ſubſtantia ſunt) & Scripturarum Veteris, ac novi Teſtamenti: ſimiliter & Eccleſiaſticorum Canonum ſcientiam expoſcant. Ignaros, & indoctos nequaquam ad Ordines admittant, memores, ignorantiam in Sacerdotibus, cunctorum errorum eſſe matrem, & hactenus inſcitiam Sacerdotum, multis & maximis malis in Eccleſia cauſam præbuiſſe: & hos demum, a Deo ſciri & probari, qui, quæ Dei ſunt, ſapiunt, & qui ignorant, ignorari, ac rejici.

(g) In Conc. Neo-Cæſar. can. 11. *Rigorem Canonum de ætate ordinandorum temperat neceſſitas.* Gelaſ. in Epiſt. Decret. ad Epiſcopos Lucanos, Brutios, & Siculos.

(h) 1. Timoth. 5.

num edantur, aut teſtimonia ſubornentur non legitima, nec idonea: aut ſuperficialis tantum, & perfunctoria fiat examinatio; ſed diligens, & ſeria, cum proclamatione præcedente ad plebem Parochiæ, ubi ordinandus habitat, ſi commode fieri poſſit, nullusque ſit ab examine illo liber. (i)

Ad Epiſcopatum (k) nemo aſſumi debet, niſi ſit Sacerdos, aut promittat, ſe velle gradus, quos nondum habet, omnes in proximis ordinationibus, absque fraude, dilatione, aut tergiverſatione ſuſcipere.

Ad Prælaturas ſoli digni, atque idonei deſignandi ſunt, & admittendi. (l) Qui idonei ſint, examinatio probabit, ſi tales inveniantur, ut eorum comparatione, illi, quibus præficiuntur, grex merito dicantur.

Ad Eccleſias Parochiales nemo provehatur, niſi ſciat, & velit populum docere, & Verbum Dei pro captu ſuorum prædicare.

Epiſcopi & Archidiaconi deſignatos, ſive per electionem, ſive per collationem, (m) non prius inveſtiant, nec ad Eccleſiæ munera ſubeunda admittant, quam exploratum ipſis diligenti examine ſit, eos eſſe idoneos, & vocationi ſuæ pro virilibus ſe ſatis facturos polliceantur.

(n) Nulla pro examinatione exigatur pecunia, cum ad hæc tam neceſſaria officia habeant Epiſcopi, & ad quos examinatio pertinet, ampla ſatis ſtipendia.

In eis quoque, qui ad Eccleſiaſticas dignitates, curas, vel Beneficia per Coadjutorias, aut reſignationes contendunt, eadem cura, quæ in electione & collatione exigitur, eſt adhibenda: nec recipiendi, aut admittendi ſunt hujusmodi homines, niſi examinatione præſcripta comprobentur idonei, quales ſi non fuerint, qualecumque ſit reſignatum illud beneficium, vacabit, & adſciſcendus erit alius in rejecti locum. (o)

De

(i) *Ordinatos indignos absque examine Eccleſia abjicit.* Vide *Can.* 9. Conc. Nicæni, & eundem allegatum in Conc. Carthaginenſi VI. *Can.* 9.

(k) Diſt. 60. *Nullus in Epiſcopum.* Ibid. *Nullus in Præpoſitum.*

(l) *In Formula anni* 1559. *hæc ſequuntur*: Quanto enim major negotiorum, & curarum cumulus his incumbit, qui ad Prælaturas, & dignitates, aut ad animarum curam, aliaque potiora officia vocantur; tanto accuratiore cenſura, mores horum, & vita, & eruditio diſcutienda, & vires eorum diligenter explorandæ ſunt, num his oneribus, quæ illis imponuntur, pares eſſe valeant. Præcipue vero, cum his, qui ad Eccleſiarum Prælaturas provehuntur, & in dignitatibus, velut excellentiore loco ponuntur, ab inferioribus honorem, & obedientiam exhiberi debere, omnes Eccleſiaſticæ Conſtitutiones jubeant: utique tali eos virtute, doctrina, prudentia præditos eſſe convenit, ut honorem hunc mereri videantur, & cæteri, ipſorum comparatione, gregem ſe merito dici, reverenter agnoſcant.

(m) *In Formula anni* 1559. *additur*: Præſentationem, aut quocunque alio modo.

(n) *Adjiciuntur ſequentia*: Præcaveant etiam & Eccleſiaſtici, & Laici, beneficiorum collatores, ne in conferendis beneficiis Eccleſiaſticis, depravatis ducti affectibus, nulla rectæ rationis judicii habita ratione, abducantur: aliqua vel propinquitatis, aut conſanguinitatis conſideratione, aut ullius alterius meriti, ſeu officii commendatione, ut aliis, quam dignis & idoneis, Eccleſiaſtica beneficia conferant. Inprimis vero caveant, ne præmiis, vel acceptis, vel promiſſis ineſcati, per turpem illam Eccleſiaſticorum beneficiorum venalitatem, Domini iram incurrant, qui flagelli verberibus ementes & vendentes e templo exigendos exiſtimavit. Quin etiam in Reſignationibus, & permutationibus diligens fiat inquiſitio, etiam exacto juramento, an fraus, vel dolus aliquis Simoniacus, inque permutationibus hujusmodi ſimulatus, aut fictus titulus intervenerit. Si compertum fuerit, uterque pro delicti qualitate puniantur: eodem loco habeantur penſiones illegitime aſſignatæ. Hæc, & id genus alia, in publicis Synodis detegenda ſunt, & ſevera Prælatorum animadverſione punienda.

(o) *Additur ibidem*: pia doctrina & docta pietate inſignis.

De Ordinum Ecclesiasticorum officiis.

TITULUS SECUNDUS.

(*p*) CUm duplex sit potestas, una Ecclesiastica, altera temporalis, quæ longo distant intervallo, Episcoporum Germaniæ pars maxima, præter Ecclesiasticam, etiam temporali præditi sunt. Est autem præposterum, & vocatione eorum indignum, res temporales spiritualibus præferre, & rebus sæcularibus sedulo intentos, eos Principes tantum agere, curam vero Ecclesiasticam omnem rejicere in Vicarios, dicentibus Apostolis: *Non est* (q) *æquum, nos relinquere Verbum Dei, & ministrare mensis.* Ita ergo eis vita instituenda est, ut appareat, eos Episcopos potius, quam Principes esse, & Cœlum potius, quam mundum hunc cogitare. (*r*)

Est autem proprium Episcopi officium, regere Ecclesiam Dei,(*s*) quam sibi Christus acquisivit sanguine suo: ad quod pertinet, pascere oves ejus cibo Verbi Dei, Sacramentis & exemplis, confirmare baptizatos, examinare & ordinare Ecclesiæ Ministros, Synodos celebrare, visitare suam provinciam, & lupos ab ea abarcere. Quæ, si fidelis & bonus Pastor est, per se potius, quam per Vicarios, quantumvis pios & doctos, pro ædificatione Cleri & populi sui obibit, nisi aliqua legitima causa impediatur.

Debet igitur omnium ovium suarum habere curam, sed præcipue Cooperariorum, per quos regit oves, & dispicere, ut suum quisque munus fideliter in Ecclesia exequatur. Etsi enim omnes oves nosse, supra naturæ vires sit; Compastores tamen, & in opere Dei Coadjutores suos, ut cognoscat, est opus: ut sciat, quomodo præsint, quid doceant, quomodo vivant: ædificent, an corrumpant gregem. Ex iis enim pendet disciplina & salus populi. Sic poterit desides & torpentes arguere, inutiles removere, & corruptores, perniciosos, & scandalosos etiam plectere.

Pertinet quoque ad Episcopum, solicite invigilare, ne lupi gregem invadant: quibus se se objicere pro grege fortiter & strenue debet, eosque abigere ac persequi: nec ferre, ut doctrinis novis & peregrinis, aut per dulces sermones corrumpantur, atque a veritate abducantur oves, pro quibus Christo daturus est rationem.

Archidiacones, quos alii Chorepiscopos, alii Presbyteros, alii Decanos appellant rurales, quocunque censeantur nomine, in partem solicitudinis constituti sunt & vocati; ut certæ regiunculæ Pastoribus, seu Parochis, ne in officio negligentes sint, superintendant. Horum est, Synodis Episcopalibus interesse, referre & exponere illic suæ portiunculæ statum, & una cum Patribus consulere, ac decernere Synodalia decreta & sententias, placita quoque Episcoporum publicare curæ suæ Parochis, & exequi: & præter Confirmationem & Ordinationem, & propria solius Episcopi munera, ea omnia præstare in suo territorio, quæ in Diœcesi Episcopus, cujus sunt oculi: solicite invigilantes; ut si quid adversus fidem, pietatemque Christianam emergat, Episcopo idipsum, ad quem cura prima pertinet, significent. (*t*)

Parochi dispensatores sunt Verbi Dei, & Sacramentorum: qui ut fideles inveniantur, debent frequenter populum de his, quæ ad fidem & religionem nostram pertinent, docere, eosque instruere, ut norint, quid credere, & quomodo conversari & vivere in sua quisque vocatione debeat. Administrare quoque debent Sacramenta, & eorum gratiam mysticam exponere: arguere eos, quorum publica

(*p*) *Hæc præmittuntur:* Quum in Ecclesia ex veterum Patrum institutione diversi sint gradus ministrantium; tunc salvus & felix Ecclesiarum status fuerit, si singuli, quod nomine præ se ferunt, id re ipsa præstare sedulo contenderint.
Et cum duplex sit potestas. &c.

(*q*) *Act.* 6. (*r*) *Ex Conc.* 4. *Carthag. can.* 15. (*s*) *Act.* 20.

(*t*) *Ex Epist. decret. Leon. ad German. & Galliæ Episcopos. De Chor-Episcopis.*

lica ſunt peccata, publice: occulte vero delinquentes, in privata confeſſione: & in omnibus ſe non ſegnes aut cæcos ſpeculatores exhibere; ne ſint velut canes muti, non valentes latrare: ſed quaſi tuba, annuntient populo peccata, & ad converſionem & pœnitentiam eos adducant. Incorrigibiles vero & præfractos referre debent ad majores, vel publica ſatisfactione curandos, vel ab Eccleſia proſcindendos.

Debent quoque Parochi parvulos, (quæ eſt pulchra Eccleſiæ portio, & apta diſciplinæ pietatis) non negligere; ſed eos, ac rudes quosque ſuæ Parochiæ, certis temporibus inſtruere, & catechizare, ut diſcant Symbolum, Precationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Decalogi Præcepta: aut certe habere Sacellanum, aut pædagogum, per quos officia iſta minora præſtent. Ut vero totam curam in mercenarios rejiciant, Canones non permittunt.

De Officio Decani & Canonicorum.

TITULUS TERTIUS.

IN (*u*) Collegiis, ubi diverſi ſunt miniſtrantium gradus & ordines, Decanorum eſt, exemplo ſuo præcedere, verbo monere, & provocare Collegii ſui Clericos & familiam, ut ſuæ quisque functioni gnaviter incumbat, & eo, ad quem deſtinatus eſt loco, miniſtret in Divinis & Collegii rebus. Neque enim, ut torpentes vacent, ſed ut muneri ſuo ſatisfaciant, & vitam ducant appellatione ſua dignam, conſtat Clericos ordinari. Debet itaque Decanus continere Clericos, in decenti & ordinata officii Divini perſolutione, in vitæ & morum honeſtate, in religioſo habitu, diſciplina, in lectione & ſtudio Sacræ Scripturæ, quo Pſalmodiæ, preces, officia Divina & ceremoniæ, ſtatis horis, ad laudem Dei, & populi ædificationem, ſecundum inſtituta Patrum, digna majeſtate perſolvantur. (*x*) Inobedientes vero, & ebrioſos, luxui indulgentes, aleatores, percuſſores, ſcortatores, & officium negligentes, publice arguere, ſeveriter corripere, ſacris abarcere, mulctare etiam proventu, & diſtributionibus, pro exceſſuum gravitate, juxta poteſtatem, qua de jure (*) & conſuetudine Eccleſiarum funguntur. (*y*)

Scholaſticorum eſt, docere indoctos, eosque in his, quæ ad pietatem, & cultum Dei pertinent, erudire, aut curam hanc procurare: Præſertim vero, juventutem regere, eisque idoneos, ac probos præficere Pædagogos.

Sint Scholaſtici viri graves, qui juventutem, Eccleſiæ miniſteriis deſtinatam, in poteſtate habeant, & curent, ut

(*u*) *In Formula anni* 1559. *ſic legitur*: In Collegiis quidem diverſi ſunt miniſtrantium gradus, & ordines. Cum autem Archi-Diaconatus Eccleſiarum Præpoſituris adjunctus ſit; cogitet Præpoſitus, ſe oculum eſſe Epiſcopi: Utque diligentius gregi ſibi commiſſo jus dicat, atque Synodos, ſtatutis temporibus, ita celebret, ut non nuda ſint ſpectacula & commeſſationes; ſed Eccleſiæ utiles, & Clerum atque populum a vitiis reducant, ad pietatem vero & virtutem excitent. Quod vero ad Oeconomiam Eccleſiæ (quod illius proprium munus eſt) attinet, in eam etiam ipſam vigili cura diligenter incumbat. Decanorum eſt, exemplo ſuo &c.

(*x*) *Hæc adduntur:* Et ne uſpiam per Eccleſias beneficia debitis officiis, atque obſequiis defraudentur; omnibus beneficiorum poſſeſſoribus injungere debet, ſub amiſſione beneficiorum, ut quilibet ordines, quos ſuum beneficium requirit, ſi nondum habet, proximis temporibus a jure ſtatutis recipiat, ac obſequium, quod quisque pro officii ſui exigentia, Eccleſiæ debet, cum res poſtulat, per ſe præſtare poſſit. Inobedientes vero &c.

(*) *Ex Conc. Lateran. IV. Can.* 7.

(*y*) *Sequitur*: Dabunt etiam operam Decani, ne ſine neceſſaria & rationabili cauſa, Capitula ſub Divinis congregentur; ne hinc occaſionem ſumant perſonæ Eccleſiaſticæ, Divinum cultum deſerendi, cum non immerito DEI cauſa temporalibus omnibus negotiis præponenda ſit. Cætera Decani juxta Eccleſiarum ſuarum Statuta, & muneris ſui rationem diligenter exequantur, undique providentes, ne quid perperam, aut inordinate fiat. Eodem modo Theſaurarii, ſeu Cuſtodes, aliique functionibus præfecti, officiis ſuis, ſecundum Majorum inſtitutionem, & Eccleſiæ Statuta, intenti ſint, quatenus & DEO, & hominibus, muneris ſui rationem approbare poſſint. Scholaſticorum eſt &c.

ut sub eorum disciplina, doctrina, pietate, & morum honestate imbuantur: & caveant, ne emancipent, aut ad capitula tales præsentent, quos propria vitia rejiciunt.

Sic Cantorum est, modum dare eis, quæ in Choro canuntur, ac intonare: Sic Thesaurarii, sic Succentores, sic Vicarii, & reliqui ministri omnes; debent suo quisque loco, quod eis ex nomine, vel officio, vel Præsidentium mandato incumbit, diligenter obire, quo decenter ac ordinate omnia fiant inter eos.

Canonici (z) omnes debent in his, quæ ad cultum Divinum, observationem Canonum, & mores bonos pertinent, Decano suo humiliter obedire: Divinis omnibus interesse, modestia, gravitate, pietate, eleemosynis & bonis exemplis populum ædificare. Non deambulare in Templo Divinorum tempore, nec confabulari: oculos habere pudicos, incessum minime fastuosum; Ecclesiasticum officium, cujus gratia beneficium percipiunt, ultro, prompte, & reverenter persolvere, ac adimplere: (a) ut, dum ore canunt, cantent & mente: & ita, ne videantur tanquam conducti mercenarii trahi, & pecuniæ potius, quam Deo servire, & magnarum distributionum tempora anxie, minorum negligenter observare, ac si stipendium præcedere officium debeat, & non potius sequi.

(b) Quo vero doctis, & claris viris Collegia ornentur, & vigeant; Decanus & Collegium studiosos aliquos, qui spem de se bonam præbent, debent mittere ad Academias, & Universitates celebres & Catholicas, ac studiis eorum dare sufficiens tempus: ac interim eos habere pro præsentibus in Collegio, aut sane, quantum pro victu & libris eis sufficiat, suppeditare. Qua in re si negligentes fuerint, poterunt, Episcopi authoritate, ad hoc compelli. Curent tamen Ecclesiarum Prælati, de iis, qui studiorum causa absunt, diligenter cognoscere. Et si compererint eos negligentes, aut perversis moribus deditos, sumptus antea dari consuetos, eis subtrahant, & in alios melioris spei juvenes eosdem transferant. (c)

De Horis Canonicis & Psalmodiis.

TITULUS QUARTUS.

In cultu Divino post Missæ Sacrificium in Ecclesia primas tenent preces Canonicæ, in horas septem distributæ: ad quarum observantiam, qui majoribus ordinum gradibus sunt initiati, seu de beneficiis gaudent Ecclesiæ, præcipue obligantur, quo preces, (d) laudes, & gratiarum actiones Deo pro Ecclesia, cujus sunt ministri, cum gravitate & decentia modulentur atque persolvant, & in lege ejus nocte dieque

(z) *Additur:* Canonici, quod vocantur, idem esse velint: ut, cum in muneris sui perfunctione, tum in omni vita sua, ad recti & honesti regulam sese componant. Omnes debent in his, quæ ad cultum &c.

(a) *Additur:* Nec est, quod quasi vile, aut se se indignum existiment, Divinis semper adesse, alios psallentes adjuvare, &, quæ sui officii sunt, per se præstare. Si enim generis claritatem non obfuscat, ex bonis Ecclesiæ vitam sustentare; nec illud vile, aut magnis natalibus indignum videri debet. Et dum ore cantant, canant & mente &c.

(b) *Inseritur hic Paragraphus:* In quibusdam Ecclesiis abusus obrepsit, ut Vicarii a psalmodia & horarum decantatione immunes esse velint: qui per Prælatos admonendi sunt, ut sint memores, ad fructuum Ecclesiasticorum perceptionem, propter officii exhibitionem se se admissos esse. Itaque nisi omnibus Divinis intersint Vicarii, non solum distributionibus eos carere, (*Supple:* oportet, *vel quid simile.*) sed in totum omni emolumento beneficiorum, pro excessus qualitate priventur; nisi inevitabilis necessitas, aut justa causa, quæ Decano probabitur, eos excusaverit.

(c) *Additur:* Ii vero, qui sic ad Studia mittuntur, Capitulis suis sufficientem cautionem præstare debent, se se in ordine Clericali permansuros esse. Quod si mutato proposito, ab ordine Ecclesiastico resilierint, & ad Matrimonia, seu negotia sæcularia se transtulerint, ad restitutionem omnium fructuum, aut sumptuum Ecclesiasticorum, quos sic perceperint, teneri, & omnino compelli debent.

(d) *De Celebrat. Missarum Can.* Presbyter.

que versentur. Ideo enim de altari edunt, & participant, quia altari serviunt. Præposterum est autem, & tam naturæ, quam dignitati, ac institutioni cultus illius Divini contrarium, velle curam hanc ad postremos tantum ordines, aut conductitios succentores rejicere.

Forma autem cantionum & precum illarum quondam ab antiquæ Ecclesiæ Patribus, & postremo a Beato Gregorio, aliisque Ecclesiæ Rectoribus purior tradita, ordineque præscripta est. Verum ad hanc, temporum vitio, multa inepta, apocrypha, parumque ad sincerum cultum pertinentia, non negamus irrepsisse. Quod ipsum & Breviariis, (quorum usus permissus est propter eos, qui justis impediti negotiis, choro nequeunt interesse) usu venit, quæ operæ pretium erit, ut a viris doctis & piis, (quos Episcopi interim in sua Diœcesi ad hoc dare debeant) emendentur, & reducantur ad puriorem & antiquiorem ritum: nec tamen modus, quem nunc Ecclesiæ in precibus Canonicis servant, mutetur, sed in locum eorum, quæ emendatione indiguerint, meliora & puriora reponantur, quo sancta, authentica, & officio Divino digna sint omnia, quæ horis illis recitantur. (e) Episcopis vero cura hæc relinquenda videtur, ut de hac re diligenter cogitent, si quid forte de Sanctorum historiis in eum usum publicari possit, quo Ecclesiæ Germaniæ interim recte in Lectionibus matutinalibus uterentur, (f) donec ea de re per Concilium Generale statuatur.

Expediret ad hæc, frequentes earumdem precum & Psalmorum in una die repetitiones, memorias item, quæ suffragia vocantur, quibus ad fastidium usque plerisque in locis Sacerdotes gravantur, tollere, quo prolixitas neminem ab illis, quæ secundum feriarum & temporis cursum dicenda erant, deterreat: aut ad ea impellat, quæ de Sanctis, breviore quidem compendio, at fructu nonnunquam minori, dicuntur. Horæ tamen Canonicæ integræ permaneant, sublatis tantum accessionibus quibusdam, quæ minus necessariæ videntur, idque authoritate ordinaria Episcoporum, ita tamen ut voluntates fundatorum (g) firmæ permaneant.

De Monasteriis.

TITULUS QUINTUS.

EO maxime dolendum est, Monasteria multa in Germaniis excisa & eversa, quædam etiam sponte deviasse ab instituto, & vix pauca restare, ut olim, integra: quod Monasteria apud Patres nostros, officinæ erant cultus Divini, & pauperum quædam cellaria, in quibus unius voti ac professionis homines certis horis, die noctuque Deum Psalmodiis & laudibus colebant, horas intercalares, orationi, Lectioni scripturarum sacrarum, meditationibus rerum cœlestium, & aliis studiis piis & honestis dabant, jejuniis se castigabant, & quod supererat, erogabant in pauperes: quibus sane viis ad Evangelicam perfectionem contenditur. Hinc non modo Leges, Canones, & ipsius naturæ Jura, verum etiam tam necessitas publica, quam monastici instituti sanctitas efflagitant, ut reformentur, & quantum fieri potest, reparentur & conserventur.

Igitur Monasteria, cujuscumque sint ordinis, quæ ab institutis suis degenerarunt, debent secundum regulas, quas professi sunt, absque omni personarum respectu, a Visitatoribus suis reformari, & Monachi in obedientia & religione sui

(e) *Additur:* Sunt præterea quidam in Clero, zelum quidem habentes, sed non secundum scientiam, qui privatis quibusdam affectibus ducti, vel testamento, vel (ut vocant) fundationibus efficiunt, ut nova festa, præter Ecclesiæ authoritatem, solenniter subinde celebrentur. Quo interim fit, ut preces horariæ, ac reliqua publice recepta, pro affectu cujuslibet facile noventur, quod piis viris haud probatur. Neque enim errarunt Patres, a quorum institutis tam longe discessum esse vix oportuit. Quod si hic singulorum affectibus indulgebitur, tandem antiquus ritus penitus evanescet. Episcopis vero cura hæc &c.

(f) *Inseritur hæc parenthesis:* & ne ab his, quæ a Patribus statuta, & ab Ecclesia recepta sunt, longius discedatur.

(g) *In Formula anni 1559. additur:* rationabiles.

sui ordinis contineri: (h) repugnantes vero, & reformationis impatientes, sine exceptione, ad eam subeundam cogi. Quod si Visitatores ad hoc non sufficiant, debent Ordinarii, aut Magistratus, vel Principis opem implorare. (i)

Ad hæc debent Monasteria opulenta restaurare apud se intermissa studia, præsertim sacrarum literarum; ut habeant Monachi quotidie lectionem aliquam sacræ Scripturæ illustratricem, qua devotionem suam alant, seque ad pietatem continuam exerceant, & se ad prædicationem Verbi Divini aptos efficiant. Ubi vero pauci sunt Monachi, iidemque inopia laborant, debent nihilominus unum, vel duos mittere ad aliud Provinciæ suæ Monasterium, ubi scholæ restitutæ sunt, qui in literis sacris simul & in Religionis observantia, illic instituantur & proficiant.

Non exerceanrur Monachi rebus profanis, sed in locis, ubi se Deo devoverunt, permaneant, nisi forte ad concionandum, vel sacra peragenda, aut ad aliud Monasterium a suis Prælatis mittantur, aut ad curam animarum, ab Ordinariis locorum evocentur, de consensu Prælatorum suorum: sub quorum obedientia nihilominus manere debent, qui possint eos corrigere & revocare. Sic tamen, ut Prælati ordinum, Episcopis in hac necessitate non desint: tempore vero, quod eis a Divinis & lectionibus reliquum est, semper pii & honesti aliquid agant, ut eos semper inveniat Diabolus occupatos.

Non debent item Monachi, quamvis opulenti, & regalibus dotati munificentiis, otiosos & vanos facere sumptus, nec familiam superfluam, nec equos, ad fastum & pompam potius, quam ad necessitatem, Principum more, nutrire, magisque sæcularem, quam religiosam ducere vitam: sed in humilitate vivere frugaliter, & quæ ultra necessitatem supersunt, in pauperes, & educationem studiosorum, quo possint Ecclesiæ Christi olim usui esse, utiliter expendere: idque cum authoritate Ordinariorum loci, si illis sint subdita Monasteria, aut habeant jus visitandi eadem: in cæteris fiat hoc per eorum Prælatos.

At ubi per hanc tempestatem vel excisa sunt Monasteria, aut exhausta Monachis, & deserta, debent Visitatores initio duos, aut tres bene institutos, ac probæ vitæ Monachos illo mittere, qui monasticen rursus introducant, & quantum fieri poterit, omnia restaurent. (k)

Monialibus, continentiam professis, nequaquam Monasteriorum suorum septa egredi licebit, (l) sed in eis latere debent, ac soli Deo pudicitiæ amatori, cui se consecrarunt, quemque, repudiatis hujus sæculi amatoribus, præoptarunt, se conservare illibatas: nec item patere debet eis virorum conspectus, aut viris permitti, ut Monasterium ingrediantur, nisi inevitabilis necessitas requirat. (m)

Cum non detur autem eis, suasmet res foris procurare, (n) œconomum sibi deligere poterunt fidum, frugalem, & honestum, qui debeat eis, & Visitatori quater in anno, & quoties poscitur, reddere negotiorum suorum rationem. Quod si inutilem eum, aut gravem, vel infidum experiantur, poterunt eo amoto alium surrogare.

Quæ (o) vero continentiæ studium sectantur absque voti professione, &

Bbb bb 3

(h) Ex Conc. Aurelian. I. c. 21. & habetur 18. q. 2.: *Abbates pro humilitate.*
(i) *In eadem Formula subnectitur*: Aut si hac in re negligentes Visitatores fuerint, horum defectum Ordinarii, authoritate Apostolica, sive Ordinaria adimplere teneantur.
(k) *Ibid. hic* §. *subjungitur*: Quin etiam Monachi profugi, per Prælatos suos, summa diligentia inquiri debent, & ad sua quisque Monasteria reduci, & obedientiæ Superiorum suorum subjici: eo tamen moderamine adhibito, ut si qui, ex quacunque causa in apostasiam prolapsi, humiliter suam culpam agnoscentes, redire velint; juxta cujuscunque Ordinis disciplinam, benigne recipiantur, nec eis graviores pœnæ, quam quæ in sacris Canonibus & Regulis Ordinum expressæ sunt, imponantur.
(l) *De Statu Regular. in 6. cap.* Periculoso.
(m) *Ex Concil. Epaonens. Can.* 38.
(n) *In 6. De Statu Regul. d. c.* Periculoso. §. Porro ne Moniales.
(o) *Ex Concil. Mogunt. anni* 813. *Can.* 13.

& vitam in Collegiis ducunt religiosam, quales vocantur Canonissæ; etiamsi non habeant (quam tamen decentissimum esset habere) mensam communem, sed suam quæque peculiarem; debent tamen commune habere dormitorium, ne pudicitiæ insidiatori Sathanæ detur occasio, ad incontinentiam tentandam. Debent quoque a nimis exquisito, & procaci habitu abstinere, nec sæculariter comptis incedere vestibus excultæ; sed in habitu modesto, mundo, & casto: ut sint earum Monasteria scholæ pudicitiæ & virtutum, in quibus filiæ nobilium discant non lascivire, non superbire; sed Deum timere, orare & piis assuescant exercitiis, ac moribus bonis, ubi voluerint, nupturæ in Domino. Talia autem Collegia, sicubi in his virgines ob liberiorem vitam famam suam in periculum adducant, per Superiores & Episcopos reformentur.

De Scholis & Universitatibus.

TITULUS SEXTUS.

SCholæ Seminaria sunt, non Prælatorum tantum & ministrorum Ecclesiæ, verum etiam Magistratuum, & eorum, qui consiliis suis Respublicas gubernant: quæ si negligantur, aut depraventur, necesse erit, & Ecclesias, & Respublicas inde periclitari: propterea de earumdem instauratione magna cura habenda est. (*p*)

Inprimis igitur, ubi extant fundatæ, authoritateque ordinaria probatæ Universitates, seu Academiæ, debent destinata Præceptoribus & Studiosis Beneficia & stipendia, Privilegia item & immunitates, atque exemptiones a vectigalibus, exactionibus, collationibus & oneribus publicis, tam discipulis, quam Præceptoribus, ante omnia tuta conservari: nec ab ullo hominum, quantavis potestate sit præditus, infirmari, infringi, aut alio converti, quam destinata sunt. Quod si Provisores Beneficia huc destinata, in alios contulerint; irrita debet haberi & esse collatio, & qui damnum Universitati intulerint, ad satisfactionem compelli.

Curandum est in singulis Academiis, ut non nisi probati Authores in artibus & disciplinis, auditoribus prælegantur: atque ut Doctores & Magistri, qui doceant juventutem, probi sint, Catholici, & de Religione Christiana bene sentientes.

Ad hæc, qui in numero studentium volunt haberi, & privilegiis Universitatum frui ac gaudere, non debent privilegiis & libertate sua abuti, sed sub obedientia & disciplina vivere Rectoris; qui eos delinquentes, & Statuta prætergredientes, præsertim rixantes, severiter corripere, & pro modo delicti plectere debeat.

Nulla re magis Ecclesiæ, publicæque utilitati consuleretur, quam si Summus Pontifex, & Collatores ordinarii, secundum Concilii Basiliensis placita, Academiis purioribus & incorruptis potestatem facerent, significandi eis subinde viros literatos, ad regendum Ecclesias idoneos, quos ipsi quibuscumque aliis, minus idoneis, in colla-

(*p*) *Adduntur hic rursum sequentia:* Præsertim vero rerum Ecclesiasticarum gubernaculis admoti Antistites, quibus etiam hujus vitæ bene, beateque transigendæ, omnis facultas, ab incolumitate Religionis (quæ sine studiorum auxilio nequaquam durare potest) dependet, ad studiorum conservationem, veluti ad unicum status sui conservandi, & retinendæ dignitatis præsidium, omnes vires suas certatim conferre debent. Quapropter Ecclesiarum Proceres, omni cura, ope, & industria, ubique per universas suas Provincias, studia præcipue generalia instaurare, promovere, & conservare satagant: & hanc Religioni, ac publicæ tranquillitati, perniciosam necessitatem parentibus juventutis adimant, qui alioqui Sanctæ Religioni nostræ bene affecti, tamen, ex neglectu studiorum in locis Catholicis, compelluntur, filios ad alias Universitates, & Scholas ablegare, ubi una cum literis noxias de Religione opiniones hauriunt, quibus infecti, & Patriæ redditi, non tam parentes, quam totam sæpe viciniam depravatis de Religione opinionibus imbuunt. Ad quam perniciem avertendam, omnes boni, quos ulla pietatis ratio tangit, & inprimis Ecclesiastici Proceres, omni conatu incumbere debent, quatenus in hac re saluti ovium, & sanctæ Religionis profectui, & publicæ tranquillitati consulatur.

cóllatione Beneficiorum, & præſertim Parochialium Eccleſiarum præferrent, modo tamen perſonaliter illi non detrectarent reſidere.

Ubi fundatæ non ſunt, debent ſingula Collegia ſecundum Decreta Concilii Lateranenſis, ut parva fuerint, vel magna, ita Scholas parvas, vel magnas apud Collegia erigere: quibus præficiant Magiſtros & Pædagogos incorruptæ vitæ, a quibus tam pietatis Chriſtianæ prima principia, quam rudimenta literarum, incontaminata adhuc, & quorumlibet ſtudiorum capax juventus hauriat: atque ubi multus eſt adoleſcentium numerus, in claſſes dividi poterunt. Debet autem eis prælegi hoc tantum, quod innocentiæ illius ætatis conveniat. Væ enim ei, qui ſcandalizaverit unum puſillorum, qui in me credunt! ait Chriſtus. Idcirco ſedulo curandum, ne prælegantur eis libri obſcœni, ſuſpecti, aut contagioſi, eorum, qui perfidiæ ſuæ virus, religionisque & pietatis odium teneræ juventuti ſuis ſcriptis, quæ per hanc tempeſtatem edidere, inſtillant.

Sed ubi Collegia non ſunt, debent in ſingulis civitatibus eſſe Scholæ, quarum Magiſtri boni, honeſti, & docti ſint.

Præter Pædagogia vero habeatur in Collegiis Theologus, qui certis horis interpretetur Biblia, ac de re Theologica doceat juniores Canonicos, Vicarios, & alia Collegii membra: ubi quisque ad lectionem ſuæ profeſſioni & inſtituto congruentem, tenebitur (q) comparere. Huic vero quomodo, & unde providendum ſit de victu, in Concilio Lateranenſi conſtitutum eſt: ita nimirum, ut unius Præbendæ proventus ei, donec in docendo perſtiterit, aſſignentur, ſi ſufficiant: ſin minus, ut aliunde ſuppleatur, & tantum huic, quantum ſatis ſit, ſuppeditetur.

De Hoſpitalibus Pauperum, infirmorum, & peregrinorum.

TITULUS SEPTIMUS.

SAnctorum Patrum Conſtitutionibus olim ſancitum fuit, ut bonorum Eccleſiaſticorum pars quarta cederet pauperibus. Hinc apud Collegia & Monaſteria antiqua, Hoſpitalia extructa ſunt, quæ nunc paſſim, aut in uſus alios ſunt converſa, aut jacent neglecta, non ſine gravi impietatis piaculo. Veriſimile eſt, cum Eccleſiaſtici, Patres pauperum haberentur, & eſſent, fideliterque bona commiſſa diſpenſarent, Imperatores, Reges, Principes & locupletes homines permotos, ut tam amplis prædiis Epiſcopos, Collegia & Monaſteria ditarint. Debent igitur Epiſcopi, Collegia & Monaſteria, rurſus ædes illas ſicubi collapſæ ſint, inſtaurare: ubi vero extant, conſervare: redditus quoque ad eas deſtinatos, ac olim ſeparatos, de quibus conſtat, in nullum uſum alium convertere. Qui ſi forſan cum cæteris redditibus, & bonis alicubi confuſi ſint, & hodie ignorentur, debet nihilominus ædibus illis, de omnibus ad infirmorum curam pertinentibus, ex ærario communi Monaſterii, vel Collegii ſufficienter provideri, idque pro diſpoſitione Epiſcopi, aut Ordinarii Eccleſiaſtici illius loci.

Sic etiam reliqui ordines, qui Hoſpitalia habent, eadem ſtudeant conſervare.

In ejuscemodi Hoſpitalia recipiendi ſunt viduæ, orphani, & qui vere ſunt pauperes, & ad victum quærendum ſibi non ſufficiunt, & potiſſimum ejus loci, ubi Hoſpitalia illa ſunt conſtituta. Peregrinis vero pro refectione, non inhabitatione, aut in pauperum illorum fraudem, patere debent.

Cæterum, ſicubi Reſpublicæ civitatum, municipiorum, aut Parochiarum, ſuis civibus, aut etiam peregrinis Hoſpitalia conſtruxerunt, quorum ſibi retinuerunt proviſionem ac diſpenſationem; curandum eſt, ut adminiſtratores dent proviſoribus, a communitate delectis, quater in anno rationem: ne & iſta, caſu ſimili, quo illa, pereant, & pauperum res per fraudem diſtrahantur. Superiorum vero omnium inſpectio ad Viſitationem pertinet Epiſcopalem, aut Prælatorum, quibus de conſue-

(q) *Additur:* ſub pœna arbitraria, a Prælatis infligenda,

consuetudine ejus loci cura hæc incumbit. (r)

De Dispensatione Verbi Dei, & officio Ecclesiastæ.

TITULUS OCTAVUS.

Concionandi (s) officium sibi assumere nemo debet, nisi vocatus, & ordinaria Ecclesiastica potestate admissus, dicente Apostolo: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* (*) Pertinet autem officium illud ad Episcopos, & Pastores, quibus animarum cura incumbit. Iis tanquam subsidiarii cooperatores, quatuor mendicantium ordines ad prædicandum Verbum Dei adjuncti sunt. Permissum quoque ipsis est, accire ad hoc Vicarios Sacerdotes, seu Sacellanos, quorum interdum opera utantur. At non temere debent ignotos quosque, aut vagos Sacerdotes, & Monachos, absque Prælatorum suorum testimoniis, seu Formatis, ut vocant Canones, admittere, multo minus suspectos de fide, flagitiosos Sacerdotes, aut Monachos fugitivos, per quos populus eis creditus seduci, aut corrumpi facilius, quam recte doceri potest.

Ad Verbi Dei Doctorem, seu Concionatorem pertinet, ut Evangelium & sacras Scripturas sinceriter tractet & doceat: non secundum sensum, quem prius conceptum ipse ad scripturas attulit; sed juxta sensum & interpretationem Sanctorum & orthodoxorum Patrum. Ita enim nec ipse errabit, nec alios in errorem seducet. Hinc Canones suadent, sanctorum Patrum Homelias, seu Evangeliorum enarrationes in Ecclesia recitari. In anniversariis quoque Sanctorum Martyrum diebus, licebit secundum Africani Concilii Canones, recitare eorum passiones post Evangelia, si tamen certæ sunt, & a fide dignis scriptoribus proditæ.

In Concione nihil prophanum, incertum, fabulosum, aut illo indignum loco adferatur: nihil suspectum, nihil inconstans, nihil, nisi quod tota probat Ecclesia, & a majoribus acceptum est; ut sic forma servetur secundum præceptum Apostoli, sanorum verborum, & doctrinæ sanæ, quibus sancti Patres & Ecclesia Dei, quæ columna est & firmamentum omnis veritatis, consueverunt.

A Quæstionibus item difficilibus & perplexis Ecclesiastes abstineat: non oportet enim ad ingenii & eruditionis ostentationem prædicare; sed utiliter, pro ædificatione populi. Idcirco debet se demittere ad captum auditorum, & nunc catechistam agere, nunc interpretem Scripturarum, nunc vitiorum reprehensorem, nunc Doctorem Mysteriorum, & sapientiam loqui inter perfectos, omnibusque omnia fieri, ad omnes Christo lucrifaciendos.

Nec (t) sit contentiosa declamatio, aut rixosa (contendere enim verbis, inquit Apostolus, ad nihil utile est,

(r) *Additur:* Hic ante omnia curandum est, ut in domibus istis, quæ ad salutem animarum pertinent, minime negligantur, sed apte omnia de Sacramentorum administratione pauperibus, ac debilibus provideatur. Ac ubi corporis infirmitas medicum postulat, ibi prius animæ, deinde corporis medicus accersatur.

(s) *In Formula anni* 1559. *primus hujus Tit.* §. *sic ponitur:* Sicut ovium incolumitas & vita in ubertate & salubritate pascuarum consistit; sic preciosæ hominum animæ salutari Verbi DEI pabulo enutriuntur, & saginantur in vitam æternam. Sed usque adeo plurimi refert, quales hi sint, qui animas pascendi munere perfunguntur. Non enim omnes, qui Pastoris habitum sibi induunt, & ductores gregis sese præbent, ad utilitatem pascunt; sed sub hac specie admissi, luporum, furum, & latronum rabiem in miseras oves exercent. Et dum pascere se simulant; aut dolose furantur, aut crudeliter mactant & perdunt. Quapropter, ut Christi grex, quem sanguine suo precioso redemit, ab his exitiosis pestibus liber & immunis præservetur; ante omnia statuendum est, & ordinandum, ut ad prædicationis munus, & curam animarum procurandam nemo admittatur, nisi rite vocatus, & ordinatus, & missus sit. Omnes vero alii, qui vocationis, & missionis suæ legitimos titulos monstrare non possunt, a prædicationis officio, & cura animarum procul arceantur: quos Apostolus quoque pellendos censet, Quomodo, inquiens, prædicabunt, nisi mittantur? Pertinet autem officium illud ad Episcopos &c.

(*) *Rom.* 10.

(t) *Interponitur hic paragraphus:* Quæ in disceptationem & contentionem revocari possunt, non attingant, nisi data occasione, de iis, secundum sensum receptum & Catho-

eſt, niſi ad ſubverſionem audientium) ſed modeſta, ſobria, ſeria, gravis, nervoſa, qua potens ſit exhortari doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere. Caveat quoque ſcurriliter calumniari, ſcommata & dicteria in alios jacere, ſuum expuere livorem, & ſubſilire: incompoſitis moribus geſticulari, concitare plebem in abſentes, Clerum & Magiſtratum : qui etiamſi reprehenſione dignum aliquid admiſiſſent, non eſt tamen illorum cauſa ad plebis judicium referenda: quin potius contra in omni Concione admonendus eſt populus, ut pro Clero & Magiſtratu orent.

Subinde, quoties locus opportunus incidit, facienda Concionatoribus eſt mentio miſericordiæ, charitatis & bonitatis DEI erga nos; quo dubitantes & anxios, ad bene ſperandum & amandum Deum inflamment : ita tamen, ut etiam juſtitiæ ejus, qua pro benefactis Cœlum, pro malefactis gehennam, & æternum ſupplicium reddit, non obliviſcantur : quo malos a peccatis deterreant, & ad reſipiſcentiam, eleemoſynas, ſatisfactiones, & opera pietatis inducant: ne ſint, quales Pſeudo-Prophetæ, de quibus apud Ezechielem (*tt*) dicitur : Deceperunt populum meum dicentes : Pax, Pax, & non eſt Pax : & ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum absque luto, & absque paleis & temperamento, &c.

Frequenter etiam per hanc emergentium undique hæreſum tempeſtatem confirmandus eſt populus, Catholicæ fidei doctrina, ut ſuppullulantes zizanias vitare queant. Hortandus, ut Verbum Dei attentius audiat : ſed a Catholicis & ſinceris, ne ſub melle Verbi Dei propinet adverſarius ei aconita. Inſtruendus de Sacramentis, & eorum myſteriis; ut eis ſecundum Eccleſiæ traditionem, ad ſalutem ſuam religioſe utatur: ut Miſſæ officio libenter interſit, votis Eccleſiæ vota ſua conjungat: cum Sacrificium offerente Sacerdote, ipſe quoque mortem Chriſti pro peccatis ſuis, cordis ſurſum elevati manibus Patri offerat : frequenti confeſſione ſe expurget : corde mundo & avido ſalutarem Corporis Chriſti cibum excipiat : diebus Feſtis ſanctis tantum incumbat operibus. Breviter, ad omnia pietatis Chriſtianæ exercitia ipſum inſtruat & formet. Inculcet quoque ſedulo Decalogi Præcepta, eaque explicet : ad quod etiam proderit Catechismum (*u*) ſæpius relegere. (*x*)

Ad Catholicum, ad utilitatem auditorum, ſufficiente inſtructione, modeſte, & præmeditate, ſe differere velle, propoſuerint. Omnem ſcripturæ intelligentiam ad genuinæ Charitatis Dei, & proximi ædificationem, velut ad certiſſimum ſcopum dirigant.

(*tt*) *Ezechiel.* 13.

(*u*) *Additur:* pium & Catholicum.

(*x*) *Subjiciuntur ſequentia :* Et quominus ſinceritas doctrinæ ulla in parte polluatur, ſumma cura invigilandum eſt, ut pernicioſi, & de hæreſi ſuſpecti libri, de manibus Concionatorum excutiantur, & ab omni tam Eccleſiaſticorum, quam laicorum uſu procul removeantur. Non enim ea judicii gravitate & firmitate, eaque animi conſtantia præditi ſunt omnes, ut ſine noxa quosvis libros legere, aurumque e ſtercore ſecernere, & apum more, venenis omiſſis, melli tantum conficiendo utilia decerpere queant. Providendum igitur erit Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, & ex Sermonum libris, quos hoc tempore edocti, & Catholici Concionatores ſcripſerunt, & ad populum publice pronuntiarunt, & prædicarunt, optimos quosque deligant, & eosdem veluti communem materiam eorum, quæ ad veram Catholicæ Religionis de Fide, de Sacramentis, & Cæremoniis Eccleſiæ doctrinam pertinent, ad populum prædicandos, Parochis, & Eccleſiarum Rectoribus & Paſtoribus proponant : Interim, eo tamen ſervato inter ſimpliciores Paſtores & doctiores Concionatores diſcrimine; ut ſimpliciores, qui in ſacris Literis, & Sanctorum Patrum Scriptis minus exercitati ſunt, aut eorundem Patrum Scripta forte non habent, ad doctrinam prædictorum Scriptorum, eorumque formam, modumque prædicandi aſtricti ſint. Aliis vero, qui in Scriptis Sanctorum Patrum diligentius verſati, majorem in his rebus uſum & exercitationem habent, liberum relinquatur, ut quod illis quotidiana & pia Divinarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum lectio ſuggeret, ad ſubditas ſibi plebes, pro earum captu, prædicare poſſint.

Ad postremum (*), & tamen ante omnia meminerit Ecclesiastes, ut exemplo Pauli castiget corpus suum, & in servitutem redigat, ne ubi aliis prædicaverit salubriter, eosque ad pietatem adduxerit, ipse servus sit ventris & peccati, ac reprobus efficiatur.

De Administratione Sacramentorum.

TITULUS NONUS.

Ecclesia, (y) quæ sola Sacramentorum thesaurum a Christo accepit, novit etiam verum ac legitimum eorum usum, custoditque substantialia ipsorum immutata. Cæremonias vero, quas plerumque significationis, aut pietatis excitandæ gratia, vel ipsa instituit, aut ex traditione Apostolica accepit, & orationes solemnes, ac ritus in administrando, pro utilitate & ædificatione Ecclesiæ mutare potest, & solet: quam tamen potestatem nemo privatus sibi usurpare debet, sed potius sequi in omnibus receptam uniformitatem, tum ob reverentiam atque obedientiam, quæ debetur sacris Canonibus, antiquis traditionibus, & Imperatorum piissimorum legibus, tum ad confusionem & schismata in Ecclesia Dei vitanda, juxta illud Apostoli: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* (z)

Ne vero hæc tanta Dei beneficia, quæ ad omnium salutem a Christo instituta sunt, ignorentur, aut putentur otiosa esse spectacula, nec suo habeantur loco, vel etiam indigne tractentur; debet populus in eorum administratione (ubi commode fieri poterit) frequenter etiam in concionibus, ubi inciderit locus, doceri, quid in Sacramenti cujusque collatione agatur: quis sit ejus fructus: quid velint signa externa: quomodo Dei virtus præsens, invisibiliter eis adsit: quomodo etiam digne, vel indigne percipiantur, & iis similia.

Rectius in Ecclesia Occidentali Sacramenta lingua Latina, quam vernacula celebrantur: *Conservatur enim mysteriis* (ut Basilius ille Magnus ait) *Silentio sua authoritas, atque majestas.* Quod autem putavit quidam, omnium referre, ut Sacramentorum mysteria, lingua omnibus intellecta peragantur & administrentur; quo gratia Dei, quæ illic operatur, cognoscatur ab omnibus: arbitramur, hoc commodius fieri posse concionibus frequentibus, ad populi captum demissis, quam paucis illis verbis, quibus in Sacramentorum celebratione Ecclesia utitur, iisdemque mysticis & sacratioribus, quam ut a quovis e vulgo statim intelligantur. Et sane ante vilescent vulgo Sacramenta, lingua vernacula celebrata, quam ut suo habeantur loco, debitaque veneratione colantur: quippe quod ea, quæ captum, ingeniumque nostrum excedunt, attentius miremur, atque observemus: intellecta vero propemodum negligamus. Attamen ut in Baptismo abrenuntiationes & professiones fidei, secundum antiquas Agendas, & in Matrimonio, sicut hactenus consuetum est fieri in Ecclesia Catholica, consensus contrahentium lingua vernacula requirantur, non improbamus. (a)

De Administratione Sacramenti Baptismi.

TITULUS DECIMUS.

Quamvis orationes illæ solemnes, & cæremoniæ, quibus circa Baptismum Ecclesia utitur, non sint Sacra-

(*) *Hic §. in Formula anni 1559. non legitur.*

(y) *Primus hujus Tituli IX. articulus in dicta Formula sic incipit*: Catholica Ecclesia septem Sacramenta agnoscit, Divinitus instituta, velut apta & parata remedia, per quæ DEO placuit peccatis & infirmitatibus nostris mederi, & diversa salutaris gratiæ suæ dona, diversa etiam ratione, nobis elargiri. Eadem Sancta & Catholica Ecclesia, quæ sola Sacramentorum thesaurum a Christo accepit &c.

(z) 1. *Cor.* 11.

(a) *Sub finem hujus Tit. apponuntur sequentia*: Quin etiam de novo Agenda, eaque communis, edenda erit, quæ circa singula Sacramenta exhortationes germanice compositas contineat, huc accommodas, ut populus, quid agatur, intelligat, & quid de virtute & efficacia uniuscujusque Sacramenti sentire, quid credere debeat, dilucide & breviter erudiatur. In præsentia tantummodo Parochi admonendi, quid in dispensatione Sacramentorum observare debeant: Et primum circa Baptismum.

Sacramento eſſentiales, non poſſunt tamen absque gravi ſacrilegio contemni, nec omitti ſine ſchiſmate, aut animæ periculo, niſi facultatem eripiat neceſſitas. Statim enim a tempore Apoſtolorum cœpit conſuetudo illa, quam Eccleſia hucusque religioſe obſervavit, ut baptizarentur fideles in aqua, invocatione nominis Chriſti ad baptizandum benedicta: & prius exorcizaretur, exſufflareturque contraria poteſtas: & ſignum Crucis fronti baptizandi imprimeretur, auresque ei aperirentur, ad audiendum deinceps verbum Dei: & ſal, ſapientia ſignificativus, ori injiceretur: & Diabolo per ſe, vel ſponſores ſuos abrenuntiaret: profitereturque Symbolum Apoſtolicum, & in pectore, ac ſcapulis, tanquam novus athleta, inungeretur, cui contra Diabolum pugnaturo, & cordis (quo creditur ad juſtitiam) conſtantia opus eſt, & corporis robore, ad mandata Dei opere implenda. Ac poſt immerſionem jam Chriſto incorporatus in vertice ungebatur, induebaturque veſte candida; cuſtodiendæ innocentiæ ſigno: atque ita præferebatur ei cereus ardens, tanquam per tenebras mundi in luce ambulaturo. Quibus cæremoniis ſignificatur, quid tota vita exercere, meditari, cogitare, & operibus implere debeant baptizati. Ideo ſæpius debent hæc populo exponi, ut profeſſionis ſuæ, qua Chriſto initiati ſunt, frequenter admoneantur.

Curandum eſt etiam, ut ſuſceptores, ſeu ſponſores parvulorum, ſint provectæ ætatis, in fide probe catechizati, atque inſtructi, quo non ore tantum, ſed & mente ac ſerio ad interrogata reſpondere, ſuum munus intelligere, & parvulos, ubi adoleverint, in fide orthodoxa (ſi res poſtulat) inſtituere poſſint. Id enim ipſorum, quam pro parvulis baptizandis DEO & Eccleſiæ faciunt, ſponſio requirit.

De adminiſtratione Sacramenti Confirmationis.

TITULUS UNDECIMUS.

EPiſcoporum eſt, ad confirmandos baptizatos, ſuam Diœceſim frequentius circuire, myſterii hujus originem, & Chriſmatis arcanum, ſi non per ſe, ſaltem per Concionatorem idoneum, populo exponere, pro captu tamen parvulorum; ut & ipſi hinc aliquid fructus percipiant.

De Miſſæ Cæremoniis.

TITULUS DUODECIMUS.

CAnon Miſſæ, quem tot jam ſæculis retinuit Eccleſia Dei, nihil continet, quod non ſit conſonum iis, quæ a tempore Apoſtolorum apud altaris Sacrificium ſupplicata, pronuntiata, vel obſervata ſunt; id quod liquet ex antiquorum veteris Eccleſiæ Patrum ſcriptis, in quibus ipſa Canonis verba alicubi eſt reperire: ut prorſus ſacrilegium ſit, eum vel damnare, vel authoritate privata immutare. Debet idcirco ille, quemadmodum hactenus factum eſt, in Miſſa religioſe, ac ſubmiſſa voce (quo myſteriis tam tremendis ſua conſervetur authoritas) pronunciari.

Quod ad reliquas Miſſæ partes attinet, etſi omnes illæ nihil ſint aliud, quam aut laudes DEI, aut preces Eccleſiæ, aut lectiones ſacræ, & ideo minime negligenter habendæ; tamen ſi quas novas Collectas, Sequentias, Præfationes, & id genus res, vel indoctas, vel incertis & apocryphis hiſtoriis innixas, aut Miſſæ Sacrificio parum congruentes, recentior ætas invexit; tales omnes tollendas cenſemus, atque ad probatiſſimorum codicum fidem reſtituendas. Debentque Epiſcopi pro officio ſuo huic repurgationi, adhibitis ad eam rem viris doctis, dare operam, quo pura, emendata, certa & ſolida exiſtant omnia, quæ in ſacratiſſimo illo officio dicuntur.

Epiſtolæ & Evangelia, pro reverentia, quæ eis debetur, ſemper pronuntientur in Miſſa lingua latina: Dominicis vero & Feſtivis diebus in Parochialibus Eccleſiis plebi lingua vernacula exponantur, ſive ante Sacrum ſolemne, ſive ſub ipſo: nec concionis tempore ulla Miſſa celebretur, qua populus ab auſcultatione diſtrahatur. Sed neque ſub Sacro ſolemni convenit, ut coram populo eodem legantur etiam

Missæ speciales, quibus huc illuc populus distrahatur, avoceturque, ut nulli Sacro satis intendat. Verum interim non minus curandùm est, ne Sacrum illud protrahatur æquo prolixius, generetque potius fastidium auscultantibus, quam devotionem.

Organa nihil lascivum sonent, aut sæculare, sed quod ipsa etiam plebs intelligat religiosum ac pium esse. Et præstiterit, Symbolum totum cani, similiter Præfationem, & Orationem Dominicam, quam partem relinqui organis, sicut magno abusu alicubi consuetum est fieri.

Nec convenit, ut sub elevatione sacræ Hostiæ cantentur antiphonæ, ad hoc Sacrificium non proprie pertinentes, quales alicubi dicuntur de pace, de Beata Virgine, de Sancto Sebastiano, aut alio quopiam Patrono; quæ melius a Sacro peracto cantarentur.

Et fraternæ charitatis redintegratio, & pax nobis a Christo relicta poscit, ut osculum pacis, ubi mos ejus dandi exolevit, in Missis solemnioribus restituatur, sic, ut imaguncula crucifixi Domini, Pacificatoris omnium, ab ore Sacerdotis, pacem populo imprecantis, ad astantes deferatur, quam ordine, in concordiæ & pacis symbolum, osculentur omnes.

Docendus item est populus frequenter de Missæ mysteriis, ut Missam audiens, vota sua sacrificanti Sacerdoti conjungat, & ad finem usque, donec Benedictionem Sacerdotalem acceperit, perseveret, sæpiusque communicet, si non semper externa sumptione Sacramenti, saltem spiritualiter, desiderio fructus Sacramenti, & unionis cum Christo. Verum interim non minori diligentia monendi sunt, ut qui peccati vinculo retinentur ligati, absque absolutione, & veræ emendationis proposito a mysteriorum illorum Divinorum perceptione abstineant: palam vero criminosi, & qui peccati certissimam occasionem dimittere nolunt, sive Sacerdotes sint, sive laici, omnino a communione arceantur.

Similiter docendus est populus, ut quamvis in Missa pie orent pro spe salutis & incolumitatis suæ, incommodisque temporalibus vitandis; cavendas tamen esse omnes superstitiones; quales sunt polliceri alicui e certis Missis certam fortunam, securitatem in aggressibus temerariis, aut aliquid hujusmodi.

Tametsi omnis Missa sit officium publicum, & ad totam pertineat Ecclesiam; nemini tamen vetandum est, sua devotione privatim uti, & quod publicum est, celebrare pro Ecclesia non publice: modo cum gravitate omnia exequatur, & orationes ac lectiones sacras clare & diserte pronuntiet, ut possit a circumstantibus audiri, atque intelligi, & habeat (secundum sacrorum Canonum Sanctiones) præsentes, qui Ecclesiæ nomine respondeant, ut verba, quæ dicuntur, congruant etiam rebus ipsis. Curent etiam Episcopi, ut ignoti Sacerdotes, & qui publicis criminibus infames sunt, aut solum quæstum sectantur, ad celebrationem Sacri hujus non admittantur.

Cum jubeant Canones Ecclesiastici, vitalem Hostiam servari, ut semper habeatur parata pro infirmis, quibus viatico illo opus fuerit; fides & religio nostra prorsus exigit, ut in loco servetur honorato, cum perpetuo lumine, quo admoneamur (*b*) eo loco præsentem esse illum, qui lucem habitat inaccessibilem, quique tenebras nostras illuminat.

Quando in solemnibus Festivitatibus ad amplificandum cultum Divinum, aut in magnis supplicationibus, ad corda fidelium compungenda, circumfertur Hostia illa salutaris, omnes ludi prophani, & quicquid non valet ad veram devotionem excitandam, removeatur: nec deferatur Sacramentum extra Ecclesiam, nisi graves causæ postulent: & sint, qui digno illud honore, tanquam vere præsentem Christum, prosequantur, atque adorent. Sed & quando ad infirmos defertur, præferri debet lumen, & campanella, ad dandum fidelibus signum, pulsari.

De Sacramenti Pœnitentiæ administratione.

TITULUS DECIMUS TERTIUS.

INfinitam peccandi licentiam confessionis Sacramentalis neglectum consequi,

(*b*) *In Formula anni* 1559.: Quo admoneatur populus.

ſequi, piorum omnium vox eſt, & negari non poteſt. Quamobrem decernendum, quod & ab Eccleſia ſalubriter inſtitutum eſt, & a Patribus diligenter obſervatum, ut quotquot Chriſtiani nominis ſunt homines, ſaltem in anno ſemel peccata ſua Sacerdoti confiteantur: quod ſi recuſent facere, ab Eccleſia protinus ejiciantur. Etenim ut ſæpe confiteantur ii, qui ſæpius peccarit, propria ipſorum ſalus efflagitat, eximiæque cujusdam pietatis eſt, peccata ſtatim, ut commiſſa ſunt, lugere, confiteri, dignaque ſatisfactione mortificare.

Veteres rigidiori diſciplina ſatisfactionem publicam exigebant: de quo Canones pœnitentiales adhuc extant. Verum ad ſeveras illas publicæ pœnitentiæ leges deſperamus (*c*), fide & charitate admodum languentem populum hoc tempore poſſe reduci. Ergo quando hoc non datur, conſuetudini poſterioris ætatis inſiſtendum eſt, quæ obtinuit, ut confeſſis pro ſatisfactione injungerentur orationes, eleemoſynæ, jejunia, & id genus opera pietatis, quibus ſcripturæ Divinæ teſtantur, pœnam peccatis debitam dimitti. Nonnunquam graviores imponuntur, ſed occultæ afflictiones, ad ſatisfaciendum, ſecundum pœnitentis facultatem, & peccatorum magnitudinem.

Quare prudentes oportet eſſe Confeſſores, qui norint diſtinguere lepram a lepra: & ita de peccatis inquirant, ne ſcandalizent puſillos: ita ſatisfactiones injungant, ut ſint ſimul & medicinales, quibus animæ morbus curetur.

Quo vero quam minimum retrahantur homines a confeſſione, videtur nobis hoc tempore profecto expedire; ut confiteri volentes non ad uſum ſolum eogantur: ſed ut pluribus (idoneis tamen) Sacerdotibus, fiat abſolvendi poteſtas, etiam in caſibus reſervatis, quos adire ſit omnibus liberum, idque pro arbitrio Epiſcopi, & Ordinarii loci. (*d*)

De Unctionis extremæ adminiſtratione.

TITULUS DECIMUS QUARTUS.

PRo more, quem hactenus tota ſervavit Eccleſia, Sacramentum unctionis ſupremæ fidelibus impartiendum eſt cum litaniis & orationibus, huic negotio congruentibus, quales ſunt illæ, quas a Majoribus acceptas, tota Eccleſia ſervat: Studebitque Sacerdos, infirmum conſolari, atque a curis & deſideriis tranſeuntis hujus vitæ ad ſpem ſalutis æternæ erigere: Diabolum & terrores ejus non formidare: in Chriſti miſericordiam, qui novit figmentum noſtrum, & tulit iniquitates noſtras, pro quibus & mortem ſuſtinuit, tota mente ſperare ac fidere, atque ita confirmatum, cum benedictione Chriſto commendare. Nec abs re fuerit, ut rediens Sacerdos habeat oratiunculam ad comitantem multitudinem, qua infirmitatis humanæ admoneantur, & ut pro laborante in extremis ſtudeant ferventius orare.

De Sacramenti Matrimonii adminiſtratione.

TITULUS DECIMUS QUINTUS.

QUi matrimonio jungi affectant, debent doceri, ut ſciant, qua religione & fide nubatur in Chriſto, & clandeſtina illa, quæ carnaliter, incitante ſola venere, præter Eccleſiæ Chriſti ritum contrahuntur, non eſſe religioſa, & Chriſtianis digna matrimonia: & quamvis illa (ubi contrahentes fuerint perſonæ legitimæ) ſint rata, veraque matrimonia; non tamen ob id eſſe Deo grata; utpote gratia Sacramentali deſtituta: : donec vitium ſuum emendent, & Eccleſiæ legibus ſubdantur. Ideo jungendi matrimonio admoneri debent, ut parentum & amicorum utantur conſilio, exemploque Tobiæ, jejuniis & orationibus ſe ſe præparent, ac commendent gratiæ Dei, qua quod reliquum eſt vitæ, deinceps peragendum erit. Neque enim

 poſſunt

(*c*) *In ead. Formula:* deſperatur.

(*d*) *In dicta Formula additur:* Illi vero, qui audiendis Confeſſionibus præficiuntur, ſint viri integri, eruditi, ſilentii tenaces, non ad quæſtum intenti, in explorando non plus æquo curioſi, non leves, non ebrioſi, vel quovis alio vitio notabiles.

possunt filii Sanctorum (ut in sacris dicitur) ita conjungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.

Nec debet Sacerdos Sacramento huic alicubi, (e) quam in Ecclesia (quæ est proprius Sacramentorum locus) benedicere; nec admittere, seu conjungere quoslibet sibi oblatos, nisi quos post proclamationes, ut minimum tres, tribus diebus festis sibi succedentibus, ad populum in concione publice factas, cognoverit nullis impedimentis irretitos, quosque examine facto, exploratum habeat, non cogi ad hanc copulam invitos a parentibus vel cognatis, sed animo eam libero appetere.

De Cæremoniis Ecclesiasticis.

TITULUS DECIMUS SEXTUS.

CUm cæremoniæ sint pietatis incitamenta quædam & alimenta, quibus sublatis ipsa quoque frigeat, languescat, atque emoriatur pietas, nulla unquam Religio absque cæremoniis potuit constare. Idcirco cæremonias, Majoribus nostris (f) hominibus religiosissimis usitatas, retinendas, revocandasque censemus (g). Non quidem propter speciem operum, aut signorum externorum vim & meritum; sed quod ad varios pietatis usus valeant: Nec item, quod in ipsis fiducia salutis sit locanda; sed quia exercitia quædam sunt, quibus corpus simul cum mente ad Deum, seu cultum ejus attrahatur.

Sic secundum doctrinam Apostolicam orant viri nudato, fœminæ velato capite, & genua in terram figimus, (h) corpus cum spiritu humiliantes: (i) & tundimus pectus, quod malefactorum conscientia dolere debebat, & conteri.

Sic in terroribus ac periculis, inclamato nomine Christi, signamus (k) nos signo Crucis, qua Diabolo in nos potestas imminuta, ademptaque est: Item [l] ituri dormitum propter timores nocturnos facimus, & mane quoque surgentes, quo tota die a malis protegamur hoc signo muniti. Quin, Tertulliano (m) teste, antiqui Christiani olim, sive vestes induerent, sive deponerent, sive domo prodirent, sive aliud quid agerent, aut incœptarent, ad singulas actiones consignarunt se Cruce. Non potest enim negligere pietas vera Christi signum, aut a cogitatione ejus, quæ signo illo renovatur, esse otiosa. Sic cibum & potum sumebant, benedictione præcedente, memores illius Apostolici: *Sanctificatur* (n) *per verbum Dei, & orationem.*

Hinc & aqua, & sal, & herbæ, & agnus (o) Paschalis, & fructus novi, aliaque humanis usibus necessaria (de quibus ad Adam, in quo peccavimus omnes, dictum est: *Maledicta* (p) *terra in opere tuo*) benedicuntur & sacrantur in nomine Christi, per orationem, qua petit Ecclesiæ minister Sacerdos, ut Deus illa ipsa ad sanctificationem, & salutis nostræ profectum, potentia & bonitate sua, contra adversarias potestates, incantationes, magias, fraudes & machinationes inimici, qui nocere hominibus non desistit, nobis concedat valere. Et valent utique fidelibus, ob Benedictionem Sacerdotalem, per verbum Dei & orationem, quæ alioqui nullam adversus spiritales nequitias, & potestates invisibiles, in se ipsis virtutem habebant. Atque hinc adeo, cum aspergimur (q) aqua benedicta, oramus mente & habitu, ut a peccatis amplius lavemur: cum salem sumimus exorcizatum, ut vitam nobis & sermonem omnem

(e) *al.* alibi.
(f) *In Formula anni* 1559. *sic legitur*: priscis hominibus, pia eruditione, & erudita pietate insignibus, Catholicæ fidei, & avitæ Religionis Christianæ observantissimis usitatas, &c.
(g) *Ibid.* censetur.
(h) *Ibid.* figuntur.
(i) humiliando, & tundendo pectus.
(k) signatur quis.
(l) *Ibid.* Idem, cum itur dormitum, propter timores nocturnos fit: & mane quoque surgendo, quo tota die a malis protegatur, hoc signo munitus.
(m) *Tertull. de corona militis, & in Apologet. contra Gentes.*
(n) 1. *Timoth.* 4.
(o) *In Form. anni* 1559.: Ignis Paschalis.
(p) *Genes.* 3.
(q) *In ead. Formula*: cum aspergitur quis aqua benedicta, oratur mente & habitu; ut a peccatis amplius lavetur: Cum sal sumitur exorcisatus, ut vitam & sermonem omnem &c.

omnem concedat Deus habere ſale conditum.

Cereos (r) autem accendimus, in gloriam illius, qui lucem inhabitat inacceſſibilem, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed & ſanctos (s) luminibus veneramur, quos vivere cum Chriſto in gloria & in regione lucis (t) prædicamus. At in fide defunctis cæteris, lucem ad ſepulturam (u) præferimus, orantes, ut lux perpetua luceat eis.

Thura incendimus (x) ſignificatione, quod oportet orationes & deſideria (y) noſtra ſurſum ad Deum, cum odore bonorum operum, aſcendere.

Proceſſionum, alias lætas ducimus (z) in modum cœleſtis cujusdam exercitus ordine compoſitas, de Chriſti gloria & triumpho exultantes & canentes: (qua de cauſa Crucis ſignum & vexilla in aera ſuſtollimus, ad ſignificandum aereæ poteſtatis expugnationem) alias agimus triſtes & ſoliciti in tribulatione, quam peregrini hoc exilium peragrantes patimur, veniam peccatorum, & miſericordiam pro vindicta ſupplicantes.

Conſecramus item Eccleſias, altaria, calices, pallas, veſtes Sacerdotales, campanas, aliaque Eccleſiæ vaſa, quæ uſibus eximuntur civilibus ſeu prophanis, & miniſterio tantum Sacramentorum Chriſti aptantur ac mancipantur: ut ſciamus, in Eccleſia non niſi ſacris & Divinis rebus vacandum, gratia Dei illic, ceu Numine quodam, præſente: Campanis vero ab operibus & negotiis ſæcularibus, nos ad orationem, laudes Dei, & ſacra Myſteria invitari: cogitemusque (a) e tanto vaſorum apparatu; & tot conſecrationibus, quanta reverentia Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti a rebus prophanis ſit ſecernendum & dijudicandum.

De quibus omnibus debet populus ſedulo ac frequenter doceri, ne cæremonias religioſe inſtitutas, in abuſum aut ſuperſtitionem vertant (b), ſed ad pietatem exercendam ipſis utantur. Utque proceſſiones, rebus ſæcularibus ac vanis præciſis, ſint graves, ordinatæ, honeſtæ, ac Chriſtiana Religione dignæ: Reprobi vero, & quibus ſtudia iſta pietatis viløſcunt, redarguantur.

De Diſciplina Cleri & populi. (c)

TITULUS DECIMUS SEPTIMUS.

(d) Diſciplinæ jam pars bona tradita eſt in deſcriptione officiorum. Etenim ut ſuum quisque præſtet officium, præcipua eſt diſciplinæ regula. Hoc tantum reſtat, ut vitia quædam publica, quæ emendationem, Concilii definitione non exſpectata, requirunt, retexamus.

Contra ordinem & dignitatem Cleri comprimis ſunt luxus & avaritia, quas res etiam plebs execratione dignas in Clero ducit. Debet igitur Clerus a luxu prophano, faſtuoſo, carnali, prorſus eſſe alienus: & primum ſervare decorum in habitu & inceſſu. Sit habitus honeſtus & ſimplex, non limbis, aut ſciſſuris comptus, mundus tamen. Superior veſtis ſit talaris: nec incedant Clerici cum multi famulitii ſtrepitu, aut gladiis accincti terribiles, ſed venerabiles, qui aliter ſe contemptibiles reddunt.

Menſa quoque ſit frugalis, nec lauta nimium, nec ſumptuoſa. Pompoſus vero

(r) Cerei autem accenduntur. (s) Sed & Sancti luminibus honorantur.
(t) prædicatur. (u) præfertur, orando, ut lux &c.
(x) incenduntur. (y) *pro voce:* noſtra, piorum.
(z) aliæ læte ducuntur. *Sic & cætera, quæ ſequuntur, cum in anteriore Formula anni* 1548. *per verba activa fuerint expreſſa; in Formula poſteriore anni* 1559. *proferuntur per paſſiva, omiſſis perſonis, quibus verba reſpondeant.*
(a) *pro* cogitemusque *ponitur:* cogitando. (b) vertat . . . utatur.
(c) Et populi *non additur.*
(d) *In primo hujus Tituli articulo hæc præmittuntur:* Quamvis Divinorum Myſteriorum Virtus a qualitate Miniſtri non dependeat; tamen ſive malitia, ſive infirmitate humani judicii fit, ut ex vilitate Miniſtri plerumque in animis hominum, etiam ipſa Divina Myſteria vileſcant. Ideoque gravi cura advigilandum eſt, ut miniſterii ſanctitati ipſa etiam Miniſtrorum vita reſpondeat. Porro Eccleſiaſticæ diſciplinæ jam pars bona tradita eſt in deſcriptione officiorum &c. *ut ſupra.*

vero esculentorum apparatus, & exquisitæ ad luxum delitiæ, longus accubitus, & commessationes frequentes, detestandæ ac fugiendæ: Similiter infamis, & sacris litteris damnata ebrietas, & studium compotandi, atque ad æquales haustus provocandi, cui Propheta Væ imprecatur. *Væ*, inquit, (*e*) *qui potentes estis ad potandum vinum, & viri fortes, ad miscendam ebrietatem!* Quin sacris Canonibus decretum est, tales ab officio & beneficio suspendere.

Porro quis ferendum putet, ut scortationi indulgeant, & adhæreant concubinis, qui sacrificii & orationis, ad quam debent perpetuo esse accincti, causa, conjugio etiam alioqui honesto & licito abstinent? *Qui adhæret*, inquit (*ee*) Apostolus, *meretrici, unum corpus cum ea efficitur. Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Quibus verbis significat, scortatores a Christo excidere. Tantam ergo indignitatem in Clero, magna pœnarum severitate veteres prosecuti sunt. Concilium Neocæsariense, Nicæno antiquius, statuit, Presbyterum, qui uxorem duceret, ab ordine deponendum: Si fornicaretur autem, vel adulterium committeret, etiam extra Ecclesiam abjiciendum, & ad pœnitentiam, inter laicos agendam, redigi debere. Ut autem non ferant hæc sæcula tantam severitatem, & sit mitius agendum, Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, fornicationis, adulterii, aut suspectæ familiaritatis convictus, remota protinus concubina, primum non pœna pecuniaria, sed suspensione ab officio & beneficio secundum scandali gravitatem plectendus est. Qui si facinus non emendet, & iterum convincatur; plectatur severius. Ubi vero apparuerit, eum effrenem & incorrigibilem factum, & nec pudore infamiæ retineri, nec pœnis abarceri a scelere; in modum equi & muli, quibus non est intellectus, beneficio secundum Canones prorsus privetur. Sed & concubinas, quæ posthac cum Clericis cohabitare sibi permiserint, per excommunicationem ab Ecclesia, & cœtu fidelium expellere (*f*) oportet.

Et ne (*g*) tantum dedecus Clericalem dignitatem amplius dehonestet, revocandi omnino sunt in usum Canones antiqui. Concilium Nicænum non permittit Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis, aut Subdiaconis, habere domi subintroductam, seu extraneam fœminam, nisi forte aut matrem, aut sororem, amitam, aut tales, quæ fugiant suspicionem. Concilium Carthaginense tertium, cui Augustinus interfuit, extendit hunc Canonem etiam ad fratrum, vel sororum filias. Sic & Canon a Siricio latus, nullas fœminas Clericis permittit cohabitare, nisi sanguinis necessitudine Clerico junctas. Verum suspicionem non fugiunt juvenculæ, formosæ, lascivæ, cultæ, procaces, imperiosæ, otiosæ, impudentes, curiosæ. Si admittitur ergo, quæ suspicionem fugiat; annosa, quæ annum quadragesimum superaverit, statæ formæ, verecunda, sobria, pudica, inculta, laboriosa, severa, & quæ testimonio publico casta est, vidua, vel virgo senex, in ministerium domesticum assumi potest, & ne cum tali quidem familiaritas nimia est habenda. (*h*)

De

(*e*) *Esa.* 5. (*ee*) 1. *Cor.* 6.

(*f*) *Additur:* &, si opus fuerit, etiam brachium sæculare in hanc rem implorare oportet.

(*g*) *Initio hujus articuli hæc præmittuntur:* Et ne hi, qui hactenus majorum salutaribus monitis, & super hac re editis Statutis in dimittendis concubinis ægrius paruerunt, in posterum curæ domesticæ, & rei familiaris administrandæ necessitatem (qua se hactenus tutati sunt) prætexere possint, ratio ineunda erit, ne Clericis ministeria mulierum suspecta, sint posthac necessaria. *Dein sequitur:* Et ne tantum dedecus &c.

(*h*) *Additur hic* §. Ruralibus tamen Sacerdotibus, & Parochis, qui domesticæ rei curam (*forte legendum:* cura) sine magno dispendio, ideoque mulierum ministerio ægre carere possunt, mulieres in famulitio permittendæ sunt tales, quæ, ut dictum est, aut per ætatem, aut sanguinis propinquitatem, omnem illicitæ consuetudinis, aut incontinentiæ suspicionem excludant. Porro, si qui usque adeo pertinaces, intractabiles, ac incorrigibiles reperti fuerint, ut nullis piis, & honestis monitis parere, ac in ordinem redigi velint, tum in exemplum & terrorem aliorum dimittendi, & ex Diœcesi relegandi sunt hi Clerici & Presbyteri. Quos tamen ita dimissos nullus vel

De Pluralitate Beneficiorum.

TITULUS DECIMUS OCTAVUS.

TOllenda eſt etiam ex Clero omnis Simonia & ambitio. Ac quia ſine gravi Eccleſiarum detrimento accidere non ſolet, ut aliquis plura, quam unum (maxime ſi curata ſint) Beneficia occupet: Solus enim per omnes Eccleſias, ſi munere ſuo recte ac diligenter fungi velit, nec officium perſolvere, nec rebus earum neceſſariam curam impendere valet; curandum eſt, ne quis plures, quam unam, Metropolitanas, aut Cathedrales Eccleſias teneat, & ne Clerici ſinguli in poſterum plura, quam unum, Beneficia acquirant, atque obtineant.

Sed quia tenuitas Beneficiorum facit, ut, cum eorum ſingula multis in locis poſſeſſores ſuos alere atque ſuſtentare nequeant, cauſam arripiant, cur plura Beneficia coacervent atque poſſideant: Archi-Epiſcopi, aut certe Epiſcopi curent, ut per unionem, aut per aliam quandam viam, Beneficiorum tenuior redditus ita augeatur, ut de ſingulis Beneficiis ſinguli poſſeſſores ſatis emolumenti pro munere atque dignitate quisque ſua habere poſſint. Nam (*i*) ut ambitioſam plurium Beneficiorum cupiditatem, quæ malam omnino ſpeciem habet, ex Eccleſia tollendam cenſemus; ita viciſſim Miniſtris Eccleſiæ proſpiciendum putamus, ut habeant, unde commode vivere poſſint: dignus enim eſt operarius mercede ſua. Qua in re arbitramur eorum Beneficiorum, quibus cura animarum annexa eſt, comprimis rationem habendam eſſe.

In qua re hanc ſequantur rationem Archi-Epiſcopi atque Epiſcopi, ut ſi cenſus alicujus Eccleſiæ, pro veteri Præbendarum atque Beneficiorum numero, ad juſta Miniſtrorum emolumenta non ſufficiat; Beneficia, quæ nullam Eccleſiarum neceſſariam functionem habent, illis uniantur, aut Præbendæ ac Beneficia ad pauciorem numerum redigantur, donec a ſingulis, poſſeſſori cuique juſta emolumenta ſuppetere queant, ut cauſa non ſit, cur unus non uno Beneficio ſit contentus.

Res enim ita conſtituenda eſt, ut non deſerat quisque officium, propter quod datur Beneficium: ſed in loco Beneficii ſui reſideat, ac muneri Eccleſiaſtico, quod huic annexum eſt, ipſe diligenter incumbat, & cogitet, quanti ſit momenti, vigilare pro animabus, & ab eis non diſcedere, pro quibus aliquando coram tribunali Dei rationem redditurus ſit. Intererit igitur, non ſolum Eccleſiarum, ſed etiam poſſeſſorum; ſi plura Beneficia curata non obtineant, ut uno, quod maluerint, eisque ad juſta emolumenta ſufficiat, retento, cætera intra annum ſine ulla penſione reſignent. Sed ſi forte de jure, quod ſe acquiſiviſſe putant, recedere nolint; imponatur neceſſitas eisdem, ut diſpenſationem Sedis Apoſtolicæ, Ordinario loci exhibeant, ac ſi legitima fuerit diſpenſatio, relinquantur illis Beneficia. Ordinarius tamen loci juxta Conſtitutionem Gregorii Decimi in Concilio Lugdunenſi, quam etiam Tridentina Synodus (*ii*) innovavit, provideat, etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, ut cura animarum, Beneficiis illis annexa, non negligatur, nec Beneficia ipſa debitis obſequiis fraudentur. Atque ut hic iis, qui jam poſſident, & jus habent acquiſitum, indulgendum videtur, ſub hac tamen cautione, quam Concilium Lugdunenſe præſcribit; ita in acquirendis Beneficiis in poſterum coacervatio eorundem atque pluralitas, de qua vetus eſt querela, eaque non injuſta, omni-

vel Archi-Epiſcopus, vel Epiſcopus, aut qualiscunque Prælatus, vel etiam Parochus ſuſcipere debet, niſi ei de ſufficienti Epiſcopi, aut Prælati ſui dimiſſione, voluntate & conſenſu probe conſtiterit, literasque dimiſſorias, ut vocant, exhibuerit. Id, quod ab aliis quoque, qualescunque tandem ſint, fieri convenit: Quas tamen teſtimoniales literas, dicti Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, cæterique Eccleſiarum Prælati, & Parochi Clericis & Presbyteris recuſare non debent, ſi honeſte vixerint, laudabiliterque ſe geſſerint: ac juſtis, neceſſariisque cauſis moti, ſuſceptam conditionem mutare voluerint.

(*i*) *In Formula poſteriore ſic legitur:* Nam ut ambitioſa &c. cupiditas tollenda eſt; ita viciſſim Miniſtris Eccleſiæ proſpiciendum, ut habeant, unde &c.

(*ii*) *Seſſ.* 7. *de Reformat. cap.* 5.

omnino debet vitari. Ac ne salubre institutum Curiales turbent, huc ut accedat authoritas Summi Pontificis, quamprimum impetrandum videtur.

Debent etiam, qui incorporatas habent cum decimis & censibus Ecclesias, quas velint retinere, non nisi idoneos, atque a sæcularibus & sordidis negotiis liberos Sacerdotes eis præficere, quibus de victu & vestitu honesto, & competentia justa prospiciant. Qua in re, si fuerint negligentes aut avari, Episcopi erit, pro suo officio & removere ineptos, & idoneis de Ecclesiæ illius decimis & juribus, quantum honestum est, decidere atque assignare, aut reclamantia Collegia, vel Monasteria suo jure, ob negligentiæ culpam privare. Dignus enim est operarius mercede sua: Et qui Evangelio servit, de Evangelio debet vivere. Incumbit autem Parochis plus, reliquis Canonicis & Sacerdotibus, curæ & laboris. (*k*)

Species alia cupiditatis est, si quæstum sæcularem, aut lucrum turpe sectentur Clerici, & sint usurarii, negociatores, vel caupones: quæ vitia omnes Canones in Clero damnant. Quin & Scriptura (*l*) dicit: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Proinde nemo Clericorum amplius recipiat, quam dederit accommodato. Si pecuniam (inquit Concilium Carthaginense) pecuniam; si speciem, speciem eandem, quam dederit, accipiat, nec ultra, aut justum pro ea pretium. Secus facientes, fœneratores sunt, ab officio & Beneficio suspendendi, excommunicandi, & ad Ecclesiasticam sepulturam, secundum Canones, non admittendi.

Nec licet mercaturas Clerico exercere, ut emat, quæ postea vendat: nec item cauponem agere, ut domum suam vertat in œnopolium, seu tabernam publicam: nec sortilegiis, Divinationibus, aut etiam venationibus indulgere. Quæ omnia sacris Canonibus severiter prohibita sunt, in Capitulis disciplinæ, in Visitationibus, & quoties deprehenduntur, per Episcopum, Archidiaconos, Decanos, & eorum Officiales, punienda.

Sacerdotes item Nobilium, & divitum civium servitio, sine Episcopi consensu & authoritate, se non ita mancipent, ut serviant in negotiis prophanis, & a cura Sacerdotali alienis.

De Disciplina populi.
TITULUS DECIMUS NONUS.

Populus præter obedientiam, quam Principibus & Magistratui civili debet, ad eam quoque, quam Episcopis debet, & Ecclesiæ Prælatis, sine qua in disciplina contineri non potest, redigendus est. Quin etiam Lex Divina exigit, ut obediant Præpositis suis, quorum est pervigilare, ut reddant rationem de animabus eorum; quo cum gaudio, quod officii sui est, faciant, & non gementes. Debet ergo Populus Clerum, Parochos, & illis superiores ordines venerari, eorum facta non temere judicare, nec adversus Presbyteros suos contendere, aut duros, vel refractarios se exhibere, sed morigeros & obsequentes. Ad Christum enim, cujus legatione funguntur, pertinet eorum tam contemptus, quam honor.

Diebus Dominicis & Festis conveniat populus ad Divina, quæ in Ecclesia celebrantur: Concionem sub silentio audiat, & memoriæ commendet, nec strepitu, aut deambulatione, vel Concionatorem, vel auscultantes perturbet. Patres aut matres familias audita illic secum domum perferant, secundum quæ liberos & familiam instruant ad pietatem. Doceant eos Deum, qui inspector est omnium actionum nostrarum, timere, eique salutem suam quotidie commendare: memoria retinere, & frequenter recitare Symbolum Apostolicum, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, præcepta Decalogi, & quidquid ad virtutem, bonosque mores pertinet: frequenter interesse Divinis, verbum Dei attente audire, orare, Clerum & Magistratum honorare, erga omnes modestos & placidos se gerere: malam societatem fugere, horrere a blasphemiis

(*k*) *Ibid. additur*: quorum munus in prædicatione Verbi, & administratione Sacramentorum potissimum consistit, & alios omnes & utilitate, & necessitate antecedit.

(*l*) 2. *Timoth.* 2.

miis, juramentis & execrationibus: non contendere, litigare, aut insolescere, nemini injuriam irrogare: senioribus cedere, increpationes æquanimiter ferre, vera loqui, mendacia detestari.

Cæremonias quoque pietatis Christianæ, quales supra descripsimus, & instituta Ecclesiastica de jejuniis & abstinentia carnium, de feriis, de processionibus, & id genus ritibus, populus religiose ac pie observet.

Libri contagiosi, de falsa religione suspecti, & qui Lucianico more, cum Deo, cum Sanctis, cum Religione & sacris jocantur, trahuntque ea in ludicra spectacula, populo curioso prohibendi: neque enim ad pietatem, & bonos mores faciunt. Similiter petulantes & obscœnæ imagines, libidinum incitamenta cum multa fœditate ostendentes, vel ad ludibrium religionis, aut ad certorum hominum infamiam effigiatæ, prohibeantur. Legat autem populus libros sacros, sanctos Doctores, vitas Sanctorum, historias præclarorum & fortium virorum, & tales spectet imagines, quibus ad pietatem, virtutem, studia honesta, religionis & Reipublicæ amorem accendatur.

Abstineatur ab ebrietate & compotationibus, quibus & naturæ vires enervantur, & malis ingentibus sæpe datur occasio. Nec pateant œnopolia & tabernæ diebus Festis ante Sacrum in Ecclesia peractum, nisi peregrinis & infirmis. In transgressores Magistratus animadvertat. Animadvertat quoque in seductores populi, qui nova dogmata ab Ecclesia non recepta, non verentur spargere: in sacrilegos, in perjuros, blasphemos, usurarios, adulteros, & crimina publica, quibus corrumpitur juventus, imo omnis ætas, & propter quæ Deus respublicas sæpe magnis cladibus afficit.

Principes sæculares, & Magistratus civiles, non patrocinentur eis, qui in Clero & populo reformari detrectant, sed Episcopis & Prælatis Ecclesiæ sint auxilio, eorumque decreta fideliter exequantur & ordinem præscriptum cogant observare. Jurisdictionem quoque & libertatem ac immunitatem Ecclesiasticam, Imperatorum legibus, & sacris Canonibus Episcopis & Clero tributam ac firmatam, tueantur, ipsisque conservent. Ac hi, qui Prælatos, Ecclesias, eorumque bona in fidem, tutelam ac protectionem suam recepere, & contra fidem datam, præfectura seu protectione sua abusi, Ecclesiis, quas tueri debebant, gravia & iniqua onera ausi fuerunt imponere, æquum est, ut præfectura, seu tutela, per Cæsareæ Majestatis Commissarios amoveantur: eis autem, qui abusi non sunt, limites & jus præscribantur: ut aperte constet, quid alteri alteris invicem debeant.

De Visitatione.

TITULUS VIGESIMUS.

Ut visitent Episcopi suas Diœceses, non nupera est inventio, aut a Patribus primum introducta; sed hic mos ab Apostolis descendit. In Actis (m) scribit Lucas, Paulum circumambulasse regiones, in quibus prædicaverat verbum Dei; ut videret, quomodo haberent se fratres, & ut confirmaret eos in fide, traditionesque Apostolorum & Seniorum eis præciperet custodiendas: quæ fere omnia sunt, quæ ad visitationem pertinent.

Debet itaque Episcopus, si non juxta Toletani Concilii Decretum, quot annis propter latitudinem Provinciæ, saltem quarto, aut quinto quoque anno, totam Diœcesim suam, per se, vel per suum in Pontificalibus Vicarium circumire ac visitare, & inter visitandum pueros baptizatos Confirmationis Sacramento signare. Archidiacones vero, seu Chorepiscopi & Decani rurales, territorii, seu regiunculæ suæ Ecclesias singulis quibusque annis visitare debent. Ad hoc enim negotium in partem solicitudinis Episcopalis vocati sunt.

A Visitatione Episcopali nulla Ecclesia sit exempta: sed a Cathedrali ad Collegia, a Collegiis ad Monasteria (nisi proprium habeant Visitatorem) a Monasteriis ad Ecclesias Parochiales, ab his ad Oratoria, Hospitalia, Scholas & Bibliothecas transeatur. In quibus præcipua sit cura Episcopo, ut primum Cleri vitia, dein-

(m) *Act.* 15. & 16.

deinde populi eradicet; ne qua radix amaritudinis ſurſum creſcat, per quam inquinentur multi. Siquidem neglecta viſitatione, Religio omnis corruit, & robur acquirit impietas.

In locis viſitandis deligantur imprimis viri probi, boni nominis, & fide digni quatuor, quinque, aut plures, ſecundum Cleri & plebis, ſubjectorumque pagorum multitudinem: quibus converſatio Cleri & populi, fama quoque vulgaris ſit nota: qui & obſtringantur juramento, ad dicendum libere, audacter & ſecure, ira, odio, amore & affectibus pravis remotis, ea, de quibus eſt Viſitator pro emendatione & correctione malorum percontaturus. At leves delatores, niſi probent, quæ deferunt, non audiantur.

Procedendum autem in inquiſitione a capitibus ad membra inferiora, a Decanis ad Canonicos, Vicarios, & Miniſtros infimos: ab Abbatibus ad Procuratores & Monachos: a Parochis ad Sacerdotes, Æditues & Oſtiarios, deinde ad Laicos reliquos. Inquirendumque in Collegiis & Monaſteriis, utrum Canones & Regulæ obſerventur: utrum ſervetur frequenter Capitulum diſciplinæ, & qua ſeveritate: an corrigantur illic vitia quotidie ſubnaſcentia: an reverenter & debite ſervetur cultus Divinus: an ſatisfaciant majores & minores ſuo quisque officio, ſecundum ea, quæ ſupra expoſita ſunt: an ſint ulli concubinarii, adulteri, ebrioſi, criminoſi, infames, aut ſuſpecti de hæreſi, vel aliis malis. Externa, qualis eſt habitus & tonſura: ædificiorumque, & Bibliothecæ ſtatus inſpici debent: de prædiorum, cenſuum, & jurium conſervatione inquirendum. Sed ſpecialiter in Parochiis, num intruſus ſit Parochus, & quo titulo regat: an conſtet de ordinatione: utrum ſit mercenarius: an recte adminiſtret Sacramenta: an extorqueat pecunias pro adminiſtratione: Item de doctrina, de honeſtate vitæ, & familiæ ejus, & an boni Parochi munere in omnibus perfungatur. Sic de Ædilibus, de Sacriſtis, ſeu Cuſtodibus, num ornamenta, veſtes, ſacræ Reliquiæ, vaſa aurea, & argentea, ædificia, cenſus, prædia bene conſerventur. Diligentiſſime vero inveſtigandum, num deliteat in Parochia hæreticus, aut ſchismaticus ullus: num hæreſis aliqua occultis conventiculis diſſeminetur: an ſint, qui curioſius de fidei myſteriis diſputent, & ſimplicibus injiciant ſcrupulos: Item de obſervantia jejuniorum, proceſſionum, dierum feſtorum, & rituum Eccleſiaſticorum: de ſuperſtitionibus, maleficiis, blasphemiis, perjuriis, adulteriis, ſtupris, inceſtibus, odiis, diſſidiis, rebellione & contemptu Eccleſiaſticæ & Civilis Poteſtatis, & iis criminibus, quibus locus, qui viſitatur, ſolet diffamari.

Inquiſitione facta, quæ recte ſe habent, laudabit: quæ male, caſtigabit, & corriget. Intruſos Parochos, vagos Sacerdotes, quibus nulla certa functio eſt, & Monachos fugitivos, extrudet, atque ejiciet. Quæ per ipſum emendari nequeunt, referet ad Synodum Epiſcopalem, ut illic de hujusmodi rebus ſecundum Canones Eccleſiaſticos ſtatuatur.

In caſtigatione tamen ſit prudens & circumſpectus Viſitator, ne occulta prodat: ſed quæ occulta ſunt, clam etiam & occulte puniat, & ſanare curet: manifeſta vero publice arguat, vocatisque, ſecundum Lateranenſis Concilii Sanctiones, accuſatis, non primum mulctam ab eis exigat, ut hactenus, pecuniariam, ſed pœnitentiam Canonicam, & publicam, quantum ejus fieri poteſt, imponat: ſic videlicet, ut peccatum humiliter agnoſcentibus, veniamque petentibus, & pollicentibus emendationem, pœnitentiam ſalutarem, in ædificationem aliorum, ad certum tempus, pro magnitudine delicti, imponat. Contumaces vero, & manifeſta ſua crimina agnoſcere, & pœnitentiam ſuſcipere recuſantes, ſi Clerici ſint, a miniſterio & beneficio eos removeat, aut etiam pro criminis magnitudine excommunicet: Laicos extra communionem Sacramentorum & conſortium hominum locet, ab omnibus vitandos, donec ad cor revertantur, & crimina ſua agnoſcentes, pœnitentiæ remedia ſuſcipiant.

Poſtea, Viſitator omnes in univerſum moneat, ut non ſolum, qui publice peccarunt: ſed etiam, quorum conſcien-

ſcientiæ occulto peccatorum reatu tenentur obſtrictæ, ipſi, aut eis, quos in comitatu ſocios & cooperatores habet, privatim confiteantur, ut poteſtate a Deo Epiſcopis data, abſolvi a vinculis ſuis mereantur, & ſecretius pœnitentia ſalutari impoſita ſatisfacere.

Ad hanc formam viſitent quoque, & inquirant, ac pœnitentiam injungant Archidiaconi & Decani rurales in ſuis regiunculis. Graviora vero, & quæ per ipſos emendari nequeunt, referant, uti ſupra dictum eſt, ad Epiſcopum & Synodum Epiſcopalem, publico judicio ſubmittenda: eorum enim viſitationes parvæ quædam & particulares ſunt Synodi, Synodo majori ſubjectæ, & ſecundum ejus judicium dirigendæ.

De Synodis.

TITULUS VIGESIMUS PRIMUS.

SAlus Eccleſiæ, terror hoſtium ejus, & fidei Catholicæ ſtabilimentum ſunt Synodi, in quibus potiſſimum eminet Epiſcopalis apicis authoritas. Quapropter Apoſtoli, & poſt Apoſtolos magna illa Concilia, Chalcedonenſe & Lateranenſe, ſtatuerunt, ut Epiſcoporum Comprovincialium Synodus quotannis bis celebraretur. Quod cum in Germaniis, propter Provinciarum latitudinem, fieri, ſit difficile: ſaltem Diœceſanam Synodum bis quotannis celebrare eſt neceſſe, in qua Archidiaconis, Abbatibus, Prælatis, Decanis, Presbyteris, Parochis, & Clero ſuo Epiſcopus, Synodi caput, præſideat, quem a Synodo abeſſe non licet, niſi inſuperabilis impotentia adimat ei facultatem. Concilium vero Provinciale, ſtatuerunt Patres Concilii Baſilienſis, ad minus de triennio in triennium debere celebrari.

Primo Synodi die, præſentibus, qui ei intererunt, invocetur Spiritus Sanctus. Deinde Epiſcopus, aut alius quiſpiam, cui ille hoc negotii impoſuerit, adhortetur omnes ad promovendum ſtudium pietatis, & Eccleſiaſticam diſciplinam, ac correctionem vitiorum emergentium. Poſt exhortationem legantur noviſſimi Concilii Generalis, vel Provincialis, nondum publicata decreta.

Deinde ejectis, ad publicationem Synodi uſque, Laicis & Clericis minorum ordinum, & eis, qui ad ſecreta Synodi conſilia non pertinent, intromiſſis illis tantum, qui in conſeſſum Synodalem recipiuntur, & Sacerdotibus ac dignioribus e Clero, cauſam Epiſcopus exponat, aut alteri exponendam imponat, ob quam Synodus ſit coacta, jubeatque ſingulos per Juramentum, Notariis, qui omnia excipiant, aſſidentibus, proferre in medium, Eccleſiarum ſuarum, Prælatorum quoque & populi, ſive præſentium, ſive abſentium, vitia gravia, quæ a Synodo corrigantur, abſque ullo perſonæ reſpectu: Si ſit Paſtor aliquis non legitimus, aut per vim intruſus: ſi negligens officii & incorrigibilis: ſi in Clero quis Simoniacus: ſi hæreſes ſuppullulent: ſi in officia Divina irrepant abuſus: ſi Prælatis, aut Parocho bene præſidenti rebelles ſint inferiores: ſi ulli male præſideant: ſi per tyrannidem potentiorum, aut Judicia injuſta opprimatur Eccleſia, populus, viduæ, vel orphani: ſi ſacrilegia committantur: ſi violentur Eccleſiæ jura: ſi uſurarii ſint in Clero, vel populo, ſi inceſtuoſi: ſi enormia crimina admittantur, a quibus nolint deſiſtere, aut agere pœnitentiam.

Audiantur quoque appellationes eorum, qui ad Synodum provocarunt, & abſentium legantur epiſtolæ. Denique & Laicis fiat poteſtas, ſuas querelas, modo res Eccleſiaſticas concernant, aut ad judicium Synodi pertineant, proponendi in ſcriptis, aut per Sacerdotem, aut Advocatum aliquem: aut ſi viri ſunt digni, intromitti poſſunt, & audiri præſentes, non una tantum ſeſſione, aut die uno, ſed duobus, tribus, quatuorve, aut quinque, donec fuerit Synodus de cauſis ſufficienter informata.

Perceptis vitiis & querelis, conſultandum inter Synodales communiter & privatim, qua ratione arbitrentur, audita incommoda emendari poſſe, & tolli. Ad quæ conſilia etiam Theologi & Juriſperiti, ſi res poſtulat, adhibeantur: & nemo diſcedat, donec cau-

ſæ omnes finiantur, dimittaturque Synodus.

Ubi de executione eorum, quæ Synodi pars potior probabit, fuerit conſtitutum; pulſatis campanis ad publicationem admittantur omnes, renoventurque Canones, ad correctionem vitiorum, de quibus tractatum fuit, & eorum extirpationem valentes, aut etiam novi pro diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ac pietatis reſtitutione condantur. Si quid non finiatur, rejiciatur ad Synodum Provincialem, illic diſcutiendum & definiendum: rogeturque Metropolitanus, ut quamprimum fieri conveniet, Concilium Provinciale indicat.

Peractis omnibus cantetur: *Te Deum laudamus*, dimittanturque Clerus & populus cum Benedictione Epiſcopali.

De Excommunicatione.

TITULUS VIGESIMUS SECUNDUS.

CUm excommunicandi poteſtas in hoc a Chriſto Eccleſiæ tradita ſit, ut impii, ſcelerati, contumaces, rebelles & incorrigibiles, ab Eccleſia, a Sacramentis & communione fidelium pellantur, tradanturque Sathanæ in interitum carnis, donec ſuffuſi pudore reſipiſcant, & abnegata impietate, digna pœnitentia pro flagitiis ſuis Eccleſiæ ſatisfaciant, ejusque ſe judicio ſubmittant; ſummopere Chriſtianis veris metuenda eſt, nec leviter in aliquem ſtringenda.

Cavebit ergo Judex, ne ob alias cauſas, quam criminales, easque valde graves ac letales, magno cum judicio, Divinam hanc cenſuram, qua nulla eſt major in Eccleſia, proferat in eos, qui aliter corrigi non poſſunt: ſic tamen, ut feriendo magis ſanet, quam ut prorſus interimat, atque ut ſpiritus ſalvetur in die Domini. In cauſis vero mere Civilibus, Juris Civilis diſpoſitiones obſerventur.

Excommunicati ſecundum Sacros Canones & Scripturas, ſub gravis reatus incurſu, ab omnibus vitari debent, & a nemine recipi in conſortium, vel familiaritatem: nec ante ad Sacramenta & communionem fidelium admitti, aut abſolvi; quam pœnitentia ducti, veniam ſupplices poſtulent, ſpondeantque emendationem, & non modo Eccleſiæ digna pœnitentia pro perpetratis ſceleribus, ſecundum Sacerdotis judicium, ſatisfaciant, verum etiam illis, quibus injuriam intulere. (*n*)

F I N I S.

(*n*) *In Formula, anno 1559. recuſa, hæc ſequitur concluſio*: Poteſt quidem Eccleſiaſticæ hujus Reformationis Formula, brevis ac ſuccincta, ad depravatos utriusque Reipubl. hominum mores, Introductio quædam æſtimari; Sed pius, ac Catholicus Lector paulo altius ea memoria repetat, quæ poſt promulgationem, approbationem, & acceptationem ejusdem, anno abhinc undecimo factam, Archi-Epiſcopi, & Sacri Rom. Imp. Electores, aliique inſignes, avitæ, ac veræ Religionis vindices Præſules, ſalubre hoc Inſtitutum promovendi, ac provehendi ſtudio, non abſque magna & accurata diligentia in lucem eodem anno ediderunt: ut ſunt eorum, quorum jam facta eſt mentio, Antiſtitum Conſtitutiones, & Decreta Provincialia, illisque adjectæ Inſtitutiones, ad veram & Catholicam Fidem colendam, propagandam, & retinendam, non tam utiles, quam neceſſariæ. (*) Ea quidem omnia, & quæcunque alia Chriſtianæ Reipubl. quocunque modo profutura fuerint, huic Formulæ adjungenda eſſe, ſibi perſuadeat. Nam in hoc uno elaborabunt rerum Eccleſiaſticarum gubernaculis admoti Præſides, ne quicquam in ſuſcepto negotio, feliciter conficiendo, deſiderari queat: quin potius omnia ad laudem & gloriam DEI Omnipotentis, ad Eccleſiæ & Catholicæ Religionis conſervationem, Eccleſiaſticique Ordinis, & Status repurgationem, Divina favente Clementia, ſancte, pie, & decenter peragantur, & conficiantur. Ad quod quidem præſtandum, & obſervandum Archi-Epiſcopi, cæterique Præſules & Eccleſiarum Præ-

(*) *Conſtitutiones has & Decreta vide ſupra in hoc Tomo in Conciliis Provincialibus Moguntino, Trevirenſi, & Colonienſi, aliisque Diœceſanis, annis 1548. & 1549, tum etiam 1550. celebratis: Inſtitutiones autem Catheche ticas, Synodis Provincialibus Colonienſi, Moguntinæ & Trevirenſi adjectas, prætermiſimus; tum ne nimium exceſceret hoc opus; tum, quod licet in Synodis iſtis promiſſæ, earundem tamen auctoritate, ſaltem omnes, confirmatæ non fuerint.*

Prælati teneantur & adſtricti ſint: & dent operam, ut omnia ad effectum deducantur, paratamque executionem conſequantur: cum fruſtra condantur Leges, Canones & Decreta, & omnis generis Statuta, niſi ſalubris & diligens eorum obſervatio ſubſequatur.

Addenda his viſa eſt, quæ poſteriori Formulæ hujus Reformationis, anno 1559. præmiſſa fuit Præfatio, his verbis concepta:

Ad Chriſtianum & Catholicum Lectorem.

EN tibi, Chriſtiane, & Catholice Lector, exhibetur Formula Reformationis Eccleſiaſticæ Sacratiſſimi & Invictiſſimi, felicis recordationis CAROLI, ejus nominis Quinti, Romanorum Imperatoris, &c. nunc denuo in Imperiali Conventu Auguſtæ Vindelicorum reviſa, & adjectionibus quibusdam aucta, cui in hac cauſa Reformationis trium Provinciarum Moguntinenſ. Colonienſ. & Trevirenſ., ac quarundam illis ſubditarum Cathedralium Eccleſiarum Anno MDXLVIII. decretæ, & editæ Provinciales, & Diœceſanæ Conſtitutiones adjungendæ ſunt. Ad quarum omnium normam, ſtatutis & jam diffinitis temporibus, earundem Provinciarum, & Diœceſium Eccleſiæ, Divina juvante Clementia, reformabuntur. In qua re Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, & reliqui Eccleſiarum Proceres nihil inauſum, & intentatum relicturi ſunt, quo omnia, quæ ad uniuscujusque muneris functionem, ad Eccleſiæ repurgationem, veteremque Cleri diſciplinam revocandam attinent, repurgentur, eodem DEO Opt. Max. favente, & annuente, cui gloria & honor perpetuum in ævum duraturus. Interim vale Chriſtiane & Catholice Lector, & in Domino vera, & Catholica Fide, Religioneque confortare.

Additiones hæ deprómptæ ſunt ex antiquo exemplari, excuſo Moguntiæ typis Franciſci Behem anno 1559. Ipſa vero Synodus Cameracenſis, una cum antiquis Statutis, cæterisque adjunctis, deſcripta eſt ex Parte I. Statutorum Synodalium Eccleſiæ Cameracenſis, impreſſa Pariſiis anno 1739.

SYNODUS DIOECESANA COLONIENSIS AUTUMNALIS Eodem anno MDL.

SUB ADOLPHO III. ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, &c.

ACTA ET PUBLICATA IN SACRA SYNODO DIOECESANA COLONIENSI, Feria 5ta poſt Remigii Epiſcopi ſolenniter celebrata Anno M. D. L.

Propoſitio Commiſſariorum Reverendiſſimi D. ADOLPHI, Archi-Epiſcopi Colonienſis &c.

CUm Sacra Synodus Diœceſana Autumnalis Agrippinæ Coloniæ ſecunda menſis Octobris conveniſſet, poſt invocatam ſuppliciter gratiam Spiritus Sancti, & orationem juxta piam ac doctam, de officio Sacerdotali habitam, ac poſt nominum recitationem, & præſentium annotationem, Reverendus in Chriſto Pater, Dominus JOANNES *Cyrenenſis Epiſcopus*, Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Illuſtriſſimi Principis & Domini, Domini ADOLPHI, Archi-Epiſcopi Colonienſis, Principis Electoris &c. in Pontificalibus Vicarius, ceterique ejusdem Domini Archi-Epiſcopi Commiſſarii, ad infraſcripta ſpecialiter delegati, ſecundum mandatum ipſis factum, quod & publice Synodo prælectum eſt, *Libellum commonitorium* memorati Reverendiſſimi Domini, Domini noſtri Archi-Epiſcopi, *Decreta* & Mandata ejusdem in hac Sacra Synodo publicanda & firmanda complectentem, ad ipſos ſub Archi-Epi-

Episcopali Sigillo transmissum, consedentibus Abbatibus & Prælatis, Christianitatumque Decanis, & aliis quamplurimis, tam Ecclesiastici, quam secularis status, frequenti numero adstantibus, sonora & bene perceptibili voce publice prælegi & recitari fecerunt in modum subsequentem.

Reverendissimus in Christo Pater, & Illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus ADOLPHUS, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Princeps Elector, Westphaliæ & Angariæ Dux, Legatusque natus &c. Suæ Sacræ Synodo jam instanti, cui in præsentiarum ob alia quædam ardua negocia, quæ Celsitudinem suam impeditam tenent, personaliter interesse non potest, suam mentem & sententiam per suos Commissarios in modum subsequentem exponere operæ pretium duxit; ne per suam absentiam, eorum, quæ (si adesse potuisset) præsens egisset, quid desideretur.

Initio non ambigit sua Reverendissima Celsitudo, Sacram Synodum non parum mirari, quod cum jam dudum ipsa in Concilio suo Provinciali anno M.D.XLIX. solenniter celebrato, & deinde in duabus subsequentibus Synodis Diœcesanis, tam pie pollicita sit, se visitationem universalem, juxta Sacrorum Canonum Instituta, per totam suam Diœcesim sine mora adornare, atque eadem, velut unica via, ad hoc accommoda & opportuna, Reformationem Ecclesiarum a Cæsare propositam, & ab Ecclesiasticis Statibus receptam, suaque Decreta Provincialia pro sua virili, adjuvante Domino, executioni debitæ demandare velle: Cumque insuper ea omnia fecisse videatur, quæ ad tanti operis inchoandi præparationem necessaria existimantur, edita etiam visitandi & inquirendi formula, & dato mandato Prælatis ac Parochis, subditis suis denunciandi Visitationem jam jam instare, hortandique eos ad Visitatorum adventum præsto esse, & salutari disciplinæ a Deo mandatæ, se reverenter subjicere: Quinam ergo fiat, ut ejusmodi Visitatio tam necessaria, & ab omnibus piis hucusque desiderata & exspectata, suum progressum non habuerit.

Ne igitur sacra Synodus, aut alii quicunque, eam de Reverendissimo opinionem concipiant, quasi fervor ille ac zelus, quo opus Domini jam dudum agere, ac urgere cœpit, paulatim deferbuerit, aut refrixerit: neve Celsitudini suæ a quovis imputetur, quasi minus steterit promissis; Ea de re ad omnem sinistram suspicionem depellendam & eximendam, sua omnino interesse putavit, hanc Sacram Synodum certiorem facere, quidnam hactenus confici & absolvi potuerit, maxime ne hæc qualiscunque mora in calumniam rapiatur, aut scandali occasionem præbeat iis: qui in suis officiis exequendis segniores inveniuntur.

Nosse ergo Sacra Synodus debet, Reverendissimam Celsitudinem a celebratione Provincialis sui Concilii, huc potissimum cogitationes suas semper & sedulo contulisse, quo tandem modo visitationem promissam maturare & absolvere possit. Hoc autem cogitanti in mentem venisse, id inprimis curandum esse sibi, ne videlicet operam pariter perderet, & impensam, ut sæculares potestates per suam Diœcesim constituti, admoniti de hoc sancto instituto, consensum suum ad ejus peractionem libere adhiberent, & quæ se decent, & Cæsar jussit, pro ejusdem executione non gravate præstarent: Nempe, ut mittendis Visitatoribus suum (ut vocant) salvum conductum darent, & plenam ac securam suas ditiones perambulandi, hujus sacræ functionis explendæ gratia, potestatem facerent: Dein ut Visitatoribus omnem legitimum favorem, auxilium & opem impartirent, & per suos ministros & officiarios impartiri juberent, & id curarent, ne quid illis rerum necessariarum comparandarum deesset: Utque demandarent subditis suis, ut se morigeros Visitatoribus exhibeant, & obtemperent: Denique ut Visitatoribus assisterent, in rebellibus, perversis & refractariis, ut se decet, coercendis.

Jam licet Celsitudo ejus Reverendissima id apud omnes illos necdum impetraverit, seu perfecerit; ut nihilo secius

secius in re bene cœpta, quo ad ejus in præsentiarum fieri potest, pergat; suis Commissariis in mandatis dedit, ut de his potissimum, quæ in Synodo proxime celebrata salubriter constituta, & communi assensu recepta sunt, pro ulteriori futuræ Visitationis expeditione diligenter inquirant, ac interrogent Prælatos & Christianitatum Decanos: utpote, an quisque pro suo gradu ac munere ejusmodi statutis & decretis, quatenus ea se concernunt, satisfecerit, & suos subditos satisfacere eisdem curaverit, & quantum hac in re apud suos jam promoverit: hoc est, an visitandi formulam sibi commissis, seu suis subditis, ordine prælegerit, & de personarum, rerumque omnium statu diligenter inquisierit: An, quæ comperit contra fidem & bonos mores invecta, fideliter correxerit: An acta in hoc negotio a se, conscripserit: quæ si habet, exhibere jubeatur. An quas corruptelas invenerit: quas sua authoritate corrigere non potuerit: Et an alicubi (quod ipse sciat) hæreat, seu foveatur pseudologus Concionator, vel Pedagogus, seu Ludimagister, de fide & religione suspectus: Et quibusnam libris, religionem contingentibus, tam Ecclesiastici, quam sæculares, qui sub ipsius administratione sunt, utantur: Et sintne, qui ipsi recusarint libros suspectos & hæreticos tradere. An sciat, sub sua gubernatione aliquas Ecclesias Parochiales, legitimis Rectoribus, sive Curatoribus carentes, aut sine Canonica Institutione invasas, aut a Monachis, sine Superiorum suorum licentia, vel quod gravius est, apostatis, seu his, qui publicis flagitiis obruti sunt, occupatas. An principales Rectores apud suas Ecclesias personaliter resideant: Et an hi Vicariis utantur, per Nos, vel Archidiaconos nostros, nec exploratis, nec admissis. An in Collegiis disciplina Capitularis sit restituta, & quatenus: & an in Monasteriis Scholæ sint institutæ. An Sacerdotes vestitu se decenti, & orariis, seu collariis utantur: An sint Presbyteri, qui in anniversariis & exequiis, compotationibus & ebrietatibus adhuc indulgeant. An in Parochiis sustineantur hæretici, vel schismatici, seu publice flagitiosi, qui in suis sceleribus contabescentes, absque dignæ pœnitentiæ actione irrumpere nihilominus velint ad participationem sacrorum. An sint in Christianitatum Decanatibus Ecclesiarum Rectores, seu alii Presbyteri, vel in sacris Ordinibus constituti, qui mandato in prima Synodo Reverendissimæ Celsitudinis suæ, de abjiciendis concubinis publicato, nondum paruerint, suæ impuritati adhuc insordescentes. Denique explorabunt, an Superioribus diebus per Decanatus Christianitatum, per Laicos authoritate sæculari visitatio ulla usurpata sit: & qui Laici isti fuerint: quæ mandata produxerint: & quid ipsis Decanis, & Ecclesiarum Rectoribus injunxerint vel imposuerint: & vicissim, quid facere eos, prohibuerint. Et si quæ sunt alia necessaria, ea omnia exploranda erunt: Et requirendum, ut quisque indicet oppida & pagos sibi vicinos, in quibus scholæ institutæ sunt: utque indicent viros idoneos, ejusmodi oppidis & pagis vicinos, quibus Reverendissimus munus examinandi hosce Ludimagistros & eorum libros deleget.

TERTIO. Cum Reverendissimus in proxima Synodo edictum quoddam publicaverit, in quo sententiam excommunicationis majoris incidisse declaravit eos, qui Parochiales Ecclesias, absque Canonica institutione, detinent occupatas: vel authoritate Superiorum suorum non admissi, seu enormibus flagitiis irretiti, eas publico cum scandalo administrant; comperiat autem, hactenus eo edicto & mandato parum effectum esse, sed inobedientiam & rebellionem continenter serpere, atque adeo jura sua Episcopalia (quæ Canon *Honorii Tertii*, qui legitur *in Decretalibus Pontificum*, sub Titulo: *De officio Judicis ordinarii. in C. conquerente Oeconomo*, renarrat) passim proculcari, & omnem Ecclesiasticam evanescere disciplinam: idcirco, cum crescente contumacia, crescere debeat & pœna, & gravioribus morbis fortiora sint adhibenda pharmaca: Reverendissimus novum edictum, seu mandatum, maturo consilio editum, adversus istos, disciplinæ jurisdictionis suæ Ecclesiasticæ temerarios & pervicaces

ces contemptores & proculcatores, in hac ſancta Synodo promulgari & publicari mandat, quod ſequitur in hæc verba:

MANDATUM NOVUM

contra Diſciplinæ Juriſdictionis Eccleſiaſticæ temerarios & pervicaces contemptores.

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, APOSTOLICÆQUE SEDIS LEGATUS NATUS, UNIVERSIS ET SINGULIS NOSTRARUM CIVITATIS ET DIŒCESEOS COLONIENSIS INCOLIS ET SUBJECTIS, TAM ECCLESIASTICI, QUAM SÆCULARIS STATUS, CUJUSCUNQUE ORDINIS VEL CONDITIONIS FUERINT, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUanquam Divinis legibus, quibus omnis anima ſubjecta eſt (*a*), omniſque humana poteſtas abſolutam obedientiam debet, ad Epiſcopos & Archidiaconos, quibus clavis jurisdictionis eſt commiſſa, (*b*) pertineat providere, ne quiſquam inexploratus ad Eccleſiarum miniſteria & animarum curam gerendam admittatur: neve qui principales Eccleſiarum Rectores dici volunt, paſcendi ſuorum gregum curam in Mercenarios vel Vicarios, qui prius examinati & admiſſi non ſint, relegent, juxta illud Apoſtoli ad Timotheum, Epheſiorum Epiſcopum ſcribentis: (*c*) Hi probentur primum, & ſic miniſtrent: Ad hæc, licet eodem Divino Jure ad ſolos Eccleſiaſticos Judices ſpectet, Clericos, cum in cauſam, vel ob negotia civilia, vel crimina trahuntur, judicare: quod ſatis indicat Apoſtolus, cum eundem ſuum Timotheum monet, (*d*) ne adverſus Presbyterum accuſationem recipiat, niſi coram duobus aut tribus teſtibus: Ac eorundem etiam proprium munus ſit, de cauſis Spiritualibus, ſeu Eccleſiaſticis, quales inter alias ſunt, cum de inſtitutione vel deſtitutione Clericorum, ſeu jure præſentandi, inſtituendi, conferendi, ſeu providendi, agitur: Vel ſuper Decimis, aliiſque Eccleſiaſticis rebus, bonis, facultatibus, proventibus & obventionibus, ſeu teſtamentis ad pias cauſas conditis: Vel cum de conjugiorum nexu & vinculis, aut de uſuris, aliisve ſimilibus ſpiritualibus negotiis diſceptatur, cognoſcere: Id quod ſatis Caput quintum Actuum Apoſtolicorum, & ambæ Paulinæ ad Corinthios Epiſtolæ indicant: Denique ipſorum muneris ſit, de criminibus & flagitiis, quæ Eccleſiam ſcandalizant, ex officio inquirere, inquiſita & cooperta Eccleſiaſticis pœnis coercere, ac inobedientes, refractarios, & pœnitentiam recipere recuſantes excommunicare, excommunicationiſque vim, ad ipſam uſque animam pertingentem, ſtrenue tueri, ſicut Dominus præcepit, (*e*) dicens: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus: In primis autem (ut Apoſtolus Titum ſuum, Cretenſium Epiſcopum (*f*) docet) hæreticos a fidelium conſortio ſeparare, & Sathanæ tradere, ut diſcant, non blasphemare: Conſtetque ejusmodi Divinas leges, per Apoſtolorum Canones, non multo poſt a Sancto Clemente conſcriptos, fuſius explicatas: Ac deinde ſubſequentium vetuſtiſſimorum Conciliorum Decreta ſanxiſſe, ut hæc in omnibus Eccleſiis irrefragabiliter obſerventur: (*g*) Specialiter vero in Generali Concilio Lugdunenſi conſtitutum ſit, eum, qui ad regimen Parochialis Eccleſiæ aſſumitur, quo gregis ſibi crediti curam gerere diligentius poſſit, in ea Eccleſia, cujus Rector eſt, reſidere perſonaliter debere, & intra annum, a ſibi commiſſi regiminis tempore, Sacerdotio initiari: alioqui interea non initiatum, ſua Eccleſia, nulla etiam monitione præmiſſa, ipſo jure privatum fore:

(*b*)

(*a*) *Rom.* 13.
(*b*) C. 1. c. *Ad hoc.* & c. *Ut noſtrum.* De offic. Archidiac.
(*c*) 1. *Tim.* 3.
(*d*) 1. *Tim.* 5.
(*e*) *Matth.* 18.
(*f*) *Tit.* 3.
(*g*) C. *Licet.* De Election. in 6.

(*h*) Nullum quoque talium Rectorum a continua facienda residentia excusatum esse aliter, quam si, causa rationabili id exposcente, per Superiorem suum, ad hoc potestatem habentem, super ea, sed tamen ad tempus minime longum, canonice sit dispensatum: quando tamen (ut non multo post, Bonifaciana Constitutione sancitum est) (*i*) Ecclesiam suam non per quoscunque, propria authoritate accersendos, sed per bonos & sufficientes Vicarios, ab eodem suo Superiore exploratos & admissos, a quibus animarum cura diligenter exerceatur, & deserviatur laudabiliter in Divinis, regere & gubernare debeat: quibus etiam Superioris arbitrio moderanda, ad victum necessaria, congrue suppeditentur, uti hæc fusius in memoratis Canonicis continentur institutis: quæ & postea recolendæ memoriæ hujus Sanctæ Sedis Antistites, nostri Prædecessores, per suas Constitutiones Provinciales & Synodales, qua late patet nostra Provincia, firmiter observari mandarunt: inter quos quondam Dominus Vuichboldus (*k*) & Vualramus (*l*) Archiepiscopi, non pauca contra eos, qui Ecclesiis Parochialibus Præfecti, ad Sacrum Presbyteratus ordinem promoveri non curant, vel residentiam non faciunt personalem, statuerunt: idemque Vuichboldus expresse sanxerit, (*m*) quod nullus deinceps Presbyter ad regimen & curam animarum loco Coadjutoris, vel Vicarii, aut socii, per Ecclesiarum, vel Capellarum, vel Altarium Rectores assumatur, absque literis testimonialibus proprii sui Episcopi, profitentis, talem rite secundum claves Ecclesiæ ordinatum esse, & executionem sui officii habere: decernens, omnes, qui contra fecerint, excommunicationis sententiæ subjacere: & quod ad Jurisdictionem Ecclesiasticam attinet, constet, bonæ memoriæ Engelbertum Archiepiscopum, in suo Provinciali Concilio (*n*), memoratis Juris Divini & humani Regulis insistentem, districte prohibuisse, ne Clerici, vel Religiosi, quamvis ob causam ad Judicia sæcularia trahantur, neve a laicis contra eos sententia dictetur, idque sub excommunicationis, & aliarum pœnarum, ipso facto incurrendarum, interminatione: qui & eadem sua Constitutione decrevit, Clericum ad talem vesaniam venientem, ut alium Clericum ad forum sæculare, suo, vel Ecclesiæ, vel alterius cujuscunque nomine, in causam trahere præsumpserit, causam suam eo ipso amittere: Et, si monitus, incontinenti non destiterit, ac intra septem dies in causam tracto, & Ecclesiæ non satisfecerit competenter, sententiam suspensionis ab officio & beneficio incurrere debere: Et si suspensione hujusmodi durante, se vel officio, vel beneficio ingerat, excommunicandum, & excommunicatum publice nunciandum: Eundemque, si in ejusmodi contumacia & excommunicatione per tres septimanas permanserit, ex tunc beneficio, si quod, vel curam annexam habens, vel a cura liberum possideat, eo facto ipso privatum esse censendum, & ad rehabendum idem beneficium inhabilem fore: sin autem nullum beneficium habeat, inhabilis etiam sit ad habendum: Ac idem præterea Engilbertus Archiepiscopus (*o*) pro nervo Ecclesiasticæ disciplinæ conservando, in omnes & singulos Parochialium Ecclesiarum Rectores & Plebanos, ac Hebdomadarios Ecclesiarum Conventualium, qui in suis Ecclesiis vel Capellis mandata Ecclesiastica in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus exequi, & qui excommunicationis sententia innodatos, excommunicatos denunciare recusaverint, sententiæ excommunicationis decreverit subjacere: quos & depositionis periculum formidare voluit, si Di-

(*h*) D. c. *Licet.* §. *Super Residentia.*

(*i*) C. *Cum ex eo.* §. *Porro.* eod. Lib. 6.

(*k*) Vide *Tomo IV. Conc. German. Statuta WICHBOLDI Archi-Episcopi Colon.* edita in Synodo anni 1360. pag. 37.

(*l*) Statuta hæc WALRAMI vide *eod. Tomo IV. nostro* pag. 434. 436. 439.

(*m*) *In dicta Synodo Wichboldi* pag. 38. Cap. *Quia vero.*

(*n*) Vide *Tom. III. Conc. Germ. pag.* 621. Statutorum Engelberti II. Cap. IX. X. & XI.

(*o*) Vide *ibid.* in ead. Synodo Engelberti *pag.* 629. Cap. XL.

si Divinis se ingesserint sic ligati; ita ut nisi celeri satisfactione sibi prospexerint; monitione præmissa, a suis Ordinariis, beneficiis, quæ habent, priventur: aliis personis idoneis per eos, ad quorum collationem beneficia pertinent, eorum loco surrogandis: Quibus omnibus accedit, quod Invictissimus juxta & Religiosissimus Imperator CAROLUS QUINTUS, Dominus noster Clementissimus, in *Formula Reformationis*, anno 1548. proposita & recepta, hoc a Principibus sæcularibus, & Magistratibus civilibus requirit, nempe, ut Episcoporum & Prælatorum Decreta fideliter exequantur, jurisdictionemque ac immunitatem Ecclesiasticam, Imperatorum Legibus, & sacris Canonibus, Episcopis & Clero tributam ac firmatam, tueantur & conservent: utque excommunicati secundum Sacros Canones & Divinas Scripturas, sub gravis reatus incursu, ab omnibus vitentur, & a nemine, nisi obtenta absolutione, in consortium & familiaritatem admittantur: Nos denique pro ejusmodi *Reformationis* debita executione facienda, in memorata Provinciali nostra Synodo, de totius assensu Concilii, Magistratibus & Judicibus sæcularibus interdixerimus, ne quovis modo mandatorum & sententiarum Ecclesiasticorum Judicum executionem, modo excommunicationis censuram vitare velint, impediant; Neve in Matrimonialibus, aut aliis spiritualibus quibuscunque causis, ad cognitionem solius Ecclesiastici Judicis spectantibus, inter suos subditos vel alienos dijudicent, nec dispensandi, seu transigendi potestatem in Matrimonio, seu gradibus prohibitis sibi usurpent; sed ejus generis causas omnes ad Judicis Ecclesiastici cognitionem & definitionem remittant: Porro ejusmodi causarum spirituales Judices non alii sint, quam Nos, nostrique Archidiaconi (*p*), & quibus contentiosæ jurisdictionis exercitium de jure vel consuetudine competit: non Decani Christianitatum (*q*), qui, ut Canon Synodi Ravennatensis habet, ita debent præesse plebibus suis, ut hac quidem in parte in nullo titubet Ecclesiastica solicitudo: Sed cuncta tamen referant ad Episcopum, nec aliquid contra ejus Decretum ordinare præsumant: Eaque de re quondam Henricus Archi-Episcopus, Prædecessor noster etiam statuerit, (*r*) ne Decani Christianitatum de causis, ad Nos, & Consistorium nostrum de jure vel consuetudine spectantibus, maxime Matrimonialibus, & aliis quibuscunque, causæ cognitionem exigentibus, præterquam in Synodalibus, quocunque modo, causa, vel colore quæsito, se intromittant, disponant, vel cognoscere audeant: Sed ad Nos, & Officialis nostri examen sine difficultate remittant, sine Canonico decidendas: qui vero contrarium fecerit, in nostram jurisdictionem falcem mittendo, ipso facto excommunicationis sententiæ voluerit subjacere, illorum nihilominus sententias & processus cassans & irritans, cassosque & irritos declarans: Quanquam, inquam, hæc omnia ita habeant, quamobrem merito debuissent, ac deberent universi, nostræ Archiepiscopali curæ commissi, & imprimis, qui Clericalis, seu Ecclesiastici ordinis existunt, memoratis Juris Divini & humani Legibus, & Provincialibus, Synodalibusque Constitutionibus per omnia reverenter parere, & obedire, easque quantum quemque concernunt, exequi, & effectui debito mancipare: Attamen non præter animi nostri gravem molestiam, certissimis testimoniis cognovimus, atque ipsa rerum experientia didicimus, has Divinas & Canonicas præceptiones, complures, qui neque DEUM metuunt, neque homines reverentur, malitiose & perviciter violare. Sunt enim, qui manu prorsus sæculari, sine Canonica manuum impositione, Ecclesiarum regimini ineptos, & solo nomine Clericos, suæ ordinationis & obedientiæ (quam suis Episcopis & Prælatis jurejurando promissam, debent) penitus oblitos, ac alias ætate, scientia, & moribus minime idoneos, damnabiliter ingerunt. Sunt, qui ad Ecclesias Clericos ea conditio-

(*p*) C. 1. c. *Ad hæc.* De offic. Archidiac.
(*q*) C. *Ut singulæ.* De offic. Archipresbyt.
(*r*) In Synodo Colon. anno 1306. celebrata. *Vide Tomo IV. nostro pag.* 103. *Cap. VII.* Monemus.

ditione ac pacto præsentant, ut ipsi majorem redituum Ecclesiæ partem sibi, non sine sacrilegio, retineant, & usurpent. Sunt, qui ad Parochiales Ecclesias instituti, ad sacrum Presbyteratus ordinem, quem eorum vocatio postulat, promoveri minime curant. Sunt, qui nulla subsistente legitima causa, a suis Superioribus comprobata, apud suas Ecclesias residentiam non faciunt personalem. Sunt, qui sine nostra, seu Archidiaconorum nostrorum exploratione & permissu, Vicarios & mercenarios ad curam animarum, ipsis commissam, gerendam, propria authoritate, seu temeritate verius, sibi substituunt. Inter quos hac deplorata tempestate passim inveniri constat, homines ignotos, peregrinos, & ex aliis sæpe territoriis expulsos & fugatos, de fide & religione Catholica plurimum suspectos, atque hæresi, vel schismate contaminatos, excucullatos, & votifragos Monachos, circumambulones & errones, misere errantes, & alios in errorem mittentes, dissensionesque & rebelliones in plebibus spargentes & excitantes, & eorum, quæ Cæsarea Majestas prædicari per Imperium & observari voluit, contumaces contemptores & prævaricatores. Sunt Laici, qui Clericos, ab eorum sæculari jurisdictione exemptos, judicare tamen, arrestare, manuum violentarum injectione oblædere, capere, incarcerare, & pro sua libidine mulctare & punire præsumunt.

Sunt item Laici, qui de caussis, Sacerdotia, seu beneficia Ecclesiastica concernentibus, deque rebus & bonis, ad Ecclesias pertinentibus, ut sunt Decimæ, & aliæ Ecclesiasticæ obventiones & facultates: Similiter, qui de testamentis & legatis ad pias causas, item qui de caussis Matrimonialibus & his cohærentibus, ut sunt reclamationum, Matrimonialium impedimentorum, divortiorum, legitimitatis & similes: & generaliter & extra exceptionem de aliis omnibus spiritualibus causis & criminibus mere Ecclesiasticis, judicandi potestatem de facto arripiunt. Sunt, qui libertatem & immunitatem Ecclesiasticam horribiliter violant & infringunt. Immo, quod longe deterius est, sunt degeneres quidam Clerici, & inter hos etiam Ecclesiarum Parochialium Rectores seu Plebani, qui obliti ordinis sui, fidemque suam priorem, Deo & Ecclesiæ datam, irritam facientes, propriam suam libertatem, toti ordini Clericali concessam, & jurisdictionem Ecclesiasticam (si (rr) qua disciplina in Ecclesia non geritur) quod in ipsis est, spernunt & conculcant: adeo ut non vereantur sui ordinis Clericos coram sæcularibus Judicibus in causam trahere: quorum etiam quosdam eo vesaniæ pervenisse compertum est, ut in suis malitiis etiam glorientur, audeantque nostris, aliorumque suorum Superiorum, seu Prælatorum Ecclesiasticorum, quibus non solum ex vinculo ordinationis suæ, & juramentorum præstitorum, sed & Christiani nominis debito, nimirum ex Divini juris præceptione, subjectionem, obedientiam & reverentiam debent, nefarie illudere, atque etiam non sine gravi contumelia insultare, jactantes, jam pridem e suis terris, quas incolunt, omnem jurisdictionem Ecclesiasticam, bonis avibus eliminatam esse: & deinceps non Episcopos, & Archidiaconos, sed Principes & Magistratus sæculares (qui sibi non modo rem civilem, sed & Religionem administrare sumpserint) ipsorum Judices esse debere: per hæc se se perfidos nebulones & consceleratos apostatas, & sui ordinis persecutores declarantes. Sunt præterea Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Vice-Curatores, cum quibus etiam (ut metus est) quidam Decani rurales colludunt, qui ut impune in suis peccatis computrescant, Ecclesiasticam censuram pessime oderunt, qui mandata Ecclesiastica contra alios Rectores, seu Vicarios, & Clericos vicinarum Ecclesiarum, (tametsi ad id ex obedientiæ debito teneantur) exequi recusant, nimirum, ut illi ipsis vicissim parcant. Et inter hos sunt, qui pro sua ementita & conficta excusatione obtendunt, sibi ejusmodi exequendi facultatem per sæculares potestates, Præfectos seu Magistratus, esse interdictam; ut metu corporis, quod facere jussi sunt, facere non audeant: cum tamen sæculares istæ potestates, super his rogati, talem prohibitionem

(rr) *forte:* sine qua.

fecisse se purgent: ut illi vel hinc mendacii, & iniquæ cum sæcularibus officiariis, ad extinguendam penitus Ecclesiasticam jurisdictionem, collusionis factæ convincantur. Sunt Decani aliquot Christianitatum, qui falcem in messem alienam mittendo, quosvis ad se perductos Clericos, & quocunque modo, manu sæculari, beneficiis Ecclesiasticis occupandis designatos, horribili temeritate, & execranda manuum impositione instituunt. Sunt, qui de causis matrimonialibus, & aliis, causæ cognitionem exigentibus, non levi audacia se temere intromittunt. Sunt denique, qui censuras Ecclesiasticas (quas sacri Canones nervum Ecclesiasticæ disciplinæ proprie appellant) impie contemnunt & irrident: qui contemptim cum excommunicatis communicant, excommunicatosque Ecclesiasticæ sepulturæ tradere non formidant, & quando ipsi excommunicationis sententia ligati, seu declarati sunt, communioni tamen fidelium, atque adeo administrationi Divinorum Sacramentorum se damnabiliter ingerunt, irregularitatis & inhabilitatis notam sibi inurentes, & super se judicium Domini manducantes & bibentes, ac alia multa nefaria & horribilia committentes. Ad quæ diutius profecto connivere nequaquam possumus; nec debemus, nisi speculatoris munus, ex alto Nobis impositum, & disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ fidei & religionis retinaculum est, & Magistra virtutis, administrationem negligere penitus (quod absit) velimus.

Nos igitur ex debito Pastoralis officii nostri, ex animo cupientes tam enormes excessus, quantum in Nobis est, corrigere, & morbis tam perniciosis competentem adhibere medelam, juris pariter Divini & humani præceptiones & constitutiones insequendo, & nostrorum Prædecessorum vestigiis inhærendo, ac Cæsareæ Majestatis mentem, & voluntatem, ut par est, exequendo: Imprimis universos & singulos, Potestates, Præsides, Præfectos, & Judices sæculares, cujuscunque gradus, status, ordinis & conditionis fuerint, in Domino hortamur & requirimus, ipsis, & eorum cuilibet sub pœnis infrascriptis inhibentes, ne posthac ullos Clericos, Ministeriis Ecclesiasticis addictos, vel in civilibus, vel in criminalibus causis judicare, arrestare, capere, incarcerare, mulctare, seu aliter punire præsumant: neve memoratarum, aliarumque spiritualium, seu Ecclesiasticarum causarum cognitionem, sibi de facto usurpent.

Ad hæc, ne Jurisdictionem Ecclesiasticam in impediendis litterarum & mandatorum impetrationibus, executionibus, cognitionibus, decisionibus, & modis aliis, quibus ipsa jurisdictio exercetur & geritur, per se, vel per alios prohibeant, vel retardent, seu prohiberi, seu retardari faciant, & procurent quovis modo, dando ad hoc consilium, auxilium vel favorem. Similiter, ne de Ecclesiarum, Ecclesiasticarumque personarum rebus & bonis, ultimisque voluntatibus seu testamentis ad pias causas, aut bonis ab intestato relictis, quovis modo se intromittant, aut immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam violent aut infringant. Et quod omnium deterrimum est, ne quem Clericum, seu alium ad Ecclesias, seu beneficia Ecclesiastica occupanda, manu sæculari, sine canonica institutione intrudant. Si quis vero eorum, cujuscunque etiam status aut conditionis fuerit, contra hæc venire, & quicquam attentare præsumpserit; excommunicationis sententiam, & Canonis, & nostra etiam authoritate, quam quindecim dierum monitione Canonica præmissa, ex nunc prout ex tunc ferimus in his scriptis, se noverit incurrisse ipso facto.

Deinde repetito & innovato mandato Nostro, in novissima nostra Synodo adversus eos, qui se regimini Ecclesiarum Parochialium, seu aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum sine Canonica manuum impositione, seu legitima admissione ingerere non formidant, publicato, (s) prout idem mandatum in hac Sacra Synodo repetitum & innovatum esse volumus, monemus omnes & singulos, qui ad gerendum regimen Ecclesiarum Parochialium instituti, vel provecti sunt, ut intra tempus a Canonibus præfixum, se ad Sacerdotii ordinem promoveri faciant, & intra dies triginta proximos, quos eis pro Canonica & peremptoria monitione assignamus, apud Ecclesias suas resideant,

(s) Vide illud supra in Synodo Coloniensi Verna ejusdem anni 1550. pag. 620. hoc Tom. VI.

deant, vel coram Nobis, seu Archidiaconis nostris causam rationabilem, in jure expressam, aut privilegia, vel Canonica impedimenta, quare ad hoc minime teneantur, ostendant, & comprobent. Alioqui noverint se suis Ecclesiis fore privatos. Inhibentes nihilominus eisdem Parochialium Ecclesiarum Rectoribus sub excommunicationis pœna, quam contraventores incurrere volumus ipso facto, ne deinceps ullum Vice-Curatorem, adjutorem, vel socium ad regimen & curam animarum, absque literis testimonialibus proprii Episcopi, & Nostra, seu Archi-Diaconorum nostrorum, præcedente examinatione, & permissu, assumant. Ac sub ejusdem etiam excommunicationis incursus pœna omnibus & singulis Presbyteris, Clericis, Religiosis, seu aliis quibuscunque, districte interdicimus, ne de regimine alienarum Ecclesiarum, sub Vicecurati, adjutoris, vel socii nomine, nisi ejusmodi examinatione & admissione prævia, sibique de congrua sustentatione, pro arbitrio Superioris proviso, quovis modo se intromittant.

Insuper omnes & singulos Presbyteros seu Clericos, qui damnabili insolentia & temeritate alias Ecclesiasticas personas quocunque nomine, coram sæcularibus Judicibus in causam trahere præsumpserint, memoratis pœnis in statuto quondam Engelberti Archiepiscopi, in tales vesanos homines prolatis, volumus subjacere. Similiter eos, qui in suis Ecclesiis vel Capellis mandata Ecclesiastica in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, exequi, seu excommunicatos publice denuntiare recusaverint: aut qui cum excommunicatis communicaverint, seu eos Ecclesiasticæ sepulturæ tradiderint: seu, quod longe deterius est, se, cum excommunicationis sententia ligati sunt, sacris immiscuerint; prædictis pœnis & censuris, in ejusdem Engilberti, & aliorum Prædecessorum nostrorum Statutis, ac a jure communi expressis, volumus percelli: Mandantes Officiali & Archidiaconis nostris, ut contra tales iniquitatis & inobedientiæ filios, ad declarationem censurarum & pœnarum ejusmodi, etiam usque ad depositionem eorundem ab officio & beneficio, omni conniventia semota, indilate procedant: & quod contra eos decreverint, per censuras Ecclesiasticas faciant inviolabiliter observari. Volumusque, ut si qui se ob justum metum ejusmodi mandatorum Ecclesiasticorum executionem facere non audere prætendunt, eundem metum intra dies quindecim legitime probare teneantur: ex tunc nihilominus processu per edictum publicum in locis vicinis continuando.

Inhibemus quoque Decanis Christianitatum, ne illicitam manum, in alterius superioris præjudicium, alicui imponant: neve de causis matrimonialibus, & aliis, causæ cognitionem exigentibus, eas audiendo, vel diffiniendo, quovis modo se intromittant, sub excommunicationis pœna, ipso facto, si contrarium fecerint, per eos incurrenda.

Committimus quoque, ac mandamus omnibus Christianitatum Decanis, quatenus nomina omnium illorum, qui in suis Decanatibus Ecclesias Parochiales occupant, nec tamen ad Sacerdotii gradum intra tempus statutum se fecerint promoveri: Similiter eos, qui apud Ecclesias suas non resederint, aut Vice-Curatores inexploratos, sine admissione nostra, aut Archi-Diaconorum nostrorum assumpserint: Itidemque eos, qui se sic assumi sustinuerint: Quique in executione mandatorum Ecclesiasticorum, se rebelles, seu inobedientes exhibuerint, aut censuras Ecclesiasticas contempserint: seu etiam excommunicatione innodati, Divinorum celebrationi se ingesserint, aliisve præmissis contravenerint, Nobis & Archidiaconis suis, intra duorum mensium spatium tradant, ut ejusmodi negligentia & defectus suppleantur, & excessus gravissimi authoritate Canonica corrigantur. Alioqui in Decanos, hæc facere negligentes, sententiam excommunicationis ferimus in his scriptis.

In quorum fidem & testimonium præmissorum, has nostras mandati seu edicti literas confici, sigillique nostri appensione fecimus communiri. Datum in Arce nostra Brulensi, ipso die Sancti Michelis Archangeli, Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo.

QUARTO, cum Dei cultus & timor diebus Festis, & potissimum, quibus Dedicationes Ecclesiarum celebrantur, seu pro-

processiones fiunt: Similiter cum in Nuptialibus conviviis, & his, quæ a baptizationibus puerorum instruuntur, per commessationes & ebrietates immodicas, ab hominum male feriantium mentibus penitus excludantur, non sine evidenti Ecclesiæ scandalo, nec sine Reipublicæ & privatorum gravissimo detrimento; Ea de re Reverendissimus pro suo officio tantis abusionibus finem imponere, & quantum in se est, salubri ordinatione Divinam vindictam, ob scelera, quæ hinc sequuntur, suis subditis imminentem, avertere cupiens: aliud quoque suum edictum, seu mandatum super hac re publicari jubet, quod sequitur in hæc verba.

MANDATUM

Contra comessationes & ebrietates, & quod eam ob rem Dedicationes omnes omnium Templorum totius Diœcesis Coloniensis uno eodemque die celebrandæ sint.

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, APOSTOLICÆQUE SEDIS LEGATUS NATUS &c. UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, ET CAPITULIS TAM COLLEGIALIBUS, QUAM RURALIBUS, AC PAROCHIALIUM ECCLESIARUM RECTORIBUS, ALIISQUE PRESBYTERIS ET CLERICIS, AC UNIVERSIS NOSTRIS SUBJECTIS TAM ECCLESIASTICI, QUAM SÆCULARIS STATUS, PER NOSTRAM CIVITATEM ET DIOECESIN COLONIENSEM CONSTITUTIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

QUum inter omnia, quæ Divina Lege mandata sunt, nihil fere arctius & severius præceptum legamus, quam ut Sabbata Domini sanctificemus, custodiamus & observemus: nihil item damnatum aut punitum gravius, quam Sabbata polluta, prophanata, derisa & violata: eademque Dei Lege dictante, discamus; nullos graviori maledictione percelli, quam qui Divinorum Sacramentorum vim, quæ pro animarum nostrarum remediis & salute instituta sunt, contemptui habentes, statim ab ipsorum administratione peracta, contraria prorsus rebus, quæ sacris Mysteris significantur, agunt: & gratiam Divinam, quæ ipsorum vi, non ponentibus obicem, confertur, indigne a se repellunt, & ut Apostolus (t) ait, Spiritum Sanctum contristant: Nec mirum, quod ejusmodi contemptu non in hominem, sed in Deum ipsum peccetur, ut de eo peccati genere dictum videatur: (u) *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Dominus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Constet vero, nihil aliud esse sanctificare Sabbata, quam diebus Festis, ad honorem DEI & Sanctorum ejus institutis, soli Deo vacare, precibus, laudibus, & gratiarum actionibus incumbere, audire & pertractare verbum DEI, benefacere proximo, & omnibus bonis operibus esse intentum: E diverso vero, abstinere ab omni opere malo, & noxiis cupiditatibus, quæ militant adversus animam, & præsertim a commessationibus, & ebrietatibus, quæ cum digna Sacramentorum perceptione & Festorum celebratione compugnant: Quando enim in Sacramentorum impartitione & solennium dierum feriatione, hoc quam maxime spectare debeamus, ut abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, utque coercitis carnalibus desideriis, spiritu & mente uniamur & copulemur DEO; nihil sane ab hoc scopo nos remotius submovet, quam fœda ventris ingluvies, qua mens gravata ad DEUM sustolli non potest: ut proinde Dominus nos admonendos duxerit (x) in hæc verba: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa.* Et Apostolus ejus Paulus: (y) *Non in commessationibus & ebrietatibus, ... sed induimini Dominum JESUM CHRISTUM, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Qui & commessationes & ebrietates manifesta opera carnis esse pronuntiat (z): *Quæ prædi-*

(t) *Ephes.* 4. (u) 1. *Reg.* 2. (x) *Luc.* 21.
(y) *Rom.* 13. (z) *Gal.* 5.

prædico (inquit) *vobis, ficut prædixi, quia qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Habent enim hæc vitia alia fere omnia conjuncta, quæ ut vectes quidam ab ingreſſu regni Cœleſtis, quos detinent occupatos, excludunt. Nam non mentitus eſt, qui dixit, ventris ingluviem non modo ad libidinem provocare, ſed & omne opus bonum diſſolvere. Et illic, ubi ebrietas obtinet, ibi libidinem dominari & furorem. Quod & Salomon, dum vini potoribus omnem ſapientiam adimit, ſatis indicat, dicens: Luxurioſa res eſt vinum, & contumelioſa ebrietas. Omnis qui cum his miſcetur, non erit ſapiens. Cumque hæc non ſolum in ſcripturis doceantur, ſed rei experientia manifeſta fiant, ut quæ in conſpectum ponit, ex hoc malo graviſſima quæque flagitia agminatim profluere: Qualia ſunt horribiles blasphemiæ, immanes cædes, homicidia, pugnæ, contumeliæ in proximum, rixæ, contentiones, conflictationes & diſſenſiones, ac multiplex inobedientia tam liberorum erga parentes, quam ſubditorum, ſervorum & familiæ adverſus ſuos Principes, Dominos, Magiſtratus & Patres familias: Qualia ſunt adulteria, fornicationes, impudicitia & omnis immunditia, ſtultiloquium, ſcurrilitas & ſenſus hebetudo. Ut interim varia diſcrimina & pericula, damna quoque & jacturas publicas ſileamus, veluti, quæ ex incendiis, ebrietatis incuria occaſionem ſumentibus, & incauta ſecretorum, quæ ebrii effutiunt, manifeſtatione, ex hac a DEO tam graviter damnata & maledicta ingluvie & crapula oriuntur & ſequuntur.

Jam vero ita uſuveniat, quod ejusmodi vitia per noſtram Diœceſim, quæ maxime diebus Feſtis, & præſertim, cum Dedicationes Eccleſiarum celebrantur, & ſolemnes proceſſiones fiunt: in conviviis item Nuptialibus, & quæ a puerorum baptizationibus habentur, publico cum Eccleſiæ ſcandalo committantur, per quæ haud dubium Deus, qui nobis omnia ſuppeditat, ut illis non ad carnis incitamenta, ſed ut ſuis donis cum gratiarum actione fruamur, graviſſime offenditur, & ad immittendum in abutentes varias clades, peſtilentias, fames, agrorum ſterilitates, & bellorum motus, ſimilesque plagas juſtiſſime commovetur, quemadmodum olim populum Iſraeliticum ob ſimilem voracitatem & ingluviem duriſſimis plagis affecit, ſicut ſcriptum eſt: (*a*) *Et manducaverunt & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis: non ſunt fraudati a deſiderio ſuo. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſrael impedivit.* Et iterum: (*b*) *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, & quidam ex ipſis fornicati ſunt, & occiderunt una die viginti tria millia.* Ut prætereamus, quod præter iram Divinam, quæ de cœlo revelatur, nemo non ſentiat, ſe ſibi per cibi & potus intemperantiam, cum adverſam corporis valetudinem, tum animi ſtuporem cum ineptitudine ad res quasque rite gerendas, & facultatum inopiam accerſere: ut veriſſimum ſit, hujus tam tetri vitii frequentiam, non privatam modo perſonis ſingulis; ſed & publicam terris, in quibus vigent, inferre jacturam & perniciem. Quod & tanto abominabilius eſt in Eccleſiarum Præfectis, aliisque Clericis, quod illis de Eccleſiarum opibus, ſeu de altari vivere, non luxuriari, permittatur, illo quod ſupereſt, in pauperes erogando. Cum itaque hæc tam turpis labes, tam ferax malorum ſit, habeatque ſemper Divinæ ultionis ſeveram vindictam comitem; eo nobis annitendum quam maxime eſt, ut ex noſtra Diœceſi, quo ad ejus per Dei gratiam proviſione noſtra fieri poteſt, eliminetur.

NOS igitur pro officii noſtri Paſtoralis debito, tam pernicioſæ corruptelæ, & tot horrendis flagitiis & ſcandalis, quæ hinc, velut ex ſentina quadam dimanant, occurrere & mederi cupientes: vos omnes & ſingulos cujuscunque ſtatus, gradus, vel conditionis fueritis, in Domino hortamur, & ſub Divini interminatione Judicii monemus, & requirimus; ut poſthac omnem perditum luxum, omnesque comeſſationes, ebrietates, & ciborum, potuumque intemperantias, quæ (quod cum dolore referimus) noſtra deplorata ætate diebus Feſtis, & potiſſimum annuæ Eccleſiarum Dedicationi conſecratis, & cum proceſſiones, & circumlationes Venera-

(*a*) Pſal. 77. (*b*) 1. Cor. 10.

nerabilis Sacramenti, & Sanctarum Reliquiarum, & imaginum peraguntur, abominando abusu, instigante Diabolo, passim inoluerunt, ob Dei timorem, cum immoderatis & superfluis sumptibus (qui frustra & inutiliter, non sine pauperum Christi fraude, prodiguntur) penitus aboleatis, & quisque vestrum aboleat, prout & Nos eas deinceps per nostram Diœcesim abolitas esse volumus, & omnibus districte interdictas: ut videlicet ejusmodi abusionibus, quibus Divina Sabbata polluuntur, sublatis, unusquisque hisce diebus Deo vacare, bonis operibus incumbere, & Mysterium Dedicationis (quo animorum & corporum vestrorum, quæ viva templa sunt Spiritus Sancti, consecratio significatur) recolere digne possitis, & ut illa requirit, mores vestros componere. Prohibemus quoque sub Divini interminatione judicii, ut dum processiones, seu Venerabilis Sacramenti, vel Sacrarum Reliquiarum & imaginum circumlationes aguntur, nemo omnium, qui ejusmodi processionibus intersunt, edendo vel bibendo jejunium solvat, antequam peracta in timore Dei cum piis precibus processione, singuli ad domos suas revertantur: quando neque comessationibus & ebrietatibus indulgendum erit; sed cibus parce, cum gratiarum actione sumendus; ne gratia Divina, quæ in sacris processionibus ambitur, fœda ista temulentia, duplicato crimine, abjiciatur. Similiter interdicimus, ne diebus Festis, ante summi Sacri celebrationem peractam, vinum adustum ante templorum fores venum exponatur, vel offæ ex eodem vino confectæ sumantur: neve symbola, vel symposia in œnopoliis, seu aliis tabernis cerevisiariis habeantur.

Cæterum quoniam abusionibus istis deterrimis non modicam ansam præbuisse videtur, quod singulæ Ecclesiæ per nostram Diœcesim constitutæ, singulos per annum Dedicationis Ecclesiæ dies anniversarios hactenus celebrarunt; ad quos vicinorum oppidorum, pagorum & vicorum inhabitatores & incolæ, comessandi gratia, magna frequentia confluere consueverant, non quidem ob Dei cultum, sed magis ob symposia: Idcirco ad præscindendam hanc ansam malorum, Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, authoritáte nostra Archiepiscopali, qua Dei dispositione & favore fungimur, statuimus, volumus & mandamus, ut deinceps omnes omnium Parochialium Ecclesiarum per nostram Diœcesim universam Dedicationes uno anni die, nempe proxima Dominica post diem Cosmæ & Damiani Martyrum, quo Festum Dedicationis Ecclesiæ nostræ Majoris in Civitate nostra Coloniensi celebratur (nisi tamen in eam Dominicam Festum Michaelis incidat, quando in diem Dominicam antecedentem transferetur) ubique celebretur: idque non in comessationibus & ebrietatibus, sed cum Dei timore, decenter & honeste. Ut tamen per hæc non intendamus his diebus frugalia & hilaria convivia, post finitum sacrum officium, præter crapulam & profusionem sumptuum supervacaneorum, habere.

Similiter cum hactenus in conviviis Nuptialibus tam immodici sumptus inutiliter profusi, & tot superfluæ expensæ passim factæ & erogatæ sint, tanta hominum frequentia ad hæc convivia invitata, ut sæpe brevis hora consumpserit, quo non ad unum modo, sed ad plures aliquot annos ali familia honeste potuerit: qua etiam in re sæpe unus alterum supra ejus facultatum vires gravavit; idcirco volumus & mandamus, ut posthac ad convivia nuptialia cives in oppidis non ultra tres, nec villani in pagis & vicis non ultra duas mensas instruant, seu plures invitent, quam duabus mensis instructis accumbere possint: Permittentes interim, ut intra hunc numerum & modum invitati simul in Domino (qui Matrimonii institutor est, eodemque Christi & Ecclesiæ purissimam unionem repræsentat) collætentur. Prohibentes, ne alter alterum immoderatis & emendicatis donariis mutuum gravent aut spolient.

Denique volumus ac mandamus, ut qui a baptizationibus suorum liberorum omnino velint convivium facere, hi tantum susceptores, qui & patrini & matrinæ appellantur, cum pauculis amicis, quos una mensa simul cum illis capere possit, accersant. In quibus quoque conviviis Christianam honestatem, quæ tantum Sacramentum (quod mortificationem veteris hominis & exortum novi in Christo repræsentat) quam maxime decet, ante omnia coli optamus & requirimus: Vobis

bis omnibus & singulis, quibus Ecclesiarum administratio vel cura commissa est, in virtute sanctæ obedientiæ injungentes, ut hanc nostram piam, religiosam & necessariam ordinationem, & ipsi firmiter teneatis, & vestris subditis, vestræque curæ commissis, in Concionibus vestris Ecclesiasticis, in quibus ex Verbo Dei has deterrimas abusiones severe coarguere, & plebes ad sobrietatem Christianam diligenter cohortari & adducere debetis, tenendam & observandam inviolabiliter intimetis: nisi præter Dei vindictam, nostras quoque censuras ac pœnas, pro nostro arbitrio refractariis infligendas, experiri velitis. Dabimus quoque Præfectis & Officiariis nostris sæcularibus serium & districtum mandatum, ut cunctos laicos in nostra sæculari ditione commorantes, & huic pio & sancto edicto non parentes, mulctis & aliis pœnis pro excessuum magnitudine severe castigent.

Datum in Arce nostra Brulensi, ipso die Sancti Michaelis Archangeli, Anno 1550.

QUINTO publicari quoque jubet Mandatum de charitativo subsidio solvendo, in quod recens ad sublevandas publicas necessitates, Venerabile suum Capitulum, una cum Venerabili suo universali Clero civitatis suæ Coloniensis unanimiter consensit, cujus tenor quoque sequitur in modum subsequentem:

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, APOSTOLICÆQUE SEDIS LEGATUS NATUS &c. UNIVERSIS ET SINGULIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, DECANIS, CANONICIS, PLEBANIS, ALIISQUE ECCLESIARUM COLLEGIATARUM, PAROCHIALIUM, MONASTERIORUM, CONVENTUUM UTRIUSQUE SEXUS ECCLESIASTICI STATUS, CAPELLARUMQUR ET ALTARIUM RECTORIBUS, NEC NON VICARIIS, PRESBYTERIS ET CLERICIS NOSTRARUM CIVITATIS ET DIŒCESIS COLONIENSIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM, ET INFRA SCRIPTIS FIDEM INDUBIAM ADHIBERE.

CUm recens post impositionem primi nostri charitativi subsidii anno M. D. XLVIII. factam, ob contributiones, quas ex Sacerrimæ Cæsareæ Majestatis, Sacrique Imperii Statuum ordinatione, secundum Recessum Dietæ Augustanæ anno M.D.XLVIII. promulgata, exolvere teneamur, & ob alias quamplurimas urgentissimas & inevitabiles causas, pro Ecclesiæ nostræ Jurium conservatione, & Reipublicæ utilitate, ingentes & maximos sumptus facere coacti simus & cogamur, viresque & facultates Cameræ nostræ ad ejusmodi necessaria onera supportanda, & alia, ad quæ pro officio tenemur, exequenda munera, nequaquam sufficiant: idcirco causas & onera præmissa omnia & singula distincte & specifice, prout in facti veritate se continent, Venerabilibus, illustribus, & Honorabilibus Decano, & Capitulo Ecclesiæ nostræ majoris, totique secundario Clero Ecclesiarum civitatis nostræ Coloniensis per Consiliarios nostros cum verbo, tum scripto proposuimus, petentes, ut his attentis, pro memoratis necessariis oneribus (ut præmittitur) supportandis, super Ecclesiis, Monasteriis, Mensis & Prioratibus, Religiosis locis, Conventibus & domibus utriusque sexus Ecclesiastici status, nec non beneficiis & altaribus, illorumque omnium bonis & redditibus ipsorum Ecclesiasticis, intra Diœcesim nostram constitutis, imponendum consentire velint; ut videlicet prædicta onera eo melius sufferre possimus & valeamus: Quibus quidem per eos acceptis & intellectis, & aliquot diebus cum Capitulis & Conventibus suis pertractatis, consultatis, & deliberatis, tandem comperto, quod causæ per Nos allegatæ, manifestæ & rationabiles existerent, & de allegatis per Nos sufficienter informati, in domo Capitulari dictæ Ecclesiæ nostræ insimul congregati, totumque Clerum civitatis nostræ Coloniensis repræsentantes, attendentes, quod divisa in partes onera, levius perferantur, in charitativum subsidium viginti Decimarum Nobis in duobus terminis, quorum prior in festo Beati Remigii Confessoris, anni præsentis M. D. L., alter vero in Festo Assumptionis Beatissimæ MARIÆ Virginis, anni proxime futuri M. D. LI. cedet, de & ex Ecclesiis, Monasteriis & aliis religiosis locis, Conventibus, & domibus utriusque sexus Ecclesiastici Sta-

Status, nec non aliis suis beneficiis, nostrarum civitatis & Diœcesis prædictarum, tam exemptis, quam non exemptis, unicuique nihilominus suis privilegiis aliis salvis remansuris, exigendum, & in necessitates memoratas convertendum consenserunt. Quem consensum nos gratum & ratum habentes & acceptantes, idem subsidium cum charitate postulatum, in prædictis terminis, ut consensum est, Nobis exsolvendum, authoritate nostra ordinaria, Nobis hac in parte de jure competenti, imposuimus, & imponimus per præsentes. Quæ omnia & singula prædicta vobis omnibus & singulis intimare, insinuare, & ad vestram & cujuslibet vestrum notitiam deducere decrevimus, prout intimamus, insinuamus, & deducimus per præsentes. Vos omnes & singulos in DEO exhortantes, quatenus consensui Venerabilium, Illustrium, Honorabilium, devotorum Nobis dilectorum Decanorum & Capitulorum Majoris & secundariarum Ecclesiarum, totiusque Cleri civitatis nostræ Coloniensis, & impositioni nostræ supradictæ vos conformantes, idemque subsidium in terminis statutis, quorum tamen priorem extraneo Clero a die Sancti Remigii usque ad festum Sancti Martini Episcopi proxime futurum prorogamus, Honorabilibus, Devotis, Nobis dilectis, Petro Kannengiesser Jurium Doctori, Majoris: Hermanno Stockum, Subsigillifero nostro, Sancti Gereonis: Joanni Vualtsem Sanctorum Apostolorum; & Melchiori Schenck Beatæ Mariæ ad Gradus, nostræ civitatis Coloniensis Ecclesiarum Canonicis, quos hujus subsidii collectores deputavimus, exsolvatis, tradatis, deliberetis, ac de eo satisfaciatis realiter & cum effectu, facturi in hoc, quod vestrum requirit erga nos officium, & præterea rem nobis summopere, singulari gratia, favore & benevolentia erga vos recognoscendam.

Datum in Arce nostra Brulensi, ipso die Sancti Michaelis Archangeli, anno Domini M. D. L.

SEXTO, quod ad reliqua attinet, quæ Celsitudo ejus in suo Provinciali Concilio, & Synodo proxima pollicita est, nec tamen adhuc omnia, ob varia, quæ inciderunt impedimenta, præstare potuit, jubet Sacram Synodum hoc de ea sperare, quod omni diligentia curabit, quo primo quoque tempore, quæ restant, perficiantur, & suæ Ecclesiæ subditis juxta factum promissum dentur & impartiantur.

POSTREMO hortatur Reverendissima sua Celsitudo omnes, qui huic Sacræ Synodo intersunt, & administrationem aliquam tenent, ut suis particularibus visitationibus intra suam administrationem sibi commissam, universalem visitationem, quæ, Deo dante, non extrahetur in longum, viam præparent, ut dum Visitatores advenerint, reperiant prava omnia conversa in directa, & aspersa in vias planas.

In robur & testimonium omnium & singulorum præmissorum, Reverendissima sua Celsitudo hoc scriptum a se diligenter visum & relectum, suo Sigillo subimpresso communiri fecit.

Datum in Arce nostra Brulensi anno Domini M. D. L. ipso die Michaelis Archangeli.

HIS IGITUR Archi-Episcopalibus jussionibus & mandatis ordine perlectis & publicatis, Sacra Synodus consurgens, se in Domum Capitularem majoris Ecclesiæ Coloniensis recepit: ubi memorati Commissarii, secundum mandatum ipsis factum, initio diligentem inquisitionem super omnibus & singulis, quæ a Prælatis & Christianitatum Decanis, Ecclesiarumque Rectoribus interroganda & exploranda erant, fecerunt: omniaque, quorum certiores per inquisitionem ejusmodi reddebantur, diligenter annotari curarunt, ad Reverendissimum Dominum perferenda. Deinde eosdem Prælatos, totamque Sacram Synodum authoritate Archi-Episcopali serio cohortati sunt & requisiverunt, ut edicta & mandata Archi-Episcopalia, superius exarata, & paulo ante Synodaliter publicata, pro obedientiæ suæ debito reverenter recipiant, illaque, quantum ea quenque concernunt, officiose & accurate exequantur, & ut eis ab omnibus suæ curæ commissis, obediatur & obtemperetur, efficiant & procurent: & si qui se refractarios & rebelles, aut immorigeros exhibuerint, eos ipsi Reverendissimo Domino nostro intra proximum bimestre nominatim designent. Quod Sacra Synodus receptis inprimis memo-

memoratis Mandatis, ut justis, & ad retinendam in Ecclesia disciplinam necessariis, se facturam sedulo promisit.

Post quæ postremo, facta diligenti exhortatione, ut singuli suis muneribus intenti, in sua quisque administratione apud suos, per particulares suas visitationes, prava in directa & aspera in vias planas per DEI adjutorium redigendo, universa in eum ordinem componant, ut ad visitationem universalem ubique omnia recte & bene disposita inveniantur; Sacra Synodus facta missione soluta est. Datum in Ecclesia Metropolitana Coloniensi, anno Domini M.D.L. feria quinta post Remigii Episcopi.

Ex Statutis Synodalibus Sanctæ Ecclesiæ Coloniensis, editis Coloniæ in officina hæredum Joannis Quentel, anno 1554.

SYNODUS VERNA COLONIENSIS DIOECESANA

Anno Christi MDLI. Julii III. PP. II. Caroli V. Imp. XXXIV.

SUB EODEM ADOLPHO III. ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, &c.

DECRETA ET PUBLICATA IN SACRA VERNALI SYNODO DIOECESANA COLONIENSI, altera post Dominicam, quæ vocatur Invocavit, *solenniter celebrata Anno Domini M.D.LI.*

CONgregata Sancta Synodo Dioecesana in civitate Colonia Agrippina, altera post Dominicam *Invocavit* præsentis anni M.D.LI., invocata inprimis gratia Spiritus Sancti, & post habitam Orationem parænеticam, cum eruditam, tum piam, Reverendus in Christo Pater, Dominus *JOANNES, Episcopus Cyrenensis*, Reverendissimi in Christi Patris & Illustrissimi Principis & Domini, Domini *ADOLPHI*, Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarii, Principis Electoris, Vuestphaliæ, & Angariæ Ducis, Apostolicæque Sedis Legati nati, &c. Vicarius in Pontificalibus, & reliqui ejusdem Domini Archiepiscopi Commissarii, ad ea, quæ sequuntur, peragenda specialiter deputati, Libellum continentem jussa & mandata memorati Domini Archiepiscopi, sigillo ejus subsignatum, & ad ipsos, & hanc Sacram Synodum directum & destinatum, consedentibus Dominis Abbatibus & Prælatis, Christianitatumque Decanis, aliisque permultis, tam Ecclesiastici, quam sæcularis status hominibus, publice prælegi & publicari fecerunt, tenoris subsequentis.

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, VUESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, APOSTOLICÆQUE SEDIS LEGATUS NATUS, &c. REVERENDO IN CHRISTO AMICO NOSTRO JOANNI EPISCOPO CYRENENSI, NOSTRO IN PONTIFICALIBUS VICARIO, CÆTERISQUE NOSTRIS HAC IN PARTE COMMISSARIIS, IN ALIIS NOSTRIS LITERIS NOMINATIS, TOTIQUE SACRÆ SYNODO, IN CIVITATE NOSTRA COLONIENSI CELEBRANDA, IN DOMINO CONGREGANDIS, SALUTEM ET OMNIS BONI INCREMENTUM.

DEsideravimus quidem huic sancto vestro conventui personaliter interesse, ad prosequendam & confirmandam semel bene cœptam Ecclesiarum, nostræ curæ commissarum, Reformationem, per communem solicitudinem

nem vestram simul & nostram. Sed quum arduis aliis Ecclesiæ nostræ negotiis impediti detinemur, quo minus præsentiam nostram corporalem apud vos nunc exhibere possimus; Ideo curandum Nobis, & omnino providendum putavimus, ut saltem mentis & voluntatis nostræ significatione, & spiritus conjunctione vobis adessemus. Quare præsens scriptum, nostra consilia & jussa continens, ad vos mittere decrevimus, in hac sacra Synodo evulgandum, & a vobis pro obedientiæ vestræ debito humiliter recipiendum, & per adjuvantem & cooperantem Dei gratiam, in Ecclesiis & locis vestræ curæ commissis, in omnibus & singulis articulis subsequentibus prompte & fideliter exequendum, tenoris subsequentis:

Initio, cum Divo Augustino attestante, Conciliorum Generalium in Ecclesia magna sit & salubris authoritas, cui nulli Catholico liceat obluctari: Cumque sacra Oecumenica Synodus Tridentina, nuper singulari DEI Beneficio congregata, & brevi eodem Deo Optimo Maximo bene favente & adspirante continuanda, & ad finem usque omnibus bonis optabilem perducenda, multa præclare, religiose ac pie, præter Catholicæ doctrinæ (quam tradidit) soliditatem, pro Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum Reformatione constituerit, pulchre consentientia cum his, quæ nuper in Provinciali nostro Concilio, Reverendorum Suffraganeorum nostrorum, & vestro intercedente assensu, provide sancita sunt: idcirco, ut eo major nostris Decretis accedat authoritas, quædam ex his, quæ Tridenti authoritate sacri Oecumenici Concilii in septima Sessione salubriter constituta sunt, in hac nostra sacra Synodo (ne quis eorum ignorantiam obtendere possit) publicari, ac deinceps firmiter & inviolabiliter observari præcipimus & mandamus, nempe Caput III. IV. V. VI. VII. VIII. XI. XII. XIII. XIV. & XV. sub Titulo, *De Residentia*, & *Reformandis in Ecclesia moribus*. Et Cap. III. sub Titulo, *De his, qui minoribus Ecclesiis præsunt*. Quæ sequuntur in hæc Verba:

Decreta Sacri Generalis Concilii Tridentini in Septima Seß. jam memorata.

CAPUT III.

Habilibus duntaxat personis beneficia conferantur.

» INFERIORA beneficia, præsertim curam animarum habentia, personis dignis & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, juxta Constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quæ incipit: *Quia nonnulli.* (*a*) Et aliam Gregorii X. in Generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit: *Licet Canon.* (*b*) editam, conferantur. Aliter autem facta collatio, sive provisio, omnino irritetur: Et ordinarius Collator pœnas Constitutionis Concilii Generalis, quæ incipit: *Grave nimis.* (*c*) se noverit incursurum.

CAPUT IV.

Plurium beneficiorum retentor contra Canones, iis privetur.

» QUICUNQUE de cetero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, sive commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine & titulo, contra formam sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis Innocentii III. quæ incipit: *De multa.* (*d*) recipere, ac simul retinere præsumpserit; beneficiis ipsis, juxta ipsius Constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore, privatus existat.

CAPUT

(*a*) C. *Quia nonnulli.* De Cler. non resid.
(*b*) C. *Licet Canon.* De elect. in 6.
(*c*) C. *Grave nimis.* De Præb.
(*d*) C. *De multa.* De Præb.

CAPUT V.

Plura beneficia curata obtinentes, Ordinario suas dispensationes exhibeant: qui de Vicario Ecclesiis provideat, congrua portione fructuum assignata.

" ORDINARII locorum quoscunque, plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere districte compellant; & alias procedant juxta Constitutionem Gregorii X. in Generali Lugdunensi Concilio editam, quæ incipit: *Ordinarii*: (e) Quam eadem sancta Synodus innovandam censet, & innovat; Addens insuper, quod ipsi Ordinarii etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, & beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, exemptionibus quibuscunque, etiam cum judicum specialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmissis, nemini suffragantibus.

CAPUT VI.

Quæ beneficiorum uniones validæ censeantur.

" UNIONES perpetuæ, a quadraginta annis citra factæ, examinari ab Ordinariis, tanquam a Sede Apostolica delegatis, possint: & quæ per surreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ vero, quæ a dicto tempore citra concessæ, nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient (nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis coram loci Ordinario, vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit) per subreptionem obtentæ præsumantur: ac propterea, nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

CAPUT VII.

Beneficia Ecclesiastica unita visitentur: per Vicarios, etiam perpetuos, cura exerceatur; quorum deputatio fiat cum portione assignanda, etiam super re certa.

" BENEFICIA Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscunque, perpetuo unita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui solicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios perpetuos (nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur) ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum Judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque in præmissis minime suffragantibus.

CAPUT VIII.

Ecclesiæ reparentur: cura animarum solicite habeatur.

" LOCORUM Ordinarii Ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, authoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur: & cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præscriptis, Judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus, penitus exclusis.

CAPUT XI.

Facultates de promovendo sine justa causa nemini suffragentur.

" FACULTATES de promovendo a quocunque, non suffragentur,

(e) C. *Ordinarii*. De offic. Ordin. in 6.

" tur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam: & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.

CAPUT XII.

Facultas de non promovendo annum non excedat.

" FACULTATES de non promovendo, (*f*) præterquam in casibus a jure expressis concessæ, ad annum tantum suffragentur.

CATUT XIII.

A quocumque præsentati non instituantur sine prævio examine Ordinarii & approbatione, certis exceptis.

" PRÆSENTATI, seu electi, vel nominati a quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis Ecclesiastica beneficia, non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ; nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: & nullus appellationis remedio se tueri possit, quominus examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum, exceptis.

CAPUT XIV.

Causæ Civiles exemptorum Clericorum sæcularium, & Regularium, degentium extra Monasterium, ab Episcopis cognoscantur.

" IN EXEMPTORUM causis Constitutio (*g*) Innocentii IV. quæ incipit: *Volentes.* in Generali Concilio Lugdunensi edita, servetur: quam eadem Sacrosancta Synodus innovandam censuit, & innovat. Addendo insuper, quod in Civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, Clerici sæculares, aut Regulares, extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiam si certum Judicem, a Sede Apostolica deputatum, in partibus habeant; in aliis vero, si ipsum Judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conveniri, & jure medio ad solvendum debitum cogi & compelli possint: Privilegiis, exemptionibus, conservatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus, adversus præmissa nequaquam valituris.

CAPUT XV.

Ordinarii curent, ut Hospitalia quæcunque, etiam exempta, a suis Administratoribus fideliter gubernentur.

" CURENT Ordinarii, ut Hospitalia quæcunque a suis administratoribus, quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & diligenter gubernentur, Constitutionis Concilii Viennensis, quæ incipit: *Quia contingit.* forma servata. Quam quidem Constitutionem eadem Sancta Synodus innovandam duxit, & innovat, cum derogationibus in ea contentis.

Sessionis VI. Decreti de Reformatione

CAPUT III.

Excessus Sæcularium Clericorum, & Regularium agentium extra Monasteria, ab Ordinario loci corrigantur.

" ECCLESIARUM Prælati ad corrigendum subditorum excessus, prudenter ac diligenter intendant: & nemo sæcularis Clericus cujuvis personalis, vel regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis "privi-

(*f*) D. c. *Licet Canon.* & c. *Cum ex eo.* De elect. in 6.
(*g*) Ista Constitutio Innocentii IV., quæ incipit: *Volentes*, habetur *Lib. 6. Decretalium C.* 1. in qua constituitur, quod exempti, vel privilegiis muniti, non teneantur, nisi sub certo Judice respondere; nihilominus ratione delicti admissi, contractus initi, aut rei sitæ in loco non exempto, coram locorum Ordinariis conveniri possint ac debeant.

" privilegii prætextu, tutus censeatur, " quo minus, si deliquerit, ab Ordi- " nario loci, tanquam super hoc a Se- " de Apostolica delegato, secundum " Canonicas Sanctiones, visitari, pu- " niri, & corrigi valeat.

Finiunt Decreta Sacri Concilii Tridentini.

MANDATUM

De non leviter præstandis juramentis, ac propterea non quenvis ad Majores Ordines, ne perjurus fiat, admittendum.

SECUNDO, quia in Concilio Provinciali Coloniensi sub titulo: *De altero medio*, ad consequendam *Reformationis* executionem necessario, quod est examen Ordinandorum: inter cætera prudenter ac provide constitutum est, ut ordinandi & instituendi ad sacra ministeria, prius diligenter examinentur & interrogentur, possintne, & velint muneri, ad quod suscipiendum aspirant, pro virili satisfacere; Ita vero, proh dolor, hac deplorata tempestate, eveniat, quod licet omnes ordinandi ad Sacerdotii gradum, secundum Sacrorum Canonum instituta, & morem hactenus in Ecclesia receptum, teneantur corporale juramentum Ordinatori suo præstare, quod Episcopo, ad cujus Parochiam ordinandi erunt, obedientes & consentientes esse velint, secundum justitiam & ministerium suum: quod quoque juramentum post factam ordinationem, Sanctique Corporis & Sanguinis Domini sumptionem, iterata promissione confirmant, promittentes Episcopo suo, ad cujus Parochiam ordinati sunt, reverentiam & obedientiam: similiter instituendi ad Beneficia Ecclesiastica, præsertim, quibus cura animarum imposita est, jurent suo Episcopo & aliis Superioribus suis obedientes esse in omnibus licitis & honestis: Nihilominus tamen eorum permulti, præsertim sub sæcularibus potestatibus, per Diœcesin nostram Coloniensem morantes, dum Ordinationes, vel institutiones ambiunt, hæc omnia Ordinatori, seu Archidiacono, vel Examinatori stipulanti, magna facilitate, corporali etiam jurejurando interveniente, promittunt: Promoti vero, & provecti jam ad Sacerdotii ordinem, vel Beneficii titulum, suorum promissorum & juramentorum immemores, omnem protinus obedientiam & reverentiam debitam in exequendis his præsertim, quæ ad disciplinam pertinent, Nobis suo Archi-Episcopo, exhibere detrectant, parum soliciti de gravissimi perjurii reatus incursu. Cum igitur Propheta monente, (*b*) singulari cura providendum sit, ut omnes, a quibus juramentum recipitur, jurent *in veritate & judicio, & in justitia*: cumque Ecclesia per indiscretæ jurationis exactionem viam perjuriis aperire non debeat, quæ perjuria vetat; idcirco authoritate nostra Archi-Episcopali, quam a Domino in ædificationem, & non in destructionem accepimus, volumus, præcipimus & mandamus, & in hac Sacra Synodo, omnium quoque vestrum accedente consensu, firmari cupimus; ut deinceps quicunque per Archi-Diaconos ad Beneficia, quæ curam animarum annexam habent, institui, seu per Vicarium nostrum in Pontificalibus ad Sacerdotii gradum promoveri desiderant, ante omnia de juramento, hac in parte per eos præstando, diligenter admoneantur. Qui, nisi admoniti existiment ac sperent, atque adeo secum tanquam coram Deo constituant, se posse, ac velle, quam jurejurando promittunt, obedientiam, omni mundano timore postposito, Nobis præstare & exhibere, nempe in his, quæ ad nostrum & eorum officium spectant; omnino non ordinentur, vel instituantur: eo maxime, ne Vicarius noster in Pontificalibus, aut Archi-Diaconi nostri ullam ansam, vel occasionem perjuriis, quæ metus est illos per supinam incuriam & incogitantiam incursuros, præstent. Ut sileamus, ejusmodi homines, qui nondum eo constantiæ pervenerunt, ut velint plus obedire Deo, quam hominibus, & potius

(*b*) Jerem. 4.

tius omnia mala pati, quam malo consentire, tanta ordinatione & institutione indignos merito censeri. Volumus quoque jam institutos & ordinatos hujus Edicti nostri authoritate, suorum præstitorum juramentorum admonitos esse, ut cogitent, quam grave sit, mentiri Spiritui Sancto, & committere in secundum præceptum decalogi, quod Deus non sine interminatione inevitabilis vindictæ promulgavit, dicens: (*i*) *Non enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.* Qui etiam scient, si perjurii reatum contempserint, Nos ad pœnarum, perjuris a jure irrogatarum declarationem, ut justitia postulaverit, processuros & procedi curaturos.

Statutorum D. SIFRIDI, & D. VUALRAMI de Synodorum observatione innovatio.

TERTIO. Etsi frequens Synododorum celebratio, perspicua sit agri Dominici cultura, & proinde statim ab initio nascentis Ecclesiæ, Apostolorum etiam ætate (quod, qui Apostolorum Canones vocantur, conscripti a Beato Clemente testantur) saluberrime constitutum sit, uno quoque anno bis Synodum Episcopalem habendam esse, ad determinandas Ecclesiæ quæstiones, & reformandos mores: id quod etiam in Synodo nostra Provinciali proxime celebrata repetitum meminimus: docet tamen rerum experientia, tantam esse etiam eorum, qui ministeria Ecclesiastica susceperunt, incogitantiam, & socordiam, ut nisi formidine pœnæ adigantur, nihil rite, & ut pro debito officii tenentur, faciant vel exequantur. Quapropter quondam bonæ memoriæ, Dominorum Sifridi & Vualrami Archi-Episcoporum Coloniensium, Prædecessorum nostrorum, quorum vestigiis libenter inhæremus, Statuta, hac de re edita, cum censurarum & pœnarum, quæ illorum vigore contemptoribus infliguntur, interminatione, in omnibus & singulis articulis suis, præsentium per tenorem innovamus, & deinceps firmiter & inviolabiliter observari, & contraventores vel contemptores eorundem, in memoratas pœnas damnabiliter incidisse declarari mandamus. Quæ Statuta sequuntur in hæc verba:

Statutum Domini SIFRIDI de Synodi observatione.

" Licet de Clericis, qualiter eos " cum modestia, sobrietate &c. *Vide Tom. III. Conc. Germ. pag.* 657.

Statutum Domini VUALRAMI de Synodi observatione.

" WALRAMUS Dei gratia &c. " Multis modis & in pluribus Sacris " Synodis hactenus &c. *Vide Tom. IV. nostro pag.* 442.

Archi-Diaconis & Christianitatum Decanis sua Concilia, sive Capitula diligenter suis temporibus observanda.

QUARTO, Cum frustra in Sacris Synodis Episcopalibus edantur Constitutiones & Decreta, nisi, quibus hoc ex suscepto munere incumbit, ea probe ac diligenter, ut fideles Ecclesiarum Ministros decet, exequantur: ac non modo in Sacris Canonibus, sed & in memorata *Reformatione* Ecclesiasticorum Ordinum, Augustæ recepta, expresse sancitum sit, Archi-Diaconos, & Decanos Rurales, velut in partem solicitudinis hac in parte vocatos & constitutos, singulis quibusque annis, post Synodorum Episcopalium celebrationem, suas quoque Synodos Archi-Diaconales & Rurales in suis regiunculis observare debere: in quibus Synodorum Episcopalium Decreta, placita & sententias, curæ suæ Parochis, in ejusmodi suis Synodalibus Conventibus ex more congregatis, intiment, publicent, ac exequantur: solicite invigilantes, ut si quid adversus fidem, pietatemque emergat, & graviora quæque Episcopo, ad quem cura prima pertinet, significent, ejusque vel Synodi judicio submittant: Experientia vero doceat, quos-

(*i*) Exod. 20.

quosdam hac in re tam pia, salutari, atque adeo summe necessaria, rite gerenda, multum segnes, ac desides esse: quosdam etiam tam sanctum institutum improbe contemnere, & nihil minus, quam quod ad se proprie pertinet, peragere & adimplere, suæ profecto vocationi pessime servientes: Idcirco, qui hanc socordiam, & in officio cessationem, quantum in Nobis est, corrigere debemus, omnes & singulos Archi-Diaconos, Prælatos, & Christianitatum Decanos, omnesque alios, qui intra suos terminos suas Synodos, seu Capitula, ut vocant, servare tenentur, similiter omnes Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Vice-Curatores, præsentium vigore requirimus & monemus: Archi-Diaconos quidem ac Prælatos, & Christianitatum Decanos, ut memoratas suas Synodos, seu Capitula, deinceps suis quibusque temporibus diligenter observare curent, & in his nostra & Synodorum nostrarum Episcopalium Decreta publicent, & quæ corrigenda & reformanda erunt (prout ad cujusque eorum officium pertinuerit) corrigant & reforment, graviora vero ad Nos referant: Rectores vero & Vice-Curatores Ecclesiarum Parochialium, ut ad ejusmodi Synodos seu Capitula, quæ visitare quique tenentur, obedienter compareant, Decreta, Statuta & Præcepta Synodalia audiant, audita in suis Parochiis effectui mancipent, & *Reformationi* injunctæ studeant & invigilent: ne servi mali, pigri, & inutiles reperiantur, sub censuris, pœnis & mulctis in Statutis Synodalibus, tam quondam bonæ memoriæ Domini Engilberti, quæ postea sub Domino Henrico facta sunt Provincialia; quam quondam bonæ memoriæ Domini Hermanni ab Hassia, Prædecessorum nostrorum, (quæ quoque inferius descripta, præsentium vigore innovamus) in contemptores & cessatores ejusmodi latis & promulgatis, quas ipsos incurrere volumus ipso facto.

Sequitur Statutum Concilii Provincialis quondam Domini ENGILBERTI, contra impedientes & turbantes Celebrationes Sanctarum Synodorum.

" Statuimus etiam, ut Prælati & " ordinarii Judices nostræ Civitatis & " Diœcesis &c. *Vide Tomo III. in Synodo Engelberti anno* 1266. *celebrata Cap. XIV. pag.* 623.

Sequitur Mandatum quondam Domini HERMANNI ab Hassia, per ejus Officialem in Synodo promulgatum.

" Item mandat idem Venerabilis " Dominus Officialis omnibus & singu-" lis Pastoribus & Vicecuratis, quate-" nus in Capitulis suorum Decanatuum, " statutis temporibus observandis se " personaliter repræsentent, sub pœna " unius Scutati Vuilhelmi, pro una " Fisco Reverendissimi Domini nostri " Archi-Episcopi Coloniensis, & pro " alia medietatibus Decano & Capitulo " rurali, sub quibus degunt, irremissi-" biliter exigenda, applicandi. Nisi " rationabilis causa, quam etiam tene-" antur tunc Decano & Capitulo per " scripta, aut alias legitime per certum " nuncium, ad hoc missum, allegare, " ipsos excuset: & tunc in casu prædi-" cto expensas, pro qualibet persona " solvi consuetas, Decano & Capitulo " loci transmittere teneantur.

ET QUIA nuper Decanos nostrarum Decaniarum Ruralium per nostram Diœcesim Coloniensem sitarum, ubicunque locorum residentes, qui supra scriptis Constitutionibus quondam Dominorum ENGILBERTI, & HERMANNI, aliisque Provincialibus & Synodalibus Decretis, & *Reformationi* Augustanæ male obtemperarunt, ad comparendum coram hac Sacra Synodo citari & moneri fecimus, secundum Edicti seu Mandati nostri subsequentis (quod per Tabellarium nostrum Nobis juratum, eorum singulis fecimus intimari, cujus etiam relationi hac in parte fidem adhiberi volumus) formam & tenorem: Idcirco vobis committimus & mandamus, ut authoritate nostra Archi-Epi-

ſcopali, ac etiam Synodali, contra rebelles,(*) obaudientes, inobedientes, contumaces & contemptores, ad comminatarum, & incurſarum pœnarum declarationem procedatis, & procedi curetis; ne (**) quos recti & juſti amor ad ſerviendum vocationi non permovet, ſaltem pœnæ formido ad ſubeunda ſua munera adigat & compellat: ſic tamen, ut cum vere reſipiſcentibus, & deinceps noſtris & Sanctæ Eccleſiæ Mandatis parere volentibus, mitius agere poſſitis.

Sequitur Mandatum noſtrum jam memoratum contra Decanos rurales, Synodis Epiſcopalibus intereſſe non curantes, nec ſua interim Capitula ſervantes.

ADOLPHUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, SACRI ROMANI IMPERII PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, VUESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, APOSTOLICÆQUE SEDIS LEGATUS NATUS, &c. UNIVERSIS ET SINGULIS DECANIARUM NOSTRARUM RURALIUM, SIVE CHRISTIANITATUM, PER DIŒCESIM NOSTRAM CONSTITUTARUM, UBICUNQUE LOCORUM RESIDENTIBUS DECANIS, ET EORUM SINGULIS, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

AD audientiam noſtram pervenit, quod licet tam ex Sacrorum Canonum, & juris communis diſpoſitione, quam Statutorum Provincialium & Synodalium Eccleſiæ noſtræ Colonienſis, atque etiam Statutorum Decaniarum veſtrarum, per vos, & unumquemque veſtrum juratorum ordinatione, ad vos pertineat, veſtroque officio ac muneri incumbat: bis in anno, videlicet in craſtino Dominicæ Invocavit, nec non altera Remigii, Synodis noſtris Diœceſanis, ac etiam Conciliis noſtris Provincialibus, quotiescunque ea obſervari & celebrari contigerit, perſonaliter intereſſe, ibidemque Statuta & Mandata tam Provincialia, quam Synodalia, quæ in illis communi præhabito conſilio eduntur, publicantur & pronunciantur, audire, illorum exemplaria petere & recipere, eaque omnia ſecundum modum & formam vobis traditam, in proxima Congregatione, ſeu Capitulo, in veſtris Decaniis obſervanda omnibus & ſingulis Eccleſiarum Parochialium, ſub unaquaque Decania ſitarum, & veſtris Capitulis ſubjectarum, publicare, ac efficere, ut ea deinceps per Rectores & Vice-Curatores ejusmodi in ſuis Parochiis, cunctis ipſorum ſubditis innoteſcant, & debitæ executioni demandentur. Similiter in eisdem Capitulis omnia & ſingula Mandata, Nos & Archi-Diaconos noſtros ac veſtros, nec non Majoris Eccleſiæ noſtræ fabricam, ſeu Capitulum veſtrum concernentia, contra omnes & ſingulos Rectores, ſeu Vice-Curatores memoratos, ſive præſentes, ſive abſentes, exequi, cum eisdem veſtrarum Decaniarum Statutis ita ſtatuentibus, ejusmodi mandata ſic publicata, debite & legitime exequuta cenſeri, ejusdemque roboris, tam in perſonis abſentium, quam etiam præſentium eſſe; eosdemque pariter coarctare debeant: eo quod omnes in ejusmodi Capitulis veſtris, memoratis de cauſis, vel per ſe, vel legitime impediti, per alios comparere teneantur; Sitque etiam ſpecialiter in Statutis bonæ memoriæ Prædeceſſorum noſtrorum Dominorum SIFRIDI & VUALRAMI, omnibus & ſingulis, præmiſſa facere negligentibus, ſeu exemplaria Decretorum Provincialium, ſeu Synodalium, habere non curantibus, ſeu ea ſecum minime deferentibus, & in ſuis Decaniis, ſeu Parochiis publicare, & executioni demandare obmittentibus, ſententia excommunicationis latæ ſententiæ inflicta: jubeantque etiam bonæ memoriæ Prædeceſſoris noſtri Domini ENGILBERTI Statuta, ut vos aliique, ad quos id muneris ſpectat, Eccleſiarum Prælati, in terminis veſtræ jurisdictioni ſubjectis, Synodos veſtras rurales, congruis temporibus celebretis, & quæ corrigenda vel reformanda

(*) obaudire, *plerumque idem ſonat, quod* obedire: *aliquando tamen ſignificat* male audire. *Hic:* obaudientes *idem ſignificare videtur, quod:* audire negligentes. *Vide Gloſſar. Du Cange* V. abaudire & obaudire.

(**) *pro* ne, *legendum videtur:* ut.

da occurrunt in iisdem Synodis (ad quas omnes in Parochiis, in quibus eædem Synodi observantur, obedienter confluere tenentur) corrigatis & reformetis: non obstante aliqua occasione vel consuetudine contraria, quæ pro corruptela in dictis Statutis reputatur, & penitus reprobatur: Quibus etiam postea felicis memoriæ HERMANNUS ab Hassia, etiam Prædecessor noster, majus robur addere volens, omnibus & singulis Rectoribus & Vice-Curatis, qui se in dictis Capitulis suorum Decanatuum, statutis temporibus observandis, personaliter repræsentare non curaverint, ultra pœnas Canonicas, mulctam unius Scutati Vuilhelmi, pro una Fisco nostro, & pro alia medietatibus vobis Decanis & Capitulis Ruralibus, sub quibus degunt, irremissibiliter exigendam, applicandam irrogaverit: nisi tamen eos, seu illorum aliquem, rationabilis causa, quam & teneantur tum vobis Decanis & Capitulis, per scripta, aut alias legitime, per certum nuncium ad hoc missum, allegare, ipsos excuset: in quo tamen casu nihilominus expensas, pro qualibet persona solvi consuetas, vobis Decanis & Capitulis loci transmittere teneantur: Constet quoque, quod *Reformatio* Status Ecclesiastici, nuper anno M. D. XLVIII. in Comitiis Imperialibus, Augustæ celebratis, per Cæsaream Majestatem Ordinibus Ecclesiasticis proposita, & ab iisdem recepta, idem munus præmissa peragendi, vobis passim imponat, & præterea a vobis exigat, ut graviora quæque ad vestrum Archi-Episcopum, & Synodum Episcopalem, & Archi-Diaconos vestros, publico judicio submittenda referatis: prout passim in ejusmodi *Reformatione*, præsertim sub titulo: *De Ecclesiasticorum Ordinum officiis*, Paragrapho: *Archi Diaconi*. Et sub titulo: *De Visitatione*. Paragrapho: *Ad hanc formam*, continetur & legitur: Quæ licet omnia ita habeant, vosque omnes & singuli, tam tempore institutionis ad Curam, quam geritis, quam promotionis ad Sacerdotii ordinem, nec non etiam electionis vestræ ad officia vestra Decanalia, juramentis corporalibus intercedentibus, Nobis reverentiam & obedientiam exhibere promiseritis: Nihilominus tamen certissimis testimoniis edocti sumus, quod permulti vestrum, suæ propriæ salutis immemores, in prædictorum omnium & singulorum, tam pie & religiose statutorum ludibrium & contemptum, non sine gravis perjurii reatus, excommunicationisque & aliarum pœnarum supra dictarum incursu, ad Synodum nostram Diœcesanam, proxime post Remigii celebratam, personaliter comparere, Synodaliaque Decreta & placita, in eisdem constituta, audire, & recipere: immo etiam (quod deterius est) Capitula vestra post dictæ Synodi nostræ celebrationem, pro more observare, inibique ejusmodi Decreta vestræ curæ Parochis publicare, & exequenda demandare minime curaveritis: Immo, quod omnium deterrimum est, vestris Archi-Diaconis, quibus in dicta *Reformatione* per Cæsaream Majestatem publicata, sub titulo: *De Visitatione*, Paragrapho: *Debet itaque*. injunctum est, ut vestra Capitula & regiuncularum vestrarum Ecclesias, singulis quibusque annis visitare debeant: quibus etiam Nos in mandatis dedimus, ut Acta & Decreta in novissima Synodo nostra, vobis in dictis Capitulis vestris intimarent, & ad eorum exequutionem requirerent; tanquam notorie rebelles, obaudieritis, & dorsa verteritis, illos neque audire, neque in Capitulis vestris præsidere, neque Exemplaria Decretorum nostrorum recipere, nec eorum Mandata exequi volentes: non recogitantes, quod quasi peccatum ariolandi est repugnare, & velut scelus idololatriæ, nolle acquiescere (*k*): pœnas & censuras prædictas, aliasque in jure communi contentas, & in tales refractarios fulminatas, damnabiliter incurrendo. Quamobrem vos omnes & singulos in præmissis, seu aliquo præmissorum culpabiles, præsentium per tenorem citamus, & requirimus, quatenus ad feriam secundam post Dominicam *Invocavit* proxime futuram in Civitate nostra Coloniensi coram Nobis, seu nostris Commissariis, & Sacra Synodo, personaliter comparreatis, visuri & audituri, vos ob præmissam vestram inexcusabilem inobedientiam, rebellionem, ac Sacrorum Canonum, Provincialiumque & Synodalium,

(*k*) 1. Reg. 15.

dalium, & veſtrorum propriorum Statutorum, ac etiam juramentorum veſtrorum, denique Cæſareæ Majeſtatis *Reformationis* violationem & prævaricationem, in pœnas & cenſuras prædictas, nec non perjurii reatum, damnabiliter incidiſſe, declarari, & declaratos ulterius denunciari & publicari, ac ad alias graviores pœnas etiam depoſitionis ab officio & beneficio procedi: Niſi coram Nobis, ſeu Sacra Synodo allegaveritis cauſam rationabilem, quare præmiſſa fieri non debeant. Certificantes vos omnes & ſingulos, quod ſive in termino citationis hujusmodi comparueritis, ſive non, Nos nihilominus, ſeu Commiſſarii noſtri, una cum Sacra Synodo, ad præmiſſa omnia & ſingula, jure & ratione ſuadentibus, procedemus, & procedi faciemus, contumacia veſtra in aliquo non obſtante. Inſuper monemus vos omnes & ſingulos in univerſum, ut deinceps memorata Statuta Dominorum SIFRIDI, VUALRAMI, ENGILBERTI, & HERMANNI, de Viſitatione Synodorum noſtrarum Provincialium, & de obſervatione veſtrorum Capitulorum, & Synodorum veſtrarum ruralium edita: nec non *Reformationem* Cæſaream deſuper ſubſequutam, obedienter, fideliter & firmiter obſervetis: Nobisque & Archi-Diaconis veſtris debitam obedientiam præſtetis, & exhibeatis: nec non Statuta & ordinationes ſingularum Decaniarum veſtrarum, coram Nobis, ſeu Commiſſariis noſtris, & Sacra Synodo, in forma authentica ſeu meliori, qua apud vos detinentur, revidenda & perluſtranda exhibeatis, ſeu exhiberi curetis, ſub excommunicationis, aliisque, quas in omnes & ſingulos contravenientes, in his ſcriptis ferimus, pœnis: ſcientes, quod excommunicationis cenſuram alia ſequetur gravior pœna, hujusmodi Mandati noſtris transgreſſoribus irroganda. In quorum fidem & teſtimonium, præſens noſtrum Mandatum in forma publica confici, Sigillique noſtri ſubimpreſſione communiri fecimus. Datæ in Arce noſtra Poppelsdorff, die Sabbati, vigeſima quarta menſis Januarii, anno a Nativitate Domini M.D.LI.

Querela Parochorum contra vulgi avaritiam, ob iniquam eorum, quæ Parochis debent, ſubtractionem. Innovatio STATUTI quondam D. VUILHELMI Archiep. Ne Domini temporales, Judices, Conſules aliquid attentent in præjudicium Sanctæ Eccleſiæ: Et STATUTI quondam D. ENGELBERTI contra detentores, ſeu ſubtractores Decimarum.

QUINTO, permultorum Parochorum, & Vice-Curatorum, qui Eccleſiis adminiſtrandis, & oviculis Chriſti paſcendis, ſe addixerunt, gravi certe & dolenda querimonia accepimus, hoc tam excellens & laborioſum miniſterium, præſenti deplorata ætate in tantam paſſim apud laicos veniſſe vilitatem & contemptum; ut non modo non cogitent ſuarum animarum Curatoribus, qui eis ſpiritualia ſeminant, carnalia viciſſim, hoc eſt, vel tenuem victum, quo vitam honeſte traducere poſſint, ſuppeditare: ſed & ea, quæ ſpeciali jure debent, ut ſunt oblationes Altaris, eæ ſaltem, quas quemque fidelem hominem in quatuor præcipuis anni Feſtis exſolvere juſtum eſt, & reliqua, quæ ex laudabili more Eccleſiarum Rectoribus dependi conſueverunt, perinique ſubtrahant. Quo fiat, ut eorum plerique, quorum Eccleſiæ nullis, aut admodum tenuibus Redditibus perpetuis ſunt dotatæ, ob facultatulas tam acciſas, vel ad relinquenda miniſteria, vel ad turpem, & ignominioſam mendicitatem propemodum adigantur: Eſſe quoque Laicos quosdam, qui eo veſaniæ venerunt, ut exiſtiment, vanum eſſe, ſuorum Parentum & neceſſariorum, in Domino defunctorum, ſolennem aliquam in Eccleſiis memoriam agere, aut curare, ut pro eis ad Altare Domini Sacrificium offeratur: non Triceſimos modo, & Anniverſarios dies, quorum vetuſtiſſimi quique meminerunt, abrogantes, ſed & honeſtas ſepulturas, & religioſas exequias (quæ & Juſta vocantur) ſuis proximis & cogna-

cognatis exhibere, neglecta prorſus omni Chriſtiana pietate; detrectant & pernegant, non ſatis religioſe de reſurrectione cogitantes. Quæ omnia quam pugnent cum ſacris Literis & Eccleſiaſtica Traditione, nemo Catholicus ignorat. Beatiſſimus enim Apoſtolus poſt Dominum pronunciat, (*a*) Juſtum eſſe, ut qui Altario deſervit, cum Altario quoque participet, Domino ordinante (*b*) iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio & vivere, quod dignus ſit operarius mercede ſua. Qui & eodem loco ſuos Corinthios alloquens: Si nos, inquit, vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? Cui Divinæ, & Apoſtolicæ doctrinæ Concilium Generale innitens, ita quoque conſtituit, quod tametſi Sacramenta libere ſint conferenda, nihilominus tamen non ferendos eſſe laicos, qui laudabilem conſuetudinem erga Sanctam Eccleſiam, pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, ſub prætextu Canonicæ pietatis. Et proinde eodem Concilio ſancitum ſit, ejusmodi pias conſuetudines obſervari debere, & mandatum inſuper Epiſcopis, ut veritate cognita, eos compeſcant, qui malitioſe nituntur ejusmodi laudabiles conſuetudines immutare.

Quamobrem Divinis præceptis & Conciliaribus Decretis obſequi volentes, memoratam laicorum irreligioſitatem, & iniquam eorum, quæ ſuis Parochis debent, ſubtractionem, & laudabilium Eccleſiæ conſuetudinum præſumptam abolitionem: una cum omnibus Ordinationibus ſeu Statutis ſæcularibus, quibus cuilibet permittitur, ab ordinationibus, traditionibus, & laudabilibus Eccleſiæ conſuetudinibus impune diſcedere, præſentium per tenorem damnamus, innovantes STATUTUM quondam bonæ memoriæ Domini VUILHELMI Archi-Epiſcopi, Prædeceſſoris noſtri, ſub titulo: *Ne aliqui Domini temporales, vel Judices, vel Conſules, aliquid attentent in præjudicium Sanctæ Eccleſiæ* (& illius Innovatorium & Declaratorium felic. record. THEODERICI Archi-Epiſcopi, incipiens: *Item, cum præſumptuoſa quorundam Dominorum temporalium* &c.) quod ſequitur in hæc verba:

WILHELMUS, DEI gratia, &c. » Præſumptuoſa quorundam Domino» rum temporalium, &c. (*c*)

Innovamus præterea STATUTUM quondam bonæ memoriæ Domini ENGILBERTI, *contra detentores, ſeu ſubtractores Decimarum*, quod ſequitur in hæc verba: " Item cum Sacri" legi cenſeantur, qui injurioſe ſub" trahunt &c. (*d*)

Innovatio Statuti quondam bonæ mem. D. FRIDERICI Archiep. &c. De impedientibus Jurisdictionem Eccleſiaſticam, & de violatoribus Immunitatum Eccleſiaſticarum, & de excommunicatis in cœmeterio non ſepeliendis.

SEXTO, quia Chriſtus vult eſſe judicium in Eccleſia, & Excommunicatos vitari, tam vivos, quam mortuos debere; quod (ſecundum Sacros Canones) quibus non communicamus vivis, nec communicare debeamus defunctis: quia quoque Chriſtus domui ſuæ, orationi dedicatæ, & quæ huic adhærent fidelium cœmeteriis, ſuum vult honorem & immunitatem conſervari:

(*a*) 1. Cor. 10. (*b*) Matth. 10.

(*c*) Statutum iſtud Wilhelmi Archi-Ep. Colonienſ. cum pluribus aliis editum fuit anno 1357. die 25. Februar. *Vide illud Tomo IV. Concil. Germ. pag.* 483. Innovatum deinde a Theoderico a Mœrſa Archi-Ep. Colon. in Synodo Provinciali anno 1423. *Synodum hanc vide Tom. V. noſtro Conc. Germ. pag.* 217. ubi Cap. IV. prædicti Statuti confirmationem reperies.

(*d*) *Vide illud noſtro Tom. III. Conc. Germ. pag.* 629. *n. V.* inter cætera Engelberti II. Statuta Diœceſana, edita anno 1266. Eadem anno 1322. ab Henrico Archi-Ep. Colon. facta ſunt Provincialia, in Concilio Colon. Provinciali. *Vide Tom. IV. Conc. Germ. pag.* 282.

vari : idcirco & jam STATUTUM quondam bonæ memoriæ Domini FRIDERICI Archi-Epiſcopi, de impedientibus jurisdictionem Eccleſiaſticam; & de excommunicatis in cœmeterio non ſepeliendis, præſentium authoritate innovamus. Cui & hoc adjicimus, inique agere laicos, qui Parochos adigunt, ad infantes non baptizatos, vel partus abortivos, in Cœmeteriis, ad fidelium tantum corpora confovenda conſecratis, ſepeliendos: quod & hoc ipſo, Baptiſmo injuria fieri videatur, & Anabaptiſtarum furori quidquam tribui, qui omnium hominum, nedum Chriſtianorum, infantes, pares, quod ad perpetuam ſalutem conſequendam attinet, faciunt.

Sequitur jam memoratum Statutum quondam Domini FRIDERICI.

FRIDERICUS, DEI gratia &c. " Quanquam Sacris Canonibus &c. (e)

Innovatio STATUTI in præcedente Synodo Colonienſi promulgati de Proceſſionibus & Dedicationibus.

SEPTIMO, quia nunc tempus appetit, quo ſolent Dedicationes Eccleſiarum, & Circumlationes Venerabilis Sacramenti Euchariſtiæ, Reliquiarum & imaginum, & ſimiles proceſſiones & ſtationes frequentari, in quibus hactenus magis ventri, ſeu Como (f) Deo, comeſſationibus & ebrietatibus immodicis, & tympanis, ac aliis muſicis inſtrumentis, laſcive ſatis & procaciter reſonantibus, ſervitum eſt: idcirco ad tam fœdos abuſus penitus abominandos, ſerio volumus, & diſtricte præcipimus, Decretum Concilii noſtri Provincialis, ſub Rubrica: *De proceſſionibus, in quibus Sacra Hoſtia cum imaginibus Sanctorum circumfertur*: (g) Nec non Mandatum noſtrum in nupera noſtra Synodo ſuper hac re publicatum, (h) firmiter obſervari. Volumusque, ut in omnibus Eccleſiis ejusmodi Decretum ac Mandatum e ſuggeſtis per Prædicatores Verbi Dei, populo diligenter enarrentur, exponantur, & Scripturarum Divinarum allegationibus inculcentur, quo populus Divina voce, cui omnia cedunt, ab abuſionibus illis peſſimis deterreatur & abducatur.

Innovatio STATUTI olim Reverendiſſimi D. HERMANNI ab Haſſia: De executionibus Teſtamentorum.

OCTAVO. Licet Canonicis inſtitutis expreſſum ſit, Clericos de rebus ſuis, quæ conſideratione Eccleſiæ perceperunt, nullum de jure præter ſui Epiſcopi conſenſum, facere poſſe Teſtamentum: quodque de Clericorum Bonis, intuitu Eccleſiæ acquiſitis, Epiſcopo loci ad minimum quarta pars relictorum debeatur, ipſumque Epiſcopum Teſtamentorum Executoribus in executione, ſi intra annum eam facere neglexerint, ſuccedere: Noſtri autem Prædeceſſores, & præſertim memoratus quondam D. Hermannus ab Haſſia, debitam nobis portionem ad quantitatem longe minorem, quam a Canonibus tributam, pro ſua in Clericos humanitate redegerint, quam & Nos, ne quis ſe gravari, juſte quæri poſſit, libenter amplectimur: Idcirco Statutum Domini Hermanni, de executionibus Teſtamentorum, a Clericis conditorum, quod ſubjecimus, præſentium per tenorem innovamus.

STATUTUM olim Reverendiſſimi Domini HERMANNI ab Haſſia, Archi-Epiſcopi Colon. &c. De Executionibus Teſtamentorum.

HERMANNUS, DEI GRATIA SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, S. R. I. PER ITALIAM ARCHI-CANCELLARIUS, PRINCEPS ELECTOR, WESTPHALIÆ ET ANGARIÆ DUX, LEGATUSQUE NATUS &c.

" CUm nil plus debeatur hominibus, quam ut ſupremæ voluntatis,

(e) Vide *Tom. IV. Conc. Germ. pag.* 519. Caput II. Synodi Colonienſis, anno 1375. ſub Friderico III. Archi-Ep. Colon. celebratæ.

(f) *Comus*, apud Veteres dicebatur *Deus comeſſationum & Saltationum nocturnarum.*

(g) *Supra pag.* 557. (h) *Pag.* 776. *in Syn. præcedente.*

" tatis, poſtquam jam aliud velle non " poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, " quod non redit, arbitrium: Noſtraque " interſit, ut vota defunctorum " per omnia obſerventur & adimpleantur: " idcirco pietate & miſericordia, " quam defunctis debemus, moti, ac " animarum ſaluti conſulentes, Authoritate " noſtra Ordinaria ſtatuimus & " ordinamus, ut cujuſcunque Teſtamenti, " ultimæ voluntatis, ſive Codicilli, " aut etiam ordinationis quorumcunque " Legatorum, verbo, vel " in ſcripto quomodocunque factorum, " Executores, Manufideles, ſive fidei " Commiſſarii, quomodocunque nominentur " & appellentur, intra annum " continuum, a die mortis Teſtatoris " computandum, teſtamenta, ultimas " voluntates, codicillos, ſive ordinationes " Legatorum defunctorum, " debeant realiter & cum effectu executi " fuiſſe: Alioqui, dicto anno " elapſo, executio teſtamentorum, ultimarum " voluntatum, codicillorum, " ſive piarum ordinationum, nulla exſpectata " monitione, ſive aviſatione, " ad Nos, noſtroſque Succeſſores, futuros " Archi-Epiſcopos pro tempore " devolvatur.

" Inſuper ſtatuimus, & ordinamus, " præcipimuſque, & mandamus, ut " Executores præfati, intra triginta " unum dies, a die mortis Teſtatoris " computando, Sigillifero Curiæ noſtræ " Colonienſis, veras & integras " de verbo ad verbum concordantes, " & collationatas copias, ex veris Originalibus " extractas Teſtamenti & Inventarii, " realiter & cum effectu debeant " exhibuiſſe, ſub pœna excommunicationis " latæ ſententiæ & decem " florenorum Rhenenſium, Fiſco noſtro, " dicto termino lapſo, ipſo facto " perſolvendorum, niſi ſubſtantia defuncti " tam ampla & magna ſit, aut " aliud legitimum obſtet impedimentum, " quod intra dictos triginta unum " dies, Bona defuncti nequeant commode " conſcribi, & de his Inventarium " fieri. Extunc nihilominus noſtro Sigillifero " pro tempore teneantur hoc " ipſum ſignificare, & intra triginta " unum dies prædictos a Sigillifero " tempus competens petere. Quod " etiam, ſi eorum petitio fuerit rationabilis, " eis non denegabitur, ſub " pœnis & cenſuris prædictis.

" Item ordinamus, ſtatuimus, præcipimus " & mandamus, ut dicti Executores " cujuſcunque Teſtamenti, ultimæ " voluntatis, codicilli, aut ordinationis " quorumcunque Legatorum, " intra menſem poſt annum prædictum " immediate ſequentem, ſine ulteriori " dilatione, coram Nobis de executione " dicti Teſtamenti computationem, " rationem & calculum legitimos realiter " & cum effectu feciſſe debeant, " & teneantur: Alioqui in pœnas excommunicationis, " & decem florenorum " prædictorum incidant ipſo facto."

AD HÆC quamvis ſecundum Decreta Canonica Clericorum ab inteſtato decedentium Bona, ad Eccleſiam devolvantur: & ad Epiſcopum, ea ſecundum ipſorum Canonum præſcripta, in pios uſus diſtribuere pertineat; reperiuntur tamen, qui temerariis & iniquis auſibus eadem Bona, ſua authoritate invadere & occupare præſumunt, quod ſub excommunicationis ſententia deinceps fieri prohibemus.

De Ludimagiſtris ſedulo, cujus ſint fidei, examinandis.

NONO, cum Ludimagiſtri hæretica pravitate adſperſi vel infecti, graviſſimam perniciem Eccleſiæ & Reipublicæ afferant, quando ſimplicis & innocentis juventutis animos perverſa & depravata doctrina vitiant ac violant: eaque de re in Concilio noſtro Provinciali cautum ſit, dandos eſſe per Diœceſim viros, cum doctos, tum pios, qui Ludimagiſtros ubique locorum conſtitutos, & deinceps conſtituendos, ſimul & libellos, quos prælegunt, diligenter examinent; Hinc eſt, quod vobis injungimus, ut communicato cum Decanis Ruralibus conſilio, viros tales, quos eruditos ſimul ac pios, & Catholicæ Religionis ſtudioſos eſſe, certis teſtimoniis acceperitis, Noſtro, & Synodi nomine nominatim deſignetis, & deputetis, qui ſinguli intra ſua pomeria ipſis decernenda, Ludimagiſtros per totam noſtram Diœceſim, oppidatim

datim vel vicatim, ad juventutem docendam conductos aut conducendos, diligenter de fide & doctrina examinent, & judicium de authoribus, ex quibus juventus, vel etiam plebs, tuto doceri possit, ferant, idoneos viros approbent, pravos vero & suspectæ fidei, cum malis libellis abjiciant: & ad hoc inprimis sint intenti, ne quisquam Ludimagister juventuti sibi concreditæ, alium Catechismum prælegat, vel discendum proponat, quam qui sit citra controversiam a bene Catholico compositus, quique expositionem contineat Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, decem Præceptorum, & septem Ecclesiæ Sacramentorum, secundum Catholicæ Ecclesiæ interpretationem & ritus.

De collapsæ Disciplinæ Ecclesiasticæ instauratione.

DECIMO, quia ad Episcopos quam maxime spectat, Disciplinæ Ecclesiasticæ collapsa instauratio, atque ita, proh dolor, habeat, quod inexcusabili incuria & oscitantia Majorum, tum Capitularis in Collegiis Ecclesiasticis disciplina, cum publica pœnitentia, quam jus Divinum & humanum eos, qui publica admiserunt crimina, anteaquam ad communionem Sacramentorum recipiantur, peragere postulat, pene abolita sit: Extent autem adhuc, ut accepimus, fragmenta quædam veteris moris apud Ecclesias, quæ si docti aliquot & pii diligenter inspiciant, & cum judicio perlegant; facile modum ac viam invenerint, utriusque disciplinæ tam Cleri, quam populi, restituendæ: Eam ob rem nostræ Majoris, nec non Collegiatarum, aliarumque Ecclesiarum Prælatis & personis injungimus, ut quæcunque habent super hac re Disciplinæ Ecclesiasticæ fragmenta seu libellos, intra hinc & Dominicam *Lætare*, memorato Vicario nostro in Pontificalibus exhibere & tradere non detrectent. Ei enim & quibusdam aliis eruditis & piis viris mandatum dedimus, ut indagato, quoad fieri potest, veteri more, Nos de modo instaurationis utriusque disciplinæ admoneant: quo res tam præclara, ad Synodum post hanc proximam, nostræ Diœceseos Ecclesiis restitui per Nos possit.

Commendatio & publicatio indictæ & prosequendæ Synodi Generalis Tridentinæ.

POSTREMO, interea dum hæc describi & confici curamus, en literas Reverendissimi in Christo Patris, Domini SEBASTIANI, Archi-Episcopi Sipontini, Legati Apostolici ad Cæsaream Majestatem, universamque Germaniam destinati, accepimus. Quibus duo transsumpta authentica apposita erant, quæ ad Nos, ex speciali S. D. N. mandato transmisit: Unum Bullæ ejusdem S. D. N. JULII Papæ III. continuationis, & prosecutionis Concilii Oecumenici, per felicis recordationis PAULUM Papam tertium, Prædecessorem suum indicti & inchoati, & postea certis de causis intermissi, & in proximis Kalendis Maji reassumendi: Alterum Brevis Apostolici, publicationis ejusdem Bullæ. Et quia S. D. N. in memorata Bulla indictæ continuationis, omnes Archi-Episcopos & Abbates, omnesque alios, qui de jure, vel consuetudine, aut privilegio, Conciliis Generalibus interesse debent, quosque præfatus quondam felicis recordationis PAULUS III. in suis indictionibus, & aliis quibuscunque desuper confectis & publicatis literis, Concilio interesse voluit, requirit ac monet, ut proximis Kalendis Maji, in ipsa Civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire, & se congregare, ac ipsius Concilii continuationi & prosequutioni, omni mora postposita, incumbere velint. Memoratus quoque Legatus Apostolicus Nos admonendos putaverit, ut Nos in præmissis sic exhibeamus, quemadmodum S. D. N. Papa desiderat & confidit: Idcirco ex debito filialis obedientiæ, qua S. suæ, sanctæque Sedi Apostolicæ & Ecclesiæ DEI sumus obstricti, ad nostrum officium pertinere putavimus, vobis, omnibusque aliis & singulis, qui de jure, vel consuetudine, vel privilegio Conciliis Generalibus interesse debent, quosque præfatus quondam Dominus PAULUS III. in suis indictionibus interesse voluit, Nobis, no-

stræ-

ſtræque Archi-Epiſcopali jurisdictioni quomodolibet ſubjectis, memoratas literas Apoſtolicas, inferius deſcriptas, in hac noſtra Sacra Synodo publicandas, inſinuandas, & notificandas duximus, prout præſentium per tenorem publicamus, inſinuamus & notificamus: confiſi, omnes & ſingulos Nobis ſubjectos, qui hiſce Apoſtolicis literis requiruntur & monentur, ſe tales præbituros, ut S. D. N. experiatur, neque Nos noſtro officio in admonendo, neque illos in eo, ad quod ipſi tenentur munere, pro communi Eccleſiæ procuranda utilitate exequendo, fuiſſe deſides aut immorigeros. Literæ vero tum præfati Reverendiſſimi Domini Nuncii ad Nos directæ, quam generales S. D. N. ſequuntur in modum ſubſequentem: Et inprimis

EXEMPLAR LITERARUM Reverendiſſimi Legati Apoſtolici.

REVERENDISSIMO ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI.

REVERENDISSIME & ILLUSTRISSIME PRINCEPS!

QUum ſuperioribus diebus Sanctiſſimus D. N. JULIUS Papa tertius, ad tollenda Religionis noſtræ diſſidia, quæ dicti in Germania viguerunt, Generale Concilium per Prædeceſſorem ſuum felicis recordationis PAULUM tertium Tridenti indictum & inchoatum, poſtea certis de cauſis intermiſſum, in proximis Kalendis Maji reaſſumendum, & proſequendum expediens, & opportunum eſſe judicaverit; ut hanc ſuam deliberationem in Senatu Apoſtolico approbatam, per orbem Chriſtianum notam faceret, literas ſub plumbo, ad perpetuam rei memoriam confici, & ſucceſſive (ut moris eſt) publicari mandavit: quæ licet ad Dominationis veſtræ Reverendiſſimæ veriſimiliter notitiam devenerint; quia tamen Fratres ſuos Patriarchas, & Archi-Epiſcopos ſpeciali prærogativa dignos eſſe putavit, ſingulariter illos de his omnibus certiores reddere omnino decrevit. Earundem igitur literarum præſens authenticum exemplum, Dominationi veſtræ Reverendiſſimæ transmittendum, ad me deſtinavit: Quod, ut primum accepi, Venerabili viro Hieronymo Unicornio, Canonico & Procuratori veſtro, ad Dominationem veſtram Reverendiſſimam deferendum conſignavi. Reliquum vero eſt, ut Dominatio veſtra Reverendiſſima in præmiſſis ſe talem exhibeat, ut S. D. N. Papa, & boni omnes eam futuram fore deſiderant & confidunt.

DEUS Optimus Maximus perſonam ſuam cuſtodiat.

Datæ Auguſtæ, die XXVIII. Januarii M. D. LI.

Ad omne obſequium Dominationis veſtræ Illuſtriſſimæ

S. PIGINUS, ARCHI-EPISCOPUS SIPONTINUS, LEGATUS APOSTOLICUS.

BULLA

Reductionis Generalis Concilii ad Civitatem Tridentinam, cum monitione & requiſitione Prælatorum, ad illius proſecutionem, per S. D. N. JULIUM III. Pontificem Max.

JULIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

CUm ad tollenda Religionis noſtræ diſſidia, quæ in Germania longo tempore non ſine totius Chriſtiani orbis perturbatione & ſcandalo viguerunt, bonum, opportunum & expediens eſſe videatur, ſicuti etiam chariſſimus in Chriſto Filius noſter CAROLUS, Rom. Imperator, ſemper Auguſtus, Nobis per ſuas literas & Nuntios ſignificari fecit, ut Sacrum Oecumenicum Generale Concilium, per felicis recordationis PAULUM Papam III. Prædeceſſorem noſtrum indictum, & per Nos tunc Cardinalatus honore fungentes, atque ipſius Prædeceſſoris nomine, una cum duobus aliis S. Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, ipſi Concilio præſidentes, inceptum, ordinatum & continuatum: in quo plures publicæ & ſolennes habitæ fuerunt Seſſiones, pluraque tam in cauſa Fidei, quam Reformationis promulgata Decreta, multaque & ad utramque cauſam pertinentia, examinata & diſcuſſa, ad civitatem Tridentinam reducatur: Nos, ad quos & Summos pro tempore Pontifices ſpectat, Generalia Concilia indicere & dirigere, ut Eccleſiæ pacem & Chriſtianæ Fidei atque orthodoxæ Religionis incrementum,

mentum, ad Omnipotentis DEI laudem & gloriam procuremus, & quantum in Nobis est, tranquillitati ipsius Germaniæ, quæ sane Provincia retroactis temporibus in vera Religione, & Sacrorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque Maximis Pontificibus, Christi Redemptoris nostri in terra Vicariis, debita obedientia & reverentia, nulli Christianorum Provinciæ fuit unquam secunda, paterne consulamus, sperantes, per ipsius DEI gratiam & benignitatem futurum, ut Reges omnes ac Principes Christiani, justis piisque nostris in hac re votis annuant, faveant, atque assistant; Venerabiles Fratres, Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos: & dilectos Filios Abbates, omnesque alios, qui de jure, vel consuetudine, vel privilegio Conciliis Generalibus interesse debent, quosque idem Prædecessor noster in suis indictionibus, & aliis quibuscunque desuper confectis & publicatis literis, Concilio interesse voluit, per viscera misericordiæ Domini nostri JESU CHRISTI hortamur, requirimus, & monemus, ut proximis futuris Calendis Maji, quem diem ad ipsum Concilium in eo, in quo nunc reperitur, statu resumendum, & prosequendum prævia matura deliberatione, & ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ authoritatis plenitudine, ac Venerabilium Fratrum nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu statuimus, decernimus, & declaramus, in ipsa Civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire & se congregare, ac ipsius Concilii continuationi & prosecutioni, omni mora postposita, incumbere velint. Nos enim operam sedulo daturi sumus, ut eodem tempore, in eadem Civitate nostri omnino adsint Legati, per quos, si per ætatem nostram, valetudinemque, ac Sedis Apostolicæ necessitates, personaliter adesse nequiverimus, Spiritu Sancto Duce ipsi Concilio præsidebimus: quacunque ipsius Concilii translatione & suspensione, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque, ac præsertim illis, quæ idem Prædecessor noster in suis literis prædictis, quas cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis & Decretis in suo robore permanere volumus, atque decernimus, & quatenus opus sit, innovamus, voluit non obstare: irritum nihilominus decernentes & inane, si secus super his a quoquam, quavis authoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum hortationis, requisitionis, monitionis, statuti, declarationis, innovationis, voluntatis & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quinquagesimo, XVIII. Calend. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

M. CARDINAL. CRESCENTIUS.

Rom. Amasæus.

R. de Sanct. Marsal.

R. APUD ROMULUM SECRETARIUM.

BREVE APOSTOLICUM Publicationis ejusdem Bullæ.

JULIUS PAPA III. AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Superioribus diebus de Venerabilium Fratrum nostrorum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium consilio, ex caussis tunc expressis, Apostolica authoritate decrevimus, quod Sacrum Oecumenicum & Universale Concilium Tridentum, ubi olim inceptum fuerit, reduci, & ibi adjuvante Domino terminari deberet, tempusque ad illud resumendum & prosequendum, Calendas Maji proxime futuri præfiximus: omnesque & singulos, quomodolibet in eo interesse debentes, hortati sumus & monuimus, ut dicto tempore Tridenti esse vellent, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis literis plenius continetur. Ne autem propterea, quod dictæ literæ nondum publicatæ fuerunt, aliqui ignorantiam rei ullo modo prætexere possint, sed omnes plenam illius notitiam habeant; dicta authoritate per præsentes ordinamus, quod tam prædictæ, quam præsentes literæ, per aliquem ex nostris Cursoribus in Basilicis S. Petri de urbe, & S. Joannis Lateranensis, dum inibi Divina celebrantur, publice ac alta & intelligibili voce legantur, & postquam lectæ fuerint, valvis ipsarum Basilicarum affigantur, & inibi aliquamdiu dimittantur, & relicta postea illarum copia, amoveantur: Decernentes publicationem sic faciendam, omnes & singulos ipsius Concilii celebrationi quomodolibet interesse debentes, perinde arctare, ac si eis personaliter intimatæ fuissent: quodque ipsarum literarum transumptis,

tis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, ac Sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis Originalibus adhiberetur. Adhortantes, & in Domino requirentes omnes & singulos Venerabiles Fratres nostros Patriarchas & Archi-Episcopos, ad quos ipsarum literarum exempla impressa transmitti curabimus, ut pro suo officio & debito, id eorum Suffraganeis, & aliis minoribus Prælatis, & Abbatibus, notificent, contrariis non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima septima Decembris, M. D. L. Pontificatus nostri anno primo.

GAL. AQUINAS.

Publicata in prædictarum Ecclesiarum valvis prima Januarii M. D. LI.

Ita est. Joannes Roillard Cursor Sst.

Ita est. Maturinus Menander Cursor Sst.

Adrianus de Cuppis, Magister Cursorum.

HÆC SUNT, quæ in præsentiarum a vobis Commissariis nostris, ac tota Synodo poscimus. Quæ si Synodali authoritate firmata, gnaviter, ut spes est, executi fueritis, feceritis rem vestris officiis dignam, ac expressam nostram voluntatem & mentem. In quorum robur & testimonium, præsentes literas sigillo nostro subimpresso fecimus communiri. Datæ in Arce nostra Poppelsdorff, Anno Domini M. D. LI. ipso die Valentini Martyris.

His itaque literis memorati Reverendissimi Domini, D. Archi-Episcopi Coloniensis, publice perlectis, Sacra Synodus consurgens, se in domum Capitularem Ecclesiæ majoris recepit. Illicque considens, cum (præhabito super præscriptis decretis, edictis, mandatis, & jussionibus, in eisdem literis ordine narratis & contentis, maturo Tractatu) comperisset, ea omnia & Divinis literis & Sacris Canonibus quam maxime consentanea esse, & plurimum ad reformationem prosequendam profutura: idcirco pro suæ obedientiæ debito, eadem ipsa, ut mature, sancte & pie ab antedicto suo Archi-Episcopo constituta & mandata sunt, recipiens, Synodali etiam auctoritate firmavit, & ab omnibus, quos concernunt, sub censuris & pœnis comminatis, fideliter exequenda decrevit.

Recensio eorum, qui Synodo præsenti interesse debebant, ac præsentium assignatio. Confutatio vehemens quorundam Decanorum Ruralium.

DEinde recitata fuerunt nomina, & annotati præsentes Decani Rurales, seu Christianitatum, videlicet Arcuensis seu Bonnensis, Tulpetensis, Effficensis, Sibergensis, Juliacensis, Berchemensis, Geldrensis, Noviomagiensis, alias Zeifflicensis, Suchtelensis, Nussiensis, Vuattenschedensis, Sanctensis, Tremoniensis, Tuitiensis, Ludenschedensis, Vuormbachensis, Assindiensis.

Quo facto, providus Magister Tilmannus Rinsche, Procurator Fiscalis præfati Reverendissimi Domini nostri, reproduxit citationis & respective monitionis & requisitionis mandatum, per eundem Dominum nostrum Reverendissimum contra omnes & singulos Christianitatum Decanos, per totam Diœcesim Coloniensem constitutos, superioribus diebus Decretum, emanatum, & legitime executum, petens per providum Magistrum Crathonem a Leyten de Vuetter Notarium publicum, & superioris, ac præsentis Synodi Scribam, ad hoc specialiter deputatum, memoratos Decanos præsentes singulatim interrogari, an ne dictum mandatum ipsis & unicuique ipsorum, per Nuntium, seu Tabellarium præfati Reverendissimi Domini nostri ad hoc specialiter deputatum & juratum, rite & legitime insinuatum fuerit.

Qui omnes ex ordine interrogati responderunt, quod sic:

Hoc audito, & per Procuratorem Fiscalem recepto & acceptato, idem Procurator Fiscalis petiit, memoratum Magistrum Crathonem Notarium per Sacram Synodum moneri, ad designandum ex suo Protocollo actorum Synodi proxime præcedentis, nomina Decanorum Rurali-

 um,

um, qui tunc (nulla legitima excusatione facta) non comparuerunt: qui per Synodum monitus, ex suo Protocollo designavit & recitavit Decanos, Juliacensem, Vuattenschedensem, Sanctensem, Tremoniensem, Attendoriensem, Dusburgensem, Vuornbachensen.

Tum Fiscalis petiit a Sancta Synodo jam nominatos Decanos, illic adstantes, ob ejusmodi suam non comparitionem ad dictam Synodum Episcopalem, in pœnas & censuras, in dicto mandato expressas, incidisse declarari: ac potissimum eos, qui a dicta Synodo, sua Capitula pro more non servaverunt, nec ad ea suos Archi-Diaconos ad præsidendum admittere, nec Decreta Synodalia recipere, nec mandata Ecclesiastica, secundum dispositionem Sacrorum Canonum & Statutorum Provincialium, & Cæsareæ Reformationis, Augustæ receptæ, Decreta exequi voluerunt.

Deinde quoque accusavit contumaciam Decanorum, ad præsentem Synodum comparere non curantium, eorumque contumaciam secundum ejusdem mandati tenorem petiit puniri.

Denique postulavit, Decanos præsentes, omnesque alios observationi Synodorum Episcopalium interesse debentes, requiri & moneri, ut dicto mandato Reverendissimi Domini nostri posthac per omnia pareant, ac ut Decani Rurales suarum Decaniarum Statuta, seu ordinationes, in medium exhibeant.

Verum cum ex adverso prædicti Decani accusati præsentes, varias & diversas excusationes suæ culpæ attulissent, ac omnes, qui in ditionibus Illustrissimi Principis & Domini, Domini Vuilhelmi Ducis Juliacensis, Clivensis & Montensis, Comitis in Marka, Ravensperg, Domini in Ravenstein &c. &c. commorantur, quasdam literas ab eodem Principe ad se directas produxissent, & earum vigore sibi justum metum incussum allegassent, & inter hos Religiosus Pater, Albertus Köninck Sacræ Theologiæ Magister, qui Ecclesiam Parochialem in Duren, & Decanatum Juliacensem, sine tamen auctoritate præfati Reverendissimi Domini nostri Archi-Episcopi administrat, & præterea quoddam Beneficium Ecclesiasticum, in dicta Ecclesia Durensi situm, sine tamen Canonica institutione detinet, prout hæc ad interrogationem Procuratoris Fiscalis publice confessus est, cum, inquam, is præ cæteris a dicto, ac aliis Procuratoribus Fiscalibus Reverendissimi Domini nostri Archi Episcopi, & Officiariis Reverendi & Illustrissimi Domini, Domini Georgii ex Ducibus Brunsvuicensibus, Præpositi Ecclesiæ majoris Coloniensis, & Archi-Diaconi &c. urgeretur: Commissarii Reverendissimi Domini nostri Archi-Episcopi una cum Sacra Synodo omnibus & singulis Decanis Ruralibus præsentibus & superius nominatis, infra scripta interrogatoria proponi fecerunt, & ad ea per verbum veritatis affirmative vel negative, clare ac diserte respondere illos jusserunt, uti factum est in modum subsequentem.

Primum itaque interrogati fuerunt, anne verum sit, quod ipsi omnes & singuli Reverendissimo Domino nostro Archi-Episcopo triplicis juramenti vinculo, ad obedientiam & reverentiam debitam præstandam, obstricti sint. Primum quidem ratione ordinationis suæ ad Sacerdotii gradum: secundo, ratione institutionis suæ ad Ecclesias Parochiales, quas administrant: tertio, ratione officii sui Decanalis? Et responderunt omnes, se, ut memoratum est, obstrictos esse.

Secundo rogati sunt, anne verum sit, quod ipsi non modo ex dispositione juris communis & Statutorum Provincialium Ecclesiæ Coloniensis, Reformationisq; per Cæsaream Majestatem Augustæ propositæ & receptæ, sed etiam ex antiquissimo more, ab immemorabili tempore in Ecclesia & Diœcesi Coloniensi semper observato, atque adeo juxta suarum Decaniarum Statuta, a se jurata, teneantur quotannis bis in Civitate Coloniensi ad Synodos Archi-Episcopales personaliter (nisi tamen legitime impediti fuerint, & per suos Procuratores, ad hoc speciale mandatum habentes, & fidem de impedimentis facientes excusentur) comparere, & eisdem Synodis, quarum una feria secunda post *Invocavit:* secunda vero, altera post *Remigii* Episcopi celebrantur, interesse, & audire decreta, quæ in illis Synodice constituuntur & sanciuntur, eorumque exemplaria petere, & sibi comparare, & ea diligenter legere, attende-

re & obſervare ? Ad quam interrogationem ſimiliter reſponderunt, ſe ad hæc teneri.

TERTIO interrogati ſunt, anne itidem ex antiquiſſimo more, ſupra omnium hominum memoriam ſemper obſervato, atque etiam ſuarum Decaniarum Statutorum vigore (ut Jus commune, Statuta Eccleſiæ Colonienſis, & Cæſaris Reformatio ſileantur) obſtricti ſint, quotannis bis, poſt Archi-Epiſcopales Synodos celebratas, ſua Capitula obſervare, & in eisdem omnibus & ſingulis Eccleſiarum Parochialium Rectoribus & Vice-Curatoribus, ſub eorum Decaniis commorantibus, eisdemque Capitulis intereſſe debentibus, Decreta in Synodis Archi-Epiſcopalibus promulgata, inſinuare & publicare, & ut ea ulterius quique in ſuis Parochiis publicent & obſervari faciant, committere ? Et reſponderunt, quod ſic.

QUARTO interrogati ſunt, anne ſimiliter ſecundum ſua propria ſtatuta, ipſorum juramentis corporalibus firmata, & præterea ex more longe vetuſtiſſimo teneantur in eisdem Capitulis exequi quæcunque mandata Eccleſiaſtica, ſuum Archi-Epiſcopum, Eccleſiæ Colonienſis fabricam, ſuum item Archi Diaconum, & ſuum denique Capitulum concernentia? Et faſſi reſponderunt, ſe teneri.

QUINTO interrogati ſunt, anne itidem ex receptiſſimo more, ab immemorabili tempore obſervato, celebratio Sacrarum Synodorum Parochialium ſemper ſpectaverit, & pertinuerit primo quoque anno ad Archi-Epiſcopum, ſecundo vero ad Archi-Diaconum, tertio ad Decanum Ruralem, & quarto ad Rectores ipſarum Eccleſiarum Parochialium: quodque in eisdem Synodis, quæ correctione & reformatione digna ſunt, corrigi & reformari debeant? Et reſponderunt, rem ita ſe, ut interrogati ſunt, habere.

SEXTO interrogati ſunt, anne ipſi Decani Rurales tam de jure communi, ordinationeque Statutorum Eccleſiæ Colonienſis, quam etiam ex antiquiſſima conſuetudine, teneantur, omnes & ſingulas Beneficiales, matrimoniales, & reliquas Eccleſiaſticas cauſas, quæ Judicialem requirunt indaginem, ad tribunal, ſeu forum ſui Archi-Epiſcopi, ſeu Archi-Diaconi remittere, per eos ſua authoritate jure terminandas: Et, quod ad ipſos attinet Decanos, debeant eſſe contenti ſola correctione Synodali delictorum manifeſtorum, in Synodis Ruralibus delatorum & publicatorum; eo quod ipſi nullam habeant jurisdictionem contentioſam ad cognoſcendum ſuper viribus titulorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, vel matrimoniorum, & ſimilium, quorum cognitio proprie ad Epiſcopos & Archi-Diaconos pertinet; quod ad ipſos ſolos inſtitutio, & deſtitutio, & matrimonialium ac ſimilium Eccleſiaſticarum cauſarum cognitio ſpectet ? Et, anne conſtet, ipſos Decanos non poſſe mucronem Epiſcopi (quæ excommunicatio eſt) ſua auctoritate diſtringere ? Et reſponderunt omnes, rem ita ſe habere, nemine contradicente.

SEPTIMO interrogati ſunt, anne teneantur, caſus Epiſcopis per Sacros Canones pro indicendis pœnitentiis ſpecialiter reſervatos, ad ſuum Archi-Epiſcopum remittere ? Et reſponderunt, quod ſic.

POSTREMO interrogati ſunt, velintne ſuperiorum Synodorum & præſentis Decreta ſecundum veterem conſuetudinem & morem, & prout de jure tenentur, publicare & obſervare: & in his, ſicut ab antiquo fieri ſolitum eſt & conſuetum, decenter ſe gerere, ſuoque Archi-Epiſcopo reverentiam & obedientiam debitas in omnibus exhibere? Et reſponderunt ſe velle pro ſua virili & quantum poſſent.

Quibus ſic geſtis, Commiſſarii præfati Reverendiſſimi Domini noſtri una cum Sacra Synodo, prædictis Decanis accuſatis, aliisque adſtantibus, & ad Synodum non pertinentibus, paululum ſecedere juſſis, habita ſuper præmiſſis matura conſultatione & deliberatione: & deinde dictis accuſatis, rurſus coram ſe ad ſuam præſentiam revocatis, tandem inſtante Procuratore Fiſcali, in Notarii & teſtium infraſcriptorum præſentia, ſuum Decretum Synodale in ſcriptis tulerunt, quod & publice legi, recitari, & pronuntiari fecerunt, tenoris ſubſequentis.

DECRE-

DECRETUM SACRÆ SYNODI,
contra inobedientes quosdam Decanos Rurales.

LIcet Commissarii Reverendissimi Domini nostri D. Adolphi, Archi-Episcopi Coloniensis, Principis Electoris &c. ac Sacra SYNODUS non audiverint causas rationabiles, & in jure fundatas, per quas, qui accusati sunt, ab inobedientia sua in totum excusentur: eo maxime, quod nullius Decani, non venientis ad Synodum Episcopalem, excusatio recipi debet, nisi facta per Procuratorem, ad hoc habentem sufficiens Mandatum, & docentem de legitimo impedimento sui Mandatoris: & propterea possent de rigore, eos in pœnas & censuras in Mandato reproducto comprehensas, incidisse declarare: nihilominùs in præsentiarum humanius ac mitius agere volentes, pœnarum & censurarum hujusmodi declarationem usque ad proximam Synodum suspendunt: eo salvo, quod Reverendum D. Provincialem, & Venerabilem D. Priorem Carmelitarum in Colonia requirunt, ut F. Albertum Köninck, sui ordinis Professum, & præter auctoritatem Ordinarii sui Archi-Episcopi, Ecclesiam Parochialem Durensem, una cum una vel pluribus Vicariis, etiam sine titulo occupantem, & Decanatum Ruralem Juliacensem administrantem, contra Sacrorum Canonum Sanctiones, quæ talibus anathematis pœnam infligunt, in & ad suum Monasterium & obedientiam juxta Canones Synodi Provincialis novissime celebratæ, revocent; donec authoritatem sui Ordinarii, & Canonicam institutionem de aliis beneficiis, & absolutionis, & rehabilitationis beneficium mereatur obtinere: quam authoritatem, consensum, & absolutionis beneficium potest incontinenti per se, vel alios, apud Reverendissimum Dominum nostrum, prope existentem, & apud Superiores ordinis sui, nisi velit in inobedientia perseverare, sibi procurare. Statuentes nihilominus & decernentes, quod Decani Rurales sub Illustrissimo Principe, & Domino, Domino Duce Juliacensi, Clivensi, & Montensi, ac Comite Markensi, & Ravenspergensi &c. commorantes, teneantur se cum decretis & actis in hac præsenti Synodo, ad Celsitudinem ejus Illustrissimam personaliter conferre, & eandem de omnibus hic pronuntiatis, publicatis & actis, fideliter, obsequiose & humiliter informare, & de eo certiorem reddere, quod in Synodis proxime celebratis, seu etiam in hac, nihil sit eis a Reverendissimo Domino suo Archi-Episcopo Coloniensi injunctum, nisi quod ad Celsitudinem suam Reverendissimam, tanquam loci Archi-Episcopum & Ordinarium, non solum de jure, sed etiam de more, & consuetudine, ultra omnem hominum memoriam spectavit & pertinuit, & in cujus usu suæ Reverendissimæ Celsitudinis Prædecessores, per totam suam Diœcesim hactenus fuerunt, quodque ipsi, nisi perjurium incurrere, & debitam obedientiam suo Archi-Episcopo (quod absit), subtrahere velint, teneantur, ejusmodi decretis & mandatis parere, vel sua ministeria relinquere: ea spe, quod præfatus Illustrissimus Dux, hujusmodi informatione recepta, clementer patietur, prout etiam sua Illustrissima Celsitudo in suis literis ad hoc se offert, præfatum Reverendissimum suo Jure Archi-Episcopali, sibi ab antiquo competenti, libere uti: eo maxime, quod Sacra Synodus informata est, Reverendissimum Dominum nihil penitus novi velle attentare, sed tantum cupere, ut fiat & servetur Spiritualis & temporalis Jurisdictionis distinctio, & quod quisque in exercitio suæ Jurisdictionis maneat illæsus. Præfigentes nihilominus dictis Decanis terminum infrascriptum, videlicet, ut intra hinc & Festum Lanceæ & Clavorum, Reverendissimum Dominum nostrum de actis & expeditis per eos, certiorem reddant, & datum responsum ad Celsitudinem suam Reverendissimam perferant. Injungentes eisdem, ut de cætero, ut promiserunt, sua officia debita, ad quæ juxta propriam confessionem tenentur & obligantur, fideliter exequantur, si declarationem censurarum & pœnarum prædictam, in proximam Synodum suspensam, velint evitare. Mandant quoque eisdem Decanis, ut, qui Statuta suarum Decaniarum ad manum habent, ea revidenda Dominis Commissariis Reverendissimi Domini nostri, intra hinc & diem crastinum tradant: cæteri vero intra hinc & dictam

dictam diem Lanceæ & Clavorum tradi procurent: nec hinc discedant, nisi Decretis & actis hujus Synodi sigillatis & subscriptis; quibus parere teneantur, sibi comparatis.

Cui quidem Decreto sic lecto, & recitato, nemo contradixit. Et sic Synodus, facta dimissione, in Domino est soluta.

Actum & datum in Schola Theologorum, in qua Synodus communiter celebrari consuevit: ac post digressum ex eadem, in domo Capitulari Majoris Ecclesiæ Coloniensis, sub anno Domini M. D. LI. feria secunda post Dominicam *Invocavit*, quæ erat sexta decima mensis Februarii, præsentibus ibidem Clarissimo Domino Francisco Burchardo Jurium Doctore, & præfati Reverendissimi Domini nostri Archi-Episcopi Coloniensis Consiliario aulico: nec non Venerabilibus, Egregiis & circumspectis viris, Dominis Joanne a Kempis, & Joanne Beckum, Jurium Licentiatis, Petro a Cosfeldt, Reverendi Capituli Coloniensis Secretario, & Casparo a Dorler, Testibus ad hoc specialiter vocatis & rogatis. In fidem & testimonium præmissorum, Sigillum majus Venerabilis Curiæ Coloniensis, de mandato præfatorum Dominorum Commissariorum, & Sacræ Synodi, præsentibus actis, per memoratum Magistrum Crathonem, hujus Synodi Notarium, de simili mandato subscriptis, est impressum.

De speciali Mandato & Commissione Reverendorum, Illustrium, & Venerabilium Dominorum Commissariorum, præfati Reverendissimi Domini mei, ac totius Sacræ Synodi, ego Cratho a Leyten de Wetter, Notarius publicus, ejusdemque Synodi Scriba, specialiter deputatus, rogatus & requisitus, subscripsi.

SYNODUS GLACENSIS ARCHI-DIACONALIS,

Anno Christi MDLIX. Pauli IV. PP. V. Ferdinandi I. Imp. II.

CONSTITUTIONES SYNODI COMITATUS GLACENSIS.

CHRISTOPHORUS NEÆTIUS, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR, ET ARCHI-DIACONUS COMITATUS GLACENSIS. HIERONYMUS HANOSKI, DECANUS IBIDEM, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

HAud vos latere arbitramur, Confratres, ac Domini, in Christo charissimi, nobis jam dudum, & in præsentia vestra, per Dominos Commissarios, a Cæsarea Majestate huc transmissos, nec non & Dominum, Dominum HENRICUM, Administratorem Catholicum Archi-Episcopatus Pragensis Ecclesiæ, Ordinarium nostrum, officium Archi-Diaconi ab una, & Decani, ab altera parte, fuisse, & esse injunctum, hac conditione, ut circa gubernationem rerum Divinarum, & aliarum, ad custodiam simul & disciplinam, gregis commissi spectantium, nos diligentes Inspectores præbeamus.

Quod quidem officium hactenus non sine ingenti & anxia solicitudine sustinuimus, non ignorantes, quantum nos sudare oporteat, quantave pœna nos sit apprehensura, si talentum, quod Christus suo sanguine precioso redimendum duxit, quodque abiens suis Discipulis, & nobis ad usuram tradidit, nil operando, sudario saltem involventes, nostra incuria perire siverimus. Accedit quoque ad communem curam nostram, quam ratione functionis nostræ,

ſtræ, pro Eccleſiis noſtris gerimus, quod videmus hujusmodi onus, in ea tempeſtate, & terra nobis eſſe impoſitum, in qua tot ſectæ, ſchismata, pravæ opiniones, & dogmata falſa agminatim velut in aſylum confluxere. Quæ &, ut videre licet, miram animorum diſtractionem procrearunt, adeo ut jam fere nemini cuiquam fidem adhibere liceat. Nam qui internas, circa fidem ſimultates alunt, quomodo poterunt diu, niſi maluerint diſſimulata probitate, contra Chriſtianam ſimplicitatem, dolum exercere, quomodo poterunt, inquam, extrinſecus, pacifice unanimesque vivere?

Cur autem hactenus moram traxerimus, quo minus, ut fortaſſe ſuſpicamini, ad officium noſtrum ſpectantia, exercuimus, culpa noſtra factitatum non eſt. Quis enim ſeparabit nos a charitate matris noſtræ Eccleſiæ, an opprobria, ſcommata, dicteria, vel etiam temporum iniquitas, locique ſpinoſa & offendibilis occaſio? Certe hæc omnia magis auxere ſolicitudinem noſtram, quam ut negligentiæ excuſationem, ſeu deſidiæ patrocinium præſtaſſe, videri poſſent. Imo aliud quiddam fuit, & nunc eſt, quod huc uſque deſiderium noſtrum protruſit. Verum, nihilominus, ex quo cuncta in pejus relabi cernuntur, officio noſtro, tum & Præcepto Domini Adminiſtratoris, Dominique DEI noſtri, ſatisfacturi, ſubſequentes Conſtitutiones, vobis proponere ſtatuimus, ne dicatur in nos illud Eſaiæ 56. *Speculatores ejus cæci omnes, canes muti, non valentes latrare, videntes vana*: Et Ezech. 33. *Sanguinem populi, de manu Speculatoris requiram.*

Porro, ex quo plurimi veſtrum, certe valde turpem vitam agunt, viventes in continuis comeſſationibus tabernarum, jurgiis, & aliis vitiis, quæ laicis omnibus modis; multo magis Clericis, in plerisque locis Scripturæ, & Statutis Conciliorum prohibita leguntur, nolumus de reliquo diſſimulanter agere, timore perculſi ex hoc, quod habemus apud Ezech. 34. *Ecce ego ipſe gregem meum de manu Paſtorum requiram.* Et Eccleſ. 7. *Non quæras fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.* Volens hiſce, illos gravi pœna dignos eſſe, qui vitia ſubditorum, quæ pro poteſtate ſibi conceſſa emendare, evellere, & eradicare deberent, connivendo nutriunt, & augent. Audite & Fratres chariſſimi, D. Paulum dicentem Actor. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi*, nempe vos, qui eſtis aliorum Præfecti, *in quo vos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam DEI, quam acquiſivit Sanguine ſuo.*

His itaque commonitionibus incitati, certa ſcientia ducti, nos oportere repræſentari, ante tribunal Chriſti, in convocatione univerſali, quæ fiet in die noviſſima, reddituri rationem pro omnibus, quæ geſſit unusquisque in corpore ſuo, ſive bonum, ſive malum, magis autem de his, quæ geſſit unusquisque in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, propenſa voluntate inclinati, culpandam quorundam veſtrorum negligentiam, & diſſolutam vitam, opportunis admonitionibus, importunisque diſciplinis, in charitate eliminare decrevimus. Adjutorio confortati & confirmati in primis DEI Optimi Maximi, deinde Illuſtriſſimi ac Catholici Principis, & Domini, Domini ERNESTI, (*) Comitis Palatini Rheni, utriusque Bavariæ Ducis &c. Domini, Domini noſtri gratioſiſſimi, quem ſingulari DEI beneficio, Dominum Comitatus noſtri conſtitutum arbitramur: Tantamque opportunitatem nunc nobis oblatam, nequaquam negligendam duximus, SYNODUM præſentem convocavimus, in qua Eccleſias deturbatas in hac terræ parte, unanimi conſenſu, fraterne repurgare ſtatuimus. Spe bona freti, quemlibet veſtrum talem ſe præſtiturum in omni obedientia & reverentia, qualem ſe decet, omniaque æqui bonique ſuſcepturum, quæ modo dicuntur. Certe magna res eſt Eccleſia, in qua vobis commiſſæ ſunt animæ hominum, pro quibus Chriſtus ſanguinem ſuum pretioſiſſimum fudit, in illa dicimini Paſtores, & cum ſitis pro parte potatores, audimini ſal, ſed infatuatum, lux, & eſtis tenebræ, parum aut nihil ſcientes, & quod pejus, nil diſcere cupientes, hoc ſolum ſcitu neceſſarium arbi-

(*) De hoc Erneſto Bavariæ Principe, qui Salisburgenſem Archi-Epiſcopatum annis tredecim magna laude adminiſtraverat, vide quæ ſupra diximus pag. 349.

arbitrantes, quomodo decimæ, & fruges terræ ſint congregandæ. At quomodo populus provideatur cæremoniis Eccleſiæ, Sacramentis, tum & verbo Dei, juxta Orthodoxorum Patrum Sententias, Sacrorum Canonum Sanctiones, & recti judicii rationem, ſecundum veteris Eccleſiæ conſuetudinem, quam Sancti Patres, quaſi per manus Apoſtolorum traditam ſedulo retinuerunt, nullus fere curat. Honorari apprime deſideratis de Sanctuario Dei; verum Domini honorem, quæ fit laudabilibus & conſuetis cæremoniis, propagare detrectatis.

Ob id rogamus vos, Fratres, conſiderate tandem ſtatum quotidianæ converſationis veſtræ tanquam faciem nativitatis in ſpeculo, ſed Evangelico, ubi Chriſtus agit de furibus, mercenariis, & bonis paſtoribus. Si boni Paſtores eſtis, gaudete, quia copioſa eſt merces in Cœlis; ſi mercenarii, timete: grande enim timere habetis periculum in terris. Si fures, ingemiſcite, nam locus veſter jam eſt præparatus in igne gehennæ. Non ergo veſtram, rogamus, facite voluntatem, nolite placentia loqui quibusdam nobilibus, qui ad inſtar harpyarum hæreditario jure ſe poſſidere arbitrantur Sanctuarium Dei. Non Sculteris ſemper morem gerite, ſed Domino JESU, & Matri Eccleſiæ, tanquam filii chariſſimi, ſervi obedientiſſimi, & diſpenſatores fideliſſimi. Quæ JESU CHRISTI ſunt, quærite, non quæ veſtra: Ipſi honor & gloria.

Sunt autem ſubſequentes Conſtitutiones, olim propoſitæ poſt Conventum Bilsnenſem per Venerabile Capitulum Eccleſiæ Pragenſis, additis nunc quibusdam aliis, ratione loci neceſſariis.

I.

PRincipio, ut unusquisque firmiter credat, & nullatenus dubitet, quæcunque S. Mater Eccleſia proponit, ea eſſe vel ex Scripturis Sacris deprompta, vel a Spiritus Sancti inſpiratione profecta.

II.

Deinde, certo ſibi perſuadeat, juxta ſententiam D. Cypriani, & Auguſtini, ſe non habiturum Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem, atque eam Magiſtram & interpretem Scripturarum Sacrarum agnoſcere.

III.

Denique, extra hanc communionem Catholicæ Eccleſiæ, quæ habet ſucceſſionem Sacerdotum ab ipſo Petro, cui Dominus a mortuis reſurgens, gregem ſuum commiſit, ſicut extra Noë archam, nullam omnino eſſe ſalutem mortalibus, non Sacramentorum uſum, neque remiſſionem peccatorum. Nam licet hæretici Sacramenta habeant, teſte Auguſtino, uſum tamen, & rem Sacramenti non habent.

IV.

In hac Catholica Chriſti & Petri, ſeu Romana Eccleſia, Miniſtri cumprimis Catechismum, hoc eſt, Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolicum, Decem Præcepta, & alia ad ſalutem neceſſaria, ſubinde recitent, & planius rudioribus in concionibus tradant, præſertim ſacro Quadrageſimali tempore, idque juxta interpretationem Catholicorum Patrum, maxime Reverendiſſ. D. Michaelis Epiſcopi Merspurgenſis, D. Friderici Nauſeæ, Gropperi, & aliorum ſimilium.

V.

Deinde, de fide, ſpe, charitate, gratia, libero arbitrio, juſtificatione, bonis operibus, libertate, Sacerdotio, & aliis locis ita doceant, ne omnia (quod hæretici ſolent) confundant, & nudam, ſeu ſolam fidem juſtificare nos clament, bona opera floccifaciant, omnes Sacerdotes eſſe, omnes liberos affirment, confuſum Babel in Eccleſiam Dei, quæ eſt ordinata, ut caſtrorum acies, introducentes.

VI.

In Concionibus præterea, & in enarrando Evangelio, utantur Authoribus antiquis, & Catholicis, & ex illis, & Scripturis Sacris colligant, quod populo proponant. Libellos Lutheranos, Zuinglianos, Sarcerianos, Illyricanos, Schvencfeldianos, Spangebergianos, Calvinianos, atque alios non Catholicos abjiciant.

VII.

Liturgiam, seu Missam devote, cum bona intentione, singulis festivis diebus celebrent, memores Dominicæ Passionis, & Redemptionis nostræ, atque alios, quid sibi velit tremendum mysterium, & Sacrificium incruentum, propitiatorium, & Eucharisticum doceant. Et Angelos ibi assistentes cum D. Chrysostomo non dubitent.

VIII.

Item usitatis, & ad singula officia destinatis, utantur vestibus, & ornamentis, atque illa omnia munda servent.

IX.

In administratione Sacramentorum sint diligentes, ut omnia juxta ritum, & praxin Catholicæ Ecclesiæ agant. Modis omnibus caveant, ne quid negligant, aut irreverenter tractent.

X.

Doceant, septem esse Ecclesiæ Sacramenta Divinitus instituta, per quæ velut apta remedia peccatis nostris mederi, & gratiæ suæ munera, DEUS voluerit nobis impertiri. Gratiam vero Sacramentorum, non ex ipsa externarum rerum virtute, nec ex merito ministri, sed ex internæ & Divinæ operationis virtute, æstimandam esse. Sunt autem hæc: Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Ordo, Matrimonium, & Unctio extrema.

XI.

Omnibus itaque Ecclesiarum Ministris sedulo injunctum volumus, ne aliter, quam adhibitis Exorcismis, Exsufflationibus, Unctionibus, & cæteris ritibus, per Catholicam Ecclesiam adhiberi solitis, latine, & in aqua non prophana, sed sacri Chrysmatis unctione sanctificata, extra casum necessitatis, Baptismum administrare præsumant. Et ut tanto mysterio debita omnino reverentia adhibeatur, Ecclesiæ Ministros serio monemus, ut cum multa sobrietate & devotione, non post prandia & epulas, absque necessitate, Baptismum administrent.

XII.

Confirmationis Sacramentum, quod olim saltem per manuum impositionem conferebatur, quod postea Chrysmatis unctione adhibita conferri cœpit, internam & spiritualem unctionem significare, & quod foris aliquo signo visibili innotescit, id ipsum intus per gratiam operari, doceant.

XIII.

Pœnitentiam esse Sacramentum, per quod, post Baptismum in peccatorum voraginem relapsi, denuo perniciem effugimus, tradant. Atque veram pœnitentiam Contritione, Confessione, & Satisfactione absolvi.

XIV.

Sacerdotes, qui confessionibus audiendis dant operam, non plures simul, sed unum post alium absolvere præsumant.

XV.

De veritate Corporis & Sanguinis Dominici in Eucharistia, plebem ex verbis Domini instruant; ut credant, post consecrationem sub speciebus panis & vini, veram Christi corporis substantiam realiter contineri, atque sub una tantum specie a fidelibus sumi, quantum sub utraque, quoniam sanguis a carne separari nequit. Et ex quo virtus hujus Sacramenti, non pendet ex speciebus, sed ex vivifica carne Christi & sanguine vivo, jam nemo dubitare debet, unum alio plus, minusve sumere. Et merito is sumendi modus a fidelibus est retinendus, quem S. Ecclesia Catholica tradidit observandum. Venerabile Sacramentum singulis mensibus renovent, particulas reverenter tractent, relictas absumant. Et nemo ad Eucharistiam admittendus, nisi privatim peccata sua commemorans, atque detestans, confessus & absolutus fuerit.

XVI.

XVI.

Sacram Unctionem, doceant, & primos Apostolos, ad infirmorum, qui ad vitæ exitum vergunt, præsidium exercuisse : Eamque juxta Apostoli testimonium, contra corporis infirmitatem, & terrores conscientiæ valere.

XVII.

De Sacramento Ordinis doceant, illa sola rata, & efficacia esse, quæ a rite ordinatis in Ecclesia, juxta Christi institutionem, geruntur. Et hanc gratiam esse, non hominum aut personarum, sed muneris DEI, ad communem utilitatem totius Ecclesiæ accommodatam.

XVIII.

Et ut Sacramento Matrimonii suus conservetur honos, conjunctiones conjugum volumus in conspectu Ecclesiæ, consueta celebritate confirmari, non in angulis, ædibus privatis : & prius ter proclamationes faciant ; ob multas & varias fraudes evitandas. Neque quisque ignotas personas, ad se non pertinentes copulare absque licentia sui Plebani, & testimonio, sibi usquequaque liberum esse præsumat.

XIX.

Item neque dimissas & separatas personas, ipso jure propter adulterium, aut aliam ob causam, copulare audeat. Siquidem apud Christianos nullum divortium est, sed separatio thori : scilicet dum vixerit alter conjugum, matrimonium durat.

XX.

Cæremonias sacras ab Ecclesia receptas observent, & pro tempore, quid significent, populo interpretentur ; ut excitentur homines ad religionem, etiam per res externas, & visibiles, ubi intellexerint, quid sibi velint.

XXI.

Benedictionem salis & aquæ, nec non & rerum aliarum, tanquam morem antiquum, conservandam præcipimus; dummodo Pastores populum sedulo doceant, effectus, qui inde petuntur, non ipsarum rerum efficaciæ, sed operationi Divinæ tribuendos esse. Populusque monendus, ne rebus talibus ad impias superstitiones abuti præsumat.

XXII.

De imaginibus doceant, eas non ob id proponi, ut adoremus aut colamus eas; sed ut quid adorare aut colere, aut quarum rerum utiliter meminisse debeamus, per imagines recordemur.

XXIII.

Sanctos tanquam nobilissima membra Corporis Christi, eo societatis, & dilectionis cultu, quo in hac vita sancti homines, merito honorandos esse doceant. Atque eatenus invocandos, quatenus non obscuretur gloria Christi; ponendo in illos non fiduciam redemptionis, sed flagitando ab ipsis officium intercessionis; nam utique lege charitatis usque modo nobis obligantur : quodque eo magis eos facere confidimus, quo illis post carnis depositionem, ferventior charitas & promptior facultas accessit.

XXIV.

Eadem lege charitatis, tenendum est, defunctos vivorum pietate & orationibus adjuvari.

XXV.

Cæterum, plebs Christiana, sumpta ex Divinis literis commonitione, ad continuam vitæ sobrietatem, sedulo cohortetur; ut cibi, potusque moderatione carnis lasciviam comprimentes, ad exercitia pietatis mentem liberius intendere queant. Cui jungendus est ciborum delectus, non quidem ab iis, velut immundis abstinentes, sed edomandi corporis causa.

XXVI.

Corpora mortuorum honorifice cum cantu lugubri, & precibus pro defunctis sepeliantur.

XXVII.

Vigilias Sanctorum, jejunia, & memorias Sanctorum, e suggestu denuntiari volumus : & populus moneatur, ad ea colenda, & observanda, ut celebrantes Festa Sanctorum, imitentur eorum exempla, laudantes Deum de gratia eis collata.

XXVIII.

Processiones diebus Dominicis teneant; Item communes petitiones pro Ecclesia Dei & omnibus statibus: Et pro defunctis post, sive ante Concionem orare non negligant.

De corrigendis moribus.

I.

Convocationes Cleri, & ad pietatem & Catholicam Religionem, ad honestatem vitæ cohortationes, & monitiones fieri volumus. Malos vero & dissolutos condigna pœna, pro delicti qualitate plecti curabimus.

II.

Archi-Diaconus, sive Decanus, si non sæpius, ad minus semel in anno, visitari curabit concreditas fidei suæ Parochias; ut intelligant, quid quisque agat, quid boni omittat, & mali committat, quidque in Ecclesiis, & Clero & populo, emendandum, aut prorsus reprimendum sit.

III.

Parochi subjecti sint Archi-Diacono & Decano suo.

IV.

Tabernas omnino fugiant, & per omnia vitam vivant, qualem professio eorum exigit, & Christus requirit: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Honesto vestitu incedant, longis & talaribus utantur, non varii coloris, aut discissis.

V.

Arma, nisi itinerantes, non induant, barbam non nutriant, Coronam & tonsuram deferant. Omni ludo, blasphemiis, rixis, choreis & aliis quibuscunque excessibus, abstineant.

VI.

Nemini Clericorum liceat in dote Ecclesiæ, laicis locum compotandi aperire; quoniam inde non raro ebrietatem rixæ, cædes, & multa scelera, quæ Sacerdotalem polluunt dignitatem, sequi solent.

VII.

Nullus quoque, vel semel in anno, absque evidente necessitate, Officium Divinum, sive non prædicando, seu non celebrando, omittat. Provideat itaque quilibet, si per se non poterit, per vicinum, ut suas oviculas ad minimum officio prædicandi pasci faciat, ne torpor & negligentia Plebani, laicis incuriam & contemptum verbi Divini, nec non & vitam bestialem, pariat.

VIII.

Debita non contrahant, contracta vero dissolvant. Nam impii est, mutuum, sive mercedem (*) solvere.

IX.

Famulas suspectas, & notæ turpitudinis, amoveant, & honestiores ratione ministerii suscipiant, ut sint irreprehensibiles.

X.

In charitate & unitate vivant, mutuis convitiis sese non afficiant, & si quid injuriarum est, ad majores suos deferant.

Ordo conservetur, & disciplina.

I.

Nemo sine institutione, & cura animarum, sibi ab Ordinariis data, Ecclesiis Dei se intrudat, & nemo inde discedat sine licentia sui Prælati.

II.

Unusquisque Biblia Catholica habeat, Sacræ Lectioni & veterum Patrum, intendat. Et horas Canonicas quotidie cum devotione oret.

III.

Ab exigenda pecunia, in ministratione Sacramentorum, prorsus abstineant, ne nundinationi, & avaritiæ, ut fit, adscribatur; sed sint contenti eo, quod de consuetudine offertur.

IV.

Decimas, & census Ecclesiarum, fumalia, & id genus alia, ad sustentationem officii & cultus Divini, constituta, modeste exigere non negligant, & nihil agant in præjudicium Successorum per contractus, absque consensu Majorum & Ordinarii.

V.

(*) *Supple:* non.

V.

Et quia hoc inprimis neceſſarium, ut erudiendæ juventuti in oppidulis, Magiſtri eruditione ſimul & pietate commendabiles præficiantur; volumus, ut Paſtores ibidem vigilanti cura attendant, quibus hujuscemodi munus tradatur, atque eosdem prius examinationi noſtræ ſubjiciendos transmittant. Ad hæc, ipſi Parochi Scholas ſæpius viſitent, & quid pueris proponatur, inquirant, ne quid erronei & hæreſim redolens, teneræ & innocenti ætati inculcetur.

VI.

Reliqui Plebani in pagis conſtituti, Æditus, quos Scribas vocant, Sacerdotale munus (utpote introducere ſponſas, & mulieres poſt partum) minime exercere ſinant. Sed Parochis ſuis & Eccleſiæ, debita reverentia & obedientia inſerviant: quodſi non fecerint, ſciant, ſe id non impune habituros.

VII.

Cauſas Matrimoniales quascunque nemo propria authoritate tractare, ſive componere audeat. Et Nuptias, prohibitis ab Eccleſia temporibus, nequaquam celebrari permittat.

Has quidem Conſtitutiones, pro nunc ſufficere putavimus, promittentes, & reliqua, ſi opus fuerit, pro loci & temporis conditione nos ordinaturos. Et quo ſupradicta omnia & ſingula accuratiori cura obſerventur, & ad excuſationem ignorantiæ nullus relinquatur locus; ſingulis vobis, has præſentes Conſtitutiones ad manus tradere volumus, præcipientes, ut apud omnes Eccleſias habeantur & maneant.


FINIS.

Diligenter collatum cum ſuo genuino Textu, in Archivo Archi-Epiſcopali Pragenſi ſub fide mea jurata aſſervato, per omnia concordare teſtor. Pragæ die 7: Octobris A. 1757.

(L.S.) *WENCESLAUS PROCOPIUS DUCHOWSKI mpp. Ss. Theol. Baccalaureus formatus, Reg. Cap. Oo. SS. in Caſtro Prag. Beneficiatus, Notarius Apoſtolicus & Curiæ Archi Epiſcopalis Prag. Archivarius Juratus.*



SACRO-



SACRO-SANCTUM OECUMENICUM ET GENERALE CONCILIUM TRIDENTINUM

SUB PAULO III. JULIO III. PIO IV. PONTIFICIBUS MAX. CAROLO V. ET FERDINANDO I. IMPERATORIBUS.

CELEBRATUM

a XIII. Decembris anni Christi MDXLV., quo inchoatum,

USQUE AD

diem IV. Decembris anni Christi MDLXIII., quo finitum fuit.

BULLA INDICTIONIS SACRI OECUMENICI ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI,

SUB PAULO III. PONT. MAX.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

INITIO nostri hujus Pontificatus, quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem, Dei omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes jam tum in quas perturbationes temporum, quotque incommoda rerum fere omnium nostra Pastoralis solicitudo, & vigilia esset vocata, cupiebamus quidem mederi Christianæ Reip. malis, quibus illa jamdudum vexata, & propemodum oppressa est: sed ipsi etiam, ut homines, (*a*) circumdati infirmitate, ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus. Nam cum pace opus esse intelligeremus ad liberandam, & conservandam a plurimis impendentibus periculis Remp. omnia invenimus odiis & dissensionibus plena, dissentientibus præsertim Principibus iis inter se, quibus summa rerum pene omnis a Deo permissa est. Cum unum Ovile, (*b*) & unum Pastorem Dominici esse gregis, ad integritatem Christianæ religionis, & ad cœlestium bonorum spem in nobis confirmandam, necessarium duceremus; schismatis, dissidiis, hæresibus erat Christiani nominis divulsa jam pene, & lacerata unitas. Cum tutam, atque munitam ab infidelium armis, atque insidiis Rempublicam optaremus; nostris erratis, nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum, & meditatum contra Italiam, contraque Austriam, & Illyricum terra, marique bellum: cum impius & immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret; nostrorumque inter se odia, &

(*a*) Hæbr. 5. (*b*) Joan. 10.

& diſſenſiones ſuam bene gerendæ rei occaſionem duceret. Igitur, ut dicebamus, in tanta hæreſum, diſſenſionum, bellorumque tempeſtate, tantiſque excitatis fluctibus, cum eſſemus ad moderandam & gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipſi noſtris ſatis fideremus; (c) primum conjecimus in Domino cogitatus noſtros, ut ipſe nos nutriret, animumque noſtrum firmitate & robore, mentem conſilio, ſapientiaque inſtrueret: deinde, animo repetentes, Majores noſtros, ſapientia admirabili, & ſanctitate præditos, ſæpe in ſummis Chriſtianæ Reip. periculis remedium optimum, atque opportuniſſimum, œcumenica Concilia, & Epiſcoporum generales Conventus adhibuiſſe; ipſi quoque animum ad generale habendum Concilium adjecimus; exquiſitisque Principum ſententiis, quorum nobis videbatur utilis in primis, & opportuna ad hanc rem eſſe conſenſio; cum eos tunc non alienos ab hoc tam ſancto opere inveniſſemus, œcumenicum Concilium, & generalem eorum Epicoporum, aliorumque Patrum, ad quos pertineret, Conventum in civitate Mantuæ indiximus; anno Incarnationis Domini, ſicut literis, & monumentis noſtris teſtatum eſt, milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Pontificatus noſtri tertio, ad X. Kal. Jun. inchoandum; ſpem prope certam habentes fore, ut, cum illic in nomine Domini eſſemus congregati, ipſe, ſicut promiſit, Dominus (d) in medio noſtrum affuturus, & bonitate, ac miſericordia ſua omnes temporum procellas, omniaque pericula Spiritu oris ſui facile depulſurus eſſet. Sed, ut ſemper inſidiatur piis actionibus humani generis hoſtis, primum contra omnem ſpem, & expectationem noſtram denegata fuit nobis Mantuana civitas, niſi aliquas condiciones ſubiremus ab inſtitutis Majorum noſtrorum, & condicione temporum, noſtraque ac hujus Sanctæ Sedis, ac nominis Eccleſiaſtici dignitate, libertateque prorſus alienas; quas in aliis noſtris literis expreſſimus. Quapropter alium invenire locum, aliamqne deligere civitatem neceſſe habuimus: quæ cum non ſtatim nobis occurreret idonea, & apta; ad ſequentes Kal. Nov. prorogare Concilii celebrationem fuimus coacti. Interim ſævus, & perpetuus hoſtis noſter Turca, ingenti claſſe Italiam adortus, aliquot oppida in litoribus Apuliæ cepit, vaſtavit, diripuit, prædas hominum abegit: nos in maximo timore, & periculo omnium, muniendis litoribus noſtris, finitimisque auxilio juvandis fuimus occupati: nec tamen interea deſtitimus conſulere, & hortari Chriſtianos Principes, ut, de idoneo ad habendum Concilium loco quid ſentirent, nobis exponerent: quorum cum eſſent incertæ, variæque ſententiæ, tempusque diutius, quam erat opus, videretur extrahi; nos optimo animo, atque, ut arbitramur, etiam conſilio, Vincentiam (e) elegimus, urbem copioſam, & Venetorum, qui eam nobis concedebant, virtute, auctoritate, potentia cum aditum patentem, tum ſtationem omnibus liberam, atque tutam in primis in ſe habentem. Sed, cum jam tempus longius progreſſum eſſet; novæque urbis electionem omnibus ſignificari conveniret; jamque Kalendæ Nov. appetentes facultatem hujus divulgationis excluderent; hyemsque eſſet propinqua, rurſus altera prorogatione tempus Concilii differre in proximum (f) ſequens ver, Majique futuras Kalendas, compulſi fuimus. Qua re firmiter conſtituta, atque decreta, cum & nos ipſos, & cetera omnia ad eum bene agendum, Deo juvante, celebrandumque Conventum pararemus, plurimum reputantes intereſſe cum celebrationis Concilii, tum univerſæ Chriſtianæ Reipubl., Chriſtianos Principes pace inter ſe, & concordia conſentire; Cariſſimos in Chriſto Filios noſtros, CAROLUM Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, & Chriſtianiſſimum Regem FRANCISCUM, duo præcipua Chriſtiani nominis firmamenta, atque ſubſidia, orare, atque obſecrare inſtitimus, ut ad colloquium inter ſe, & nobiscum una convenirent; quorum quidem apud utrumq; literis, Nunciis, & a latere noſtro miſſis, ex Vene-

(c) Pſal. 54. (d) Matt. 18. (e) *Editio Pariſina Harduini habet:* Vicentiam.
(f) *In ead. Pariſina legitur:* primum ſequens ver.

Venerabilium Fratrum nostrorum numero, Legatis, sæpissime egeramus, ut ex simultate, & dissidiis ambo in unum fœdus, & piam amicitiam vellent convenire, labentibusque succurrere Christianis rebus: quarum servandarum cum esset illis potestas ab Deo præcipue tributa, si id non agerent, & ad commune Christianorum bonum sua consilia non dirigerent, acris & severa ratio eidem Deo ab ipsis reddenda esset. Qui aliquando precibus nostris annuentes, Nicæam se contulere; quo nos quoque longum iter, & senili ætati nostræ vehementer contrarium, Dei & pacis conciliandæ causa suscepimus: neque prætermisimus interea, cum tempus Concilii præstitutum; Kalendæ videlicet Majæ, appropinquarent, tres Legatos summæ virtutis, ac auctoritatis, a latere nostro, de numero eorundem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Vincentiam mittere; qui initium Concilii facerent; Prælatosque undique venientes exciperent; & ea, quæ judicarent esse opus, agerent, & tractarent, quoad nos, ab itinere, & negotio pacis reversi, omnia accuratius dirigere possemus. Interim vero in illud sanctum opus, maximeque necessarium, tractationem videlicet pacis inter Principes, incubuimus, & quidem omni animi studio, omni pietate, ac diligentia. Testis est nobis Deus, cujus freti clementia, nosmet ipsos itineris, & vitæ periculo exposuimus. Nostra testis conscientia; quæ nihil habet in hac re quidem, in quo nos arguat aut prætermissæ, aut non quæsitæ ad pacificandum occasionis. Principes ipsi testes; quos tam sæpe, tamque vehementer Nunciis, literis, Legatis, monitis, hortatu, precibusque omnibus obsecraveramus, ut simultates deponerent, ut (g) societatem coirent, ut Christianæ Reipubl. in maximum, & propinquum jam adductæ discrimen, communibus studiis, & subsidiis opitularentur. Jam vero testes illæ vigiliæ atque curæ, illi diurni, nocturnique animi nostri labores, gravesque sollicitudines, quas ob hanc rem, & causam plurimas jam suscepimus: nec tamen ad optatum exitum nostra consilia, & acta adhuc perducta sunt. Ita enim visum Domino Deo est: quem tamen non desperamus aliquando optata (h) nostra benignius respecturum. Ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil, quod esset nostro Pastorali officio debitum, in hac re omisimus. Quod si qui sunt, qui actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem: dolemus quidem; sed tamen in dolore nostro gratias Deo Omnipotenti agimus, qui ad exemplum, & doctrinam patientiæ nostræ suos voluit Apostolos habere dignos, qui pro Nomine JESU, qui pax nostra est, (i) contumeliam paterentur. Verum in illo congressu, colloquioque nostro, quod Nicææ habitum est, etsi, peccatis nostris impedientibus, inter duos Principes vera, & perpetua pax non potuit confici, induciæ tamen decennales factæ sunt: quarum opportunitate nos sperantes & Sacrum Concilium commodius celebratum iri, & deinde ex Concilii auctoritate perfici posse pacem; apud Principes institimus, ut & ipsi venirent ad Concilium, & Prælatos suos præsentes ducerent, absentesque accerserent. Qui cum de utroque se excusassent; quod & ipsis redire in regna sua tum necesse esset; & Prælatos, quos secum habuissent, itinere, atque impendiis fessos, atque exhaustos recreari, & refici oporteret; Nos hortati sunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi Concilii decerneremus. Qua in re concedenda cum essemus aliquantum difficiles, literas interim a Legatis nostris, qui Vincentiæ erant, accepimus, transacto jam, & longius præterito Concilii ineundi die, unum vix, aut alterum ex externis nationibus Prælatum Vincentiam se contulisse. Quo Nuncio accepto, cum videremus eo tempore nulla jam ratione haberi Concilium posse, ipsis Principibus concessimus, ut differretur tempus (k) agendi Concilii usque ad sanctum Pascha, diemque festum futuræ Dominicæ Resurrectionis. Cujus nostri præcepti, expectationisque decretæ literæ Genuæ, anno Incarnationis Domini M.D.XXXVIII. IV. Kal. Jul. factæ, publicatæque sunt, atque hanc dilationem eo propensius fecimus, quod polli-

(g) *In Harduiniana:* in Societatem.
(i) Act. 5. in fi. Eph. 2.

(h) *In eadem:* nostra, *non legitur.*
(k) *ibid.* agendi, *omissum.*

pollicitus est nobis uterque Princeps Legatos suos Romam ad nos se missurum, ut ea, quæ ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Nicææ ob brevitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodius coram nobis agerentur, & tractarentur, & ob hanc rationem etiam a nobis ambo petierunt, ut hæc pacificationis procuratio Concilii celebrationi præponeretur, cum ipsum Concilium, pace facta, multo deinde utilius, & salutarius Christianæ Reip. futurum esset. Semper enim hæc pacis spes nobis injecta Principum nos voluntatibus assentiri hortata est. Quam spem vehementer auxit post discessum a Nicæa nostrum ipsorum duorum Principum inter se benevola, amicaque congressio: quæ, maxima nostra cum lætitia a nobis intellecta, confirmavit nos in bona spe, ut tandem aliquando nostras preces apud DEUM exauditas, & vota pacis accepta esse crederemus. Hanc igitur pacis conclusionem cum & expeteremus, & urgeremus; nec solum duobus antedictis Principibus, verum etiam carissimo in Christo filio nostro, FERDINANDO, Regi Romanorum, videretur, actionem Concilii, nisi pace facta, suscipi non oportere; cunctique a nobis per literas, suosque Oratores contenderent, ut alias rursus temporis prorogationes faceremus; præcipue autem instaret Serenissimus Cæsar, promisisse se demonstrans iis, qui a Catholica unitate dissentiunt, se operam suam apud nos interpositurum, ut aliqua concordiæ ratio iniretur; quod ante suam in Germaniam profectionem apte non posset fieri: Nos, eadem semper spe pacis, & tantorum Principum voluntate adducti, cum præsertim cerneremus, ne ad dictum quidem Resurrectionis festum alios Prælatos Vincentiam convenisse, prorogationis nomen jam fugientes, quod tam sæpe frustra fuerat repetitum, celebrationem Generalis Concilii ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendere maluimus. Itaque fecimus, & de suspensione hujusmodi literas ad singulos supradictorum Principum decima die Jun. M. D. XXXIX. dedimus, sicut ex illis perspicue potest intelligi. Ea itaque suspensione necessario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum a nobis, pacisque aliqua conclusio expectatur; quæ & dignitatem postea, frequentiamque Concilio, & Christianæ Reip. præsentiorem salutem erat allatura; Christianæ interea res in deterius quotidie prolapsæ sunt, Hungaris, Rege ipsorum mortuo, Turcam vocantibus; Ferdinando Rege bellum in eos movente; Belgis ad defectionem a Cæsare ex parte quadam incitatis: cujus defectionis comprimendæ causa per Galliam amicissime, & cum Rege Christianissimo concordissime, magno benevolæ inter eos voluntatis indicio, transiens in Belgas Serenissimus Cæsar, & illinc deinde in Germaniam profectus, conventus Germaniæ Principum, & civitatum, tractandæ ejus, quam dixerat, concordiæ causa habere cœpit. Sed cum, spe pacis jam deficiente, ille quoque modus curandæ in conventibus, tractandæque concordiæ ad majores potius discordias concitandas aptus esse videretur: inducti fuimus ad pristinum Concilii generalis remedium reverti, idque per Legatos nostros, S.R.E. Cardinales, ipsi Cæsari obtulimus; quod etiam postremo, & præcipue in Ratisponensi Conventu egimus; cum illic dilectus Filius noster, Gaspar tit. S. Praxedis, Cardinalis Contarenus, & summa doctrina, & integritate, Legatum nostrum ageret. Nam cum (id quod ne accideret, antea veriti eramus) ex ejus Conventus sententia peteretur a nobis, ut ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per œcumenicum Concilium illi excuterentur, & deciderentur; idque nobis ut concederemus, neque Christiana & Catholica veritas, neque nostra, & Sedis Apostolicæ dignitas permitteret; palam potius Concilium, ut quamprimum fieret, proponi mandavimus. Neque vero in alia umquam sententia, & voluntate fuimus, quam ut primo quoque tempore Concilium œcumenicum, & generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo & pacem populo Christiano, & Christianæ Religionis integritatem posse recuperari: verumtamen id cum bona gratia, & voluntate Christianorum Principum habere volebamus. Quam

voluntatem dum expectamus; dum observamus tempus absconditum, tempus beneplaciti (l) tui, o Deus; aliquando tandem decernere compulsi sumus, omne esse tempus beneplacitum Deo, cum de rebus sanctis, & ad Christianam pietatem pertinentibus consilia ineuntur. Quapropter videntes, maximo quidem animi nostri cum dolore, rem Christianam quotidie in pejus ruere, Hungaria a Turcis oppressa, Germanis periclitantibus; cæteris omnibus metu, mæroreque afflictis, nullius jam Principis consensum expectare, sed tantum DEI Omnipotentis voluntatem, & Christianæ Reip. utilitatem attendere constituimus: Itaque cum Vincentiam amplius non haberemus; cuperemusque cum universæ Christianorum saluti, tum Germanicæ Nationis incommodis in eligendo per nos novo Concilii habendi loco consulere; aliquotque locis propositis ipsam Tridentinam civitatem ab ipsis desiderari videremus: Nos etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse judicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paterna caritate deflexímus. Itaque Tridentum civitatem elegimus, qua in civitate œcumenicum Concilium ad proxime venturas Kalendas Nov. haberetur, idoneum locum illum statuentes, quo ex Germania quidem, aliisque Germaniæ finitimis nationibus facillime, ex Gallia, Hispania, cæterisque Provinciis remotioribus non difficiliter Episcopi, & Prælati convenire possent. Dies autem Concilii ea a nobis spectata est, quæ spatium in se haberet & publicandi per Christianas nationes nostri hujus Decreti, & facultatis omnibus Prælatis ad veniendum tribuendæ. Quo minus autem annuum tempus præfiniremus mutando Concilii loco, sicut quibusdam constitutionibus alias præscriptum est, ea res fuit in causa, quod longius extrahi spem sanandæ aliqua in parte Christianæ Reip. quæ tot detrimentis, & calamitatibus affecta est, noluimus: & tamen videmus tempora: agnoscimus difficultates: quid sperari possit ex consiliis nostris, incertum esse intelligimus. Sed quia scriptum est: (m) Revela Domino viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet: magis DEI clementiæ & misericordiæ confidere, quam nostræ imbecillitati diffidere, constituimus. Sæpe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut, quod humana consilia non valent, Divina virtus efficiat. Hujus igitur ipsius Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac Beatorum ejus Apostolorum, Petri, & Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti, atque subnixi, de Venerabilium item Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu sublata, amotaque suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per præsentes tollimus, & amovemus, sacrum œcumenicum & Generale Concilium in civitate Tridentina, loco commodo, & libero, omnibusque nationibus opportuno, ad Kalendas proximas Nov. anni præsentis ab Incarnatione Domini MDXLII. incipiendum, prosequendum, &, eodem Domino adjuvante, ad ipsius gloriam, atque laudem, & Christiani totius populi salutem absolvendum, perficiendumque indicimus, annunciamus, convocamus, statuimus, atque decernimus; omnes omnibus ex locis tam Venerabiles Fratres nostros Patriarchas, Archi Episcopos, Episcopos, & Dilectos Filios Abbates, quam alios quoscumque; quibus jure, aut privilegio in Conciliis Generalibus residendi, & sententias in eis dicendi permissa potestas est, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis (n) vi jurisjurandi, quod nobis, & huic Sanctæ Sedi præstiterunt, ac sanctæ virtute obedientiæ, aliisque sub pœnis jure aut consuetudine in celebrationibus Conciliorum adversus non accedentes ferri, & proponi solitis, mandantes, arcteque præcipientes, ut ipsimet, nisi forte justo detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere compellantur, aut certe per suos legitimos Procuratores, & Nuncios Sacro huic Concilio omnino adesse, & interesse debeant. Supra autem dictos, Imperatorem, Regemque Christianissimum, nec non cæteros Reges, Duces, Principes, quorum præsentia, si alias umquam, hoc quidem tempore maxime Sanctissimæ Christi fidei, & Christianorum omnium futura est salutaris, rogantes, atque obsecrantes per viscera misericordiæ Dei, & Domini nostri JESU Christi, cujus fidei veritas, & religio; & intus, & extra graviter jam oppugnatur, ut, si salvam volunt Christianam esse Remp. si se Domi-

(l) Psal. 68. (m) Ps. 36. (n) *In Parisina & Lovaniensi:* in vi,

Domino obſtrictos, & obligatos pro maximis illius erga ſe beneficiis intelligunt, ne deſerant ipſius Dei cauſam, & negotium; ipſimet ad Sacri Concilii celebrationem veniant, in quo ipſorum pietas, atque virtus communi utilitati, ſalutique ſuæ, ac cæterorum, & temporali, & æternæ, plurimum eſt profutura. Sin autem, id quod nollemus, accedere ipſi non poterunt; at graves ſaltem viros Legatos cum auctoritate mittant, qui perſonam Principis ſui quiſque & cum prudentia, & cum dignitate poſſint in Concilio referre. In primis vero ut id curent, quod ipſis facillimum eſt, ut ex ſuis cujusque Regnis ac Provinciis Epiſcopi, & Prælati ſine tergiverſatione, & mora ad Concilium proficiſcantur. Quod maxime quidem a Prælatis, Principibusque Germaniæ Deum ipſum, atque nos impetrare æquum eſt, ut cum eorum præcipue cauſa, ipſiſque cupientibus Concilium indictum ſit, & in ea civitate indictum, quæ ab eis eſt deſiderata, non graventur ipſi ſua cunctorum præſentia id celebrare, & ornare; quo melius atque commodius, quæ ad integritatem, & veritatem Chriſtianæ religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Chriſtianorum inter ſe tam Principum, quam populorum pacem, unitatem, concordiamque pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum & infidelium, quibus illi univerſam Chriſtianitatem obruere moliuntur, ſint neceſſaria, Deo noſtris conſultationibus præeunte, & lumen ſapientiæ ſuæ, ac veritatis mentibus noſtris præferente, agi in dicto ſacro œcumenico Concilio, & conſpirante omnium caritate conſuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quamprimum, & quam optime poſſint. Atque ut noſtræ hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perveniant, neve quis illorum ignorantiæ excuſationem prætendat, cum præſertim etiamnon ad omnes eos, quibus nominatim illæ eſſent intimandæ, tutus forſitan pateat acceſſus, volumus, & mandamus, ut in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi, cum ibi multitudo populi ad audiendam rem Divinam congregari ſolita eſt, palam clara voce per Curiæ noſtræ Curſores, aut Notarios aliquos publicos legantur, lectæque in valvis dictarum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ portis, & Campi Floræ ſolito loco affigantur, ubi ad lectionem, & notitiam cunctorum aliquamdiu expoſitæ pendeant: cumque inde amovebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationem, affixionemque hujusmodi, omnes, & quoscunque, quos antedictæ noſtræ literæ comprehendunt, poſt ſpatium duorum menſium a die literarum publicationis & affixionis, ita volumus obligatos eſſe, atque aſtrictos, ac ſi ipſiſmet illæ coram lectæ, & intimatæ eſſent: tranſumptis quidem earum, quæ manu publici Notarii ſcripta, aut ſubſcripta, & ſigillo perſonæ alicujus Eccleſiaſticæ, in dignitate conſtitutæ, munita fuerint, ut fides certa, & indubitata habeatur, mandamus, atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ indictionis, annunciationis, convocationis, Statuti, Decreti, Mandati, præcepti, & obſecrationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D.XLII. XI. Kal. Jun. (o) anno VIII.

BLOSIUS.

Hier. Dand.



(o) *Supple ex editione Pariſina:* Pontificatus noſtri.

CANONES ET DECRETA SACRO-SANCTI CONCILII TRIDENTINI. (*)

SESSIO PRIMA

SUB PAULO III. PONT. MAX.

CELEBRATA DIE XIII. MENSIS DECEMBR. ANNO DOM. MDXLV.

Decretum de inchoando Concilio.

PLACETNE vobis, ad laudem & gloriam Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad incrementum, & exaltationem Fidei, & Religionis Christianæ, ad extirpationem hæresum, ad pacem, & unionem Ecclesiæ, ad reformationem Cleri, & populi Christiani, ad depressionem, & extinctionem hostium Christiani nominis, decernere, & declarare, Sacrum Tridentinum & Generale Concilium incipere, & inceptum esse? *Responderunt*, *PLACET.*

Indi-

(*) Circa Tridentini Generalis & Oecumenici Concilii editionem, inserendane huic operi esset, an ab eo removenda, variæ erant Eruditorum sententiæ. Prætermittendam suaserunt aliqui: tum quod Oecumenica illa Synodus esset, tum quod passim versaretur in manibus. Alii econtra, & pars quidem potior, omnino addendam voluere. Horum ego ad judicium accessi tanto lubentius, quanto plura erant, quæ eandem in opinionem me jam pridem impulerunt.

Movebat imprimis exemplum P. Sirmondi nostri, qui Concilium Lugdunense I. sub Innocentio IV. PP., Lugdunense II. sub Gregorio X., Viennense præterea sub Clemente V. licet Oecumenica essent, a sua tamen Conciliorum Galliæ collectione non tantum non excludenda, sed multo potius ab ipsis his Generalibus Synodis, lucem cæteris longe maximam adventuram esse putavit.

Movebat 2do. Quod Tridentinum istud non in Germaniæ solum civitate, sed in causa etiam Ecclesiarum Germaniæ, ob nova Lutheri ac Zwinglii dogmata, a se invicem gravissime diffidentium: ac propterea petentibus Germanis, immo ipso Luthero, ejusque asseclis id importune, seu vere, seu ficte, postulantibus, ac initio nihil prope, nisi Concilium clamitantibus: urgente itidem Carolo V. Imp. aliisque Germaniæ Magnatibus, a Rom. Pontifice indictum, post varias deinde vices ac interruptiones, denuo resumptum, continuatum, ac denique decimo octavo, postquam cœptum fuerat, anno, sub Ferdinando I. Imp. felicem ad finem perductum fuerit.

Movebat 3tio. Quod sequentes dein Germaniæ Synodi tum Provinciales, tum Diœcesanæ, Tridentini Oecumenici Canonibus ac Præceptis, tanquam certissimis fidei, morumque Regulis, non inniterentur tantum, sed ad illa singulis etiam paginis, ac fere capitibus provocarent. Non congruum proinde videbatur, pro inspiciendis Tridentini Decretis, ad alienos ab hoc opere codices Lectorem amandare.

Accedebat ad hæc, quod Statutorum omnium, in hac tota collectione contentorum, Tomo ultimo adjiciendus Index, mancus omnino, mutilusque fuisset futurus, si Sacro-Sancti hujus Concilii Canones ac Decreta, quorum uti indubitata veritas est, ita summa etiam ac veneranda omnibus auctoritas, in eo Indice reperienda non fuissent.

Ne tamen per Oecumenicæ hujus Synodi accessionem plus, quam necesse esset, extenderetur hoc opus; resectis, quæ ad historiam pertinent, narrationibus, Orationibus item, Epistolis, aliisque gestis prætermissis, ipsos de quibus jam dixi, Tridentinos Canones duntaxat, editaque ibidem pro desiderata diu morum reformatione Decreta, hic percensenda putavi, utpote quorum præcipua, immo unica, mihi visa est habenda ratio.

Cætera ex editionibus aliis, conscriptisque, quibus abundant Bibliothecæ, de hac Synodo voluminibus, dummodo Sarpiano, Courayeriano, similique, Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis hostium, veneno infecta non sint, peti facile poterunt.

Ipsos

Indictio futuræ Sessionis.

Et cum proxima sit celebritas Nativitatis Domini nostri JESU CHRISTI; & subsequantur aliæ festivitates labentis & incipientis anni; Placetne vobis, primam futuram Sessionem habendam esse die Jovis post Epiphaniam, quæ erit septima mensis Jan. anno Dom. MDXLVI? *Responderunt*, *PLACET.*

SESSIO SECUNDA,

CELEBRATA DIE VII. MENSIS JANUARII, MDXLVI.

Decretum de modo vivendi, & aliis in Concilio servandis.

Sacrosancta Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, in ea præsidentibus eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, agnoscens cum Beato Jacobo Apostolo, quod (*a*) omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum; qui iis, qui postulant a se sapientiam, dat omnibus affluenter, & non improperat eis; & simul sciens, quod (*b*) initium sapientiæ est timor Domini; statuit, & decrevit, omnes & singulos Christi fideles, in civitate Tridentina congregatos, exhortandos esse, prout exhortatur, ut se a malis & peccatis hactenus commissis emendare, ac de cætero (*c*) in timore Domini ambulare, & desideria carnis non perficere, orationibus instare, sæpius confiteri, Eucharistiæ Sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, præcepta denique Dominica, quantum quisque poterit, adimplere, nec non quotidie pro pace Principum Christianorum, & unitate Ecclesiæ privatim orare velint: Episcopos vero, & quoscunque alios, in ordine Sacerdotali constitutos, Oecumenicum Concilium in ea civitate concelebrantes, ut assidue in (*) Dei laudibus incumbere, hostias, laudes, & preces offerre, Sacrificium Missæ quolibet saltem die Dominico, in quo Deus lucem condidit, & a mortuis resurrexit, ac (*d*) Spiritum Sanctum in discipulos infudit, peragere satagant, facientes, sicut idem Spiritus Sanctus per (*e*) Apostolum præcipit, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro Sanctissimo Domino nostro Papa, pro Imperatore, pro Regibus, & cæteris, qui in sublimitate constituti sunt, & pro omnibus hominibus: ut quietam & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementum videamus. Præterea hortatur, ut jejunent saltem singulis sextis feriis in memoriam Passionis Domini, & eleemosynas pauperibus erogent: in Ecclesia autem Cathedrali singulis quintis feriis celebretur Missa de Spiritu Sancto, cum Letaniis, & aliis orationibus ad hoc institutis: in aliis vero Ecclesiis eadem die dicantur ad minus Letaniæ, & orationes: tempore autem, quo Sacra peraguntur, collocutiones, & confabulationes non fiant; sed ore & animo, celebranti assistatur. Et quoniam (*f*) oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ bene præpositos; hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa (*g*) servet sobrietatem, moderationemque ciborum; deinde cum in eo loco sæpe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis Divinarum Scripturarum lectio admisceatur: familiares vero suos unusquisque instruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, & voluptatum amatores; vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur; & in vestitu, & cultu, & omnibus actibus honestatem præ se ferant, sicut decet ministros ministrorum DEI. Ad hæc, cum hujus Sacrosancti Concilii præcipua cura, solicitudo, & inten-

Ipsos hos porro Canones ac Decreta Lectori exhibeo, prout Romæ primum, studio & cura Pauli Manutii, quam accuratissime in lucem prodierunt, ac deinde tum aliis in Typographæis, tum præcipue singulari industria Venetiis, secundo post Romanam editionem anno, a Jordano Ziletto, rursum anno insequente Lovanii a Petro Zangrio Tiletano, ac postmodum in officina Christophori Plantini, Prototypographi Regii, Antwerpiæ recusa sunt: quarum antiquissimarum editionum probatissimos codices, invicem collatos, summa fide, ad apices usque secutus sum.

(*a*) Jac. 1. (*b*) Proverb. 1. Psal. 110. (*c*) Proverb. 1. & 9.
(*) *In Parisina non legitur:* in. (*d*) Act. 2. (*e*) 1. Timot. 2.
(*f*) 1. Timot. 3. (*g*) Tit. 1.

intentio sit, ut, propulsatis hæresum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux, JESU CHRISTO, (b) qui vera lux est, annuente, candor puritasque refulgeat; & ea, quæ reformatione egent, reformentur: ipsa Synodus hortatur omnes Catholicos hic congregatos, & congregandos, atque eos præsertim, qui sacrarum literarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum viis, & modis ipsius Synodi intentio dirigi, & optatum effectum sortiri possit, quo maturius & consultius damnari damnanda, & probanda probari queant: ut per totum orbem omnes uno ore, & eadem fidei confessione glorificent Deum, & Patrem Domini nostri JESU CHRISTI.

In sententiis vero dicendis, juxta Toletani Concilii Statutum, in loco benedictionis considentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis, vanisve, aut obstinatis disceptationibus contendere: sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur.

Insuper ipsa Sacra Synodus statuit, ac decrevit, quod, si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, & sententiam, etiam sub verbo, Placet, proferre, Congregationibus interesse, & alios quoscunque actus facere, Concilio durante, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur.

Deinde indicta fuit futura Sessio ad diem Jovis, quartam mensis Febr. proxime venturi.

SESSIO TERTIA,

CELEBRATA DIE IV. MENSIS FEBRUARII, MDXLVI.

Decretum de Symbolo Fidei.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Hæc Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, in ea Præsidentibus eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, magnitudinem rerum tractandarum considerans, præsertim earum, quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæresibus, & moribus reformandis, continentur, quorum causa præcipue est congregata; agnoscens autem cum (i) Apostolo, non esse sibi colluctationem adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritales nequitias in cœlestibus, cum eodem omnes, & singulos in primis hortatur, ut confortentur in Domino, & in potentia virtutis ejus, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere, atque galeam spei salutis accipiant, cum gladio spiritus, quod est verbum Dei. Itaque, ut hæc pia ejus solicitudo principium, & progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit, & decernit, præmittendam esse confessionem fidei, Patrum exempla in hoc secuta, qui sacratioribus Conciliis hoc scutum contra omnes hæreses in principio suarum actionum apponere consuevere: quo solo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt. Quare symbolum fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, tamquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ inferi numquam prævalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit. Quod quidem ejusmodi est.

Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium; & in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est; & resurrexit tertia die, secundum Scripturas; & ascendit in cœlum, sedet

(b) Joan. 1. (i) Ephes. 6.

ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis: & in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui locutus eſt per Prophetas: & unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptisma in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Indictio futuræ Seſſionis.

Eadem Sacroſancta, Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, intelligens multos Prælatos ex diverſis partibus accinctos eſſe itineri, nonnullos etiam in via eſſe, quo huc veniant; cogitansque omnia ab ipſa Sacra Synodo decernenda, eo majoris apud omnes exiſtimationis, & honoris videri poſſe, quo majori fuerint, & pleniori Patrum conſilio, & præſentia ſancita, & corroborata; ſtatuit, & decrevit, futuram Seſſionem poſt præſentem celebrandam eſſe die Jovis, quæ ſubſequetur Dominicam *Lætare*, proxime futuram: interim tamen non differri diſcuſſionem, & examinationem eorum, quæ ipſi Synodo diſcutienda, & examinanda videbuntur.

SESSIO QUARTA,

CELEBRATA DIE VIII. MENSIS APRILIS, MDXLVI.

Decretum de Canonicis Scripturis.

Sacroſancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, hoc ſibi perpetuo ante oculos proponens, ut, ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelii in Eccleſia conſervetur: quod promiſſum ante per Prophetas in Scripturis ſanctis, Dominus noſter JESUS CHRISTUS, DEI Filius, proprio ore primum promulgavit; deinde per ſuos Apoſtolos, tamquam fontem omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ, (k) omni creaturæ prædicari juſſit: perſpiciensque hanc veritatem, & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ (*) ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab (**) ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quam novi Teſtamenti, cum utriusque unus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur. Sacrorum vero librorum Indicem huic Decreto adſcribendum cenſuit; ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur. Sunt vero infraſcripti, Teſtamenti veteris, quinque (***) Moyſi, id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Joſue, Judicum, Rut: quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Neemias: Thobias, Judith, Heſther, Job, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: duo Machabæorum, primus, & ſecundus. Teſtamenti novi, quatuor Evangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Actus Apoſtolorum a Luca Evangeliſta conſcripti: Quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli: ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duæ, Joannis Apoſtoli tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ Apoſtoli una, & Apocalypſis Joannis Apoſtoli. Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi con-

(k) Marc. ult. (*) *Editio Pariſina Harduini:* ex ipſius. *Lovanienſis vero*: ab ipſius (Chriſti ore.
(**) *Pariſina habet:* ab ipſius Apoſtolis, *omiſſo:* aut.
(***) *Pariſina:* Quinque libri Moſis.

consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non susceperit; & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit; anathema sit. Omnes itaque intelligant, quo ordine, & via ipsa Synodus, post jactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimum testimoniis, ac præsidiis in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus, sit usura.

Decretum de editione & usu sacrorum librorum.

INSUPER eadem Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.

PRÆTEREA, ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum: aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiam si hujusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis a jure statutis puniantur.

SED & Impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum, ipsos Sacræ Scripturæ libros, & super illis annotationes, & expositiones quorumlibet indifferenter, sæpe tacito, sæpe etiam ementito prælo, & quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt; alibi etiam impressos libros hujusmodi temere venales habent; decernit, & statuit, ut posthac Sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus & vulgata editio quam emendatissime imprimatur; nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis, & pecuniæ, in Canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et, si regulares fuerint, ultra examinationem, & probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem pœnis subjaceant, quibus Impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi, authentice appareat: idque totum, hoc est, & probatio, & examen gratis fiat: ut probanda probentur, & reprobentur improbanda. Posthæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur, & torquentur verba, & sententiæ Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat, & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc, & similia audeat usurpare; ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur.

Indictio futuræ Sessionis.

ITEM hæc Sacrosancta Synodus statuit, & decernit, proximam futuram Sessionem tenendam, & celebrandam esse feria quinta, post sacratissimum festum proximum Pentecostes.

SESSIO

SESSIO QUINTA,

CELEBRATA DIE XVII. MENSIS JUNII, MDXLVI.

Decretum de peccato originali.

UT Fides nostra Catholica, (*l*) sine qua impossibile est placere DEO, purgatis erroribus, in sua synceritate integra & illibata permaneat; & ne populus Christianus (*m*) omni vento doctrinæ circumferatur; cum (*n*) Serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, ejusque remedio non solum nova, sed vetera etiam dissidia excitaverit: Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, jam ad revocandos errantes, & nutantes confirmandos accedere volens, Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesiæ judicium, & consensum secuta, hæc de ipso peccato originali statuit, fatetur, ac declarat.

I. Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus (*o*) fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, (*p*) qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse: anathema sit.

II. Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & (*q*) non ejus propagini, asserit nocuisse; & acceptam a Deo sanctitatem, & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ: anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: Per (*r*) unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

III. Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri JESU CHRISTI, (*s*) qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis (*t*) justitia, sanctificatio, & redemptio: aut negat, ipsum CHRISTI JESU meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis, quam parvulis applicari: anathema sit: quia non (*u*) est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Unde illa (*x*) vox: Ecce agnus Dei: Ecce qui tollit peccata mundi. Et illa: (*y*) Quicumque baptizati estis, Christum induistis.

IV. Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati; quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur: anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus: (*z*) Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit.

Propter

(*l*) Heb. 11. (*m*) Eph. 4. (*n*) Gen. 3.
(*o*) Gen. 3. (*p*) Heb. 2. (*q*) Rom. 5. 1. Cor. 15.
(*r*) Rom. 5. (*s*) 1. Tim. 2. Colos. 1. (*t*) 1. Cor. 1.
(*u*) Act. 4. (*x*) Joan. 1. (*y*) Gal. 3. (*z*) Rom. 5.

Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. (a) Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

V. Si quis per JESU CHRISTI Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus: quia (b) nihil est damnationis iis, qui vere (c) consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: qui (d) non secundum carnem ambulant, sed, (e) veterem hominem exuentes, & (f) novum, qui secundum Deum creatus est, induentes; innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, (g) hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, (*) sed utiliter per CHRISTI JESU gratiam repugnantibus non valet: quinimo, qui (h) legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando (i) Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit; anathema sit.

DECLARAT tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem MARIAM, DEI Genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Xysti Papæ IV., sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.

Decretum de Reformatione.

CAPUT I.

EADEM Sacrosancta Synodus, piis Summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum Constitutionibus inhærens, easque amplectens, & illis adjiciens; ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat; statuit, & decrevit, quod in illis Ecclesiis, in quibus præbenda, aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro Lectoribus Sacræ Theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archi-Episcopi, Primates, & alii locorum Ordinarii eos, qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius Sacræ Scripturæ expositionem, & interpretationem, per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archi-Episcopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum, cogant, & compellant. De cætero vero præbenda, præstimonium, aut stipendium hujusmodi non nisi personis idoneis, & quæ per se ipsos id munus (**) explicare possint, conferantur: & aliter facta provisio nulla sit, & invalida. In Ecclesiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa, ac etiam in Collegiatis, existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius Diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta, & deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla, vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis bene-

(a) Joan. 3. (b) Rom. 8. (c) Rom. 6.
(d) Rom. 8. (e) Coloss. 3. (f) Eph. 4.
(g) Rom. 8. Gal. 3. (*) *Lovaniensis & Parisina, pro* sed utiliter, *habet:* & viriliter.
(h) 2. Tim. 2. (i) Rom. 6. 7. & 8. Coloss. 3.
(**) *In Lovaniensi & Parisina pro* explicare, *legitur:* explere.

beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suæ civitatis, & Diœcesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur, ita tamen, ut quæcumque aliæ lectiones, vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutæ, propter id minime prætermittantur. Ecclesiæ vero, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam exigua est Cleri, & populi multitudo, ut Theologiæ lectio in eis commode haberi non possit, saltem Magistrum habeant, ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui Clericos, aliosque Scholares pauperes grammaticam gratis doceat; ut deinceps ad ipsa Sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, transire possint. Ideoque illi Magistro grammatices vel alicujus simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur; dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio: vel ex Capitulari, vel Episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur: vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ Ecclesiæ, & Diœcesi accommodam; ne pia hæc, utilis, atque fructuosa provisio quovis quæsito colore negligatur. In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur, qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc ut Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus vero aliorum Regularium, in quibus studia commode vigere possunt, Sacræ Scripturæ lectio similiter habeatur: quæ lectio a Capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris. In Gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica, & cæterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate, & caritate ad Catholicæ fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem, & propagationem instituatur: &, ubi instituta foret, & negligeretur, restituatur. Et, ne sub specie pietatis impietas disseminetur; statuit eadem Sancta Synodus neminem ad hujusmodi lectionis officium tam publice, quam privatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus non fuerit: quod tamen de Lectoribus in Claustris Monachorum non intelligatur. Docentes vero ipsam Sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, & scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum, in absentia a jure communi concessis, plene gaudeant, & fruantur.

CAPUT II.

Quia vero Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Evangelii, quam lectio; & hoc est præcipuum Episcoporum munus; statuit, & decrevit eadem Sancta Synodus, omnes Episcopos, Archi-Episcopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium. Si vero contigerit Episcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento; juxta formam Generalis Concilii viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaciat ultioni. Archi-Presbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo (*), quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum præstare negligat, etiam si ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderet; etiam si Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio, etiam extra Diœcesim

(*) *In Lovaniensi & Parisina additur:* ea.

ſim exiſtenti, forſan annexæ, vel unitæ, modo re ipſa in Diœceſi ſint, provida Paſtoralis Epiſcoporum ſolicitudo non deſit; ne illud impleatur: Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis (*). Itaque ubi ab Epiſcopo moniti trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, ſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens officium ſuum impleat.

Si quæ vero Parochiales Eccleſiæ reperiantur ſubjectæ Monaſteriis in nulla Diœceſi exiſtentibus; ſi Abbates, & regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint; a Metropolitanis, in quorum Provinciis Diœceſes ipſæ ſitæ ſunt, tamquam, quo ad hoc, Sedis Apoſtolicæ delegatis, compellantur. Neque hujus Decreti executionem conſuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, ſive recurſus impedire valeat, quouſque deſuper a competenti judice, qui ſummarie, & ſola facti veritate inſpecta procedat, cognitum & deciſum fuerit. Regulares vero cujuscumque ordinis, niſi a ſuis Superioribus de vita, moribus & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur; ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum ordinum nullo modo prædicare poſſint. Ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.

Si vero, quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminaverit in populum, etiam ſi in Monaſterio ſui, vel alterius ordinis prædicet; Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quod ſi hæreſes prædicaverit; contra eum ſecundum juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat; etiam ſi prædicator ipſe generali, vel ſpeciali privilegio exemptum ſe eſſe prætenderet. Quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolica, & tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus procedat. Curent autem Epiſcopi, ne quis Prædicator vel ex falſis informationibus, vel alias calumnioſe vexetur, juſtamve de eis conquerendi occaſionem habeat.

Caveant præterea Epiſcopi, ne aliquem, vel eorum, qui cum ſint nomine Regulares, extra clauſtra tamen, & obedientiam religionum ſuarum vivunt; vel Presbyterorum ſæcularium, niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum prætextu in ſua civitate, vel Diœceſi prædicare permittant, donec ab ipſis Epiſcopis ſuper ea re ſancta Sedes Apoſtolica conſulatur; a qua privilegia hujusmodi, niſi tacita veritate, & expreſſo mendacio ab indignis extorqueri, veriſimile non eſt.

Quæstores vero eleemoſynarii, qui etiam Quæſtuarii vulgo dicuntur, cujuscumque condicionis exiſtant, nullo modo nec per ſe, nec per alium prædicare præſumant; & contra facientes ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum, privilegiis quibuscumque non obſtantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Indictio futuræ Seſſionis.

Item hæc Sacroſancta Synodus ſtatuit, & decernit, primam futuram Seſſionem tenendam, & celebrandam eſſe die Jovis, feria quinta poſt feſtum Beati Jacobi Apoſtoli.

Prorogata deinde fuit Seſſio ad diem XIII. Menſis Januarii MDXLVII.

SESSIO SEXTA,

CELEBRATA DIE XIII. MENSIS JANUARII, MDXLVII.

Decretum de Juſtificatione.

PROOEMIUM.

Cum hoc tempore, non ſine multarum animarum jactura, & gravi Eccleſiaſticæ unitatis detrimento, erronea quædam diſſeminata ſit de Juſtificatione

(*) Thren. 4.

tione doctrina : ad laudem, & gloriam Omnipotentis DEI, Ecclesiæ tranquillitatem, & animarum salutem, Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini PAULI, Divina providentia Papæ Tertii, Reverendissimis Dominis, Dominis, Jo. Maria Episcopo Prænestino, de Monte, & Marcello tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis; exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam Sol justitiæ CHRISTUS JESUS, (k) fidei nostræ auctor, & consummator, docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto suggerente, perpetuo retinuit; districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quam præsenti Decreto statuitur, ac declaratur.

De naturæ, & legis ad justificandos homines imbecillitate.

CAPUT I.

PRIMUM declarat Sancta Synodus, ad justificationis doctrinam probe, & sincere intelligendam, oportere, ut unusquisque agnoscat, & fateatur, quod (l) cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent; (m) facti immundi, &, ut Apostolus inquit, (n) natura filii iræ, quemadmodum in Decreto de peccato originali exposuit, usque adeo servi erant peccati, & sub (o) potestate Diaboli ac mortis; ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi, inde liberari, aut surgere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum.

De dispensatione, & mysterio Adventus Christi.

CAPUT II.

Quo factum est, ut cælestis Pater, (p) Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, CHRISTUM JESUM, Filium suum, & ante legem, & legis tempore multis Sanctis Patribus declaratum, ac promissum, cum venit beata illa plenitudo (q) temporis, ad (*) homines miserit; ut & Judæos, qui sub lege erant, redimeret; & (r) gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc (s) proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non (t) solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Qui per Christum justificantur.

CAPUT III.

VERUM, etsi ille pro omnibus mortuus (u) est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur; cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos (x) semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum filii dilectionis suæ; in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum.

Insi-

(k) Heb. 12. (l) 1. Cor. 15. Rom. 5. (m) Isai. 64.
(n) Ephes. 2. (o) Rom. 6. & 3. Hebr. 2. (p) 2. Cor. 1.
(q) Galat. 4. (*) *Parisina editio*: ad omnes miserit.
(r) Rom. 9. (s) Rom. 3. & 5. Coloss. 2. 1. Tim. 2. & 2. Tim. 1.
(t) 1. Joan. 1. (u) 2. Cor. 5. (x) Coloss. 1.

Insinuatur descriptio justificationis impii, & modus ejus in statu gratiæ.

CAPUT IV.

QUIBUS verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur (y) filius (*) primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam JESUM CHRISTUM, Salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: (z) Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

De necessitate præparationis ad justificationem in adultis, & unde sit.

CAPUT V.

DECLARAT præterea, ipsius justificationis exordium in adultis a DEI per CHRISTUM JESUM præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando, disponantur: ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris literis, cum dicitur: (a) Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: (b) Converte nos Domine ad te, & convertemur: Dei nos gratia præveniri confitemur.

Modus præparationis.

CAPUT VI.

DISPONUNTUR autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti, (c) fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt; atque illud inprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per (d) redemptionem, quæ est in Christo JESU; & dum peccatores se esse intelligentes, a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina Mandata. De hac dispositione scriptum est: (e) Accedentem ad DEUM oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et, (f) Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et, (g) Timor Domini expellit peccatum. Et, (h) Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Et, (i) Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare, quæcumque mandavi vobis. Denique, (k) Præparate corda vestra Domino.

Quid sit justificatio impii, & quæ ejus causæ.

CAPUT VII.

HANC dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur; quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris

(y) Gal. 4. Tit. 3. (*) *In Parisina non legitur:* primi. (z) Joan. 3.
(a) Zachar. 1. Joel. 2. (b) Thren. 5. (c) Rom. 10. (d) Rom. 3.
(e) Hebr. 11. (f) Marc. 2. & Matth. 9. (g) Eccl. 1.
(h) Act. 2. (i) Matth. ult. Luc. 24. (k) 1. Reg. 7.

rioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit (k) hæres secundum spem vitæ æternæ. Hujus justificationis causæ sunt, finalis quidem, gloria Dei, & Christi, ac vita æterna: efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito (l) abluit, & (m) sanctificat signans, & ungens (n) Spiritu promissionis Sancto; qui est pignus hæreditatis nostræ: meritoria autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus: qui, cum (o) essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima Passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: instrumentalis item, Sacramentum Baptismi; quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli umquam contigit justificatio: demum unica formalis causa est justitia Dei; non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam (q) Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum caritas (s) Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, (t) Fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse. Et, In (u) Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed fidem, quæ per caritatem operatur. Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstantem; quam sine spe, & caritate fides præstare non potest. Unde & statim verbum Christi audiunt: (x) Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Itaque veram, & Christianam justitiam accipientes, eam (y) ceu primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam, & immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, & habeant vitam æternam.

Quomodo intelligatur, impium per fidem, & gratis justificari.

CAPUT VIII.

Cum vero Apostolus (z) dicit, justificari hominem per fidem, & gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis: [a] sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire: gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si (b) enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.

Con-

(k) Tit. 3. (l) 1. Cor. 6. (m) Tit. 3.
(n) Ephes. 1. (o) Ephes. 2. Rom. 5. (q) 1. Cor. 12. Ephes. 4.
(s) Rom. 5. (t) Jac. 2. in fi. (u) Gal. 5. & 6. (x) Matth. 19.
(y) Luc. 15. (z) Rom. 3. (a) Heb. 11.
(b) Rom. 11. Ephes. 2. Tit. 3.

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

CAPUT IX.

Quamvis autem necessarium sit (*c*) credere, neque remitti, neque remissa umquam fuisse peccata, nisi gratis Divina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse, dicendum est; cum apud hæreticos, & schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semet ipsos statuere, se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi, ac justificari, nisi eum, qui certo credat se absolutum, & justificatum esse; atque hac sola fide absolutionem, & justificationem perfici; quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis, & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

De acceptæ justificationis incremento.

CAPUT X.

Sic ergo justificati, & amici Dei, ac domestici facti, (*d*) euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem: hoc est, mortificando membra carnis suæ, & (*e*) exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem Mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est: (*f*) Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: (*g*) Ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus: (*h*) Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc vero justitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.

De observatione mandatorum, deque illius necessitate, & possibilitate.

CAPUT XI.

Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei Præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus (*i*) impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adjuvat, ut possis. (*k*) Cujus mandata gravia non sunt; cujus (*l*) jugum suave est, & onus leve. Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt: qui (*m*) autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus. Quod utique cum Divino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti, & justi, in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam (*n*) justorum illa vox est & humilis, & verax: Dimitte nobis debita nostra. Quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato, (*o*) servi autem facti Deo, (*p*) sobrie, juste, & pie viventes proficere possint per Christum Jesum:

(*c*) Tit. 3. (*d*) Psal. 83. 2. Cor. 4. in fi. Coloss. 3. (*e*) Rom. 6.
(*f*) Apocal. ult. (*g*) Eccl. 18. (*h*) Jac. 2.
(*i*) 1. Joan. 5. (*k*) Ibid. (*l*) Matth. 11. Joan. 11.
(*m*) Joan. 14. (*n*) Matth. 6. Luc. 11. (*o*) Rom. 6.
(*p*) Tit. 2.

ſum: per quem (p) acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur. Itaque nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatemque conſecuturum, etiamſi Chriſto non (q) compatiatur, ut & conglorificetur. Nam & Chriſtus ipſe, ut inquit Apoſtolus, (r) cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus, obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Propterea Apoſtolus ipſe monet juſtificatos, dicens: Neſcitis, quod ii, qui (s) in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. (t) Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Item Princeps Apoſtolorum Petrus: (u) Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Unde conſtat, eos orthodoxæ religionis doctrinæ adverſari, qui dicunt, juſtum in omni bono opere ſaltem venialiter peccare, aut quod intolerabilius eſt, pœnas æternas mereri: atque etiam eos, qui ſtatuunt, in omnibus operibus juſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam: (x) cum ſcriptum ſit: Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem. Et de Moſe dicat (y) Apoſtolus, quod reſpiciebat in remunerationem.

Prædeſtinationis temerariam præſumptionem cavendam eſſe.

CAPUT XII.

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano Divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeo præſumere debet, ut certo ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quod juſtificatus aut amplius peccare non poſſit, aut, ſi peccaverit, (z) certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam, niſi ex ſpeciali revelatione, ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.

De perſeverantiæ munere.

CAPUT XIII.

Similiter de perſeverantiæ munere, de quo ſcriptum eſt: (a) Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, (b) qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere: nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut (c) cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. Veruntamen qui ſe (d) exiſtimant ſtare, videant, ne cadant; & cum (e) timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes, (f) quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam (*) renati ſunt, de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum Diabolo: in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent, dicenti: (g) Debitores ſumus non carni, ut ſecundum car-

(p) Rom. 5. (q) Rom. 8. (r) Philip. 2. Hebr. 5.
(s) 1. Cor. 9. (t) Ibid. (u) 2. Pet. 1.
(x) Pſal. 118. (y) Hebr. 11. (z) Ezech. 18. Galat. 3.
(a) Matth. 10. Ezech. 33. (b) Rom. 14. Philip. 1. 1. Cor. 8. (c) Philip. 1. & 2.
(d) 1. Cor. 10. (e) Philip. 2. (f) 1. Pet. 1.
(*) *Pariſina & Lovanienſis habent:* in gloria. (g) Rom. 8.

carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

De lapſis, & eorum reparatione.

CAPUT XIV.

Qui vero ab accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt, cum, excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim juſtificationis modus eſt lapſis (*) reparatio: quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur, Christus Jesus Sacramentum inſtituit Pœnitentiæ, cum dixit: (*b*) Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Unde docendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multo aliam eſſe a baptiſmali; eaque contineri non modo ceſſationem a peccatis, & eorum deteſtationem, (*i*) aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorundem Sacramentalem Confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem Abſolutionem; itemque Satisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali; quæ, ut ſacræ literæ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam (*k*) acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & (*l*) templum Dei violare non ſunt veriti. De qua pœnitentia ſcriptum eſt: (*m*) Memor eſto, unde excideris: age pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum: (*n*) Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Et rurſus: (*o*) Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ.

Quolibet mortali peccato amitti gratiam, ſed non fidem.

CAPUT XV.

Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium, aſſerendum eſt, non modo infidelitate, (*p*) per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti; Divinæ legis doctrinam defendendo: (*q*) quæ a regno Dei non ſolum infideles excludit, ſed (*r*) & fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, avaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cæteroſque omnes, qui letalia committunt peccata; a quibus cum Divinæ gratiæ adjumento abſtinere poſſunt, & pro quibus a Chriſti gratia ſeparantur.

De fructu juſtificationis, hoc eſt, de merito bonorum operum, deque ipſius meriti ratione.

CAPUT XVI.

Hac igitur ratione juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: (*s*) Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino. [*t*] Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Et, Nolite (*u*) amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum miſeri-

(*) *In Pariſina Harduini, & Lovanienſi legitur*: lapſi.
(*b*) Joan. 20. Matth. 16. (*i*) Pſal. 50. (*k*) Epheſ. 4.
(*l*) 1. Cor. 3. (*m*) Apocal. 2. (*n*) 2. Cor. 7.
(*o*) Matt. 3. & 4. Luc. 3. (*p*) Rom. 16. (*q*) 1. Tim. 1.
(*r*) 1. Cor. 6. (*s*) 1. Cor. 15. (*t*) Hebr. 6.
(*u*) Hebr. 10.

ſericorditer promiſſa; & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona (*x*) juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi eſſe ajebat Apoſtolus, a juſto Judice ſibi reddendam: non ſolum autem ſibi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cum enim ille ipſe CHRISTUS JESUS tamquam Caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur; & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſent; nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, Divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam, vere promeruiſſe cenſeantur: cum Chriſtus, Salvator noſter, dicat: (*y*) Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ita neque propria noſtra juſtitia, tamquam ex nobis propria ſtatuitur: neque ignoratur, aut repudiatur juſtitia Dei. Quæ enim juſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentem juſtificamur; illa eadem Dei eſt, quia a Deo nobis infunditur per Chriſti meritum. Neque vero illud omittendum eſt; quod licet bonis operibus in ſacris literis uſque adeo tribuatur, ut etiam (*z*) qui uni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſua mercede cariturum: & Apoſtolus (*a*) teſtetur, id quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis: abſit tamen, ut Chriſtianus homo in ſe ipſo vel confidat, (*b*) vel glorietur, & non in Domino: cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. (*c*) Et quia in multis offendimus omnes; unuſquiſque ſicut miſericordiam, & bonitatem, ita ſeveritatem, & judicium ante oculos habere debet, neque ſe ipſum aliquis, (*d*) etiam ſi nihil ſibi conſcius fuerit, judicare: quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda, & judicanda eſt, ſed Dei: (*e*) qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo, qui, ut ſcriptum eſt, (*f*) reddet unicuique ſecundum opera ſua.

POST hanc Catholicam de juſtificatione doctrinam, quam niſi quiſque fideliter firmiterque receperit, juſtificari non poterit; placuit Sanctæ Synodo hos Canones ſubjungere, ut omnes ſciant, non ſolum quid tenere, & ſequi, ſed etiam quid vitare, & fugere debeant.

DE JUSTIFICATIONE.

CANON I.

SI quis dixerit, (*g*) hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, abſque Divina per JESUM CHRISTUM gratia poſſe juſtificari coram Deo, anathema ſit.

CANON II.

SI quis dixerit, ad hoc ſolum Divinam gratiam per CHRISTUM JESUM dari, ut facilius homo juſte vivere, ac vitam æternam promereri poſſit; quaſi per liberum arbitrium ſine gratia utrumque, ſed ægre tamen, & difficulter poſſit; anathema ſit.

CANON III.

SI quis dixerit, ſine præveniente (*h*) Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.

[*x*] 1. Tim. 4. [*y*] Joan. 4. [*z*] Matt. 10. in fin. & Marc. 9. circa fin.
[*a*] 2. Cor. 4. [*b*] 1. Cor. 1. in fi. 2. Cor. 10. in fi. Gal. 6. Hier. 9.
[*c*] Jac. 3. [*d*] 1. Cor. 4. [*e*] Ibidem.
[*f*] Matth. 16. Rom. 2. [*g*] Rom. 3. 1. Cor. 15. [*h*] Rom. 5.

CANON IV.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.

CANON V.

Si quis hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, (*i*) non esse in potestare hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se adeo, ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, (*k*) gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi; anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, homines, (*l*) sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & caritate, quæ in cordibus (*m*) eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam Divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

CANON XIV.

Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo, quod se absolvi, ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum; & hac sola fide absolutionem, & justificationem perfici; anathema sit.

CANON XV.

Si quis dixerit, hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit.

CANON XVI.

Si (*n*) quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.

CA-

(*i*) Joan. 1. (*k*) Psal. 17. Luc. 12. & Marc. 9. in fi. (*l*) Gal. 2. & 5. Eph. 1. & 4.
(*m*) Rom. 5. (*n*) Gal. 3. Ezech. 18.

CANON XVII.

Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote Divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.

CANON XVIII.

Si quis dixerit, (o) Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia; anathema sit.

CANON XIX.

Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.

CANON XX.

Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.

CANON XXI.

Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anathema sit.

CANON XXII.

Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

CANON XXIII.

Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, numquam vere fuisse justificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.

CANON XXIV.

Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam (*) augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.

CANON XXV.

Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.

CANON XXVI.

Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & Divina mandata custodiendo usque (p) in finem perseveraverint; anathema sit.

CANON XXVII.

Si quis dixerit, (q) nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi, & enormi, præterquam infidelitatis, peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit.

CANON XXVIII.

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum; anathema sit.

CANON XXIX.

Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine Sacramento Pœnitentiæ, prout Sancta Romana, & universalis Ecclesia, a Christo Domino, & ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit, & docuit; anathema sit.

(o) 1. Joan. 5. (*) *Parisina & Lovaniens.* non augeri. (p) Matth. 24.
(q) 1. Cor. 6.

CANON XXX.

Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; anathema sit.

CANON XXXI.

Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit.

CANON XXXII.

Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut, ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus (*) vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

CANON XXXIII.

Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de justificatione, a Sancta Synodo hoc præsenti Decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jesu Christi, Domini nostri, derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Jesu gloriam illustrari; anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

CAPUT I. (**)

Prælatos convenit in Ecclesiis suis residere; si secus fecerint, juris antiqui pœnæ in eos renovantur, & novæ decernuntur.

Eadem Sacrosancta Synodus, eisdem Præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis, ad restituendam collapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam, depravatosque in Clero, & populo Christiano mores emendandos se accingere volens, ab iis, qui majoribus Ecclesiis præsunt, initium censuit esse sumendum. Integritas enim præsidentium salus est subditorum. Confidens itaque per Domini, ac Dei nostri misericordiam, providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam omnino futurum, ut ad Ecclesiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas, a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, secundum venerabiles Beatorum Patrum Sanctiones assumantur: omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quovis nomine, ac titulo, Præfectos monet, ac monitos esse vult, ut (r) attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, (s) in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum (t) sanguis de eorum est manibus a supremo Judice requirendus, custodiæ minime incumbant: cum certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit. Ac nihilominus, quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore repeririuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cælestibus, ac Divinis humana præferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium solicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos: Placuit Sacrosanctæ Synodo antiquos Canones, qui temporum, atque hominum (***) injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare; quemadmodum virtute præsentis Decreti innovat

[*] vivum *in Parisina non legitur.*
[**] Capitum rubricas ex Parisina editione Harduini apposui.
(r) Act. 20. (s) 2. Tim. 4. Joan. 10. (t) Ezech. 33. & 34. Act. 10.
(***) *incuria.*

novat, ac ulterius, pro firmiori eorundem residentia, & reformandis in Ecclesia moribus, in hunc, qui sequitur, modum statuere, atque sancire. Si quis a Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, causa, nomine, seu jure commissa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat,(legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus causis cessantibus) sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerit: quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Ecclesiæ, (*) pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicandorum, pœnam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit; aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum Canonum censuræ subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, (**) pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas, seu Nuncium, Romano Pontifici denunciare teneatur: qui in ipsos absentes, prout cujusque major, aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis auctoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

CAPUT II.

Nulli Beneficium, exigens Personalem Residentiam, obtinenti abesse licet, nisi justa de causa ab Episcopo approbanda, qui tum etiam Vicarium subducta parte fructuum substituat, ob curam animarum.

Episcopis inferiores, quævis beneficia Ecclesiastica personalem residentiam de jure, sive consuetudine exigentia, in titulum, sive commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimine, & Divini cultus augmento, locorum, & personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis juris remediis residere cogantur: nullique privilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis, suffragentur. Indulgentiis vero, & dispensationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus causis tantum concessis, & coram Ordinario legitime probandis, in suo robore permansuris: quibus casibus nihilominus officium sit Episcoporum, tamquam in hac parte a Sede Apostolica delegatorum, providere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenus negligatur: nemini, quo ad hoc, privilegio, seu exemptione quacumque suffragante.

CAPUT III.

Excessus sæcularium Clericorum & Regularium, agentium extra Monasteria, ab Ordinario loci corrigantur.

Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus prudenter, ac diligenter intendant: & nemo sæcularis Clericus, cujusvis personalis, vel regularis, extra Monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii prætextu tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

CAPUT IV.

Ecclesias quascunque Episcopi & alii majores Prælati, quoties opus fuerit, visitent; omnibus, quæ huic Decreto obstare possent, sublatis.

Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus a suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatis, per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta

(*) *Parisina addit*: &.

(**) *In Parisina:* sub pœna.

juxta Canonicas Sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint, & valeant.

CAPUT V.

Episcopi in aliena Diœcesi nec Pontificalia exerceant, nec Ordines conferant.

Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit; Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum, sint ipso jure suspensi.

Indictio futuræ Sessionis.

Placetne vobis proximam futuram Sessionem celebrari die Jovis feria quinta post primam Dominicam subsequentis Quadragesimæ, quæ erit dies tertia mensis Martii? *Responderunt*, *PLACET.*

SESSIO SEPTIMA,

CELEBRATA DIE III. MENSIS MARTII, MDXLVII.

Decretum de Sacramentis.

PROOEMIUM.

Ad consummationem salutaris de justificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Sessione uno omnium Patrum consensu promulgata fuit; consentaneum visum est de Sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur: proprerea Sacrosancta Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreses, quæ circa Sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim a Patribus nostris hæresibus suscitatæ, tum etiam de novo adinventæ sunt, quæ Catholicæ Ecclesiæ puritati, & animarum saluti magnopere officiunt; Sanctarum Scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum, & Patrum consensui inhærendo, hos præsentes Canones statuendos, & decernendos censuit; reliquos, qui supersunt, ad cœpti operis perfectionem, deinceps, Divino Spiritu adjuvante, editura.

DE SACRAMENTIS in genere.

CANON I.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a JESU CHRISTO, Domino nostro, instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum; anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cærimoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi; anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.

CA-

CANON VII.

Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus; anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, Ministrum, in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.

DE BAPTISMO.

CANON I.

Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri JESU CHRISTI; (u) Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, (x) Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, (y) baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ Præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis summittere voluerint; anathema sit.

CA-

[u] Joan. 3. [x] Ibidem. [y] Galat. 5.

CANON IX.

Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis, in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi Baptismo; anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, verum, & rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit.

CANON XIV.

Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; &, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.

DE CONFIRMATIONE.

CANON I.

Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cærimoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem Sacrosancta Synodus, eisdem Præsidentibus & Legatis, inceptum residentiæ, & Reformationis negotium ad DEI laudem, & Christianæ Religionis incrementum prosequi intendens, ut sequitur, statuendum censuit, salva semper in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate.

CAPUT I.

Quis capax Regiminis Ecclesiarum Cathedralium.

Ad Cathedralium Ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, gravitate morum, literarumque scientia, juxta Constitutionem Alexandri Tertii, quæ incipit: Cum in cunctis, in Concilio Lateranensi promulgatam, præditus assumatur.

CAPUT II.

Tenentes plures Cathedrales Ecclesias jubentur omnes, excepta una, dimittere, certo modo & tempore.

Nemo, quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures

plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias, in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine, contra Sacrorum Canonum instituta, recipere, & simul retinere præsumat: cum valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene, ac fructuose, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures Ecclesias contra præsentis Decreti tenorem nunc detinent, una, quam maluerint, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam Sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur: alioquin Ecclesiæ ipsæ, ultimo obtenta dumtaxat excepta, eo ipso vacare censeantur.

CAPUT III.

Habilibus duntaxat personis Beneficia conferantur.

Inferiora Beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, juxta Constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quæ incipit: Quia nonnulli; & aliam Gregorii X. in Generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit: Licet Canon, editam, conferantur. Aliter autem facta collatio, sive provisio, omnino irritetur: & ordinarius Collator pœnas Constitutionis Concilii Generalis, quæ incipit: Grave nimis, se noverit incursurum.

CAPUT IV.

Plurium Beneficiorum retentor contra Canones, iis privetur.

Quicumque de cætero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titulo, contra formam Sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis Innocentii III. quæ incipit: De multa, recipere, ac simul retinere præsumpserit; beneficiis ipsis, juxta ipsius Constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore, privatus existat.

CAPUT V.

Plura Beneficia curata obtinentes, Ordinario suas dispensationes exhibeant, qui de Vicario Ecclesiis provideat, congrua portione fructuum assignata.

Ordinarii locorum quoscumque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere districte compellant; & alias procedant juxta Constitutionem Gregorii X. in Generali Lugdunensi Concilio editam, quæ incipit: Ordinarii: quam eadem Sancta Synodus innovandam censet, & innovat; addens insuper, quod ipsi Ordinarii etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur; & beneficia ipsa debitis obsequiis minime defraudentur; appellationibus, privilegiis, exemptionibus quibuscumque, etiam cum judicum specialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmissis nemini suffragantibus.

CAPUT VI.

Quæ Beneficiorum uniones validæ censeantur.

Uniones perpetuæ, a quadraginta annis citra factæ, examinari ab Ordinariis, tamquam a Sede Apostolica delegatis, possint: & quæ per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ vero, quæ a dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis, coram loci Ordinario vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per surreptionem obtentæ præsumantur: ac propterea, nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

CAPUT VII.

Beneficia Ecclesiastica unita visitentur: per Vicarios etiam perpetuos cura exerceatur; quorum deputatio fiat cum portione assignanda, etiam super re certa.

Beneficia Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur: qui solicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum Judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscumque in præmissis minime suffragantibus.

CAPUT VIII.

Ecclesiæ reparentur: cura animarum solicite habeatur.

Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica, singulis annis visitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, ut, quæ reparatione indigent, reparentur; & cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præscriptis, Judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus exclusis.

CAPUT IX.

Munus Consecrationis non differendum.

Ad majores Ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus a jure statutum suscipiant: & prorogationes ultra sex menses concessæ nulli suffragentur.

CAPUT X.

Sede vacante Capitula nulli dent Reverendas, nisi arctato occasione obtinendi, aut obtenti beneficii. Variæ contravenientium pœnæ.

Non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere: si secus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto, & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant: in majoribus vero, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, sint ipso jure suspensi.

CAPUT XI.

Facultates de promovendo sine justa causa nemini suffragentur.

Facultates de promovendo a quocumque, non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam; & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.

CAPUT XII.

Facultas de non promovendo annum non excedat.

Facultates de non promovendo, præterquam in casibus a jure expressis, concessæ, ad annum tantum suffragentur.

CAPUT

CAPUT XIII.

A quocunque præsentati non instituantur sine prævio examine Ordinarii & approbatione, certis exceptis.

Præsentati, seu electi, vel nominati a quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis Ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium Studiorum exceptis.

CAPUT XIV.

Causæ civiles exemptorum Clericorum Secularium & Regularium, degentium extra Monasterium, ab Episcopis cognoscantur.

In exemptorum causis constitutio Innocentii IV. quæ incipit: Volentes, in Generali Concilio Lugdunensi edita, servetur; quam eadem Sacrosancta Synodus innovandam censuit, & innovat; addendo insuper, quod in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum Clerici seculares, aut regulares, extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiam si certum Judicem, a Sede Apostolica, in partibus habeant; in aliis vero, si ipsum Judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conveniri, & jure medio ad solvendum debitum cogi, & compelli possint: privilegiis, exemptionibus, Conservatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam valituris.

CAPUT XV.

Ordinarii curent, ut Hospitalia quæcunque, etiam exempta, a suis administratoribus fideliter gubernentur.

Curent Ordinarii, ut hospitalia quæcumque a suis administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & diligenter gubernentur, Constitutionis Concilii Viennensis, quæ incipit: Quia contingit, forma servata, quam quidem constitutionem eadem Sancta Synodus innovandam duxit, & innovat, cum derogationibus in ea contentis.

Indictio futuræ Sessionis.

Item hæc Sacrosancta Synodus statuit, & decrevit proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse die Jovis, feria quinta post sequentem Dominicam in Albis, quæ erit vigesima prima mensis Aprilis, præsentis anni M. D. XLVII.

BULLA FACULTATIS TRANSFERENDI CONCILII.

PAULUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI, JOANNI MARIÆ, EPISCOPO PRÆNESTINO, ET DILECTIS FILIIS, MARCELLO TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM PRESBYTERO, AC REGINALDO S. MARIÆ IN COSMEDIN DIACONO, CARDINALIBUS, NOSTRIS, ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS DE LATERE, SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Regimini universalis Ecclesiæ, meritis licet imparibus, disponente Domino, præsidentes, nostri officii partes esse putamus, ut, si quid gravius causa Reipublicæ Christianæ constituendum sit, id non modo tempore opportuno, verum etiam loco commodo, & idoneo perficiatur. Cum itaque nos nuper, postquam suspensionem celebrationis sacri Oecumenici, & universalis Concilii, alias per nos in civitate Tridentina, ex causis tunc expressis, de Venerabilium Fratrum nostrorum

ſtrorum, S.R.E. Cardinalium conſilio & aſſenſu indicti, ex certis aliis etiam tunc expreſſis cauſis, uſque ad aliud opportunius, & commodius tempus per nos declarandum, de ſimili conſilio, & aſſenſu factam, audita pace inter Cariſſimos in Chriſto Filios noſtros, CAROLUM Rom. Imperatorem, ſemper Auguſtum, & FRANCISCUM Francorum Regem Chriſtianiſſimum, conciliata, pari conſilio, & aſſenſu ſuſtuleramus, & amoveramus: nequeuntes ipſi, tunc legitime impediti, ad dictam civitatem perſonaliter accedere, & eidem Concilio intereſſe, vos noſtros, & Apoſtolicæ Sedis Legatos de Latere, in eodem Concilio de ſimili conſilio conſtituerimus & deputaverimus, vosque ad eandem civitatem, tamquam pacis Angelos, deſtinaverimus, prout in diverſis noſtris deſuper confectis literis plenius continetur: Nos, ne tam ſanctum celebrationis Concilii hujusmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportune providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, parique conſilio & aſſenſu, vobis inſimul, aut duobus ex vobis, reliquo legitimo impedimento detento, ſeu inde forte abſente, quandocumque vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem civitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem, & opportuniorem, ſeu tutiorem civitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi, & mutandi; ac illud in ipſa civitate Tridentina ſupprimendi, & diſſolvendi; nec non Prælatis, & aliis perſonis Concilii hujusmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis inhibendi, ac idem Concilium in alia civitate hujusmodi, ad quam illud transferri, & mutari contigerit, continuandi, tenendi, & celebrandi, & ad illud Prælatos, & alias perſonas Concilii Tridentini hujusmodi etiam ſub perjurii, & aliis, in literis indictionis Concilii hujusmodi expreſſis pœnis, evocandi, eidemque ſic translato & mutato Concilio, nomine & auctoritate prædictis præſidendi, ac in eo procedendi, cæteraque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna, alias juxta priorum vobis directarum literarum continentiam, & tenorem, faciendi, ſtatuendi, ordinandi, & exequendi, plenam & liberam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus poteſtatem, & facultatem; ratum & gratum habituri, quidquid per vos in præmiſſis factum, ſtatutum, ordinatum, executumve fuerit, idque facturi, auctore Domino, inviolabiliter obſervari: Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, M.D.XLIV. (*) VIII. Kal. Mart. Pontificatus noſtri anno XI.

FAB. EPISCOPUS SPOL.

B. Motta.

Huc uſque progreſſum fuit Concilium Tridentinum ſub Paulo III. a quo poſtea Concilium idem Bononiam translatum, illic ad tempus eſt intermiſſum. Interim vero Paulus III. viam univerſæ carnis ingreſſus, Succeſſorem habuit Julium III., ſub quo poſtea convocatum eſt iterum in eadem civitate Tridentina: & vocati omnes, qui ſolent intereſſe Concilio, ad primam diem Maji, A. Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo. Qua die adfuit præſens Legatus Creſcentius cum nonnullis Epiſcopis: nihil tamen actum eſt propter paucitatem Epiſcoporum uſque ad undecimum Octobris ejusdem anni, qua die celebrata eſt Seſſio ſub Julio Pontifice.

Ex editione Petri Crabbe.

SESSIO

[*] *Sic habet editio Lovanienſis & Veneta: ſed in Pariſina legitur:* anno MDXLVII. *atque ita legendum, quia annus* 1547. *erat* undecimus Pontificatus Pauli III.

SESSIO OCTAVA,

CELEBRATA DIE XI. MENSIS MARTII, MDXLVII.

Decretum de Translatione Concilii.

PLACETNE vobis decernere, & declarare, de hujusmodi morbo ex præmissis, & aliis allegatis ita manifeste, & notorie constare, ut Prælati in hac civitate sine vitæ discrimine commorari, & in ea iccirco inviti minime retineri possint, & debeant? Itemque attento recessu multorum Prælatorum post proxime præteritam Sessionem, & attentis protestationibus aliorum complurium Prælatorum, in Congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui juste detineri non possunt; & ex quorum discessu Concilium vel dissolveretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus ejus progressus impediretur; & attento etiam imminenti periculo vitæ, & aliis causis, per aliquos ex Patribus in ipsis Congregationibus allegatis, utpote notorie veris, & legitimis; Placetne vobis similiter decernere, & declarare, pro conservatione, & prosecutione ipsius Concilii, securitate vitæ ipsorum Prælatorum, Concilium ipsum ad civitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, salubrem, & idoneum, pro tempore transferendum esse, & ex nunc transferri, & ibidem Sessionem jam indictam, statuta die, vigesima prima Aprilis, celebrandam esse, & celebrari; & successive ad ulteriora procedendum, donec Sanctissimo Domino nostro, & Sacro Concilio expedire videbitur, ut ad hunc, seu alium locum, communicato etiam consilio cum Invictissimo Cæsare, Christianissimo Rege, & aliis Regibus, ac Principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit, & debeat? *Responderunt*, PLACET.

SESSIO NONA,

BONONIÆ CELEBRATA DIE XXI. MENSIS APRILIS, MDXLVII.

Decretum prorogationis Sessionis.

HÆc Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Synodus, quæ dudum in civitate Tridenti congregata erat, nunc Bononiæ in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini PAULI Divina providentia Papæ III. eisdem Reverendissimis Dominis D. Jo. Maria, Episcopo Prænestino, de Monte, & Marcello, tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero, S.R.E. Cardinalibus, & Apostolicis de latere Legatis, considerans, quod die undecima mensis Martii, præsentis anni in generali publica Sessione, in eadem civitate Tridenti, & in loco consueto celebrata, omnibusque agendis de more peractis, ex causis tunc instantibus, urgentibus, & legitimis, interveniente etiam auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ, eisdem Reverendissimis Præsidentibus etiam specialiter concessa, decrevit, & ordinavit, Concilium ex eo loco in hanc civitatem transferendum esse, sicuti transtulit; itemque Sessionem pro præsenti die vigesima prima Aprilis, illic indictam, ut de Sacramentorum, & Reformationis materiis, de quibus tractandum proposuerat, Canones sancirentur, & promulgarentur, in hac ipsa civitate Bononiæ celebrari debere: consideransque nonnullos ex Patribus, qui in hoc Concilio interesse consueverunt, his superioribus, majoris hebdomadæ, & solemnitatis Paschalis, diebus, in propriis Ecclesiis occupatos, aliquos etiam, aliis impedimentis detentos, huc nondum accessisse, quos tamen brevi affuturos sperandum est; ac propterea factum esse, ut non ea, quam Sancta Synodus desiderabat, Prælatorum frequentia potuerint materiæ ipsæ Sacramentorum, & Reformationis examinari, & discuti: ut omnia maturo consilio, cum dignitate, & gravitate debita fiant; bonum, opportunum, & expediens censuit,

censetque, Sessionem prædictam, quæ hoc ipso die, ut præfertur, celebranda erat: ad diem Jovis, infra octavam Pentecostes proxime futuram, quo ad ipsas materias expediendas, differendam, & prorogandam esse, quemadmodum differt, ac prorogat; quam diem & rei gerendæ maxime opportunam, & Patribus præsertim absentibus percommodam, judicavit, & judicat: Hoc tamen adjecto; quod terminum ipsum ipsa Sancta Synodus, pro ejus arbitrio, & voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in privata Congregatione, restringere, & imminuere possit, & valeat.

SESSIO DECIMA,

BONONIÆ CELEBRATA DIE II. MENSIS JUNII, MDXLVII.

Decretum prorogationis Sessionis.

Quamvis hæc Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Synodus Sessionem, quæ die vigesima prima mensis Aprilis, proxime præteriti, super Sacramentorum, & Reformationis materiis, in hac inclyta civitate Bononiæ ex Decreto, in urbe Tridentina, in publica Sessione, die undecima mensis Martii promulgato, celebranda erat, propter aliquas causas, ac præsertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos brevi affuturos sperabat, ad hunc præsentem diem differendam, & prorogandam esse decreverit: volens tamen cum iis, qui non venerunt, etiam adhuc benigne agere, eadem Sacrosancta Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostolicæ Sedis Legatis, statuit, & decernit, Sessionem ipsam, quam hac die secunda mensis Junii, præsentis anni millesimi quingentesimi quadragesimi septimi, celebrare decreverat, ad diem Jovis post festum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, quæ erit decima quinta mensis Septembris proxime futuri, quo ad prædictas, & alias materias expediendas, differendam, & prorogandam esse, quemadmodum differt, & prorogat; ita tamen, quod prosecutio discussionis, & examinationis eorum, quæ tam ad dogmata, quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur; & terminum ipsum ipsa Sancta Synodus, pro ejus libito, & voluntate, etiam in privata Congregatione, abbreviare, & prorogare libere possit, & valeat.

Die XIV. Sept. M.D.XLVII. in Congregatione generali, Bononiæ, prorogata fuit Sessio, quæ futura erat die sequenti, ad beneplacitum Sacri Concilii.

BULLA RESUMPTIONIS

CONCILII TRIDENTINI.

SUB JULIO III. Pont. Max.

JULIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Cum ad tollenda religionis nostræ dissidia, quæ in Germania longo tempore, non sine totius Christiani orbis perturbatione, & scandalo, viguerunt; bonum, opportunum, & expediens esse videatur, sicuti etiam Carissimus in Christo Filius noster, Carolus Romanorum Imperator, semper Augustus, nobis per suas literas, & Nuncios significari fecit, ut sacrum Oecumenicum Generale Concilium, per fel. rec. Paulum Papam III. Prædecessorem nostrum, indictum, & per nos, tunc Cardinalatus honore fungentes, atque ipsius Prædecessoris nomine, una cum duobus aliis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ipsi Concilio Præsidentes, inceptum, ordinatum, & continuatum, in quo plures publicæ, & solemnes habitæ fuerunt Sessiones, pluraque tam in causa fidei, quam reformationis promulgata Decreta, multaque etiam ad utramque causam pertinentia examinata, & discussa, ad civitatem Tridentinam reducatur: Nos, ad quos, ut (*) Summos pro tempore Pontifices spectat, Generalia Concilia indicere, & dirigere, ut Ecclesiæ pacem, & Christianæ fidei atque orthodoxæ Religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem & gloriam procuremus, &, quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniæ, quæ sane Provincia retroactis temporibus

(*) *Editio Veneta habet:* & Summos.

bus in vera religione, ac Sacrorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque maximis Pontificibus, Christi Redemptoris nostri in terra Vicariis, debita obedientia, & reverentia, nulli Christianorum Provinciæ fuit umquam secunda, paterne consulamus; sperantes per ipsius Dei gratiam & benignitatem futurum, ut Reges omnes, ac Principes Christiani justis, piisque nostris in hac re votis annuant, faveant, atque assistant: Venerabiles Fratres Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, & dilectos Filios Abbates, omnesque alios & singulos, qui de jure, vel consuetudine, vel privilegio Conciliis Generalibus interesse debent, quosque idem Prædecessor noster in suis Indictionis (*), & aliis quibuscumque desuper confectis, & publicatis literis, Concilio interesse voluit, per viscera misericordiæ Domini nostri, Jesu Christi, hortamur, requirimus, & monemus, ut proximis futuris Kal. Maji, quem diem ad ipsum Concilium in eo, in quo nunc reperitur, statu resumendum & prosequendum, prævia matura deliberatione, & ex certa nostra scientia, & de Apostolicæ auctoritatis plenitudine, ac Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, statuimus, decernimus, & declaramus, in ipsa civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire, & se congregare, ac ipsius Concilii continuationi, & prosecutioni, omni mora postposita, incumbere velint. Nos enim operam sedulo daturi sumus, ut eodem tempore, in eadem civitate, nostri omnino adsint Legati, per quos, si per ætatem nostram, valetudinemque, & Sedis Apostolicæ necessitates, personaliter adesse nequiverimus, Spiritu Sancto duce, ipsi Concilio præsidebimus: quacumque ipsius Concilii translatione, & suspensione, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque, ac præsertim illis, quæ idem Prædecessor noster in suis literis prædictis, quas cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis & decretis in suo robore permanere volumus, atque decernimus, &, quatenus opus sit, innovamus, volumus non obstare: irritum nihilominus decernentes, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, hortationis, requisitionis, monitionis, statuti, declarationis, innovationis, voluntatis, & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M.D.L. XVIII. Kalend. Dec. Pontificatus nostri anno primo.

M. Cardinalis Crescen.

Rom. Amasæus.

SACROSANCTI OECUMENICI, ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI

SESSIO XI.

QUÆ EST PRIMA SUB JULIO III. PONT. MAX. CELEBRATA KAL. MAJI, MDLI.

Decretum de resumendo Concilio.

PLACETNE vobis ad laudem, & gloriam Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad incrementum, & exaltationem Fidei, & Religionis Christianæ, sacrum Oecumenicum, & Generale Concilium Tridentinum, juxta formam, & tenorem literarum Sanctissimi Domini nostri, resumi debere, & procedendum esse ad ulteriora? *Responderunt*, PLACET.

Indictio futuræ Sessionis.

PLACETNE vobis, proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse in futuris Kalendis Septembris? *Responderunt*, PLACET.

(*) *In Lovaniensi:* in suis indictionibus.

SESSIO XII.

QUÆ EST SECUNDA
SUB JULIO III. PONT. MAX.
CELEBRATA DIE PRIMA SEPT.
M D L I.

Decretum prorogationis Sessionis.

SACROSANCTA Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nunciis, quæ in proxime præterita Sessione sequentem hanc hodie habendam, & ad ulteriora procedendum esse, decreverat, cum ob inclytæ Germanicæ nationis, cujus præcipue causa agitur, absentiam, ac non magnam cæterorum Patrum frequentiam procedere hactenus distulerit; de Venerabilium in Christo Fratrum, & Filiorum suorum, Maguntini, & Treverensis, Archi-Episcoporum, ac Sacri Romani Imperii Principum Electorum, & complurium ipsius, aliarumque Provinciarum Episcoporum, sub hanc ipsam diem adventu in Domino exultans, & dignas ipsi omnipotenti Deo agens gratias, firmamque spem concipiens, quamplurimos alios, tam ipsius Germanicæ, quam aliarum nationum Prælatos, & sui officii debito, & hoc exemplo commotos, propediem esse venturos, futuram Sessionem ad quadragesimam diem, quæ erit undecima mensis Octobris, proxime sequentis, indicit; & Concilium ipsum in statu, in quo reperitur, prosequendo, cum in præteritis Sessionibus de septem Sacramentis novæ legis in genere, & in specie de Baptismate, & Confirmatione definitum fuerit; statuit, & decernit, de Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, nec non, quod ad Reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem & commodiorem Prælatorum residentiam pertinent, agi & tractari debere; ac monet, & hortatur omnes Patres, ut interim, Domini nostri, JESU CHRISTI, exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, jejuniis, & orationibus vacent; ut tandem placatus, qui in sæcula sit benedictus, Deus corda hominum ad veræ suæ fidei agnitionem, & sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur.

SESSIO XIII.

QUÆ EST TERTIA
SUB JULIO III. PONT. MAX.
CELEBRATA DIE XI. OCTOB.
M D LI.

Decretum de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

SACROSANCTA Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nunciis, etsi in eum finem, non absque peculiari Spiritus Sancti ductu, & gubernatione convenerit, ut veram & antiquam de Fide & Sacramentis doctrinam exponeret, & ut hæresibus omnibus, & aliis gravissimis incommodis, quibus DEI Ecclesia misere nunc exagitatur, & in multas, & varias partes scinditur, remedium afferret; hoc præsertim jam inde a principio in votis habuit, (*a*) ut stirpitus convelleret zizania execrabilium errorum, & schismatum, quæ inimicus homo his nostris calamitosis temporibus, in doctrina fidei, usu, & cultu Sacrosanctæ Eucharistiæ superseminavit: quam alioqui Salvator noster in Ecclesia sua, tamquam Symbolum reliquit ejus unitatis, & caritatis; qua Christianos omnes inter se conjunctos, & copulatos esse voluit. Itaque eadem Sacrosancta Synodus sanam, & sinceram illam de Venerabili hoc & Divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens, quam semper Catholica Ecclesia, ab ipso JESU CHRISTO, Domino nostro, & ejus Apostolis erudita, atque a Spiritu Sancto, illi (*b*) omnem veritatem in dies suggerente, edocta, retinuit, & ad finem usque sæculi conservabit; omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de Sanctissima Eucharistia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quam ut est hoc præsenti Decreto explicatum, atque definitum.

De

(*a*) Matth. 13. (*b*) Luc. 22. Joan. 16.

De reali præsentia Domini nostri JESU CHRISTI in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

CAPUT I.

PRINCIPIO docet Sancta Synodus, & aperte, ac simpliciter profitetur, in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, (*c*) verum DEUM, atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, (*d*) ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, (*e*) possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, & constantissime credere debemus. Ita enim majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse; cum post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatus est. (*f*) Quæ verba a Sanctis Evangelistis commemorata, & (*g*) a Divo Paulo postea repetita, cum propriam illam, & apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis, & pravis hominibus ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas carnis, & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ, tamquam (*h*) columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut Satanica, detestata est, grato semper, & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

De ratione institutionis Sanctissimi hujus Sacramenti.

CAPUT II.

ERGO Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias Divini sui erga homines amoris velut effudit, (*i*) memoriam faciens mirabilium suorum; (*k*) & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: (*l*) Qui manducat me, & ipse vivet propter me: & tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis: adeoque symbolum unius illius corporis, (*m*) cujus ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima, fidei, spei, & caritatis connexione astrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, (*n*) nec essent in nobis schismata.

De excellentia Sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta.

CAPUT III.

COMMUNE hoc quidem est Sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem: verum illud in ea excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse Sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam (*o*) de manu

(*c*) Joan. 1. (*d*) Marc. 16. in fi. (*e*) Matt. 19.
(*f*) Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. (*g*) 1. Cor. 11. (*h*) 1. Timot. 3.
(*i*) Psal. 110. (*k*) 1. Cor. 11. Luc. 22. (*l*) Joan. 6.
(*m*) 1. Cor. 11. Ephes. 5. Roman. 12. 1. Cor. 5. (*n*) 1. Cor. 1.
(*o*) Matt. 26. Marc. 14.

nu Domini Apoſtoli ſuſceperunt, cum vere tamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe, quod præbebat. Et ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie una cum ipſius anima & Divinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie, ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, (*p*) qui jam ex mortuis ſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypoſtaticam unionem. Quapropter veriſſimum eſt, tantundem ſub alterutra ſpecie, atque ſub utraque contineri. Totus enim, & integer Chriſtus, ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte: totus item ſub vini ſpecie, & ſub ejus partibus exiſtit.

De Tranſubſtantiatione.

CAPUT IV.

Quoniam autem Chriſtus, Redemptor noſter, corpus ſuum id, (*q*) quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit; ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus, quæ converſio convenienter, & proprie a Sancta Catholica Eccleſia Tranſubſtantiatio eſt appellata.

De cultu, & veneratione, huic Sanctiſſimo Sacramento exhibenda.

CAPUT V.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant: neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit a Chriſto Domino, ut ſumatur, inſtitutum. Nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: (*r*) Et adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt: (*s*) quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe, Scriptura teſtatur. Declarat præterea ſancta Synodus, pie & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam, & feſto die præcelſum hoc, & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione, ac ſolemnitate celebraretur, utque in proceſſionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca publica circumferretur. Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione, gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum, (*t*) & Redemptorem, pro tam ineffabili, & plane Divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur. Atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere; ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant.

De aſſervando Sacræ Euchariſtiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo.

CAPUT VI.

Consuetudo aſſervandi in Sacrario Sanctam Euchariſtiam, adeo antiqua eſt, ut eam ſæculum etiam Niceni Concilii agnoverit. Porro deferri ipſam Sacram Euchariſtiam ad infirmos, & hunc uſum diligenter in Eccleſiis conſervari, præterquam quod cum ſumma æquitate, & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſervatum. Quare ſancta hæc Synodus retinendum omnino ſaluta-

(*p*) Rom. 6. (*q*) Lucæ 22. Joan. 6. 1. Cor. 11.
(*r*) Pſal. 96. Heb. 1. Matt. 2. & 28. (*s*) Luc. 24. (*t*) 1. Cor. 15. Heb. 2.

lutarem hunc, & necessarium morem statuit.

De præparatione, quæ adhibenda est, ut digne quis Sacram Eucharistiam percipiat.

CAPUT VII.

Si non decet, ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis Sanctitas, & Divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud (u) Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: (x) Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris, quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit; quamprimum confiteatur.

De usu admirabilis hujus Sacramenti.

CAPUT VIII.

Quoad usum autem, recte & sapienter Patres nostri tres rationes hoc Sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt Sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum spiritaliter, illos nimirum, qui voto propositum illum cælestem panem edentes, fide viva, (y) quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem sentiunt; tertios porro Sacramentaliter simul & spiritaliter; hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instruunt, (z) ut vestem nuptialem induti ad Divinam hanc mensam accedant. In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus Communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos, (a) tamquam ex traditione Apostolica descendens, jure, ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant, & concordent, memoresque tantæ Majestatis, & tam eximii amoris Jesu Christi, Domini nostri, (b) qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & carnem suam nobis dedit ad manducandum; hæc sacra mysteria corporis & sanguinis ejus fidei constantia, & firmitate, ea animi devotione, ea pietate, & cultu credant, & venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint; & is vere eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis; cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriam pervenire valeant, eundem (c) panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur, & refellantur errores; placuit Sanctæ Synodo hos Canones subjungere, ut omnes, jam agnita Catholica doctrina, intelligant quoque, quæ ab illis hæreses caveri vitarique debeant.

DE SACROSANCTO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

Si quis negaverit, in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem una cum anima, & Divinitate

(u) 1. Cor. 11. (x) Ibid. (y) Gal. 5. (z) Matt. 22.
(a) Heb. 5. & 7. (b) Joan. 6. (c) Psal. 77.

nitate Domini nostri, JESU CHRISTI, ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, una cum corpore, & sanguine Domini nostri, Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini: quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transsubstantiationem appellat; anathema sit.

CANON III.

Si quis negaverit, in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini nostri, Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post; & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini; anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus, secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum: vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, non licere, sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam: aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, & non etiam Sacramentaliter ac realiter; anathema sit.

CANON IX.

Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad Communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ; anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti se ipsum communicare; anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum; anathema sit. Et, ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem, sumatur; statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

CAPUT I.

Episcopi prudenter moribus caste informandis invigilent: ab eorum correctione non appelletur.

EADEM Sacrosancta Tridentina Synodus, Præsidentibus in ea eisdem sanctæ

ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato, & Nunciis, intendens nonnulla ſtatuere, quæ ad jurisdictionem pertinent Epiſcoporum; ut, juxta proximæ Seſſionis Decretum, illi in commiſſis ſibi Eccleſiis eo libentius reſideant, quo facilius, & commodius ſibi ſubjectos regere, & in vitæ, ac morum honeſtate continere potuerint; illud primum eos admonendos cenſet; (d) ut ſe Paſtores, non percuſſores, eſſe meminerint; atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, ut non in eis dominentur, ſed illos, tamquam filios, & fratres, diligant: elaborentque, ut hortando, & monendo ab illicitis deterreant; ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, (e) illa Apoſtoli eſt ab eis ſervanda præceptio; ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate, & patientia: cum ſæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam auſteritas; plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam poteſtas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit; tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt; ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſervetur; & qui correcti fuerint, emendentur; aut, ſi reſipiſcere noluerint, cæteri, ſalubri in eos animadverſionis exemplo, a vitiis deterreantur: cum ſit diligentis, & pii ſimul Paſtoris officium, morbis ovium lenia primum adhibere fomenta; poſt, ubi morbi gravitas ita poſtulet, ad acriora, & graviora remedia deſcendere; ſin autem ne ea quidem proficiant illis ſubmovendis, cæteras ſaltem oves a contagionis periculo liberare. Cum igitur rei criminum plerumque ad evitandas pœnas, & Epiſcoporum ſubterfugienda judicia, querelas & gravamina ſimulent: & appellationis diffugio judicis proceſſum impediant; ne remedio, ad innocentiæ præſidium inſtituto, ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque ut hujusmodi eorum calliditati, & tergiverſationi occurratur; ita ſtatuit, & decrevit: In cauſis viſitationis, & correctionis, ſive habilitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Epiſcopo, ſeu illius in Spiritualibus Vicario Generali, ante definitivam ſententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine, non appelletur: nec Epiſcopus, ſeu Vicarius appellationi hujusmodi, tamquam frivolæ, deferre teneatur; ſed, ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis judice emanata, nec non omni ſtylo, & conſuetudine, etiam immemorabili, contraria non obſtante, ad ulteriora valeat procedere; niſi gravamen hujusmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit: quibus caſibus ſacrorum, & antiquorum Canonum ſtatuta illibata perſiſtant.

CAPUT II.

In criminalibus appellatio ab Epiſcopo, quando Metropolitano, aut uni ex vicinioribus committenda.

A Sententia Epiſcopi, vel ipſius in Spiritualibus Vicarii Generalis, in criminalibus appellationis cauſa, ubi appellationi locus fuerit, ſi Apoſtolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano, ſeu illius etiam Vicario in Spiritualibus generali; aut, ſi ille aliqua de cauſa ſuſpectus foret, vel ultra duas legales diætas diſtet, ſeu ab ipſo appellatum fuerit; uni ex vicinioribus Epiſcopis, ſeu illorum Vicariis, non autem inferioribus Judicibus, committatur.

CAPUT III.

Acta primæ inſtantiæ intra triginta dies dentur gratis reo appellanti.

Reus, ab Epiſcopo, aut ejus Vicario in Spiritualibus generali, in criminali cauſa appellans, coram Judice, ad quem appellavit, acta primæ inſtantiæ omnino producat: & Judex, niſi illis viſis, ad ejus abſolutionem minime procedat. Is autem, a quo appellatum fuerit, intra XXX. dies acta ipſa poſtulanti gratis exhibeat: alioqui absque illis cauſa appellationis hujusmodi, prout juſtitia ſuaſerit, terminetur.

CAPUT

(d) Tit. 1. 1. Tim. 3. 1. Pet. 5.

(e) 2. Tim. 4.

CAPUT IV.

Qua ratione Clerici ob gravia delicta Sacris exauctorandi.

Cum vero tam gravia nonnunquam ſint delicta, ab Eccleſiaſticis commiſſa perſonis, ut ob eorum atrocitatem e ſacris Ordinibus deponendæ, & curiæ ſint tradendæ ſæculari: in quo ſecundum ſacros Canones certus Epiſcoporum numerus requiritur: quos ſi omnes adhibere difficile eſſet, debita juris executio differretur; ſi quando autem intervenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur: propterea ſtatuit, & decrevit: Epiſcopo per ſe, ſeu illius Vicarium in Spiritualibus generalem, contra Clericum, in ſacris etiam Presbyteratus Ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depoſitionem; & per ſeipſum etiam ad actualem, atque ſolemnem degradationem ab ipſis Ordinibus, & gradibus Eccleſiaſticis, in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia, in numero a Canonibus definito, requiritur, etiam abſque illis procedere liceat: adhibitis tamen & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, uſum mitræ & baculi ex privilegio Apoſtolico habentibus, ſi in civitate, aut Diœceſi reperiri, & commode intereſſe poſſint; alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, ac juris ſcientia commendabiles exiſtant.

CAPUT V.

Summarie cognoſcat Epiſcopus de gratiis, quibus peccatum remittitur, aut pœna.

Et quoniam per fictas cauſas, quæ tamen ſatis probabiles videntur, interdum accidit, ut nonnulli ejusmodi gratias extorqueant, per quas pœnæ, illis Epiſcoporum juſta ſeveritate inflictæ, aut remittuntur omnino, aut minuuntur; cum non ferendum ſit, ut mendacium, quod tantopere Deo diſplicet, non modo ipſum (*f*) impunitum ſit, verum etiam alterius delicti veniam impetret mentienti; iccirco, ut ſequitur, ſtatuit, & decrevit: Epiſcopus apud Eccleſiam ſuam reſidens, de ſubreptione, & obreptione gratiæ, quæ ſuper abſolutione alicujus publici criminis, vel delicti, de quo ipſe inquirere cœperat, aut remiſſione pœnæ, ad quam criminoſus per eum condemnatus fuerit, falſis precibus impetratur: per ſe ipſum, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, etiam ſummarie cognoſcat; ipſamque gratiam, poſtquam per falſi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam eſſe, legitime conſtiterit, non admittat.

CAPUT VI.

Non citetur perſonaliter Epiſcopus, niſi depoſitionis, aut privationis cauſa.

Quoniam vero ſubditi Epiſcopo, tametſi jure correpti fuerint, magnopere tamen eum odiſſe, & tamquam injuria affecti ſint, falſa illi crimina objicere ſolent; ut, quoquo pacto poſſint, ei moleſtiam exhibeant: cujus vexationis timor plerumque illum ad inquirenda, & punienda eorum delicta ſegniorem reddit: iccirco, ne is magno ſuo, & Eccleſiæ incommodo gregem ſibi creditum relinquere, ac non ſine Epiſcopalis dignitatis diminutione vagari cogatur; ita ſtatuit, & decrevit: Epiſcopus, niſi ob cauſam, ex qua deponendus, ſive privandus veniret, etiam ſi ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denunciationem, vel accuſationem, ſive alio quovis modo procedatur; ut perſonaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur.

CAPUT VII.

Qualitates teſtium contra Epiſcopum deſcribantur.

Testes in cauſa criminali ad informationem, vel (*) judicia, ſeu alias in cauſa principali contra Epiſcopum, niſi conteſtes, & bonæ converſationis, (**) & famæ fuerint, non recipiantur; & ſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerint, gravibus pœnis multentur.

CAPUT

(*f*) Exod. 23. Levit. 19. Proverb. 6. 8. 10. 12. & 19.
(*) *Pariſina & Lovanienſis*: indicia. (**) *In Pariſina*: exiſtimationis & famæ.

CAPUT VIII.

Graves Episcoporum causæ a Pontifice Maximo cognoscantur.

CAUSÆ Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Max. referantur, ac per ipsum terminentur.

DECRETUM PROROGATIOnis definitionis quatuor articulorum de Sacramento Eucharistiæ, & Salvi conductus, Protestantibus dandi.

EADEM Sancta Synodus errores omnes, qui super hoc Sanctissimo Sacramento repullularunt, tamquam vepres ex agro Dominico evellere, ac omnium fidelium saluti prospicere cupiens, quotidianis precibus DEO Omnipotenti pie oblatis, inter alios, ad hoc Sacramentum pertinentes, articulos diligentissima veritatis Catholicæ inquisitione tractatos, plurimis, accuratissimisque pro rerum gravitate disputationibus habitis, cognitis quoque præstantissimorum Theologorum sententiis, hos etiam tractabat: An necessarium sit ad salutem, & Divino jure præceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum Venerabile Sacramentum accipiant. Et: Num minus sumat, qui sub altera, quam qui sub utraque communicat. Et: An erraverit Sancta Mater Ecclesia, laicos, & non celebrantes Sacerdotes, sub panis specie dumtaxat communicando. Et: An parvuli etiam communicandi sint. Sed quoniam ex nobilissima Germaniæ Provincia ii, qui se Protestantes nominant, super his ipsis articulis, antequam definiantur, audiri a Sancta Synodo cupiunt, & eam ob causam fidem publicam ab illa postularunt, ut ipsis tuto huc venire, & in hac urbe commorari, ac libere coram Synodo dicere, atque proponere, quæ senserint, & postea, cum libuerit, recedere liceat: Sancta ipsa Synodus, licet magno desiderio eorum adventum multos antea menses expectarit, tamen, ut pia mater, quæ ingemiscit, & parturit, summopere id desiderans, ac laborans, ut in iis, qui Christiano nomine censentur, nulla sint schismata: sed quemadmodum eundem omnes Deum, & Redemptorem agnoscunt, ita idem dicant, idem credant, idem sapiant; confidens (*) Dei misericordia, & sperans fore, ut illi in sanctissimam & salutarem unius fidei, spei, caritatisque concordiam redigantur; libenter eis in hac re morem gerens, securitatem, & fidem, ut petierunt, publicam, quam salvum conductum vocant, quo ad se pertinet, ejus, qui infra scriptus erit, tenoris, dedit, atque concessit: & eorum causa definitionem illorum articulorum ad secundam Sessionem distulit; quam, ut illi commode interesse possent, in diem festum Conversionis D. Pauli, quæ erit vigesima quinta die mensis Januarii, anni sequentis, indixit. Illudque præterea statuit, ut in eadem Sessione de Sacrificio Missæ agatur, propter magnam utriusque rei connexionem. Interea Sessione proxima de Pœnitentiæ & extremæ Unctionis Sacramentis tractandum. Illam autem die festo D. Catharinæ Virginis, & Martyris, qui erit vigesima quinta Novembris, habendam esse decrevit, simulque, ut in utraque materiam Reformationis prosequatur.

SALVUS CONDUCTUS datus Protestantibus.

SACROSANCTA Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nunciis, omnibus, & singulis, sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus personis universæ Germaniæ, cujuscumque gradus, status, condicionis, qualitatis sint, quæ ad Oecumenicum hoc, & Generale Concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quæ in ipsa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere, & tractare, ac ad ipsum Oecumenicum Concilium libere, & tuto venire, & in eo manere, & commorari, ac articulos, quot illis videbitur, tam scripto, quam verbo, offerre, proponere, & cum Patribus, sive iis, qui ab ipsa Sancta Synodo delecti fuerint, conferre, & absque ullis conviciis, & contumeliis disputare, nec non, quando illis placuerit, recedere possint, & valeant, publicam fidem, & plenam securitatem, quam salvum conductum appellant,

(*) *In Parisina Harduini additur:* in.

lant, cum omnibus, & singulis clausulis, & decretis necessariis, & opportunis, etiam si specialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam Sanctam Synodum spectat, concedit. Placuit præterea Sanctæ Synodo, ut, si pro majori libertate, ac securitate eorum, certos tam pro commissis, quam pro committendis per eos delictis, Judices eis deputari cupiant, illos sibi benevolos nominent, etiam si delicta ipsa quantumcumque enormia, ac hæresim sapientia fuerint.

SESSIO XIV.

QUÆ EST QUARTA SUB JULIO III. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XXV. NOV. M D L I.

Doctrina de Sanctissimis Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis.

Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nunciis.

Quamvis in Decreto de Justificatione multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus; tanta nihilominus circa illud nostra hac ætate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidisse: in qua demonstratis, & convulsis, Spiritus Sancti præsidio, universis erroribus, Catholica veritas perspicua, & illustris fieret; quam nunc Sancta hæc Synodus Christianis omnibus perpetuo servandam proponit.

De necessitate, & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

CAPUT I.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam, in Baptismo, ipsius beneficio, & gratia, susceptam, constanter tuerentur; non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. (*g*) Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & Dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ; quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut, perversitate abjecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait: (*h*) Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: (*i*) Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis pœnitententiam commendans, dicebat: (*k*) Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Porro nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens: (*l*) Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica, tamquam hæreticos, explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commenticias interpretationes, qui verba illa ad potesta-

(*g*) Psal. 102. Ephes. 2. (*h*) Ezech. 18. (*i*) Luc. 13.
(*k*) Act. 2. (*l*) Joan. 20. Matt. 16.

lant, cum omnibus, & singulis clausulis, & decretis necessariis, & opportunis, etiam si specialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expressis haberi voluit, quantum ad ipsam Sanctam Synodum spectat, concedit. Placuit præterea Sanctæ Synodo, ut, si pro majori libertate, ac securitate eorum, certos tam pro commissis, quam pro committendis per eos delictis, Judices eis deputari cupiant, illos sibi benevolos nominent, etiam si delicta ipsa quantumcumque enormia, ac hæresim sapientia fuerint.

SESSIO XIV.

QUÆ EST QUARTA SUB JULIO III. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XXV. NOV. M D L I.

Doctrina de Sanctissimis Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis.

SACROSANCTA Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nunciis.

Quamvis in Decreto de Justificatione multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus; tanta nihilominus circa illud nostra hac ætate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidisse: in qua demonstratis, & convulsis, Spiritus Sancti præsidio, universis erroribus, Catholica veritas perspicua, & illustris fieret; quam nunc Sancta hæc Synodus Christianis omnibus perpetuo servandam proponit.

De necessitate, & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

CAPUT I.

SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam, in Baptismo, ipsius beneficio, & g[illegible] susceptam, constanter tuerentur: [illegible] fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remiss[illegible] esse institutum. (g) Quoniam [illegible] Deus, dives in misericordia, [illegible] figmentum nostrum; illis etiam [illegible] medium contulit, qui sese postea [illegible] cati servitutem, & Dæmonis pote[illegible] tradidissent, Sacramentum [illegible] nitentiæ; quo lapsis post Baptism[illegible] neficium mortis Christi applicatur. [illegible] quidem Pœnitentia universis [illegible] qui se mortali aliquo peccato [illegible] quovis tempore ad gratiam & [illegible] assequendam necessaria, [illegible] Baptismi Sacramento ablui pe[illegible] perversitate abjecta, & emenda[illegible] tam Dei offensionem cum pecca[illegible] & pio animi dolore detestaren[illegible] Propheta ait: (h) Convertimini [illegible] pœnitentiam ab omnibus iniquitat[illegible] stris, & non erit vobis in ruin[illegible] tas. Dominus etiam dixit: [illegible] nitentiam egeritis, omnes [illegible] tis. Et Princeps Apostolorum [illegible] peccatoribus Baptismo initiand[illegible] tentiam commendans, dicebat [illegible] nitentiam agite, & baptizetur [illegible] que vestrum. Porro nec ante [illegible] Christi Pœnitentia erat Sacram[illegible] est post adventum illius cui[illegible] Baptismum. Dominus autem [illegible] tum Pœnitentiæ tunc præcipue [illegible] cum a mortuis excitatus, insuffla[illegible] discipulos suos dicens: (l) [illegible] ritum Sanctum: quorum remiseritis pec[illegible] cata, remittuntur eis; & quorum retinue[illegible] ritis, retenta sunt. Quo tam insigni [illegible] cto, & verbis tam perspicuis [illegible] tem remittendi, & retinendi pecca[illegible] reconciliandos fideles, post Bap[illegible] lapsos, Apostolis, & eorum legitimis [illegible] cessoribus fuisse communicatam, [illegible] sorum Patrum consensus semper intelle[illegible] xit. Et Novatianos, remittendi pote[illegible] tem olim pertinaciter negantes, [illegible] ratione Ecclesia Catholica, tamquam [illegible] reticos, explosit atque condemnavit. [illegible] re verissimum hunc illorum verborum [illegible] mini sensum sancta hæc Synodus pro[illegible] & recipiens, damnat eorum comment[illegible] as interpretationes, qui verba illa ad [illegible]

(g) Psal. 102. Ephes. 2.
(h) Ezech. 18.
(i) Luc. 13.
(k) Act. 2.
(l) Joan. 20. Matt. 16.

testatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annunciandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

De differentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptismi.

CAPUT II.

CÆTERUM hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur. Nam præterquam quod materia, & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet: constat certe, Baptismi Ministrum Judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. (m) Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, judicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus (n) lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tamquam reos, sisti voluit: ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius est præterea Baptismi, & alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptismum enim Christum (o) induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, Divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

De partibus, & fructu hujus Sacramenti.

CAPUT III.

DOCET præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse. Ego te absolvo, &c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur. Sane vero res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus, & effectu hujus Sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui Pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt.

De Contritione.

CAPUT IV.

CONTRITIO, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius; & in homine post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc Contritionem, non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: (p) Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit: (q) Tibi soli peccavi, &

 malum

(m) 1. Cor. 5.
(n) 1. Cor. 12.
(o) Galat. 3.
(p) Ezech. 18.
(q) Psal. 50.

malum coram te feci: (r) Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: (s) Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ: & alios hujusmodi generis: facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit. Hoc enim timore utiliter (t) concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus, pœnitentiam egerunt & misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: quod numquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. Sed & falso docent, Contritionem esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam.

De Confessione.

CAPUT V.

Ex (u) institutione Sacramenti Pœnitentiæ, jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere: quia Dominus noster, JESUS CHRISTUS, (x) e terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum, sententiam pronuncient. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse: neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima (y) Decalogi præcepta commissa, quæ nonnumquam animum gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum, cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, (z) homines iræ filios, & Dei inimicos reddant; necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda Confessione, a Deo quærere. Itaque, dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia Divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt. Qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus, vulnus medico detegere; quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus innotescant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam, quam

(r) Psal. 6. (s) Esa. 38.
(u) Lucæ 5. & 17. Jac. 5. 1. Joan. 1.
(y) Deuter. 5. (z) Ephes. 2.
(t) Jonæ 3. Matt. 12. Lucæ 11.
(x) Joan. 20. Matt. 16.

quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione eſt, docere, circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe; aut unam tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem. Sed & impium eſt, Confesſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſsibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare. Conſtat enim, nihil aliud in Eccleſia a pœnitentibus exigi, quam ut, poſtquam quisque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum, eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: (*a*) Ab occultis meis munda me Domine. Ipſa vero hujusmodi Confesſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantisque commodis, & conſolationibus levaretur, quæ omnibus, digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per Abſolutionem certiſſime conferuntur. Cæterum, quo ad modum confitendi ſecreto apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publice confiteri poſſit: non eſt tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Unde cum a ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus, magno, unanimique conſenſu, ſecreta Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata; manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a Divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus, in Concilio Lateranenſi congregatis, initium habuiſſe docere non verentur. Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure Divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur. Unde jam in univerſa Eccleſia, cum ingenti animarum fidelium fructu, obſervatur mos ille ſalutaris confitendi, ſacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc ſancta Synodus maxime probat, & amplectitur, tamquam pium, & merito retinendum.

De miniſtro hujus Sacramenti, & Abſolutione.

CAPUT VI.

Circa miniſtrum autem hujus Sacramenti, declarat ſancta Synodus, falſas eſſe, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes, clavium miniſterium pernicioſe extendunt; putantes verba illa Domini: (*b*) Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt alligata & in cœlo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. (*c*) Et: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcue, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit; ſecreta vero per ſpontaneam Confeſſionem, cuicumque factam. Docet quoque, etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti, in ordinatione collatam, tamquam Chriſti miniſtros, functionem remittendi peccata exercere; eosdem prave ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Quamvis autem Abſolutio Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio; tamen non eſt ſolum nudum miniſterium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata: ſed ad inſtar actus judicialis; quo ab ipſo, velut a Judice, ſententia pronunciatur. Atque ideo non debet pœnitens adeo ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut, etiam ſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſerio agendi, & vere abſolvendi deſit; putet tamen ſe, propter ſuam ſolam fidem, vere,

(*a*) Pſal. 18. (*b*) Matth. 16. & 18. (*c*) Joan. 20.

vere, & coram Deo esse absolutum. Nec enim fides sine Pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret: nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret; & non alium, serio agentem, sedulo requireret.

De Casuum reservatione.

CAPUT VII.

QUONIAM igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere, Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus, absolverentur. Unde merito Pontifices Max. pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quo ad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est Divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt: extrà quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio Absolutionis accedant.

De satisfactionis necessitate, & fructu.

CAPUT VIII.

DEMUM, quo ad Satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu, impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt: Sancta Synodus declarat; falsum omnino esse, & a verbo Dei alienum, culpam a (*d*) Domino numquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim, & illustria in sacris literis exempla reperiuntur, quibus, præter Divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane & Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati, & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, scientes Templum (*e*) Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes; velut injurii, & (*f*) contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. (*g*) Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam imminentem a (*h*) Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo JEsu, (*i*) qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si

(*d*) Gen. 3. 2. Reg. 12. Num. 12. & 20. (*e*) 1. Cor. 3. Ephe. 4.
(*f*) Heb. 10. Rom. 2. (*g*) Ezech. 33. Jonæ 3. Hier. 3. 18. & 25.
(*h*) Esa. 30. Eccl. 17. Marc. 3. 4. 11. & 18. (*i*) Rom. 5. 1. Joan. 2. 2. Cor. 3. Rom. 8.

si compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per CHRISTUM JESUM. Nam qui ex nobis, tamquam ex nobis nihil possumus; eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur: sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ: qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut Satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent; nec propterea existimarunt, Sacramentum Pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarum, sicut nemo umquam Catholicus sensit ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, & satisfactionis Domini nostri, JESU CHRISTI, vel obscurari, vel aliqua ex parte imminui: quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam Pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem Satisfactionis vim, & usum tollant.

De operibus Satisfactionis.

CAPUT IX.

DOCET præterea, tantam esse Divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis, sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

DOCTRINA DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

VISUM est autem Sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea, quæ sequuntur de Sacramento extremæ Unctionis: quod non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus. Primum itaque circa illius institutionem, declarat, & docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio, munivit. Nam etsi adversarius noster (a) occasiones per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, si possit, Divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ (*) perspicit.

De Institutione Sacramenti extremæ Unctionis.

CAPUT I.

INSTITUTA est autem sacra hæc Unctio infirmorum, tamquam vere, & proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo, Domino nostro, apud Marcum (b) quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum (c), ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum. "Infirmatur, inquit, quis in vobis: inducat Presbyteros

(a) 1. Petr. 5. (b) Marc. 6. (c) Jac. 5. (*) *Parisina Harduini*: prospicit.

teros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: &, si in peccatis sit, dimittentur ei." Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione, per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum, ab Episcopo benedictum. Nam Unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat; formam deinde esse illa verba: Per istam unctionem, &c.

De effectu hujus Sacramenti.

CAPUT II.

Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: &, si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti: cujus Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert; & tentationibus Dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit: & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.

De Ministro hujus Sacramenti, & tempore, quo dari debeat.

CAPUT III.

Jam vero, quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere, & ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum. Nam & ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti Ministros esse Ecclesiæ Presbyteros. Quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt; sed aut Episcopi, aut Sacerdotes, ab ipsis rite ordinati, per impositionem manuum Presbyterii. Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam, & dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc Unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem: & qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset: & qui dicunt, ritum, & usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse: & denique, qui hanc extremam Unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium Mater, & Magistra, aliud in hac administranda Unctione, quantum ad ea, quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod Beatus Jacobus præscripsit. Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset.

Hæc sunt, quæ de Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis hæc sancta Oecumenica Synodus profitetur, & docet, atque omnibus Christi fidelibus credenda, & tenenda proponit. Sequentes autem Canones inviolabiliter servandos esse tradit, & asserentes contrarium perpetuo damnat, & anathematizat.

DE

DE SANCTISSIMO POENITENTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

SI quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo, Domino nostro, institutum; anathema sit.

CANON II.

Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint: atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, verba illa Domini (c) Salvatoris: "Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt:" non esse intelligenda, de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit.

CANON IV.

Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium; anathema sit.

CANON VI.

Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure Divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum; anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem Canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle Divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus, Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno; & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non con-

(c) Joan. 20. Matt. 16.

confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri Confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

CANON X.

Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum: "Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo: Et: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt": quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quo ad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, pro peccatis, quo ad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis, ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

CANON XIV.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

CANON XV.

Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium, & contra institutionem Christi; & fictionem esse, quod, virtute Clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

CANON I.

Si quis dixerit, extremam Unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, & a Beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, extremæ Unctionis ritum, & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ Beati Jacobi Apostoli, ideoque eum

eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes, ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremæ Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

PROOEMIUM.

Episcoporum munus esse, subditos, præsertim ad animarum curam constitutos, admonere officii sui.

Cum proprie Episcoporum munus sit, subditorum omnium vitia redarguere; hoc illis præcipue cavendum erit, ne Clerici, præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus, ducant. Nam, si eos pravis, & corruptis moribus esse permittant; quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis sermone convinci possent, quod Clericos ipsis (*) patiantur esse deteriores? Qua etiam libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes; cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quæ corripiunt? Monebunt propterea Episcopi suos Clericos, in quocumque ordine fuerint, ut conversatione, sermone, & scientia commisso sibi Dei populo præeant; memores ejus, quod scriptum est (*d*): Sancti estote, quia & ego sanctus sum. Et juxta Apostoli vocem: (*e*) Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum; sed in omnibus exhibeant se, sicut Ministros Dei; ne illud Prophetæ (*f*) dictum impleatur in eis: Sacerdotes Dei contaminant sancta, & reprobant legem. Ut autem ipsi Episcopi id liberius exequi, ac quoquam prætextu desuper impediri nequeant; eadem Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, Præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legato, & Nunciis, hos, qui sequuntur, Canones statuendos, & decernendos duxit.

CAPUT I.

Si prohibiti ascendere ad Ordines, ascendant: si interdicti, si suspensi, puniantur.

Cum honestius, ac tutius sit subjecto, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Præpositorum scandalo graduum aliorum (**) appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus; aut qui a suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & dignitates, sive honores, restitutio suffragetur.

CAPUT II.

Si Episcopus quoscunque Ordines contulerit sibi non subdito, etiam familiari, sine expresso proprii Prælati consensu, uterque decretæ pœnæ subjaceat.

Et, quoniam nonnulli Episcopi Ecclesiarum, quæ in partibus infidelium consistunt, Clero carentes, & populo Christiano, cum fere vagabundi sint, & permanentem sedem non habeant, non quæ Jesu Christi, sed alienas oves, inscio proprio Pastore, quærentes: dum per hanc sanctam Synodum se Pontificalia officia in alterius Diœcesi, nisi de loci Ordinarii expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum, exercere prohibitos vident; in legis fraudem, & contemptum, quasi Episcopalem Cathedram in loco nullius Diœcesis sua temeritate eligunt; & ques-

(*) *Parisina:* ipsi.
(*d*) Levit. 11. 19. & 20.
(*e*) 2. Cor. 6.
(*f*) Sophon. 3.
(**) *Parisina*: altiorum.

quoscumque ad ſe venientes, etiamſi ſuorum Epiſcoporum, ſeu Prælatorum literas commendaticias non habeant, Clericali charactere inſignire, & ad ſacros etiam Presbyteratus Ordines promovere præſumunt: quo plerumque fit, ut minus idonei, & rudes, ac ignari, & qui a ſuo Epiſcopo tamquam inhabiles, & indigni rejecti fuerunt, ordinati, nec Divina officia peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta recte valeant miniſtrare: Nemo Epiſcoporum, qui Titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cujusvis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis Privilegii, ſibi de promovendo quoscumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, absque ſui proprii Prælati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſoriis, ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel primam tonſuram promovere, ſeu ordinare valeat: Contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.

CAPUT III.

Epiſcopus ſuos Clericos, ab alio male promotos, non admittat ad officia celebranda, niſi prævio examine.

Episcopus quoscumque ſuos Clericos, præſertim in Sacris conſtitutos, absque ſuo præcedenti examine, & commendaticiis literis, quacumque auctoritate promotos, licet tamquam habiles ab eo, a quo ordinati ſunt, probatos; quos tamen ad Divina officia celebranda, ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda minus idoneos, & capaces repererit; a ſuſceptorum Ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, ſuſpendere, & illis, ne in altari, aut aliquo ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

CAPUT IV.

Nullus Clericus eximatur a correctione Epiſcopi, etiam extra Viſitationem.

Omnes Eccleſiarum Prælati, qui ad corrigendum ſubditorum exceſſus diligenter intendere debent, & a quibus nullus Clericus per hujus ſanctæ Synodi Statuta, cujusvis privilegii prætextu, tutus cenſetur, quo minus juxta Canonicas Sanctiones viſitari, puniri, & corrigi poſſit; ſi in Eccleſiis ſuis reſederint, quoscumque ſæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui alias ſuæ jurisdictioni ſubeſſent, de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, tamquam ad hoc Apoſtolicæ Sedis delegati, corrigendi, & caſtigandi facultatem habeant: quibuscumque exemptionibus, declarationibus, conſuetudinibus, ſententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum ſuos obligent auctores, ipſis Clericis, ac eorum conſanguineis, Capellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipſorum exemptorum contemplatione, & intuitu minime ſuffragantibus.

CAPUT V.

Conſervatorum jurisdictio certis finibus concluditur.

Insuper, cum nonnulli, qui ſub prætextu, quod ſuper bonis, & rebus, ac juribus ſuis diverſæ eis injuriæ, ac moleſtiæ inferantur, certos judices per literas Conſervatorias deputari obtinent, qui illos a moleſtiis, & injuriis hujusmodi tueantur, ac defendant, & in poſſeſſione, ſeu quaſi, bonorum, rerum, ac jurium ſuorum manuteneant, & conſervent, nec ſuper illis eos moleſtari permittant; ejusmodi literas in plerisque contra concedentis mentem in reprobum ſenſum detorqueant: iccirco nemini omnino, cujuscumque dignitatis, & condicionis ſit, etiam ſi Capitulum fuerit, Conſervatoriæ literæ, cum quibuscumque clauſulis, aut decretis, quorumcumque judicum deputatione

tione, quocumque etiam alio prætextu, aut colore concessæ, suffragentur ad hoc, ut coram suo Episcopo, sive alio Superiore Ordinario, in criminalibus, & mixtis causis accusari, & conveniri, ac contra eum inquiri, & procedi non possit: aut quo minus, si qua jura ei ex cessione competierint, super illis libere valeat apud judicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos Conservatores judices in judicium trahere minime liceat. Quod si in iis causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo Conservator ab actore suspectus esse dicatur; aut si qua inter ipsos judices, Conservatorem, & Ordinarium, controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit: nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros, in forma juris electos, super suspicione, aut jurisdictionis competentia fuerit judicatum. Familiaribus vero ejus, qui hujusmodi literis Conservatoriis tueri se solent, nihil illæ prosint, præterquam duobus dumtaxat; si tamen illi propriis ejus sumptibus vixerint. Nemo etiam similium literarum beneficio ultra quinquennium gaudere possit. Non liceat quoque Conservatoribus judicibus ullum habere tribunal erectum. In causis vero mercedum, aut miserabilium personarum, hujus sanctæ Synodi super hoc Decretum in suo robore permaneat. Universitates autem generales, ac Collegia Doctorum, seu scholarium, & regularia loca, nec non hospitalia, actu hospitalitatem servantia, ac Universitatum, Collegiorum, locorum, & hospitalium hujusmodi personæ in præsenti Canone minime comprehensæ, sed exemptæ omnino sint, & esse intelligantur.

CAPUT VI.

Pœna decernitur in Clericos, qui in Sacris constituti, aut beneficia possidentes, decenti sui ordinis veste non induuntur.

Quia vero, etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant: tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, religionisque contemptus, ut, propriam dignitatem, & honorem Clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in Divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes Ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum Clericalem, illorum ordini, & dignitati congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint; per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, redditibus, & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum hujusmodi coerceri possint, & debeant: Constitutionem Clementis Quinti, in Concilio Viennensi editam, quæ incipit: Quoniam, innovando, & ampliando.

CAPUT VII.

Voluntarii homicidæ nunquam, casuales quomodo ordinandi.

Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari avelli debeat: qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, (*) conferri liceat; sed omni Ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & alta-

(*) *Parisina:* conferre.

altaris ministerium, & beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo; qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

CAPUT VIII.

Nulli alienos Clericos punire liceat.

Præterea, quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri sunt Pastores, ac proprias oves habent, alienis etiam ovibus præesse quærunt: & ita alienis subditis quandoque intendunt, ut suorum curam negligant; quicumque, etiam Episcopali præditus dignitate, qui alienos subditos puniendi privilegium habuerit, contra Clericos sibi non subditos, præsertim in Sacris constitutos, quorumcumque etiam atrocium criminum reos, nisi cum proprii ipsorum Clericorum Episcopi, si apud Ecclesiam resederit, aut personæ ab ipso Episcopo deputandæ interventu, nequaquam procedere debeat: alias processus, & inde secuta quæcumque viribus omnino careant.

CAPUT IX.

Beneficia unius Diœcesis nullo prætextu uniantur beneficiis alterius.

Et, quia jure optimo distinctæ fuerunt Diœceses, & Parochiæ, ac unicuique gregi proprii attributi Pastores, & inferiorum Ecclesiarum Rectores, qui, suarum quisque ovium, curam habeant, ut ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una & eadem Ecclesia duarum quodammodo Diœcesum fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint: beneficia unius Diœcesis, etiam si Parochiales Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum Divinum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quacumque de causa, alterius Diœcesis beneficio, aut Monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio, perpetuo non uniantur: Decretum hujus sanctæ Synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando.

CAPUT X.

Regularia beneficia Regularibus conferantur.

Regularia beneficia, in titulum Regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino, lanaque contextam induant, conferantur.

CAPUT XI.

Translati ad alium Ordinem in claustro sub obedientia maneant, & beneficiorum Sæcularium incapaces existant.

Quia vero Regulares, de uno ad alium ordinem translati, facile a suo Superiore licentiam standi extra Monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur: nemo cujuscumque ordinis Prælatus, vel Superior, vigore cujusvis facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat; ac taliter translatus, etiam si Canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia sæcularia, etiam curata, omnino incapax existat.

CAPUT XII.

Jus Patronatus nemo nisi ex fundatione, vel dotatione obtineat.

Nemo, etiam cujusvis dignitatis Ecclesiasticæ, vel sæcularis, quacumque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & construxerit; seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis pro-

propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit; jus Patronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat. In casu autem fundationis, aut dotationis, hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

CAPUT XIII.

Præsentatio fiat Ordinario, alias institutio sit nulla.

Non liceat præterea Patrono cujusvis privilegii prætextu aliquem ad beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci Ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præsentare: alias præsentatio, ac institutio, forsan secutæ, nullæ sint, & esse intelligantur.

CAPUT XV.

Tractandum deinceps de Missa, Ordine, & Reformatione.

Declarat præterea sancta Synodus, in futura Sessione, quam ad XXV. diem Jan. subsequentis anni M. D. LII. habendam esse jam decrevit; una cum Sacrificio Missæ agendum & tractandum etiam esse de Sacramento Ordinis, & prosequendam esse materiam Reformationis.

SESSIO XV.

QUÆ EST QUINTA SUB JULIO III. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XXV. JAN. M D L II.

Decretum prorogationis Sessionis.

Cum ex eo, quod proximis Sessionibus decretum fuit, sancta hæc, & universalis Synodus per hos dies accuratissime, diligentissimeque tractaverit ea, quæ ad sanctissimum Missæ sacrificium, & ad Sacramentum Ordinis spectant; ut hodierna Sessione, quemadmodum Spiritus Sanctus suggessisset, decreta de his rebus, & quatuor præterea articulos ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinentes, in hanc tandem Sessionem dilatos publicaret; atque interim affuturos esse putaverit ad hoc sacrosanctum Concilium eos, qui Protestantes se vocant, quorum causa eorum publicationem articulorum distulerat; & ut libere, ac sine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam, sive Salvum conductum concesserat: tamen, cum illi nondum venerint; & eorum nomine supplicatum huic sanctæ Synodo fuerit, ut publicatio, quæ hodierno die facienda fuerat, in sequentem Sessionem differatur, certa spe allata, affuturos eos esse omnino multo ante illam Sessionem, salvo conductu amplioris formæ interim accepto; eadem sancta Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, iisdem Legato, & Nunciis præsidentibus, nihil magis optans, quam ex præstantissima natione Germanica omnes de religione dissensiones, & schismata tollere, ac ejus quieti, paci, otioque consulere; parata, ipsos, si venerint, & humaniter excipere, & benigne audire; confidensque eos non fidei Catholicæ pertinaciter oppugnandæ, sed veritatis cognoscendæ studio esse venturos, &, ut Evangelicæ veritatis studiosos decet, sanctæ Matris Ecclesiæ Decretis, ac disciplinæ ad extremum esse acquieturos; sequentem Sessionem ad edenda, & publicanda ea, quæ supra commemorata sunt, in diem festum sancti Josephi, qui erit die XIX. mensis Martii, distulit; ut satis illi temporis, & spatii habeant, non solum ad veniendum, verum etiam ad ea, quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda. Quibus ut omnem cunctandi diutius causam adimat; fidem publicam, sive salvum conductum, ejus, qui recitabitur, tenoris, & sententiæ, libenter dat, & concedit. Interea vero de Matrimonii Sacramento agendum, & de eo, præter superiorum decretorum publicationem, definiendum esse, eadem Sessione statuit; & decernit, & prosequendam esse materiam Reformationis.

SALVUS CONDUCTUS datus Protestantibus.

SAcrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nunciis, inhærendo Salvo conductui, in penultima Sessione dato, & illum, juxta tenorem infrascriptum, ampliando, Universis fidem facit, quod omnibus, & singulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus, popularibus, & aliis quibuscumque viris, cujuscumque status, & condicionis, aut qualitatis existant, Germanicæ Provinciæ, & Nationis civitatibus, & aliis locis ejusdem, & omnibus aliis Ecclesiasticis, & sæcularibus, præsertim Augustanæ confessionis, personis, qui, aut quæ una cum ipsis ad hoc Generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi sunt, aut hucusque venerunt, quocumque nomine censeantur, aut valeant nuncupari, tenore præsentium publicam fidem, & plenissimam, verissimamque securitatem, quam salvum conductum appellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, & omnia, quæcumque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto, quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque Scripturis sacris, & Beatorum Patrum verbis, sententiis, & rationibus declarandi, astruendi, & persuadendi, &, si opus fuerit, etiam ad objecta Concilii Generalis respondendi; & cum iis, qui a Concilio delecti fuerint, disputandi Christiane (*), aut caritative, absque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviciis, ac contumeliis penitus semotis: & signanter quod causæ controversæ, secundum sacram Scripturam, & Apostolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, & Sanctorum Patrum auctoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, ut religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum minime puniantur: impartitur, ac omnino concedit; sic etiam, ut propter illorum præsentiam neque in itinere, aut quocumque locorum, eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a Divinis officiis quovis modo cessetur. Et ut, his peractis, vel non peractis, quandocumque ipsis libuerit; aut majorum suorum mandato, & assensu ad propria reverti optabunt; aut aliquis eorum optabit; mox absque ulla renitentia, & occasione, aut mora, salvis rebus eorum, & suorum pariter honore, & personis, vice versa, possint juxta beneplacitum libere, & secure redire, de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum; ut tunc opportune eorum securitati, absque dolo, & fraude provideatur. Vult etiam Sancta Synodus in hac publica fide, salvoque conductu, omnes quascumque clausulas includi, ac contineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena, efficaci, & sufficienti securitate, in eundo, stando, & redeundo, necessariæ, & opportunæ fuerint. Illud etiam, ad majorem securitatem, & pacis, ac (**) conciliationis bonum, exprimens, quod, si quispiam, aut illorum aliqui, sive in itinere, Tridentum veniendo, sive ibidem morando, aut redeundo; aliquod enorme, quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset hujus fidei publicæ, & assecurationis beneficium, eis concessum, annullari, aut cassari; vult, & concedit, ut in hujusmodi facinore deprehensi, ab ipsis dumtaxat, & non ab aliis, condigna animadversione, cum emenda sufficienti, per partem ipsius Synodi merito approbanda, & laudanda, mox puniantur; illorum assecurationis forma, condicionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut si quisquam, vel aliqui ex ipsa Synodo, sive in itinere, aut manendo, aut redeundo aliquod enorme, quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset hujus fidei publicæ & assecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli; in hujusmodi facinore deprehensi, ab ipsa Synodo dumtaxat, & non ab aliis condigna animadversione, & emenda sufficienti, per partem Dominorum Germanorum Augustanæ confessionis, tunc hic præsentium, merito laudanda, & approbanda, mox puniantur; præsenti assecurationis forma, condicionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipsa Synodus, quod liceat ipsis Ambasciatoribus, omnibus, & singulis, toties, quotiescumque opportunum fuerit, seu necessarium, ad auram capiendam exire de civitate Tridentina, & reverti ad eandem, nec non nuncium, vel nuncios suos ad quæcumque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere, seu destinare, ac ipsos missos, seu destinatos, seu missum, & destinatum suscipere toties, quoties eis videbitur expedire; ita quod

(*) *In editione Romana, quam secutus fuit Harduinus, ea vox:* Christiane, *non legebatur. Vide Tom. X. Concilior. Harduin. col.* 107.

(**) *Apud Harduinum:* reconciliationis.

quod aliqui, vel aliquis per deputandos Concilii sociantur, qui eorum securitati provideant, vel provideat. Qui quidem salvus conductus, & securitas stare ac durare debeat, a tempore, & per tempus, quo in ipsius Synodi, & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, & rursum, post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum præmisso, cum ipsi petierint; aut Concilium, habita hujusmodi audientia, ipsis recessum indixerit, a Tridento usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum, Deo favente, restituet, dolo, & fraude prorsus exclusis. Quæ quidem omnia pro universis, & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus quibuscumque, atque omnibus aliis Ecclesiasticis & sæcularibus personis, cujuscumque status, & condicionis existant, aut quocumque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit, & bona fide spondet.

Insuper, omni fraude, & dolo exclusis, vera, & bona fide promittit, ipsam Synodum nullam vel manifeste, vel occulte occasionem quæsituram; aut aliqua auctoritate, potentia, jure, vel statuto, privilegio Legum, vel Canonum, aut quorumcumque Conciliorum, præsertim Constantiensis, & Senensis, quacumque forma verborum expressa, in aliquod hujus fidei publicæ, & plenissimæ assecurationis, ac publicæ, & liberæ audientiæ, ipsis per ipsam Synodum concessæ, præjudicium quovis modo usuram, aut quemquam uti permissuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si Sancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel suis, cujuscumque condicionis, vel status, aut præeminentiæ existens, præscriptæ assecurationis, & salvi conductus formam & modum in quocumque puncto vel clausula violaverit; quod tamen avertere dignetur Omnipotens; & sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, & ipsorum arbitrio merito approbanda, & laudanda; habeant ipsam Synodum, & habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas jure Divino, & humano, aut consuetudine, hujusmodi salvorum conductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione, aut quavis in hac parte contradictione.

In editione Petri Crabbe, & Laur. Surii additur:

Datum Tridenti, in Sessione publica die vigesimo quinto Januarii, MDLII.

SESSIO XVI.

QUÆ EST SEXTA, ET ULTIMA SUB JULIO III. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XXVIII. APR. MDLII.

Decretum Suspensionis Concilii.

SACROSANCTA Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea Reverendissimis Dominis, Sebastiano, Archi-Episcopo Sipontino, & Aloysio, Episcopo Veronensi, Apostolicis Nunciis, tam eorum proprio, quam Reverendissimi, & Illustrissimi Domini Marcelli, tit. S. Marcelli Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Crescentii, Legati, ob adversam ejus gravissimam valetudinem absentis, nomine: non dubitat Christianis omnibus patere, hoc Concilium Oecumenicum Tridentum primo a PAULO fel. rec. convocatum, & collectum fuisse; deinde a Sanctissimo Domino nostro, JULIO III. efflagitante CAROLO Quinto, Augustissimo Imperatore, ea præcipue de causa fuisse restitutum, ut religionem in multis orbis partibus, & præsertim in Germania, in diversas opiniones miserabiliter distractam, in statum pristinum revocaret, abusus, & mores Christianorum corruptissimos emendaret: cumque ad hoc agendum quamplurimi Patres, nulla laborum suorum, periculorumque habita ratione, e diversis regionibus alacriter confluxissent; resque strenue, magno fidelium concursu, feliciterque procederet; ac spes esset non levis, illos Germanos, qui eas novitates excitarant, in Concilium venturos, sic animatos, ut veris Ecclesiæ rationibus unanimiter acquiescerent; lux denique quædam rebus affulsisse videretur; caputque attollere inciperet profligata antea, & afflicta Respublica Christiana: ii repente tumultus, ea bella, hostis generis humani versutia, exarserunt, ut Concilium velut hærere, ac suum cursum interrumpere satis incommode cogeretur; spesque omnis ulterioris progressus hoc in tempore tolleretur: tantumque aberat, ut sancta Syno-

Synodus Christianorum malis, & incommodis mederetur; ut multorum mentes, præter sui animi sententiam, irritaret potius, quam placaret. Cum igitur ipsa sancta Synodus, omnia, & præcipue Germaniam armis ardere, & discordiis, videret: omnes fere Episcopos Germanos, præsertim Principes Electores, suis consultum Ecclesiis e Concilio abiisse; decrevit tantæ necessitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere; ut Patres, quod eis nunc agere non licet, suis ovibus prospectum ad suas Ecclesias regredi valerent; ne diutius utrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam sic temporum condicio tulit, hujus Oecumenici Concilii Tridentini progressum per biennium suspendendum fore decernit, prout præsenti Decreto suspendit, ea tamen lege, ut, si citius pacata res sit, ac tranquillitas pristina revertatur, quod sperat DEI Optimi Maximi beneficio non longo fors spatio futurum, ipsius Concilii progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem, vigoremque habere censeatur. Sin autem, quod Deus avertat, peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint submota; cum primum cessaverint, talis suspensio eo ipso sublata esse intelligatur: ac suus vigor, & robur Concilio sit restitutum, & esse intelligatur, sine alia nova Concilii convocatione, accedente ad hoc Decretum consensu, & auctoritate Sanctitatis suæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ.

Interea tamen eadem Sancta Synodus exhortatur omnes Principes Christianos, & omnes Prælatos, ut observent, & respective, quatenus ad eos spectat, observare (*) faciant in suis Regnis, Dominiis, & Ecclesiis omnia, & singula, quæ per hoc Sacrum Oecumenicum Concilium fuerunt hactenus statuta, & decreta.

(*) *Harduinus:* observari.

BULLA CELEBRATIONIS
CONCILII TRIDENTINI.
SUB PIO IV. Pont. Max.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Ad Ecclesiæ regimen, licet tanto oneri impares, sola Dei dignatione vocati, statim circumferentes mentis oculos per omnes Reipublicæ Christianæ partes, cernentesque non sine magno horrore, quam longe, lateque pestis hæresum, & schismatis pervasisset, & quanta Christiani populi mores correctione indigerent; in eam curam, & cogitationem, pro suscepti muneris officio, incumbere cœpimus, quemadmodum ipsas hæreses extirpare, tantumque, & tam perniciosum schisma tollere, moresque adeo corruptos, & depravatos emendare possemus. Cum autem intelligeremus, ad hæc sananda mala aptissimum esse remedium, quod sancta hæc Sedes adhibere consuevisset, Oecumenici Generalisque Concilii; ejus congregandi, &, Dei juvante, celebrandi consilium cepimus. Indictum illud quidem ante fuit a fel. rec. Paulo III. & ejus Successore Julio, Prædecessoribus nostris; sed variis de causis sæpius impeditum, & interpellatum perfici non potuit, siquidem Paulus, cum id primo in urbem Mantuam, deinde Vincentiam indixisset; quasdam ob causas, in literis ejus expressas, id primo suspendit, postea Tridentum transtulit: deinde cum quibusdam de causis ibi quoque ejus celebrandi tempus dilatum fuisset, tandem suspensione sublata, in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit. Verum Sessionibus aliquot habitis, & nonnullis Decretis factis, ipsum se postea Concilium, aliquibus de causis, accedente etiam Sedis Apostolicæ auctoritate, Bononiam transtulit. Julius autem, qui ei successit, in eandem civitatem Tridentinam id revocavit. Quo quidem tempore facta alia quædam decreta sunt. Sed cum novi in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuissent; & bellum in Italia, & Gallia gravissimum exarsisset; rursus Con-

Concilium suspensum, & dilatum fuit, adnitente nimirum humani generis hoste, aliasque ex aliis difficultates, & impedimenta objiciente, ut tantum Ecclesiæ commodum, quod prorsus auferre non poterat, saltem quam diutissime retardaret. Quantopere vero interea auctæ fuerint, & multiplcatæ, ac propagatæ hæreses; quantopere schisma creverit; sine maximo animi dolore nec meminisse possumus, nec referre. Sed tandem pius, & misericors Dominus, qui numquam ita irascitur, ut misericordiæ obliviscatur; Regibus, & Principibus Christianis pacem, & unanimitatem donare dignatus est. Qua nos occasione oblata, maximam in spem venimus, ipsius misericordia freti, fore, ut his tantis quoque Ecclesiæ malis eadem Concilii via finis imponatur. Nos itaque, ad schisma, hæresesque tollendas, ad corrigendos, & reformandos mores, ad pacem inter Christianos Principes conservandam, celebrationem ejus non esse duximus diutius differendam. Habita igitur cum Venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione matura, factis etiam consilii nostri certioribus Carissimis in Christo Filiis nostris, FERDINANDO Romanorum Imperatore electo, & aliis Regibus, atque Principibus; quos quidem, sicut de eorum summa pietate, & sapientia nobis pollicebamur, paratissimos ad ipsius Concilii celebrationem adjuvandam invenimus; ad DEI Omnipotentis laudem, honorem, & gloriam, atque universalis Ecclesiæ utilitatem, de eorundem Fratrum nostrorum consilio, & assensu, Sacrum Oecumenicum, & Generale Concilium, ex auctoritate ejusdem DEI, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum, qua nos quoque in terris fungimur, freti, & subnixi, in civitate Tridentina, ad sacratissimum diem Resurrectionis Dominicæ proxime futurum indicimus, & ibi celebrandum, sublata suspensione quacumque, statuimus, atque decernimus. Quocirca Venerabiles Fratres nostros, omnibus ex locis, Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, cæterosque, quibus in Concilio Generali sedere, & sententiam dicere, jure communi, vel ex privilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur, & monemus, atque etiam districte præcipiendo mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ, in vi quoque juramenti, quod præstiterunt, & sub pœnis, quas in eos, qui ad Concilia generalia convenire neglexerint, sacris sciunt esse Canonibus constitutas, ut ad Concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem; nisi forte impedimento fuerint legitimo præpediti: quod tamen impedimentum per legitimos Procuratores Synodo probare debebunt. Monemus præterea omnes, & singulos, quorum interest, interesseve poterit, ut in Concilio adesse ne negligant. Carissimos vero in Christo Filios nostros, Romanorum Imperatorem electum, cæterosque Reges, & Principes, quos optandum sane esset, Concilio interesse posse, hortamur, & rogamus, ut, si ipsi Concilio interesse non potuerint, at Oratores suos, prudentes, graves, & pios viros, utique mittant, qui ipsorum nomine illi intersint, curentque diligenter pro sua pietate, ut ex eorum Regnis, atque Dominiis Prælati sine recusatione, ac mora, tam necessario tempore, Deo & Ecclesiæ officium suum præstent: eosdem etiam curaturos esse minime dubitantes, ut per ipsorum Regna, & Dominia tutum, ac liberum iter Prælatis, eorumque familiaribus, Comitibus, & aliis omnibus ad Concilium euntibus, & ab illo redeuntibus pateat; benigneque, ac comiter omnibus in locis recipiantur, atque tractentur; sicut, quod ad nos attinet, ipsi quoque curabimus; qui nihil omnino prætermittere decrevimus, quod ad tam pium, & salutare opus perficiendum, a nobis, in hoc loco constitutis, præstari possit: nihil, ut Deus scit, quærentes aliud, nihil propositum habentes in hoc Concilio celebrando, nisi honorem ipsius Dei, dispersarum ovium reductionem, ac salutem, & perpetuam Christianæ Reipublicæ tranquillitatem, ac quietem. Ut vero hæ literæ, & quæ in eis continentur, ad omnium, quorum oportet, notitiam perveniant; nec quisquam ea excusatione uti possit, quod illa ignoraverit, præsertim cum non ad omnes, quos de his literis certiores fieri oporteret, tutus forsitan pateat aditus;

volumus, & mandamus, ut in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus, ut Missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam clara voce a Curiæ nostræ Cursoribus, seu Notariis aliquibus publicis recitentur; & postquam recitatæ fuerint, ad valvas earum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito Campi Floræ affigantur; ibique, quo legi, & omnibus innotescere possint, aliquandiu relinquantur: cum autem inde amovebuntur, earum exempla in eisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem, & affixionem omnes, & singulos, qui his literis comprehenduntur, post duos menses a die publicationis, & affixionis eorum, volumus perinde astrictos, & obligatos esse, ac si ipsismet illæ coram editæ, & lectæ fuissent. Transumptis quoque earum, quæ manu publici alicujus Notarii scripta, subscriptave, & sigillo, & subscriptione alicujus personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munita fuerint, ut sine dubitatione ulla fides habeatur, mandamus, atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ indictionis, Statuti, Decreti, præcepti, admonitionis, & adhortationis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, M.D.LX. III. Kal. Dec. Pontificatus nostri anno primo.

ANTONIUS FLOREBELLUS.

Barengus.

SACROSANCTI OECUMENICI, ET GENERALIS CONCILII TRIDENTINI

SESSIO XVII.

QUÆ EST PRIMA SUB PIO IV. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XVIII. JAN. M D LXII.

Decretum de celebrando Concilio.

PLACETNE vobis, ad laudem, & gloriam Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad incrementum & exaltationem Fidei, & Religionis Christianæ, Sacrum Oecumenicum, & Generale Concilium Tridentinum, in Spiritu Sancto legitime congregatum, ab hodierno die, qui est XVIII. mensis Jan. anni a Nativitate Domini M.D.LXII. Cathedræ Romanæ Beati Petri, Apostolorum Principis, consecrato, sublata quacumque suspensione, juxta formam, & tenorem literarum Sanctissimi Domini nostri PII IV. Pont. Max. celebrari, & in eo ea, debito servato ordine, tractari, quæ proponentibus Legatis, ac Præsidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram atque Christianam pacem conciliandam apta & idonea ipsi Sanctæ Synodo videbuntur? *Responderunt, PLACET.*

Indictio futuræ Sessionis.

PLACETNE vobis, proximam futuram Sessionem habendam & celebrandam esse feria quinta, post secundam Dominicam Quadragesimæ, quæ erit die XXVI. mensis Februarii? *Responderunt, PLACET.*

SESSIO XVIII.

QUÆ EST SECUNDA
SUB PIO IV. PONT. MAX.
CELEBRATA DIE XXVI. FEB.
M D LXII.

Decretum de librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica invitandis.

SACROSANCTA Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, non humanis quidem viribus confisa, sed Domini nostri, Jesu Christi, qui os, (a) & sapientiam Ecclesiæ suæ daturum se promisit, ope & auxilio freta, illud præcipue cogitat, ut Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter se dissidentium opinionibus, pluribus locis inquinatam, & obscuratam, & in suam puritatem, & splendorem aliquando restituat; & mores, qui a veteri instituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem revocet; corque (b) Patrum ad filios, & cor filiorum ad patres convertat. Cum itaque omnium primum animadverterit, hoc tempore suspectorum, ac perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longe lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse; quod quidem in causa fuit, ut multæ censuræ in variis Provinciis, & præsertim in alma Urbe Roma, pio quodam zelo, editæ fuerint; neque tamen huic tam magno, ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam, censuit, ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris, librisque, quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eandem sanctam Synodum suo tempore referrent; quo facilius ipsa possit varias & peregrinas doctrinas, tamquam (c) zizania, a Christianæ veritatis tritico separare; deque his commodius deliberare, & statuere, quæ ad scrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum causas, magis opportuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcumque deducta esse vult, prout etiam præsenti Decreto deducit: ut, si quis ad se pertinere aliquo modo putaverit, quæ vel de hoc librorum, & censurarum negotio, vel de aliis, quæ in hoc Generali Concilio tractanda prædixit; non dubitet a sancta Synodo se benigne auditum iri.

QUONIAM vero eadem sancta Synodus ex corde optat, Deumque enixe rogat, quæ ad pacem sunt Ecclesiæ, ut universi communem matrem in terris agnoscentes, quæ, quos (d) peperit, oblivisci non potest, unanimes, (e) uno ore, glorificemus Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi; per viscera misericordiæ ejusdem Dei & Domini nostri, omnes, qui nobiscum communionem non habent, ad concordiam & reconciliationem, & ut ad hanc sanctam Synodum veniant, invitat atque hortatur; utque caritatem, (f) quod est vinculum perfectionis, amplectantur; pacemque Christi, exultantem in cordibus suis, præ se ferant, in quam vocati sunt, in uno corpore. Hanc ergo non humanam, sed Spiritus Sancti vocem audientes, ne obdurent corda sua: sed in suo sensu non ambulantes, neque sibi placentes, ad tam piam, & salutarem matris suæ admonitionem excitentur, & convertantur. Omnibus enim caritatis officiis sancta Synodus eos ut invitat, ita complectetur.

INSUPER eadem sancta Synodus decrevit, fidem publicam in Congregatione generali concedi posse, & eandem vim habituram, ejusdemque roboris & momenti futuram, ac si in publica Sessione data, & Decreta fuisset.

Indictio futuræ Sessionis.

EADEM Sacrosancta Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, statuit, & decernit, proximam futuram Sessionem habendam & celebrandam esse feria quinta, post Sacratissimum Festum Ascensionis Domini; quæ erit die XIV. Mensis Maji.

SAL-

(a) Luc. 21. (b) Luc. 1. (c) Matt. 13. (d) Isa. c. 49.
(e) Rom. 15. (f) Coloss. 3.

SALVUS CONDUCTUS CONCESSUS GERMANICÆ NATIONI,

IN CONGREGATIONE GENERALI, DIE IV. MARTII, M.D.LXII.

Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Sedis Apostolicæ Legatis, Universis fidem facit, quod omnibus, & singulis Sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, militaribus, popularibus, & aliis quibuscumque viris, cujuscumque status, & condicionis, aut qualitatis existant, Germanicæ Provinciæ, & nationis, civitatibus, ac aliis locis ejusdem, & omnibus aliis Ecclesiasticis, & Sæcularibus, præsertim Augustanæ confessionis, personis, qui, aut quæ una cum ipsis ad hoc Generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, ac profecturi sunt, aut hucusque venerunt, quocumque nomine censeantur, aut valeant nuncupari, tenore præsentium publicam fidem, & plenissimam, verissimamque securitatem, quam Salvum conductum appellant, libere ad hanc civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, & omnia, quæcumque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet, tam scripto, quam verbo, libere offerendi, propalandi, eosque Scripturis Sacris, & Beatorum Patrum verbis, sententiis, & rationibus declarandi, astruendi, & persuadendi, &, si opus fuerit, etiam ad objecta Concilii Generalis respondendi, & cum iis, qui a Concilio delecti fuerint, disputandi, aut caritative absque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviciis, ac contumeliis penitus semotis; & signanter, quod causæ controversæ secundum sacram Scripturam, & Apostolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, & Sanctorum Patrum auctoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, ut Religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum, minime puniantur, impertitur, ac omnino concedit; sic etiam, ut propter illorum præsentiam neque in itinere, aut quocumque locorum eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a Divinis officiis quovis modo cessetur. Et ut, his peractis, vel non peractis, quandocumque ipsis libuerit; aut majorum suorum mandato, & assensu ad propria reverti optabunt; aut aliquis eorum optabit; mox absque ulla renitentia, & occasione, aut mora, salvis rebus eorum, & suorum pariter honore, & personis, vice versa, possint juxta beneplacitum libere, & secure redire; de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum; ut tunc opportune eorum securitati, absque dolo, & fraude, provideatur. Vult etiam Sancta Synodus, in hac publica fide, salvoque conductu, omnes quascumque clausulas includi, ac contineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena, efficaci, & sufficienti securitate, in eundo, stando, & redeundo, necessariæ, & opportunæ fuerint. Illud etiam, ad majorem securitatem, & pacis, ac conciliationis bonum, exprimens, quod, si quispiam, aut illorum aliqui, sive in itinere, Tridentum veniendo, sive ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset hujus fidei publicæ, & assecurationis beneficium, eis concessum, annullari, aut cassari; vult, & concedit, ut in hujusmodi facinore deprehensi, ab ipsis dumtaxat, & non ab aliis condigna animadversione cum emenda sufficienti, per partem ipsius Synodi merito approbanda, & laudanda, mox puniantur: illorum assecurationis forma, condicionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult, ut, si quisquam, vel aliquis ex ipsa Synodo, sive in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset hujus fidei publicæ, & assecurationis beneficium violari, aut quoquo modo tolli; in hujusmodi facinore deprehensi, ab ipsa Synodo dumtaxat, & non ab aliis condigna animadversione, & emenda sufficienti, per partem Dominorum Germanorum Augustanæ confessionis, tunc hic præsentium, merito laudanda, & approbanda, mox puniantur; præsenti assecurationis forma, condicionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Vult præterea ipsa Synodus, quod liceat ipsis Ambasciatoribus, omnibus & singulis, toties, quotiescumque opportunum fuerit, seu necessarium, ad auram capiendam, exire de civitate Tridentina, & reverti ad eandem, nec non nuncium, vel nuncios suos ad quæcumque loca pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere, seu destinare, ac ipsos missos, seu destinatos, seu missum, & destinatum suscipere toties, quoties eis videbitur expedire: ita quod aliqui, vel aliquis per deputandos Concilii socientur, qui eorum securitati provideant, vel provi-

provideat. Qui quidem salvus conductus, & securitas stare, ac durare debeat a tempore, & per tempus, quo in ipsius Synodi, & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & usque ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem: & rursum, post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum præmisso, cum ipsi petierint; aut Concilium habita hujusmodi audientia, ipsis recessum indixerit, a Tridento usque in quem quisque elegerit sibi locum tutum, Deo favente, restituet, dolo, & fraude prorsus exclusis. Quæ quidem omnia pro universis, & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus quibuscumque, atque omnibus aliis Ecclesiasticis, ac sæcularibus personis, cujuscumque status, & condicionis existant, aut quocumque nomine censeantur, inviolabiliter observanda esse promittit, & bona fide spondet. Insuper, omni fraude, & dolo exclusis, vera & bona fide promittit, ipsam Synodum nullam vel manifeste, vel occulte occasionem quæsituram, aut aliqua auctoritate, potentia, jure, vel statuto, privilegio Legum, vel Canonum, aut quorumcumque Conciliorum, præsertim Constantiensis, & Senensis, quacumque forma verborum expressa, in aliquod hujus fidei publicæ, & plenissimæ assecurationis, ac publicæ, & liberæ audientiæ, ipsis per ipsam Synodum concessæ, præjudicium quovis modo usuram, aut quemquam uti permissuram: quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si Sancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel suis, cujuscumque condicionis, vel status, aut præeminentiæ existens, præscriptæ assecurationis, & salvi conductus formam & modum in quocumque puncto vel clausula violaverit, quod tamen avertere dignetur Omnipotens, & sufficiens emenda non fuerit mox subsecuta, & ipsorum arbitrio merito approbanda, & laudanda; habeant ipsam Synodum, & habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas jure Divino, & humano, aut consuetudine, hujusmodi salvorum conductuum violatores incurrere possunt, absque omni excusatione, aut quavis in hac parte contradictione.

Extensio ad alias Nationes.

Eadem Sacrosancta Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis de latere Legatis, omnibus, & singulis aliis, qui nobiscum in iis, quæ sunt fidei, communionem non habent, ex quibuscumque Regnis, Nationibus, Provinciis, civitatibus, ac locis, in quibus publice, & impune prædicatur, vel docetur, sive creditur contrarium ejus, quod Sancta Romana sentit Ecclesia, dat fidem publicam, sive salvum conductum sub eadem forma, & eisdem verbis, quibus datur Germanis.

SESSIO XIX.

QUÆ EST TERTIA SUB PIO IV. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XIV. MAJI, M D LXII.

Decretum prorogationis Sessionis.

SACROSANCTA Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, Decreta ea, quæ hodie in præsenti Sessione statuenda, ac sancienda erant, justis nonnullis, ac honestis causis, in feriam quintam, post proximam solemnitatem Corporis Christi, quæ erit pridie Nonas Junii, prorogandam esse censuit, ac prorogat; dictaque die Sessionem habendam esse, ac celebrandam, omnibus indicit. Interea rogandus est DEUS, & Pater Domini nostri, JESU CHRISTI, auctor pacis, ut sanctificet corda omnium; quo adjuvante, Sancta Synodus & nunc, & semper meditari, atque peragere valeat, quæ ad ejus laudem, & gloriam pertineant.

SESSIO XX.

QUÆ EST QUARTA SUB PIO IV. PONT. MAX. CELEBRATA DIE IV. JUN. M D LXII.

Decretum prorogationis Sessionis.

SACROSANCTA Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, propter varias difficultates, ex diversis causis exortas, atque etiam

etiam ut congruentius, majorique cum deliberatione omnia procedant, nempe ut dogmata cum iis, quæ ad Reformationem ſpectant, ſimul tractentur, & ſanciantur; ea, quæ ſtatuenda videbuntur tam de Reformatione, quam de dogmatibus, in proxima Seſſione, quam omnibus indicit in diem ſextam decimam ſubſequentis menſis Julii, definienda eſſe decrevit: Hoc tamen adjecto, quod dictum terminum ipſa Sancta Synodus pro ejus arbitrio, & voluntate, ſicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in generali Congregatione, reſtringere, & prorogare libere poſſit, & valeat.

SESSIO XXI.

QUÆ EST QUINTA, SUB PIO IV. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XVI. JUL. M D LXII.

DOCTRINA DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE, ET PARVULORUM.

SACROSANCTA Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præſidentibus in ea eisdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, cum de tremendo, & Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento varia diverſis in locis errorum monſtra nequiſſimi Dæmonis artibus circumferantur, ob quæ in nonnullis Provinciis multi a Catholicæ Eccleſiæ fide, atque obedientia videantur diſceſſiſſe; cenſuit ea, quæ ad Communionem ſub utraque ſpecie, & parvulorum pertinent, hoc loco exponenda eſſe. Quapropter cunctis Chriſti fidelibus interdicit, ne poſthac de iis aliter vel credere, vel docere, vel prædicare audeant, quam eſt his Decretis explicatum, atque definitum.

Laicos, & Clericos non conficientes, non aſtringi jure Divino ad Communionem ſub utraque ſpecie.

CAPUT I.

ITAQUE Sancta ipſa Synodus, a Spiritu Sancto, qui Spiritus eſt (*a*) ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & pietatis, edocta, atque ipſius Eccleſiæ judicium, & conſuetudinem ſecuta, declarat, ac docet, nullo Divino Præcepto laicos, & Clericos non conficientes, obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum; neque ullo pacto, ſalva fide, dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei Communio ad ſalutem ſufficiat. Nam, (*b*) etſi Chriſtus Dominus in ultima cœna Venerabile hoc Sacramentum in panis, & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit: non tamen illa inſtitutio, & traditio eo tendunt, ut omnes Chriſti fideles ſtatuto Domini ad utramque ſpeciem accipiendam aſtringantur. Sed neque ex ſermone illo, apud Joannem ſexto, recte colligitur, utriusque ſpeciei Communionem a Domino præceptam eſſe, utcumque juxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: (*c*) Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: dixit quoque: (*d*) Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit: (*e*) Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: dixit etiam: (*f*) Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Et denique qui dixit: (*g*) Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: dixit nihilominus: (*h*) Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Eccle-

(*a*) Eſaiæ 11. (*b*) Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.
(*c*) Joan. 6. (*d*) Ibidem. (*e*) Ibidem.
(*f*) Ibidem. (*g*) Ibidem. (*h*) Ibidem.

Ecclesiæ potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT II.

Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, (*i*) cum ait: Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum, ordinatis nonnullis circa ejus usum, (*k*) Cætera inquit, cum venero, disponam. Quare agnoscens sancta Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus, & justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

Totum & integrum Christum, ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi.

CAPUT III.

Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, (*l*) in suprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit; tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

Parvulos non obligari ad Communionem Sacramentalem.

CAPUT IV.

Denique eadem Sancta Synodus docet, parvulos, usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem: siquidem, per (*m*) Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe, eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

DE COMMUNIONE
SUB UTRAQUE SPECIE, ET PARVULORUM.

CANON I.

Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos, non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.

CANON III.

Si quis negaverit, totum, & integrum Christum, omnium gratiarum fontem, & auctorem, sub una panis specie sumi; quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi constitutionem (*) sub utraque specie sumatur; anathema sit.

CA-

(*i*) 1. Cor. 4. 2. Cor. 6. (*k*) 1. Cor. 11. (*l*) Matt. 26. Marc. 14.
(*m*) Tit. 3. (*) *Parisina*: Institutionem.

CANON IV.

Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ Communionem; anathema ſit.

Duos vero articulos, alias propoſitos, nondum tamen excuſſos, videlicet: An rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, ſub una tantum panis ſpecie, ita ſint retinendæ, ut nulla ratione Calicis uſus cuiquam ſit permittendus: &, An, ſi honeſtis, & Chriſtianæ caritati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis uſus videatur, ſub aliquibus condicionibus concedendus ſit; & quænam ſint illæ: Eadem Sancta Synodus, in aliud tempus, oblata ſibi quamprimum occaſione, examinandos, atque definiendos reſervat.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

PROOEMIUM.

Eadem Sacroſancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præſidentibus in ea eisdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad Dei Omnipotentis laudem, & Sanctæ Eccleſiæ ornamentum, ea, quæ ſequuntur, de Reformationis negotio in præſenti ſtatuenda eſſe cenſuit.

CAPUT I.

Epiſcopi gratis cum Ordines conferant, tum dimiſſorias & teſtimoniales dent: pro quibus eorum Miniſtri nihil prorſus; Notarii, quod in Decreto præfinitum eſt, accipiant.

Quoniam ab Eccleſiaſtico Ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet; nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, & alii Ordinum Collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo, nihil accipiendi, pro ſingulis literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere poſſint; dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo: nec Epiſcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directe, vel indirecte provenire poſſit. Tunc enim gratis operam ſuam eos præſtare omnino teneri decernit: contrarias taxas, ac ſtatuta, & conſuetudines, etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quæ potius abuſus, & corruptelæ, ſimoniacæ pravitati faventes, nuncupari poſſunt, penitus caſſando, & interdicendo: & qui ſecus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra Divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipſo facto incurrant.

CAPUT II.

Arceantur a Sacris Ordinibus, qui non habent, unde vivere poſſint.

Cum non deceat eos, qui Divino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere; compertumque ſit, complures pleriſque in locis ad ſacros Ordines nullo fere delectu admitti; qui variis artibus, ac fallaciis confingunt, ſe beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: ſtatuit ſancta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet, eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere. Id vero beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit promotus. Neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde vivere commode poſſit: & aliter facta reſignatio nulla ſit. Patrimonium vero, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi

nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam substentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint; donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint: antiquorum Canonum pœnas super his innovando.

CAPUT III.

Ratio augendi distributiones quotidianas præscribitur: consuetudo, qua non residentes nihil, vel minus tertia parte fructuum percipiunt, laudatur: absentium contumacia punitur.

Cum beneficia ad Divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur Divinus cultus, sed ei, debitum omnibus in rebus obsequium præstetur; statuit sancta Synodus, in Ecclesiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum, tam dignitatum, quam Canonicatuum, personatuum, portionum, & officiorum, separari debere, & in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & cæteros Divinis interessentes, proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam, dividantur: salvis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non servientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt: non obstantibus exemptionibus, ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, & appellatiobus quibuscumque. Crescenteque non servientium contumacia, liceat contra eos procedere, juxta juris, ac sacrorum Canonum dispositionem.

CAPUT IV.

Sacramenta per convenientem Sacerdotum numerum exhibeantur. Ratio novas Parochias erigendi traditur.

Episcopi, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina officia audienda accedere non possunt; novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam constitutionis Alexandri III. quæ incipit: Ad audientiam, constituere possint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus: &, si necesse fuerit, compellere possit populum, ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum substentandam: quacumque reservatione generali, vel speciali, vel affectione, super dictis Ecclesiis, non obstantibus. Neque hujusmodi ordinationes, & erectiones possint tolli, nec impediri, ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus.

CAPUT V.

Possint Episcopi facere uniones perpetuas in casibus a jure permissis.

Ut etiam Ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conservetur; possint Episcopi, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen præju-

præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum Parochialium, & Baptismalium, & aliorum beneficiorum, Curatorum, vel non Curatorum, cum Curatis, propter earum paupertatem, & in cæteris casibus a jure permissis, etiam si dictæ Ecclesiæ, vel beneficia essent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta. Quæ uniones etiam non possint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuscumque provisionis; etiam ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis.

CAPUT VI.

Imperitis Rectoribus Vicarii cum parte fructuum pro tempore deputentur. In scandalo perseverantes privari beneficiis possint.

Quia illiterati, & imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis: & alii propter eorum vitæ turpitudinem potius destruunt, quam ædificant; Episcopi, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, eisdem illiteratis, & imperitis, si alias honestæ vitæ sint, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint; quacumque appellatione, & exemptione remota. Eos vero, qui turpiter & scandalose vivunt, postquam præmoniti fuerint, coerceant, ac castigent; &, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, juxta sacrorum Canonum constitutiones, exemptione, & appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.

CAPUT VII.

Episcopi transferant una cum oneribus Ecclesias, quæ nequeunt instaurari; alias vero reparari procurent.

Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quæ sacris Ministeriis dedicata sunt, temporum injuria obsolescant, & ex hominum memoria excidant; Episcopi, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam juris Patronatus, ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices, aut alias Ecclesias locorum eorundem, seu viciniorum, arbitrio suo; atque in eisdem Ecclesiis erigant altaria, vel Capellas sub eisdem invocationibus, vel in jam erecta altaria, vel Capellas transferant cum omnibus emolumentis, & oneribus, Prioribus Ecclesiis impositis. Parochiales vero Ecclesias, etiam si juris Patronatus sint, ita collapsas, refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque, ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes; omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt: aut, in illorum defectum, Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant; quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent; ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.

CAPUT VIII.

Monasteria commendata, in quibus non viget Regularis observantia, & beneficia quæcumque quotannis ab Ordinario visitentur.

Quæcumque in Diœcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum est. Propterea commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpositiuræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis observantia; nec non beneficia tam curata, quam non curata, sæcularia, & regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta, ab Episcopis, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, annis singulis visitentur; curentque iidem Episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut, quæ renovatione indigent, aut restauratione, reficiantur: &

& cura animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia recte exerceantur; appellationibus quibuscumque, privilegiis, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore præscriptis, conservatoriis, Judicum deputationibus, & eorum inhibitionibus non obstantibus. Et, si in eis vigeret observantia Regularis, provideant Episcopi paternis admonitionibus, ut eorum Regularium Superiores juxta eorum Regularia instituta debitam vivendi rationem observent, & observari faciant, & sibi subditos in officio contineant, ac moderentur Quod si admoniti, intra sex menses eos non visitaverint, vel correxerint; tunc iidem Episcopi, etiam ut delegati Sedis Apostolicæ, eos visitare possint, & corrigere, prout ipsi Superiores possent, juxta eorum instituta, quibuscumque appellationibus, privilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & non obstantibus.

CAPUT IX.

Quæstorum Eleemosynarum nomen & usus tollitur: Indulgentias, & Spirituales gratias Ordinarii publicent. Duo de Capitulo Eleemosynas gratis accipiant.

Cum multa a diversis antea Conciliis, tam Lateranensi, ac Lugdunensi, quam Viennensi, adversus pravos eleemosynarum Quæstorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia; potiusque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo, & querela excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit, ut posthac in quibuscumque Christianæ Religionis locis eorum nomen, atque usus penitus aboleatur; nec ad officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur, non obstantibus privilegiis, Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, piis locis, & quibusvis, cujuscumque gradus, status, & dignitatis personis, concessis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Indulgentias vero, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit. Quibus etiam eleemosynas, atque oblata sibi caritatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur: ut tandem cœlestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant.

Indictio futuræ Sessionis.

Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, statuit, & decrevit, proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse feria quinta post octavam Festi Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, quæ erit XVII. mensis Septembris, proxime futuri: Hoc tamen adjecto, quod dictum terminum, ac unicuique Sessioni in posterum præfigendum, ipsa sancta Synodus pro ejus arbitrio, & voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in generali Congregatione, restringere, & prorogare libere possit, & valeat.

SESSIO XXII.

QUÆ EST SEXTA SUB PIO IV. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XVII. SEPT. MDLXII.

DOCTRINA DE SACRIFICIO MISSÆ.

Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis Legatis, ut vetus absoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Eucharistiæ mysterio in sancta Catholica Ecclesia fides, atque doctrina retineatur, & in sua puritate, propulsatis erroribus, atque hæresibus, conservetur; de ea, quatenus verum, & singulare sacrificium est, Spiritus Sancti illustratione edocta, hæc, quæ sequuntur, docet, declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit.

CAPUT

CAPUT I.

De institutione Sacrosancti Missæ Sacrificii.

QUONIAM sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter (n) Levitici Sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noster etsi semel se ipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat; in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in Cruce peragendum, repræsentaretur; ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: (o) Hoc facite in meam commemorationem: uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam (p) exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit (q), eripuitque de potestate tenebrarum, & in Regnum suum transtulit. Et hæc quidem (r) illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obscure innuit Apostolus Paulus, (s) Corinthiis scribens, cum dicit: Non posse eos, qui participatione mensæ Dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri; per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ, & legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.

CAPUT II.

Sacrificium visibile esse propitiatorium pro vivis & defunctis.

ET quoniam in Divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruente obtulit; docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse; per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa, cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc (*) uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur.

CAPUT

(n) Hebr. 7. (o) Matth. 26. Luc. 22. (p) Exod. 13.
(q) Coloss. 1. (r) Malach. 1. (s) 1. Cor. 10.
[*] *In Parisina & Lovaniensi:* per hanc incruentam.

CAPUT III.

De Missis in honorem Sanctorum.

Et quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

CAPUT IV.

De Canone Missæ.

Et cum Sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum Sacrificium; Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum; ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

CAPUT V.

De solemnibus Missæ Sacrificii cærimoniis.

Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum Divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam summissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronunciarentur, instituit. Cærimonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione; quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CAPUT VI.

De Missa, in qua solus Sacerdos communicat.

Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent; quo ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas, damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

CAPUT VII.

De aqua vino miscenda in calice offerendo.

Monet deinde Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum (*t*) aquæ in Apocalypsi Beati Joannis populi dicantur; ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

CAPUT VIII.

De Missa vulgari lingua passim non celebranda: & mysteriis ejus populo explicandis.

Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & a Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, (*u*) neve

(*t*) Apocal. 17. (*u*) Thren. 4.

neve parvuli panem petant, & non fit, qui frangat eis; mandat Sancta Synodus Pastoribus, & singulis, curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera Sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & festis.

CAPUT IX.

Præfatio Canonum sequentium.

Quia vero adversus veterem hanc in Sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus, Sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur, atque disputantur; Sacrosancta Synodus, post multos, gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei, sacræque doctrinæ adversantur, damnare, & a Sancta Ecclesia eliminare, per subjectos hos Canones, constituit.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

CANON I.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium: aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, illis verbis: (x) Hoc facite in meam commemorationem, (y) Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum; anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio, in Cruce peracto, per Missæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, (*) sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, cærimonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.

DECRETUM DE OBSERVANDIS, ET EVITANDIS IN CELEBRATIONE MISSÆ.

Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris literis eum vocari, (z) qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo Sanctum, ac Divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam

(x) 1. Cor. 11. (y) Luc. 22.

(*) *Hæc verba*: Sicut Ecclesia intendit. *omissa sunt in editione Parisina Harduini: Leguntur autem in Veneta Jordani Ziletti anni* 1566. *in Lovaniensi Petri Zangrii Tiletani anni* 1567. *& in Antwerpiensi Plantiniana anni* 1571. (z) Hier. 48.

quam hoc ipſum tremendum myſterium, quo vivifica illa hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; ſatis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta maxima fieri poteſt, interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis ſpecie peragatur. Cum igitur multa jam ſive temporum vitio, ſive hominum incuria, & improbitate irrepſiſſe videantur, quæ a tanti Sacrificii dignitate aliena ſunt; ut ei debitus honor, & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem reſtituatur: decernit Sancta Synodus, ut Ordinarii locorum Epiſcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere ſedulo curent, ac teneantur; quæ vel avaritia, (*a*) idolorum ſervitus: vel irreverentia, quæ ab impietate vix ſejuncta eſſe poteſt: vel ſuperſtitio, veræ pietatis falſa imitatrix, induxit. Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum condiciones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur; nec non importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujusmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeant. Deinde, ut irreverentia vitetur, ſinguli in ſuis Diœceſibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare liceat. Neminem præterea, qui publice, & notorie criminoſus ſit, aut ſancto altari miniſtrare, aut Sacris intereſſe permittant; neve patiantur, privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi: ac niſi prius, qui interſint, decenter compoſito corporis habitu, declaraverint ſe mente etiam, ac devoto cordis affectu, non ſolum corpore, adeſſe. Ab Eccleſiis vero muſicas eas, ubi ſive organo, ſive cantu laſcivum, aut impurum aliquid miſcetur: item ſæculares omnes actiones, vana, atque adeo prophana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, clamores arceant; ut domus (*b*) Dei vere domus orationis eſſe videatur, ac dici poſſit. Poſtremo, ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propoſitis caveant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent; neve ritus alios, aut alias cærimonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti, & laudabili uſu receptæ fuerint. Quarundam vero Miſſarum, & candelarum certum numerum, qui magis a ſuperſtitioſo cultu, quam a vera religione, inventus eſt, omnino ab Eccleſia removeant: doceantque populum, quis ſit, & a quo potiſſimum proveniat Sanctiſſimi hujus Sacrificii tam pretioſus ac cæleſtis fructus. Moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis, accedant. Hæc igitur omnia, quæ ſummatim enumerata ſunt, omnibus (*) locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non ſolum ea ipſa, ſed quæcumque alia huc pertinere viſa fuerint; ipſi pro data ſibi a Sacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam, ut delegati Sedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant; atque ad ea inviolate ſervanda cenſuris Eccleſiaſticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio conſtituentur, fidelem populum compellant: non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuscumque.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem Sacroſancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, Præſidentibus in ea eisdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, ut Reformationis negotium proſequatur, hæc in præſenti Seſſione ſtatuenda cenſuit.

CAPUT

(*a*) Epheſ. 5. (*b*) Matth.

(*) omnibus, *in Pariſina non legitur.*

CAPUT I.

Canones de vita & honestate Clericorum innovantur.

Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se Divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur; in eos, tamquam (c) speculum (*), reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Ecclesia Dei & utilitate, & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint observanda; statuit sancta Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, & a sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda: ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint; ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus accurate custodiri, studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque; ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant.

CAPUT II.

Quinam ad Cathedrales Ecclesias assumendi.

Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus, & vita, ac aliis, quæ a sacris Canonibus requiruntur, plene sit præditus; verum etiam in sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus. Quarum rerum instructio, si ejus notitia nulla, aut recens in Curia fuerit, a Sedis Apostolicæ Legatis, seu Nunciis Provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque deficiente, a vicinioribus Ordinariis sumatur. Scientia vero præter hæc ejusmodi polleat; ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere: ideoque antea in Universitate Studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel Jure Canonico merito sit promotus, aut publicò alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, a Superioribus suæ religionis similem fidem habeat. Prædicti autem omnes, unde instructio, seu testificatio erit sumenda, hæc fideliter, & gratis referre teneantur: alioquin eorum conscientias graviter oneratas esse scient; ac Deum, & Superiores suos habebunt ultores.

CAPUT III.

Creandæ distributiones quotidianæ ex tertia parte quorumcunque fructuum: portio absentium quibus cedat: certi casus excepti.

Episcopi, etiam tamquam delegati Apostolici, ex fructibus, & proventibus quibuscumque omnium dignitatum, personatuum, & officiorum, in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones, eorum arbitrio assignandas, dividere possint; ut scilicet, qui eas obtinent, si personaliter competens sibi servitium juxta formam, ab eisdem Episcopis præscribendam, quolibet die statuto non impleverint; illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant: sed fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii applicetur. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedant. Quod si alicui ex prædictis dignitatibus in Ecclesiis

(c) Matth. 5. (*) *Parisina habet:* in speculum.

ſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, de jure, ſeu conſuetudine, jurisdictio, adminiſtratio, vel officium non competat; ſed extra civitatem in Diœceſi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit; tunc pro tempore, quo in curata Eccleſia reſederit, ac miniſtraverit, tamquam præſens ſit, ac Divinis interſit, in Eccleſiis Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur. Hæc in iis tantum Eccleſiis conſtituta intelligantur, in quibus nulla eſt conſuetudo, vel ſtatutum, ut dictæ dignitates non ſervientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum, & proventuum aſcendat: non obſtantibus conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus, & conſtitutionibus, etiam juramento, & quavis auctoritate firmatis.

CAPUT IV.

In quacunque Cathedrali vel Collegiata, majoribus necdum initiati, vocem in Capitulo non habeant: quid præſtare teneantur ad eos promoti; quive deinceps promovendi.

Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, ſæculari, vel regulari Eccleſia Divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit; vocem in hujusmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiam ſi hoc ſibi ab aliis libere fuerit conceſſum. Ii vero, qui dignitates, perſonatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia in dictis Eccleſiis obtinent, aut in poſterum obtinebunt, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet, ut alii Miſſas, alii Evangelium(*), alii Epiſtolas dicant, ſeu cantent; quocumque ii privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate ſint inſigniti, teneantur, juſto impedimento ceſſante, infra annum Ordines ſuſcipere requiſitos: alioquin pœnas incurrant, juxta Conſtitutionem Concilii Viennenſis, quæ incipit: Ut ii, qui; quam præſenti Decreto innovat, cogantque Epiſcopi eos diebus ſtatutis dictos Ordines per ſe ipſos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu Divino præſtare, ſub eisdem, & aliis, etiam gravioribus, pœnis, arbitrio eorum imponendis. Nec aliis in poſterum fiat proviſio, niſi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integre habere dignoſcantur: aliter irrita ſit proviſio.

CAPUT V.

Committantur Epiſcopo diſpenſationes extra Curiam, & ab eo examinentur.

Dispensationes, quacumque auctoritate concedendæ, ſi extra Romanam curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. Eæ vero, quæ gratioſe concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi prius ab eisdem, tamquam delegatis Apoſtolicis, ſummarie tantum, & extrajudicialiter cognoſcatur, expreſſas preces ſurreptionis, vel obreptionis vitio non ſubjacere.

CAPUT VI.

Circumſpecte commutandæ ultimæ voluntates.

In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi, tamquam delegati Sedis Apoſtolicæ, ſummarie & extrajudicialiter cognoſcant, nihil in precibus, tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate fuiſſe narratum, priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur.

CAPUT VII.

Innovatur Decretum Innocentii IV. Papæ, de appellationibus.

Legati, & Nuncii Apoſtolici, Patriarchæ, Primates, & Metropolitani in appellationibus ad eos interpoſitis, in quibusvis cauſis, tam in admittendis appellationibus, quam in concedendis inhibitionibus poſt appellationem, ſervare teneantur formam & tenorem ſacrarum Conſtitutionum, & præſertim Innocentii IV. quæ incipit: Romana: quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, aut ſtylo, vel privilegio, in contrarium

(*) *Pariſina habet:* Evangelia.

rium non obſtantibus; aliter(*) inhibitiones, & proceſſus, & inde ſecuta quæcumque ſint ipſo jure nulla.

CAPUT VIII.

Pias omnium diſpoſitiones exequantur Epiſcopi: quæcunque pia loca viſitent, dummodo non ſint ſub immediata Regum protectione.

Episcopi, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, in caſibus a jure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, ſint executores; habeant jus viſitandi Hoſpitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates laicorum, etiam quas ſcholas, ſive quocumque alio nomine vocant: non tamen, quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eorum licentia. Eleemoſynas Montis Pietatis, ſive Caritatis, & pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiam ſi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio ſint munita; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum ſalutem, ſeu pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt, ipſi ex officio ſuo juxta ſacrorum Canonum Statuta cognoſcant, & exequantur: non obſtantibus, quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut ſtatuto.

CAPUT IX.

Quorumcumque locorum piorum Adminiſtratores reddant rationem Ordinario; niſi aliter in fundatione ſit cautum.

Administratores, tam Eccleſiaſtici, quam laici, fabricæ cujusvis Eccleſiæ, etiam Cathedralis, Hoſpitalis, Confraternitatis, eleemoſynæ Montis Pietatis, & quorumcumque piorum locorum, ſingulis annis teneantur reddere rationem adminiſtrationis Ordinario: conſuetudinibus, & privilegiis quibuscumque in contrarium ſublatis: niſi ſecus forte in inſtitutione, & ordinatione talis Eccleſiæ, ſeu fabricæ expreſſe cautum eſſet. Quod ſi ex conſuetudine, aut privilegio, aut ex conſtitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda eſſet; tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius: & aliter factæ liberationes dictis Adminiſtratoribus minime ſuffragentur.

CAPUT X.

Notarii Epiſcoporum examini & judicio ſubjaceant.

Cum ex Notariorum imperitia plurima damna, & multarum occaſio litium oriatur; poſſit Epiſcopus quoscumque Notarios, etiam ſi Apoſtolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, etiam tamquam delegatus Sedis Apoſtolicæ, examinatione adhibita, eorum ſufficientiam ſcrutari; illisque non idoneis repertis, aut quandocumque in officio delinquentibus, officii ejus in negotiis, litibus, & cauſis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus exercendi uſum perpetuo, aut ad tempus prohibere. Neque eorum appellatio interdictionem Ordinarii ſuſpendat.

CAPUT XI.

Bonorum cujuscumque Eccleſiæ, aut pii loci occupatores puniuntur.

Si quem Clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali, præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiæ, ſeu cujusvis ſæcularis, vel regularis beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, cenſus, ac jura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, ſeu quascumque obventiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent, per ſe, vel alios vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore in proprios uſus convertere, illosque uſurpare præſumpſerit: ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel qui ad

(*) *In Pariſina pro* aliter, *ponitur:* alias.

ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, pervenerint; Eccleſiæ, ejusque Adminiſtratori, ſive Beneficiato integre reſtituerit; ac deinde a Romano Pontifiee abſolutionem obtinuerit. Quod ſi ejusdem Eccleſiæ Patronus fuerit; etiam jure Patronatus ultra prædictas pœnas eo ipſo privatus exiſtat. Clericus vero, qui nefandæ fraudis, & uſurpationis hujusmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eisdem pœnis ſubjaceat; nec non quibuscumque beneficiis privatus ſit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur; & a ſuorum ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarii arbitrio ſuſpendatur.

DECRETUM SUPER PETITIONE CONCESSIONIS CALICIS.

INSUPER, cum eadem ſacroſancta Synodus ſuperiori Seſſione duos articulos, alias propoſitos, & tum nondum diſcuſſos, videlicet: An rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, ſub una panis ſpecie, ita ſint retinendæ, ut nulla ratione Calicis uſus cuiquam ſit permittendus: &, An, ſi honeſtis, & Chriſtianæ caritati conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis uſus videatur, ſub aliquibus condicionibus concedendus ſit: & quænam illæ ſint, in aliud tempus, oblata ſibi occaſione, examinandos, atque definiendos reſervaverit; nunc, eorum, pro quibus petitur, ſaluti optime conſultum volens, decrevit, integrum negotium ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti decreto refert; qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod utile Reip. Chriſtianæ, & ſalutare petentibus uſum Calicis, fore judicaverit.

Indictio futuræ Seſſionis.

Inſuper eadem ſacroſancta Tridentina Synodus diem futuræ Seſſionis ad feriam quintam, poſt octavam feſtivitatis omnium Sanctorum, quæ erit dies XII. menſis Nov. indicit; & in ea decernetur de Sacramento Ordinis, & de Sacramento Matrimonii, &c.

Prorogata fuit Seſſio uſque ad diem XV. Jul. M.D.LXIII.

SESSIO XXIII.

QUÆ EST SEPTIMA SUB PIO IV. PONT. MAX. CELEBRATA DIE XV. JUL. M D LXIII.

Vera, & Catholica doctrina de Sacramento Ordinis, ad condemnandos errores noſtri temporis, a Sancta Synodo Tridentina decreta, & publicata Seſſione ſeptima.

CAPUT I.

De inſtitutione Sacerdotii novæ Legis.

SACRIFICIUM, & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ Sacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum eſſe viſibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum eſt. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumque Succeſſoribos in Sacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus, & ſanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi, & retinendi, ſacræ literæ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit.

CAPUT II.

De ſeptem Ordinibus.

CUM autem Divina res ſit tam ſancti Sacerdotii miniſterium; conſentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent;

virent; ita diſtributi, ut, qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent. Nam non ſolum de Sacerdotibus, (*c*) ſed & de Diaconis ſacræ literæ apertam mentionem faciunt; & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda ſunt, graviſſimis verbis docent; & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus, & ſacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentiſſime legimus.

CAPUT III.

Ordinem vere eſſe Sacramentum.

Cum Scripturæ teſtimonio, (*d*) Apoſtolica traditione, Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis. Inquit enim Apoſtolus: (*e*) Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. Non (*f*) enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.

CAPUT IV.

De Eccleſiaſtica hierarchia & ordinatione.

Quoniam vero in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo, & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt; merito ſancta Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt, novi Teſtamenti Sacerdotes temporariam tantummodo poteſtatem habere; & ſemel rite ordinatos, iterum laicos effici poſſe, ſi verbi Dei miniſterium non exerceant. Quod ſi quis omnes Chriſtianos promiſcue novi Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet; nihil aliud facere videtur, quam (*g*) Eccleſiaſticam hierarchiam, quæ (*h*) eſt ut caſtrorum acies ordinata, confundere; perinde ac ſi contra Beati Pauli (*i*) doctrinam omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Evangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores. Proinde ſacroſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum Ordinem præcipue pertinere; & poſitos, (*k*) ſicut idem Apoſtolus ait, a Spiritu Sancto, regere Eccleſiam Dei; eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe: quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Docet inſuper ſacroſancta Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujuſvis ſæcularis Poteſtatis, & Magiſtratus conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem ita requiri, ut ſine ea irrita ſit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo, aut ſæculari Poteſtate, ac Magiſtratu vocati, & inſtituti, ad hæc miniſteria exercenda aſcendunt, & qui ea propria temeritate ſibi ſumunt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, (*l*) ſed fures, & latrones, per oſtium non ingreſſos, habendos eſſe. Hæc ſunt, quæ generatim ſacræ Synodo viſum eſt, Chriſti fideles de Sacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis, & propriis Canonibus, in hunc, qui ſequitur, modum damnare conſtituit; ut omnes, adjuvante Chriſto, fidei regula utentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem facilius agnoſcere, & tenere poſſint.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CANON I.

Si quis dixerit, non eſſe in novo Teſtamento Sacerdotium viſibile, & exter-

(*c*) 1. Tim. 3. & Act. 21. (*d*) 1. Tim. 4. (*e*) 2. Tim. 1. & 1. Tim. 4.
(*f*) 2. Tim. 1. (*g*) Cantic. 6. (*h*) 1. Cor. 12.
(*i*) Epheſ. 4. (*k*) Act. 22. (*l*) Joan. 10.

externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi; sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium; vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes; anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere & proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum; anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, sacram Unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, & perniciosam esse; similiter & alias Ordinis cærimonias; anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, (*) Presbyteris, & Ministris; anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos, qui nec ab Ecclesiastica & Canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros; anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem Sacrosancta Tridentina Synodus, Reformationis materiam prosequens, hæc, quæ sequuntur, in præsenti decernenda esse statuit, & decernit.

CAPUT I.

Rectorum Ecclesiarum in residendo negligentia varie coercetur: animarum curæ providetur.

Cum [m] Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini Prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut Divinorum Præceptorum memores, factique (n) forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant. Ne vero ea, quæ de resi-

(*) *In Parisina:* & Presbyteris.

(m) Joan. 21. Act. 20.

(n) 1. Pet. 5.

residentia ſancte, & utiliter jam antea ſub fel. rec. Paulo III. ſancita fuerunt, in ſenſus a ſacroſanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius Decreti quinque menſibus continuis abeſſe liceat; illis inhærendo, declarat ſacroſancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Eccleſiis quibuscumque, quocumque nomine, & titulo Præfectos, etiam ſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia vel Diœceſi reſidentiam, ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur; neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſis, & modis infraſcriptis. Nam cum Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reip. utilitas aliquos nonnumquam abeſſe poſtulent, & exigant; decernit eadem ſacroſancta Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſas a Beatiſſimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel, eo abſente, Suffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas; niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reip. officium, Epiſcopatibus adjunctum: cujus quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit: ad eundem tamen cum Concilio Provinciali ſpectabit, judicare de licentiis a ſe, vel a Suffraganeo datis; & videre, ne quis eo jure abutatur; & ut pœnis Canonicis errantes puniantur. Interea meminerint diſceſſuri, ita ovibus ſuis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem, qui aliquantisper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt: ſacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive continuum, ſive interruptum, extra prædictas cauſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere; & haberi rationem, ut id æqua ex cauſa fiat, & absque ullo gregis detrimento: quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore; cum Deo corda pateant; cujus opus non fraudulenter agere, ſuo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oves debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos alio vocent.

Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus decreti diſpoſitionem abſuerit; ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas adverſus non reſidentes, ſub Paulo III. impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe; ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per Superiorem Eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque conventione, vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur; ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur: non obſtantibus quibuscumque privilegiis cuicumque Collegio, aut fabricæ conceſſis.

Eadem omnino, etiam quo ad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent, ſacroſancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen, ut, quandocumque eos, cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata, abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam, in ſcriptis, gratisque concedendam, ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant. Quod ſi, per edictum citati (*) etiam non perſonaliter, contumaces fuerint; liberum eſſe vult Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, compellere; nec executionem hanc, quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione

(*) *Hæc vox:* etiam, *in Pariſina omittitur.*

ne cujuscumque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento, vel quacumque auctoritate confirmato, consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est, sive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ Constitutionis suspendi posse. Postremo, tam decretum illud sub Paulo III., quam hoc ipsum in Conciliis Provincialibus, & Episcopalibus publicari, sancta Synodus præcipit: cupit enim, quæ adeo ex Pastorum munere, animarumque salute sunt, frequenter omnium auribus, mentibusque infigi, ut in posterum, Deo juvante, nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut desuetudine aboleantur.

CAPUT II.

Præfecti Ecclesiis consecrationis munus intra tres menses suscipiant.

Ecclesiis Cathedralibus, seu Superioribus, quocumque nomine, ac titulo præfecti, etiam si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint; Ecclesiis ipso jure sint privati. Consecratio vero, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

CAPUT III.

Extra ægritudinem Episcopi per se Ordines conferant.

Episcopi per semetipsos Ordines conferant. Quod si ægritudine fuerint impediti; subditos suos non aliter, quam jam probatos, examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.

CAPUT IV.

Qui prima Tonsura initiandi.

Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & scribere nesciant; & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

CAPUT V.

Ordinandi quibus instructi esse debeant.

Ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho, & a Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut, nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat, & literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.

CAPUT VI.

Ætas annorum quatuordecim ad beneficium Ecclesiasticum requiritur: quis privilegio fori gaudere debeat.

Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat; aut Clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur. In Clericis vero conjugatis servetur constitutio Bonifacii IX. (*) quæ inci-

(*) *Rectius in editione Lovaniensi & Parisina Harduini scribitur:* Bonifacii octavi; *cum ista Constitutio legatur C. 1. de Clericis conjugatis in 6. L. 3. Sextus autem Decretalium liber jussu Bonifacii octavi collectus fuerit, & quinque Libris Decretalium Gregorii IX. adjectus, centum circiter ante Bonifacium IX. annis.*

incipit: Clerici, qui cum unicis: modo hi Clerici, alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, & Clericali habitu, & Tonsura utantur; nemini, quo ad hoc, privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante.

CAPUT VII.

Examinandi sunt ordinandi a viris peritis juris Divini & humani.

Sancta Synodus, antiquorum Canonum vestigiis inhærendo, decernit, ut quando Episcopus ordinationem facere disposuerit; omnes, qui ad sacrum Ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem Sacerdotibus, & aliis prudentibus viris, peritis Divinæ legis, ac in Ecclesiasticis Sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investiget, & examinet.

CAPUT VIII.

Quomodo & a quo unusquisque promoveri debeat.

Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur. Si autem in alio Diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur. Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat; ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

CAPUT IX.

Ordinans familiarem Episcopus, conferat statim re ipsa beneficium.

Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus; & beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat: consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.

CAPUT X.

Episcopis inferiores Prælati tonsuram, vel minores Ordines ne conferant, nisi Regularibus sibi subditis: nec ipsi, aut Capitula quæcumque dimissorias concedant; graviori in Decretum peccantibus pœna statuta.

Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiam si nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre: nec ipsi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, literas dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quæ in hujus sanctæ Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existunt, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Pœnam quoque impositam iis, qui contra hujus sanctæ Synodi sub Paulo III. Decretum a Capitulo Episcopali, Sede vacante, literas dimissorias impetrant; ad illos, qui easdem literas non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis, in jurisdictione Episcopi loco Capituli, Sede vacante, succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti, ab

ab officio, & beneficio per annum sint ipso juro suspensi.

CAPUT XI.

Interstitia in susceptione minorum Ordinum, & certa alia præcepta observanda.

Minores Ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur; ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri; ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exerceant; idque in ea, cui ascripti erunt, Ecclesia; nisi forte ex causa studiorum absint: atque ita de gradu in gradum ascendant; ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accrescat. Quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros, & Superiores Ordines reverentia, & crebrior, quam antea, Corporis Christi Communio, maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, & sacratissima Mysteria sit ingressus; nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur: nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.

CAPUT XII.

Ætas ad majores Ordines requisita; digni dumtaxat assumendi.

Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singulos, in ea ætate constitutos, debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur: privilegiis quibuscumque, quo ad hoc, penitus exclusis.

CAPUT XIII.

Ordinatio qualis Subdiaconi & Diaconi, & eorum munus: nulli Ordines sacri duo conferantur eodem die.

Subdiaconi, & Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, & in minoribus Ordinibus jam probati, ac literis, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent, Deo auctore, se continere posse; Ecclesiis, quibus ascribentur, inserviant; sciantque maxime decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum altari ministraverint, sacram Communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur: privilegiis, ac indultis quibusvis concessis, non obstantibus quibuscumque.

CAPUT XIV.

Quinam ad Presbyteratum assumendi: assumptorum quod munus.

Qui pie & fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium: & hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus (*) annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint; sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur: atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.

(*) *Parisina habet:* ad annum integrum, *omisso:* minus.

Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.

CAPUT XV.

Nullus Confessiones audiat, nisi ab Ordinario approbatus.

QUAMVIS Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.

CAPUT XVI.

Arceantur ab Ordinibus Ecclesiasticis inutiles, & vagi.

CUM nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis; sancta Synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit; ei sacrorum exercitium interdicatur. Nullus præterea Clericus peregrinus sine commendaticiis sui Ordinarii literis ab ulio Episcopo ad Divina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur.

CAPUT XVII.

Qua ratione Exercitia minorum Ordinum repetenda.

UT sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu, intermissæ, in usum juxta sacros Canones revocentur; nec ab hæreticis, tamquam otiosæ, traducantur; illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta Synodus, decernit, ut inposterum hujuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur; omnesque & singulos Prælatos Ecclesiarum in Domino hortatur, & illis præcipit, ut, quantum fieri commode poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ Diœcesis, si populus frequens, & Ecclesiæ proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas, & ex aliqua parte redditum aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricæ Ecclesiæ, si proventus suppetant, aut utriusque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent: quibus, si negligentes fuerint, Ordinarii judicio, aut ex parte multari, aut in totum privari possint. Quod si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præsto non erunt; suffici possint etiam conjugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui Tonsuram, & habitum Clericalem in Ecclesia gestent.

CAPUT XVIII.

Forma erigendi Seminarium Clericorum, præsertim tenuiorum: in cujus erectione plurima observanda: de educatione promovendorum in Cathedralibus & majoribus Ecclesiis.

CUM adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; & nisi a teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte, ac sine maximo, ac singulari propemodum DEI Omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret: sancta Synodus statuit, ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ, pro modo Facultatum, & Diœcesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis, & Diœcesis, vel ejus Provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo, alere, ac reli-

religiose educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint; ac legere, & scribere competenter noverint; & quorum indoles, & voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult; nec tamen ditiorum excludit; modo suo sumptu alantur, & studium præ se ferant Deo & Ecclesiæ inserviendi. Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos, juxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina Ecclesiastica progressum, partim cum ei opportunum videbitur, Ecclesiarum ministerio addicet; partim in Collegio erudiendos retinebit; aliosque in locum eductorum sufficiet: ita ut hoc Collegium Dei Ministrorum perpetuum Seminarium sit. Ut vero in eadem disciplina Ecclesiastica commodius instituantur, Tonsura statim, atque habitu Clericali semper utentur: Grammatices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent: sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, ac cærimoniarum formas edifcent. Curet Episcopus, ut singulis diebus Missæ sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata; & juxta Confessoris judicium sumant Corpus Domini nostri Jesu Christi; Cathedrali, & aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant. Quæ omnia, atque alia, ad hanc rem opportuna, & necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum, & graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent; eaque ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt. Discolos, & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter punient; eos etiam, si opus fuerit, expellendo: omniaque impedimenta auferentes, quæcumque ad conservandum, & augendum tam pium, & sanctum institutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad Collegii fabricam instituendam, & ad mercedem Præceptoribus & Ministris solvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios sumptus certi redditus erunt necessarii; ultra ea, quæ ad instituendos, vel alendos pueros sunt in aliquibus Ecclesiis, & locis destinata, quæ eo ipso huic Seminario sub eadem Episcopi cura applicata censeantur: iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur; itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat; ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli (*), & quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum, & Prioratuum, cujuscumque Ordinis, etiam Regularis, aut qualitatis, vel condicionis fuerint, & Hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, juxta Constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit: Quia contingit: & beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium (**), etiam si juris Patronatus cujuscumque fuerint, etiam si exempta, etiam si nullius Diœcesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Hospitalibus, & aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis, annexa, & ex fabricis Ecclesiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuscumque aliis Ecclesiasticis redditibus, seu proventibus, etiam aliorum Collegiorum; in quibus tamen Seminaria discentium, vel docentium ad commune Ecclesiæ bonum promovendum actu non habentur: hæc enim exempta esse voluit: præterquam ratione redituum, qui superflui essent ultra convenientem ipsorum Seminariorum sustentationem, seu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis Scholæ appellantur, & omnium Monasteriorum, non tamen Mendicantium, etiam ex decimis quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia Ecclesiastica solvi solent, & milites cujuscumque militiæ, aut ordinis, pertinentibus: Fratribus sancti Joannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam, vel portionem detrahent: & eam portionem sic detractam, nec non beneficia aliquot simplicia,

(*) *In Parisina non legitur:* & Capituli.

(**) *In ead. Paris. omittitur:* etiam Regularium.

cia, cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones, nuncupatas etiam ante vacationem, sine cultus Divini, & illa obtinentium præjudicio, huic Collegio applicabunt, & incorporabunt. Quod locum habeat, etiam si beneficia sint reservata, vel affecta; nec per resignationem ipsorum beneficiorum, uniones & applicationes suspendi, vel ullo modo impediri possint, sed omnino quacumque vacatione, etiam si in Curia effectum suum sortiantur, & quacumque constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem solvendam, beneficiorum, dignitatum, personatuum, & omnium, & singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis pensionibus, illis erit solvendum, ab Episcopo loci per censuras Ecclesiasticas, ac alia juris remedia compellantur; etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii sæcularis: quibusvis, quo ad omnia & singula supradicta, privilegiis, exemptionibus, etiam si specialem derogationem requirerent, & consuetudine, etiam immemorabili, quavis appellatione, & allegatione, quæ executionem impediat, non obstantibus. Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes, vel aliter Seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur; tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra, detracta, & incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur. Quod si Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum Prælati in hac Seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint; Episcopum Archi-Episcopus, Archi-Episcopum, & Superiores Synodus Provincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat; & ut quamprimum hoc sanctum, & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, studiose curabit. Rationes autem redditUum hujus Seminarii Episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus a Capitulo, & totidem a Clero civitatis deputatis.

Deinde, ut cum minori impensa hujusmodi Scholis instituendis provideatur; statuit sancta Synodus, ut Episcopi, Archi-Episcopi, Primates, & alii locorum Ordinarii, Scholasterias obtinentes, & alios, quibus est lectionis, vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos, per se ipsos, si idonei fuerint; alioquin per idoneos substitutos, ab eisdem Scholasticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos, etiam per subtractionem fructuum, cogant, & compellant. Quod si judicio Episcopi digni non fuerint; alium, qui dignus sit, nominent, omni appellatione remota. Quod si neglexerint; Episcopus ipse deputet. Docebunt autem prædicti, quæ videbuntur Episcopo expedire. De cætero vero officia, vel dignitates illæ, quæ Scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in sacra pagina, aut in jure Canonico, & aliis personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur: & aliter facta provisio nulla sit, & invalida: non obstantibus quibusvis privilegiis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Si vero in aliqua Provincia Ecclesiæ tanta paupertate laborent, ut Collegium in aliquibus erigi non possit: Synodus Provincialis, vel Metropolitanus cum duobus antiquioribus Suffraganeis in Ecclesia Metropolitana, vel alia Provinciæ Ecclesia commodiori unum, aut plura Collegia, prout opportunum judicabit, ex fructibus duarum, aut plurium Ecclesiarum, in quibus singulis Collegium commode institui non potest, erigenda curabit, ubi pueri illarum Ecclesiarum educentur.

In Ecclesiis autem, amplas Diœceses habentibus, possit Episcopus unum, vel plura in Diœcesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria: quæ tamen ab illo uno, quod in civitate erectum, & constitutum fuerit, in omnibus dependeant.

Postremo, si vel pro unionibus, seu pro portionum taxatione, vel assignatione, & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam hujus Seminarii institutio, vel conservatio impediretur, aut perturbaretur: Episcopus cum supra deputatis, vel Synodus Provincialis, pro regionis more, pro Ecclesiarum, & beneficio-

neficiorum qualitate, etiam fupra fcripta, fi opus fuerit, moderando, aut augendo, omnia & fingula, quæ ad felicem hujus Seminarii profectum neceffaria, & opportuna videbuntur, decernere, ac providere valeat.

Indictio futuræ Seffionis.

Insuper, eadem facrofancta Tridentina Synodus proximam futuram Seffionem in diem decimam fextam menfis Septembris indicit: in qua agetur de Sacramento Matrimonii, & de aliis, fi qua erunt ad doctrinam fidei pertinentia, quæ expediri poffint: item de provifionibus Epifcopatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclefiafticorum, ac de diverfis reformationis articulis.

Prorogata fuit Seffio ad diem XI. Novemb. M.D.LXIII.

SESSIO XXIV.

QUÆ EST OCTAVA
SUB PIO IV. PONT. MAX.
CELEBRATA DIE XI. NOV.
M D LXIII.

DOCTRINA DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonii perpetuum, indiffolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus inftinctu pronunciavit, cum dixit: Hoc (*o*) nunc os ex offibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem (*p*) relinquet homo patrem fuum, & matrem, & adhærebit uxori fuæ, & erunt duo in carne una.

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi, Chriftus Dominus apertius docuit, cum poftrema illa verba, tamquam a Deo prolata, referens dixit: (*q*) Itaque jam non funt duo, fed una caro. Statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non feparet.

Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiffolubilem unitatem confirmaret, conjugesque fanctificaret, ipfe Chriftus, venerabilium Sacramentorum inftitutor, atque perfector, fua nobis paffione promeruit. Quod Paulus Apoftolus innuit, dicens: (*r*) Viri diligite uxores veftras, ficut Chriftus dilexit Ecclefiam, & fe ipfum tradidit pro ea: mox fubjungens: Sacramentum hoc magnum eft: ego autem (*s*) dico in Chrifto, & in Ecclefia.

Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Chriftum gratia præftet; merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum, fancti Patres noftri, Concilia, & univerfalis Ecclefiæ traditio femper docuerunt: adverfus quam impii homines hujus fæculi infanientes, non folum perperam de hoc venerabili Sacramento fenferunt, fed de more fuo prætextu Evangelii libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclefiæ Catholicæ fenfu, & ab Apoftolorum temporibus probata confuetudine aliena, fcripto, & verbo afferuerunt, non fine magna Chrifti fidelium jactura: quorum temeritati fancta, & univerfalis Synodus cupiens occurrere, infigniores prædictorum fchismaticorum hærefes, & errores, ne plures ad fe trahat perniciofa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipfos hæreticos, eorumque errores decernens anathematismos.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CANON I.

Si quis dixerit, Matrimonium non effe vere, & proprie unum ex feptem legis Evangelicæ Sacramentis (*t*) a Chrifto Domino inftitutum, fed ab hominibus in Ecclefia inventum, neque gratiam conferre; anathema fit.

CANON II.

Si quis dixerit (*u*), licere Chriftianis plures fimul habere uxores, & hoc nulla lege Divina effe prohibitum; anathema fit.

CA-

(*o*) Gen. 2. 3. Efdræ 4. Eph. 5. 1. Cor. 6.
(*p*) Matth. 19.
(*q*) Matth. 19. Marc. 10. 1. Cor. 6. Eph. 5.
(*r*) Eph. 5.
(*s*) Ibidem.
(*t*) Matth. 19. Marc. 10. Eph. 5.
(*u*) Matth. 19.

CANON III.

Si quis dixerit (x), eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, & dirimant; anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, (y) Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi: & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quo ad thorum, seu quo ad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

CANON IX.

Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; & oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum; anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec (z) patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.

CANON X.

Si quis dixerit, (a) statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cælibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, & alias cærimonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos; anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE MATRIMONII.

CAPUT I.

Matrimonii solenniter celebrandi forma in Concilio Lateranensi præscripta innovatur: quoad Proclamationes dispensare possit Episcopus. Qui aliter, quam præsentibus Parocho, & duobus, vel tribus testibus contrahit, nihil agit.

TAMETSI dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahen-

(x) Levit. 18. (y) Matt. 19. Lucæ 16. 1. Cor. 7. (z) 1. Cor. 10.
(a) Matt. 19. 1. Cor. 7.

hentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant; quique falso affirmant, matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum, cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo, cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: iccirco sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur; ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes: tunc vel una tantum denunciatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant; ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ, & judicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero: & testes, qui sine Parocho, vel Sacerdote, hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri; neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii Sacerdoti concedi posse; quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio, non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit; etiam si id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit: ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat Parochus librum, in quo conjugum, & testium nomina, diemque & locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta Synodus conjuges hortatur, ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pie accedant. Si quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus, & cærimoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne vero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut, cum primum poterint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis

ſuarum Diœceſum Parochialibus Eccleſiis; idque in primo anno quam ſæpiſſime fiat; deinde vero quoties expedire viderint. Decernit inſuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.

CAPUT II.

Inter quos cognatio Spiritualis contrahatur.

Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia: in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque ſancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, ut unus tantum ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptismo ſuſcipiant; inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant; & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat; & in libro eorum nomina deſcribat; doceatque eos, quam cognationem contraxerint; ne ignorantia ulla excuſari valeant. Quod ſi alii, ultra deſignatos, baptizatum tetigerint; cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant: Conſtitutionibus, in contrarium facientibus, non obſtantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia ſecus factum fuerit; arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

CAPUT III.

Publicæ honeſtatis impedimentum certis limitibus coarctatur.

Justitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujusmodi prohibitio absque diſpendio obſervari.

CAPUT IV.

Affinitas ex fornicatione ad ſecundum gradum reſtringitur.

Præterea ſancta Synodus, eisdem, & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit: in ulterioribus vero gradibus ſtatuit, hujusmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere.

CAPUT V.

Ne quis intra gradus prohibitos contrahat, quave ratione in iis diſpenſandum.

Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat; idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit; eisdem ſubjiciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Si vero, ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro: idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu numquam diſpenſetur,

ſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam.

CAPUT VI.

In raptores animadvertitur.

Decernit ſancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit; eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; &, ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur propterea raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.

CAPUT VII.

Vagi matrimonio caute jungendi.

Multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes, &, ut improbi ſunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt. Cui morbo cupiens ſancta Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant: Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, ut eos ſevere coerceant: Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, &, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

CAPUT VIII.

Concubinatus pœnis graviſſimis punitur.

Grave peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere; graviſſimum vero, & in hujus magni Sacramenti ſingularem contemptum admiſſum, uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum uxoribus, alere, & retinere. Quare, ut huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remediis provideat, ſtatuit hujuſmodi concubinarios, tam ſolutos, quam uxoratos, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, & condicionis exiſtant, ſi, poſtquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe; a qua non abſolvantur, donec re ipſa admonitioni factæ paruerint. Quod ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis, permanſerint; contra eos ab Ordinario ſevere pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, quæ cum adulteris, ſeu concubinariis publice vivunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur; & extra oppidum, vel Diœceſim, ſi id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, ſi opus fuerit, brachio ſæculari, ejiciantur: aliis pœnis, contra adulteros, & concubinarios inflictis, in ſuo robore permanentibus.

CAPUT IX.

Ne Domini temporales aut Magiſtratus quidpiam libertati Matrimonii contrarium moliantur.

Ita plerumque temporalium Dominorum, ac Magiſtratuum mentis oculos terreni affectus, atque cupiditates excæcant, ut viros, & mulieres, ſub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel ſpem magnæ hæreditatis habentes, minis, & pœnis adigant, cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipſi Domini, vel Magiſtratus illis præſcripſerint. Quare, cum maxime nefarium ſit, matrimonii libertatem violare, & ab eis injurias naſci, a quibus jura expectantur; præcipit ſancta Synodus omnibus, cujuſcumque gradus, dignitatis, & condicionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quovis modo directe, vel indirecte ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant.

CAPUT X.

Nuptiarum solemnitates certis temporibus prohibentur.

Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, ut ea, qua decet, modestia, & honestate fiant, curabunt. Sancta enim res est matrimonium, & sancte tractandum.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

Eadem Sacrosancta Synodus, Reformationis materiam prosequens, hæc in præsenti Sessione statuenda decernit.

CAPUT I.

Norma procedendi ad creationem Episcoporum & Cardinalium.

Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter, scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque præposterum; multo magis elaborandum est, ut in electione ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Unde, etsi alias sancta Synodus de promovendis ad Cathedrales, & superiores Ecclesias nonnulla utiliter decrevit: hoc tamen munus hujusmodi esse censet, ut, si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Itaque statuit, ut, cum primum Ecclesia vacaverit, supplicationes, ac preces publice, privatimque habeantur, atque a Capitulo per civitatem & Diœcesim indicantur; quibus Clerus, populusque bonum a Deo Pastorem valeat impetrare. Omnes vero, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque jus, quacumque ratione, a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed, eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ juxta sacros Canones, & Tridentinæ hujus Synodi decreta requiruntur. Quoniam vero in sumendo de prædictis omnibus qualitatibus gravi, idoneoque bonorum, & doctorum virorum testimonio, non uniformis ratio ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate potest adhiberi; mandat sancta Synodus, ut in Provinciali Synodo, per Metropolitanum habenda, præscribatur quibusq; locis, & Provinciis propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciendæ forma, Sanctissimi Romani Pontificis arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis utilis, atque opportuna esse videbitur; ita tamen, ut, cum deinde hoc examen, seu inquisitio de persona promovenda perfecta fuerit; ea in instrumentum publicum redacta, cum toto testimonio, ac professione fidei ab eo facta, quamprimum ad Sanctissimum Romanum Pontificem omnino transmittatur: ut ipse Summus Pontifex, plena totius negotii, ac personarum notitia habita, pro gregis Dominici commodo de illis, si idonei per examen, seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ecclesiis possit utilius providere. Omnes vero inquisitiones, informationes, testimonia, ac probationes, quæcumque de promovendi qualitatibus, & Ecclesiæ statu a quibuscumque, etiam in Romana Curia, habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Consistorio, & alios tres Cardinales diligenter examinen-

minentur; ac relatio ipsa Cardinalis relatoris & trium Cardinalium subscriptione roboretur: in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirment, se, adhibita accurata diligentia, invenisse promovendos qualitatibus a jure, & ab hac sancta Synodo requisitis, præditos; ac certo existimare sub periculo salutis æternæ idoneos esse, qui Ecclesiis præficiantur: ita ut relatione in uno Consistorio facta, quo maturius interea de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium judicium differatur; nisi aliud Beatissimo Pontifici videbitur expedire. Ea vero omnia, & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem, etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiam si Diaconi sint, exigenda; quos Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. Postremo, eadem sancta Synodus, tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam solicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat; & bonos maxime, atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat; idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium, & sui officii immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus.

CAPUT II.

Synodi Provinciales quolibet triennio: Diœcesanæ quotannis celebrentur: qui eas cogere, quive illis interesse debeant.

Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis renoventur. Quare Metropolitani per se ipsos, seu, illis legitime impeditis, Co-Episcopus antiquior, intra annum ad minus a fine præsentis Concilii, & deinde quolibet saltem triennio post octavam Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more Provinciæ non prætermittat, Synodum in Provincia sua cogere: quo Episcopi omnes, & alii, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur. Nec Episcopi Comprovinciales, prætextu cujuslibet consuetudinis, ad Metropolitanam Ecclesiam in posterum accedere inviti compellantur. Itidem Episcopi, qui nulli Archi-Episcopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant; in cujus Synodo Provinciali cum aliis interesse debeant; & quæ ibi ordinata fuerint, observent, ac observari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio, & privilegia salva, atque integra maneant. Synodi quoque Diœcesanæ quot annis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur: ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, & alii suprascripti negligentes fuerint; pœnas, sacris Canonibus sancitas, incurrant.

CAPUT III.

Qua ratione Visitatio per Prælatos facienda.

Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam Diœcesim per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. A Metropoli-

politanis vero, etiam post plene visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum Comprovincialium, nisi causa cognita, & probata in Concilio Provinciali. Archi-Diaconi autem, Decani, & alii inferiores, in iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto Notario, de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantum ibidem visitare. Visitatores etiam, a Capitulo deputandi, ubi Capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur: sed non ideo Episcopus, vel, eo impedito, ejus Visitator, easdem Ecclesias seorsum ab his visitare prohibeatur; cui ipsi Archi-Diaconi, vel alii inferiores, visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur: non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus, & privilegiis quibuscumque. Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere; populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; cætera, prout locus, tempus, & occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quæ ut facilius, feliciusque succedant; monentur prædicti omnes, & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna caritate, Christianoque zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu, famulatuque, studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint; neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantum victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis ante solvi, certa pecunia taxata, consuetum; an vero prædicta victualia subministrare: salvo item jure conventionum antiquarum, cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illæsum permaneat. In iis vero locis, seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant; ibi id observetur. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit; is præter dupli restitutionem, intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta Constitutionem Concilii Generalis Lugdunensis, quæ incipit: Exigit; nec non & aliis pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi, absque ulla spe veniæ, multetur. Patroni vero in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere; neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant; nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat: sed Episcopi ipsi hæc faciant, & fabricarum redditus in usus Ecclesiæ necessarios, & utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.

CAPUT IV.

A quibus & quando munus prædicationis obeundum: Ecclesia Parochialis ad audiendum Verbum DEI adeunda. Nullus contradicente Episcopo prædicet.

Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens sancta Synodus, quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri, Canones, alias super hoc editos sub fel. rec. Paulo III., aptius præsentium temporum usui accommodando, mandat, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime impe-

impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument: in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive, iis impeditis, per alios, ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos in civitate, aut in quacumque parte Diœcesis censebunt expedire; saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus festis; tempore autem Jejuniorum, Quadragesimæ, & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas, Divinamque legem annuncient; & alias, quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint. Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei. Nullus autem sæcularis, sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Iidem etiam saltem Dominicis, & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, &, si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent: non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus. In reliquis, ea, quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo III. decreta fuerunt, suum robur obtineant.

CAPUT V.

Criminales causæ contra Episcopos, majores a solo Summo Pontifice: minores a Concilio Provinciali cognoscantur.

Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessario extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis, a Beatissimo Papa eligendis. Hæc vero commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec umquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant; processumque conficiant: quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservata eidem Sanctissimo sententia definitiva. Cætera alias sub fel. rec. Julio III. super his decreta, nec non & Constitutio sub Innocentio III. in Concilio generali, quæ incipit: Qualiter & quando; quam sancta Synodus in præsenti innovat, ab omnibus observetur. Minores vero criminales causæ Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoscantur, & terminentur, vel a deputandis per Concilium Provinciale.

CAPUT VI.

Datur Episcopis potestas circa irregularitatum & suspensionum dispensationes, & criminum absolutiones.

Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.

CAPUT VII.

Sacramentorum virtus, antequam populo administrentur, ab Episcopis & Parochis explicetur: Inter Missarum solemnia sacræ paginæ explanentur.

Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat; præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum, cum hæc per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, & usum pro suscipientium captu explicent; sed etiam idem a singulis Paro-

Parochis pie, prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit, & commode fieri poterit, servari studeant, juxta formam, a sancta Synodo in Catechesi singulis Sacramentis præscribendam; quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a Parochis omnibus populo exponi curabunt: necnon ut inter Missarum solemnia, aut Divinorum celebrationem sacra eloquia, & salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festis, vel solemnibus explanent; eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.

CAPUT VIII.

Publice peccantes publice pœniteant, nisi Episcopo aliter videatur: Pœnitentiarius in Cathedralibus instituendus.

Apostolus monet, (a) publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos; commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet: ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ, proxime vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, & annorum quadraginta, seu alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur.

(a) 1. Tim. 5.

CAPUT IX.

A quo visitari debeant Ecclesiæ Sæculares nullius Diœcesis.

Quæ alias sub fel. rec. Paulo III. & nuper sub Beatissimo Domino nostro Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum, etiam exemptorum, visitatione constituta sunt; eadem etiam in iis Ecclesiis sæcularibus observentur, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur; ut ab Episcopo, cujus Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet: alioquin ab eo, qui semel in Concilio Provinciali a Prælato loci illius electus fuerit, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, visitentur: non obstantibus privilegiis, consuetudinibus quibuscumque, etiam immemorabilibus.

CAPUT X.

Executio visitationis a subditis ne suspendatur.

Episcopi, ut aptius, quem regunt, populum possint in officio, atque obedientia continere, in omnibus iis, quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus & potestatem habeant, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta Canonum Sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac Diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam, interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.

CAPUT

CAPUT XI.

Honorarii tituli, aut privilegia particularia, Episcoporum juri nihil detrahant. Cap. Cum Capellæ *Extra. De Privilegiis. innovatur.*

QUONIAM privilegia, & exemptiones; quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur; decernit sancta Synodus, ut, si quando justis, gravibus, & fere necessariis suadentibus causis, aliquos honorariis titulis Protonotariatus, Acolythatus, Comitis Palatini, Capellani Regii, aut aliis hujusmodi in Romana Curia, vel extra, insignibus decorandos esse placuerit; nec non alios, cuicumque Monasterio oblatos, vel quomodocumque addictos, aut sub nomine servientium Militiis, seu Monasteriis, Hospitalibus, Collegiis, aut quocumque alio titulo assumi; nihil ex iis privilegiis detractum esse Ordinariis intelligatur; quo minus iis, quibus ea jam concessa sunt, vel in posterum concedi contigerit, ipsis Ordinariis, tamquam Apostolicæ Sedis delegatis, plene in omnibus, & quo ad Capellanos Regios, juxta Constitutionem Innocentii III. quæ incipit: Cum Capellæ, subjecti existant: exceptis tamen iis, qui prædictis locis, aut militiis actu serviunt, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt; sive iis, qui legitime, & secundum regulam earundem militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat: non obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam religionis Sancti Joannis Hierosolymitani, & aliarum militiarum. Quæ vero privilegia residentibus in Curia Romana vigore Eugenianæ Constitutionis, aut familiaritatis Cardinalium competere solent; ea in iis, qui beneficia Ecclesiastica obtinent, ratione prædictorum beneficiorum minime intelligantur; sed Ordinarii jurisdictioni subjecti permaneant: non obstantibus quibuscumque inhibitionibus.

CAPUT XII.

Quales esse debeant promovendi ad Dignitates & Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum: quidve promoti præstare teneantur.

CUM dignitates, in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, ad conservandam augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ; ut, qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opera, & officio juvarent: merito, qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem XXV. suæ ætatis annum attigerit; & in Clericali Ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur; juxta Constitutionem Alexandri Tertii, in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit: Cum in cunctis. Archi-Diaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico. Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & XXII. annis non minores, adsciscantur. Provisi etiam de beneficiis quibuscumque, curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram generali ejus Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent. Provisi autem de Canonicatibus, & dignitatibus, in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos; nec illis possessio suffragetur. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine sacro aut sit initiatus, quem

quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit; aut in tali ætate, ut infra tempus a jure, & ab hac ſancta Synodo ſtatutum, initiari valeat. In omnibus vero Eccleſiis Cathedralibus omnes Canonicatus, ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Epiſcopus autem cum conſilio Capituli deſignet, ac diſtribuat, prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex ſacris annexus in poſterum eſſe debeat; ita tamen, ut dimidia ſaltem pars Presbyri ſint, cæteri vero Diaconi, aut Subdiaconi: ubi vero conſuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes ſint Presbyteri, omnino obſervetur. Hortatur etiam Sancta Synodus, ut in Provinciis, ubi id commode fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum, in Cathedralibus Eccleſiis, & Collegiatis inſignibus conferantur tantum Magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico. Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis, ultra tres menſes, ab eisdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem fuerit uſus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Creſcente vero contumacia, contra eos, juxta ſacrorum Canonum Conſtitutiones, procedatur. Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit, Conſuetudinem: quod ſancta Synodus in uſum revocat: non obſtantibus quibuscumque ſtatutis, & conſuetudinibus. Omnes vero Divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia; & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, adſiſtere, & inſervire, atque in Choro, ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare. Veſtitu inſuper decenti tam in Eccleſia, quam extra, aſſidue utantur; ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, luſibusque abſtineant; atque ea morum integritate polleant, ut merito Eccleſiæ Senatus dici poſſit. Cætera, quæ ad debitum in Divinis officiis regimen ſpectant, deque congrua in his canendi, ſeu modulandi ratione, de certa lege in Choro conveniendi, & permanendi, ſimulque de omnibus Eccleſiæ Miniſtris, quæ neceſſaria erunt, & ſi qua hujusmodi; Synodus Provincialis, pro cujusque Provinciæ utilitate, & moribus, certam cuique formulam præſcribet. Interea vero Epiſcopus non minus, quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Epiſcopo, alter a Capitulo eligatur, in iis, quæ expedire videbuntur, poterit providere.

CAPUT XIII.

Quomodo tenuioribus Cathedralibus Eccleſiis conſulendum: Parochiæ certis finibus diſtinguendæ.

Quoniam pleræque Cathedrales Eccleſiæ tam tenuis redditus ſunt, & anguſtæ, ut Epiſcopali dignitati nullo modo reſpondeant, neque Eccleſiarum neceſſitati ſufficiant; examinet Concilium Provinciale, vocatis iis, quorum intereſt, & diligenter expendat, quas propter anguſtias, tenuitatemque invicem unire, vel novis proventibus augere expediat; confectaque de præmiſſis inſtrumenta ad Summum Romanum Pontificem mittat: quibus inſtructus Summus Pontifex ex prudentia ſua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua acceſſione ex fructibus augeat. Interim vero, donec prædicta effectum ſortiantur, hujusmodi Epiſcopis, qui fructuum ſubventione pro Diœceſis ſuæ tenuitate indigent; poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non ſint, nec dignitates, ſeu Canonicatus, & Præbendæ, nec Monaſteria, in quibus viget Regularis obſervantia, vel quæ Capitulis generalibus, & certis Viſitatoribus ſubduntur,

duntur, a Summo Romano Pontifice provideri. In Parochialibus etiam Ecclesiis, quarum fructus æque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere; curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat. In unionibus vero quibuslibet, seu ex supra dictis, seu aliis causis faciendis, Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus, militiisve non uniantur: & quæ unitæ sunt, revideantur ab Ordinariis, juxta alias decretum in eadem Synodo sub fel. rec. Paulo III. quod etiam in unitis ab eo tempore citra æque observetur: non obstantibus in iis quibuscumque verborum formis, quæ hic pro sufficienter expressis habeantur. Ad hæc in posterum, omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum redditus summam Ducatorum mille: & Parochiales, quæ summam Ducatorum centum, secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur. In iis quoque civitatibus, ac locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant; mandat sancta Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite Sacramenta suscipiant; aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus, ac locis, ubi nullæ sunt Parochiales, quamprimum fieri curent: non obstantibus quibuscumque privilegiis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

CAPUT XIV.

Ne quis admittatur ad possessionem beneficii, aut distributionum, cum fructuum distributione in usus non pios convertenda.

In pluribus Ecclesiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis, & Parochialibus, ex earum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur; ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas certæ condiciones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ: aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur: hæc cum sancta Synodus detestetur, mandat Episcopis, ut, quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant; ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis cognoscant; & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas, ut pravas, ac scandalosas, rejiciant, & aboleant. Eos vero, qui adversus hæc, in præsenti Decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis, contra Simoniacos editis, sacris Canonibus, & variis Summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit: non obstantibus quibuscumque statutis, constitutionibus, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis: de quarum surreptione, obreptione, & intentionis defectu Episcopus, tamquam Apostolicæ Sedis delegatus, cognoscere possit.

CAPUT XV.

Ratio augendi tenues Præbendas Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum insignium.

In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt Præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficiant; liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen regularia, iis unire; vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis, cum Patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint: quarum fructus & proventus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eos ad pauciorem numerum reducere; ita tamen, ut tot supersint, quæ Divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commode valeant respondere: non obstantibus quibuscumque constitutionibus & privilegiis, aut quacumque reservatione generali, vel speciali, aut affectione; neque prædictæ uniones, aut suppressiones tolli, seu impediri possint ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus, vel suspensionibus.

CAPUT XVI.

Quid muneris incumbat Capitulo, Sede vacante.

Capitulum, Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, Oeconomum unum, vel plures fideles, ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum, & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item Officialem, seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et, si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit; tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta, Oeconomum, & Vicarium idoneos possit constituere. Episcopus vero, ad eandem Ecclesiam vacantem promotus, ex iis, quæ ad eum spectant, ab eisdem Oeconomo, Vicario, & aliis quibuscumque Officialibus, & Administratoribus, qui, Sede vacante, fuerunt a Capitulo, vel ab aliis, in ejus locum constituti, etiam si fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscumque eorum muneris; possitque eos punire, qui in eorum officio, seu administratione deliquerint: etiam si prædicti Officiales, redditis rationibus, a Capitulo, vel a deputatis ab eodem, absolutionem, aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Episcopo teneatur Capitulum de scripturis, ad Ecclesiam pertinentibus, si quæ ad Capitulum pervenerunt, rationem reddere.

CAPUT XVII.

Beneficiorum collationi, & plurium retentioni modus statuitur.

Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum; sancte sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum, decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari; statuit, ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat; liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumq; personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Eccle-

Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam sæcularia, quam regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant. Illi vero, qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum Parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam Parochiales, quam beneficia omnia, quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur; ac tamquam vacantia libere aliis idoneis conferantur; nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia, fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta Synodus, ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout summo Pontifici videbitur, provideatur.

CAPUT XVIII.

Ecclesia Parochiali vacante, deputandus ab Episcopo Vicarius, donec illi provideatur de Parocho. Nominati ad Parochiales qua forma & a quibus examinari debeant.

Expedit maxime animarum saluti, a dignis, atque idoneis Parochis gubernari. Id ut diligentius, ac rectius perficiatur, statuit sancta Synodus, ut, cum Parochialis Ecclesiæ vacatio, etiam si cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per unum, vel plures administretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni, vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter quomodocumque contigerit; etiam si ipsa Parochialis Ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti, seu privilegii in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulorum: debeat Episcopus statim, habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere; qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur. Porro Episcopus, & qui jus Patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus, ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et, si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive, eo impedito, ab ejus Vicario Generali, atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus, quam tribus; quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponantur; qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. Sint vero hi Examinatores, Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante, nec post accipiant: alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant; a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant; & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint.

ſint. Peracto deinde examine renuncientur, quotcumque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis. Ex hisque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit; atque illi, & non alteri, collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre. Si vero juris Patronatus Eccleſiaſtici erit; ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium pertineat; is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur. Cum vero inſtitutio ab alio, quam ab Epiſcopo, erit facienda; tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat. Quod ſi jus Patronatus laicorum fuerit, debeat, qui a Patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, ut ſupra, examinari, & non, niſi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibusque ſupra dictis caſibus non cuiquam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, & ab Examinatoribus approbatis, juxta ſupradictam regulam, de Eccleſia provideatur, nec prædictorum examinatorum relationem, quo minus excecutionem habeat, ulla devolutio, aut appellatio, etiam ad Sedem Apoſtolicam, ſive ejusdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuncios, ſeu Epiſcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interpoſita, impediat, aut ſuſpendat; alioquin Vicarius, quem Eccleſiæ vacanti antea Epiſcopus arbitrio ſuo ad tempus deputavit, vel forſan poſtea deputabit, ab ejus Eccleſiæ cuſtodia, & adminiſtratione non amoveatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus, & electus fuerit, ut ſupra, ſit proviſum: alias proviſiones omnes, ſeu inſtitutiones, præter ſupradictam formam factæ, ſurrepticiæ eſſe cenſeantur: non obſtantibus huic Decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis proviſionibus, indultis conceſſis quibuscumque Univerſitatibus, etiam ad certam ſummam, & aliis impedimentis quibuscumque. Si tamen adeo exigui redditus dictæ Parochiales fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant; aut nemo ſit, qui ſe examini quærat ſubjicere; aut ob apertas factiones, ſeu diſſidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ, ac tumultus poſſint excitari: poterit Ordinarius, ſi pro ſua conſcientia cum deputatorum conſilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omiſſa, privatum aliud examen, cæteris tamen, ut ſupra, ſervatis, adhibere. Licebit etiam Synodo Provinciali, ſi qua in ſupradictis circa examinationis formam addenda, remittendave eſſe cenſuerit, providere.

CAPUT XIX.

Mandata de providendo, exſpectativæ & alia id genus antiquantur.

Decernit Sancta Synodus, Mandata de providendo, & gratias, quæ expectativæ dicuntur, nemini amplius, etiam Collegiis, Univerſitatibus, Senatibus, & aliis ſingularibus perſonis, etiam ſub nomine indulti, aut ad certam ſummam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus conceſſis cuiquam uti licere. Sed nec reſervationes mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Eccleſias, vel Monaſteria, alicui, etiam ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, concedantur, & hactenus conceſſa, abrogata eſſe cenſeantur.

CAPUT XX.

Ratio tractandi cauſas, ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, præſcribitur.

Causæ omnes, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam ſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoſcantur, atque omnino, ſaltem infra biennium a die motæ litis, terminentur: alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum, Judices ſuperiores, alias tamen competentes, adire; qui cauſam in eo ſtatu, quo fuerit, aſſumant, & quamprimum terminari curent; nec antea aliis committantur, nec avocentur: neque appellationes ab eiſdem interpoſitæ, per Superiores quoscumque recipiantur; eorumve commiſſio, aut inhibitio fiat, niſi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem

tionem a definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur causæ, quæ juxta Canonicas Sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ; vel quas ex urgenti, rationabilique causa judicaverit Summus Romanus Pontifex, per speciale rescriptum Signaturæ Sanctitatis suæ, manu propria subscribendum, committere, aut avocare. Ad hæc, causæ matrimoniales, & criminales, non Decani, Archi-Diaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, & jurisdictioni relinquantur; etiam si in præsenti inter Episcopum, & Decanum, seu Archi-Diaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacumque instantia pendeat: coram quo, si pars vere paupertatem probaverit, non cogatur extra Provinciam nec in secunda, nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare; nisi pars altera & alimenta, & expensas litis velit subministrare. Legati quoque, etiam de latere, Nuncii, Gubernatores Ecclesiastici, aut alii quarumcumque Facultatum vigore, non solum Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos, aliasve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente, procedant: alias eorum processus ordinationesve nullius momenti sint; atque ad damni satisfactionem, partibus illati, teneantur. Præterea, si quis in casibus a jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit; seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium Judicem recurrerit; teneatur acta omnia, coram Episcopo gesta, ad Judicem appellationis expensis suis transferre, eodem (*) Episcopo prius admonito, ut, si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit Judici appellationis significare. Quod si appellatus compareat; cogatur tunc is quoque actorum, quæ translata sunt, expensas, pro portione sua, si illis uti voluerit, subire; nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porro ipsam actorum copiam teneatur Notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, & ad minus intra mensem, exhibere. Qui Notarius, si in differenda exhibitione fraudem fecerit; ab officii administratione arbitrio Ordinarii suspendatur; & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem, & pauperes loci distribuendam, compellatur. Judex vero, si & ipse impedimenti hujus conscius, particepsve fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti integre acta intra tempus traderentur; ad eandem dupli pœnam, prout supra, teneatur: non obstantibus, quo ad omnia supra scripta, privilegiis, indultis, concordiis, quæ suos tantum teneant auctores, & aliis quibuscumque consuetudinibus.

CAPUT XXI.

Declaratur ex certis verbis supra positis non immutari solitam rationem tractandi negotia in Generalibus Conciliis.

Cupiens sancta Synodus, ut ex Decretis ab ea editis nulla umquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa, posita in Decreto, publicato Sessione prima, sub Beatissimo Domino nostro Pio Quarto, videlicet: Quæ proponentibus Legatis, ac Præsidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram, & Christianam pacem conciliandam apta, & idonea ipsi sanctæ Synodo videbuntur: explicando declarat, mentis suæ non fuisse, ut ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur; neque novi quidquam, præter id, quod a sacris Canonibus, vel generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur, vel detraheretur.

Indictio futuræ Sessionis.

Insuper, eadem Sacrosancta Synodus proximam futuram Sessionem feria quinta post Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis, quæ erit dies nona mensis

(*) *In Parisina additur:* tamen.

menſis Decembris, proxime venturi, habendam eſſe ſtatuit, & decernit, cum poteſtate etiam abbreviandi. In qua Seſſione tractabitur de ſexto, nunc in eam dilato capite, & de reliquis Reformationis capitibus jam exhibitis, deque aliis ad eam pertinentibus. Si vero opportunum videbitur, & tempus patietur, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout ſuo tempore in Congregationibus proponentur.

Abbreviata eſt dies Seſſionis.

SESSIO XXV.

QUÆ EST NONA, ET ULTIMA SUB PIO IV. PONT. MAX. COEPTA DIE III., ABSOLUTA DIE IV. DECEMBR. MDLXIII.

DECRETUM DE PURGATORIO.

Cum Catholica Eccleſia, Spiritu Sancto edocta, ex ſacris literis, & antiqua Patrum traditione, in ſacris Conciliis, & noviſſime in hac Oecumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe; animasque ibi detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari; præcipit ſancta Synodus Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam, a ſanctis Patribus, & ſacris Conciliis traditam, a Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari, diligenter ſtudeant. Apud rudem vero plebem difficiliores, ac ſubtiliores quæſtiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio, a popularibus Concionibus ſecludantur. Incerta item, vel quæ ſpecie falſi laborant, evulgari, ac tractari non permittant. Ea vero, quæ ad curioſitatem quandam, aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt, tamquam ſcandala, & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Epiſcopi, ut fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta pie, & devote fiant; & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, ſed a Sacerdotibus, & Eccleſiæ Miniſtris, & aliis, qui hoc præſtare tenentur, diligenter, & accurate perſolvantur.

De invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & ſacris imaginibus.

Mandat Sancta Synodus omnibus Epiſcopis, & cæteris docendi munus, curamque ſuſtinentibus, ut juxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, a primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, ſanctorumque Patrum conſenſionem, & ſacrorum Conciliorum Decreta, in primis de Sanctorum interceſſione, invocatione, Reliquiarum honore, & legitimo imaginum uſu, fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos, una cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile eſſe, ſuppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jesum Christum, Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero, qui negant Sanctos, æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos eſſe; aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem eſſe idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adverſarique honori unius Mediatoris Dei, & hominum Jesu Christi; vel ſtultum eſſe, in cœlo regnantibus voce, vel mente ſupplicare; impie ſentire. Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium, ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, (a) & templum Spiritus Sancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, a fidelibus veneranda eſſe: per quæ multa beneficia a Deo hominibus præſtantur: ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem, atque hono-

(a) Cor. 3.

honorem non deberi; vel eas, aliaque ſacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ cauſa Sanctorum memorias fruſtra frequentari; omnino damnandos eſſe, prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia. Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur, ineſſe aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quod ab eis ſit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant: ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus; & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim vero ſecundæ Nicænæ Synodi Decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.

Illud vero diligenter doceant Epiſcopi, per hiſtorias myſteriorum noſtræ redemptionis, picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & aſſidue recolendis: tum vero ex omnibus ſacris imaginibus magnum fructum percipi; non ſolum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ a Chriſto ſibi collata ſunt; ſed etiam, quia Dei per Sanctos miracula, & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubjiciuntur: ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam, moresque ſuos componant; excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his Decretis contraria docuerit, aut ſenſerit; anathema ſit. In has autem ſanctas & ſalutares obſervationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri ſancta Synodus vehementer cupit; ita ut nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes, ſtatuantur. Quod ſi aliquando hiſtorias, & narrationes ſacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit. Omnis porro ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum ſacro uſu tollatur; omnis turpis quæſtus eliminetur; omnis denique laſcivia vitetur; ita ut procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur; & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum viſitatione homines ad comeſſationes, atque ebrietates non abutantur; quaſi feſti dies in honorem Sanctorum per luxum, ac laſciviam agantur. Poſtremo, tanta circa hæc diligentia, & cura ab Epiſcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpoſtere, & tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhoneſtum appareat, (b) cum domum Dei deceat ſanctitudo. Hæc ut fidelius obſerventur, ſtatuit ſancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo. Qui ſimul, atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicaverit. Quod ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus; vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat: Epiſcopus, antequam controverſiam dirimat, Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum in Concilio Provinciali ſententiam expectet; ita tamen, ut nihil, inconſulto Sanctiſſimo Romano Pontifice, novum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum, decernatur.

DE

(b) Pſal. 92.

DE REGULARIBUS, ET MONIALIBUS.

Eadem Sacrosancta Synodus, Reformationem prosequens, ea, quæ sequuntur, statuenda esse censuit.

CAPUT I.

Regulares omnes ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant. Id ut fiat, Superiores sedulo curent.

Quoniam non ignorat sancta Synodus, quantum ex Monasteriis pie institutis, & recte administratis, in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur; necessarium esse censuit, quo facilius, ac maturius, ubi collapsa est, vetus, & Regularis disciplina instauretur, & constantius, ubi conservata est, perseveret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit, ut omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atque in primis, quæ ad suæ Professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent. Omnisque cura, & diligentia a Superioribus adhibeatur tam in Capitulis generalibus, & Provincialibus, quam in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur: cum compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata; totum corruat ædificium necesse est.

CAPUT II.

Proprietas Regularibus omnino prohibetur.

Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus, possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum, Monasteriorum, seu Conventuum, ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit; nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit; is biennio activa & passiva voce privatus sit; atque etiam juxta suæ Regulæ, & Ordinis Constitutiones puniatur.

CAPUT III.

Omnia Monasteria, quæ hic non prohibentur, possunt possidere bona immobilia: numerus personarum in illis pro modo facultatum, aut eleemosynarum constituendus: nulla sine licentia Episcopi erigenda.

Concedit sancta Synodus omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus Fratrum sancti Francisci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quod si aliqua loca ex prædictis, quibus auctoritate Apostolica similia bona possidere permissum erat, eis spoliata sint; eadem omnia illis restituenda esse decernit. In prædictis autem Monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, (*) vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur; ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex con-

(*) *Verba ista:* vel non possidentibus, *omissa sunt in editione Parisina.*

consuetis eleemosynis commode possit sustentari: nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.

CAPUT IV.

Regularis sine Superioris licentia nec se obsequio alterius loci, aut personæ subjiciat; nec a Conventu recedat: Absens studiorum causa in Conventibus commoretur.

PROHIBET sancta Synodus, ne quis Regularis, sine sui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu, subjiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscumque personæ, seu loci; neque ei aliquod privilegium, aut facultas, ab aliis super iis obtenta, suffragetur. Quod si contra fecerit; tamquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam prætextu, ad Superiores suos accedendi; nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit; ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem, qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantum habitent: alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

CAPUT V.

Clausuræ Monialium, præsertim quæ extra urbes agunt, providetur.

BONIFACII Octavi Constitutionem, quæ incipit: Periculoso, renovans sancta Synodus, universis Episcopis sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monasteriis, sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maxime procurent: inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quod auxilium ut præbeatur, omnes Christianos Principes hortatur sancta Synodus, & sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, omnibus Magistratibus sæcularibus injungit. Nemini autem Sanctimonialium liceat, post professionem exire a Monasterio etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda: indultis quibuscumq; & Privilegiis non obstantibus. Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut condicionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis; neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Et quia Monasteria Sanctimonialium extra mœnia urbis, vel oppidi constituta; malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus sine ulla sæpe custodia sunt exposita; curent Episcopi, & alii Superiores, si ita videbitur expedire, ut Sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua Monasteria intra urbes, vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii sæcularis. Impedientes vero, vel non obedientes per censuras Ecclesiasticas parere compellant.

CAPUT VI.

Ratio eligendi Superiores.

IN electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quo omnia recte, & sine ulla fraude fiant, in primis sancta Synodus districte præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta; ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Nec in posterum liceat, Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares ad effectum electionis faciendæ constituere; aut voces, & suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus Decreti Constitu-

ſtitutionem aliquis electus fuerit; electio irrita ſit; & is, qui ad hunc effectum ſe in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit; deinceps ad omnia Officia, in religione obtinenda, inhabilis exiſtat; facultatesque ſuper his conceſſæ, eo ipſo abrogatæ cenſeantur; &, ſi in poſterum aliæ concedantur, tamquam ſurreptitiæ habeantur.

CAPUT VII.

Quæ & quomodo in Abbatiſſas, & quocumque nomine Præfectas eligendæ: Duobus Monaſteriis nulla præficiatur.

Abbatissa, & Prioriſſa, & quocumque alio nomine Præfecta, vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur; ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem recte vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligatur. Duobus vero Monaſteriis nulla præficiatur. Et, ſi qua duo, vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, uno excepto, intra ſex menſes cætera reſignare. Poſt id vero tempus, niſi reſignaverit, omnia ipſo jure vacent. Is vero, qui electioni præeſt, Epiſcopus, ſive alius Superior clauſtra Monaſterii non ingrediatur; ſed ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum audiat, vel accipiat. In reliquis ſerventur ſingulorum Ordinum, vel Monaſteriorum Conſtitutiones.

CAPUT VIII.

Regimen Monaſteriorum, non habentium ordinarios Regulares Viſitatores, quomodo inſtituendum.

Monasteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent ordinarios regulares Viſitatores, ſed ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione, ac directione regi conſueverunt, teneantur infra annum a fine præſentis Concilii, & deinde quolibet triennio ſeſe in Congregationes redigere, juxta formam Conſtitutionis Innocentii III. in Concilio Generali, quæ incipit: In ſingulis: ibique certas regulares perſonas deputare, quæ de modo, & ordine, de prædictis Congregationibus erigendis, ac ſtatutis in eis exequendis deliberent, & ſtatuant. Quod ſi in his negligentes fuerint; liceat Metropolitano, in cujus Provincia prædicta Monaſteria ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, eos pro prædictis cauſis convocare. Quod ſi infra limites unius Provinciæ non ſit ſufficiens talium Monaſteriorum numerus ad erigendam Congregationem; poſſint duarum, vel trium Provinciarum Monaſteria unam facere Congregationem. Ipſis autem Congregationibus conſtitutis, illarum generalia Capitula, & ab illis electi Præſides, vel Viſitatores, eandem habeant auctoritatem in ſuæ Congregationis Monaſteria, ac regulares in eis commorantes, quam alii Præſides, ac Viſitatores in cæteris habent Ordinibus: teneanturque ſuæ Congregationis Monaſteria frequenter viſitare, & illorum reformationi incumbere; & ea obſervare, quæ in ſacris Canonibus, & in hoc ſacro Concilio ſunt decreta. Quod ſi etiam, Metropolitano inſtante, prædicta exequi non curaverint; Epiſcopis, in quorum Diœceſibus loca prædicta ſita ſunt, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, ſubdantur.

CAPUT IX.

Monialium Monaſteria immediate ſubjecta Sedi Apoſtolicæ, ab Epiſcopo regantur: alia vero a Deputatis in Capitulis generalibus, vel aliis Regularibus.

Monasteria Sanctimonialium, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta, etiam ſub nomine Capitulorum ſancti Petri, vel ſancti Joannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab Epiſcopis, tamquam dictæ Sedis delegatis, gubernentur, non obſtantibus quibuscumque. Quæ vero a deputatis in Capitulis generalibus,

libus, vel ab aliis Regularibus, reguntur; sub eorum cura, & custodia relinquantur.

CAPUT X.

Moniales unoquoque mense confiteantur & communicent: de Confessario extraordinario iis ab Episcopo provideatur: Apud illas extra publicam Ecclesiam Eucharistia non conservetur.

Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, ut in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant; & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant; ut eo se salutari præsidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Quod vero Sanctissimum Christi Corpus intra chorum, vel septa Monasterii, & non in publica Ecclesia conservetur, prohibet sancta Synodus: non obstante quocumque indulto, aut privilegio.

CAPUT XI.

In Monasteriis, quibus imminet cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum familia, visitet Episcopus, & eidem curæ præficiendas examinet, certis exceptis.

In Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ, tam regulares, quam sæculares, hujusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, nisi de ejusdem consensu, ac prævio examine, per eum, aut ejus Vicarium faciendo: excepto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus: & exceptis etiam iis Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent: salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in prædicta loca, vel personas jurisdictionem exercent.

CAPUT XII.

Conformentur Regulares Sæcularibus in observatione censurarum Episcopalium & Festorum Diœcesis.

Censuræ, & interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur. Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur.

CAPUT XIII.

Controversias de præcedentia e vestigio componat Episcopus. Exempti non in strictiori clausura viventes, ad supplicationes publicas accedere compellantur.

Controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe (*) cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam sæculares, quam Regulares, cum in Processionibus publicis, tum in iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque, componat. Exempti autem omnes, tam Clerici sæculares, quam regulares, quicumque, etiam Monachi, ad publicas Processiones vocati, accedere compellan-

(*) *In Parisina:* maximo cum scandalo.

pellantur, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.

CAPUT XIV.

Regulari publice delinquenti pœna a quo irroganda.

REGULARIS, non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterii degit, & extra ea ita notorie deliquerit, ut populo ſcandalo ſit; Epiſcopo inſtante, a ſuo Superiore intra tempus, ab Epiſcopo præfigendum, ſevere puniatur; ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat: ſin minus, a ſuo Superiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.

CAPUT XV.

Profeſſio non fiat, niſi anno Probationis exacto, & decimo ſexto ætatis completo.

IN quacumque Religioné, tam virorum, quam mulierum Profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum, poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem, antea facta, ſit nulla; nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut ad alios quoscumque effectus.

CAPUT XVI.

Renuntiatio, aut obligatio facta ante duos menſes proximos Profeſſioni ſit nulla. Finita Probatione, Novitii aut profiteantur, aut ejiciantur. In pio Clericorum Societatis JESU inſtituto nihil innovatur. Cavetur, ne quid ex bonis Novitii Monaſterio tribuatur ante Profeſſionem.

NULLA quoque renunciatio, aut obligatio, antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii, fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem; ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter vero facta, etiam ſi cum hujus favoris expreſſa renunciatione, etiam jurata, ſit irrita, & nullius effectus. Finito tempore Novitiatus, Superiores, Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e Monaſterio eos ejiciant. Per hæc tamen ſancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin religio Clericorum Societatis JESU, juxta pium eorum inſtitutum, a ſancta Sede Apoſtolica approbatum, Domino, & ejus Eccleſiæ inſervire poſſit: ſed neque ante profeſſionem, excepto victu, & veſtitu, novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu, a parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus Monaſterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur: ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat; nec facile, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit; quin potius præcipit ſancta Synodus ſub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; & ut abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant. Quod ut recte fiat, Epiſcopus, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.

CAPUT XVII.

Puella major duodecim annis, ſi habitum Regularem ſuſcipere voluerit, exploretur ab Ordinario; iterumque ante Profeſſionem.

LIBERTATI profeſſionis Virginum Deo dicandarum proſpiciens ſancta Synodus, ſtatuit, atque decernit, ut, ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit; non ante eum ſuſcipiat; nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quam exploraverit Epiſcopus, vel, eo abſente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat, quid agat. Et ſi voluntas ejus pia, ac libera cognita fuerit; habueritque conditiones requiſitas juxta Mo-

Monasterii illius, & Ordinis regulam; nec non Monasterium fuerit idoneum; libere ei profiteri liceat. Cujus professionis tempus ne Episcopus ignoret; teneatur Præfecta Monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit; quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

CAPUT XVIII.

Ne quis, præterquam in casibus a jure expressis, cogat mulierem ad ingrediendum Monasterium, aut ingredi volentem prohibeat: pœnitentium, seu convertitarum Constitutiones serventur.

Anathemati sancta Synodus subjicit omnes, & singulas personas, cujuscumque qualitatis, vel condicionis fuerint, tam Clericos, quam laicos, sæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; quique scientes, eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint. Eaque omnia, & singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, serventur non solum in Monasteriis subjectis Episcopo, sed & in aliis quibuscumque. Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ Pœnitentes, aut Converticiæ appellantur: in quibus Constitutiones earum serventur.

CAPUT XIX.

Quomodo in causis deficientium a Religione procedendum.

Quicumque Regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum esse Religionem; aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse; aut quid simile; velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit; nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur; sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur: interim vero nullo privilegio suæ Religionis juvetur. Nemo etiam Regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem; nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum suæ Religionis.

CAPUT XX.

Superiores Ordinum, Episcopis non subjecti, inferiora Monasteria visitent, ac corrigant, etiam commendata.

Abbates, qui sunt Ordinum Capita, ac cæteri prædictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subjecti, quibus est in alia inferiora Monasteria, Prioratusve legitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita Monasteria, & Prioratus, suo quisque loco, atque ordine, ex officio visitent, etiam si commendata existant. Quæ cum Ordinum suorum Capitibus subsint, declarat sancta Synodus, in iis, quæ alias de visitatione Monasteriorum commendatorum definita sunt, non esse comprehensa: teneanturque quicumque prædictorum Ordinum Monasteriis præsunt, prædictos Visitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipsa quoque Monasteria, quæ sunt Ordinum Capita, juxta sanctæ Sedis Apostolicæ, & cujusque Ordinis Constitutiones visitentur.

tur. Et quamdiu durabunt hujusmodi commendæ, Priores claustrales, aut in Prioratibus Conventum habentibus, Subpriores (*), qui correctiones, & spirituale regimen exercent, a Capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur. In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa.

CAPUT XXI.

Monasteria Regularibus conferantur: Ordinum Capita nemini imposterum commendentur.

CUM pleraque Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpositurae ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione non levia passa fuerint tam in spiritualibus, quam in temporalibus detrimenta; cupit sancta Synodus ea ad congruam monasticæ vitæ disciplinam omnino revocare. Verum adeo dura, difficilisque est præsentium temporum condicio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi: ut tamen nihil prætermittat, unde prædictis salubriter aliquando provideri possit; primum quidem confidit, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre posse viderit; ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos Conventus habent, regulares personæ, ejusdem Ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur. Quæ vero in posterum vacabunt, non nisi Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferantur. Quo ad ea vero Monasteria, quæ Capita sunt, ac Primates Ordinum, sive Abbatiæ, sive Prioratus, filiæ illorum Capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præsenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore provisum, infra sex menses Religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere: alias commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur. Ne autem in prædictis omnibus, & singulis fraus aliqua adhiberi possit; mandat sancta Synodus, ut in provisionibus dictorum Monasteriorum qualitas singulorum nominatim exprimatur: aliterque facta provisio surrepticia esse censeatur: nullaque subsequenti possessione, etiam triennali, adjuvetur.

CAPUT XXII.

Prædicta de Reformatione Regularium, nulla mora interposita observentur.

HÆC omnia & singula in superioribus Decretis contenta, observari sancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, nec non quarumcumque Sanctimonialium Virginum, ac Viduarum, etiam si illæ sub gubernio Militiarum, etiam Hierosolymitanæ, vivant, & quocumque nomine appellentur, sub quacumque regula, vel constitutionibus, & sub custodia, vel gubernatione, vel quavis subjectione, aut annexione, vel dependentia cujuscumque Ordinis, Mendicantium, vel non Mendicantium, vel aliorum regularium Monachorum, aut Canonicorum quorumcumque; non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum, appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non constitutionibus, & regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus. Si qui vero Regulares tam viri, quam mulieres sunt, qui sub arctiori regula, vel statutis vivunt, excepta facultate habendi bona stabilia in communi, eos ab eorum instituto, & observantia sancta Synodus amovere non intendit. Et quia sancta Synodus desiderat, ut omnia, & singula supradicta quamprimum executioni demandentur; præcipit omnibus Episcopis, in Monasteriis sibi subjectis, & in omnibus aliis, ipsis in superioribus Decretis specialiter commissis, atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum

(*) *Lovaniensis, & Parisina editio Harduini pro*: Subpriores, *habent*: Superiores.

num ſupradictorum, ut ſtatim prædicta exequantur. Et ſi quid executioni mandatum non ſit, Epiſcoporum negligentiam Concilia Provincialia ſuppleant, & coerceant. Regularium vero Capitula Provincialia, & generalia, & in defectum Capitulorum generalium Concilia Provincialia, per deputationem aliquorum ejusdem Ordinis provideant. Hortatur etiam ſancta Synodus omnes Reges, Principes, Reſp. & Magiſtratus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut velint prædictis Epiſcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & cæteris Præfectis in ſuperius contentæ reformationis executione ſuum auxilium, & auctoritatem interponere, quoties fuerint requiſiti; ut ſine ullo impedimento præmiſſa recte exequantur ad laudem DEI Omnipotentis.

DECRETUM DE REFORMATIONE.

CAPUT I.

Cardinales omnes Eccleſiarum Prælati modeſtam ſupellectilem & menſam habeant, conſanguineos, familiaresque ſuos ex bonis Eccleſiarum non augeant.

Optandum eſt, ut ii, qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſuæ ſint partes, agnoſcant; ac ſe non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, ſed ad labores & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant. Nec enim dubitandum eſt, & fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, ſi Præpoſitos ſuos viderint non ea, quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem, ac cæleſtem patriam cogitantes. Hæc cum ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam præcipua eſſe ſancta Synodus animadvertat; admonet Epiſcopos omnes, ut ſecum ea ſæpe meditantes, factis etiam ipſis, ac vitæ actionibus, quod eſt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, ſe muneri ſuo conformes oſtendant: in primis vero ita mores ſuos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo,(*) ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter, exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi, non ſolum jubet, ut Epiſcopi modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum; quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiaresve ſuos augere ſtudeant: cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed, ſi pauperes ſint, iis, ut pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa: immo, quam maxime poteſt, eos ſancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia Seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt; eadem non ſolum in quibuscumque beneficia Eccleſiaſtica, tam ſæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus ſui condicione obſervari, ſed & ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit: quorum conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem, cum univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non iis etiam virtutum inſignibus, ac vivendi diſciplina eos fulgere, quæ merito omnium in ſe oculos convertant.

CAPUT II.

A quibus nominatim Decreta Concilii ſolemniter recipi & doceri debeant.

Cogit temporum calamitas, & invaleſcentium hæreſum malitia, ut nihil ſit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ fidei

(*) Pſalm. 101. Eccleſ. 3. 35. & 66. Matt. 10. & 18.

fidei præsidium videatur posse pertinere. Præcipit igitur sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, & omnibus aliis, qui de jure, vel consuetudine in Concilio Provinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo Provinciali, post finem præsentis Concilii habenda, ea omnia, & singula, quæ ab hac sancta Synodo definita, & statuta sunt, palam recipiant; nec non veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant, & profiteantur; simulque hæreses omnes, a sacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, præsertimque ab hac eadem Synodo damnatas, publice detestentur, & anathematizent. Idemque in posterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archi-Episcopos, Episcoposque promovendi, in prima Synodo Provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent. Quod si quis ex supradictis omnibus, quod absit, renuerit; Episcopi Comprovinciales statim Summum Romanum Pontificem admonere sub pœna Divinæ indignationis teneantur; interimque ab ejusdem communione abstineant. Cæteri vero omnes, sive in præsenti, sive in futurum beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in Synodo Diœcesana convenire debent, idem ut supra, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant, & observent: alias secundum formam sacrorum Canonum puniantur. Ad hæc, omnes ii, ad quos Universitatum, & Studiorum generalium cura, visitatio, & reformatio pertinet, diligenter curent, ut ab eisdem Universitatibus Canones, & Decreta hujus sanctæ Synodi integre recipiantur; ad eorumque normam Magistri, Doctores, & alii in eisdem Universitatibus ea, quæ Catholicæ fidei sunt, doceant, & interpretentur; seque ad hoc institutum initio cujuslibet anni solemni juramento obstringant: sed & si aliqua alia in prædictis Universitatibus correctione, & reformatione digna fuerint, ab eisdem, ad quos spectat, pro religionis, & disciplinæ Ecclesiasticæ augmento emendentur, & statuantur. Quæ vero Universitates immediate summi Romani Pontificis protectioni, & visitationi sunt subjectæ; has sua Beatitudo per ejus delegatos eadem, qua supra, ratione, & prout ei utilius visum fuerit, salubriter visitari, & reformari curabit.

CAPUT III.

Excommunicationis gladio temere non utendum: ubi executio realis, aut personalis fieri potest, a censuris abstinendum: iisque Civili Magistratui se immiscere, nefas esto.

Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris: sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari; & perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis, ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo, decernantur; & tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat; nec ad eas concedendas cujusvis sæcularis, etiam Magistratus, auctoritate adducatur: sed totum hoc in ejus arbitrio, & conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse judicaverit. In causis vero judicialibus mandatur omnibus Judicibus Ecclesiasticis, cujuscumque dignitatis existant, ut quandocumque executio realis, vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quam definiendo a censuris Ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis piis, ibi existentibus, eo ipso, quod exactæ fuerint, assignentur; seu per captionem pignorum, personarumque districtionem,

nem, per suos proprios, aut alienos Executores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, & causas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit; sitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone, arbitrio suo, præter alias pœnas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel personalis, ut supra, fieri poterit; erit a censuris abstinendum: sed si dictæ executioni facile locus esse non possit; licebit judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti; si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. Nefas autem sit sæculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Judici, ne quem excommunicet; aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, sub prætextu, quod contenta in præsenti Decreto non sint observata; cum non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur: sed, si obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæresi suspectum, procedi possit.

CAPUT IV.

Ubi nimius est Missarum faciendarum numerus, statuant Episcopi, Abbates, & Generales Ordinum, quod expedire judicaverint.

Contingit sæpe in quibusdam Ecclesiis vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus, a testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri; vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere; unde depereunt piæ testantium voluntates; & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta Synodus, cupiens hæc ad pios usus relicta, quo plenius, & utilius potest, impleri, facultatem dat Episcopis, ut in Synodo Diœcesana: itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, quidquid magis ad DEI honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire; ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus relinquerunt.

CAPUT V.

Rebus bene constitutis, annexum onus habentibus, nihil detrahatur.

Ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis Constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta; in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. Idem in præbendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, ac Subdiaconalibus, quandocumque ita constituta fuerint, observetur, ut eorum qualitatibus, vel Ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur: & aliter facta provisio surrepticia censeatur.

CAPUT VI.

Qui se gerere debeat Episcopus quoad Visitationem Capitulorum exemptorum.

Statuit sancta Synodus, ut in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis Decretum sub fel. rec. Paulo III. quod incipit: Capitula Cathedralium, observetur, non solum, quando Episcopus visitaverit, sed & quoties

ex officio, vel ad petitionem alicujus, contra aliquem ex contentis in dicto decreto, procedat: ita tamen, ut, cum extra visitationem processerit, infrascripta omnia locum habeant: videlicet, ut Capitulum initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos: de quorum consilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius, tam in formando processum, quam in cæteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive, coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in ejus domo, aut consueto tribunali procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria, vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant. Et, si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur; & juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur: alias processus, & inde secuta nulla sint, nullosque producant juris effectus. In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in Decreto de concubinariis, & in atrocioribus delictis, depositionem, aut degradationem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere; servato tamen in reliquis ordine præmisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta qualitatem delicti, ac personarum, delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. Episcopis præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; eisque in choro & in Capitulo, in Processionibus, & aliis actibus publicis sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui si aliquid Canonicis ad deliberandum proponant; nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant. Absente vero Episcopo omnino hoc ab iis de Capitulo, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id Vicarius Episcopi admittatur. Cæteris autem in rebus Capituli jurisdictio, & potestas, si qua eis competit, & bonorum administratio salva, & intacta omnino relinquatur. Qui vero non obtinent dignitates, nec sunt de Capitulo, ii omnes in causis Ecclesiasticis Episcopo subjiciantur: non obstantibus, quo ad supradicta, privilegiis, etiam ex fundatione competentibus, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent auctores: salvis tamen in omnibus, privilegiis, quæ Universitatibus Studiorum generalium, seu earum personis sunt concessa. Hæc autem omnia, & singula in iis Ecclesiis locum non habeant, in quibus Episcopi, aut eorum Vicarii ex constitutionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus, sive concordiis, seu quocumque alio jure majorem habent potestatem, auctoritatem, ac jurisdictionem, quam præsenti Decreto sit comprehensum: quibus sancta Synodus derogare non intendit.

CAPUT VII.

Accessus & regressus ad beneficia tolluntur: Coadjutor quomodo, cui, & ex qua causa concedendus.

Cum in Beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum Decretis contraria; nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur: nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque Decretum in quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, ac etiam Cathedralibus Ecclesiis, ac in quibuscumque personis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In Coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis permittantur. Quod si quando Ecclesiæ Cathedralis, aut Monasterii urgens necessitas, aut evidens utilitas postulet, Prælato dari Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quam hæc causa prius

prius diligenter a Sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ a jure, & Decretis hujus sanctæ Synodi in Episcopis, & Prælatis requiruntur: alias concessiones super his factæ surrepticiæ esse censeantur.

CAPUT VIII.

Administratorum Hospitalium munus: eorum negligentia a quibus & qua ratione coercenda.

ADMONET sancta Synodus quoscumque, Ecclesiastica beneficia, sæcularia, seu regularia, obtinentes, ut hospitalitatis officium, a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte, benigneque exercere assuescant; memores, eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere. Illis vero, qui hospitalia vulgo nuncupata, seu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumve usum præcipue instituta, in commendam, administrationem, aut quemcumque titulum, aut etiam Ecclesiis suis unita, obtinent; vel si Ecclesiæ Parochiales, hospitalibus forte unitæ, aut in hospitalia erectæ, earumque Patronis in administrationem concessæ sint; præcipit omnino, ut impositum illis onus, officiumve administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, juxta Constitutionem Concilii Viennensis, alias in hac eadem Synodo sub fel. rec. Paulo III. innovatam, quæ incipit: Quia contingit. Quod si hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur; mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit: nisi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum: quo casu, quod ordinatum fuit, observari curet Episcopus; aut, si id non possit, ipse, prout supra, utiliter provideat. Itaque si prædicti omnes, & singuli, cujuscumque Ordinis, & religionis, & dignitatis, etiam si laici fuerint, qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subjecti, ubi viget regularis observantia, ab Ordinario moniti hospitalitatis munus adhibitis omnibus, ad quæ tenentur, necessariis, re ipsa obire cessaverint; non solum per Ecclesiasticas censuras, & alia juris remedia ad id compelli possint: sed etiam hospitalis ipsius administratione, curave perpetuo privari possint; aliique eorum loco ab iis, ad quos spectabit, substituantur. Et prædicti nihilominus, etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quæ nulla eis remissione, aut compositione indulgeatur, in foro conscientiæ teneantur: nec administratio, seu gubernatio hujusmodi locorum uni & eidem personæ ultra triennium deinceps committatur; nisi aliter in fundatione cautum reperiatur: non obstante, quo ad omnia supradicta, quacumque unione, exemptione, & consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu privilegiis, aut indultis quibuscumque.

CAPUT IX.

Quomodo probandum jus Patronatus: cui deferendum munus Patronorum: accessiones vetitæ: quibus id juris non acquiratur.

SICUTI, legitima Patronatuum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est: sic etiam, ut hoc colore beneficia Ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit sancta Synodus, ut titulus juris Patronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostendatur; sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum juris dispo-

ſpoſitionem. In iis vero perſonis, ſeu Communitatibus, vel Univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potius quæſitum præſumi ſolet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur. Nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quam ſi præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes, etiam continuatæ, non minori ſaltem, quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur. Reliqui Patronatus omnes in beneficiis, tam ſæcularibus, quam Regularibus, ſeu Parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuſcumque aliis beneficiis, in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia; ſeu facultates, & privilegia conceſſa tam in vim patronatus, quam alio quocumque jure nominandi, eligendi, præſentandi ad ea, cum vacant, exceptis patronatibus, ſuper Cathedralibus Eccleſiis, competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem & Reges, ſeu regna poſſidentes, alioſque ſublimes, ac ſupremos Principes, jura Imperii in Dominiis ſuis habentes, pertinent; & quæ in favorem Studiorum generalium conceſſa ſunt, in totum prorſus abrogata, & irrita cum quaſi poſſeſſione inde ſecuta intelligantur. Beneficiaque hujusmodi, tamquam libera, a ſuis Collatoribus conferantur; ac proviſiones hujumodi plenum effectum conſequantur. Ad hæc liceat Epiſcopo, præſentatos a Patronis, ſi idonei non fuerint; repellere. Quod ſi ad inferiores inſtitutio pertineat; ab Epiſcopo tamen, juxta alias ſtatuta ab hac ſancta Synodo, examinentur: alioquin inſtitutio ab inferioribus facta, irrita ſit, & inanis. Patroni autem beneficiorum, cujuſcumque Ordinis, & dignitatis, etiam ſi Communitates, Univerſitates, Collegia quæcumque Clericorum, vel laicorum exiſtant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiam ſi vere de jure Patronatus ipſorum ex fundatione, & dotatione eſſent, nullatenus, nullave cauſa, vel occaſione ſe ingerant; ſed illos libere Rectori, ſeu Beneficiato, non obſtante etiam quacumque conſuetudine, diſtribuendos dimittant. Nec dictum jus Patronatus venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra Canonicas ſanctiones transferre præſumant. Si ſecus fecerint; excommunicationis, & interdicti pœnis ſubjiciantur; & dicto jure Patronatus, ipſo jure privati exiſtant. Inſuper acceſſiones, per viam unionis factæ de beneficiis liberis, ad Eccleſias (*) juris Patronatui, etiam laicorum, ſubjectas, tam ad Parochiales, quam ad alia quæcumque beneficia, etiam ſimplicia, ſeu dignitates, vel hoſpitalia, ita ut prædicta beneficia libera ejusdem naturæ cum iis, quibuſcum uniuntur, efficiantur, atque ſub jure Patronatus conſtituantur; hæ ſi nondum plenarium ſortitæ ſunt effectum, vel deinceps ad cujusvis inſtantiam fient; quacumque auctoritate, etiam Apoſtolica, conceſſæ fuerint, ſimul cum unionibus ipſis per ſurreptionem obtentæ intelligantur: non obſtante quacumque in iis verborum forma, ſeu derogatione, quæ habeatur pro expreſſa: nec executioni amplius demandentur; ſed beneficia ipſa unita, cum vacaverint, libere, ut antea, conferantur. Quæ vero a quadraginta annis citra factæ, effectum & plenam incorporationem ſunt conſecutæ; hæ nihilominus ab Ordinariis, tamquam a Sede Apoſtolica delegatis, revideantur, & examinentur: ac quæ per ſurreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, ſimul cum unionibus irritæ declarentur, ac beneficia ipſa ſeparentur, & aliis conferantur. Similiter quoque Patronatus quicumque in Eccleſiis, & quibuſcumque aliis beneficiis, etiam dignitatibus antea liberis, acquiſiti a quadraginta annis citra, & in futurum acquirendi, ſeu ex augmento dotis, ſeu ex nova conſtructione, vel alia ſimili cauſa, etiam auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ab iisdem Ordinariis, uti delegatis, ut ſupra, qui nullius in his facultatibus, aut privilegiis impediantur, diligenter cognoſcantur: & quos non repererint ob maxime evidentem Eccleſiæ, vel beneficii, ſeu dignitatis neceſſitatem legitime conſtitutos eſſe, in totum revocent; atque beneficia hujusmodi ſine damno illa poſſidentium, & reſtituto Patronis eo, quod ab eis iccirco datum eſt, in priſtinum libertatis ſtatum reducant: non obſtantibus privilegiis, Conſtitutionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.

CA-

(*) Juris patronatui, *habet editio Veneta, Lovanienſis, & Antwerpienſis; ſed in Pariſina legitur*: Juri Patronatus.

CAPUT X.

Judices a Synodi designandi, qui delegentur a Sede Apostolica: a quibus & Ordinariis causæ breviter terminandæ.

Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeo haberi non potest; hincque interdum Judicibus, non undequaque idoneis, causæ in partibus delegantur: statuit sancta Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit: Statutum, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et, si aliquem interim ex designatis mori contigerit; substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum: ita ut habeat quæque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac ut supra, qualificatas; quibus hujusmodi causæ a quolibet Legato, vel Nuncio, atque etiam a Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum Judicum aliis, quam his, factæ, surrepticiæ censeantur. Admonet dehinc sancta Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscumque Judices, ut terminandis causis, quanta fieri poterit brevitate, studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrant.

CAPUT XI.

Variæ locationes bonorum Ecclesiasticorum prohibentur: quædam factæ irritantur.

Magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum bona, repræsentata pecunia, in successorum præjudicium aliis locantur. Omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium successorum validæ intelligantur: quocumque indulto, aut privilegio non obstante: nec hujusmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam, jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in Spiritualibus locare, nec conductoribus per se, aut alios ea exercere: aliterque concessiones, etiam a Sede Apostolica factæ, surrepticiæ censeantur. Locationes vero rerum Ecclesiasticarum, etiam auctoritate Apostolica confirmatas, sancta Synodus irritas decernit, quas a triginta annis citra, ad longum tempus, seu, ut in nonnullis partibus, ad viginti novem, seu bis viginti novem annos, vocant factas: Synodus Provincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Ecclesiæ, & contra Canonicas Sanctiones contractas fuisse judicabunt.

CAPUT XII.

Decimæ integre persolvendæ: eas subtrahentes excommunicandi: Rectoribus Ecclesiarum tenuium pie subveniendum.

Non (*) sunt ferendi, qui variis artibus decimas, Ecclesiis obvenientes, subtrahere moliuntur; aut qui (**) ab aliis solvendas temere occupant, & in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum solu-

(*) Exod. 22. 23. Levit. 27. Numer. 18. Tob. 1. Malach. 3.
(**) *Hæc præpositio:* ab, *quæ in editione Veneta, Antwerpiensi & Lovaniensi additur, omissa est in Parisina.*

solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur. Hortatur dehinc omnes, & singulos, pro Christiana caritate, debitoque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis, Episcopis, & Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.

CAPUT XIII.

Quartam funeralium Cathedrales, vel Parochiales Ecclesiæ recipiant.

Decernit sancta Synodus, (*) quibuscumque in locis, jam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocumque privilegio, aliis Monasteriis, hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac (**) integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur: non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam, Mari magno, nuncupatis, aut aliis quibuscumque.

CAPUT XIV.

Præscribitur ratio procedendi in causis Clericorum concubinariorum.

Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui se Divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoque Clericalis militiæ dedecore, testatur. Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem Ministri Ecclesiæ revocentur; populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit: prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis, a sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quod si, a Superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint; tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum ipso facto sint privati: quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia fæmina, perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur; suspendantur: & si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis, perpetuo priventur: atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus, cum iis ex causa visum fuerit, dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint; præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat: supradictorumque omnium cognitio, non ad Archi-Diaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura judicii, & sola facti veritate inspecta, procedere possint. Clerici vero beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perseverantiam, & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones

(*) *In Parisina & Lovaniensi additur:* ut.
(**) *Hæ voces:* integro jure &, *non leguntur in Parisina.*

nones, puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint; & a Synodo Provinciali admoniti, se non emendaverint; ipso facto sint suspensi: &, si perseverent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.

CAPUT XV.

Filii Clericorum illegitimi a quibusdam beneficiis arcendi.

Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur; non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile, beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. Quod si in præsenti pater, & filius in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur; cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam intra trium mensium spatium: alias ipso jure eo privatus existat, & super iis quæcumque dispensatio surrepticia censeatur. Ad hæc, reciprocæ resignationes, si quæ posthac a parentibus Clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium consequatur: in fraudem hujus Decreti, & Canonicarum Sanctionum factæ omnino censeantur: nec collationes secutæ, vigore hujusmodi resignationum, seu aliarum quarumcumque, quæ in fraudem factæ fuerint, ipsis Clericorum filiis suffragentur.

CAPUT XVI.

Beneficia curata non convertantur in Simplicia: ei in quem translata fuerit cura animarum, assignetur congrua portio: Vicariæ cessent, cura ad titulos revocata.

Statuit sancta Synodus, ut Ecclesiastica beneficia sæcularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæva eorum institutione, aut aliter quomodocúmque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione, non convertantur: non obstantibus quibuscumque gratiis, quæ suum plenarium effectum non sunt consecutæ. In iis vero, in quibus contrà earum institutionem, seu fundationem cura animarum in Vicarium perpetuum translata est, etiam si in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum Vicario(*), quocumq; nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimum, & ad minus intra annum a fine præsentis Concilii, arbitrio Ordinarii, juxta formam Decreti sub fel. rec. Paulo III, assignetur. Quod si id commode fieri non possit; aut intra dictum terminum factum non erit: cum primum per cessum vel decessum Vicarii, seu Rectoris, aut quomodolibet alterum eorum vacaverit, beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen cesset, & in antiquum statum restituatur.

CAPUT XVII.

Episcopi dignitatem suam morum gravitate commendent; nec cum Regum Ministris, Regulis, aut Baronibus indigna demissione se gerant.

Non potest sancta Synodus non graviter dolere, audiens Episcopos aliquos, sui status oblitos, Pontificiam dignitatem non leviter dehonestare; qui cum Regum ministris, Regulis, & Baronibus in Ecclesia, & extra, indecenti

(*) *In Lovaniensi & Parisina:* Vicario Ecclesiæ.

centi quadam demiffione fe gerunt, & veluti inferiores miniftri altaris, nimis indigne non folum loco cedunt, fed etiam perfonaliter illis inferviunt. Quare, hæc, & fimilia deteftans fancta Synodus, facros Canones omnes, Conciliaque Generalia, atque alias Apoftolicas Sanctiones ad dignitatis Epifcopalis decorum (*), & gravitatem pertinentes renovando, præcipit, ut ab hujusmodi in pofterum Epifcopi fe abftineant; mandans eisdem, ut tam in Ecclefia, quam foris fuum gradum, & Ordinem præ oculis habentes, ubique fe Patres, & Paftores effe meminerint; reliquis vero tam Principibus, quam cæteris omnibus, ut eos paterno honore, ac debita reverentia profequantur.

CAPUT XVIII.

Canones ad amuffim ferventur: fi quando in eis difpenfandum, id valide, mature, & gratis fiat.

Sicuti publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus cafibus, & neceffitatibus, pro communi utilitate fatisfiat; fic frequentius legem folvere, exemploque potius, quam certo perfonarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud eft, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter fciant univerfi, facratiffimos Canones exacte ab omnibus, &, quoad ejus fieri poterit, indiftincte obfervandos. Quod fi urgens, juftaque ratio, & major quandoque utilitas poftulaverint, cum aliquibus difpenfandum effe; id caufa cognita, ac fumma maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos difpenfatio pertinebit, erit præftandum: aliterque facta difpenfatio furrepticia cenfeatur.

CAPUT XIX.

Monomachia, five duellum pœnis graviffimis punitur.

Detestabilis duellorum ufus, fabricante Diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriftiano orbe penitus exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine, Domini temporales; qui locum ad monomachiam in terris fuis inter Chriftianos concefferint; eo ipfo fint excommunicati; ac jurisdictione, & Dominio civitatis, caftri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiferint, quod ab Ecclefia obtinent, privati intelligantur: &, fi feudalia fint, directis Dominis ftatim acquirantur. Qui vero pugnam commiferint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum fuorum profcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ, juxta facros Canones, puniri debeant. Et, fi in ipfo conflictu decefferint; perpetuo careant Ecclefiaftica fepultura. Illi etiam, qui confilium in caufa duelli, tam in jure, quam facto dederint; aut alia quacumque ratione ad id quemquam fuaferint, nec non fpectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obftante quocumque privilegio, feu prava confuetudine, etiam immemorabili.

CAPUT XX.

Quæ funt juris Ecclefiaftici, Principibus Sæcularibus commendantur.

Cupiens fancta Synodus Ecclefiafticam difciplinam in Chriftiano populo non folum reftitui, fed etiam perpetuo fartam tectam a quibuscumque impedimentis confervari, præter ea, quæ de Ecclefiafticis perfonis conftituit, fæculares quoque Principes officii fui admonendos effe cenfuit, confidens eos, ut Catholicos, quos Deus fanctæ fidei, Ecclefiæque Protectores effe voluit, jus fuum Ecclefiæ reftitui, non tantum effe conceffuros, fed etiam fubditos fuos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & Superiores Ordines reverentiam revocaturos; nec permiffuros, ut Officiales, aut inferiores Magiftratus, Ecclefiæ & perfonarum Ecclefiafticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis fanctionibus conftitutam, aliquo cupiditatis ftudio, feu inconfideratione aliqua violent;

(*) *In Parifina:* deoorem.

lent; sed una cum ipsis Principibus debitam sacris Summorum Pontificum, & Conciliorum Constitutionibus observantiam præstent. Decernit itaque, & præcipit, sacros Canones, & Concilia Generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones, in favorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti etiam Decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere. Propterea que admonet Imperatorem, Reges, Resp. Principes, & omnes, & singulos, cujuscumque status, & dignitatis extiterint, ut, quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quæ Ecclesiastici juris sunt, tamquam Dei præcipua, ejusque Patrocinio tecta, venerentur; nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliisve Dominis temporalibus, seu Magistratibus, maximeque Ministris ipsorum Principum lædi patiantur; sed severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque jurisdictionem impediunt, animadvertant: quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, Ecclesiarumque protectionem existant; imitantes anteriores optimos, religiosissimosque Principes, qui res Ecclesiæ sua in primis auctoritate, ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque ea in re quisque officium suum sedulo præstet: quo cultus Divinus devote exerceri, & Prælati, cæterique Clerici in residentiis, & officiis suis, quieti, & sine impedimentis, cum fructu, & ædificatione populi, permanere valeant.

CAPUT XXI.

In omnibus Salva Sedis Apostolicæ auctoritas maneat.

Postremo sancta Synodus, omnia, & singula, sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de morum Reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub fel. rec. Paulo III. ac Julio III. quam sub Beatissimo Pio IV. Pontificibus Maximis, in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.

Decretum de continuanda Sessione in diem sequentem.

Cum ea omnia, quæ in præsenti Sessione tractanda erant, quia hora tarda est, commode expediri non possint; propterea juxta id, quod in generali Congregatione a Patribus statutum fuit, ea quæ supersunt, in diem crastinam, hanc eandem Sessionem continuando, differuntur.

CONTINUATIO SESSIONIS DIE IV. DECEMBR.

DECRETUM DE INDULGENTIIS.

Cum (a) potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit; atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt; vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos, & correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum, & Provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo Provinciali referat: ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad Summum Romanum Pontificem deferantur: cujus

(a) Matth. 16. Joan. 20.

cujus auctoritate, & prudentia, quod Universali Ecclesiæ expediet, statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

De delectu ciborum, jejuniis, & diebus festis.

INSUPER hortatur sancta Synodus, & per Sanctissimum Domini nostri, atque Salvatoris adventum Pastores omnes obtestatur, ut tamquam boni milites illa omnia, quæ sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum (*) Mater, & Magistra, statuit, necnon ea, quæ tam in hoc Concilio, quam in aliis Oecumenicis statuta sunt, quibuscumque fidelibus sedulo commendent; omnique diligentiá utantur, ut illis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia; vel etiam, quæ faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota, & religiosa celebratio; admonentes populos crebro, obedire Præpositis suis: quos, qui audiunt, Deum remuneratorem audient; qui vero contemnunt, Deum ipsum ultorem sentient.

De Indice librorum, Catechismo, Breviario, & Missali.

SACROSANCTA Synodus in secunda Sessione, sub Sanctissimo Domino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris, ac libris, vel suspectis, vel perniciosis, quid facto opus esset, considerarent; atque ad ipsam sanctam Synodum referrent: audiens nunc, huic (**) operi ab eis extremam manum impositam esse; nec tamen, ob librorum varietatem, & multitudinem, distincte, & commode possit a sancta Synodo dijudicari; præcipit, ut, quidquid ab illis præstitum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur: ut ejus judicio, atque auctoritate terminetur, & evulgetur. Idemque de Catechismo a Patribus, quibus illud mandatum fuerat, & de Missali, & Breviario fieri mandat.

De loco Oratorum.

DECLARAT sancta Synodus, ex loco assignato Oratoribus, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, in sedendo, incedendo, aut quibuscumq; aliis actibus, nullum cuiquam eorum factum fuisse præjudicium; sed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum suorum jura, & prærogativas illæsas, & salvas esse, in eodemque statu permanere, prout ante præsens Concilium reperiebantur.

De recipiendis, & observandis Decretis Concilii.

TANTA fuit horum temporum calamitas, & hæreticorum inveterata malitia, ut nihil tam clarum in fide nostra asserenda umquam fuerit, aut tam certo statutum; quod non, humani generis hoste suadente, illi errore aliquo contaminaverint. Ea propter sancta Synodus id potissimum curavit, ut præcipuos hæreticorum nostri temporis errores damnaret, & anathematizaret; veramque & Catholicam doctrinam traderet, & doceret, prout damnavit, anathematizavit, & definivit. Cumque tamdiu tot Episcopi, ex variis Christiani orbis Provinciis evocati, sine magna gregis sibi commissi jactura, & universali periculo ab Ecclesiis abesse non possint; nec ulla spes restet, hæreticos, toties, fide etiam publica, quam desiderarunt, invitatos, & tamdiu expectatos, huc amplius adventuros; ideoque tandem huic sacro Concilio finem imponere necesse sit: superest nunc, ut Principes omnes, quod facit, in Domino moneat ad operam suam ita præstandam, ut, quæ ab ea decreta sunt, ab hæreticis depravari, aut violari non permittant; sed ab his, & omnibus devote recipiantur, & fideliter observentur. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur; aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem postulent, præter alia remedia, in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii Generalis cele-

(*) *In Parisina hæ voces:* Mater &, *omittuntur.* (**) operi, *in Parisina non habetur.*

celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.

De recitandis Decretis Concilii sub Paulo III. & Julio III. in Sessione.

QUONIAM diversis temporibus, tam sub fel. rec. Paulo III. quam Julio III. multa in hoc sacro Concilio, quo ad dogmata, ac morum reformationem statuta, & definita sunt; vult sancta Synodus, ut illa nunc recitentur & legantur.

Recitata sunt.

De fine Concilii, & confirmatione petenda a Sanctissimo Domino nostro.

ILLUSTRISSIMI Domini, Reverendissimique Patres, Placetne vobis, ut ad laudem Dei Omnipotentis huic sacræ Oecumenicæ Synodo finis imponatur? & omnium, & singulorum, quæ tam sub fel. rec. Paulo III. & Julio III. quam sub Sanctissimo Domino nostro Pio IV. Romanis Pontificibus, in ea decreta, & definita sunt, confirmatio nomine sanctæ hujus Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, & Præsidentes a Beatissimo Rom. Pont. petatur?

Responderunt, PLACET.

Postmodum Illustrissimus & Reverendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus & Præsidens, benedicens sancta Synodo, dixit: POST GRATIAS DEO ACTAS REVERENDISSIMI PATRES ITE IN PACE. Qui responderunt, AMEN.

ACCLAMATIONES PATRUM IN FINE CONCILII.

CARDINALIS. A LOTHARINGIA.

Beatissimo Pio Papæ, & Domino nostro, sanctæ Universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

RESPONSIO PATRUM.

Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ conserva, multos annos.

Card. *Beatissimorum Summorum Pontificum animabus, Pauli III, & Julii III, quorum auctoritate hoc sacrum Generale Concilium inchoatum est, pax a Domino, & æterna gloria, atque felicitas in luce Sanctorum.*

Resp. *Memoria in benedictione sit.*

Card. *Caroli V. Imperatoris, & Serenissimorum Regum, qui hoc Universale Concilium promoverunt, & protexerunt, memoria in benedictione sit.*

Resp. *Amen, Amen.*

Card. *Serenissimo Imperatori Ferdinando, semper Augusto, Orthodoxo, & Pacifico, & omnibus Regibus, Rebuspub. & Principibus nostris, multi anni.*

Resp. *Pium, & Christianum Imperatorem Domine conserva: Imperator cælestis terrenos Reges, rectæ fidei Conservatores, custodi.*

Card. *Apostolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo Præsidentibus, cum multis annis magnæ gratiæ.*

Resp. *Magnæ gratiæ: Dominus retribuat.*

Card. *Reverendissimis Cardinalibus, & Illustribus Oratoribus.*

Resp. *Magnas gratias, multos annos.*

Card. *Sanctissimis Episcopis vita, & felix ad Ecclesias suas reditus.*

Resp. *Præconibus veritatis perpetua memoria: Orthodoxo Senatui multos annos.*

Card. *Sacrosancta Oecumenica Tridentina Synodus: ejus fidem confiteamur, ejus Decreta semper servemus.*

Resp. *Semper confiteamur, semper servemus.*

Card. *Omnes ita credimus: omnes id ipsum sentimus: omnes consentientes, & amplectentes subscribimus. Hæc est fides Beati Petri, & Apostolorum: hæc est fides Patrum: hæc est fides Orthodoxorum.*

Resp. *Ita credimus; ita sentimus; ita subscribimus.*

Card. *His Decretis inhærentes, digni reddamur misericordiis, & gratia primi, & magni supremi Sacerdotis, JEsu Christi Dei, intercedente simul inviolata Domina nostra Sancta Deipara, & omnibus Sanctis.*

Resp.

Resp. *Fiat, fiat. Amen, Amen.*

Card. *Anathema cunctis hæreticis.*

Resp. *Anathema, anathema.*

Post hæc mandatum fuit a Legatis, & Præsidentibus sub pœna excommunicationis omnibus Patribus, ut, antequam discederent e civitate Tridentina, subscriberent manu propria Decretis Concilii; aut ea per publicum instrumentum approbarent. Qui omnes deinde subscripserunt, & fuerunt numero CCLV. videlicet, Legati IV. Cardinales II. Patriarchæ III. Archiepiscopi XXV. Episcopi CLXVIII. Abbates VII. Procuratores absentium cum legitimo mandato XXXIX. Generales Ordinum VII.

LAUS DEO.

Concordat cum originali: in cujus fidem subscripsimus.

Ego Angelus Massarellus, Episcopus Thelesinus, Sacri Concilii Tridentini Secretarius.

Ego Marcus Antonius Peregrinus, (*) *Comensis, ejusdem Concilii Notarius.*

Ego Cynthius Pamphilus, Clericus Camerinensis Diœcesis, ejusdem Concilii Notarius.

CONFIRMATIO CONCILII.

NOS ALEXANDER, S. Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis, de Farnesio, S. R. E. Vice-Cancellarius, fidem facimus, & attestamur, qualiter hodie, die Mercurii, XXVI. Januarii, M. D. LXIV. Pontificatus Sanctissimi D. nostri D. Pii, Divina Providentia Papæ Quarti, anno quinto, in Consistorio secreto, apud S. Petrum, Reverendiss. DD. mei, Cardinales Moronus, & Simoneta, nuper reversi a sacro Concilio Tridentino, cui uti Sedis Apostolicæ Legati præerant, petierunt ab eodem Sanctiss. D. nostro, ut infra.

Beatissime Pater, in Decreto super fine Concilii Oecumenici Tridentini, pridie nonas Decembris præteriti publicato, statutum fuit, ut per Sanctitatis Vestræ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatos, & Præsidentes peteretur nomine dicti Concilii a Sanctitate Vestra confirmatio omnium, & singulorum, quæ tam sub fel. rec. Paulo III. & Julio III. quam sub Sanctitate Vestra in eo decreta, & definita sunt. Quapropter Nos Joannes Cardinalis Moronus, & Ludovicus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati, & Præsidentes eramus, volentes exequi, quod in dicto Decreto stabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti Concilii Oecumenici Tridentini, ut Sanctitas Vestra dignetur confirmare omnia, & singula, quæ tam sub fel. rec. Paulo III. & Julio III. quam sub Sanctitate vestra in eo Decreta, & definita sunt.

Quibus auditis, Sanctitas Sua, viso, & lecto tenore dicti Decreti, & habitis votis Reverendiss. DD. meorum Cardinalium, respondit per hæc verba:

Petitioni, nomine Concilii Oecumenici Tridentini super ejus confirmatione per dictos Legatos nobis factæ, annuentes, omnia, & singula, quæ in dicto Concilio tam sub fel. rec. Paulo III. & Julio III. Prædecessoribus nostris, quam Pontificatus nostri tempore decreta, & definita sunt, auctoritate Apostolica, etiam de Venerabilium Fratrum nostrorum Cardinalium consilio, & assensu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus, atque ab omnibus Christi fidelibus recipi, & inviolabiliter observari mandamus, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Ita est. A. Cardinalis Farnesius, Vice-Cancell.

BULLA S. D. N. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ QUARTI, *SUPER CONFIRMATIONE Oecumenici Generalis Concilii Tridentini.*

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENEDICTUS Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui,

(*) *Sic legitur in Veneta & Antwerpiensi. In Parisina vero:* Ego Marcus Antonius, Clericus Peregrinus Comensis. *Ast Lovaniensis ita habet:* Ego Marcus Antonius Peregrinus, Clericus, Comensis, ejusdem &c.

qui respicere dignatus Ecclesiam suam sanctam, tot procellis & tempestatibus agitatam, atque vexatam, & gravius in dies laborantem, apto tandem ei subvenit, optatoque remedio. Ad plurimas, & perniciosissimas hæreses extirpandas, ad corrigendos mores, & restituendam Ecclesiasticam disciplinam, ad pacem, & concordiam Christiani populi procurandam indictum jam pridem in civitate Tridentina Oecumenicum, & Generale Concilium a piæ memoriæ Paulo III, Prædecessore nostro, & Sessionibus aliquot habitis cœptum fuerat: ab ejus autem Successore Julio in eandem urbem revocatum, post alias Sessiones celebratas, variis impedimentis, & difficultatibus objectis, ne tum quidem peragi potuerat: itaque diutius intermissum fuerat, non sine maximo mœrore piorum omnium; cum quotidie magis Ecclesia ejusmodi remedium imploraret. Nos autem post susceptum Sedis Apostolicæ regimen, tam necessarium, ac salutare opus, sicut Pastoralis sollicitudo monebat, Divinæ misericordiæ fiducia perficere aggressi, adjuti pio studio Carissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, & aliorum Christianorum Regum, Rerumpublicarum, ac Principum, tandem consecuti sumus, quod nec diurnis, nec nocturnis curis elaborare destitimus, quodque a Patre luminum assidue precati sumus. Cum enim eam in urbem undique ex Christiani nominis nationibus convenisset, nostris convocata literis, & sua etiam ipsorum pietate excitata, Episcoporum, & aliorum insignium Prælatorum maxima, & Oecumenico Concilio digna frequentia, præter plurimos alios pios, & sacrarum literarum scientia, Divinique, & humani juris cognitione præstantes viros, præsidentibus ipsi Synodo Sedis Apostolicæ Legatis, nobis adeo Concilii libertati faventibus, ut etiam de rebus Sedi Apostolicæ proprie reservatis liberum ipsi Concilio arbitrium per literas, ad Legatos nostros scriptas, ultro permiserimus, quæ de Sacramentis, & aliis rebus, quæ quidem necessariæ visæ sint, tractanda, definienda, & statuenda restabant, ad confutandas hæreses, ad tollendos abusus, & emendandos mores a sacrosancta Synodo summa libertate, diligentiaque tractata, & accurate, ac mature admodum definita, explicata, statuta sunt. Quibus rebus perfectis Concilium tanta omnium, qui illi interfuerunt, concordia peractum fuit, ut consensum eum plane a Domino effectum fuisse constiterit: idque in nostris, atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam singulari Dei munere supplicationes statim in alma hac urbe indiximus, quæ magna Cleri, & populi pietate celebratæ fuerunt; laudesque, & gratias Divinæ Majestati merito persolvendas curavimus: cum ejusmodi Concilii exitus spem magnam, & prope certam attulerit, fore, ut majores in dies fructus ad Ecclesiam ex ipsius Decretis, Constitutionibusque perveniant. Cum autem ipsa Sancta Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum vestigiis inhærens, Decretorum suorum omnium, quæ nostro, & Prædecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmationem a nobis petierit, Decreto de ea re in publica Sessione facto: Nos, ex Legatorum literis prius, deinde post reditum eorum ex iis, quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, postulatione ipsius Synodi cognita, habita super hac re cum Venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deliberatione matura, Sanctique Spiritus in primis auxilio invocato, cum ea Decreta omnia Catholica, & populo Christiano utilia, ac salutaria esse cognovissemus, ad Dei Omnipotentis laudem, de eorundem Fratrum nostrorum consilio, & assensu, in Consistorio nostro secreto illa omnia, & singula auctoritate Apostolica hodie confirmavimus, & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda, ac servanda esse decrevimus; sicut harum quoque literarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & suscipi, observarique decernimus. Mandamus autem in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis a sacris Canonibus constitutis, aliisque gravioribus, etiam privationis, arbitrio nostro infligendis, universis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, & aliis quibusvis Ecclesiarum Prælatis, cujuscumque status, gradus, ordinis, & dignitatis sint, etiam si Cardinalatus honore præfulgeant, ut eadem Decreta, & Statuta in Ecclesiis suis, civitatibus, & Diœcesi-

cesibus, in judicio, & extra judicium diligenter observent, & a subditis quisque suis, ad quos quomodolibet pertinent, inviolabiliter faciant observari: contradictores quoslibet, & contumaces, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, etiam in ipsis Decretis contentas, appellatione postposita, compescendo: invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio. Ipsum vero Carissimum Filium nostrum Imperatorem electum, cæterosque Reges, Respublicas, ac Principes Christianos monemus, & per viscera misericordiæ Domini nostri JESU Christi obtestamur, ut, qua pietate Concilio per Oratores suos affuerunt, eadem pietate, ac pari studio, Divini honoris, & populorum suorum salutis causa, pro Sedis quoque Apostolicæ, & sacræ Synodi reverentia, ad ejusdem Concilii exequenda, & observanda Decreta, Prælatis, cum opus fuerit, auxilio, & favore suo adsint, neque adversantes sanæ, ac salutari Concilii doctrinæ opiniones a populis ditionis suæ recipi permittant, sed eas penitus interdicant. Ad vitandum præterea perversionem, & confusionem, quæ oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in Decreta Concilii commentarios, & interpretationes suas edere; Apostolica auctoritate inhibemus omnibus, tam Ecclesiasticis personis, cujuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis, quocumque honore, ac potestate præditis: Prælatis quidem sub interdicti ingressus Ecclesiæ, aliis vero, quicumque fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omnino interpretationis genus super ipsius Concilii Decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu majoris Decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæsito colore, statuere. Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum, & statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere visum fuerit; ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam, omnium fidelium Magistram, cujus auctoritatem etiam ipsa sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates, & controversias, si quæ ex eis Decretis ortæ fuerint, nobis declarandas, & decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta Synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis merito confisa est, omnium Provinciarum necessitatibus ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, providere: Decernentes nihilominus irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ut hæc autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorationis uti possit: Volumus, & mandamus, ut hæ literæ per aliquos Curiæ nostræ Cursores in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi, tunc, cum in eis populus, ut Missarum solemnibus intersit, congregari solet, palam & clara voce recitentur; &, postquam recitatæ fuerint, ad valvas earum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito Campi Floræ affigantur; ibique, ut legi, & omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, relictis de more ibidem exemplis, in alma Urbe ad impressionem tradantur, quo commodius per Christiani nominis Provincias, & regna divulgari possint. Transumptis quoque earum, quæ manu alicujus publici Notarii scripta, subscriptave, & sigillo, ac subscriptione alicujus personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munita fuerint, fidem sine ulla dubitatione haberi mandamus, atque decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ confirmationis, monitionis, inhibitionis, reservationis, voluntatis, Mandatorum, & Decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, septimo Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

EGO PIUS, CATHOLICÆ Ecclesiæ Episcopus.

Ego

Ego F. Car. Pisanus, Episcopus Ostien. Decanus.
Ego Fed. Card. Cæsius, Episcopus Portuen.
Ego Jo. Card. Moronus, Episcopus Tusculan.
Ego A. Card. Farnesius, Vice-Can. Episcopus Sab.

. . . .

. . . .

Ego R. Card. S. Angeli, Major Pœniten.

. . . .

. . . .

. . . .

Ego Jo. Cardinalis S. Vitalis.
Ego Jo. Michael, Card. Saracenus.

. . . .

Ego Jo. B. Cicada, Card. S. Clementis.
Ego Scipio, Cardin. Pisarum.
Ego Jo. Gardinalis Romanus.
Ego F. M. G. Card. Alexandrinus.
Ego Clemens, Card. Aracæli.
Ego Ja. Card. Sabellus.

. . . .

. . . .

Ego B. Cardinalis Salviatus.
Ego Ph. Card. Aburd.
Ego Lud. Card. Simoneta.

. . . .

. . . .

Ego F. Car. Pacieccus, y de Tol.
Ego M. A. Card Amulius.
Ego Jo. Franc. Card. de Gambara.
Ego Carolus Card. Borromeus.
Ego M. S. Card. Constantiens.
Ego Alph. Card. Gesualdus.
Ego Hip. Cardinalis Ferrar.
Ego Franciscus, Card. Gonzaga.

. . . .

Ego Gul. Asc. Diac. Cardinalis Cam.
Ego Vitellotius, Cardin. Vitellius.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

Ant. Florebellus Lavellinus.

H. Cumyn.

BULLA S. D. N. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

SUPER DECLARATIONE temporis ad observanda Decreta Sacri Oecumenici, & Generalis Concilii Tridentini.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sicut ad sacrorum Conciliorum Decreta ac Canones, auctoritas atque confirmatio Apostolicæ Sedis & debet, & solet accedere; ita si qua super eis exorta sit dubitatio, ejusdem Sedis judicio, & declaratione tollenda est. Ad aures nostras pervenit, multos esse, qui dubitent, ex quo tempore cœperint Decreta sacri Generalis Concilii Tridentini ad reformationem & jus positivum duntaxat spectantia, eos, ad quos pertinent, obligare, illa præsertim, quæ tempora certa præstituunt, ad Provinciales, Diœcesanasque Synodos celebrandas, ad sacros Ordines suscipiendos, ad religionem profitendam, ad Parochiales Ecclesias, aliaque beneficia Ecclesiastica, quæ ejusdem Concilii Decretis retineri prohibitum sit, resignanda, & ad complures res hujusmodi exequendas, ac alias omnes ad prædictam reformationem jusque posititivum tantum spectantes, quæ observari, aut evitari debeant. Nos itaque, ut omnis controversia dubitatioque tollatur, Motu proprio eam rem, prout rationi, juri, & æquitati convenire censuimus, duximus declarandam: Nam etsi ipsius Concilii Decreta etiam de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu in Consistorio nostro secreto confirmata a nobis fuerunt sub finem Mensis Januarii, & ab eo etiam tempore apud hanc sanctam Sedem observari cœperunt; quia tamen non parum temporis in eis Romæ diligenter, emendateque imprimendis necessario consumptum fuit, & jure etiam communi sancitum est, ut Constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus

pus obtineant; æquum nobis, & juſtum viſum eſt, prædicta Decreta omnia, ad dictam reformationem jusque poſitivum duntaxat ſpectantia, a Kalend. Maji proxime præteriti omnes obligare cœpiſſe, neque poſt eam diem excuſationem cujusquam, quod ea ignoraverit, admittendam: atque ita Apoſtolica auctoritate declaramus, ac definimus, & ab omnibus judicari debere mandamus, atque ſtatuimus. Decernentes irritum, & inane ſi quid ſecus a quoquam quacumque dignitate, auctoritate, & poteſtate prædito contigerit judicari... Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aliisque in contrarium facientibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ declarationis, definitionis, mandati, Statuti, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, quintodecimo Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno quinto.

FED. CARD. CÆSIUS.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Anno a Nativitate Domini Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione ſeptima, die vero vigeſima menſis Julii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Pii, Divina Providentia Papæ Quarti, anno quinto, retroſcriptæ literæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valvis Baſilicarum Principis Apoſtolorum de Urbe, & Sancti Joannis Lateranen.: Nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ. Per Nos Jacobum Carra, & Julium Parinum prælibati S. D. N. Papæ Curſores.

Antonius Clerici Magiſter Curſorum.

BULLA S. D. N. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

SUPER FORMA JURAMENTI PROFESSIONIS FIDEI.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

INJUNCTUM nobis Apoſtolicæ ſervitutis officium requirit, ut ea quæ Dominus Omnipotens, ad providam Eccleſiæ ſuæ directionem, ſanctis Patribus, in nomine ſuo congregatis divinitus inſpirare dignatus eſt, ad ejus laudem & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini diſpoſitionem omnes, quos deinceps Cathedralibus & Superioribus Eccleſiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuscunque beneficiis Eccleſiaſticis, curam animarum habentibus, provideri continget, publicam orthodoxæ fidei profeſſionem facere, ſeque in Romanæ Eccleſiæ obedientia permanſuros ſpondere, & jurare, teneantur: Nos volentes, etiam per quoscumque, quibus de Monaſteriis, Conventibus, domibus, & aliis quibuscumque locis, Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militiarum, quocumque nomine vel titulo providebitur, idem ſervari, & ad hoc, ut unius ejusdem fidei profeſſio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſolicitudinis partes, in hoc alicui minime deſiderari, formam ipſam præſentibus annotatam, publicari, & ubique gentium per eos, ad quos ex Decretis ipſius Concilii & alios prædictos ſpectat, recipi & obſervari, ac ſub pœnis per Concilium ipſum in contravenientes latis, juxta hanc & non aliam formam, profeſſionem prædictam ſolemniter fieri, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium diſtricte præcipiendo mandamus, hujusmodi ſub tenore. Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccle-

ſia

ſia utitur, videlicet. Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium; & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt; crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt; & reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas; & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris; & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos; cujus regni non erit finis: & in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui locutus eſt per Prophetas: & unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi Amen. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes & Conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie Sacramenta novæ Legis a JEſu Chriſto, Domino noſtro, inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto: Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio: Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, una cum anima, & Divinitate Domini noſtri, JESU CHRISTI, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis, in corpus, & totius ſubſtantiæ vini, in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter & Sanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe: eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam: Indulgentiarum etiam poteſtatem, a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe; illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, affirmo: Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici, Beati Petri, Apoſtolorum Principis, Succeſſori, ac JESU CHRISTI Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro: Cætera item omnia a ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtan-

ſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Volumus autem, quod præſentes literæ, in Cancellaria noſtra Apoſtolica, de more, legantur: Et ut omnibus facilius pateant, in ejus Quinterno deſcribantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ voluntatis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, Idibus Novemb. Pontificatus noſtri anno Quinto.

Fed. Cardinalis Cæsius.

Cæ. Glorierius.

Lectæ, & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ literæ Romæ, in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, die vero Sabbati, nona menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Pii, Papæ Quarti, anno Quarto.

A. Lomellinus Cuſt.

MOTUS PROPRIUS

S. D. N. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

Per quem deputantur octo Reverendiſſ. Cardinales, qui faciant obſervari Reformationes ab ipſo editas, nec non Decreta Sacri, Oecumenici, & Generalis Concilii Tridentini.

PIUS PAPA IV.

Motu proprio &c. Alias nos nonnullas Conſtitutiones, & Ordinationes, reformationem majoris Pœnitentiarii, ac ſacræ Pœnitentiariæ noſtræ, ac Vicarii noſtri, ac ejus officii, nec non Camerarii, & Cameræ Apoſtolicæ, ac illius cauſarum Auditoris, nec non Palatii Apoſtolici cauſarum Auditorum, ac Gubernatoris, & Capitolinæ curiarum, & Contradictarum, aliorumque almæ Urbis noſtræ, ac Romanæ Curiæ tribunalium, & officiorum concernentes, edidimus: quæ tamen (ut intelleximus) ab eorundem officiorum & tribunalium Præfectis, ac Officialibus minus diligenter obſervantur. Cum autem enixæ noſtræ voluntatis ſit, ut illa, & pariter Decreta ſacri Concilii Tridentini; in his, quæ ad eorum officia ſpectant, ab eiſdem omnino obſerventur: Nos propterea conſiderantes, parum eſſe, jura condere, niſi ſint, qui ea executioni demandari faciant, & in præmiſſis, prout ex debito Paſtoralis officii nobis (meritis licet imparibus) injuncti obligamur, ſalubriter, & utiliter providere: præfataſque Conſtitutiones, & Ordinationes, ac Decreta Concilii, quas, & quæ hic haberi volumus pro expreſſis, inviolabiliter obſervari volentes: Venerabili Fratri noſtro Joanni Epiſopo Tuſculan. Morono, Jo. Michaeli Sanctæ Anaſtaſiæ Saraceno, ac Jo. Baptiſtæ Sancti Clementis Cicadæ, nec non Michaeli Sanctæ Sabinæ Alexandrino, Clementi Sanctæ Mariæ in Ara cæli, & Ludovico Sancti Cyriaci in Thermis Simonetæ, ac Carolo Sancti Martini in Mon-

Montibus Borromeo: Presbyteris; nec non Vitellotio Sanctæ Mariæ in Porticu Vitellio, nuncupatis, titulorum, Diacono, Cardinalibus, committimus, & mandamus: quatenus ipsi, seu eorum major pars, conjunctim, vel divisim, eorum arbitrio, etiam tamquam executores dictarum literarum, Constitutionum, & Decretorum prædictorum, Constitutiones, & Ordinationes, ac Decreta præfata, juxta tenores eorum, ac literarum desuper confectarum, per quoscumque Pœnitentiariæ, Vicariæ, & Cameræ, ac Rotæ curiarum, ac tribunalium prædictorum Judices, & Officiales, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis officiorum, & aliis, eisdem Cardinalibus bene visis, etiam pecuniarum, eo ipso incurrendis pœnis, firmiter observari faciant, & cum effectu: nisi tam in executione dictorum Decretorum Concilii, quam dictarum literarum nostrarum, aliqua dubietas, aut difficultas emerserit: quo casu ad nos referant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis: ac eos, qui literis, & Decretis prædictis, & eorumdem Cardinalium mandatis non paruerint, extunc, prout ex eadem die, & econtra, illorum officiis privatos, nec non ad illa, & alia Romanæ Curiæ officia imposterum obtinenda inhabiles, ac ipsis ab eisdem officiis sic privatis, illa tamquam per privationem vacantia, a Datario nostro vendi, & a quibusvis personis idoneis pro pretio convenienti emi, libere, & licite posse auctoritate nostra curent, nuncient, decernant, ac declarent, prout nos harum serie nunciamus, decernimus, & declaramus. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Pœnitentiariæ, & curiarum, nec non tribunalium prædictorum statutis &c. etiam juramento &c. roboratis: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis illis, ac dictis Officialibus, & Tribunalibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & Decretis, etiam motu simili &c. & alias quomodocumque concessis &c. Quibus omnibus &c. illorum tenores &c. hac vice latissime derogamus, eaque adversus præmissa nullatenus suffragari volumus: cæterisque contrariis quibuscunque.

Placet Motu Proprio. I.

Dat. Romæ, apud Sanctum Marcum, quarto Nonas Augusti, anno Quinto.

BULLA S. D. N. PII, PAPÆ IV.

REVOCATORIA PRIVILEGIORUM, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, Maris magni, & aliarum quarumcumque similium gratiarum, quibuscumque locis, & personis concessarum, in his, in quibus Statutis, & Decretis Sacri Concilii Tridentini contrariantur.

PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

In Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus, Divina dispositione constituti, nihil neque universali Ecclesiæ, curæ & solicitudini nostræ commissæ, salubrius, neque injuncto nobis Apostolicæ servitutis officio, decentius præstare possumus, quam quod providentiæ nostræ ministerio Oecumenicum Concilium Tridentinum, sicut nostris potissimum auspiciis, summaque sanctorum Patrum concordia per DEI misericordiam feliciter absolutum fuit: Ita per universos, qui Christiana pietate censentur, ubique suscipiatur, & remotis quibuslibet obstaculis ab omnibus æqualiter observetur. Cum itaque in eodem Concilio quamplurima salubria, & ad universalem morum reformationem valde utilia, Decreta atque Statuta, maturo præsentium ipsorum examine præcedente, sint edita, quibus multa, atque diversa privilegia,

gia, exemptiones, immunitates, dispensationes, facultates, conservatoriæ, indulta, &, ut vocant, confessionalia, & Mare magnum, & aliæ gratiæ, quæ variis, tam Cathedralibus, etiam Metropolitan. quàm Collegiatis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, & aliis Religiosis, etiam Fratrum Mendicantium domibus, & ordinibus: Nec non Sancti Spiritus in Saxia, sancti Joannis Lateranensis, ac Incurabilium de Urbe, sancti Antonii Viennen. & sancti Bernardi Juren. aliisque Hospitalibus, Militiis, eorumque Capitulis, & Conventibus, ac Universitatibus, etiam Studiorum generalium Collegiis, tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis, Confraternitatibus, Societatibus, & tam Principis Apostolorum de Urbe, quam aliis Fabricis, sanctæ Cruciatæ, aliisque piis, locis, & operibus: nec non Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, Prælatis, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Præpositis, & aliis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam diversorum ordinum, & militiarum Regularibus, ac etiam laicis cujuscumque dignitatis, & status, ac gradus, & excellentiæ, ac etiam Ducali, Regia, & Imperiali dignitate fulgentibusque utriusque sexus personis: Nec non aliquibus Notariis, & etiam de latere Legatis, atque Nunciis, tam perpetuo, quam ad tempus per plures Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac nos, & Sedem Apostolicam, ejusque Legatos hactenus etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu etiam Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum contemplatione, & intuitu, etiam de fratrum consilio, diversimode, variisque temporibus in genere, vel specie, ex quavis etiam honesta causa concessa, & etiam pluries confirmata, & innovata fuerunt, in plerisque contrariantur. Nos quibus in primis cordi est, tam sancta, & Ecclesiæ Dei saluberrima Decreta suos, ut par est, effectus ubique consequi, & ab omnibus obedienter observari, privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, Conservatoriarum, Indultorum, Confessionalium, Maris magni, & aliarum gratiarum prædictarum, ac quarumcumque Apostolicarum, & aliarum literarum desuper confectarum, processuumque, Decretorum, & aliorum inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & plene insertis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod eadem omnia, & singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, Conservatoriæ, Indulta, Confessionalia, Mare magnum, & aliæ gratiæ in his omnibus & singulis, in quibus illa statutis, & decretis, Concilii hujusmodi contrariantur, ipso jure revocata, cassata, & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos, atque limites reducta sint, & esse censeantur; nec quicquam adversus ipsa decreta, & statuta, quominus ubique, & apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse; sed ea perinde haberi, & reputari debere, ac si nunquam emanassent; auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus, & ordinamus. Decernentes nihilominus omnia, & singula quæ vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum, & dispensationum, facultatum, Conservatoriarum, Indultorum, Confessionalium, & aliarum quarumcumq; gratiarum hujusmodi post id tempus, quo Concilium obligare cœpit, facta, & gesta quomodolibet fuerunt, & imposterum fient, in his, in quibus dicti Concilii Decretis adversantur, nulla, invalida, & irrita esse, & censeri; ac nemini, etiam quantumlibet, ut præfertur, qualificato, tam in foro (quod ajunt) fori, quam conscientiæ, suffragari posse, & debere. Et ita per quoscunque locorum Ordinarios, aliosque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, in utroque foro judicari, & definiri debere: ac quidquid secus, a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat

liceat hanc paginam noſtræ Declarationis, Statuti, Ordinationis, & Decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, tertio decimo Kalen. Martii, Pontificatus noſtri anno Sexto.

P. Episcopus Narnien.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Anno a Nativitate D. Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, Indictione ſexta, die vero vigeſima quarta menſis Februarii. Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini PII, Divina providentia Papæ Quarti, anno ejus Sexto retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ, affixæ & publicatæ fuerunt in Acie Campi Floræ, & valvis Cancellariæ Apoſtolicæ, per nos Nicolaum de Matthæis, & Camillum Cherubinum S. D. N. Papæ Curſores.

Philibertus Phapuis, Magiſter Curſorum.

BULLA

DE INDICE LIBRORUM prohibitorum, per delectos a Concilio Tridentino Prælatos confecto.

PIUS PAPA IV. AD FUTURAM REI MEMORIAM.

DOminicæ gregis cuſtodiæ, Domino diſponente, præpoſiti, vigilis more Paſtoris, non deſiſtimus ipſi gregi ab imminentibus periculis, quanta maxima poſſumus cura & diligentia, præcavere, ne propter negligentiam noſtram pereant oves, quæ pretioſiſſimo Domini noſtri Jesu Christi Sanguine ſunt redemptæ. Etſi autem, quæ ad fidei veritatem patefaciendam, & ad horum temporum hæreſes confutandas pertinebant, in Oecumenico, & Generali Concilio Tridentino, Sancti Spiritus aſſiſtente gratia, nuper adeo enucleata & definita fuerunt, ut facile jam ſit unicuique ſanam, Catholicamque doctrinam a falſa adulterinaque internoſcere: tamen cum librorum ab hæreticis editorum lectio non modo ſimpliciores homines corrumpere ſoleat, verum ſæpe etiam doctos, eruditosque in varios errores, & a veritate fidei Catholicæ alienas opiniones inducere; huic quoque rei eſſe duximus providendum. Cum autem aptiſſimum ei malo remedium eſſe ſciremus, ſi componeretur atque ederetur Index, ſive Catalogus Librorum, qui vel hæretici ſint, vel de hæretica pravitate ſuſpecti, vel certe moribus & pietati noceant, id negotium ad ſacram Tridentinam Synodum rejeceramus. Ea vero ex tanta Epiſcoporum & aliorum doctiſſimorum virorum copia delegit ad eum conficiendum indicem, multos cum doctrina, tum judicio inſignes Prælatos ex omnibus fere nationibus. Qui quidem non ſine maximo labore, plurimisque vigiliis eum indicem tandem, Deo juvante, perfecerunt, adhibitis etiam in conſilium lectiſſimis quibusdam Theologis. Peracto autem Concilio, cum ex ipſius Synodi Decreto is index nobis oblatus fuiſſet; ut ne ante ederetur, quam a nobis approbatus fuiſſet: Nos doctiſſimis quibusdam, probatiſſimisque Prælatis eum accuratiſſime legendum, examinandumque tradidimus, & ipſi etiam legimus. Cum igitur eum magno ſtudio, acri judicio, diuturna cura confectum, & præterea commodiſſime digeſtum eſſe cognoverimus: Nos ſaluti animarum conſulere, eamque ob cauſam providere cupientes; ne libri & ſcripta cujuscumque generis, quæ in eo improbantur, ſive ut hæretica, ſive ut de hæretica pravitate ſuſpecta, ſive ut pietati, ac morum honeſtati inutilia, aut aliqua correctione ſaltem indigentia, poſthac a Chriſti fidelibus legantur, ipſum indicem, una cum regulis ei præpoſitis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus, imprimique ac divulgari, & ab

ab omnibus Univerſitatibus Catholicis, ac quibuscumque aliis ubique ſuſcipi, easque regulas obſervari mandamus, atque decernimus: inhibentes omnibus, & ſingulis, tam Eccleſiaſticis perſonis, Sæcularibus, & Regularibus, cujuscumque gradus, ordinis & dignitatis ſint, quam laicis, quocumque honore, ac dignitate præditis, ne quis contra earum regularum præſcriptum, aut ipſius prohibitionem indicis libros ullos legere, habereve audeat, ſi quis autem adverſus eas regulas, prohibitionemque fecerit; is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis authoris ſcripta, propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipſo jure in excommunicationis pœnam incidat; eamque ob cauſam in eum tamquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas, ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, Sacrisque Canonibus conſtitutas. Qui autem libros alia de cauſa prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum, Epiſcoporum arbitrio ſevere ſe noverit puniendum, non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuscumque; aut ſi quibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, ne excommunicari poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Ut hæc autem ad omnium notitiam perveniant, neve quis excuſatione ignorationis uti poſſit; volumus & mandamus, ut hæ literæ per aliquos Curiæ noſtræ Curſores in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, & in Eccleſia Lateranenſi, tunc cum in eis populus, ut Miſſarum ſolemnibus interſit, congregari ſolet, palam & clara voce recitentur; & poſtquam recitatæ fuerint, ad valvas earum Eccleſiarum, itemque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in loco ſolito Campi Floræ affigantur; ibique ut legi & omnibus innoteſcere poſſint, aliquantisper relinquantur. Cum autem inde amovebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim, per recitationem hanc, publicationem, & affixionem, omnes & ſingulos, qui his literis comprehenduntur, poſt tres menſes, a die publicationis, & affixionis earum numerandos, volumus perinde adſtrictos, & obligatos eſſe, ac ſi ipſismet illæ editæ, lectæque fuiſſent. Tranſumptis quoque earum, quæ manu alicujus publici Notarii ſcripta, ſubſcriptave, & ſigillo, ac ſubſcriptione alicujus perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munita fuerint; fidem ſine ulla dubitatione haberi mandamus atque decernimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XXIV. Martii MDLXIV. Pontificatus noſtri anno Quinto.

Ant. Florebellus Lavellinus.

In Indicem Librorum prohibitorum, confectum a Deputatione Tridentinæ Synodi Præfatio R. P. F. Franciſci Forerii, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Profeſſoris, & ejusdem Deputationis Secretarii.

CUm Sancta Oecumenica Tridentina Synodus, iis rationibus adducta, quæ in ſecundæ Seſſionis Decreto ſub Beatiſſimo Pio IV. Pontifice Max. explicatæ ſunt, cenſuiſſet, ut Patres aliquot, ex omnibus fere nationibus delecti, de librorum cenſuris quid ſtatuendum eſſet, diligenter cogitarent, in eam tandem ſententiam poſt diuturnam deliberationem venerunt, ut judicarint, nihil utilius fieri poſſe, quam ſi Romanus ille prohibitorum librorum index, ab Inquiſitoribus Romæ poſtremo confectus, paucis tantum demptis, atque etiam additis, retineretur; quippe qui, cum magna maturitate a multis viris doctis compoſitus, plurimos comprehendat auctores, atque in ordinem ſatis commodum digeſtus eſſe videatur. Quoniam vero intelligebant, propterea in aliquibus Provinciis ac locis hactenus eum indicem receptum non eſſe, quod in eo quidam libri prohiberentur, quorum lectione viri docti privati, magno incommodo afficerentur; atque

atque animadvertentes etiam, in eo esse nonnulla parum explicate posita, quæ interpretatione indigerent, re multum diuque deliberationibus agitata, ac viris etiam ex omni natione, Theologicæ facultatis scientissimis, in consilium adhibitis, subjectas regulas componendas judicarunt: ut, quoad ejus fieri posset, doctorum hominum commodis & studiis, salva veritate, ac religione, prospiceretur. Illud igitur inprimis observare oportet, unamquamque pœne Alphabeti literam tres habere classes. In prima non tam libri, quam librorum Scriptores continentur, qui aut hæretici, aut nota hæresis suspecti fuerunt. Horum enim Catalogum fieri oportuit, ut omnes intelligant, eorum scripta, non edita solum, sed edenda etiam, prohibita esse. Sed illud etiam animadvertendum est, quod licet multi præterea sint, qui justissimis de causis in hanc classem referri poterant: Patribus tamen non is fuit animus, aut ad eorum pertinebat institutum, ut eos ad unum perquirerent: sed iis pœne contenti fuere, qui in Romano catalogo descripti sunt: de aliis vero ejusdem generis auctoribus idem ab Ordinariis & Inquisitoribus statuendum esse existimarunt. In secundam classem non auctores, sed libri sunt relati, qui propter doctrinam, quam continent, non sanam, aut suspectam, aut quæ offensionem etiam in moribus tantum, fidelibus afferre potest, rejiciuntur: etiam si auctores, a quibus prodiere, ab Ecclesia nunquam desciverunt. Tertia vero & ultima classis eos libros complectitur, qui sine scriptoris nomine exierunt in vulgus; & eam doctrinam continent, quam Romana Ecclesia, tanquam Catholicæ fidei, aut morum integritati contrariam, refutandam ac repellendam esse decernit. Non enim omnes libri, qui nomen auctoris non præferunt, damnandos putarunt: quandoquidem sæpe viros doctos, ac Sanctos novimus, ut Christiana quidem Resp. ex eorum vigiliis fructum caperet, ipsi vero inanem gloriam evitarent, libros optimos sine nomine edidisse: sed eos tantum, qui aut liquido pravam aut dubiam fidei doctrinam, sive moribus pernitiosam continent. At vero, qui sint hujusmodi, aut tales censeri debeant, præter eos, qui in hoc catalogo descripti sunt, Episcopi & Inquisitores una cum Theologorum Catholicorum consilio dijudicabunt. Sed propter nostrorum temporum malitiam, ne in posterum libri sine nomine auctoris edantur, Decreto quartæ Sessionis Tridentini Concilii sub fel. rec. Paulo III. quod incipit: Sed & impressoribus &c. provisum est.

DE LIBRIS PROHIBITIS

REGULÆ X.

Per Patres a Tridentina Synodo delectos concinnatæ, & a PIO PP. IV. comprobatæ superiore Constitutione, quæ incipit: Dominici, *die XXIV. Martii, anno M. D. LXIV.*

REGULA PRIMA.

Libri omnes, quos ante annum M. D. XV. aut Summi Pontifices, aut Concilia Oecumenica damnarunt, & in hoc indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

REGULA II.

Hæresiarcharum libri, tam eorum, qui post prædictum annum hæreses invenerunt, vel suscitarunt, quam qui hæreticorum capita aut duces sunt, vel fuerunt; quales sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Swenchfeldius, & his similes, cujuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur. Aliorum autem hæreticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. Qui vero de religione non tractant, a Theologis Catholicis, jussu Episcoporum & Inquisitorum examinati & approbati permittantur. Libri etiam Catholici conscripti, tam ab aliis, qui postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati a Facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicæ, vel ab

Inquiſitione generali, permitti poterunt.

REGULA III.

Verſiones Scriptorum etiam Eccleſiaſticorum, quæ hactenus editæ ſunt a damnatis auctoribus, modo nihil contra ſanam doctrinam contineant, permittuntur. Librorum autem veteris Teſtamenti verſiones, viris tantum doctis & piis judicio Epiſcopi concedi poterunt: modo hujusmodi verſionibus, tanquam elucidationibus vulgatæ editionis, ad intelligendam ſacram Scripturam, non autem tanquam ſacro textu utantur. Verſiones vero novi Teſtamenti ab auctoribus primæ claſſis hujus indicis factæ nemini concedantur; quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare ſolet. Si quæ vero annotationes cum hujusmodi, quæ permittuntur verſionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, expunctis locis ſuſpectis a Facultate Theologica alicujus Univerſitatis Catholicæ, aut Inquiſitione generali, permitti eisdem poterunt, quibus & verſiones. Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi viris piis & doctis poterunt. Ex Bibliis vero Iſidori Clarii Brixiani prologus, & prolegomena præcidantur: ejus vero textum nemo textum vulgatæ editionis eſſe exiſtimet.

REGULA IV.

Cum experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua paſsim ſine diſcrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Epiſcopi aut Inquiſitoris ſtetur: ut cum conſilio Parochi vel Confeſſarii, Bibliorum a Catholicis auctoribus verſorum lectionem in vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint, ex hujusmodi lectione, non damnum, ſed fidei atque pietatis augmentum capere poſſe: quam facultatem in ſcriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, ſeu habere præſumpſerit, niſi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit. Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habenti, Biblia idiomate vulgari conſcripta vendiderint, vel alio quovis modo conceſſerint; Librorum pretium, in uſus pios ab Epiſcopo convertendum, amittant, aliisque pœnis pro delicti qualitate ejusdem Epiſcopi arbitrio ſubjaceant. Regulares vero nonniſi facultate a Prælatis ſuis habita, ea legere, aut emere poſſint.

REGULA V.

Libri illi, qui hæreticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de ſuo apponunt, ſed aliorum dicta colligunt, cujusmodi ſunt lexica, concordantiæ, apophthegmata, ſimilitudines, indices, & hujusmodi, ſi quæ habeant admiſta, quæ expurgatione indigeant, illis Epiſcopi, & Inquiſitoris, una cum Theologorum conſilio, ſublatis aut emendatis, permittantur.

REGULA VI.

Libri vulgari idiomate de controverſiis inter Catholicos & hæreticos noſtri temporis differentes, non paſſim permittantur: ſed idem de iis ſervetur, quod de Bibliis vulgari lingua ſcriptis ſtatutum eſt. Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi, ac ſimilibus argumentis, vulgari ſermone conſcripti ſunt, ſi ſacram doctrinam contineant, non eſt cur prohibeantur, ſicut nec ſermones populares vulgari lingua habiti. Quod ſi hactenus in aliquo Regno vel Provincia aliqui libri ſunt prohibiti, quod nonnulla continerent, quæ ſine delectu ab omnibus legi non expediat, ſi eorum auctores Catholici ſunt, poſtquam emendati fuerunt, permitti ab Epiſcopo & Inquiſitore poterunt.

REGULA VII.

Libri, qui res laſcivas, ſeu obſcenas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, cum non ſolum fidei, ſed & morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi ſolent, ratio habenda ſit, omnino prohibentur; & qui eos habuerint, ſevere ab Epiſcopis puniantur. Antiqui vero ab ethnicis conſcripti, propter ſermonis elegantiam & proprietatem permittuntur: nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

REGU-

REGULA VIII.

Libri, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem, divinationem, seu superstitionem spectant, a Catholicis Theologis, Inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possint. Idem judicium sit de prologis, summariis, seu annotationibus, quæ a damnatis auctoribus, libris non damnatis, appositæ sunt: sed posthac nonnisi emendati excudantur.

REGULA IX.

Libri omnes & scripta geomantiæ, hydromantiæ, aeromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejiciuntur. Episcopi vero diligenter provideant, ne astrologiæ judiciariæ libri, tractatus, indices, legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent. Permittuntur autem judicia, & naturales observationes, quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ gratia conscripta sunt.

REGULA X.

In librorum, aliarumve scripturarum impressione servetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. 10. statutum est. Quare si in alma urbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium Pontificis & Sacri Palatii Magistrum, vel personas a Sanctissimo Domino nostro deputandas, prius examinetur. In aliis vero locis ad Episcopum, vel alium habentem scientiam, libri vel scripturæ imprimendæ, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ pravitatis ejus civitatis vel Diœcesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio & examen pertineat: & per eorum manum propria subscriptione gratis & sine dilatione imponendam, sub pœnis & censuris in eodem decreto contentis approbetur: hac lege & conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, & manu auctoris subscriptum, apud Examinatorem remaneat: eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati probatique fuerint, iisdem pœnis subjici debere judicarunt Patres deputati, quibus impressores, & qui eos habuerint, & legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, & in fronte libri vel scripti, vel impressi authentice appareat, probatioque & examen, ac cætera gratis fiant. Præterea in singulis civitatibus ac Diœcesibus, domus vel loci, ubi ars impressoria exercetur, & Bibliotheca librorum venalium, sæpius visitentur a personis ad id deputandis ab Episcopo, seu ejus Vicario, atque etiam ab Inquisitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum, quæ prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur. Omnes vero Librarii, & quicumque librorum venditores habeant in suis Bibliothecis indicem librorum venalium, quos habent, cum subscriptione dictarum personarum: nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacumque ratione tradant, sine licentia eorundem deputandorum, sub pœna amissionis librorum, & aliis arbitrio Episcoporum vel Inquisitorum imponendis. Emptores vero, lectores, vel impressores, eorundem arbitrio puniantur. Quod si aliqui libros quoscumque in aliquam civitatem introducant, teneantur eisdem personis deputandis renuntiare, vel si locus publicus mercibus ejusmodi constitutus sit, ministri publici ejus loci prædictis personis significent libros esse adductos. Nemo vero audeat librum, quem ipse vel alius in civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, & habita licentia a personis deputandis; aut nisi notorie constet, librum jam esse omnibus permissum. Idem quoque servetur ab hæredibus & exsecutoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defunctis relictos, sive eorum indicem illis personis deputandis offerant, & ab iis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacumque ratione transferant. In his autem omnibus & singulis pœna statuatur vel amissionis librorum, vel alia arbitrio eorundem Episcoporum, vel In-

 quisi-

quiſitorum, pro qualitate contumaciæ vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati examinarunt, aut expurgarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, ut rurſus excuderentur, conceſſerunt; quidquid illos ſtatuiſſe conſtiterit, tam Bibliopolæ, quam cæteri obſervent. Liberum tamen ſit Epiſcopis aut Inquiſitoribus Generalibus ſecundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, ſi hoc in ſuis Regnis, aut Provinciis, vel Diœceſibus expedire judicaverint. Cæterum nomina, cum librorum, qui a Patribus deputatis purgati ſunt, tum eorum, quibus illi hanc Provinciam dederunt, eorumdem Deputatorum Secretarius Notario ſacræ univerſalis Inquiſitionis Romanæ deſcripta Sanctiſſimi Domini noſtri juſſu tradidit.

Ad extremum vero omnibus fidelibus præcipitur, ne quis audeat, contra harum regularum præſcriptum, aut hujus indicis prohibitionem libros aliquos legere, aut habere. Quod ſi quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris ſcripta, ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, ſive habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Epiſcoporum ſevere puniatur.

NOMINA, (*) COGNOMINA, PATRIÆ, ET DIGNITATES, LEGATORUM, ET ALIORUM PATRUM, ITEM ORATORUM ET THEOLOGORUM, QUI AD SACROSANCTAM OECUMENICAM TRIDENTINAM SYNODUM CONVENERUNT A PRINCIPIO USQUE IN FINEM, QUI FUIT IV. DECEMBRIS M.D.LXIV. SUB PIO IV. PONTIFICE MAXIMO.

Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum Promotiones hic adjunximus ex editione Lovanienſi, Anno MDLXXXVII. & quædam alia identidem inſeruimus ex editione Philippi Chiffletii, Abbatis Balernenſis, ſive Antverpiana, ſive Agrippinenſi, anni MDCXLIV. (**)

Legati & Nuntii Apoſtolici, Concilii Præſides.

Hercules Gonzaga, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Mariæ Novæ, Mantuanus: obiit Tridenti, die ſecunda Martii, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, & ſepultus eſt Mantuæ.

Hieronymus Seripandus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, tituli Sanctæ Suſannæ, Neapolitanus; obiit Tridenti, die decima octava Martii, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, & ibi ſepultus in Eccleſia Sancti Marci, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, cujus olim fuerat Generalis.

Joannes Moronus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Epiſcopus Prænestinus, Mediolanenſis, in demortui Cardinalis de Mantua locum miſſus. Poſtea Oſtienſis, & ſacri Collegii Decanus: obiit M.D.LXXX. Kalend. Decemb. ſepultus in æde Sanctæ Mariæ ſupra Minervam.

Stanis-

(*) Non leguntur in hoc Indice, nec in aliis, quos vidi, a nobis tamen minime prætermittendi, tres Eccleſiaſtici S. R. I. Principes Electores, & Archi-Epiſcopi:

Sebaſtianus ab Hauſenſtein, Archi-Epiſcopus Moguntinenſis, Germanus.
Joannes Comes ab Eyſemburg, Archi-Epiſcopus Treverenſis, Germanus.
Adolphus a Schawemburg, Archi-Epiſcopus Colonienſis, Germanus.

Qui Seſſioni XIII. XIV. & XV. interfuerunt, pluribus ſecuturis interfuturi, niſi novi belli, a Proteſtantibus anno 1552. moti tumultus eosdem ad ſuas Eccleſias tutandas reverti, cæterosque Patres Concilium ipſum, decreta ejusdem ſuſpenſione, interrumpere coegiſſent.

(**) Adnotatio P. Philippi Labbe S. J., apud Harduinum. Apud eundem in titulo præcedente omittuntur hæ voces: *A principio uſque in finem, qui fuit IV. Decembris MDLXIV.*

Stanislaus Hosius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tituli Sancti Laurentii in Palisperna, Polonus, civis & Episcopus Warmiensis. Postea Pœnitentiarius major; obiit Capranicæ MDLXXIX. Nonis Augusti, sepultus Romæ in Æde sanctæ Mariæ trans Tiberim.

Ludovicus Simoneta, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Prebyter Cardinalis, tituli Sancti Cyriaci in Thermis, Mediolanensis, Episcopus Pisaurensis. Obiit Romæ, MDLXIII. pridie Kalend. Maji: sepultus in Æde sanctæ Mariæ Angelorum.

Marcus Syricus, seu Siticus de Altaemps, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, Basilicæ sanctorum duodecim Apostolorum, Germanus, Episcopus Constantiensis. Obiit Romæ MDCXV. mense Martio, sepultus in æde sanctæ Mariæ trans Tiberim.

Bernardus Navagerius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tituli sancti Nicolai inter Imagines, Venetus, in demortui Cardinalis Seripandi locum missus. Obiit Veronæ MDLXV. pridie Kalend. Junii, sepultus in Ecclesia Cathedrali.

Cardinales non Legati.

Carolus a Lotharingia, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tituli sancti Apollinaris, Princeps & Archi-Episcopus Remensis, Gallus, Abbas Cluniaci. Obiit Avenione MDLXXIV. VII. Kalend. Januarii: sepultus Remis in Ecclesia Metropolitana.

Ludovicus Madrutius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, tituli sancti Callisti, civis & electus Episcopus Tridentinus, Germanus. Postea Episcopus Tusculanus. Obiit Romæ MDC. II. Aprilis, sepultus in Sacello familiari sancti Onuphrii.

Oratores: quorum nomina hic describuntur juxta eorum loca, quæ in eadem Sacrosancta Synodo habuerunt.

Oratores Ecclesiastici sedebant a manu Legatorum: videlicet:

Antonius de Muglitio, Moravus, Archi-Episcopus Pragensis, Orator Cæsareus.

Georgius Drascovitius, Croatus, Episcopus Quinqueecclesiensis, Orator Cæsareus pro Regno Hungariæ, postea Cardinalis, & Archi-Episcopus Colocensis. Obiit MDLXXXV. sepultus in Cathedrali Giavarini Ecclesia.

Valentinus Herbutus, Polonus, Episcopus Præmissiensis, Orator Serenissimi Regis Poloniæ.

Marcus Antonius Bobba, Casalensis, Episcopus Augustensis in Pedemontio, Excellentissimi Ducis Sabaudiæ Orator, postea Cardinalis.

Hieronymus de Gaddis, Florentinus, Episcopus Cortonensis, Orator Excellentissimi Ducis Florentiæ, missus in locum Joannis Strozzii.

Frater Martinus Royas Portalrubeo, Hispanus, Orator Religionis Hyerosolymitanæ.

Oratores Sæculares sedebant a manu sinistra Legatorum.

Sigismundus a Tuun, Tridentinus, Orator Cæsareus.

Oratores Christianissimi Galliarum Regis.

Ludovicus de sancto Gelasio, Dominus de Lansac.

Arnaldus du Ferrier, sive Ferrerius, Præsidens in Parlamento Parisiensi; &

Guido du Faur, sive Faber, Judex major Tolosæ, postea Advocatus Regius, demum Præses in suprema Curia Parisiensi. Obiit Parisiis, anno Domini MDLXXXIV.

Ferdinandus Martineus Mazcarenius, Orator Serenissimi Regis Portugalliæ.

Ora-

Oratores Sereniſſimi Dominii Venetorum.

Nicolaus de Ponte Doctor & Eques, & Matthæus Dandulus, Eques.

Melchior Luſſi, Eques auratus, Orator ſeptem Cantonum Helvetiorum.

Auguſtinus Paungartner, Juris Utriusque Doctor, de Monachio, Orator Excellentiſſimi Alberti Ducis Bavariæ.

Claudius Fernandez Quingnonii, ſive Vegil de Quignones, Comes Lunenſis, Orator Regis Catholici, in locum Illuſtriſſimi Ferdinandi de Avalos Marchionis Piſcariæ miſſus, obiit Tridenti die vigeſima Decembris, anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio poſt finem Concilii, ibique ſepultus eſt.

Hic ſeparatim ab aliis Oratoribus ſedebat apud Reverendiſſimum Theleſinum Secretarium ſanctæ Synodi, ob contentionem ſuper præcedentia ortam inter ipſum & Oratores Regis Chriſtianiſſimi.

Patriarchæ.

Antonius Helvius, Juſtinopolitanus, Patriarcha Hieroſolymitanus.

Daniel Barbarus, Venetus, electus Patriarcha Aquilegienſis.

Joannes Hieronymus Triviſanus, Venetus, Patriarcha Venetiarum.

Archi-Epiſcopi Pauli III.

Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum Promotiones additæ ſunt ex editione Lovanienſi.

Ferdinandus Annius, Neapolitanus, Archi-Epiſcopus Amalphitanus, poſtea Epiſcopus Bovinus. *Promotus in Nov.* 1530.

Petrus Landus, Venetus, Archi-Epiſcopus Cretenſis. *Prom. in Martio* 1535.

Petrus Antonius de Capua, Neapolitanus, Archi-Epiſcopus Hydruntinus. *Prom. in Martio* 1535.

Marcus Cornelius, Venetus, electus Archi-Epiſcopus Spalatrenſis. *Prom.* 15. *Auguſt.* 1536.

Sebaſtianus Leccavella, Græcus, Ordinis Prædicatorum, Archi-Epiſcopus Naxienſis, poſtea Epiſcopus Litteranenſis. *Prom.* 8. *Mart.* 1540.

Petrus Guerrero, Hiſpanus, Archi-Epiſcopus Granatenſis. *Prom. in Oct.* 1540.

Antonius Altovitus, Florentinus, Archi-Epiſcopus Florentinus. *Prom. in April.* 1548.

Cæſar Cibo, Genuenſis, Archi-Epiſcopus Taurinenſis; obiit Tridenti, die vigeſima ſexta Decembris, anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo. *Prom. in Julio* 1548.

Archi-Epiſcopi Julii III.

Paulus Æmilius Verallus, Romanus Archi-Epiſcopus Roſſanenſis, poſtea Epiſcopus Caputaquenſis. *Prom.* 22. *Apr.* 1551.

Joannes Brunus de Olchinio, Macedo, Regni Serviæ Primas, Archi-Epiſcopus Antibarenſis. *Prom.* 15. *Julii* 1551.

Joannes Baptiſta Caſtaneus, Romanus, Archi-Epiſcopus Roſſanenſis, poſtea S. R. E. Cardinalis, tituli ſancti Marcelli, Bononiæ Legatus, ac tandem Pontifex Maximus dictus Urbanus VII. per dies dumtaxat duodecim. *Prom.* 3. *Mart.* 1553.

Joannes Baptiſta Urſinus, Romanus, Archi-Epiſcopus ſanctæ Severinæ. *Prom.* 1554.

Archi-Epiſcopi Pauli IV.

Ludovicus Beccatellus, Bonnonienſis, Archi-Epiſcopus Raguſinus. *Prom. in Julio* 1555.

Mutius Calinius, Brixienſis, Archi-Epiſcopus Jaderenſis. *Prom.* 8. *Septemb.* 1556.

Sigismundus Saracenus, Neapolitanus, Archi-Epiſcopus Materanus. *Prom. in Majo* 1556.

Antonius Parrages de Caſtillejo, ſeu Caſtillegio, Hiſpanus, Archi-Epiſcopus Calaritanus. *Prom.* 4. *Nov.* 1558.

Julius Paveſius, Brixienſis, Ordinis Prædicatorum, Archi-Epiſcopus Surrentinus. *Prom.* 21. *Julii* 1558.

Bar-

Bartholomæus de Martyribus, Lusitanus, Ordinis Prædicatorum, Archi-Episcopus Bracarensis. *Prom.* 27. *Jan.* 1559.

Augustinus Salvago, Genuensis, Ordinis Prædicatorum, Archi-Episcopus Genuensis. *Prom.* 17. *April.* 1559.

Archi-Episcopi Pii IV.

Philippus Mocenicus, Venetus, Regni Cypri Primas, & Legatus natus, Archi Episcopus Nicosiensis. *Prom. in Mart.* 1560.

Guilielmus d'Avanson, Gallus, Archi-Episcopus Ebredunensis, & Abbas Montis majoris prope Arelate. *Prom. in Janu.* 1560.

Antonius Caucus, Venetus, Archi-Episcopus Corcyrensis. *Prom.* 19. *Mart.* 1560.

Germanicus Bandinus, Senensis, electus Archi Episcopus Senarum. *Prom.* 19. *Jun.* 1560.

Marcus Antonius Columna, Romanus, Archi-Episcopus Tarentinus, postea Cardinalis & Archi-Episcopus Salernitanus. Obiit Zagarolæ MDXCVII. sepultus ibidem in Monasterio sanctæ Mariæ, Ordinis sancti Francisci. *Prom.* 19. *Jun.* 1560.

Caspar de Fosso, Consentinus, Calaber, Ordinis sancti Francisci de Paula, Archi-Episcopus Rheginus. *Prom.* 1560.

Antonius de Muglitio, Moravus, Orator Cæsareus, Archi-Episcopus Pragensis. *Prom.* 5. *Sept.* 1561.

Maximus de Maximis, Romanus, Archi-Episcopus Amalphitanus. *Prom.* 16. *Martii.*

Gaspar Cervantes de Gaeta, Hispanus, Archi-Episcopus Messanensis, postea Salernitanus & Cardinalis. *Promot.* 19. *Nov.* 1561.

Leonardus Marinus, Genuensis, Ordinis Prædicatorum, Archi-Episcopus Lancianensis. *Prom. in Jan.* 1562.

Octavianus Præconius, Messanensis, Siculus, Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci, Archi-Episcopus Panormitanus. Obiit Panormi, MDLXXVIII. XVIII. Julii. sepultus in Æde majori. *Prom.* 14. *Mart.* 1562.

Nicolaus de Pelleve, Gallus, Archi-Episcopus Senonensis, postea Cardinalis & Archi-Episcopus Rhemensis. Obiit Parisiis MDXCIV. *Prom. in Decemb.* 1562.

Antonius Justinianus, Chiensis, Græcus, Ordinis Prædicatorum, Archi Episcopus Naxiensis. *Prom.* 21. *Decemb.* 1562.

Antonius Puteus, Niciensis, Archi-Episcopus Barensis. *Prom.* 16. *Decembris* 1562.

Episcopi Leonis X.

Vincentius Nicosantius, de Fano, Episcopus Arbensis. *Prom.* 1514.

Joannes Franciscus de Flisco, Genuensis, Episcopus Andriensis. *Prom. in Januario* 1517.

Joannes Thomas de Sancto Felicio, Neapolitanus, Episcopus Cavensis Senior. *Prom.* 1519.

Episcopi Hadriani VI.

Quinctius de Rusticis, Romanus, Episcopus Militensis. *Prom.* 1523.

Episcopi Clementis VII.

Lucas Byzantius de Catharo, Episcopus Catharensis. *Prom.* 8. *Julii* 1524.

Aloysius Pisanus, Venetus, Episcopus Patavinus, postea Cardinalis. Obiit MDLXX. ult. Maji. *Prom.* 11. *Nov.* 1526.

Alexander Piccolomineus, Senensis, Episcopus Picentinus. *Promot.* 6. *Sept.* 1528.

Dionysius Græcus, Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, Episcopus Milopotamensis Senior. *Promot. in Febr.* 1529.

Gabriel le Veneur, Gallus, Episcopus Ebroicensis. *Prom. in Sept.* 1532.

Guilielmus Barton de Montbas, Gallus, Episcopus Lectorensis. *Prom.* 1531.

Episcopi Pauli III.

Antonius a Camera, Sabaudus, Episcopus Bellicensis. *Promotus* 14. *Jun.* 1536.

Nicolaus Maria Caracciolus, Neapolitanus, Episcopus Cataniensis. *Prom.* 8. *Januar.* 1537.

Berardus Bonjoannes, Romanus, Episcopus Camerinensis. *Promot.* 5. *Mart.* 1536.

Fabius Mirtus, Neapolitanus, Episcopus Cajacensis. *Prom. in Julio* 1537.

Scipio Bongallus, Romanus, Episcopus civitatis Castellanæ. *Prom. in Nov.* 1538.

Georgius Cornelius, Venetus, Episcopus Tarvisinus. *Prom. in Nov.* 1538.

Vincentius Durantius, Brixiensis, Episcopus Thermularum. *Prom.* 14. *Julii* 1539.

Mauritius de Petra, Papiensis, Episcopus Viglevensis. *Prom. in Jan.* 1540.

Martius de Martiis, Medices, Florentinus, Episcopus Marsicensis. *Prom. in Februar.* 1540.

Joannes Vincentius Michaëlius, Barolitanus, Episcopus Minerbinensis. *Prom. in Martio* 1540.

Gabriel de Bouverii, Gallus, Episcopus Andegavensis. *Prom. in Majo* 1540.

Leonardus Haller, Germanus, Episcopus Philadelphiensis. *Prom.* 5. *Decem.* 1540.

Ludovicus Vanninus de Theodolis, Foroliviensis, Episcopus Britonoriensis; obiit Tridenti, die II. mensis Januarii, anno Millesimo quingentesimo sexagesimo tertio. *Prom.* 19. *Jan.* 1541.

Ægidius Falcetta, Cingulanus, Episcopus Caprulanus, postea Britonoriensis. *Prom.* 11. *Mart.* 1541.

Julius Contarenus, Venetus, Episcopus civitatis Bellunensis. *Prom.* 12. *Sept.* 1542.

Thomas Casellus, Rossanensis, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Cavensis Junior. *Prom.* 1542.

Hippolytus Arivabenus, Mantuanus, Episcopus Hierapetrensis. *Prom.* 21. *Decemb.* 1542.

Hieronymus Macchabæus, Romanus, Episcopus Castrensis. *Prom.* 6. *Julii* 1543.

Petrus Augustinus, Hispanus, Episcopus Oscensis & Jacensis. *Prom.* 5. *August.* 1543.

Jacobus Naclantus, Florentinus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Clodiensis. *Prom. in Jan.* 1544.

Bartholomæus Sirigo, Cretensis, Græcus, Episcopus Castellanetensis. *Prom.* 17. *Mart.* 1544.

Thomas Stella, Venetus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Justinopolitanus. *Prom. in Decemb.* 1545.

Petrus du Val, Gallus, Episcopus Sagiensis, obiit Vicennis MDLXIV. *Prom.* 15. *Jun.* 1545.

Joannes Antonius Pantusa, Consentinus, Episcopus Litteriensis, obiit Tridenti, die vigesima septima Octobris, Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo. *Prom. in Martio* 1545.

Joannes Baptista de Grossis, Mantuanus, Episcopus Regiensis. *Prom.* 3. *Nov.* 1545.

Joannes Xuarez, Lusitanus, Ordinis Sancti Augustini, Episcopus Conimbricensis. *Prom.* 24. *Jan.* 1546.

Philippus Riccabella, Recanatensis, Episcopus Recanatensis. *Prom.* 27. *Jan.* 1546.

Joannes Jacobus Barba, Neapolitanus, Ordinis Sancti Augustini, Episcopus Interamnensis. *Prom.* 26. *Maji* 1546.

Michael a Turre, Utinensis, Episcopus Cenetensis, postea Presbyter Cardinalis. Obiit MDLXXXVI. sepultus in Ecclesia Cenetensi. *Prom.* 7. *Febr.* 1546.

Pompejus Zambeccarius, Bononiensis, Episcopus Sulmonensis. *Promot. in Mart.* 1546.

Joannes Beroaldus, Panormitanus, Episcopus Sanctæ Agathæ. *Prom. in Mart.* 1546.

Antonius Scarampus, Aquensis, Episcopus Nolanus. *Prom. in August.* 1546.

Anto-

Antonius de Comitibus, Genuensis, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Brugnatensis. *Prom.* 5. *Mart.* 1548.

Cæsar Fogga, Rossanensis, Episcopus Umbriaticensis. *Prom.* 7. *Maji* 1548.

Cæsar Comes a Gambara, Brixiensis, Episcopus Tortonensis. *Prom.* 13. *Maji* 1548.

Joannes Baptista de Bernardis, Lucensis, Episcopus Adiacensis. *Prom.* 13. *Apr.* 1548.

Martinus Perezius de Ayala, Hispanus, Episcopus Segobiensis. *Prom.* 16. *Maji.* 1548.

Nicolaus Psalme, Gallus, Episcopus Comes Virdunensis. Hic Canones & Decreta Concilii Tridentini revocata in artem, ordinem atque rubricas, certaque capita, convenienti methodo digesta, præfixis summariis excudenda curavit in 4. Virduni, Anno MDLXIV. ad Illustrissimum Principem, Reverendissimumq; Cardinalem Carolum a Lotharingia, Remensium Archi-Episcopum &c. *Prom.* 4. *Junii* 1548.

Alphonsus Rosettus, Ferrariensis, Episcopus Comaclensis, postea Ferrariensis. *Prom.* 23. *Oct.* 1548.

Julius Parisianus, de Tolentino, Episcopus Ariminensis. *Prom.* 9. *Januar.* 1549.

Bartholomæus Sebastianus, Hispanus, Episcopus Pactensis. *prom.* 9. *Jan.* 1549.

Franciscus Lambertus, Sabaudus, Episcopus Niciensis. *prom. in Febr.* 1549.

Maximilianus Doria, Genuensis, Episcopus Naulensis. *prom.* 28. *Februar.* 1549.

Eustachius du Bellay, Gallus, Episcopus Parisiensis. *prom. in Febr.* 1549.

Bartholomæus de Capranica, Romanus, Episcopus Carinensis. *prom.* 10. *Apr.* 1549.

Ennius Massarius, de Narnia, Episcopus Feretranus. *prom.* 29. *Apr.* 1549.

Achilles Brancia, Neapolitanus, Episcopus Bovensis. *prom. in Majo* 1549.

Joannes Franciscus Verdura, Messanensis, Episcopus Chironensis. *prom.* 7. *Junii* 1549.

Albertus Duimius de Gliricis, Catharensis, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Veglensis. *prom.* 26. *Julii* 1549.

Joannes Antoniletz de Bricianos de la Ribera, Hispanus, Episcopus Juvenacensis. *prom.* 25. *Oct.* 1549.

Tristanus de Bizet, Gallus, Episcopus Xantonensis, & Abbas S. Nicolai de Bosco. *prom. in Decemb.* 1550.

Episcopi Julii III.

Ascanius Gherardinus, de Amelia, Episcopus Cattaconensis. *prom.* 18. *Martii* 1558.

Marcus Gonzaga, Mantuanus, Episcopus Aufferensis. *prom. in Apr.* 1550.

Balduinus de Baldovinis, Pisanus, Episcopus Aversanus. *promot. in Aprili* 1550.

Petrus Franciscus Palavicinus, Genuensis, Episcopus Aleriensis. *prom.* 30. *Mart.* 1550.

Ægidius Fuscararius, Bononiensis, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Mutinensis. *prom. in Majo* 1550.

Timotheus Justinianus, de Chio, Græcus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Calamonensis. *prom.* 25. *Junii* 1550.

Didacus de Almansa, Hispanus, Episcopus Cauriensis. *prom.* 14. *Jul.* 1550.

Lactantius Roverella, Ferrariensis, Episcopus Asculanus. *prom.* 26. *Septemb.* 1550.

Ambrosius Monticula Lunensis, Sarzanensis, Episcopus Signinus. *prom.* 18. *Jan.* 1551.

Sebastianus Gualterius, Urbevetanus, Episcopus Viterbiensis. *prom.* 27. *Jan.* 1551.

Honoratus Hiserniensis, ex Fascitellis, Neapolitanus, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, Episcopus Insulanus; obiit Romæ, mense Martio, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. *prom. in Jannar.* 1551.

Petrus Camajanus, Aretinus, Episcopus Fæsularum. *prom.* 11. *Febr.* 1551.

Horatius Græcus, Trojanensis, Apulus, Episcopus Lesinensis. *prom.* 18. *Feb.* 1551.

Fabius Cupallata, ſeu Cuppalata, Placentinus, Epiſcopus Lachedonenſis. *prom.* 13. *Julii* 1551.

Gaſpar de Caſal, Luſitanus, Ordinis Sancti Auguſtini, Epiſcopus Leirienſis, poſtea Conimbricenſis. *prom.* 3. *Julii* 1551.

Bernardinus de Cuppis, Romanus, Epiſcopus Auximanus. *prom.* 23. *Julii* 1551.

Joannes de Morvilliers, Bleſenſis, Gallus, Epiſcopus Aurelianenſis. *prom. in Aprili* 1552.

Julius Gentilius, Tortonenſis, Epiſcopus Vulturarienſis. *prom. in Aprili* 1552.

Hadrianus Fuſconius, Romanus, Epiſcopus Aquinas. *prom.* 20. *Octobr.* 1552.

Antonius de Sancto Michaële, Hiſpanus, Ordinis Sancti Franciſci de Obſervantia, Epiſcopus Montis Marani. *prom.* 14. *Decemb.* 1552.

Hieronymus Melchiorius, Recanatenſis, Epiſcopus Maceratenſis. *prom.* 6. *Martii* 1553.

Petrus de Petris de Monte, Aretinus, Epiſcopus Lucerinus. *prom.* 17. *Maji* 1553.

Cæſar Jacomellus, Romanus, Epiſcopus Bellicaſtrenſis.

Julius Grittus, Venetus, Epiſcopus Parentinus. *prom. in Majo* 1553.

Jacobus Silverius Piccolomineus, de Cælano, Epiſcopus Aprutinus. *prom. in Aug.* 1553.

Ludovicus de Breze, Gallus, Epiſcopus Meldenſis. *Prom.* 15. *Sept.* 1553.

Jacobus Mignanellus, Senenſis, Epiſcopus Groſſetanus. *Prom.* 2. *Octob.* 1553.

Joannes Andreas Crucius, de Tibure, Epiſcopus Tiburtinus. *Prom. in Octob.* 1553.

Franciſcus Richardotus, Burgundus, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Epiſcopus Atrebatenſis. Obiit XXVI. Julii MDLXXIV. *Prom. in Decemb.* 1554.

Carolus Cicada, Genuenſis, Epiſcopus Albinganenſis. *Prom. in Aprili* 1554.

Franciſcus Maria Piccolomineus, Senenſis, Epiſcopus Ilcinenſis. *Prom.* 20. *Aprilis* 1554.

Acciſculus, ſeu Aciſclus Moya de Contreras, Hiſpanus, Epiſcopus Vicenſis. *Prom.* 7. *Jul.* 1554.

Galeatius Roſcius de Interamna, Epiſcopus Aſſiſienſis. Obiit Tridenti die decima ſexta Octobris, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio. *Prom.* 8. *Octob.* 1554.

Jacobus Maria Sala, Bononienſis, Epiſcopus Vivarienſis. *Prom.* 16. *Oct.* 1554.

Gabriel de Monte S. Sabini, Epiſcopus Æſinus. *Prom.* 19. *Nov.* 1554.

Marianus Sabellus, Romanus, Epiſcopus Eugubinus. *Prom.* 19. *Novemb.* 1554.

Agapitus Bellhoumo, Romanus, Epiſcopus Caſertanus. *prom.* 5. *Dec.* 1554.

Julius Cananius, Ferrarienſis, Epiſcopus Hadrienſis, poſtea Cardinalis tituli ſancti Euſebii & Epiſcopus Mutinenſis. Obiit Ferrariæ MDXCII. ſepultus in Eccleſia S. Dominici. *Prom. in Decemb.* 1554.

Julius Galettus, Piſanus, Epiſcopus Aleſſanenſis. *Prom. in Jan.* 1555.

Hieronymus Burgenſis, Gallus, Epiſcopus Catalaunenſis, Abbas ſancti Petri de Monte. Obiit MDLXXIII.

Epiſcopi Pauli IV.

Scipio Æſtenſis, Ferrarienſis, Epiſcopus Caſalenſis. *Prom.* 1. *Junii.* 1555.

Didacus Sarmiento de Sotomajor, Hiſpanus, Epiſcopus Aſturicenſis. *Promot.* 5. *Julii* 1555.

Thomas Goduellus, Anglus, Epiſcopus Aſaphenſis. *Prom.* 5. *Junii.* 1555.

Fauſtus Caffarellus, Romanus, Epiſcopus Fundanus. *Prom.* 15. *Julii* 1555.

Belliſarius Baldinus, Neapolitanus, Epiſcopus Larinenſis. *Prom.* 15. *Julii* 1555.

Urbanus Vigerius de Ruere, Genuenſis, Epiſcopus Senogallienſis. *Prom. in Julio* 1555.

Jaco-

Jacobus Suretus, Græcus, Episcopus Milopotamensis Junior. *Prom.* 26. *Julii* 1555.

Joannes Baptista Osius, Romanus, Episcopus Reatinus. Obiit die duodecima Novembris MDLXII. *Prom.* 24. *Octob.* 1555.

Marcus Laureus, Tropiensis, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Campaniensis. *prom.* 8. *Decemb.* 1555.

Franciscus de Beauquere, sive Belcarius, Pegulio, Dominus de la Chreste & Chommiers, Gallus, Episcopus Metensis, postea Abbas sancti Germani Antissidiorensis, Rigniaci, & sancti Sigiranni. Obiit XIV. Februarii MDXCI. *Prom. in Decemb.* 1555.

Joannes Franciscus Commendonus, Venetus, Episcopus Zacynthensis, postea Cardinalis. *Promot. in Octobri* 1555.

Carolus de Grassis, Bononiensis, Episcopus Montis Falisci, postea Cardinalis. *Prom.* 18. *Decemb.* 1555.

Arrias Gallego, Hispanus, Episcopus Gerundensis. *Prom.* 14. *Aprilis* 1556.

Hieronymus Gallego, Hispanus, Episcopus Ovetensis. *Prom.* 5. *Maji* 1556.

Hercules Rettinger, Germanus, Episcopus Laventinus. *Prom.* 16. *Maji* 1556.

Julius de Rubeis, Polianus, Episcopus S. Leonis. Obiit Romæ Mense Martio MDLXIV. *Prom.* 23. *Octobris* 1555.

Joannes de Mugnatones, Hispanus, Ordinis S. Augustini, Episcopus Segobricensis. *Prom.* 12. *Jun.* 1556.

Franciscus Blanco, Hispanus, Episcopus Auriensis. *Prom.* 12. *Jun.* 1556.

Vincentius de Luchis, Bononiensis, Episcopus Anconitanus. *prom.* 8. *Febr.* 1556.

Pompejus Piccolomineus, de Aragonia, Episcopus Tropiensis. *prom.* 12. *Junii* 1556.

Petrus Barbaricus, Venetus, Episcopus Curzolensis. *prom in Junio* 1556.

Franciscus Bachodius, Sabaudiensis, Episcopus Gebennensis. *prom.* 27. *Junii* 1556.

Carolus de Angennes à Ramboüillet, Gallus, Episcopus Cenomanensis, postea Cardinalis. Obiit Corneti in Etruria XXII. Martii MDLXXXVII. *prom.* 27. *Julii* 1556.

Hieronymus de Nichisola, Veronensis, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Theanensis. *prom.* 11. *Januarii* 1557.

Marcus Antonius Bobba, Casalensis, Episcopus Augustensis, postea Cardinalis, de quo supra inter Oratores Ecclesiasticos. *prom.* 18. *Junii* 1557.

Jacobus Lomellinus, Messanensis, Episcopus Mazariensis. *prom.* 21. *Junii* 1557.

Donatus de Laurentiis, de Asculo, Apulus, Episcopus Arianensis. *prom.* 21. *Junii* 1557.

Petrus Contarenus, Venetus, Episcopus Paphensis. *prom. in Julio* 1557.

Petrus Danesius, Gallus, Episcopus Vaurensis. Obiit Parisiis in Cœnobio sancti Germani Pratensis, ibique sepultus MDLXXVII. *prom.* 9. *Augusti* 1557.

Hieronymus Savorgnanus, Forojuliensis, Episcopus Sibinicensis. *prom.* 9. *Augusti* 1557.

Philippus du Bec, Gallus, Episcopus Venetensis, postea Nannetensis, deinde Archi-Episcopus Remensis. Obiit MDCV. *prom.* 4. *Novembris* 1562.

Carolus de Roucy, Gallus, Episcopus Suessionensis. *prom. in Sept.* 1557.

Georgius Drascovitius, Croatus, Episcopus Quinqueecclesiensis, postea Archi-Episcopus Colocensis & Cardinalis. Vide supra inter Oratores Ecclesiasticos. *prom.* 9. *Novemb.* 1557.

Franciscus de Aguirre, Hispanus, Episcopus Crotonensis. *prom.* 10. *Decem.* 1554.

Andreas de Cuesta, Hispanus, Episcopus Legionensis. *prom.* 10. *Decemb.* 1557.

Antonius Gorrionero, Hispanus, Episcopus Almeriensis. *prom.* 10. *Decemb.* 1557.

Antonius Augustinus, Hispanus, Episcopus Ilerdensis: postea Archi-Episcopus Tarraconensis. *prom.* 15. *Decemb.* 1557.

Angelus Maſſarellus, Septempedanus, Epiſcopus Theleſinus. *prom.* 15. *Decemb.* 1557.

Antonius Ciurelia, Barenſis, Epiſcopus Buduenſis. *prom.* 4. *Febr.* 1558.

Dominicus Caſablanca, Meſſanenſis, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Vicenſis. *prom.* 4. *Februarii* 1558.

Petrus Faunus, Coſtacciarius, Epiſcopus Aquenſis. *prom.* 18. *Martii* 1558.

Joannes Carolus Bovius, Bononienſis, Epiſcopus Oſtunenſis, poſtea Archi-Epiſcopus Brunduſinus. *prom.* 3. *Februarii* 1562.

Hugo Boncompagnus, Bononienſis, Epiſcopus Veſtanus, poſtea Cardinalis titulo S. Sixti, & Pontifex Maximus, dictus Gregorius XIII. *prom.* 9. *Decemb.* 1561.

Salvator Pacinus, de Colle, Epiſcopus Cluſinus. *prom.* 16. *Febr.* 1563.

Lupus Martinez, Hiſpanus, Epiſcopus Elnenſis. *prom.* 12. *Julii* 1558.

Carolus d'Eſpinay, Gallus, Epiſcopus Dolenſis. Obiit MDXCI. *prom. in Januario* 1558.

Ægidius Spifame, Gallus, Epiſcopus Nivernenſis, & Abbas ſancti Pauli Senonenſis. Obiit Lutetiæ, MDLXXVIII. *prom.* 10. *Novemb.* 1562.

Antonius Sebaſtianus Minturnus, de Trajecto, Epiſcopus Uxentinus. *prom.* 12. *Jan.* 1562.

Bernardus Delbene, Florentinus, Epiſcopus Nemauſenſis. *prom.* 3. *Jul.* 1562.

Dominicus Bollanus, Venetus, Epiſcopus Brixienſis. *prom.* 12. *April.* 1562.

Joannes Antonius Vulpius, Comenſis, Epiſcopus Comenſis. *prom. pridie Aprilis* 1563.

Ludovicus de Genoilhac, Gallus, Epiſcopus Tutellenſis, & Abbas ſancti Romani de Blavia: obiit Burdigalæ anno MDLXXXIII. *prom.* 17. *Martii* 1563.

Philippus Maria Campegius, Bononienſis, Epiſcopus Feltrenſis. *prom.* 17. *Martii* 1562.

Joannes de Guignones, Hiſpanus, Epiſcopus Calagurritanus. *prom.* 9. *Novemb.* 1561.

Didacus Covarruvias de Leyva, Hiſpanus, Toletanus, Epiſcopus Civitatenſis, ſeu civitatis Roderici, poſtea Segovienſis, demum Conchæ deſignatus. Obiit Madriti, MDLXXVII. Kalend. Octobris, ſepultus Segoviæ. *prom.* 19. *Maji* 1562.

Philippus Gerius, Piſtorienſis, Epiſcopus Iſclanenſis, poſtea Aſſiſienſis. *prom.* 16. *Sept.* 1561.

Joannes Antonius Fachinettus de Nuce, Bononienſis, Epiſcopus Neocaſtrenſis, poſtea Patriarcha Hieroſolymitanus, S. R. E. Presbyter Cardinalis, tit. SS. quatuor Coronatorum, ac tandem Pontifex Maximus, dictus Innocentius IX. per duos dumtaxat menſes. *prom.* 8. *Octob.* 1562.

Epiſcopi Pii IV.

Hyppolitus Capilupus, Mantuanus, Epiſcopus Fanenſis.

Joannes Fabritius Severinus, Neapolitanus, Epiſcopus Acerenſis. *prom.* 19. *Mart.* 1562.

Martinus Balduini Rithovius, Brabantus, primus Epiſcopus Iprenſis. Obiit Audomaropoli MDLXXXIII. *prom.* 25. *Maji* 1562.

Antonius Havetius, Flander, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus primus Namurcenſis. Obiit MDLXXVIII. *prom.* 18. *Jan.* 1562.

Conſtantinus Bonnellus, Feretranus, Epiſcopus civitatis Caſtelli. *prom. prid. Apr.* 1562.

Julius Superchius, Mantuanus, Ordinis Carmelitarum, Epiſcopus Accienſis, poſtea Caprulanus. *prom.* 11. *Aug.* 1562.

Matthæus de Concinis, Florentinus, Epiſcopus Cortonenſis. *prom.* 5. *Oct.* 1561.

Nicolaus Sfrondatus, Mediolanenſis, Epiſcopus Cremonenſis, poſtea Presbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ, demum Pontifex Maximus, dictus

dictus Gregorius XIV. per menses X. & dies X. *prom. ult. Mart.* 1562.

Ventura Buffalinus, Tiphernas, Episcopus Massanensis. *prom.* 19. *Sept.* 1563.

Ludovicus de Bueil, Gallus, Episcopus Venciensis. *prom.* 13. *Novemb.* 1562.

Hieronymus Galleratus, Mediolanensis, Episcopus Sutrinus. *prom.* 21. *Septemb.* 1562.

Joannes Petrus Delphinus, Venetus, Ordinis Canonicorum Regularium, Episcopus Zacynthi & Cephaloniæ secundus. *prom.* 2. *Apr.* 1561.

Joannes Andres Bellonius, Messanensis, Episcopus Massalubrensis. *prom.* 30. *Oct.* 1561.

Georgius Zifchouid, Hungarus, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Episcopus Signiensis. *prom.* 3. *Junii* 1562.

Federicus Cornelius, Venetus, Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, Episcopus Bergomensis, postea Patavinus, & S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli S. Stephani. Obiit Romæ MDXC. sepultus Patavii in Ecclesia Cathedrali. *prom.* 13. *Apr.* 1560.

Stephanus Boucher, Gallus, Episcopus Corisopitensis. *prom.* 19. *Nov.* 1562.

Joannes Paulus Amanius, Cremensis, Episcopus Anglonensis. *prom.* 14. *Julii* 1562.

Alexander Sfortia, ex Comitibus de Sancta Flora, Episcopus Parmensis, postea Cardinalis tituli S. Mariæ in via. Obiit Maceratæ MDLXXXI. sepultus Romæ in Ecclesia S. Mariæ majoris. *prom.* 26. *Apr.* 1562.

Antonius le Cirier, Gallus, Episcopus Abrincensis. *prom.* 3. *Maji* 1560.

Andreas Mozenicus, Venetus, Episcopus Nimosiensis. *prom.* 3. *Maji* 1560.

Benedictus Salvinus, Firmanus, Episcopus Verulanus. *prom.* 19. *Junii* 1560.

Guilielmus Cassador, Hispanus, Episcopus Barcinonensis. *prom. in Junio* 1560.

Petrus Gonzalez de Mendoza, Hispanus, Episcopus Salmanticensis. *prom.* 26. *Junii* 1560.

Martinus de Corduba de Mendozza, Hispanus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Dertusensis. *prom.* 17. *Julii* 1560.

Julius Magnanus, Placentinus, Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci, Episcopus Calvensis. *prom.* 17. *Julii* 1560.

Valentinus Herbutus, Polonus, Episcopus Præmissiensis, Orator Regis Poloniæ. *prom.* 16. *Augusti* 1560.

Simon Aleotus, Forojuliensis, electus Episcopus Forojuliensis; mortuus est Tridenti, die vigesima Augusti MDLXII. *prom.* 18. *Julii* 1560.

Petrus de Xaque, Hispanus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Niochensis. *prom.* 4. *Septemb.* 1560.

Prosper Rebiba, Messanensis, Episcopus Trojanus, postea Patriarcha Constantinopolitanus. *prom.* 4. *Sept.* 1560.

Melchior à Vosmediano, Hispanus, Episcopus Guadixensis. *prom.* 4. *Septemb.* 1560.

Hyppolitus de Rubeis, Parmensis, Episcopus Papiensis, postea S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli sanctæ Mariæ in Porticu, deinde sancti Blasii de Anulo. Obiit Romæ MDXCI. IV. Kalend. Maji: sepultus in sancti Blasii. *prom.* 4. *Septemb.* 1560.

Didacus de Leon, Hispanus, Ordinis Carmelitarum, Episcopus Columbriensis. *prom.* 2. *Octob.* 1560.

Annibal Saracenus, Neapolitanus, Episcopus Liciensis. *prom.* 29. *Novemb.* 1560.

Paulus Jovius, Comensis, electus Episcopus Nucerinus. *prom.* 29. *Nov.* 1560.

Hieronymus Trivisanus, Venetus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Veronensis, mortuus est Tridenti, die nona Septembris MDLXII. *prom.* 15. *Januar.* 1561.

Hie-

Hieronymus Ragazzonus, Venetus, Epiſcopus Nazianzenus, & Coadjutor Famauguſtanus, poſtea Bergomenſis Epiſcopus. *prom.* 15. *Jan.* 1561.

Romulus de Valentibus, de Trebia, Epiſcopus Converſanus. *prom.* 15. *Jan.* 1561.

Lucius Maranta, Venuſinus, Epiſcopus Lavellinenſis. *prom.* 30. *Januar.* 1561.

Simon de Nigri, Genuenſis, Epiſcopus Sarzanenſis. *prom.* 14. *Februar.* 1561.

Theophilus Gallupus, Tropienſis, Epiſcopus Oppidenſis. *prom.* 16. *Martii* 1561.

Julius Simonetta, Mediolanenſis, Epiſcopus Piſaurenſis. *prom.* 9. *Maji* 1561.

Petrus d'Albret, Gallus, Epiſcopus Convenarum. *prom. in Martio* 1561.

Jacobus Guidius, Volaterranus, Epiſcopus Pennenſis, & Adrienſis. *prom.* 2. *Junii* 1561.

Didacus Ramirez, Hiſpanus, Epiſcopus Pampilonenſis. *prom.* 2. *Junii* 1561.

Franciſcus del Gado ſeu Delgado, Hiſpanus, Epiſcopus Lucenſis. *prom.* 13. *Junii* 1561.

Joannes Clauſſe, Gallus, Epiſcopus Senecenſis, ſeu Sanicienſis. *prom.* 15. *Novemb.* 1562.

Jacobus Gibertus de Nogueras, Hiſpanus, Epiſcopus Aliphanus. *prom.* 12. *Februarii* 1562.

Joannes Annius, Neapolitanus, Epiſcopus Hipponenſis, & Coadjutor Bovinus.

Antonius Maria de Salviatis, Romanus, Epiſcopus S. Pauli, poſtea S.R.E. Presbyter Cardinalis, tituli ſanctæ Mariæ in Aquiro, & Bononiæ Legatus. Obiit Romæ MDCII. XXVI. Aprilis, ſepultus in ſancti Jacobi. *prom.* 18. *Novemb.* 1562.

Matthæus Priulus, Venetus, Epiſcopus Æmonienſis, poſtea Vincentinus. *prom.* 15. *Jan.* 1562.

Thomas Lilius, Bononienſis, Epiſcopus Soranus. *prom.* 14. *Oct.* 1562.

Hieronymus Guerinus, Feretranus, Epiſcopus Imolenſis. *prom.* 11. *Maji* 1562.

Thomas Oyerlaithe, ſive Overllaitte, Hibernus, Epiſcopus Roſſenſis. *prom.* 25. *Maji* 1562.

Franciſcus de la Valette, Gallus, Epiſcopus Vabrenſis. *prom.* 3. *Nov.* 1562.

Fabius Pignatellus, Neapolitanus, Epiſcopus Monopolitanus. *prom.* 13. *Mart.* 1562.

Carolus de Vice-Comitibus, Mediolanenſis, Epiſcopus Vintimilienſis, poſtea Cardinalis, titulo Sanctorum Martyrum Viti & Modeſti in Macello. Obiit Romæ MDLXV. Idibus Novembris, ſepultus in Eccleſia ſui tituli. *prom.* 15. *Jun.* 1562.

Joannes Coloſvarinus, Hungarus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Canadienſis; obiit Tridenti, die vigeſima quarta Novembris MDLXII. *prom.* 9. *Febr.* 1562.

Andreas Duditius Sbardellatus, Hungarus, Epiſcopus Tininienſis, poſtea Quinqueeccleſienſis, qui ab Eccleſia poſtea turpiſſime defecit raptus in reprobum ſenſum. *prom.* 9. *Febr.* 1562.

Spinellus Bencius, Politianus, Epiſcopus montis Politiani. *prom.* 24. *Mart.* 1562.

Franciſcus Abundius Caſtillioneus, Mediolanenſis, Epiſcopus Bobienſis, poſtea S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli S. Nicolai inter Imagines. Obiit MDLXVIII. XVIII. Kalend. Decembris, ſepultus Romæ in Eccleſia Sanctæ Mariæ de populo. *prom.* 17. *Maji* 1562.

Stanislaus Faleſchi, Polonus, Epiſcopus Theodoſienſis. *prom.* 12. *Nov.* 1562.

Eugenius Qhairt, Hibernus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Achadenſis, ſeu Ægadenſis. *prom.* 25. *Maji* 1562.

Donatus Magongial, Hibernus, Epiſcopus Rapotenſis. *prom.* 15. *Maji* 1562.

Guido Ferrerius, Pedemontanus, Civis & Epiſcopus Vercellenſis, poſtea S.

S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli Sanctæ Euphemiæ, deinde Sanctorum Viti & Modesti Martyrum in Macello, & Marchio Romognani: obiit MDLXXXV. XVI. Maji, sepultus in Sanctæ Mariæ Majoris.

Joannes Baptista Sighicellius, Bononiensis, Episcopus Faventinus. *prom.* 3. *Decemb.* 1562.

Sebastianus Vantius, de Arimino, Episcopus Urbevetanus. *prom.* 3. *Julii* 1562.

Joannes Baptista Lomellinus, Messanensis, Episcopus Gardiensis. *prom. prid. Decemb.* 1562.

Joannes Baptista Milanesius, Florentinus, Episcopus Marsicanus, *prom.* 27. *Novemb.* 1562.

Augustinus Molignatus, Vercellensis, Episcopus Trivicanensis. *prom.* 17. *Octobr.*

Carolus Grimaldus, Genuensis, Episcopus Savonensis. *prom.* 23. *Octob.* 1562.

Fabritius Landrianus, Mediolanensis, Episcopus S. Marci. *prom.* 21. *Oct.* 1562.

Bartholomæus Ferratinus, Amerinus, Episcopus Amerinus. *prom.* 10. *Oct.* 1562.

Petrus Fragus, Hispanus, Episcopus Usellensis, postea Algarensis. *prom.* 5. *Jun.* 1563.

Hieronymus de Gaddis, Florentinus, Episcopus Cortonensis. *prom.* 21. *Julii* 1563.

Franciscus Contarenus, Venetus, Episcopus Paphensis. *prom.* 4. *Martii* 1563.

Joannes Delphinus, Venetus, Episcopus Torcellanus. *prom.* 27. *April.* 1563.

Alexander Molus, Comensis, Episcopus Minorensis. *prom.* 20. *Apr.* 1563.

Hieronymus Vielmus, Venetus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Argolicensis. *prom.* 17. *Mart.* 1563.

Franciscus Raguseus, Ordinis Sancti Francisci de Observantia, Episcopus Marcanensis.

Abbates.

Ludovicus de Baissey, Abbas Cisterciensis, Generalis totius Ordinis.

Hieronymus de Souchier, (*) Gallus, Campanus, Abbas Claravallensis, postea Abbas Generalis Cistercii, demum S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli S. Matthæi in Merulana. Obiit Romæ X. Kalend. Novembris MDLXXI. sepultus in Ecclesia sanctæ Crucis in Jerusalem.

Simplicianus, Abbas sancti Salvatoris Papiæ de Vultolina, Congregationis Cassinensis.

Stephanus Catanius, Novariensis, Abbas sanctæ Mariæ Gratiarum, Placentinæ Diœcesis, Congregationis Cassinensis.

Augustinus Loscus, Hispanus, Abbas S. Benedicti de Ferraria, Congregationis Cassinensis.

Eutychius de Cordes, Antverpiensis, Abbas sancti Fortunati apud Bassianum, Congregationis Cassinensis. Obiit MDLXXXII. Mense Septembri, sepultus in sanctæ Justinæ de Padua.

Claudius de Sainctes, Gallus, Campanus, Abbas Lunevillanus.

Cosmas Damianus, Hortulanus, Hispanus, Abbas Villæbertrandi.

Generales.

Vincentius Justinianus, Genuensis, Generalis Ordinis Prædicatorum, postea Cardinalis, tituli sancti Nicolai inter imagines, deinde sanctæ Sabinæ. Obiit XXVIII. Octobris, MDLXXII. Romæ sepultus in sanctæ Mariæ super Minervam.

Franciscus Zamora, Conchensis, Hispanus, Generalis Ordinis Minorum de Observantia. Obiit MDLXXI.

Antonius de Sapientibus, Augustanus, Generalis Ordinis Minorum Conventualium.

Christophorus Patavinus, Prior Generalis Ordinis Eremitarum sancti Augustini. Obiit MDLXIX.

(*) *al.* de la Souchero, Arvernus.

Joannes Baptiſta Migliavacca, Aſtenſis, Generalis Ordinis ſanctæ Mariæ Servorum.

Stephanus Fazinus, Cremonenſis, Provincialis Lombardiæ, pro Generali Carmelitarum.

Jacobus Lainez, Hiſpanus, ex oppido Caſtellæ Almazan, Diœceſis Seguntinæ, Præpoſitus Generalis Societatis JESU. Obiit Romæ XIX. Januarii MDLXV. ætatis LIII.

Thomas Tiphernas civitatis de Caſtello in Umbria, Generalis Capuccinorum.

Doctores Legum pro Sacro Concilio miſſi.

Gabriel Palæottus, Bononienſis, Auditor Rotæ, poſtea Epiſcopus Bononienſis, & S. R. E. Diaconus Cardinalis, tituli ſanctorum Nerei & Achillei, mox ſanctorum Joannis & Pauli, deinde tituli ſancti Martini in Montibus, & primus Bononiæ Archi-Epiſcopus, demum tituli ſancti Laurentii in Lucina, ac Epiſcopus Albanus, poſtremo Epiſcopus Cardinalis Sabinus. Obiit Romæ XI. Kalend. Auguſt. MDXCVII. ſepultus Bononiæ in Eccleſia Metropolitana.

Scipio Lancellottus, Romanus, Advocatus Conſiſtorialis, poſtea Auditor Rotæ, & S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli ſancti Simeonis. Obiit Romæ, VI. Nonas Junii MDXCVIII. ſepultus in ſancti Joannis Lateranenſis.

Joannes Baptiſta Caſtellius, Bononienſis, Promotor, poſtea Epiſcopus Ariminenſis.

Michaël Thomaſius, Majoricenſis, Doctor Decretorum, poſtea Epiſcopus Ilerdenſis.

Theologi a Summo Pontifice miſſi.

Frater Petrus de Soto, Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, obiit Tridenti, menſe Aprili MDLXIII.

Alfonſus Salmeron, Toletanus, Hiſpanus, Societatis JESU. Obiit non Salmanticæ, ſed Neapoli, MDLXXXV. die XIII. Febr. ætatis LXX.

Franciſcus Turrianus, quibusdam etiam dictus, ſed minus recte, Torrenſis, Hiſpanus, Legionenſis, Doctor Theologus; poſtea Profeſſus Societatis JESU. Obiit Romæ MDLXXXIV. ipſo die feſto Præſentationis B. MARIÆ Virginis, quem ex Breviario expunctum Eccleſiæ Catholicæ reſtitui procuraverat, ætatis fere LXXX.

Antonius Soliſius, Hiſpanus, Doctor Theologus.

Frater Camillus Campegius, Papienſis, Ordinis Prædicatorum, Inquiſitor Ferrariæ.

Frater Hieronymus Bravo, Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum.

Frater Hadrianus Valentinus, Venetus, Ordinis Prædicatorum, in demortui Fratris Petri de Soto locum miſſus; poſtea Dominii Veneti Inquiſitor Generalis.

Doctores Theologiæ Facultatis Pariſienſis miſſi a Carolo IX. Galliarum Rege Chriſtianiſſimo.

Nicolaus Maillard, Decanus Facultatis Pariſienſis.

Joannes Peletier, Præfectus Collegio Navarræ.

Antonius Demochares, Reſſonæus.

Nicolaus de Bris.

F. Jacobus Hugonis, Franciſcanus, idem etiam Procurator Reverendiſſimi Joannis Urſini, Epiſcopi Trecorenſis.

Simon Vigor, Normannus, Canonicus Pariſienſis, poſtea Archi-Epiſcopus Narbonenſis.

Richardus du Pre.

Natalis Paillet, obiit Tridenti, VII. Kalendas Decembris MDLXII.

Robertus Fournier, Ambianus.

Antonius Coquier.

Laza-

Lazarus Broychot.

Claudius de Sainctes, Carnotensis, Canonicus Regularis sancti Augustini, postea Episcopus Ebroicensis. Obiit MDXC.

Theologi missi a Philippo Rege Catholico.

Cosmas Damianus, Hortulanus, electus Abbas Villæbertrandi.

Ferdinandus Tritiis, Doctor Theologus, Canonicus Cauriensis.

Ferdinandus Vellosillus, Doctor Theologus, Canonicus Saguntinus, postea Episcopus Lucensis.

Thomas Dassio, Juris Utriusque Doctor, Canonicus Valentinus.

Licentiatus Antonius Covarruvias, Auditor Granatensis, Didaci Frater.

Ferdinandus Mincasensis, Decretorum Doctor.

Frater Joannes Ramiretz, Hispanus, Minister Provincialis sancti Jacobi.

Frater Alphonsus Contreras, Commissarius Ordinis Minorum in Curia Regis Hispaniæ.

Frater Michael de Medina, Hispanus, Ordinis Minorum, Sacræ Theologiæ Doctor.

Frater Joannes Lobera, Hispanus, Sacræ Theologiæ Lector Salmanticæ, Socius Ministri Provincialis sancti Jacobi.

Cosmus Palma Fonteyus, Hispanus, Sacræ Theologiæ Doctor, Socius Hortulani Abbatis.

Frater Joannes Gallo, Hispanus, Ordinis Prædicatorum.

Frater Petrus Fernandez, Hispanus, Ordinis Prædicatorum, in societate Magistri Gallo.

Frater Desiderius de Sancto Martino, Panormitanus, Ordinis Carmelitani.

Michaël Bajus, Hannonius, ab Atho, Sacræ Theologiæ Doctor, postea Decanus Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Petri Lovaniensis, Academiæ Cancellarius, & ejusdem Conservator. Obiit Lovanii XVI. Sept. MDLXXXIX. ibique sepultus in Sacello Collegii Pontificii.

Joannes Hessels a Lovanio, Brabantus, Sacræ Theologiæ Doctor. Obiit Lovanii VII. Nov. MDLXXVI.

Cornelius Jansenius, Hulstensis, Flander, Sacræ Theologiæ Doctor, postea primus Episcopus Gandavensis. Obiit Gandavi XI. April. MDLXXVI.

Theologi missi a Rege Portugalliæ.

Frater Franciscus Foriero, seu Forerius, Lusitanus, Ulyssiponensis, Ordinis Prædicatorum.

Domnus Jacobus a Payva de Andrade, Lusitanus, Doctor Theologus.

Domnus Melchior Cornelius, Decretorum Doctor, Senator Regis Portugalliæ.

Ab Excellentissimo Duce Bavariæ.

Joannes Covillonius, Insulensis, Flander, ex Societate JESU. Obiit Romæ MDLXXXI. cum esset unus e Pœnitentiariis ad Divi Petri Basilicam.

Procuratores Episcoporum absentium.

Merchantus, Doctor Theologus, pro Illustrissimo Cardinale de Mendoza, Episcopo Burgensi.

Joannes Gothardus, seu Cothardius, Clericus sæcularis, Germanus, pro Reverendissimo Episcopo Ratisbonensi.

Georgius Hochenvarter, Clericus sæcularis, Doctor Theologus, Suffraganeus pro Reverendissimo Episcopo Basileensi.

Frater Felicianus Ninguarda a Morbinio, Ordinis Prædicatorum, pro Illustrissimo Domino Salisburgensi Orator.

Petrus Cumel, Doctor Theologus, Canonicus Malacitanus, pro Reverendissimo Malacitano.

Joannes Delgadus, Doctor Theologus, Canonicus Tudensis, pro Reverendissimo Domino Joanne de Sancto Æmiliano, Episcopo Tudensi.

Gaspar Cardillus, Villalpandeus, Segobiensis, Doctor Theologus, pro Reverendissimo Episcopo Abulensi.

Frater Joannes de Ludenna, Doctor Theologus, Ordinis Prædicatorum, pro Reverendissimo Episcopo Saguntino.

Frater Franciscus Orantes, Lector Vallis Oleti, Ordinis Minorum, pro Reverendissimo Episcopo Palentino.

Cæsar Ferrantius Suessanus, Doctor Theologus, pro Reverendissimo Episcopo Suessano, apud Reverendissimum Ilerdensem.

Procuratores Ordinum.

Joannes Coutignon, Doctor Gallus, Procurator Ordinis Cluniacensis, postea Prior major. Obiit XXI. Aprilis MDLXXII. sepultus Marciniaci.

Nicolaus Boucherat, Gallus, Prior Monasterii de Recluso, Procurator Generalis Ordinis Cisterciensis, postea ejusdem Ordinis Abbas Generalis. Obiit XXII. Martii MDLXXXVI.

Theologi Sæculares & Doctores Juris Canonici.

Georgius Girard, Gallus, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Andegavensi.

Gentianus Hervetus, Gallus, Aurelianensis, cum Illustrissimo ac Reverendissimo Cardinale a Lotharingia. Fuit postea Canonicus Remensis. Obiit Remis XII. Sept. MDLXCIV.

Franciscus Sancius, Decanus Facultatis Theologiæ, & Canonicus Salmanticensis, cum Reverendisſimo Salmanticensi.

Matthæus Guerra, Consentinus, Calaber, Presbyter sæcularis, cum Reverendisſimo Episcopo Sancti Marci.

Federicus Pendasius, cum Illustrissimo Cardinale de Mantua, Legato Sacri Concilii.

Joannes Franciscus Lombardus, cum Illustrissimo Cardinale Seripando, Legato Sacri Concilii.

Petrus Mercatus, Theologus, cum Reverendissimo Vicensi.

Trigillus, Doctor Theologus, Canonicus Legionensis, cum Reverendissimo Legionensi.

Sobànnus, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Legionensi.

Antonius Leitonius, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Conimbricensi.

Petrus Fontidonius, Doctor Theologus, Canonicus Salmanticensis, cum Reverendissimo Salmantino.

Joannes Villetta, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Barcinonensi.

Joannes Fonseca, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Archi-Episcopo Granatensi.

Michael Oroncuspe, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Episcopo Pampilonensi.

Alfonsus Fernandez de la Guerra, Hispanus, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Guadixiensi.

Michaël Ytero, Doctor utriusque Juris, cum Reverendissimo Episcopo Pampilonensi.

Josephus Puebla, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Episcopo Civitatensi.

Joannes Chiacon, Doctor Juris Canonici, cum Reverendissimo Episcopo Almeriensi.

Antonius Garsias, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Episcopo Ovetensi.

Benedictus Arias Montanus, Ordinis Sancti Jacobi, Doctor Theologus, cum Reverendissimo Episcopo Segobiensi.

Joannes Barcellona, Theologus, cum Reverendissimo Episcopo Uscellensi.

Docto-

Doctores Galli, Ordinis Sancti Benedicti.

Joannes Carthougne, Doctor Theologus.

Joannes de Verdun, Doctor Theologus.

Theologi Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Angelus Ciosus, Florentinus, cum Illustrissimo Cardinale Mantuano, Legato Sacri Concilii.

Seraphinus de Caballis, Brixiensis, Provincialis Terræ sanctæ, cum reverendo suo Generali, postea & ipse Ordinis sui Fratrum Generalis. Obiit Hispali MDLXXVIII. XXI. Novembris.

Elisæus Capys, Venetus, Theologus, cum reverendissimo Archi-Episcopo Pragensi.

Petrus Aridiensis, Gallus, cum reverendissimo Domino Cenomanensi.

Bernardus Bernardi, Gallus, Inquisitor Avinionensis, Vicarius Congregationis Franciæ, cum Reverendissimo Domino Nemausensi.

Joannes Matthæus Valdina, cum Reverendissimo Domino Tarentino.

Petrus Martyr Coma, Hispanus, cum Reverendissimo Gerundensi.

Petrus Zatores, Hispanus, cum Reverendissimo Domino Dertusensi.

Antonius de Grosupto, cum Reverendissimo Domino Viglevanensi.

Aurelius de Chio, cum Reverendissimo Domino Spalatrensi.

Hadrianus Valentinus, Venetus, cum Reverendissimo Domino Nicosiensi.

Marcus Medices, Veronenses, cum Reverendissimo Domino Cenetensi.

Benedictus Herba, Mantuanus, cum Reverendissimo Domino Brixiensi.

Michael de Ast, Genuensis, Prior sancti Laurentii.

Constantinus Coccianus Isorella, cum Reverendissimo Domino Montis Politiani.

Henricus de sancto Hieronymo, cum reverendissimo Domino Bracarensi.

Ludovicus de Sotomajor, Lusitanus, cum reverendissimo Domino Georgio de Tuyde, seu Tudensi.

Baptista de Lugo, cum reverendissimo Domino Veronensi.

Hieronymus Barolus, Papiensis.

Theologi Ordinis Minorum Beati Francisci de Observantia.

Aloysius de Burgo novo, Italus, Sacræ Theologiæ Lector Bononiæ, Commissarius Generalis, tum & ipse postea Ordinis Generalis.

Thomas de Sogliano, Italus, Provincialis, Bononiæ Minister.

Antonius de Padua, Lusitanus, Ordinis Secretarius.

Bonifacius Raguseus, Apostolicus Prædicator, Terræ Sanctæ Gubernanator, postea Episcopus de Stagno in Dalmatia.

Angelus de Petriolo, Italus, Lector S. Theologiæ Perusiæ.

Angelus Justinianus, Italus, Lector S. Theol. Genuæ.

Vincentius de Messina, Italus, Sacræ Theologiæ Lector Neapoli.

Julius Passiranus, Urceanus, Italus, Sacræ Theologiæ Lector Bergomi.

Jacobus Alani, Gallus, Theologus, cum reverendissimo Episcopo Venetensi.

Theologi Ordinis Fratrum Minorum.

Marcus Antonius Gambaronus a Lugo, sive Lugio, Socius religionis.

Bartholomæus Golphus, de Pergula, Prædicator Illustris.

Joannes Tertius, Bergomensis, Lector Theologiæ in Gymnasio Papiensi.

Clemens Thomasinus, de Florentia, regens in Conventu sanctæ Crucis Florentiæ.

Augustinus Balbus, a Lugo.

Joannes Baptista Ghisulphus, Ordinis Scriba.

Antonius de Gringnano, regens sancti Antonii de Patavio.

Lucius Angusiola, Placentinus, regens sancti Francisci Bononiæ.

Maximus Benianus, Cremensis, Orator pro religione, & Inquisitor Paduæ, postea Episcopus Clodiensis.

Octavianus Charus, de Neapoli, Regens sancti Laurentii de Neapoli.

Antonius Posius, de Monte Ilcino, Regens in Conventu duodecim Apostolorum Romæ. Obiit Montilcini MDLXXX.

Bonaventura Meldulensis, Regens in Conventu Parmæ.

Martialis Peregrinus, Calaber, Regens in Conventu Ferrariæ.

Antonius a Cubalo, Feltrensis.

Andreas Schynopius, de Amandula, cum Reverendissimo Domino Cathanzario.

Balthasar Crispus, Neapolitanus, cum Reverendissimo Domino Tropiensi.

Theologi Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini.

Thadæus Perusinus, cum Reverendissimo Domino Salviato, postea Præpositus Generalis.

Joannes Paulus Recanatensis, cum Reverendissimo Domino Quinqueecclesiensi, Oratore pro Regno Hungariæ.

Simon Florentinus, cum Illustrissimo Cardinale Seripando Legato.

Cherubinus Lavosius de Cassia, cum Reverendissimo Domino Vercellensi.

Gabriel Vertallus, Anconitanus, alias Duratellus.

Ambrosius Veronensis, Prior Conventus sancti Marci in Urbe Tridentina.

Joannes Baptista Burgos, Valentinus, Hispanus.

Antonius Mondulphensis, cum Reverendissimo Domino Pragensi Oratore.

Ægidius Volaterranus, cum Reverendissimo Episcopo Thininiensi.

Eugenius Pisaurensis, Concilii Prædicator, postea Episcopus Smyrnensis & Veliternorum Propræsul, apud quos obiit XXI. Junii MDLXXX.

Adamantius Florentinus, cum Illustrissimo Cardinale Madrutio: orationem habuit nomine Oratoris Septem Pagorum Helvetiorum Catholicorum. Obiit Romæ XVII. Januarii MDLXXXI.

Aurelius Coris Maltensis, cum Domino Oratore Helvetiorum.

Balthasar Massanus, cum Reverendissimo Episcopo Cataniensi.

Sebastianus, Fanensis, Ordinis Scriba.

Christophorus de Sanctotis, Burgensis, Hispanus.

Simon de Brazzolatis, Patavinus.

Angelus Ferrus, Venetus, cum Reverendissimo Domino de Osma. Obiit Barii in Apulia Præfectus Provincialis.

Petrus Lusitanus, cum Reverendissimo Domino Leiriensi.

Theologi Ordinis Fratrum Carmelitarum.

Joannes Jacobus Cherecatus, Vicentinus, Provincialis Venetiarum, postea Procurator Generalis Ordinis.

Theodorus Masius, Mantuanus, cum Reverendissimo Domino Cremonensi.

Silvester Confessarius Illustrissimi Cardinalis Mantuani.

Lucretius Asolanus, cum Reverendissimo Domino Patriarcha Venetiarum.

Nicolaus Gallus, cum Reverendo Patre Generali.

Eraldus Gallus, cum Reverendo Patre Generali.

Laurentius Lauretus, Venetus, cum Reverendo Patre Generali.

Angelus Ambrosianus, Venetus.

Theologi Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ.

Stephanus Bonutius, Aretinus, Tuscus, postea Episcopus Alatrinus, deinde Aretinus, & S. R. E. Presbyter Cardinalis, tituli Sanctorum Petri & Marcellini. Obiit 11. Januarii MDLXXXIX. in Collegio sui Ordinis, ibique sepultus.

Amans

Amans, pro Congregatione Servorum, cum Reverendissimo Domino Sibinicensi.

Officiales Sacri Concilii Tridentini.

Episcopus Cavensis, Commissarius.

Episcopus Thelesinus, Secretarius.

Ludovicus Bondonius, Magister Cærimoniarum.

Antonius Marcellus, Depositarius.

Cantores Sacri Concilii.

Simon Bartolinus, Perusinus.

Joannes Aloysius de Episcopis, Neapolitanus.

Bartholomæus Conte, sive le Comte, Gallus.

Matthias Albo, de Fulginio.

Franciscus Bustamante, Hispanus.

Joannes Antonius Latinus, Beneventanus.

Franciscus Druda, Calliensis.

Lucas Longincus, Gisonensis.

Petrus Scorteccius, Aretinus.

Notarii.

Marcus Antonius Peregrinus, Comensis, &

Cynthius Pamphilus, de sancto Severino.

Hieronymus Gambarus, Brixiensis, Forensis.

Cursores Sanctissimi Domini nostri & Sacri Concilii.

Nicolaus de Matthæis, &

Jacobus Carra, Allobroges.

FINIS TOMI VI.

Digressio sequetur pro more sub finem SÆCULI XVI. in Tomo sequente.



